# CVRSVS THEOLOGIÆ MORALIS

## TOMVS SECVNDVS,

### TRES CONTINENS TRACTATVS:

Primus de Sacramento Ordinis, ubi in Fine de Eccleſiaſticorum Obligationibus, Priuilegijs, & Immunitate agitur. Secundus de Matrimonio ad Finem uſque perductus. Tertius de Cenſuris tam in communi, quàm in particulari, ubi de alijs Pœnis Eccleſiaſticis tractatur, nimirum de Depoſitione, Degradatione, Ceſſatione à Diuinis & Irregularitate, aliaque plura ſolide, & præclarè, de Clericorum Percuſſione, Duello, Hæreſi &c. miſcentur utiliſſima.


*Per* R. A.^DM P. ANDREAM A MATRE DEI

*Collegij Salmanticenſis Carmel. Diſcalceatorum*

*S. Theol. Lect. ac Definitorem Generalem.*


EDITIO POST HISPANAM ALTERA CORRECTIOR ET AVCTIOR.





ANTVERPIÆ,

Apud JACOBVM MEVRSIVM, M. DC. LXXII.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

QVAM FVLGENTISSIMO

HISPANIARVM IVBARI, SACRÆ AC MYSTICÆ SAPIENTIÆ EXIMIÆ MAGISTRÆ, CHRISTI SPECIALISSIMÆ SPONSÆ, PROPHETARVM FILIÆ, SERAPHINORVM SORORI. RELIGIONE, ET DOCTRINA, TOTO ORBE CELEBERRIMI REFORMATI CARMELI INCLYTÆ RESTAVRATRICI, EXEMPLO VIRGINVM, DOCTORVM SPECVLO, SANCTISSIMÆ PROTHOPARENTI,

BEATISSIMÆ

# THERESIÆ A IESV.

CVm Vnicuique (Mater Sanctiſſima) quod proprium eſt, naturale ſit impertiri: taleque parentibus ius & dederit humana, & lex diuina conceſſerit, vt debitum honorem à filijs non modo precari queant, ſed meritò extorquere: *Tullius pro Roſcio Amerino.* *Filium enim pro patre mori* (dixit ille) *ſi res poſtulat, iura diuina, atque humana perſuadent.* Cùm igitur erga genitores filiales animos ſic comperiam procul dubio conſtringi: cur Beatiſſima Virgo (cuius memet beneficijs innumeris ſat validè haud retineri non inficior) tibi noſtrum debitum mentitus, aut digna audeam non rependere obſequia, ſeu filialem renuam præſtare reuerentiam? Quidquid aliorum in grates, conſpicor, animos ſuſcitare, quidquid iuſta obligatione cæterorum corda multò ſtrictiùs colligare arbitror, quidquid obſequij denique, quidquid reuerentiæ penes ullos quoſcumque perſpicaci acie contemplor: hoc equidem in nobis perſpicuis ſignis teſtatum, *Prov. 31.* in præſentiarum demiror. Tu quidem (quemadmodum & fortiſſima mulier) de fructu manuum tuarum plantaſti vineam; quam introgreſſi nos lætas legimus deliciarum cæleſtium fruges. Tu lanam quæſiſti, & linum; capiti tuo linum; corpori noſtro lanam, cùm manum miſiſti ad fortia, ac domus tuæ ſemitas conſiderans, panem decreuiſti non comedere otioſa; quouſque perditum Carmeli decus (diuina ſubnitens ope) in ſtatum priſtinum reſtituere poſſes, & fortitudine, ſeu virginitate lumbos accingens, tuumque brachium roborans, in arduis (uti generoſior reliquis volucribus Aquila) nidum valeres tuum collocare. Quouſque (inquam) velocibus tuæ contemplationis pœnis Carmelicum perſtringens

verticem, tum virorum familiam ſuſcitans, tum dicatarum Deo Virginum poſtmodum Religioſa ſubleuans vexilla; ut nobis domeſtica non deſint exempla, ſi alta conemur conſcendere virtutum limina. Tu ſapientiæ os aperuiſti, mirificam corde tuo condens doctrinam, noſtri qua vbertim corrigati animi uberes ſudores ſui, atque placidas ſegetes delibant. Non denique (haud ſecùs quàm vera mater) filios tuos ſolido reficis virtutum cibo, muniaque obiens ſapientis Magiſtræ, cæleſtis doctrinæ pabulo ſinus imbuis noſtrarum mentium: ex diuina quippe ſapientia, ſar tuis voluminibus declarata, quid affatim in animos noſtros profluit; id quippe veluti ex uberrimis ſcatebris exhauſimus. *Tui, namq; paruulus ille fons, qui creuit in fluvium, & in lucem, ſolemq́ conver ſus eſt, atque in aquas plurimas redundauit*, typica effigies eſt, quoniam exiguus in tuis primordijs fons, iam tandem in lucem, atque ſolem converſa, tot à te ignitas charitatis fulminaris flammas, tantaque ſapientiæ aquæ flores redundantia, ut & fidelium corda tui Sponſi diuino igneas amore, & eorumdem mentes veritatis illumines luce. Quo circa tibi, ſicut & matris, ſic & magiſtræ obſtringimur obſequia rependere.

Eſth. 10. n. 9.

Cum autem (uti Ambroſij teſtimonio comperimus) parentum cultus pietatis ſint prima limina: *Primus* (inquit) *gradus pietatis eſt iſte, ut quos authores tibi voluit eſſe Deus, honores obſequijs. Qui honor* (ait Hieronym.) *non tam in ſalutationibus, & verbis, quàm in munerum collationibus ſentitur*. Munuſcula noſtra pedibus tuis provoluti tibi ferre ſancimus, & Seraphini tui alas ſuſpirans libellus noſter, tibi cor aperit (Seraphica Mater) vt ſacratiſſimum hoc penetrale patulum nactus, eò prouolet, ſeſe ingerat; & tuorum affectuum tholis veluti improuiſus appendat. Tu itaque, quæ noſtra præſtat puſillitas, humilia ſuſcipe officia, vnaque affectum cordis, & vota, noſtri quoque animi conſpicias deſideria. Prætia offerrimus laboris noſtri, & ea, quibus haud minimum inſudauimus, integra voluntate libamus. Offerre noſtra ipſorum intereſt: tuum verò eſt ſuſcipere. Filiorum fungimur officia: tu verò matris oſtenta munia: libenti reddimus animo; pio ſuſcipias corde. Suſcipe igitur libellum humilem, ſecundam (inquam) Theologiæ Moralis ſuſcipe partem. Præſtare valemus paululum; conferre concupiſcimus plurimum: quo effectus, minimum, maximum, quod referre hiat affectus. Noſter itaque tantillus labor tuum ſanè quæritat auxilium: tua quidem protectione congaudet. Vellem, ſcias, hoccine munuſculo id totum tibi offerre, quidquid maximi unquam valebimus ducere: *Vnicum quippè* (quemadmodum obteſtatur Socrates) *bonum eſt ſcientia, & malum unicum*

D. Ambr. ſuper Matthæum.

Socrates apud Diog. lib. 2.

*cum inſcitia.* Noſtrum denique opuſculum anxium optat tui patrocinij vmbraculum.

Sed quid ni noſtræ ſcientiæ rivulus parvulus tuæ conquirat ſedulus protectionis opem: cùm velut ex magno flumine (dixi ſuprà) ex doctrina tua profluxerit? *Ad locum enim, unde exeunt flumina, ut iterum fluant, reuertuntur.* Et idcirco ſua recolens primordia, primam repetit ſcaturiginem. Qui ni ad te noſtri convolent ſudores? Quandoquidem mutuantur à te, qua plurimos queunt, doctrinam ſanam, inſtruere. Noſtra ſiquidem Moralis Theologia ſanctitatem, iuſtitiam, benignitatem, ſermonem fidelem, & morum amplectitur probitatem. Tu autem cuncta horum præſtas exempla: *Quoniam te ipſam* (utimur ſanè Apoſtoli verbis) *exemplum præbes bonorum operum, benignam, ſobriam, iuſtam, ſanctam, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut verbo & opere ſit potentior in doctrina ſana exhortari, & eos, qui contradicunt, arguere.* Quæ certè omnia ſcripta tua ubertim exuberant. Quamquam enim myſticæ ſapientiæ præſeferant ſpecimen; humanis tamen moribus informandis, eadem haud minùs apta timor: ipſa quippè quemnam in terminum arcta ducat laborum via, pandunt, quænamve præcipitis fallacia ſubeant gaudia mundi, ſiuè qua pateant virtutum itinera. Quocirca velut utriuſque Theologiæ magiſtræ, myſticæ, ſcilicèt, & moralis, optimo iure, atque mirifico titulo, ſecundam libamus ethices noſtræ partem. Offerimus ſecundam: primam namque in ſpeciale reuerentiæ, amoris, & affectus indicium, tanquam ſupremæ Dominæ Matri, & Magiſtræ, Angelorum Reginæ, Beatæ Virgini Mariæ de Monte Carmeli, cunctarum laudum decorandæ præconijs, quam tu inſtauraſti, noſtra Carmelitana Familia dicauit: quæ in ſacros Carmelicolas ſeſe ubique locorum eorundem matrem oſtentans, patentibus notis, ſemper ſuum amorem eximiam explicat. Illam autem (Mater beatiſſima, & Magiſtra) ſupplici corde precamur, ſuſcipias, ac tuo tutamine laborem noſtrum perſolvas. Velis annuere, diuiniq́ue tui Sponſi perpeti fungere amplexu.

Ecclesiaſt. cap. 1.

Ad Tit. 2.

Filiorum tuorum minimus.

*Fr. Andreas à Matre Dei.*

# INDEX TRACTATVVM, CAPITVM, DVBIORVM, ET PVNCTORVM,

Quæ in hoc ſecundo Tomo per ordinem ſucceſsiué continentur.

## TRACTATVS VIII. DE ORDINE.

### CAPVT I.

DE Nomine, eſſentia, effectu, multiplicitate Ordinum,& de connexione illorum inter ſe. pag. 1.

*Caput hoc duo puncta continet, & duplex dubium.*

Punctum 1. De nomine, eſſentia, effectu,& multiplicitate Ordinum,num. 1.
Punctum 2. De connexione illorum inter ſe, num. 35.
Dubium 1. An omnes Ordines ſint Sacramenta? num. 12.
Dubium 2. An dentur alij Ordines præter ſeptem communiter aſſignatos? num. 21.

### CAPVT II.

De materia, & forma in communi Sacramenti Ordinis, pag. 8.

*Hoc caput continet duo puncta, & vnicum dubium.*

Punct. 1. An Sacramentum Ordinis conſtet materia, & forma, & quæ ſint? num. 1.
Dub. vnicum. An ſit de eſſentia Ordinis, vt initiandus tangat materiam, & quomodo debeat illam contingere? num. 8.
Punct. 2. An quando deficit aliquid in Ordinibus ſit ſupplendum? num. 24.

### CAPVT III.

De materia, & forma ſingulorum Ordinum,& de illorum miniſterio, pag. 12.

*Caput hoc continet quinque puncta.*

Punct. 1. De prima Tonſura,eius natura, & miniſterio, num. 1.
Punct. 2. De materia, forma, & miniſterio quatuor Minor. Ordin. num. 10.
Punct. 3. De materia, forma, & miniſterio Subdiaconatus, num. 18.
Punct. 4. De materia, forma, & miniſterio Diaconatus, num. 25.
Punct. 5. De materia, forma, & miniſterio Ordinis Sacerdotalis, num. 37.

### CAPVT IV.

De legitimo Ordinis Miniſtro, tàm Ordinario, quàm à Papa delegato, p. 20.

*Hoc caput continet vnicum dubium, & quinque puncta.*

Dub. vnicum. Vtrum tres Epiſcopi ſint miniſtri neceſſariò requiſiti ad valorem ordinationis Epiſcopalis? num. 5.
Punct. 1. Quis ſit miniſter Ordinis Ordinarius ex ordinatione diuina? Et quis ex delegatione eſſe poterit? num. 11.
Punct. 2. Quibus ex iure competat poteſtas Ordinis conferendi? num. 30.
Punct. 3. De ſubiectione propriò Epiſcopo, quæ requiritur ut Ordines recipiantur, num. 43.
Punct. 4. Quis poteſt licentiam, ſeu litteras dimiſſorias, vulgo *reuerendas*, præbere in ordine ad ſuſcipiendos Ordines? num. 58.
Punct. 5. De alijs conditionibus ad licitè Ordines conferendos requiſitis, num. 71.

### CAPVT V.

De ſexu, ætate, & qualitatibus ordinandorum, pag. 33.

*Caput hoc duplex dubium, & triplex punctum habet.*

Dub. 1. An ſexus fœmineus ſit capax recipiendi Ordinis Sacramentum? num. 1.
Dub. 2. An puer ante uſum rationis ſit capax recipiendi Ordinis validè? num. 17.
Punct. 1. De ætate requiſita ad licitam Ordinum ſuſceptionem, num. 29.
Punct. 2. De moribus, & ſcientia requiſitis in recipientibus Ordines, num. 40.
Punct. 3. De recta intentione pro receptione Ordinum requiſita, num. 50.

CAPVT

### CAPVT VI.

De obligationibus ordinandorum, p.42.

*Caput hoc continet duo dubia, & quinque puncta,*

Dub.1. Vtrum votum continentiæ ſit iure diuino ſacris ordinibus annexum? num.1.
Dub.2. Vtrum obligatio continentiæ ſit immediatè ex præcepto Eccleſiæ? num.18.
Punct.1. De ijs, quibus ordinati excuſantur ab obligatione voti caſtitatis, num.40.
Punct.2. In quibus caſibus poſſit coniugatus ſacris ordinibus initiari? num. 51.
Punct.3. De duobus titulis, paupertatis, ſcilicet, & ſufficientiæ, ad quos poſſunt ordinibus ſacris initiari? num.61.
Punct.4. De beneficio ad cuius titulum poteſt quis promoueri ad ordines ſacros, num 67.
Punct.5. De patrimonio ad cuius titulum poterit quis ad ſacros ordines promoueri, num.76.

### CAPVT VII.

De priuilegijs, & immunitate, quæ ordinibus ſunt annexa, pag.54.

*Caput hoc continet duplex dubium, & ſex puncta.*

Dub.1. An iure diuino, vel humano exemptio à poteſtate ſæculari Clericis conueniat? num.1.
Punct.1. De ſubiectione Eccleſiaſticorum legibus ſæcularibus, & qualiter? num.14.
Punct.2. De exemptione Clericorum à poteſtate ſæculari quoad perſonas, num. 23.
Punct.3. De exemptione Clericorum à poteſtate ſæculari quoad illorum bona, num 35.
Punct.4. De exemptione Clericorum à poteſtate ſæculari quoad cauſas, num.55.
Punct.5. De ijs qui dictis priuilegijs, & exemptionibus gaudent, num.56.
Punct.6. Quomodo poſſunt renuntiari, aut derogari dicta priuilegia? num.70.
Dub.2. An miniſtri Regis poſſint aduocare ad ſe cauſas Eccleſiaſticas per viam violentiæ? nu.75.

# TRACTATVS IX. DE SACRAMENTO MATRIMONII.

### CAPVT I.

De natura, & eſſentia ſponſalium. p.69.

*Caput hoc continet octo puncta.*

Punct.1. De nomine, & definitione ſponſalium, num.1.
Punct.2. Vtrum promiſſio ſponſalium debeat eſſe mutua, & acceptata, num.13.
Punct.3. Quæ intentio requiratur in promittentibus ad conſtituenda ſponſalia, num.23.
Punct.4. Quæ expreſſio per verba, & ſigna, n.41.
Punct.5. Vtrum promiſſio ſponſalium debeat eſſe deliberata, libera, & publica? num. 57.
Punct.6. Quæ qualitates debeant reperiri in promittentibus ſponſalia? num.70.
Punct.7. Quam obligationem inducant ſponſalia? num 83.
Punct.8. Vtrum poſſit eſſe in ſponſalibus obligatio ad pœnam? num. 95.

### CAPVT II.

De cauſis quibus ſponſalia diſſoluuntur, pag.85.

*Caput hoc continet ſeptem puncta.*

Punct.1. An mutuo conſenſu contrahentium diſſoluantur ſponſalia? num. 1.
Punct.2. An, & quomodo, diſſolvi poſſint ſponſalia per ingreſſum Religionis, ſuſceptionem ordinis, & emiſſionem voti? num.16.
Punct.3. An, & quomodo priora ſponſalia diſſolvantur? per ſubſequens matrimonium, vel per noua ſponſalia? num.36.
Punct.4. Quomodo diſſolvantur ſponſalia ob lapſum temporis, vel per abſentiam ſponſi, n.50.
Punct.5. Quibus cauſis ſuperuenientibus poſſint ſponſalia diſſolvi, num.63.
Punct.6. Quibus cauſis antecedentibus poſſint ſponſalia diſſolvi, num.85.
Punct.7. Qua authoritate debeant ſponſalia diſſolvi? Et quæ probatio erit ad hoc ſufficiens, & requiſita, num.100.

### CAPVT III.

De Matrimonio ſecundum ſuam eſſentiam, vt eſt contractus, & vt eſt Sacramentum. pag.102.

*Caput hoc continet quinque puncta, & quatuor dubia.*

Punct.1. De multiplicitate, ſignificatione, & miniſtro matrimonij, num.1.
Punct.2. De tempore inſtitutionis Matrimonij, & eius neceſſitate, num.11.
Punct.3. De honeſtate Matrimonij, & de finibus quibus ſine peccato debet contrahi, num.16.
Dub.1. Vtrum in Baptizatis matrimonium ſit Sacramentum gratiam conferens? num.34.
Dub.2. Quænam ſit materia, & forma Sacramenti matrimonij? num.54.
Dub.3. An inter fideles poſſit ſeparari ratio contractus matrimonij à ratione Sacramenti, & verum matrimonium dari, quod non ſit Sacramentum? num.73.
Dub.4. Vtrum Matrimonium inter abſentes celebratum, ſit vere Sacramentum? num 84.
Punct.4. Quæ conditiones requirantur ad hoc ut procurator nomine alterius contrahat Matrimonium? num.97.
Punct.5. Qualiter ſit Matrimonium nullum reualidandum? num 109.

### CAPVT IV.

De indiſſolubilitate Matrimonij, p.123.

*Caput hoc continet tria dubia, & quatuor puncta.*

Punct.1. Quid ſit Matrimonium ratum, & quid conſummatum? num.1.

Dub.1.

Dub. 1. Vtrum Matrimonium indiſſolubile ſit, & perpetuum ex ipſa natura rei ſeu ex intrinſeca ratione illius, num. 11.

Dub. 2. Vtrum repudium legitimæ uxoris licitum fuerit in lege Moyſis, an vero ſolum permiſſum, quamvis eſſet peccatum? num. 24.

Punct. 2. Quomodo diſſolvatur Matrimonium infidelium per converſionem unius ad fidem, num. 33.

Dub. 3. Vtrum Matrimonium ratum ſed non conſummatum poſſit diſpenſatione Summi Pontificis diſſolui? num. 53.

Punct. 3. Quomodo diſſolvi poſſit Matrimonium ratum, non conſummatum per profeſſionem Religioſam, num. 71.

Punct. 4. De bimeſtre conceſſo coniugibus. Ad delib. randum de ingreſſu Religionis, num. 88.

## CAPVT V.

De unitate requiſitâ ad Matrimonium, pag. 138.

*Caput hoc continet tria puncta.*

Punct. 1. Quo iure ſit prohibita uxorum multiplicitas, num. 1.

Punct. 2. Fueritne aliquando licita multiplicitas uxorum? Quibus? Et quando? num. 31.

Punct. 3. Vtrum Matrimonium cum ſecunda uxore, mortuâ primâ licitum ſit? Et verum Sacramentum, & quæ certitudo mortis prioris coniugis ad hoc requiratur, num. 54.

## CAPVT VI.

De cauſa efficienti Matrimonij, ſcilicet de conſenſu, pag. 149.

*Caput hoc continet quatuor puncta.*

Punct. 1. An verus, & mutuus conſenſus requiratur ad Matrimonium, ita ut per nullam poteſtatem poſſit celebrari ſine illo? num. 1.

Punct. 2. An conſenſus parentum reſpectu filiorum, vel dominorum reſpectû mancipiorum requiratur ad validè, & licitè contrahendum Matrimonium? Et de pœnis poſitis compellentibus ad illud, num. 14.

Punct. 3. An conſenſus pro Matrimonio debeat ſignis, aut verbis exprimi? num. 38.

Punct. 4. De verbis, & ſignis, quibus conſenſus debet exprimi, & quomodo utriuſque conſenſus debeat ſimul apponi? num. 53.

## CAPVT VII.

De conſenſu conditionato, pag. 159.

*Caput hoc continet ſex puncta & tria dubia.*

Punct. 1. De multiplicitate conditionum quæ poſſunt Matrimonio adiungi, & de tempore, cauſa, demonſtratione, & modo, ſub quibus ſolet celebrari, num. 1.

Punct. 2. De conditionibus univerſalibus, de intrinſecis, & extrinſecis ſed neceſſarijs, num. 8.

Punct. 3. Quid de conditionibus impoſſibilibus ſentiendum ſit? num. 21.

Punct. 4. Vtrum Matrimonium contractum inter perſonas impedimento dirimente irretitas validum ſit ſub hac conditione, *Si Pontifex diſpenſaverit*? Et idem de ſponſalibus? num. 38.

Punct. 5. De Matrimonio ſub conditione honeſta, & contingenti celebrato, num. 51.

Dub. 1. An Matrimonium ſub conditione honeſta de futuro contractum impleta conditione fiat omnino perfectum, & abſolutum, ſine novo conſenſu expreſſo à contrahentibus appoſito, num. 61.

Dub. 2. An poſt Tridentinum in locis in quibus eſt receptum, debeat coram Parocho, & teſtibus, adimpleri conditio, vel illis conſtare de adimpletione, ut Matrimonium conditionatum tranſeat in purum, & abſolutum? num. 77.

Dub. 3. Vtrum conditio contraria ſubſtantiæ Matrimonij, aut bonis eius ipſum vitiet, & irritum reddat? num. 85.

Punct. 6. De conditionibus turpibus non contrarijs ſubſtantiæ Matrimonij, an illud reddant inane? num. 101.

## CAPVT VIII.

De conſenſu clandeſtino, pag. 179.

*Caput hoc continet octo puncta.*

Punct. 1. De multiplicitate matrimonij clandeſtini, illius prohibitione, & irritatione, num. 1.

Punct. 2. Vtrum ita ſit neceſſaria Parochi, & teſtium aſſiſtentia, ut in nullo caſu poſt Tridentinum validum ſit Matrimonium ſine illa? n. 11.

Punct. 3. Quis debet eſſe Parochus cuius præſentia requiritur ad valorem matrimonij? num. 23.

Punct. 4. De qualitatibus, quæ debent eſſe in Parocho, ut poſſit Matrimonio aſſiſtere, num. 39.

Punct. 5. Quæ aſſiſtentia Parochi, & teſtium requiratur ad Matrimonium? num. 57.

Punct. 6. De denuntiationibus, ſeu proclamationibus, quæ antecedere debent ad Matrimonium, & de benedictionibus, quæ vulgo dicuntur *Velationes*, quæ debent ad illud ſubſequi, num. 71.

Punct. 7. Qui poſſint diſpenſare, ut Matrimonium contrahatur abſque denuntiationibus, & de cauſis ad hoc requiſitis, num. 81.

Punct. 8. Qui teneantur ex vi denuntiationum impedimenta differre? & quomodo ſe debeat gerere Parochus, vel Ordinarius quando impedimentum aliquod opponitur, num. 95.

## CAPVT IX.

De conſenſu, vi, vel metu, extorto, pag. 199.

*Caput hoc continet unicum dubium & quatuor puncta.*

Dub. unicum. Vtrum Matrimonium, ex metu graui contractum, ſit iure naturæ irritum, vel ſolum iure Eccleſiaſtico? num. 1.

Punct. 1.

Punct.1. De conditionibus ad metum grauem dirimentem Matrimonium requiſitis, num.18.
Punct.2. De Matrimonio ex metu leui contracto, & ex metu reuerentiali, & ex precibus importunis, num.29.
Punct.3. De metu à cauſa naturali incuſſo, & à cauſa libera, ſed non ad extorquendum Matrimonium, vel ſi ad hoc ſit incuſſum, iuſtè tamen illatum, an dirimat Matrimonium? nu.39.
Punct.4. Vtrùm Matrimonium metu graui contractum confirmetur iuramento, aut copula ſequenti, animo maritali habita, num.55.

## CAPVT X.

De conſenſu ex errore appoſito, p.212.

*Caput hoc continet duplex dubium & duplex punctum.*

Dub.1. An error circa perſonam ex natura rei dirimat Matrimonium? num.1.
Dub.2. An error circa qualitates, ſeu circa quæcumque accidentia contrahentis irritet Matrimonium? num.9.
Punct.1. Quo iure error conditionis, ſeu ſeruitutis dirimat Matrimonium, & quo modo? n.19.
Punct.2. An quando per Matrimonium ſeruus conſequitur libertatem, validum ſit, ſi contrahatur ignorantiâ talis ſeruitutis? num.33.

## CAPVT XI.

De impedimentis tam dirimêtibus, quàm impedientibus in communi, pag.220.

*Caput hoc continet duplex dubium, & duplex punctum.*

Dub.1. An detur in Eccleſia poteſtas ad aſſignanda impedimenta dirimentia Matrimonium? num.1.
Dub.2. Vtrum Principes Chriſtiani habeant poteſtatem inſtituendi impedimenta dirimentia Matrimonium? num.11.
Punct.1. Quomodo poſſit conſuetudo noua impedimenta dirimentia Matrimonium introducere? num.19.
Punct.2. An conſuetudo legitimè introducta poſſit abrogare impedimenta dirimentia iure Eccleſiaſtico ſtabilita? num.30.

## CAPVT XII.

De impedimentis dirimentibus in particulari, pag.226.

*Caput hoc continet 13. puncta. Et pro alijs remittitur lector ad alia loca huius tractatus.*

De impedimento erroris remiſſiuè, num.2.
De impedimento voti, & ordinis, remiſſiuè, num.3.
Punct.1. Quid ſit conſanguinitas? Quo iure dirimat Matrimonium? Inter quas perſonas? num.6.



Punct.2. De cognatione ſpirituali. Quas conditiones requirat? Quomodo contrahatur? Inter quas perſonas? num.23.
Punct.3. Quid ſit, & quotuplex cognatio legalis? Quas conditiones requirat? Quibus cauſis? Et inter quos contrahatur? num.34.
Punct.4. Quomodo uxoricidium cum adulterio, vel ſine illo inducat impedimentum dirimens Matrimonium? Et de conditionibus ad hoc requiſitis, num.46.
Punct.5. Quomodo ex crimine adulterij cum promiſſione Matrimonij de futuro abſque occiſione coniugis, contrahatur impedimentum dirimens Matrimonium? num.56.
Punct.6. Quo iure ſit illicitum, & nullum Matrimonium fidelis cum infidelibus? Et cum quibus infidelibus? num.66.
De impedimento vis, & ligaminis remiſſiuè, n.77.
Punct.7. Inter quos contrahatur impedimentum publicæ honeſtatis? Quo tempore duret? Et quas conditiones requirat? num.81.
Punct.8. Quomodo affinitas dirimat Matrimonium ſubſequens? In quo gradu? Et quo iure? num.94.
Punct.9. De impotentia perpetua, abſoluta, & naturali. Quomodo dirimat Matrimonium? num.105.
Punct.10. Quando impotentia ex parte fœminæ ſit perpetua? Vbi etiam de impotentia reſpectiua, num.115.
Punct.11. De impotentia perpetua ex accidenti, vel ab extrinſeco prouenienti, num.123.
Punct.12. Quid faciendum ſit, quando eſt certa impotentia perpetua? Quid quando de illa dubitatur? num.135.
De impedimento clandeſtinitatis, remiſſiuè, nu. 142.
Punct.13. Quando raptus ſit ſpecialis ſpecies luxuriæ? Quas pœnas raptores incurrant? Et quomodo ſit raptus impedimentum dirimens Matrimonium? num.145.

## CAPVT XIII.

De impedimentis impedientibus in particulari, pag 256.

*Caput hoc unicum ſolum punctum continet.*

Punct. Vnicum. Explicantur impedimenta, quæ præciſè Matrimonium impediunt in particulari. Eorum obligatio decidítur, & qui poſſint in illis diſpenſare, num.1.

## CAPVT XIV.

De poteſtate diſpenſandi in impedimentis dirimentibus. pag.258.

*Caput hoc quatuor puncta continet.*

Punct.1. Quis poſſit diſpenſare Iure Ordinario in impedimentis dirimentibus? Quis ex delegatione ante, vel poſt contractum Matrimonium, num.1.
Punct.2. De cauſis requiſitis ad validam, & licitam diſpenſationem, nu.17.
Punct.3. Quæ expreſſio falſitatis, vel veritatis ſuppreſſio

preſſio vitiet diſpenſationem in Matrimonij impedimentis, num. 31.

Punct. 4. Qualis manifeſtatio impedimentorum sequiratur, ut diſpenſatio non cenſeatur ſubreptitia? num. 44.

## CAPVT XV.

De his, quæ pertinent ad uſum Matrimonij. pag. 268.

*Continet hoc caput ſex puncta.*

Punct. 1. De obligatione coniugum ad reddendum ſibi inuicem debitum coniugale, num. 1.

Punct. 2. Vtrum coniux debeat reddere debitum coniugale alteri coniugi illicitè petenti? nu. 13.

Punct. 3. Vtrum ex impedimento ſuperuenienti affinitatis vel cognationis ſpiritualis impediantur coniuges à negatione, vel petitione debiti? num. 21.

Punct. 4. Quomodo ſe debeat gerere in petitione, vel redditione debiti, qui eſt certus, vel dubius, vel habet opinionem probabilem de inualiditate Matrimonij? num. 31.

Punct. 5. Quomodo ex fine, ex tempore, ex ſitu, ex loco, poſſit actus coniugalis vitari? nu. 55.

Punct. 6. Quomodo ob damnum fœtus ſit inter coniuges illicita copula? Et de tactibus, verbis, aſpectibus, &c. quæ licent inter illos? nu. 75.

## CAPVT XVI.

De diuortio, pag. 286.

*Caput hoc quatuor puncta continet.*

Punct. 1. Quomodo ratione adulterij liceat diuortium inter coniuges? Et quomodo ad illud teneantur? num. 1.

Punct. 2. In quibus caſibus non ſufficiat adulterium, ut ius præbeat alteri coniugi diuortium petendi? num. 11.

Punct. 3. An propter alia delicta præter adulterium poſſit fieri diuortium? Vbi de hæreſi, de ſollicitatione ad peccatum, de ſæuitia alterius coniugis ſermo inſtituitur. num. 26.

Punct. 4. Qua authoritate debeat diuortium perpetuum propter adulterium fieri? Et quomodo innocens poſſit ad Sacros Ordines aſſumi, aut in Religione profiteri? num. 42.

# TRACTATVS X.

# DE CENSVRIS

## CAPVT I.

De Cenſuris in communi, pag. 297.

*Hoc caput continet ſexdecim puncta.*

Punct. 1. De nomine, & definitione cenſuræ, n. 1.

Punct. 2. De numero Cenſurarum, earumque multiplici diuiſione. num. 11.

Punct. 3. De cauſa efficiente Cenſuras, id eſt de poteſtate, quæ eſt in Eccleſia ferendi illas, num. 20.

Punct. 4. Quibus modis poteſtas ferendi Cenſuras acquiritur, & apud quos de facto inuenitur? num. 27.

Punct. 5. Quæ conditiones sequirantur, ut aliquis recipiat poteſtatem ferendi Cenſuras? Et poſt acceptam poteſtatem ut validè ferat illas? nu. 45.

Punct. 6. De forma ferendi Cenſuras, & de ſolemnitate ad hoc requiſita, num. 61.

Punct. 7. An præcedere debeat monitio ad Cenſuram, ita ut ſine illa iſta non habeat effectum? num. 80.

Punct. 8. Quot monitiones debent præcedere Cenſuram? Et de forma & modo, quo ſunt faciendæ, num. 92.

Punct. 9. De conditione requiſita ex parte territorij ad hoc, ut Cenſura licitè & validè feratur, num. 99.

Punct. 10. De cauſa ob quam Cenſura ferri poteſt, quæ eſt peccatum, & an pro culpa veniali poſſit grauis Cenſura ferri, num. 119.

Punct. 11. An pro actu purè interiori poſſit ferri Cenſura? Vbi etiam an debeat eſſe actus ex ſuo genere exteriùs conſummatus, ut Cenſura incurratur, num. 136.

Punct. 12. Vtrum excommunicatio, vel alia Cenſura lata contra facientes aliquem actum, comprehendat etiam mandantes, aut conſulentes, & qualis reuocatio mandati, aut conſilij sequiratur, ut non incurratur Cenſura lata contra conſulentes, & mandantes, num. 145.

Punct. 13. De conditionibus ex parte ſubiecti requiſitis ut aliquis Cenſurâ ligetur, num. 159.

Punct. 14. Vtrum qui ſemel incurrit unam Cenſuram, poſſit alijs pluribus ligari? num. 172.

Punct. 15. De cauſis excuſantibus à Cenſura incurrenda, ubi ſpecialiter de ignorantia, aut metu graui, num. 186.

Punct. 16. Quomodo ſe debeat gerere, qui dubius eſt, an Cenſurâ ſit innodatus, vel quando eſt certus de ſua innocentia, & à ſuperiori excommunicatur, num. 207.

## CAPVT II.

De Abſolutione à Cenſuris, pag. 339.

*In ſeptem puncta hoc caput diuiditur.*

Punct. 1. De neceſſitate abſolutionis eiuſque multiplicitate, num. 1.

Punct. 2. De forma, quæ obſeruari debet in abſolutione à Cenſuris, num. 14.

Punct. 3. De conditionibus requiſitis ex parte abſolvendi, ut licitè & validè illi abſolutio conferatur, num. 27.

Punct. 4. De his, qui poſſunt à Cenſuris abſolvere, & de conditionibus ex parte illorum requiſitis, ut validè & licitè abſolutio impendatur, num. 36.

Punct. 5. De caſibus, & Cenſuris reſeruatis Pontifici, à quibus poſſunt Epiſcopi abſoluere iure ordinario, num. 52.

Punct. 6. De facultate, quam habent Prælati Regulares abſolvendi ſuos ſubditos à caſibus, vel

Cenſuris

Cenſuris reſeruatis Summo Pontifici, vel Ordinarijs, num.69.

Punct.7. De caſibus, & Cenſuris reſeruatis, à quibus abſolvi poſſunt fideles recipientes Bullam Cruciatam, num.82.

CAPVT III.

De effectibus excommunicationis maioris; pag.358.

*Caput hoc quatuordecim puncta continet.*

Punct. 1. De definitione excommunicationis, eiuſque effectibus in communi, num.1.

Punct. 2. Qui dicantur excommunicati tolerati, qui vitandi? Et quales ad hoc requirantur conditiones? num.9.

Punct. 3. De primo effectu excommunicationis, qui eſt priuatio adminiſtrationis actiuæ Sacramentorum, & Miſſæ celebrationis, num.24.

Punct 4. De ſecundo effectu excommunicationis, qui eſt priuatio participationis paſſiuè Sacramentorum, num.41.

Punct. 5. De tertio effectu excommunicationis, qui eſt priuatio ſuffragiorum, indulgentiarum & orationum Eccleſiæ, num.51.

Punct.6. De quarto effectu excommunicationis, qui eſt priuatio communicationis cum alijs in diuinis officijs, num. 60.

Punct.7. De quinto effectu excommunicationis, qui eſt priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, num. 74.

Punct. 8. De ſexto effectu excommunicationis, qui eſt priuatio Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, num.82.

Punct. 9. De ſeptimo effectu excommunicationis, qui eſt incapacitas beneficiorum, & aliarum dignitatum, num.95.

Punct.10. De octauo effectu excommunicationis, qui eſt priuatio fructuum, & prouentuum beneficij, num.111.

Punct.11. De nono effectu excommunicationis, qui eſt priuatio communicationis forenſis, nu. 117.

Punct.12. De decimo effectu excommunicationis, qui eſt priuatio communicationis politicæ & ciuilis cum alijs fidelibus, num. 125.

Punct. 13. In quibus caſibus excuſentur à peccato fideles communicantes cum excommunicatis, num.140.

Punct. 14. De excommunicatione minori, illius natura & effectibus, & ceteris omnibus, quæ illam comitantur, num.158.

CAPVT IV.

De aliquibus excommunicationibus in particulari. pag.392.

*In ſex puncta diuiditur hoc caput.*

Punct.1. De excommunicatione. quæ imponitur ad reuelanda furta vel alia delicta, vel ad reſtituendam rem alienam, num.1.

Punct. 2. De excommunicatione Canonis, quæ ob percuſſionem Clerici contrahitur, num.18.



Punct. 3. De excommunicatione ob duellum impoſita, num.32.

Punct.4. De excommunicatione ob hæreſim, quæ in iure habetur, quando incurritur? Qui ſint ſub illa comprehenſi? Et à quo abſolvi poſſunt, num.46.

Punct.5. Qui intelligantur per credentes, fautores, receptatores, defenſores hæreticorum: ubi etiam, qui libri hæreticorum legi aut retineri ſub excommunicatione prohibentur. num.63.

Punct.6. De excommunicationibus in Bulla Cœnæ Domini contentis, num.75.

CAPVT V.

De ſuſpenſione, depoſitione, & degradatione, pag.414.

*Caput iſtud ſex puncta continet.*

Punct.1. De nomine, definitione, multiplicitate ſuſpenſionis, & de forma, qua ferri debet, num.1.

Punct.2 De effectibus ſuſpenſionis in communi, num.9.

Punct. 3. Quos effectus habet ſuſpenſio ab officio ſuſpenſio à iuriſdictione, ſuſpenſio ab ordine, & ſuſpenſio à beneficio? num.23.

Punct.4. De cauſis ad ſuſpenſionem ferendam requiſitis, num.39.

Punct. 5. Qua ratione ſuſpenſio impediri, vel tolli poſſit? num.50.

Punct.6. De depoſitione ſimplici, & degradatione tam reali, quàm verbali, num.54.

CAPVT VI.

De interdicto, & ceſſatione à diuinis. pag.427.

*Nouem puncta continet hoc caput.*

Punct.1. Quod, & quotuplex ſit interdictum? Vbi de locali, & perſonali interdicto agitur, num.1.

Punct.2. De cauſa efficienti, formali, & materiali interdicti, & de fine, vel occaſione ob quam ferri poteſt, nempe culpa, num.18.

Punct. 3. De effectibus interdicti in communi, num.26.

Punct.4. De primo effectu interdicti, qui eſt priuatio actiua & paſſiua Sacramentorum, num. 32.

Punct.5. De ſecundo effectu interdicti, qui eſt priuatio actiua & paſſiua diuinorum officiorum, num.50.

Punct.6. De tertio effectu interdicti, qui eſt priuatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, num.69.

Punct.7. Quod peccatum ſit violare interdictum? Et de pœnis contra illud violantes impoſitis, num.80.

Punct. 8. De relaxatione, ſeu abſolutione ab interdicto tam locali, quàm perſonali, num.92.

Punct.9. De ceſſatione à diuinis, & illius effectibus, nu.101.

## CAPVT VII.

De irregularitate in communi, pag. 446.

*Caput iſtud continet quatuor puncta.*

Punct. 1. De diffinitione, & diuiſione irregularitatis, & de cauſa efficienti, materiali & formali illius, ubi etiam de finali, num. 1.

Punct. 2. De effectibus irregularitatis: ubi etiam agitur: an beneficij collatio facta irregulari ſit nulla? num. 18.

Punct. 3. De ijs propter quæ excuſari aliquis poteſt ab incurrenda irregularitate, num. 41.

Punct. 4. De modis, quibus irregularitas poteſt tolli, nimirum ceſſatione cauſæ, baptiſmo, profeſſione Religioſa, & diſpenſatione, num. 55.

## CAPVT VIII.

De irregularitatibus, quæ ex delicto proueniunt, pag. 461.

*Diuiditur caput iſtud in octo puncta.*

Punct. 1. De irregularitate contracta ex homicidio iniuſto directè voluntario, num. 1.

Punct. 2. De irregularitate, quæ incurritur ob voluntariam membrorum mutilationem, & de illius diſpenſatione, à quo fieri poteſt, num. 18.

Punct. 3. De irregularitate quæ prouenit ex homicidio, & mutilatione caſuali, num. 29.

Punct. 4. De irregularitate ex homicidio, aut mutilatione causâ defenſionis ab iniuſto inuaſore, num. 44.

Punct. 5. De irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione baptiſmi, vel indigna ſuſceptione illius, num. 59.

Punct. 6. De irregularitate, quæ contrahitur ob violationem cenſurarum, num. 66.

Punct. 7. De irregularitate contracta per illegitimam ordinum receptionem, illarumque uſurpationem, num. 73.

Punct. 8. De irregularitate contracta ex delicto, cui eſt infamia annexa, num. 76.

## CAPVT IX.

De irregularitatibus, quæ non ex delicto, ſed defectu naſcuntur. pag. 481.

*Caput iſtud ſeptem complectitur puncta.*

Punct. 1. De irregularitate, quæ prouenit de defectu lenitatis, ratione occiſionis aut mutilationis ordine iudiciario executæ, num. 1.

Punct. 2. De irregularitate, quæ prouenit ex defectu lenitatis ratione homicidij aut mutilationis in bello iuſto executæ, num. 19.

Punct. 3. De irregularitate proueniente ex defectu ſacramenti, quæ dicitur bigamia, num. 25.

Punct. 4. De irregularitate, quæ prouenit ex defectu natalium, num. 43.

Punct. 5. De irregularitate proueniente ex defectu libertatis, num. 59.

Punct. 6. De irregularitate contracta ex defectu corporis, num. 65.

Punct. 7. De irregularitate proueniente ex defectu animæ, num. 76.

IESVS,

Digitized by Google

## IESVS, MARIA, IOSEPH.

# FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

FR. Stephanus à Sancto Ioſeph Generalis Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Primitiuæ Obſeruantiæ, de conſenſu noſtri Definitorij. Vt liber, cuius titulus eſt: Curſus Theologiæ Moralis tomus ſecundus, à P. F. Andrea à Matre Dei, Sacræ Theologiæ lectore noſtri Collegij Salmanticenſis, ſuis lucubrationibus accuratè compoſitus, & à grauibus doctiſque viris noſtri Ordinis (quibus ipſum videndum, & examinandum commiſimus) recognitus & approbatus typis mandetur, & in lucem prodeat, obtentâ facultate ſuperiorum tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus Datis in hoc Conventu Abulenſi decimoquarto Calendas Auguſti anno Domini 1666.

*Fr. Stephanus à S. Ioſeph*, Generalis.

*Fr. Antonius à Matre Dei*, Secretarius.

# LICENTIA ORDINARII.

DOn Gabriel de Eſparça Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Salmantinus, Regiuſque Conſiliarius, &c. tenore præſentium, quantùm ad nos attinet, approbamus librum, cuius titulus eſt: Curſus Theologiæ Moralis ſecunda pars. &c. accuratè compoſitum à R. P. Fr. Andrea à Matre Dei Carmelita Excalceato Primitiuæ Obſervantiæ. Sacræ Theolngiæ Lectore Salmanticenſis Collegij eiuſdem Ordinis, licentiam & facultatem concedimus, ut prælo poſſit dari: quatenùs ex noſtra commiſſione examinatus iam & approbatus eſt à Reuerendiſſimo P. M. Fr. Mauro de Somoza, in hac Salmanticenſi Academia Cathedræ Durandi digniſſimo moderatore: nihilque in eo Fidei ullo modo diſſonum, nec bonis moribus contrarium inventum ſit; ſed communi potiùs & publicæ utilitati valdè expediens iudicetur. Datum Salmanticæ die decimaquarta menſis Auguſti anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi ſexti.

*Gab. Epiſcop. Salmant.*

De mandato Illuſt. Dñi mei Epiſcopi.

*Blaſius de Mata*, Secretarius.

### APPROBATIO REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI THOMÆ DE ARELLANO, ORDINIS PRÆDICATORVM REGII CONCIONATORIS.

M. P. S.

EX Supremi Senatus Regij præſcripto hanc ſecundam Curſus Theologiæ Moralis partem à R. P Fr. Andrea à Matre Dei Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, & in Collegio Salmanticenſi Scholaſticæ Theologiæ Primario Profeſſore, Definitoreq; Generali elaboratam perluſtraui; attentiùs quàm iucundiùs neſcio, eius namque tanta animum meum iucunditate perfudit lectio, ut me alijs muneribus otioſum, haud invenerit, ſed effecerit; opus quippè hoc, ſicut mira eruditione illuſtratur, & incredibili acumine conſcribitur, ita maturo, ſolidoque iudicio penſatur. Fulget inprimis in hoc Auctore ſubtile in diſputando ingenium, præclarum in eligendis reijciendiſque ſententijs iudicium, animus pietate præditus in amplectendis tutioribus, clariſſima in diſponendo methodus, indefeſſuſque in exacta Doctorum lectione labor, & in exponenda Angelici Doctoris mente ſumma fœlicitas. Si ergo iudicium poſſet in laudes deſinere, plus debitum ſoluerem, quàm Cenſuram proferrem. Igitur opus ſanè pium, doctum, nil diſſonum Fidei, nec moribus continens, ſed dignum omni plauſu, omni elogio, in lucem prodeat, ut omnibus proſit. Sic cenſeo, Matriti in Cullegio Sancti Thomæ Aquinatis Ordinis Prædicatorum octauo Calendas Maij 1667.

*Fr. Thomas Arellano.*

# CENSVRA ET APPROBATIO

## R. P. F. MAVRI DE SOMOCA

*Ex Illuſtri & grauiſſima Familia Sancti Benedicti fœlicisſimæ prolis, Definitoris, Iudicis Magiſtrique Generalis Benedictinæ Congregationis in Hiſpania, Theologiæ Durandi in Vniuerſitate Salmantina digniſſimi moderatoris, Supremi Senatus Fidei Cenſoris, Examinatoris Synodalis, Archiepiſcopatus Toletani, & Epiſcopatus Salmanticenſis, olim Collegij Diui Vincentij Salmantini Abbatis.*

VOlumen hoc inſcriptum, *Curſus Theologiæ Moralis tomus ſecundus*, tribus tractatibus diſtributum, elaboratum à R. ac SS. P. Fr. Andrea à Matre Dei Carmelita Excalceato Primitiuæ Obſervantiæ, Theologiæ Lectore in Salmantino eiuſdem Familiæ Sacræ Collegio, de mandato Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Domini, Domini Gabrielis de Eſparça Dei gratiâ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Epiſcopi Salmanticenſis, Catholicæ Maieſtatis à Concilijs, &c. Diligens legi, attentus obſervaui, & ſtatim minimè blandus, ſed potiùs verè ſincereque loquens dixi cum noſtro Caſiodoro lib. 3. variar. ep. 6. *Neſcit inde aliquid naſci mediocre tot probati, quot geniti; & (quod difficilè) prouenit electa frequentia.* O Thereſia Diua! & iterum Diua! Quia pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: & quia tui, tot probati, quot geniti: & quia tui, facilis electa frequentia. Noui Auctorem primæ partis Curſus Theologiæ Moralis, noſco Auctorem ſecundæ, uterque maximus, nullus maior, quia uterque tuus electa frequentia.

Admirabar huius voluminis Auctorem eximium in Theologia Scholaſtica, maximum in lectura Sacræ Paginæ, Sanctorumque Patrum: nunc veneror maiorem in Theologia Morali, in qua cum maturitate inveniet, quiſquis legat, veram breuitatem cum perſpicuitate coniunctam, quam exprimebat Iſidorus Pelluſiota lib. 2. epiſt. 51. his verbis: *Vera breuitas cum perſpicuitate coniuncta, non in argumentorum prætermiſſione, ſed in earum rerum, quæ ad inſtitutam materiam nihil opis conferunt, reiectione ſita eſt, quæ ab orationis argumento alienæ ſunt, ponere ſupervacuum eſt: ita etiam eorum, quæ ad ipſius confirmationem aliquid momenti afferunt, nihil omittere neceſſe eſt.*

In hoc volumine vitium nullum reprehendere potui, nihil bonis moribus diſſonum, Fidei contrarium nihil. Prodeat igitur opus hoc quàm celerrimè omnibus numeris abſolutum in lucem, ut ſuo Authori celebritas, & noſtris temporibus claritas, & ſtudioſis omnibus pariatur utilitas. Sic ſentio. In hoc noſtro collegio Diuo Vincentio Sacro, Ordinis Sanctiſſimi P. N. Benedicti Salmanticæ, die 10. Auguſti anni Domini 1666.

*Fr. Maurus de Somoca.*

CENSV-

## CENSVRA, ET APPROBATIO
## R. P. M. Fr. FRANCISCI A RELVZ

*Ex inclyta, ac doctiſſima Prædicatorum Familia, in ſuo S. Stephani toto orbe celeberrimo Cænobio olim Præſulis, & nunc in perilluſtri Academia Salmantina Primæ Cathedræ Theologiæ Scholaſticæ digniſſimi moderatoris.*

SEcundam partem Theologiæ Moralis comprehenſam tribus tractatibus, de Ordine, de Mattimonio, de Cenſuris à Reuerendo admodum P. M. Fr. Andrea à Matre Dei ex Sacra Diſcalceatorum Familia, & in ſuo Sancti Eliæ Collegio toto orbe celebertimo, Theologiæ Scholaſticæ Primario Lectore, editam vidi, & prælegi: oculis & mente non ſine voluptate perluſtraui exteriora, interioraque perſerutans doctrinæ Myſterium reperi, Theſaurum inveni, nempè acervum ſacrum tritici, vallatum lilijs, id eſt, nuptialis doctrinæ menſam ſacerdotis labiis incluſam è latere dextro nobis meliora ubera propinantis; è ſiniſtro verò aſperiora diſciplinæ decernentis, iuxta illud Cant. *Labia eius* ( id eſt Chriſti, vel Sacerdotis ) *lilia*, propter ſacrum puritatis Sacramentale vaſculum diſtillantia myrrham primam propter mortificationes; quibus Cenſuris fideles ventilamur. Inſuper interiora & latentiora rimaturus acc edens candelabrum ductile de auro mundiſſimo animadverti, de cuius vecte inter alia candore lucentia lilia procedebant, Exod. 37. vaticinatum: non mixta ſentibus, non tubricata ſpinis ſplendebant. Roſa enim floribus ( teſte Beato Ambroſio) immixra teneris ſine ſpinis in Paradyſo vernabat, id eſt, veritates deciſas, digeſtas, eliquatas, relictis earum ſpinoſis anfractibus invido ſatanæ ſuggeſtu à Paradyſi exilio propagatis. Quibus albicantis doctrinæ radijs, iam filius Author matrem redolet (Thereſiam voco) eius Angelicam virginitatem aſpirat blandientis carnis illecebræ neſciam, & quaſi in Paradyſi amænitate florentem, nec ſpinæ mentis, animivè ſentes iure damnationis adſcripti leuiter pungunt. Nec minus morum, & ſapientiæ S. Thomæ Aquinatis venuſtatem veluti immaculatum exemplar æmulatur: qui pucrili ætate, pubertatis tempore velut fortis armatus atrium ſuum cuſtodiuit: primo enim impetu, virili congreſſu decertans impudicam cum pudicitiâ contumelioſè deterrendo exulare coegit, Quare & baltheo caſtitatis Angelicis manibus cinctus, ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſet: fœlix auſpicium liliatæ ſapientiæ ſinè errorum aculeis. Quare égregium hoc opus ad immaculati utriuſque prototypi, Thereſiæ videlicet, & Thomæ imaginem elaboratum, dignum prælo cenſeo ad Dei gloriam, & communem Eccleſiæ utilitatem. Datum in Conventu S. Stephani Salmanticenſis die vigeſima nona Auguſti, anni mileſimi ſexcenteſimi ſexageſimi ſexti.

*Fr. Franciſcus Reluz.*

PRÆFA-

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

EN tibi (Lector ſtudioſe) ſecundam partem noſtri Moralis Curſus ob oculos proponimus, eamdem cum prima ferè doctrinam, & methodum continentem; ſed non ab eodem Doctore exaratam (nec mireris.) Primam namque huius curſus partem in lucem edidit N.R.P. Fr. Franciſcus à Ieſu Maria, Definitor Generalis, magna claritate, breuitate & eruditione (quod & in alijs voluminibus ab ipſo ſuper Apocalypſim editis demiraueris) ad id præcipuè attendens, ut Scolaſtici noſtræ Sacræ Religionis, qui ex profeſſo Theologiæ Morali poſt Philoſophicam & Scolaſticam doctrinam incumbunt, faciliùs poſſent edoceri, & à Lectoribus inſtrui. Et ob hanc rationem ſeptem tractatus uno volumine finiuit: qui pluribus integris libris vix poſſunt ab alijs comprehendi, illud Lyrici dexteritate obſeruans. Horat. in Arte Poetica:

*Quidquid præcipies, eſto breuis, ut cito dicta*
*Percipiant animi dociles, teneantque fideles.*

Sed grauiſſimis occupationibus, ætate, & infirmitatibus, prædictus R. P. impeditus, curſum non valuit vſque ad vltimam metam percurrere; & quod incœpit fœliciſſimè (omnium penè dolore) non potuit conſummare. Qua de cauſa nobis à Prælatis iniunctum eſt, ut eumdem curſum proſequeremur. Quod & fecimus, hanc occupationem libenter ſuſcipientes: tum ob utilitatem Religionis; cui ſemper deſervire pro viribus fuit in animo: tum, ut feriati ab alijs occupationibus, tam Scholaſticæ Theologiæ, quam Sacræ Scripturæ in concionibus, quibus per plures annos inſudauimus, huic uni negotio incumberemus: quod (præſuppoſitis alijs) maximè proficuum & congruum iudicauimus. Igitur æquo animo huic curſui calamum convertentes, illius veſtigijs inhærebimus, qui primam calcauit viam, ſemitam patefecit, & ſic eundem ſtylum, eamdemque methodum, ac doctrinam ſemper proſequemur; quamvis aliquantulum fuſiùs: quia ita nobis iniunctum eſt. Et meritò: nam tractatus iſto volumine contenti id planè exigebant: maximè ille de Matrimonio, & Cenſuris. De quibus multi latè diſputant, vocantes ad hunc locum plures, & varias doctrinas ad diuerſas materias expectantes. Alij verò ita breuiter ſe expediunt, ut quamdam anacephaleoſim, vel rerum indiculum texere; non verò rem pro dignitate tractare, videantur. Nos quaſi mediam viam probamus, & eligimus: nec volumus Lectorem obruere congeſtis omnibus, quæ ab alijs lato calamo afferri ſolent, nec rem adeò grauem ita perſtringere, ut pleraque ex ijs, quæ ad rem præſentem attinent, omittamus. *Velut apes non omnibus floribus inſudant* (verba ſunt D. Baſilij hom. 24. de legendis lib. Gentilium) *nec ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur; ſed quantum ipſis ad opus neceſſarium fuerit, comprehendentes, reliquum dimittunt. Nos etiam & ſobrij, ſapienteſque, quantùm congruum nobis propinquum veritati ex ipſis fuerit, proſequamur, reliquum prætereamus.* Minimè tamen prætermittimus, quando opus eſt, placita referre aliorum; tametſi doctrinam illorum non ſequamur: nam diuerſorum opinionum notitia (maximè probatorum Doctorum) in hac materia morali eſt adeò neceſſaria, ut abſque illa doctus euadere nemo poſſit. *Sapientior autem omnibus eris* (inquit optimè Hug. Victor lib. 3. didaſcal.) *ſi ab omnibus diſcere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus doctiores fiunt.* Illud vellem, pro comperto habeas, nos nec ex propoſito opinionibus laxioribus adhærere, nec illas reſpuentes, ſtrictiores data opera affectare: ſed toto corde eas conamur amplecti, quæ rationi, authoritati, Sacris Canonibus, aut principijs Theologicis conformiores iudicamus: quandoque ſtrictæ erunt, quandoque laxæ; ſemper tamen (noſtro iudicio) veritati conformes. Si quid fortè noſtro labore egimus, quo tibi placere poſſimus, aut proficere, eo ſincero animo, quo tibi illud proponimus, accipe. Si verò aliquid, quod tibi minùs placeat, inveneris, corrige: nam tuo prudenti iudicio id libenter ſummittimus. VALE.

TRAC-

# TRACTATVS OCTAVVS
# DE SACRAMENTO
# ORDINIS.

POSTQVAM Tractatibus præcedentibus in tom. 1. exaratis actum eſt iam de Sacramentis quinquè, nimirum de Baptiſmo, Confirmatione, Pœnitentia, Euchariſtia, & Extrema vnctione; quæ omnia ad vtilitatem ſingularium perſonarum ſunt inſtituta, vt docet D. Thom. *in 4. diſt. 24.* in explicatione litteræ: iam in hoc tomo 2. accedimus ad explicationem illorum Sacramentorum, quæ ad vtilitatem communem Eccleſiæ ſunt ordinata à Chriſto Domino: quæ ſunt duo; nimirum Sacramentum Ordinis, & Matrimonij: illud ad bonum regimen Eccleſiæ commune; & vt filij Deo generentur per gratiam; iſtud, vt filij ſecundùm naturam ſanctè, & religiosè procreentur, qui poſtmodum per fidem, & Baptiſmum ab Eccleſia recipiantur. De his ergò duobus Sacramentis ad bonum Eccleſiæ commune inſtitutis in hoc 2. tomo acturi ſumus, quibus poſteà alium tractatum de cenſuris adijciemus. Sed in hoc 1. tractatu, qui ordine eſt octauus; de Sacramento Ordinis, ſeu de Sacra Ordinatione (vt loquitur *Concilium Tridentinum, ſeſſ. 23. Can. 3.*) diſcutiemus.

Huiuſmodi autem tractatus in ſeptem capita eſt diſtribuendus. In 1. acturi ſumus de eſſentia, natura, multiplicitate Ordinum, & connexione illorum inter ſe. In 2. de materia, & forma in communi Ordinum. In 3. de materia, & forma ſingulorum Ordinum in particulari, & de illorum miniſterio In 4. de Miniſtro conferente Ordines, ſeù licentiam ad illos ſuſcipiendos & tempore ordinandorum. In 5. de recipientibus Ordines, & conditionibus ad hoc requiſitis. In 6. de obligationibus ipſis Ordinibus annexis in 7. de priuilegijs & immunitate ordinandorum.

## CAPVT I.

### *De nomine, eſſentiâ, effectu, multiplicitate Ordinum, & de connexione illorum inter ſe,*

In hoc capite duplex dubium excitabimus, & ſimiliter duo puncta diſcutiemus.

*Punct. I. Erit de nomine, eſſentia, effectu, & multiplicitate Ordinum, n. 1.*
*Punct. II. De connexione illorum inter ſe, n. 35.*
*Dub. I. Erit, an omnes Ordines ſint Sacramentum? n. 12.*
*Dub. II. An dentur alij Ordines præter ſeptem communiter aſſignatos, n. 21.*

## PVNCTVM I.

### *De nomine, eſſentiâ, effectu, & multiplicitate Ordinum.*

*Quid nomine Ordinis intelligatur?*

1. VT nomen Ordinis innoteſcat; notandum eſt, hoc Sacramentum Ordinis ab aliquibus *Ordinem*, ab alijs, *Ordinationem* nominari. *Ordinatio* enim dicitur ſecundum quòd ſignificat illam actionem ſenſibilem, qua poteſtas ſacra tribuitur à Miniſtro proprio, & in hoc ipſe *Ordo*, vt Sacramentum eſt, conſiſtit, vt poſteà dicemus. Dicitur autem *Ordo* ab effectu, quem cauſat, vt benè notauit Greg. de Valentia *diſp. 9. q. 1. p. 1.* Vti dicitur Confirmatio ab effectu, ſeu charactere cauſato in hoc Sacramento, quo fidelis roboratur, & confirmatur contrà aduerſarios fidei; ſic dicitur Ordo ratione ſtatus, ſeu gradus Eccleſiaſtici, per quem ordinatus per characterem inſceptum, eſt permanenter idoneus ad ſuum munus exequendum. Sed iam communiter hoc Sacramentum appellatur *Ordo*; & quia cum pluribus eſt loquendum, nos de illo ſub hoc nomine deinceps diſputabimus.

*Vnde ſumatur Ordo.*

2. Hoc igitur Sacramentum *Ordo* appellatur ratione illius ſuperioritatis, & dignitatis, quam ſubit Miniſter Eccleſiæ in illo conſtitutus ſupra alios; non ſuperioritate dominij ordinata ad ſuum commodum; ſed ad aliorum vtilitati inuigilandum: vt inquit D. Thom. *3. p. in additionibus, q. 34. art. 1. ad 1.* Neque eſt inuſitatum nomine Ordinis excellentiam, & ſuperioritatem ſupra alios ſignificare: Sic enim dicitur *Ordo Equeſtris*, *Ordo Senatorius*, & ſimiles. Cum enim Ordo prioritatem, & poſterioritatem indigitet, ſicut cauſas, habere ordinem inter ſe, & cum effectibus aſſerimus; quia vna eſt alterâ prior, & ſimiliter in hoc vniuerſo, vbi vna pars, alterâ in loco, & eminentiâ ſuperior exiſtit, Ordinem eſſe à Philoſophis enuntiatur: & Religiones Ordines dicimus, eo quòd ex ſuperioribus, & inferioribus recta diſpoſitio, in eis reſplendeat; ſic Ordinem appellamus illud Sacramentum, per quod Eccleſiæ Miniſtri in gradu, & dignitate ſuprà alios conſtituuntur ad exercendas operationes Hierarchicas, & populis Sacramenta conferenda, aliaque bona ſpiritualia in Eccleſiâ procuranda.

*Probatur dari Ordinem in Eccleſia.*

3. Dari Sacramentum Ordinis inter alia Sacramenta Eccleſiæ enumeratum, & à Chriſto Domino inſtitutum, diffinitum eſt in *Concilio Tridentin. ſeſſ. 23. cap. 1. & Can. 3.* Per hæc verba: *Si quis dixerit Ordinem, ſiuè ſacram Ordinationem non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum :: :: :: anathema ſit.* Quod etiam in alijs Concilijs diffinitum fuit ab Eccleſiâ. Et quidem, quod detur in Eccleſiâ


verùs

verus Ordo ( quem ſtatim probabimus eſſe Sacramentum) probat Concilium, & cum eo omnes Catholici Doctores. Quia Chriſtus Dominus reliquit in Eccleſia verum ſacrificium, nimirum Sacramentum Euchariſtiæ; ſed hoc ſacrificium ab aliquibus offerri debuit, conſecrarique Sacramentum Euchariſtiæ, & fidelibus diſtribui, & non ab omnibus promiſcuè, quandoquidem ſacrificia veteris legis, quæ minoris erant excellentiæ à ſolis Miniſtris à Deo ſtatutis, & deputatis offerebantur: Ergò Chriſtus Dominus inſtituit Miniſtros, & in Eccleſia poteſtatem reliquit ad illos conſtituendos, & deputandos, alios ſublimiores, alios inferiores, omnes tamen ad hoc ſacrificium offerendum, & ad Sacramentum Euchariſtiæ conficiendum mediatè, vel immediatè ordinatos, in quo Ordo Eccleſiaſticus inſtituitur.

*Alia ratione.* 4. Hoc probat etiam D. Thomas, *art. 1. qu.* 34. Quia ſtatus Eccleſiæ eſt medium inter ſtatum naturæ, & gloriæ; ſed in naturâ inuenitur Ordo, quo quædam alijs ſuperiora ſunt; vt vltima per media reducerentur, & perficerentur, & media per prima: vt dicit D. Dion. *lib. 5. Eccl. Hier.* Et ſimiliter in gloria, in quâ dantur diuerſi gradus Angelorum, alij ſuperiores, à quibus inferiores perficiuntur, & illuminantur: Ergò etiam in Eccleſiâ datur Ordo, vt quidam alijs Sacramenta traderent, eoſque docerent, & inſtruerent.

*Ordo eſt verum Sacramentū.* 5. Et quod talis Ordo ſit verum Eccleſiæ Sacramentum, probatur: Quia Sacramentum propriè dictum, vt omnes fatentur, nec ipſi hæretici negant, tria includit, ſcilicet ſymbolum externum, promiſſionem gratiæ, & mandatum, ſeu inſtitutionem diuinam: ſed hæc tria in Ordine repetiuntur: Ergò eſt verum, & proprium Sacramentum. Probatur minor; nam in primis in ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ includitur ritus externus, vt miniſtratio, & receptio, ſeu contactus materiæ, & impoſitio manuum: iuxta illud *Actorum 6.* Vbi ordinantur per manus Apoſtolorum ſeptem Diaconi, dicitur: *Hos ſtatuerunt antè conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* Promittitur etiam eis, & datur gratia ad rectè obeundum ſuum miniſterium, *1. Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyteri.* Et ſimiliter eſt à Deo inſtitutum, & mandatum: *Ad Epheſ. 14. Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios autem Paſtores, & Doctores.*

*Obiectiones duæ.* 6. Sed objicies. Primò, quòd omnia Sacramenta ſunt à Chriſto Domino inſtituta; ſed non adeſt locus Scripturæ, ex quo conſtet Ordinem fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum. Ergò non eſt Sacramentum Eccleſiæ. Secundò, quia etiam in Eccleſia Triumphante datur Ordo ( vt diximus *num. 4.*) Sed ibi non eſt Sacramentum: Ergò nec ſimiliter Ordo, qui in Militante inuenitur, erit Sacramentum.

*Ordo fuit inſtitutus à Chriſto Domino in nocte cœna.* Ad primam neganda eſt minor. Nam Chriſtus Dominus nocte Cœnæ inſtituit Apoſtolos Sacerdotes, & Epiſcopos, dicens, *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem*, vt tenet *Concil. Trident. ſeſſion. 23. cap. 1.* Ac ſi diceret (vt explicat benè Trullench *cap. vnic. dub. 1.* Auerſa, *qu. 1. ſect. 1.* Enriquez *lib. 10. cap. 2.*) Sicut ego habeo poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, & miniſtrandi eam; ſic vobis talem poteſtatem impertior; quod eſt ipſos in Presbyteros ordinare: & ſimiliter Ioan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* In quo ſecundum munus Ordinis Sacerdotalis innuitur.

7. Et quamuis his locis ſolùm ordinauerit Presbyteros Chriſtus Dominus; tamen in ipſa ordinatione Presbyterorum clauditur eminenter cæterorum Miniſtrorum ordinatio, qui ad Sacerdotium ex ſe ordinantur; & Chriſtus Dominus vtendo poteſtate excellentiæ, quam habebat, ſimul eos ad vniuerſos Ordines promouit, relinquendo eorum poteſtati, quod gradatim cæteros per diuerſos Ordines ad illum gradum aſſumerent, vt conſtat ex alijs locis Scripturæ, ex diuerſis Concilijs, & Patribus, qui videri poterunt apud Valentiam, Marchinum, Trullench. & Auerſ. *locis citatis.*

Ad ſecundum reſpondet D. Thomas, *quæſt. 34. art. 3.* his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quod poteſtates proportionari debent illis, ad quæ ſunt: communicatio autem diuinorum, ad quam datur ſpiritualis poteſtas, non fit in Angelis per aliqua ſenſibilia ſigna, ſicut in hominibus contingit: & ideò in hominibus Ordo eſt Sacramentum, ſed non in Angelis.*

8. Omiſſis varijs diffinitionibus Ordinis, quæ ab aliquibus Authoribus adhibentur, optima eſt, quam tradit Magiſter *in 4. diſt. 24. & ibi* D. Thomas, & ferè apud omnes Diſcipulos eius admittitur, & eſt huiuſmodi: *Ordo eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas tribuitur ordinato.* Et addunt communiter Doctores, tamquam aliquid in dictis verbis implicitè contentum. *In ordine ad Euchariſtiam.* Sic tenent Raphael Auerſa, *quæſt. 1. ſect. 2.* Becan. *capite 26 num. 2.* Bonacin. *quæſt. vnic. part. 1.* Thomas Sanchea *lib. 7. conſiliorum cap. 1.* Sot. *in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 1. & alij.* *Diffinitio Ordinis.*

Dicitur autem *Signaculum*, quod ponitur loco generis: & vt benè notanit D. Thom. *in additionibus, quæſt. 24. art. 2. ad ſecundum.* Poteſt bifariam accipi: vno modo pro ipſo ſenſibili ſigno, & ritu in productione ipſius Sacramenti adinuento; & ſic diffinitur id; quod eſt *Sacramentum tantum* Ordinis, quodque ſimul cum ordinatione tranſit. Alio modo accipitur pro ipſo ſignaculo interno, ſcilicet charactere: & ſic diffinitur id, quod eſt in Ordine *Res, & Sacramentum*, permanetque in Miniſtro ſemper. Dicitur deindè *poteſtas ſpiritualis*: vt diſtingatur ab Ordinatione Politica, ſeu Ciuili, quà Ducibus, Protegibus, & alijs poteſtas à Rege traditur, ſed non ſpiritualis: *& poteſtas* hoc loco ſumitur actiuè: nimirum ad Euchariſtiam conficiendam, aliaque Sacramenta miniſtranda, non verò paſſiuè, hæc enim in Baptiſmo recipitur ad ſuſcipienda reliqua Sacramenta, vt benè inquit D. Thom. *loc. cit.* *Explicatio diffinitionis.*

Additur in ordine ad conſecrationem, ſeu ad Sacramentum Euchariſtiæ; quod eſt primarium munus, ad quod omnis Ordo inſtitutus eſt: alia autem miniſteria, ad quæ Ordo poteſtatem communicat, vt Sacerdotium in ordine ad abſolutionem, vel eſt minus principale, vel eſt ad diſponendum fideles, vt dignè Euchariſtiam recipiant; & ſic in ordine ad iſtam omnis ratio eius explicatur.

9. Effectus huius Sacramenti ſunt; inprimis gratia ſanctificans, non prima, ſi loquamur per ſe, eo quod eſt Sacramentum viuorum, ſed augmentum illius; quamuis per accidens, etiam primam gratiam aliquando impertiatur, vt diximus

*tractat.*

*tractat. de Sacramentis in genere*, deindè, vt conſtat ex ihidem dictis, tribuit ipſum augmentum gratiæ afferens ſeeum ſeriem auxilinrum Dei ad rectè, & debitè exercendum ſuum miniſterium: ac deniquè habet characterem imprimere: quod non ſolùm in vno, vel in altero Ordine inventur, ſed de omnihus verificatur, D. Thom. *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2.

*Numerus Ordinum.*

10. Ordines ad minus ſunt ſeptem (non ſtatuimus, omnes verè eſſe Sacramenta, de quo Dubio ſequenti erit ſermo, neque aſſerimus hos tantum eſſe; ſed ad minus eſſe ſeptem communiter ab Eccleſiâ receptos, & a *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 23. *cap.* 2. enumeratos; nimirum Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolyratus, Exorciſtatus, Lectoratus, Oſtiariatus. Ita Trullench *lib.* 4. *dub.* 1. Aucria, *qu.* 1. *ſect.* 3. Becanus *cap.* 25. *nu.* 2. Leand. *tract.* 6. *diſput.* 1. *quaſt.* 3. *& alij*. Ex his tres Priores *Sacri Ordines* dicuntur; tum quia immediatius ad Sacramentum Euchariſtiæ accedunt: tum etiam, quia ſecum afferunt annexum votum caſtitatis, per quod Ordinati conſecrantur Deo; & à matrimonio contrahendo impediuntur. Alij dicuntur Ordines minores, & non ſacri; quia remotius Ordinati per illos ſacrificio miniſtrant, & in gradu inferiori collocantur.

*Ratio diſtributionis.*

11. Rationem huius diſtributionis rectè tradit D. Thomas 3. *part. in additionibus, quæſt.* 37. *artic.* 2. Nam Sacramentum Ordinis ſumitur per ordinem ad Euchariſtiam, vel ad conficiendum eam, vel ad deſeruiendum, & diſtribuendum ipſam. Ad primum datur Sacerdotium, cui ſoli competit conſecratio. Cooperatio autem Miniſtrorum, vel eſt in ordine ad Euchariſtiam, vel ad illam ſuſcipientes. Ad primum dantur tres Ordines; ſcilicet Diaconatus, cui incumbit diſpenſare ipſum Sacramentum in abſentia Sacerdotis, & Subdiaconatus, cui competit diſponere vaſa ſacra; vt in eis debitè materia conſecranda recipiatur; & Acolytatus ad præſentandam materiam, nimirum vrceola cum vino, & aquâ. Quia verò accedentes ad tantum Sacramentum non debent eſſe immundi, in ordine ad eos datur triplex Ordo, ſicut eſt triplex genus immundorum: vt inquit D. Dion. *lib.* 3. *Eccleſ. Hier. cap.* 3. Alij, qui fidem ſuſcipere nolunt, & ideò arcendi ſunt ab Eccleſiâ; quod competit Oſtiarijs. Alij, qui quamuis fidem receperint, vt cathecumeni, non ſunt in illa rectè inſtructi, ad quos inſtruendos, Lectores aſſignantur, & ideo prima rudimenta fidei, ſcilicet vetus teſtamentum eis legendum committitur. Alij deniquè, quamuis fidem receperint, & in illâ ſint inſtructi, à dæmonibus tamen; à quibus ſunt poſſeſſi, impediuntur: vt ſunt energumeni, & ad hoc Miniſterium Exorciſtæ ordinantur.

## DVBIVM I.

### *Vtrùm omnes ſeptem Ordines recenſiti veram habeant rationem Sacramenti?*

*Argumẽta pro parte negatiua.*

12. Videtur quod non: quia ſeptem ſunt tantummodo Eccleſiæ Sacramenta: ſed ſi Ordines ſinguli Sacramenta eſſent, difficulter ſaluaretur; quomodo tot Ordines vnum eſſent dumtaxat Sacramentum, vt ſic tantùm ſeptem Sacramenta in Eccleſiâ reperiantur. Ergo, & cætera.

Secundò; quia illud ſolum eſt Sacramentum Ordinis, quo tribuitur aliqua poteſtas faciendi certum actum, qui aliàs ſine tali Ordine, & poteſtate eſſet nullus, & irritus: ſed non datur actus hoc modo ab aliquo Ordine elicitus, præterquam à Sacerdotio; & ideò actus cæterorum Ordinum à quolibet laico poſſunt validè exerceri: Ergò nullus Ordo præter Sacerdotium eſt Sacramentum.

Tertiò, quia ſi alij Ordines Sacramenta eſſent; deberent gratiam conferre, & eſſe à Chriſto Domino inſtituti: ſed neque conferunt gratiam (aliàs, qui in peccato illos reciperet, quo modo obicem gratiæ poneret, peccaret mortaliter, quod durum aliquibus videtur aſſerere) neque conſtat ex Scriptura omnes hos Ordines inſtituiſſe Chriſtum Dominum: imò neque in Eccleſia primitiua fuiſſe: & ideò Vrbanus II. *in cap. Nullus in Epiſcopum, diſt.* 60. inquit, *Sacros Ordines dicimus Presbyteratum, & Diaconatum; hos ſiquidem ſolos primitiua, legitur habuiſſe Eccleſia.*

13. Propter hæc, & alia argumenta: quamuis omnes Catholici tamquam certiſſimum, & de fide teneant Sacerdotium verè, & propriè eſſe Sacramentum, non deſunt, qui aſſerant Diaconatum, & Subdiaconatum Sacramenta non eſſe; ſed vel Sacramentalia, vel ritus ab Eccleſiâ introductos ad maiorem decorem, & reuerentiam Euchariſtiæ. Ita Dur. *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 2. Martinus de Ayala, *lib. de trad. Apoſt. cap. de Ordine.* (Loquendo de Subdiaconatu) Caiet. *tom.* 1. *Opuſc. tr.* 11. Eamque probabilem vocat Sot. *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 1. *art.* 4. Vict. *in ſum. de Sacramento Ordinis, nu.* 226. *&* 235. Paterque Magiſter *in* 4. *diſt.* 24. *cap. ſeptimus Ordo.*

Alij verò id concedentes de tribus maioribus Ordinibus; negant de quatuor minoribus, aſſerentes ſolum eſſe Sacramentalia, vt Cathecismus, & exorciſmus in Baptiſmo. Huiuſmodi ſunt, præter citatos Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 237. *cap.* 2. Sot *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 4. Nauarr. *in Manual. cap* 22. *num.* 18. Et probabilem, imò valdè probabilem vocat Philibertus March. *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 8. Et hanc opinionem probabiliſſimam appellat Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 31. *num.* 27. *& in conſilijs cap.* 1. *de Ordine, dub.* 7.

Sed contrà eſt, quod D. Thomas 3 *part. quæſt.* 37. *art.* 3. Diſtinguens inter Sacros Ordines, & non ſacros dicit; quod in hoc, quod eſt eſſe Sacramentum, omnes conueniunt. Et *art.* 2. *eiuſdem q.* cum ſtatuiſſet eſſe ſeptem Ordines ſecundum diuerſos reſpectus ad Euchariſtiam; dicit *in ſolutione ad* 1. *Sed Ordines habent quod ſint Sacramenta ex relatione ad maximum Sacramentorum; & ideò ſecundum hoc debet numerus Ordinum accipi.* Idem habes in 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. Vnde de eius mente non eſt ambigendum.

*Concluſio affirmatiua.*

14. Reſpondeo dicendum omnes & ſingulos Ordines tam maiores, quam minores habere veram rationem Sacramenti. Eſt communis opinio: Eam tenet Sanchez *Conſil lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 7. *&* 8. Bellarm. *tom.* 2. *lib.* 1. *ca.* 8. Leand. *tract.* 6. *diſp.* 1. *q.* 6. 7. 8 *&* 9. Granado *controu* 9. *tract.* 1. *diſp.* 2. *num.* 9. Bonacina *diſp.* 8. *punct.* 1. *num.* 2. Herinx *diſp.* 10. *quæſt.* 3. Gonet. *diſp.* 2. *art.* 1. è Noſtris Gabriel à S. Vinc. *diſp.* 1. *q.* 4. Antonius à Spiritu ſancto *tr.* 9. *diſp.* 1. Ioannes de Bach *in* 4. *ſent.* Lezana, Franciſcus B. Spei, Stephan. à S. Paulo. Et plures alij ab ijs Authoribus citati.

Probatur. Primò. Ex *Concilio Florentino in literis* Eugenij: vbi cum ſtatuiſſet Ordinem eſſe Ec-

ec lesiæ Sacramentum, & materiam illius eſſe rem, quæ ab Epiſcopo traditur ordinando: formam verò eſſe verba, quibus poteſtas illi tradita ſignificatur, poſteà enumerat ſeptem Ordines, & de omnibus illis aſſerit id ipſum verificari: ſentit ergò omnes veram rationem Sacramenti ſortiri.

15. Secundò, quia in *Conc.Trid.ſeſſ.23.cap.2.* dicitur ſeptem eſſe Ordines, eoſque à primo vſque ad vltimum exprimit; & ſtatim *cap.3.* ſtatuit indiſfinitè Ordinem eſſe verum Sacramentum: Sed propoſitio indiffinita in materia neceſſaria (qualiter cenſetur ea, quæ eſt per fidem diuinam credenda) æquiualet vniuerſali: Ergò illud decretum Concilij *Ordo eſt verum Sacramentum*: Poſtquam decreuit *ſeptem eſſe Ordines*: æquiualet huic: *Omnis Ordo eſt verum Sacramentum.*

*Ex ratione.*

16. Tertiò: quia quilibet Ordo habet propriam materiam, & formam, quæ licet ex Scripturâ non conſtet; ex immemorabili Eccleſiæ traditione habetur, quæ immemorabilis Eccleſiæ traditio ſemper arguit apud omnes id, quod ſic traditum eſt, recepiſſe fideles ab Apoſtolis, & iſtos à Chriſto Domino: & in eis datur particularis poteſtas ad aliqua ſpecialia miniſteria circà Euchariſtiam ex officio ſolemniter obeunda, & ſic imprimitur per illos character, proindèque non ſunt reiterabiles: quæ omnia probant omnes hos ordines eſſe verum Sacramentum; quamuis aliæ vrgentiores rationes dentur pro Diaconatu, & Subdiaconatu; à quibus adducendis ob breuitatem, cui conſulimus ſuperſedemus.

*videatur Gonet. & n Gabr loco citatis*

*Soluuntur argumenta contraria.*

17. Ad primum dicendum Sacramentũ hoc eſſe vnum vnitate Ordinis, ſeu habitudinis vnius ad alium, & omnium ad vnum (nempè Sacerdotium) in quo omnium plenitudo exiſtit, & ſic pleniſſima ratio cæterorum; ſicut enim in vna Monarchiâ eſt vna poteſtas Monarchica, quamuis poteſtas ſimpliciter talis in diuerſis gradibus Miniſtrorum reperiatur, & ſic poteſtas eſt Prætoris, poteſtas Proregis, & poteſtas Regis. Sed quia in iſto omnis plenitudo poteſtatis inuenitur ad illum cæteri Miniſtri ordinantur, & vna Monarchica poteſtas in ſpecie in omnibus reperitur, ſic accidit in Ordinibus: vt docet D.Thom.3.*pars.qu.*37.*art.*1.*ad* 3.

Et in hoc ſenſu dixit S. D. *ad* 2. diuiſionem Ordinis eſſe totius potentialis, cuius hæc eſt natura quod totum ſecundum completam rationem eſt in vno; in alijs autem ſecundum aliquam participationem ipſius; eò quod in Sacerdotio tota poteſtatis plenitudo (id eſt, completa ratio finis aliorum) reperiatur, & in cæteris per participationem ipſius (id eſt, per Ordinem ad illud) inſtituti ſint vt benè explicat Raphael de Auerſa, *q.*1.*ſect.*3. Neque Ordo vnius ab alio obſtat; quo minus ſit verum Sacramentum vnuſquiſque: Eò quod talis ordinatio ad Sacerdotium eſt, tamquam ad finem, cui deſeruiunt, & in quo perficiuntur, eo modo, quo inſtrumenta artis ad alia principaliora ordinantur, tametſi inferiora etiam veram rationem inſtrumentorum participent, & ars inferior ad ſuperiorem artem ordinatur: vt ars conficiendi ligna ad nauifactiuam, & hæc ad militarem; licet omnes ſint verè artes: Ita D.Thom. *in* 4. *contra Gent cap.*75.

*Soluitur ſecundum argumentum.*

18. Ad ſecundum dicendum, non eſſe omninò verum omnia Sacramenta tribuere poteſtatem ad actus, qui ſinè illis fieri non poſſint ſimpliciter; ſed vt Religioſiùs, perfectius, meliuſque fiant, & ſic confirmatio, tribuit poteſtatem ad reſiſtendum tyrannis fidem debellare nitentibus, & tamen talis reſiſtentia (licet non ita perfectè, & faciliter) aliundè haberi poteſt. Similiter extrema vnctio ad reſiſtendas tentationes, & triſtitias inſurgentes in vltima horâ ex diaboli ſuggeſtionibus, & angoribus infirmitatis; quod etiam haberi poteſt ſinè tali Sacramento ex alijs auxilijs, & donis Dei. Sic exercitium plurium Ordinum ab alijs, quam à Miniſtro valet exhiberi, quandoque ſolum validè, quandoque etiam licitè. Sed non propterea illi deneganda eſt poteſtas, quam habet ex charactere, vt decentiùs, & Religioſiùs, ac proindè ex officio, & ſolemniter tales actiones exerceat.

*A Chriſto Domino ſunt Ordines instituti.*

19. Ad tertium dicendum omnes Ordines eſſe à Chriſto Domino inſtitutos, & licet hoc de omnibus non habeamus expreſſè ex Scriptura; habemus ex traditione Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum receptâ: vt conſtat ex *Conc.Trid.ſeſſ.*23. *c.*17.*de reform.* Vbi etiam docet, quod diſtributio Ordinum, & eorum exercitia, & nomina à tempore Apoſtolorum dimanarunt: *Quamuis in primitiua Eccleſia* (verba ſunt D.Thom.3.*part.in addit. q.*37.*art.*2.*ad* 2.) *propter paucitatem Miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconibus committebantur:: nihilominus erant omnes prædictæ poteſtates, ſed implicitæ in vna Diaconi poteſtate. Sed poſteà ampliatus eſt cultus diuinus; & Eccleſia, quod implicitè habebat in vno ordine, explicitè tradidit, in diuerſis, & ſecundum hoc dicit* Magiſter *in littera, quod Eccleſia alios Ordines ſibi inſtituit.* Et in hoc ſenſu etiam alij Patres (ſi fortè ſunt, qui aliquos Ordines inſtitutos eſſe ab Eccleſia dicunt) debent explicari, & ſimiliter Vrban.II. loco in argumẽto adducto. Quamuis etiam poſſit dici ipſum loqui de Ordinibus, qui olim erant ſacri, inter quos ſolum erat Sacerdotium & Diaconatus, quamuis decurſu temporis etiam Subdiaconatus illis annumeratus ſit: vel deniquè loquitur de Ordinibus, qui ex Scriptura leguntur, non verò de illis; qui tam ex Scriptura, quam ex traditione habentur.

*Gratiam conferunt ſuſcipientibus.*

20. Etiam dicimus omnes Ordines conferre dignè ſuſcipientibus gratiam, proindèque peccare mortaliter, qui peccato mortali aliquem ex illis reciperet: vt docent Bonacina, Valentia, Trull. Auerſa *loc.cit.* Quamuis (vt benè notarunt hi Authores) non requiratur, quod præcedat confeſſio, vt aliquis debitè Ordinem recipiat: ſed quod pro viribus ad contritionem habendam conetur. Nec hoc eſt durum (vt non ita benè dixit Nauar.) quia etiam in matrimonio, in Confirmatione, & in alijs Sacramentis reperitur. Non tamen peccaret mortaliter, qui exercitium aliorum Ordinum, præter Sacerdotium in peccato mortali; etiam non præmiſſa confeſſione, vel contritione, exerceret, ſiuè officium fuerit Diaconi, ſiuè Subdiaconi, etiam ſolemniter exercitum; eo quod ibi nec ponitur obex gratiæ, quę non confertur per tales actiones ex opere operato, neque aliquod ab ipſis conficitur Sacramentum: Ità Authores nuper citati.

## DVBIVM II.

### *Vtrum ſint plures Ordines, præter ſeptem huc uſque enumeratos.*

21 Videtur quod ſint plures ordines, quam ſeptem, 1. Quia prima tonſura eſt verus Ordo

Ordo, & tamen inter illos non enumeratur: ergo datur alius Ordo in Eccleſia præter recenſitos. Maior probatur, 1. Quia ideò laici ſunt incapaces beneficij Eccleſiaſtici, & ſpiritualis iuriſdictionis, quia non habent Ordinem: ſed vtriuſque tonſurati ſunt capaces: ergò talis tonſura eſt ordo. 2. Quia qui tonſuratum Clericum percuteret, in excommunicationem: *Si quis ſuadente diabolo*, incideret: Ergò ſignum eſt tonſuram Ordinem eſſe Eccleſiaſticum. Tertiò, Quia Ordo importat quendam dignitatis gradum: ſed Clericus hoc ipſo, quod Clericus eſt (quod per tonſuram habet) in gradu ſuprà populum conſtituitur: Ergò, &c. Quartò. Denique quia in quadam, *Bulla* Sixti V. contrà malè promotos ædita *anno* 1588. & incipit: *Sanctum & Salutare*, prima tonſura Clericalis *Character* appellatur: ſed quod imprimit characterem eſt verus Ordo: & ideò in *cap. cum contingat, de ætate, & qualitate, Ordinandorum &c. Tonſura appellatur Ordo Clericalis.*

*Probatur Epiſcopatum eſſe Ordinem.*

22. Secundò arguitur, quia Epiſcopatus eſt verus Ordo à Presbyteratu diſtinctus: Ergò non ſunt ſeptem Ordines tantum. Antecedens probatur. Primò: Quia in *Tridens. ſeſſ.* 24. *cap.* 4. dicitur *Epiſcopos qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem pertinere.* Sed Ordo Hierarchicus eſt ille, de quo loquimur: Ergò, &c. Secundò. Quia Ordo diffinitur, quod eſt: *Signaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas tribuitur ordinato.* Sed in conſecratione Epiſcopi totum hoc reperitur: eſt enim ſignaculum quoddam ſenſibile, vt conſtat, & per id recipit Epiſcopus ſpiritualem poteſtatem ad conferendum Sacramentum Ordinis, & Confirmationis, & ad regendam Eccleſiam ſibi commiſſam quod antè talem conſecrationem, etiam ſi Presbyter eſſet, non habebat: ergò, &c.

Tertiò: Quia per Epiſcopatum producitur nouus character indelebilis; & ideò non eſt reiterabilis, ratione cuius habet Epiſcopus poteſtatem ad conſecrandas Eccleſias, Calices, & alia vaſa ſacra, ad conferendos Ordines, &c. Et ſimiliter datur illi gratia ex opere operato: eò quod ſemper, ac Deus homini poteſtatem tribuit, & in gradu eminenti conſtituit, ei gratiam confert, vt debitè ſuum munus exequatur, propter quod mortaliter delinqueret, qui reciperet conſecrationem Epiſcopatus in mortali, eò quòd poneret obicem gratiæ, quæ in tali ordinatione recipitur: Quartò. Quia ordo eſt, quo datur Miniſtro poteſtas ſpecialis in Ordine ad aliquod miniſterium circà Euchariſtiam exhibendum: ſed Epiſcopatus tribuit poteſtatem in Ordine ad conſecranda vaſa ſacra, calices, & patenas, & ſimiliter ad ordinandos Sacerdotes, qui ſtatim ad conſecrationem concurrunt: Ergò, &c.

*Authores pro his duabus ſententijs.*

23. Propter hæc argumenta ſunt multi, qui aſſerant Ordines eſſe plures quam ſeptem communiter enumeratos. Alij, quia dicunt tonſuram eſſe verum Ordinem, quæ ſententia eſt communis apud Canoniſtas, vt refert Marchinus *tract.* 1. *cap.* 7. Angelus *in ſumma, verbo Ordo*, & ſequitur Nauarr. *in ſumma cap.* 22. *nu.* 18. & plures alij, qui videri poterunt apud iſtos Authores. Alij vero aſſerunt Epiſcopatum præcisè ſumptum Ordinem eſſe. Vt Marchinus *tract.* 1. *c.* 11. Becan. *cap.* 26. *q.* 3. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 9. Auerſa, *q.* 1. *ſect.* 6. Valent. *diſp.* 9. *quæſt.* 1. *p.* 3. Leandr. *tract.* 6. *qu.* 9. 10. & 11. & è noſtris carm. Bacho Franciſc. B. Spei, Stephanus, & alij innumeri ab his Authoribus citati, quamuis plures ex illis renuant octauum Ordinem conſtituere, & Epiſcopatum cum Sacerdotio vnum facere Ordinem dicant; ſed an conſequenter, ex dicendis conſtabit.

24. Sed contrà eſt; quod *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 2. enumerans Ordines in Eccleſia repertos, ſolùm ponit Sacerdotium, Diaconatum, Subdiaconatum, & reliquos quatuor minores, ſed non eſt credendum Concilium diminutè ſe habuiſſe in re adeò graui, & maximè cum hæreticis controuerſa: Ergò hos tantùm Ordines eſſe cenſuit.

*Tribus modis ſumitur Ordo.*

Pro intelligentiâ tamen huius quæſtionis ſupponendum eſt cum D. Thom. *3. p. in addit qu.* 40. *art.* 2. & 5. Ordinem poſſe in triplici ſenſu accipi. Primo modo vt eſt Sacramentum; quomodo eſt Ordo Eccleſiaſticus, de quo in præſenti tractatu agitur à Doctoribus. Secundo modo, vt dicit ſtatum, & gradum quemdam, quo Clerici à ſtatu laicorum diſtinguntur, quo ſenſu Religiones *Ordines* appellantur: quia eius profeſſores in ſpeciali ſtatu collocantur, quo à cæteris ſæcularibus diſcernuntur. Tertio modo, ſecundùm quod dicit quandam excellentiam, poteſtatem, & ſuperioritatem ſupra alios; quomodo dicitur *Ordo Equeſtris, Ordo Senatorius, &c.*

*Epiſcopi ſuprà Sacerdotes ex iure diuino habent excellentiam.*

25. Secundò. Supponendum eſt cum eodem D. Thom. *art.* 4. *quæſt. citata*. Epiſcopos habere ſupra Sacerdotes aliquam poteſtatem & eminentiam, quod eſt de fide diffinitum in *Conc. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 4. & *Can.* 7. Quæ maior poteſtas non ſolùm eſt iuriſdictionis, ſed etiam Ordinis, vt docent, communiter Doctores. Nam Epiſcopi poſſunt conferre plura Sacramenta, vt Ordines, & Confirmationem: quod non poſſunt Presbyteri facere, & hoc non ratione poteſtatis iuriſdictionis: aliàs poſſent ſuo Vicario talem poteſtatem delegare; ſed poteſtate Ordinis: id eſt, quod ratione ſui Ordinis poſſunt hæc Sacramenta miniſtrare. Habent etiam poteſtatem iuriſdictionis maiorem. Quandoquidem poſſunt etiam de ipſis Presbyteris iudicare, 1. *Thim.* 5. *Aduerſus Presbyterum noli accuſationem recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Et etiam ſuprà totam Eccleſiam ſibi commiſſam, *Act.* 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Et vtramque excellentiam, & maioritatem non habent ex inſtitutione humana, neque ex ordinatione Eccleſiæ, ſed ex iure diuino, & inſtitutione Chriſti, qui Epiſcopos ſucceſſores Apoſtolorum conſtituit; reliquos verò Sacerdotes loco 72. Diſcipulorum; tùm tamen ſit certiſſimum Chriſtum Dominum reliquis Diſcipulis eos prætuliſſe. Atquè hoc contrà hæreticos docent Authores Catholici, nec circà illud eſt inter illos controuerſia; ſed an gradus Epiſcopatus verum Sacramentum ſit Ordinis, characterem imprimens, gratiam communicans, proindeque an ſit à Sacerdotio diuerſus? Quibus ſuppoſitis.

*Tantum ſunt Ordines ſeptem.*

26. Reſpondeo dicendum: Neque primam tonſuram, neque Epiſcopatum veram rationem Sacramenti Ordinis ſortiri; & ideò ſeptem tantum eſſe in Eccleſia ordinationes. Hæc concluſio eſt receptiſſima apud Thomiſtas. Eam docuit D. Thom. *q.* 40. citata, *art.* 2. & 5. ſequitur Soto Nuño *in addit. ad* 3. *part. quæſt.* 40. *art.* 5. Trullench Bonacin. *diſp.* 8. *quæſt. vnic. part.* 1. Regin. *lib.*

30. *tract.* 1. *num.* 5. n. Gabriel *diſp.* 1. *quaeſt.* 3. Gonet & alij plures, qui videri poſſunt apud Leandr. *tract.* 6. *diſp.* 1. *quaeſt.* 10.

*Quod tonſura nõ eſt ordo probatur.* 27. Probatur primam tonſuram Ordinem non eſſe ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 2. Vbi loquens de illa, vt de præparatione, & diſpoſitione ad Ordines, ab eis diſtinctam ſupponit, dicens: *Vt qui iam Clericali tonſurâ inſigniti eſſent; per minores ad maiores Ordines aſcenderent.* Ergò Clericalis tonſura, neque inter minores, nec maiores Ordines computatur.

Secundò, quia Ordo eſt poteſtas ad aliquod particulare officium in Ordine ad Euchariſtiam exercendum; ſed Clericalis tonſura nullam poteſtatem præbet ad hoc particularem; ſed ſolùm ponit hominem intrà ordinem Clericalem, & ab ſtatu laicorum extrahit: vt ſic debitè ad Ordines ſuſcipiendos præparetur, non ergò eſt Ordo, ſed quoddam præuium ad Ordines; eo modò, quo Catechiſmus ſe habet ad Baptiſmum, & Nouitiatus ad Religionem.

*Probatur quòd Epiſcopatus nõ eſt Ordo.* 28. Deindè probatur Epiſcopatum non eſſe Ordinem ſecundum, quod addit ſuprà Presbyteros. Quia ſecundùm communem Doctorum ſententiam ſeptem tantum Ordines in Eccleſia enumerantur, quos nominat *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 13. *cap.* 2. Sed ſi Epiſcopatus ratione ſui eſſet verus Ordo, verumque Sacramentum characterem imprimens, iam eſſent octo Ordines. Reſpondent aduerſarij non ita: quia Sacerdotium, & Epiſcopatus conueniunt in vno genere Sacramenti, nimirum in ratione Ordinis Sacri præbentis in ordine ad Euchariſtiam abſolutam poteſtatem: & ſic non ponunt in numero, nec faciunt duo.

29. Contra eſt, quia ſi genericè tantum conueniunt, & ſpecificè differunt: Ergò conſtituunt duos Ordines diuerſos: quemadmodum reliqui Ordines, qui ad minus genericè ſunt vnum, quia in ſpecie differunt, ad conſtituendum numerum ſufficiunt. Et in noſtra ſententia neque ſpecificè differunt alij Ordines, & tamen propter diuerſas poteſtates, & diuerſum ordinem, quem dicunt ad Euchariſtiam ſeptenarium numerum faciunt: vt patet ex dictis *num.* 11.

30. Secundò: Quia ſi Epiſcopatus Sacramentum eſſet, poſſet, licèt non licitè, validè tamen ordinari quis in Epiſcopum, quamuis non eſſet Sacerdos: quod apud omnes eſt falſum: & probatur: Quia hoc ipſo, quod reliqui Ordines ſint adinuicem diſtincti, poteſt quis validè, quamuis non licitè, ſuperiorem Ordinem (putà Sacerdotium) recipere abſquè eo, quòd in alijs ſit ordinatus. Reſpondent aduerſarij id verum eſſe in Ordinibus, qui eſſentialiter non connectuntur: at Epiſcopatus cum Sacerdotio eſſentialem connexionem habet. Sed contra, quòd hæc ſolutio manifeſtè petit principium: id enim eſt quod intendimus; quod ſi ſemel Epiſcopatus eſſet verus Ordo; non haberet cum Sacerdotio eſſentialem connexionem, eo quod characterem imprimeret, in quo eminenter contineretur virtus, & poteſtas, quæ in alijs inferioribus inuenitur; & ideò poſſet eſſe ſinè illis. Familiare quippè eſt ſingulis Ordinibus, quòd ſuperior contineat eminenter quidquid poteſtatis eſt in inferiori: & propterea non habet cum illo connexionem eſſentialem.

31. Tertiò: Quia Sacramentum Ordinis dicit ſpecialem poteſtatem in ordine ad Euchariſtiam, & ſecundum diuerſitatem illius enumerantur diuerſi Ordines: vt patet ex diſcurſu D. Thom. *num.* 11. adducto; ſed Epiſcopatus non dicit ſpecialem Ordinem ad Euchariſtiam præter eum, quem habet Sacerdos; eo quod iſte habet pleniſſimam poteſtatem in ordine ad vltimum, & perfectiſſimum miniſterium circa Euchariſtiam exhibendum, nimirum in ordine ad conſecrationem, & ideo non poteſt dari alius Ordo ſuperior (vti deberet eſſe Epiſcopatus, ſi eſſet Ordo) in ordine ad maximum Sacramentum, quam Sacerdotium, quod ad vltimum, & ſupremum illius, nimirum ad conſecrationem habet poteſtatem.

*Soluuntur argumenta contraria.* 32. Ad primum argumentum neganda eſt maior, & probationes omnes ſolum conuincunt tonſuram dici Ordinem eo modo, quo diximus *num.* 24. prout Ordo dicit quemdam gradum, dignitatem, quandamque deſignationem ad vlteriores Ordines; ratione cuius tonſuratus gaudet illis priuilegijs, eſt à ſtatu laicorum diſtinctus, & aptus ad ſuſcipienda Eccleſiaſtica beneficia, & Ordines, & ratione huius ſtatus, gradûs, & dignitatis Ordo appellatur multoties, non quia ſit Ordinis Sacramentum.

33. Ad ſecundum negandum eſt antecedens; & ad primam probationem reſpondetur, Tridentinum loqui de Epiſcopatu prout perfectiſſimum eſt complementum Sacerdotij, & collocat illud in ſuperiori gradu dignitatis, modo dicto, *num.* 24. Ad ſecundum dicetur in ſolutione ſequenti.

Ad tertium concedimus nouam gratiam per Epiſcopatum recipi; ſed ad hoc ſufficit; quod ſit Ordinis complementum perfectiſſimum, & conſtituat in gradu perfectiſſimo Eccleſiæ, quamuis non ſit Sacramentum. Ita Nuño *tom.* 2. *in* 3. *p. in addit. q.* 40. *art.* 5. Negamus tamen cum eodem in conſecratione Epiſcopali imprimi nouum characterem; ſed dicimus characterem Sacerdotij extendi per nouum modum ſuperadditum, virtute cuius poſſit plura Sacramenta conferre, quæ non poteſt, qui tali modo caret, tametſi characterem Sacerdotij receperit. Et hic nouus modus additus tali characteri, ſufficit ad concurrendum phyſicè ad illos effectus. Et quia in tali extenſione characteris, ac proindè in conſecratione Epiſcopali noua gratia confertur, eò, quòd licet non ſit Sacramentum; eſt tamen complementum perfectiſſimum excellentiſſimi Sacramenti: propterea qui obicem illi ponit, peccat mortaliter; ac proindè, qui in peccato mortali illam ſuſcipit: imò & omnes Epiſcopi, qui in mortali ad talem conſecrationem concurrerent, vti quilibet alius Miniſter, qui ad Sacramentum conficiendum accedeset in peccato mortali.

*vid. lat. Gonet. diſp.* 4. *art.* 2.

*Conſule n. Gabr. hoc citato n.* 17.

Ad quartum: Reſpondetur, Ordinationem Epiſcopi ad Euchariſtiam eſſe valdè remotam; eo quod Epiſcopatus non ordinat proprium ſubiectum ad Euchariſtiam (quod habent alij Ordines) ſed alienum ſubiectum. Et cum ſupponat iam pleniſſimam poteſtatem ad illam ratione characteris Sacerdotij ſolum præbet illius perfectiſſimum complementum; vt poſſit etiam alios ad Euchariſtiæ miniſterium ordinare.

34. Ex dictis in hoc Dubio conſtat nec Archiepiſcopatum, Patriarchatum, Cardinalatum, nec Papatum habere rationem Sacramenti Ordinis; ſed eſſe quaſdam dignitates, & excellentiſſimos

Digitized by Google

mos gradus in Eccleſia repertos, ſiue ex inſtitutione illius: vt de Cardinalibus dicunt communiter Doctores, ſiuè ex inſtitutione Chriſti; vt in Papatu reperitur. Ita Sanchez, Soto, Marchinus, Leand. n. Antonius, Auerſa & alij *locis citatis*.

## PVNCTVM II.

### *De Connexione Ordinum inter ſe.*

*Non eſt neceſſè omnes Ordines recipere.*

35 CONnexio, quam habent inter ſe omnes Ordines, non eſt ita accipienda, quod vnus ſine alio non poſſit recipi, & licitè, & validè; ſed neceſſario, qui ſuſceperit vnum alium ſuſcipere debeat. Poteſt enim vnuſquiſque vnum, vel plures Ordines recipere, etiamſi alios poſt multum temporis non adipiſcatur. (Niſi aliunde ex aliquo titulo ad hoc obligetur.) Neque etiam eſt neceſſè, quod quando quis ad Ordines promouetur intentionem habeat ad alios transeundi; imò non peccaret ſi haberet animum in eo, quem ſuſcipit, permanendi. Ita Auerſa, *quæſt. 1. ſect. 1.*

*Non poteſt ſuperior Ordo recipi ſine inferiore.*

36. Connexio igitur, quam Ordines inter ſe petunt, ea eſt, quod ſuperior Ordo (puta Sacerdotium) non ſuſcipiatur antè alios Ordines; & ſic peccabit mortaliter, qui promoueretur ad Ordinem ſuperiorem, inferiori prius non ſuſcepto, & manet ſic Ordinatus ſuſpenſus ab executione Ordinis, quem accepit, *cap. vnic. de Clerico per ſaltum promoto*. Quouſque Epiſcopus diſpenſet, vt Ordinem prætermiſſum ſuſcipiat, & acceptum exerceat; ad quod requiritur ne in ſuſcepto Ordine ex malitia miniſtrauerit. Ita *Trid ſeſſ. 23. cap. 14. de reformation.*

*Non poteſt aliquis Ordo recipi ſine præmiſſa tonſura.*

37. Quinimò prima tonſura ante omnes Ordines debet recipi, *Trid ſeſſ. 23. c. 2. Vt qui iam prima tonſura initiati eſſent, per minores ad maiores Ordines aſcenderent.* Vnde mortaliter delinqueret, qui ſcienter abſque illa aliquem Ordinem ſuſciperet. Eſſet enim contra hoc decretum Concilij, & contra praxim Eccleſiæ communem. Bonacina *diſp. 8. quæſt. vnic. part. 5. num. 11.* Sanc. *lib. 7. cap. 3. dub. 14.*

*Quo Ordine debeant recipi.*

Poſt primam tonſuram hac ſerie debent Ordines ſuſcipi. Quod primò Oſtiariatus, poſtmodum Lectoratus, mox Exorciſtatus, deindè Acolytatus, poſtea Subdiaconatus, Diaconatus, vltimò Presbyteratus recipiatur. Sic habetur expreſſè in Pontificali Romano, & docet Angelus *verbo Ordo, num. 6.* Sanc. & Auerſ. *loco citato.*

*Ordo ſuperior validè ſine inferiori poteſt ſuſcipi.*

38. Huiuſmodi autem connexio non requiritur ex neceſſitate Ordinis, ſed ex neceſſitate præcepti; non ex inſtitutione Chriſti: ſed Eccleſiæ, quæ iuſtiſſimè decreuit neminem ad gradum ſuperiorem aſſumi; quin prius in humiliori, & inferiori miniſtrauerit. Ita D. Th. *in 4 diſt. 24. q. 1. art. 2. q. 5.* Quapropter qui ſuſciperet Ordinem ſuperiorem non ſuſcepto inferiori, validè eſſet Ordinatus in illo, neque eſſet neceſſarium reordinari in illo gradu, ſed inferiorem deficientem ſupplere, & ideo ſi quis ad Presbyteratum aſſumeretur, non receptis alijs Ordinibus, poſſet quamuis non licitè, validè tamen omnia miniſteria exercere: eo quod, vt ibi docet D. Thom. in ſuperiori Ordine eminenter reperitur virtus; & poteſtas inferiorum: ſicut ſenſus in intellectu, & Ducatus in regno: *Et ideò in primitiua Eccleſia* (verba ſunt S. D.) *aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores Ordines non ſuſceperant; & tamen poterant omnia, quæ inferiores Ordines poſſunt.*

39. Sed obijcies, quòd Ordines ſunt quidam gradus; ſed nullus poteſt ad ſuperiorem gradum aſcendere, niſi per priorem; ergo nullus poteſt recipere characterem Ordinis ſequentis, niſi prius accipiat præcedentis.

Sed reſpondetur ex eodem D. Thom. ibi: *Ad ſecundum dicendum, quòd Ordines non ſunt gradus, qui occurrant in actione vna, vel in vno motu, vt oporteat ad vltimum per primum peruenire; ſed ſicut gradus in diuerſis rebus conſtituti, ſicut eſt gradus inter hominem & Angelum, neque oportet, quod ille, qui fit Angelus, prius fuerit homo. Similiter eſt gradus inter omnia membra corporis, nec oportet quod illud, quod eſt caput, prius fuerit pes, & ſimiliter eſt in propoſito.*

*Non poteſt Epiſcopatus eſſe ſine Sacerdotio.*

40. Non poteſt autem aliquis ordinari Epiſcopus, quin prius habuerit Ordinem Presbyteratus, & ſi ſecus fecerit, non erit validè ordinatus, neque aliquod munus Epiſcopale exercere poterit; puta Ordines conferre, confirmare, vaſa ſacra, & Eccleſias conſecrare, & ſi fecerit, erit nullum, & ideò dignitas, vel Ordo Epiſcopalis neceſſariò ſupponit characterem Sacerdotij: vt validè fiat, nedum vt licitè. Quapropter, qui ante Sacerdotium ad Epiſcopatum aſſumeretur, deberet prius ordinari Sacerdos, & poſtmodum in Epiſcopum conſecrari. Ita Suarez *de cenſ. diſp. 31. ſect. 1. num. 53.* Leand. *tract. 6. diſp. 1. q. 13.* Sanch. *lib. 7. cap. 3. dub. 14. num. 8.* & alij plures, quos iſti citant contra nonnullos Canoniſtas in *cap. illo vnico, de Clerico per ſaltum promoto*, & in cap. litteris, *de exceſſibus Prælatorum*, oppoſitum ſentientes. Quod probabile cenſet Toletus *lib. 1. ſummæ, cap. 51. nu. 10.* Probatur noſtra aſſertio ex dictis, quia Epiſcopatus non eſt nouus Ordo, nouumq; Sacramentum, ſed complementum perfectiſſimum Sacerdotij, nec nouum characterem infundit, ſed Sacerdotalem extendit: Extenſio autem, & perfectio rei haberi non poſſunt abſque ipſa re, & in opinione illorum, qui Epiſcopatum Sacramentum Ordinis eſſe ſentiunt, vel non diſtinctum à Sacerdotio conſtituunt, vel eſſentialiter cum illo connexum ex inſtitutione Chriſti; vndè, non poteſt Epiſcopatus ſine Sacerdotio reperiri.

*Cũ ſolo Sacerdotio poteſt quis Ordinari Epiſcopus.*

41. Sed rogabis modo, an qui ſolùm Ordinem Presbyteratus abſque alijs Ordinibus per ſaltum reciperet, antequam prætermiſſos ſuſciperet, poſſet validè in Epiſcopum conſecrari? Reſpondeo affirmatiuè; & ideò conſecratio facta in illo caſu valeret, non tamen licitè poſſet exequi munus ſuum ante ſuſceptionem Ordinis, quem omiſit. Ita Sanch. *loco cit. num. 9.* Auerſ. *vbi ſuprà*, & alij. Et ideò poſſet talis Epiſcopus calices, & alia vaſa conſecrare, confirmare, & omnes Ordines validè conferre: *Dempto eo, quem non habet*, inquit Sanchez; ſed Auerſa abſque tali limitatione omnes conferre poſſe affirmat, & meritò. Nam quemadmodùm Sacerdos, qui per ſaltum eſſet ordinatus, poſſet omnia, quæ alius, qui cum omnibus Ordinibus Sacerdotium reciperet: ſic Sacerdos in Epiſcopum conſecratus, tametſi non haberet alios Ordines, poſſet, quod alius: qui, poſt ſuſceptos reliquos Ordines, conſecraretur.

## CAPVT II.

*De materia, & formâ in communi Sacramenti Ordinis.*

*Caput hoc continet duo puncta, & vnicum Dubium.*

*Punct. I. An Sacramentum Ordinis conſtet materiâ, & formâ, & quæ ſint? num. 1.*

*Dubium vnicum. An ſit de eſſentia Ordinis, vt initiandus tangat materiam, & quomodo debeat illam contingere? num. 12.*

*Punct. II. An quando deficit aliquid in Ordinibus, ſit ſupplendum? num. 24.*

### PVNCTVM I.

### *An Sacramentum Ordinis conſtet certa materia, & forma, & quæ ſint?*

*Ordo conſtat materia, & forma.*

1. SAcramentum Ordinis, ſicut & reliqua alia Sacramenta Eccleſiæ, habet ſuam materiam, ſuamque formam determinatam, à Chriſto Domino inſtitutam, ſinè quibus nec validè poteſt conferri; eſt commune inter Catholicos. Materia eſt illud, per quòd Ordo ab Epiſcopo confertur. Forma verò ſunt verba, quibus ſignificatur poteſtas, quæ illi per talem ordinationem communicatur. Ità habetur *in Concilio Florent. in inſtruct. Armenorum*, & docet D. Thom. *3. p. q. 34. art. 4. &* 5. Materia autem, ſicut in alijs Sacramentis, eſt in duplici differentia. Alia eſt remota; & eſt res illa, quæ traditur ordinaro: vt Calix cum vino, & Patena cum hoſtia Sacerdoti: liber Euangeliorum Diacono, &c. De quibus *cap. ſequenti*, cùm de ſingulis Ordinibus agamus in particulari, latius diſcurremus. Materia verò proxima eſt ipſa traditio rei ab Epiſcopo facta: & ratio eſt, quia illa eſt materia apta Sacramenti, per quam Sacramentum conficitur, ſed Sacramentum rebus, & traditione illarum conficitur: Ergò tàm res, quàm traditio pertinent ad materiam Sacramenti, res vt materia remota, traditio vt proxima; quemadmodùm in Baptiſmo, aqua eſt materia remota, & applicatio illius per ablutionem eſt proxima, & in Confirmatione, & alijs.

*Materia, & forma fuerunt à Chriſto Domino inſtituta.*

2. Quòd autem talis materia, & forma ſint à Chriſto Domino deſignatæ, conſtat; quia in *Trident. ſeſſ. 7. can.* 1. deciditur Chriſtum Dominum inſtituiſſe omnia Sacramenta: Ergò pro ſingulis debitam materiam, & formam deſignauit. Ità communiter Doctores, nec opus eſt pro re tam certà aliquos in particulari recenſere.

*Rectè forma ſit per verba modi imperatiui.*

3. Forma autem huius Sacramenti rectè per verba imperatiui modi aſſignatur: vt docet D. Thom. *quæſt. 34. citat. art. 4.* dicendo: *Accipe poteſtatem, &c.* Quamuis in alijs Sacramentis non fiat, niſi per verba modi indicatiui: vt in Baptiſmo: *Ego te baptizo, &c. Signo te ſigno crucis, &c.* in Confirmatione. Rationem reddit ibi rectè S. D. ex differentia, quæ eſt inter Ordinem, & alia Sacramenta. Cætera namque Sacramenta principaliùs ſunt inſtituta ad ſanctificandum ſuſcipientem, vt eſt particularis perſona, & ideò oportuit ſignificare effectum, quem de facto in illo cauſant. At iſtud Sacramentum non fuit inſtitutum à Chriſto Domino principaliùs ad ſanctificationem Miniſtri, vt eſt perſona particularis, ſed potius ad præbendam illi facultatem, quà conſtituitur Miniſter communis Reipublicæ Chriſtianæ, & perſona publica in Eccleſia. Vnde ſicut cùm Rex, vel publicus Miniſter Reipublicæ creatur, hoc fit per verbum imperatorium tradendo illi Sceptrum, claues, vel Pileum: & dicendo, *accipe poteſtatem, &c.* Ità etiam in noſtro caſu. Ità Soto *in 4. diſt. 24. quæſt. 1. artic.* 8. Dicaſtil. *tractat. 6. diſput. 1. dub.* 9.

*Non eſt neceſſe per formam illius gratiam ſignificari.*

4. Atque hinc apparet, quare non requiratur, quod in verbis formæ huius Sacramenti ſignificetur primo, & principaliter gratia ſanctificans, vti in alijs Sacrameotis inuenitur, ſed principaliter vſus poteſtatis, quæ confertur dicendo: *Accipe poteſtatem ad conficiendum Euchariſtiæ Sacramentum, &c.* Nam cum in alijs gratia collata ſit principalius ad ſanctificandum ſuſcipientem, vel confortandum, vel nutriendum, nec ad amplius ordinetur; ſed ſi ordinatur, eſt tamquam ad finem minus principalem, oportuit ipſam gratiam per illorum verba ſignificari: At cum hoc Sacramentum, tametſi gratiam conferat, ſit ad hoc, vt Miniſter conſtitutus in ratione perſonæ communis vtilitati Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ deſeruiens, meliùs, ſanctiùs, & decentiùs ſuum munus exequatur, potius talis poteſtas aut exercitium illius debuit in tali forma ſignificari; & propter eandem rationem inquit Soto, illa verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Non ſunt de eſſentia formæ huius Sacramenti, eò quòd in illo non eſt neceſſaria proteſtatio fidei Trinitatis, ſicut in Baptiſmo; ſed ſat eſt ſignificare poteſtatem Miniſtri, & exercitium illud, ad quod ponitur talis poteſtas.

5. Sed quæres, an Chriſtus Dominus determinatam formam, & materiam in indiuiduo pro iſto Sacramento aſſignauerit: veluti in Sacramento Baptiſmi, aut Confirmationis?

*Non inſtituit Chriſtus Dominus materiam, & formam in indiuiduo Ordinis.*

Ad hanc quæſtionem ſufficienter conſtat ex dictis, *tom. 1. tract. 1. cap. 4. num. 40. & 47.* Propterea que in ea minus, ac erat neceſſarium, immorabimur. Ibi enim iam dictum eſt, & probatum, Chriſtum Dominum non inſtituiſſe materias, & formas Sacramentorum determinatè determinatione materiali, & in indiuiduo; ſed determinatione formali, & in ſpecie, id eſt, quòd determinatit materiam, & formam non materialiter ſumptas; has nimirum in particulari, quibus vtitur Eccleſia Latina, ſed formaliter ſumptas; id eſt tàm tem, quàm verba apta, & proportionata ad ſignificandam poteſtatem, quæ per characterem miniſtro tribuitur, relinquendo Eccleſiæ arbitrio quod pro diuerſitate locorum, temporum, &c. has, vel illas materialiter, & in particulari deſignaret. Ità ex Lugo, Dicaſtillo, Caſtro Palao, Diana, Leandro, & alijs ibi probatum eſt, quibus adde Philib. March. *tract. 2. de Ordin. part. 7. cap.* 2. Raph. de Auerſa, *quæſt. 2. ſect.* 1. Coninchum *diſ. 20. nu.* 65. Bonac. *in diſ. 8. quæſt. vnic. p. 3. n.* 4.

*Forma, & materia Ordinis Græcorum.*

6. Vndè qui ordinantur in Eccleſia Græca non ſolùm inter ſchiſmaticos, ſed etiam Catholicos, & qui Romæ degunt, ſciente, & conſentiente Summo Pontifice, ſi Presbyteri ordinentur, non per calicis, & patenæ traditionem (vti apud nos exercetur) ſed per manuum impoſitionem ſuper caput ordinandi fit, & Epiſcopus pro forma dicit: *Diuina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt, ſupplet, creat, ſeu promouet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum: Oremus igitur pro eo.* Et tamen nemo audet dubitare

illos

illos ritè ordinatos remanêre. Et ſimiliter in Diaconatu eſt diuerſa materia, ac forma, ac illæ, quæ apud Latinos extant: quia ſolùm ordinant imponendo manus, & dicendo: *Diuina gratia promouet N. venerabilem Subdiaconum in Diaconum.* Omnes tamen in eo conueniunt, quòd ſint materia, & forma apta ad ſignificandam poteſtatem, & ordinationem Miniſtri. Et ideò in primitiua Eccleſia, Diacono ordinando non dabatur liber Euangeliorum ab Apoſtolis, qui tunc ſcriptus non erat, ſed per manuum impoſitionem, & proportionata verba ſignificantia ſufficienter ſuum miniſterium.

*Parificatur cum Matrimonio.* 7. Quare ſicut in Sacramento Matrimonij non deſignauit Chriſtus Dominus in particulari materiam, aut formam materialiter ſumptas, ſed dumtaxat traditionem corporum, & verba vtriuſque contrahentis conſenſum ſignificantia, prout ſufficit, vt ſit verus humanus contractus, relinquendo Eccleſiæ poteſtati conditiones taxare, vt verus contractus humanus ſit. Et ideò ipſa tales conditiones ad hoc poſuit, quòd ſine illis non teneret, propiereaquè plura impedimenta annullantia matrimonium introducta ſunt in Eccleſia decurſu temporum; & modo iure nouo à Concilio Tridentino introducto, contractus matrimonialis clandeſtinus nullus eſt, niſi adſit Parochi, & duorum teſtium præſentia, ſinè quà antè Tridentinum erat verum Matrimonium. Ità Chriſtus Dominus pro materià Ordinis, & formà non hanc rem, vel illam in indiuiduo, hæc, vel illa verba materialiter deſignauit, ſed illa, quæ apta eſſent ad ſignificandam traditionem poteſtatis, quæ confertur, quæ in diuerſis temporibus, & ſtatibus Eccleſiæ variata ſunt materialiter, ſemper permanente eàdem formâ, & materià formaliter ſumptâ, à Chriſto Domino inſtitutâ.

## DVBIVM VNICVM.

### *An ſit de eſſentia Sacramenti Ordinis, vt qui initiantur tangant materiam, & quomodo debeant illam contingere?*

*Contactus materiæ eſt neceſſarius ex præcepto.* 8. IN hac dubitatione ſupponendum eſt contactum materiæ pro quolibet Ordine ad minus eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti impoſiti à Gregorio IX. *in cap. presbyter, de Sacramentis non iterandis.* Ac proinde peccaret mortaliter, vel Epiſcopus, vel initiandus, ſi ſcienter illum omitterent. Tùm quia agerent contrà communem Eccleſiæ praxim, in qua ità attentè inuigilant tam Magiſter cæremoniarum Ordinibus conferendis aſſiſtens, quàm Epiſcopus, vt omnes materiam neceſſariam pro Ordine ſuſcipiendo phyſicè tangant. Tùm etiam, quia ordinandus frangeret præceptum Eccleſiæ in re adeò graui, exponeretque ſe periculo non recipiendi Sacramentum, cum probabile imò probabiliùs ſit, phyſicum contactum materiæ eſſe eſſentialiter neceſſarium, de quo eſt præſens dubium.

*Contraria argumenta.* 9. Et videtur quòd non. Primò, quia in Sacramento Ordinis materia non operatur effectum in ſuſcipiente per actionem phyſicam, & ſenſibilem in illo; vti in Baptiſmo, abluendo Baptizatum, in Confirmatione, & Extrema vnctione, &c. ſed præcisè determinat formam, vel ab ipſa determinatur ad ſignificandum effectum ſpiritualem, quem Sacramentum cauſat: Ergò quamuis in alijs Sacramentis phyſicus contactus ſit requiſitus, ſecus verò in iſto.

10. Secundò, quia ſi ob aliquam rationem talis contactus ad valorem Sacramenti peteretur, maximè, quia verba formæ debent verificari, in quibus dicitur: *Accipe, &c.* cuius correlatiuum eſt acceptio paſſiua per contactum phyſicum, & realem; ſed ad hoc non requiritur, cum detur vera acceptatio rei per ſolùm ſenſibile ſignum, quo ſignificetur rem illam admitti; & ideò in locutionibus humanis hoc ipſo, quod aliquis rem alteri offerat, oſtendat, & ipſe ſignificet ſe velle, & acceptare illam, etiam ſi manibus non tangat, cenſetur acceptare eam. Ergò, vt verificetur verbum illud *accipe*, ſufficit, quod ordinandus ſignificet nutu, aut porrectione manus ſe illud accipere, quin phyſicè id contingat.

11. Tertiò, quia paruuli ante vſum rationis validè poſſunt ordinari; & tamen vaſa contingere non poſſunt humano modò per actionem voluntariam acceptantes illam poteſtatem. Ergò talis acceptatio, & receptio ſignificata per contactum phyſicum non eſt neceſſaria.

12. Hæc opinio eſt probabilis tùm propter dicta, tùm propter plures Auctores, qui eam tenent; & vt inquiunt Valentia, Trullenque, Auerſa, Palao, Diana, Soto, & alij in hoc dubio citandi, ſcrupuloſis maximum ſolamen affert, ne nimis anxij torqueantur, an contigerint, vel non traditum inſtrumentum, cum probabile ſit non eſſe neceſſarium neceſſitate Sacramenti talem contactum. Eam tenent Diana 3. *part. tract.* 4. *reſ.* 185. qui refert Zambranum *de caſibus tempore mortis, cap.* 6. *dub. vnic num* 6. Raguzium *de Sacram. Ordin. q* 3. *num.* 2. tenet etiam Albert. Magn. *in* 4. *ſent. diſt.* 24. *art.* 38. *ad* 2. Layman *in Theol. mor. dub.* 5. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 4. Vaſquez, Armilla, Nauarr. *cap.* 22. *num.* 17. Henriquez *diſp.* 10. *qu.* 4. *Authores pro iſta ſententia.*

13. Sed contrà eſt, quod D. Thom. 3. *part. quæſt.* 34. *art.* 5. *ad* 3. inquit: *Ideò porrectio materiæ magis eſt de eſſentia Sacramenti, quàm tactus; tamen ipſa verba formæ videntur oſtendere, quod tactus materiæ ſit de eſſentia Sacramenti, quà dicitur: Accipe hoc, vel illud.*

14. Reſpondeo dicendum, contactum phyſicum materiæ eſſe neceſſarium eſſentialiter in quolibet Ordine, vt validè recipiatur. Ita D. Tho. *vbi ſup.* Matthæus, Silueſt. *verbo Ordo* 2. *quæſt.* 5. Caietan. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 26. Enriquez, Coninch *de Sacram. diſp.* 20. *dub.* 7. *num.* 7. Leandr. *tract.* 16. *diſp.* 3. *quæſt.* 22. Nuño *quæſt.* 34. *in* 3. *part art.* 3. Soto *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 3. D. Antonin. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16. Auerſa *quæſt.* 2. *ſect.* 2. Palao *tract.* 27. *diſp. vnic.* Trullen. Sanchez *conſil. lib.* 7 *cap.* 1. *diſp.* 2. Bonacina *diſp.* 8. *quæſt. vnic. punct.* 3. Valentia, Wiggers, Gonet *& è noſtris* Gabr. à S. Vinc. *de Ord. diſp.* 1. *quæſt.* 6. Antonius, Lezana, Steph. *& alij.* Probatur primo, ex vſu receptiſſimo Eccleſiæ, & maximâ curâ, quam adhibent miniſtri, vt inſtrumenta pro quolibet Ordine oblata ab ordinando tangantur, quæ ſolicitudo maiorem neceſſitatem, quam præcepti oſtendit, vt in alijs rebus, quæ ſolùm ex neceſſitate præcepti exiguntur, experientia ipſa teſtatur. *Contactus phyſicus eſt omninò neceſſarius.*

15. Secundò, quia verba formæ debent cum proprietate, practicè verificari; ſed ſinè contactu phyſico recipientis non verificarentur. Ergò:

Digitized by Google

*vid. lat. n. Gabr.*

gò: Proba'ur minor, quia, vt practicè hoc, quod eſt *accipe* verificetur, debet ex parte ſuſcipientis phyſica acceptio dari. Numquàm enim poteſt verificari Petrum rem accipere, niſi eam ad minùs manibus tangat, nec me tradere tibi librum, niſi tu librum à me acceperis, quod fit per phyſicum, ad minùs, illius contactum.

Tertiò, quia omnia Sacramenta ex contactu phyſico ſuæ materiæ cauſant in recipiente ſuũ effectum: vt in Baptiſmo per ablutionem, in Confirmatione per chriſmatis impoſitionem, in Extrema vnctione per vnctionem, &c. Ergò ſimiliter iſtud; cum eadem, quoad hoc, ſit ratio de omnibus.

16. Dices, in Sacramento Matrimonij datur vera materia, nimirum coniugum mutua traditio, & tamen phyſicus, & realis contactus non requiritur: & ſic inter abſentes validè contrahitur; imò hinc contra nos vrgentiùs inſtant, quod in Matrimonio ſaluatur vera traditio, & acceptatio corporum ſine tali contactu: Ergò in Ordine ſaluatur vera traditio ex parte Miniſtri, & acceptatio ex parte recipientis abſque phyſico contactu. Sed contrà eſt, quòd in Matrimonio ſolùm requiritur mutua traditio corporum contrahentium, vt verus contractus inter illos ſaluetur, verumque ius vnuſquiſque adquirat ſuprà alium: non autem requiritur actualis illius poſſeſſio, quæ in vſu talis Matrimonij poſtmodum inuenitur. Vndè, ſicut in reliquis contractibus ſaluatur ius contrahentis ſuprà alium per hoc, quod vterque ſufficienter ſuum conſenſum ſignificet, ſinè eo, quod manum ad rem extendat, vſque dùm per actualem poſſeſſionem illam adquirat; ſic in Matrimonio, ſed non ſic in Ordine, qui in vera traditione vnius, & receptione alterius conſiſtit, quod abſque phyſico contactu inueniri non valet.

*Tria ſigna doctrinæ præcedentis.*

17. Cuius tria ſunt ſigna manifeſta. Primùm, quòd in matrimonio nec contactus moralis contrahentium eſt neceſſarius, ſeu quòd per ſigna externa talis contactus ſignificetur; quod tamen apud Doctores oppoſitæ ſententiæ pro Ordine requiritur. Et certè ſi contactus phyſicus non eſt neceſſarius; ſed ſolùm acceptatio recipientis; & tradentis exhibitio, nec etiam moralis: cùm ſine illo etiam acceptatio poſſit inueniri, vt benè arguit Philibertus *tract. 1. p. 1. cap. 16. num. 11.* Secundum, quòd Matrimonium etiam per procuratorem poteſt contrahi, non autem Ordo; ſi tamen contactus phyſicus pro eo non requireretur, ſicut ad Matrimonium non requiritur, non eſſet cur per alium non poſſet dicta traditio acceptari. Tertium, quia ſi ad Ordinem receptio phyſica per contactum recipientis non eſſet requiſita; nec etiam traditio phyſica dantis, cum traditio ad contactum referatur. Vndè, ſi iſte ex parte ordinati non requiritur, ſed quod ſignificet ſe velle recipere, ſufficit etiam, quòd miniſter ſignificet ſe velle illi poteſtatem dare, abſque eo, quòd ex parte alicuius phyſica inſtrumenti porrectio, vel receptio poneretur, quod aſſerere nemo audet.

18. Ad primum contrariæ ſententiæ negatur antecedens; nam eo ipſo, quòd in Ordine materia determinetur per formam huius Sacramenti, & hæc ſignificet traditionem materiæ practicam, debet ipſa ab ordinando contingi, vt dictum eſt. Ad ſecundam conſtat ex dictis argumento præcedenti. Ad tertiam reſpondetur, quòd ſicut in Baptiſmo contactus materiæ, nimirùm ablutio paruulorum eſt voluntaria non voluntate propriâ, ſed Eccleſiæ, vel parentum, ſic in Ordine contactus illorum phyſicus, qui ab ipſis fieri poteſt additâ voluntate Eccleſiæ, vel aliorum, redditur voluntarius moraliter, ſi ſemel eſt verum poſſe validè ordinari, de quo ſuo loco dicemus.

*Nō requiritur contactus immediatus.*

19. Nunc rogabis primò an hic contactus debeat eſſe immediatus; ita quòd ſi caſu, vel induſtriâ, medio aliquo velo, panno, vel chirothecâ manus contingeret calicem, vel librum talis maneret ordinatus? Reſpond. affirmatiuè. Ita expreſsè Auerſa *quæſt. 2. ſect. 2.* Caſtro Pal. *tract. 27. diſp. vnic. punct. 4. num. 20.* & citat Vaſquez, Cuninch, Bonac. Nam ille phyſicus contactus dumtaxat requiritur, & ſufficit, quo verificetur ſuſcipientem verè rem accipere; at nemo dubitat accipientem librum, etiam medio velo, &c. in manibus illum verè recipere: Ergò, &c.

*Sufficit, quod moraliter continuetur cū verbis.*

20. Rogabis ſecundò, an talis contactus debeat phyſicè cum prolatione verborum inueniri; ità quod verè, & realiter ordinandus inſtrumentum contingat, antequàm Epiſcopus verba formæ terminauerit. Reſp. affirmatiuè Caiet. *to. 1. opuſ. tract. 26.* Torreblanc. *l. 2. pract. c. 13.* Nauarr. *in ſum. cap. 22. num. 17.* Sed certè nimis metaphyſicè rem adeò moralem metiendo: & ideò videtur mutaſſe ſententiam Caietan. *in ſumm. verb. Ordinandi.* vt refert Soto *in 4 diſt. 24. quæſt. 1. art. 3.* Dicendum itaque eſt, quòd ſicut in Baptiſmo, Pœnitentia, & alijs ſufficit moralis coniunctio applicationis materiæ cum prolatione verborum; ita etiam in Ordine, ideoque quamuis verba finita ſint, validè, imò licitè Sacramentum recipitur, ſi poſt paucum tempus materia contingatur. Ita Sotus, Caietanus, Caſtro Palao, Sa, *verb. Ordo, num. 5.* Bonacin. *dicto punct. 3. num. 22.* Layman *tract. 9. cap. 5. n. 23.* vnde Philibertus non improbandam dicit omninò eſſe illorum Epiſcoporum conſuetudinem, qui prolatis in plurali verbis: *Accipite poteſtatem* aliquibus tangendum porrigunt inſtrumentum, poſtmodùm alijs ſucceſſiuè, ne diutius in ordinatione detineantur.

*Non requiritur, quòd tota materia contingatur.*

21. Rogabis tertiò, an tota materia oblata debeat à ſuſcipiente Ordines contingi? Reſpond. negatiuè. Sed ſufficeret, ſi quis ordinandus in Presbyterum contingat calicem cum patena, tametſi hoſtiam non contingat; quia ſicut tangendo calicem, cenſetur tangere vinum in eo incluſum; ſic tangendo patenam cenſetur panem contingeſe, qui in illa continetur. Ita Philibert. *tract. 1. part. 1. cap. 16.* Vaſquez, Nuño *tom. 2. quæſt. 24. art. 5. diſſ. 2.* Bonacin. Diana, Sanchez, Caſtro Pal. Auerſa, Trullen. ſuprà citati. Sotus *in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 3.* Imò nec patenam eſſe neceſſarium contingere; ſed ſolùm calicem aſſerit Villalob. *tom. 1. tract. 11. diſ. 4. num. 3.* Coninc. Ledeſma *in ſum. tom. 1. de Sacram. Ordin. cap. 3. concl. 2.* Diana, Auerſa *vbi ſuprà*, Trullen. Quia cùm patena ſuperpoſita ſit calici, ſufficit illum contingere, vt etiam quod ſuper eum eſt contingatur. Imò addit Auerſa *quæſt. 2. ſect. 2.* quod ſat eſt attingere peluim, in quâ ſunt claues, vel liber Euangeliorum. Nec eſt neceſſe vtrâque manu inſtrumentum tangere, ſed vnâ dumtaxat ſufficit. Ità Sanchez *loc. cit. num. 3.* Auerſa, D. Anton. Silueſter *vbi ſuprà.* Imò ſufficere, vt extremis digitis talem materiam contingat, vt ait Sanchez, Auerſa, Diana, & alij. Curandum

Digitized by Google

dum tamen eſt ordinando, vt tam calicem, quàm patenam, & hoſtiam quò poſſit meliùs, contingat, vt ſic à dubijs, & ſcrupulis liberetur. Ità Auctores citati.

*In maioribus Ordinibus ab eodem materia traditur, & forma profertur, non in minoribus.*

22. Rogabis vltimò. An ab eodem Miniſtro, à quo verba formæ proferuntur, debeat materia tradi? Reſp. cum D. Thom. *in 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. & 3. part. in addit. quæſt. 38. art. 1.* ſub diſtinctione. Nam vel loquimur de maioribus, vel de minoribus Ordinibus. Loquendo ergò de minoribus, dicendum eſt non eſſe de eſſentia illorum, quòd ab eodem verba proferantur, & tradantur inſtrumenta, & ideò ab Archidiacono (inquit *S.* Doctor) vrceola, & candelabrum cum cereo Acolytis traduntur. At pro Ordinibus ſacris non ità; ſed ab eodem, à quo inſtrumenta traduntur, vt calix cum patena, & liber Euangeliorum, & verba proferri debent. Ita Sanchez *dub. 5.* Leandr. *tract. 6. diſp. 3. quæſt. 28.* Marchin. *num. 27.* Et ratio eſt, quia in reliquis Sacramentis ab eodem debet materia applicari, & forma proferri, vt patet in Baptiſmo, & Confirmatione: Ergò ſimiliter in iſto.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

23. Dices: Ergo etiam in minoribus Ordinibus id verificari debet, qui etiam iuxtà dicta cap. præcedenti verè ſunt Sacramenta. Reſpond. ex dictis *num. 5.* quòd cum materia, & forma in Ordine non fuerit hæc materialiter in indiuiduo à Chriſto Domino inſtituta; ſed ſolùm formaliter in ſpecie, illa nimirùm, quæ apta fuerit ad miniſterium, quod traditur, ſignificandum, relinquendo poteſtati Eccleſiæ, quod ipſa deſignauerit in particulari iſtam, vel illam materialiter: & ipſa iuſtiſſimè pro maioribus Ordinibus deſignauit traditionem ab Epiſcopo proferente verba fieri (vt in alijs Sacramentis inuenitur) reliqui verò, qui ſunt ad inferiora miniſteria, per traditionem materiæ, vel ab ipſo factam, vel ab Archidiacono, qui eſt miniſter ſuperior, & eſt quaſi Princeps miniſterij, vt ait D. Thom. *loco ex 2. part. citat. ad 2.* conferrentur: vti in Republica officia inferiora per ſuperiorem Miniſtrum ſolent diſtribui, non immediatè ab ipſo Principe: hoc modo validè talis ordinatio conficitur, & non aliter: nec per hoc (vt notat S. Doct. & Auctores citati) ab Archidiacono confertur Sacramentum; eo quòd ipſe materiam tradit, præſente Epiſcopo, & nomine illius, & ſic cenſetur ab ipſo Epiſcopo tradi moraliter.

## PVNCTVM II.

### *Qui defectus in Ordinibus receptis debent ſuppleri? Quando? Et quomodo?*

*Defectus poteſt eſſe, vel circa ſubſtantialia, vel accidentalia.*

24. DEfectus in receptione Ordinum, vel poſſunt eſſe circà eſſentialia, nimirum circà materiam, & formam, quia aliqua earum defecit, vel in illa defectus ſubſtantialis inuentus eſt; vel poſſunt eſſe circà accidentalia, vti ſunt plures cæremoniæ in Ordinationibus ab Eccleſia aſſignatis, vt decentius, & maiori deuotione, & reuerentiâ miniſtri inſtituantur, ponderentque maiori æſtimatione, quod acceperunt. Rurſus, poteſt quis eſſe certus de tali defectu, vel dubius. Deinde Dubium eſſe poteſt, vel purè dubium, quo in nullam partem inclinatur intellectus, vt poſſit iudicium prudens de vno, vel altero extremo facere, vel poteſt eſſe dubium, dubietate ortâ ex diuerſa opinione probabili vtrimquè rationibus, & auctoritatibus fulcitâ. Videndum eſt ergò in his caſibus, quando, & qui defectus in Ordinatione commiſſus debeat ſuppleri.

25. Primò vt certum habendum eſt, quòd ſi defectus fuerit circa accidentalia, vel quia manus Sacerdotis non fuerunt inunctæ oleo ſacro, vel non fuerunt dictæ orationes, quæ ex Rituali Romano tenetur tunc recitare Epiſcopus, vel quia Sacerdos ordinandus omiſit proferre verba conſecrationis cum alijs, & his ſimilia, tales defectus ex neceſſitate Ordinis non debent ſuppleri; benè tamen ex neceſſitate præcepti: ita vt peccaret mortaliter, qui quantòcius illos ſupplere non ſatageret, ſiuè quia certus eſt de prætermiſſione, ſiuè quia eſt dubius de illa dubietate purè tali. Ita Trullench *lib. 4. cap. 1. dub. 3. num. 6.* Granado *controu. 9. tract. 1. diſp. 6.* Soto *in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 4.* Sanchez *lib. 7. cap. 3. dub. 13.* Auerſa. & etiam mortaliter delinqueret, ſi in tali Ordine miniſtraret, antequàm tales defectus suppleret, Soto & Sanchez, Trullench & Auerſ. *citat.* non tamen irregularitatem incurreret: quia hæc pro miniſtrantibus in Ordine non ſuſcepto eſt impoſita: & ille verè ordinatus eſſet; quamuis abſque debita ſolemnitate. Ità Sanchez *num. 5.*

*Defectus leuis non eſt ſupplendus.*

26. Aduerte tamen ex illo, & ex Soto loc. cit. hoc intelligendum eſſe, quando defectus talis eſt in re graui, vt ſi deficeret vnctio manus, vel conſecratio dicta cum alijs; ſecùs verò ſi eſſet non ità maioris momenti, vt ſi initiandus cum Epiſcopo Canonem non diceret, & alia huiuſmodi, à quibus reſarciendis ob paruitatem materiæ excuſabitur. Quando autem aliquis ex his defectibus ſupplendus eſt, debet fieri, ſi poſſibile eſt, ab ipſo Epiſcopo Ordinante. Non autem ad hoc requiritur, quòd totum Sacramentum reiteretur, ſed illa dumtaxat cæremonia prætermiſſa. Exigitur autem, vt ſimul orationes repetantur, quæ cum tali cæremoniâ ſolent adhiberi: vt ſic res, & voces moraliter coniungantur. Totum hoc apud citatos Auctores reperies. Si tamen dubium de prætermiſſione fuerit ex opinione probabili, quæ etiam formidinem alterius partis inducit, non erit neceſſarium adhuc ex præcepto ſupplere tales defectus; ſed poteſt quì ordinatus eſt, accommodare ſe opinioni probabili, quam vt ſupponimus habet de certa ſuſceptione Ordinis: vel quia eſt probabilitas iuris, quia nimirùm eſt probabile non teneri: vel facti, quia eſt probabile omnia poſita fuiſſe: hoc ex dicendis modò circà eſſentialia Sacramenti vrgentius deducetur, vt conſtabit.

*Defectus ſubſtantiales ſupplendus.*

27. Si autem defectus fuerit circa eſſentialia, vel quia aliquid materiæ defecit: nimirùm, quia non fuit miniſtratus Diacono liber Euangeliorum, aut Sacerdoti calix cum vino, & patena cum hoſtia, aut verba formæ in vtroque caſu defuerunt, ſi ſit de tali prætermiſſione certitudo, totum Sacramentum eſt neceſſariò iterandum; & non ſufficit ſi ſuppleatur, materia, aut forma derelicta; imò ſi pars materiæ prætermiſſa eſt: vt ſi Sacerdoti calix ſine patena, aut iſta ſinè hoſtia tradita fuiſſet, totum Sacramentum de nouo debet perfici. Ità Auerſa *ſect. 13.* Et ratio eſt, quia ad valorem Sacramenti requiritur moralis coniunctio inter applicationem materiæ, & prolationem

formæ,

formæ, & omnium partium eſſentialium Sacramenti inter ſe: vt patet, quia ſi quis modò infantem ablueret, & poſt tres horas diceret: *Ego te baptizo*, aut ſi tunc verba inciperet, & poſt duas horas finiret, non conficeretur validè Sacramentum Baptiſmi: Ergò non ſufficit, quòd appoſita materia fuerit in ordinatione, deficiente formâ, & è contrà, aut vna pars ſinè alia, & poſtmodùm per morale temporis interuallum apponatur, quod deficit, ſed totum Sacramentum cum materia, & formâ integrâ debet de nouo adhiberi.

*Etiam ſi ſit dubium de illo.*

28. Si autem non fuerit certitudo, ſed dubium purè dubium modo dict. *nu.* 24. de defectu in aliquo ex modò dictis; etiam totum Sacramentum debet de nouo ſub conditione repeti: maximè ſi fuerit ordinatio Epiſcopi, aut Sacerdotis. Ità Auctores citati. Et ratio eſt: quia ex vna parte ſub illo dubio exponitur periculo nullitatis Sacramenti, & cæterorum rituum ab ipſo factorum: quod maximè in Sacerdotio, & Epiſcopatu poteſt eſſe occaſio magnorum inconuenientium, vt iam diximus: & ex alia reiteratio ſub conditione Sacramenti nullam affert diſſonantiã, & eſt ſufficiens ratio, vt ſub conditione tradatur in caſu poſito.

*Pro ſcrupuloſis ſolamen.*

29. Sed hic pro ſcrupuloſis notanda ſunt verba Granad. *loc. citat. num.* 3. his verbis: *Tertiò notandum eſt oportere in hac re diſtinguere, aut nimium timorem à vero dubio, aut opinione: non enim quia quis timet num ordinatus ſit, aut præciſè, quia non recordatur tetigiſſe vaſa ſacra, aut non tetigiſſe imaginatur, illicò Ordo iterandus eſt. Sola enim obliuio, aut ſolus timor non eſt ſufficiens ad verum dubium, aut probabilitatem; multa enim obliuiſcimur, quæ verè fecimus, & timor ipſe, & nimia ſolicitudo tangendi inſtrumenta, in quorum porrectione imprimitur character, faciunt videri obliuioni traditum, quod reuerà memoramur.* Hæc ille.

*Duo quæſita.*

30. Sed nunc inquires duo. Primum. An quando Sacramentum conſtat duplici parte materiæ, quarum quælibet ſecum habet ſuam formam; vt in ordinatione Sacerdotij datur duplex materia; nimirum porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, ſub illis verbis: *Accipe poteſtatem, &c.* Et impoſitio manus ſub illis: *Accipe Spiritum Sanctum*: & in ordinatione Diaconi, traditio libri Euangeliorum, ſub illis verbis: *Accipe poteſtatem, &c.* & impoſitio manus dicendo: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* ſi ſit in vna parte materiæ, aut formæ defectus debeat vtraque pars de nouo ſuppleri?

Secundùm. An ſi adeſſet opinio probabilis iuris, vel facti, quòd pars materiæ, vel formæ, quæ defuit, non eſt eſſentialis, poſſet quis tutè illam ſequi, & ſacramentum non iterare?

*Solutio primi quæſiti.*

31. Ad primum reſp. ſub diſtinctione: aut defectus eſt in parte antecedenti, vel in poſteriori; videlicet in Sacerdotio, vel eſt defectus in traditione calicis, &c. vel in impoſitione manus? Si in priori fuerit defectus, totum Sacramentum debet repeti; ſi autem in poſteriori, ſufficit, ſi pars deficiens ſuppleatur. Ità Auerſ, *ſect.* 13. *tit.* Ratio eſt, quia pars anterior eſt valida, & imprimit characterem, tribuitq; poteſtatem, ad conficiendum Sacramentũ Eucbariſtiæ: & ideò per illam Sacerdotes manent cum virtute, vt ſimul cum Epiſcopo cõſecrare poſſint, antequam impoſitio manus adhibeatur, quæ eſt altera pars Sacramenti; & per defectum iſtius non poteſt vitiari pars valida iam præcedens. Quod è contra accidit in poſteriori, quæ eſſentialiter petit prioris exiſtentiam; eò quòd poteſtas Ordinis, ſeu ſuprà corpus Chriſti verum, & reale, ſemper debet præcedere ad poteſtatem iuriſdictionis ſupra corpus Chriſti myſticum, nimirùm fideles, ad eos abſoluendos, & Deo per gratiam reconciliandos; & ſic quandò illa non præceſſit, hæc nulla eſt: Ergò deficiente primâ, tàm prima, quàm ſecunda pars debent ſuppleri; ſi tamen defectus ſit in ſecunda, ſufficeret materiam, & formam illius iterum adhiberi, quin prima repetatur.

*Solutio ſecundi quæſiti.*

32. Ad ſecundum ſimiliter ſub diſtinctione reſpondeo. Vel qui talem habet probabilitatem, ordinatus eſt Sacerdos, aut Epiſcopus; vel ad alios Ordines aſſumptus? Si primum; tenetur ſub mortali Ordinem de nouo recipere: ſi ſecundum; non tenetur; ſed poteſt ſuæ opinioni probabili accommodari. Ità Granad. *num.* 2. Et ratio eſt, quia in priori caſu, cùm poſſit compati cum probabilitate opinionis: falſitas illius, ſi ità non eſſet, ſicut opinio refert, nec verum Sacramentum Euchariſtiæ Sacerdos conficeret, nec verum ſacrificium offerret, nec validè abſolueret pœnitentes; nec Epiſcopus validè alios ordinaret, confirmaret, &c. quæ omnia maxima præſeferunt abſurda, & plurima in Eccleſia parturirent inconuenientia, quæ in alijs Ordinibus ceſſant; & ex alia parte in Sacerdotio validè recepto omnis illorum poteſtas inuenitur, vt poſſit quidquid inferiores Ordines, facere.

*Limitatur aſſertum.*

33. Sed hoc vltimum limitandum eſt, quando probabilitas eſt facti, non verò ſi dumtaxat ſit iuris. Putà, ſi quis habeat opinionem probabilem, ſe verè perfeciſſe omnia, quæ in omnium opinione ſunt neceſſaria; non verò ſi quis ſolùm haberet opinionem probabilem, quòd talis, vel talis actio non eſt neceſſaria, vti eſt probabile non eſſe neceſſarium phyſicum inſtrumentorum contactum, vel impoſitio manus in Diaconatu, &c. In tali caſu etiam ſub mortali tenetur defectum ſupplere. Et ratio eſt, quia adhuc in opinione Doctorum aſſerentium tales actiones non eſſe ad hos Ordines neceſſarias ex neceſſitate Sacramenti; hoc eſt, ad valorem illius; certiſſimum eſt eſſe neceſſarias neceſſitate præcepti, vt conſtat ex dictis *nu.* 12. Ergò ſi quis eſſet certus de prætermiſſione contactus, aut impoſitione manuum, non poſſet conformari opinioni aſſerenti tales actiones non eſſe eſſentialiter requiſitas; vt omittat illarum ſupplementum; cum ad minùs ſint cæremoniæ ſacræ, & grauiſſimæ, & per conſequens iuxta dicta in initio huius puncti, debent ſuppleri, quando deficiunt; & ſic peccaret mortaliter, vel qui iſtas non suppleret, vel Ordinem exerceret ſine illis.

## CAPVT III.

*De materia, & forma ſingulorum Ordinum, & de illorum miniſterio.*

*Hoc caput continet, quinque puncta:*

*Punct. I. De prima tonſurâ, eius naturâ, & miniſterio, num.* 1.

*Punct. II. De materia, forma & miniſterio quatuor minorum Ordinum; num.* 10.

*Punct. III. De materia, forma, & miniſterio Subdiaconatus, num.* 18.

*Punct. IV. De materia, forma, & miniſterio Diaconatus, num.* 25.

*Punct. V.*

*Punct. V. De materia, forma, & miniſterio Ordinis Sacerdotalis, n.37.*

## PVNCTVM I.

### *De prima tonſuræ, eius naturâ, & miniſterio.*

*Quando incepit vſus primæ tonſuræ.*

1\. QVamuis prima tonſura Ordo non ſit; quia tamen omnes præcedere debet, non nihil de illa hoc puncto attingemus. Quod ſit laudabilis in Eccleſiâ vſus primæ tonſuræ oſtendunt Authores Catholici aduerſus hæreticos, tùm ex Scripturâ, tùm ex Sanctis Patribus, qui videri poſſunt apud March. Bellarm. & alios locis citandis. Qui vſus ab Apoſtolo Petro originem ducere aſſerit Torreblanc. *lib.* 15. *cap.* 5. *num.* 3. Bellarmin. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 40. ſed D. Iſidorus, *lib.* 2. *de offic. Eccleſiaſtic. cap.* 4. ſic inquit: *Tonſuræ Eccleſiaſticæ vſus à Nazaræis (ni fallor) exortus eſt, qui prius crine ſeruato, denuò poſt vitæ magnæ continentiam deuotione completâ caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere iubebantur, ſcilicèt, vt perfectionem deuotionis ſuæ Domino conſecrarent. His ergò exemplis vſus ab Apoſtolis introductus eſt, vt hi, qui diuinis cultibus mancipati, Domino conſecrantur,* quaſi *Nazaræi, id eſt, ſancti Dei, crine præciſo innouentur.* Et colligi videtur ex Actor. 18. vbi dicitur: Priſcillam, & Aquilam *ſuſcepto Nazaræorum voto, capillos abraſiſſe.*

*Eius quaſi forma, & materia.*

2\. Huiuſmodi autem tonſura, quamuis materiâ, & formâ rigoroſâ non conſtet, eò quòd non eſt verum Sacramentum, vt dictum eſt *cap. præcedent. dub.* 2. habet ſuam quaſi materiam, nimirùm capillorum abſciſſionem, & ſuam quaſi formam, ſcilicèt, illa verba ab Epiſcopo prolata *Dominus pars, &c.* quæ cùm veram rationem formæ non habeant, non ſunt ità eſſentialiter requiſita, vt ſi omitterentur, eſſet nulla collatio tonſuræ; ſed certè valida eſſet: vt inquit Marchin. *tract.* 2. *part.* 1. *cap.* 12. Enriquez, Soto *in* 4. *diſ.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 1.

*Eius munera.*

3\. Eius munus eſt in choro, vel Eccleſiâ canere, & ideò *Pſalmiſta* appellatur in iure Canonico. Ob quam rationem mandat illi Epiſcopus recitationem ſeptem Pſalmorum Pœnitentialium; quamuis non peccaret mortaliter, ſi illos omitteret. Sic Leandr. *tract.* 6. *diſp.* 2. *quæſt.* 7. Trull. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 7. *dub.* 12. §. 2. *num.* 2. Reginald. *part.* 2. *lib.* 30. *tract.* 30. *cap.* 1. *num.* 6.

*Qui poteſt tonſuram recipere.*

4\. Tonſurandus debet eſſe vir, Baptizatus, Confirmatus, ætate ſeptennis, nulla irretitus cenſura, aut irregularitate: & ideò irregularis mortaliter peccaret, ſi ad ſuſcipiendam tonſuram accederet. Sic Duardus *in Bullam Cœnæ, Canon.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 7. *lib.* 2. Marcb. *cap.* 14. *num.* 2. Debet ſcire legere, & ſcribere, & aliqua rudimenta fidei ad minùs orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Eccleſiæ, & Decalogi, & ſeptem Sacramenta.. Ita Marchin. *cap.* 7. & quatuor gaudet priuilegijs. Primò, potitur priuilegio Canonis, *ſi quis ſuadente.* Secundò, priuilegio fori, vt non poſſit ſub iudice ſæculari conueniri. Tertiò, liberatur à collectis ſæcularium. Quartò, eſt capax Eccleſiaſtici beneficij. Ita Leand. *quæſt.* 8. & March. *loc. cit. cap.* 15.

*Conditiones, vt gaudeant priuilegijs.*

5\. Sed quæres primò. An omnes tonſurati gaudeant his priuilegijs? Reſpondeo negatiuè. Sed in quibus reperiuntur conditiones à *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reform.* aſſignatæ his verbis: *Is fori priuilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiat, vel in Seminario Clericorum, aut aliquâ ſcholâ, vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi quaſi in via ad ſuſcipiendos maiores Ordines verſetur.* De quibus ſuo loco tractabimus.

*Eum peccare, qui habitum Clericalem non portaret, aliqui dicunt.*

6\. Quæres ſecundò. An ſit peccatum mortale in Clericis ſiuè beneficiatis, ſiuè in ſacris, vel minoribus conſtitutis non geſtare Coronam? Aliqui dicunt non eſſe peccatum mortale Clericum, ſiue in ſacris, ſiue in minoribus conſtitutum, etiam ſi beneficium, aut dignitatem habeat, Eccleſiaſticam tonſuram, aut habitum Clericalem non deferre per multum tempus: niſi ob contemptum id faceret, vel veſtem varijs coloribus tinctam, arma, &c. portaret. Ita Caietan. *verb. Clericus*, Villal. *tom.* 1. *tract.* 11. *diffic.* 16. *num.* 5. Diana, 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 183. Enriquez, Marchin. *tract.* 2. *part.* 1. *num.* 3. Quia inquiunt non adeſſe alicubi præceptum expreſſis verbis denotantibus talem obligationem, vel pœnam grauem excommunicationis, aut ſuſpenſionis imponentibus; ſed ſolùm verbis decentiam ſtatus denotantibus, vel præcipientibus, quod poſt admonitionem huiuſmodi Clerici beneficijs priuentur: quarè illâ non præmiſſâ, imò trinâ (inquit Caietanus) non erit tale peccatum; quamuis aliqui ex his Auctoribus petant, quòd afferat aliquod ſignum ſtatum Clericalem deſignans, habitum ſcilicèt, vel tonſuram; quàmuis non vtrumquè: & ideò ſi habitu militum, aut venatorum induantur per aliquod tempus notabile, iuſtâ cauſâ non interueniente, non excuſant, vel ſi comam nimis nutriant, ſi barbam prolixam affectant, & alia huiuſmodi.

*Peccatum eſt habitum non portare qui habet beneficium, aut eſt conſtitutus in ſacris.*

7\. Verumtamen dicendum eſt, Clericum ſolùm in minoribus conſtitutum, & beneficium non habentem, non peccare mortalitèr etiamſi tonſuram, aut habitum Clericalem non deferat; peccare tamen mortaliter, ſi per multum tempus non importet tonſuram, aut habitum Clericalem, Clericum in ſacris conſtitutum, vel in minoribus tantùm, ſi beneficium habeat pingue, vel dignitatem Eccleſiaſticam; ſecùs tamen, ſi beneficium tenue tantummodò habeat. Ita Bañez. 22. *quæſt.* 12. *art.* 1. §. *ſed quoniam*, Nuño 3 *part. quæſt.* 40. *in addit. art.* 1. Ledelma *de Sacram. cap.* 11. *concluſ.* 2. Vazquez, Bonacin. *diſp.* 8. *quæſt. vnic. Punct. vlt. num.* 3 Colligiturque ex Innocentio III. *in cap. Ioannes, de Clericis coniugatis*, & ex *cap. prohibete, diſp.* 23. ex *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 6. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. & 17. Quibus locis grauiſſimis verbis præcipitur huiuſmodi Clericis nè comam nutriant, quòd caput in modum coronæ abradant, quòd veſtes Eccleſiaſticas deferant, & alia huiuſmodi.

*Ratio huius.*

8\. Et ratio eſt, quia talis Clericus tenetur horas Canonicas recitare, quòd tonſuræ, & habitui eſt annexum: alitur ab Eccleſiâ, vt talem habitum afferat; proptereaque ei maximum præmium Eccleſia impertitur, vt ſua ſigna deferat; & oppoſitum eſt ſuo modo à ſtatu apoſtatare, quando in ſacris conſtitutus habitum deſerit, Vndè, ſicut Religioſus habitum proprium deſerendo, peccaret mortaliter; ita ille. Quæ rationes in Clericis ſolùm minoribus Ordinibus conſtitutis, non habentibus



Digitized by Google

bentibus beneficium, non currunt: ipſi ergò in tali caſu non peccabunt mortaliter; venialiter tamèn delinquerent eo, quod tenentur ſuo ſtatui in habitu conformari.

*Aliquæ limitationes.*

9. Limitant, & meritò, hi Auctores hanc concluſionem. Primò, ſi ſit per breue tempus illa depoſitio habitus, maximè ſi aliquod ſignum ſui ſtatus conſeruet. ¶ Limitant ſecundò, ſi adſit ad hoc iuſta cauſa; vt ad euitandum periculum mortis, vel damnum in bonis temporalibus, ratione cuius Clericis licèt arma deferre ob iuſtam defenſionem ſui; non tamen excuſabitur à peccato mortali, qui etiam per parum temporis habitum penitùs occultaret, vel dimitteret, vt alios decipiat, vt liberè per plateas deambulet, vt rem illicitam liberiùs perpetretur. Vt benè notauit Bañez loco cit. ¶ Limitant tertiò, niſi beneficium ſit ita tenue, vt ob paruitatem illius à recitatione diuini officij excuſetur.

## PVNCTVM II.

### *De materiâ, formâ, & officio quatuor minorum Ordinum.*

*Inualidè à non habente Ordinem munera Sacerdotij, & Epiſcopi ſunt.*

10. Singulos Ordines ſua gaudere formâ, & materiâ compertum eſt, & propria habere munia, alia ex inſtitutione Chriſti, & ab intrinſeco, alia ab extrinſeco, & ex Eccleſiæ inſtitutione. Illud antè omnia notandum eſt, quod munera propria Sacerdotij, vt conſecratio, oblatio ſacrificij, vnctio in Sacramento extremæ vnctionis, & abſolutio à peccatis: & Epiſcopi, vt collatio Ordinum, confirmatio, nec validè, nec licitè poteſt, qui non habet talem Ordinem, facere, eò quòd per hæc munera vera Sacramenta conficiuntur, quæ non niſi ab habentibus poteſtatem exerceri valent. Imò ſi quis abſque Ordine Sacerdotali attentaret Miſſam dicere, & abſolutionem in Pœnitentia exhibere, præter nullitatem actus, maximis pœnis à Pontificibus minatur; nempè vt à iudicibus Sanctæ Inquiſitionis, vel locorum Ordinarijs ab ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habeant, degradentur, & curiæ ſæculari tradantur debitis pœnis plectendi. Ita Clemens VIII. Conſtitutione ſua incipienti, *& ſi alias*; & Vrbanus VIII. Conſtitutione ſua incipienti, *Apoſtolatus officium.*

*Pœna pro exercentibus ſacros Ordines, quos non habent.*

11. Reliquorum autem Ordinum miniſteria validè poſſunt exerceri à non habentibus Ordines: minorum autem Ordinum etiam licitè, maiorum autem minimè; ſed peccaret mortalitèr, qui in ſacrificio Miſſæ ſolemniter officium Diaconi, aut Subdiaconi exerceret: & contrà illum in iure, *cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato miniſtrante*, aſſignatur pœna excommunicationis; non quidem ipſo facto incurrendæ, ſed per iudicem infligendæ & irregularitatis ipſo facto incurrendæ.

*Etiam à laicis incurrantur.*

12. An verò ſimilis pœna incurratur à laico in non ſuſcepto ordine miniſtrante? Videtur negatiuè reſpondendum. Cum titulus illius canonis ſit *de clerico non ordinato miniſtrante.* Proptereaque ſolùm videtur Clericos comprehendere: & pœnæ non ſunt extendendæ, ſed potiùs limitandæ: atque ita tenent Bonac. *de irregularit. quæſt. 3. punct. 6. num. 1.* Layman. *lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 3. num. 3.* Angelus, *in ſumm. verbo irregularitas, num. 38.* verum tamen reſpondetur affirmatiuè cum Soto *in 4. diſt. 8. quæſt. 4. art. 1.* Auerſa, *quæſt. 2. Sect. 3.* D. Antonino, *3. part. tit. 18. cap. 1. ſ. 1.* Nam in corpore illius iuris ſimilis pœna aſſignatur indeterminatè pro omni miniſtrante in Ordine non ſuſcepto, in quo tam laicus, quàm Clericus continetur: Titulus autem non eſt à Pontifice poſitus, ſed à Collectore iuris: Nec poteſt per illum vim præcepti infringere, vel reſtringere: quamuis poſſit intelligi non de vero Clerico, ſed de illo, qui ſe Clericum finxit.

*Oſtiariatus materia, & forma.*

13. Nunc ad ſingulos Ordines deueniendo, primus inter minores eſt Oſtiariatus, cuius materia remota ſunt claues Eccleſiæ, & proxima traditio illarum ab Epiſcopo facta. Nam campanula, quæ ipſi confertur, non ſpectat ad eius materiam, ſed eſt mera Eccleſiaſtica cæremonia. Forma verò ſunt illa verba Epiſcopi. *Sic age, quaſi rationem Deo redditurus pro his rebus, quæ his clauibus includuntur.* Illius munus erat Eccleſiæ fores aperire, indignos ab illâ arcère, qui cenſebantur Ethnici omnes, Cathecumeni, qui ſolùm vſquè ad offertorium olim in Miſſâ admittebantur, & propterea Miſſa dicebatur Cathecumenorum, Energumeni, interdicti, excommunicati, flagitioſi, & publicè pœnitentes: illius etiam erat ſacras veſtes, fidelium depoſita, & totam Eccleſiaſticam ſuppellectilem cuſtodire.

*Lectoris materia.*

14. Lectoris materia eſt liber continens prophetias veteris, & noui teſtamenti: Vt eas extra Miſſam, vel ſub cantu, vel ſolùm ſimpliciter recitet. Forma autem: *Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus, ſi fideliter, & vtiliter officium tuum impleueris, partem cum ijs, qui verbum Dei ab initio benè miniſtrarunt*; cuius tria erant munera. Primum, libros veteris, & noui teſtamenti altâ voce recitare, & interdum etiam Euangelium extrà Miſſam. Secundum, tradere catechumenis Chriſtianæ Religionis rudimenta. Tertium, panem, & nouos fructus à fidelibus oblatos benedicere. An verò poſſet ad populum concionem habere exponendo ei, quæ ex Scripturis perlegerat affirmat Vazquez *diſp. 236. cap. 2.* Eò quòd in Romano Pontificali dicitur lectorem debere legere ea, quæ prædicat. Sed immeritò. Hoc enim Diacono, imò Epiſcopo conuenit; Lector verò ſolùm poteſt altâ voce populis ſcripturas perlegere, & verbum *prædicat*, pro eodem accipitur ac recitat altâ voce, clarè, & diſtinctè, & ideò in Romano Pontificali pro eodem accipitur, & ſenſus eſt Lectorem debere legere ea, quæ prædicat, ideſt ea, quæ populo recitat, non debet ex ſe, ſeù ex ſuâ mente dicere, ſed ex libro legere. Ita communiter Doctores.

*Exorciſtæ materia, forma, & officia.*

15. Sequitur exorciſtatus; cuius materia eſt liber Exorciſmorum, & forma: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiuè baptizatos, ſiuè Cathecumenos.* Eius munus eſt aduerſus Dæmones pugnare ritibus, & exorciſmis ab Eccleſiâ approbatis: vt ab obſeſſis corporibus exeant, & quia antè Baptiſmum homines, ſi non corporalitèr, ſpiritualitèr tamen à Dæmonibus poſſidentur, ideò catechumenos exorciſmis præueniebant ante Baptiſmum, cuius munus ipſis exorciſtis conueniebat. An verò, qui talem Ordinem non habuerit, poſſet Dæmones ab obſeſſis corporibus arcère? Negat Philibertus *tract. 2. part. 4. cap. 4.* aſſerens nec publicè, nec ſecretò, nec in domibus, aut Eccleſiâ poſſe, non exorciſtas Dæmones exorciſmis à corporibus pellere. Affirmant verò Suarez, *tom. 2. de Relig. lib. 4. de*

*abuſu,*

*abiur.cap. 2. num.* 11. Sanchez, *in opere morali lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 18. dirunion, quòd ſi exorciſtatio ſit probata à quolibet fideli poteſt exerceri. Omnes enim fideles poteſtatem habent arcendi Dæmones, maiorem tamen, qui ab Eccleſiâ ad hoc munus ſunt ordinati, & propterea ſolemniter, & ex officio illud exercere valent.

*Acolytorum officia.*

16. Vltimus eſt Acolytatus, cuius materia eſt duplex. Alia eſt vrceoli vacui, & candelabrum cum cereo, & propterea Ceroferarius dicebatur antiquitùs; & forma ſimiliter duplex, alia in traditione vrceolorum: *Accipe vrceolos ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti in nomine Domini.* Alia in candelabri traditione: *Accipe Ceroferarium cum cereo: Vt ſcias te ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipari in nomine Domini.* Proindeque eius munus eſt vrceolos præparare cum vino, & aquâ; vt miniſtris conferat, in quo differt à munere Subdiaconatus, qui vinum, & aquam in calicem immittit, & præparat; Acolytus verò in vrceolos, & lumina accendere, emungere, & præparare.

*Duplex dubiolum deciditur.*

17. Nunc duo dubiola reſtant. Primum; an hæc duplex materia vtraque ſit huic Ordini eſſentialis? Alterum; in cuius traditione character imprimatur? ¶ Ad primum ſunt, qui dicant ſolùm candelabri traditionem eſſe materiam huius Ordinis, & propterea Ceroferarius nuncupatur. D. Bonau. *in* 4. *diſ.* 24. *part.* 2. *dub.* 5. Angelus, *in ſumma, verbo Ordo*, & alij. Alij verò in traditione ſolâ vrceoli cum ſuis verbis hunc Ordinem conſiſtere affirmant: Ita Durandus, *in eâdem diſ. quæſt.* 3. Sanchez, *Dub.* 5. *n.* 8. & alij. Nos verò cum D. Thom. *in* 4. *diſ.* 24. *quæſt.* 2. *art.* 2. in vtrâque traditione cum ſuis verbis conſiſtere dicimus. Ita Marchin. *tract.* 2. *p.* 5. *c.* 2. Aueria, *ſect.* 4. n. Ant. *ſect.* 2. quamuis principaliùs in traditione vrceoli cum ſuis verbis. Et hinc ad ſecundum Dubiolum reſpondetur characterem imprimi cum vrceola traduntur, & verba pro illis dicuntur. Quia ſicut inquit D. Th. *loc. cit.* vbi aliquis Ordo duplicem habet materiam, & formam, character imprimitur in traditione illius materiæ, quæ principalior eſt, & immediatiùs Euchariſtiæ deſeruit, qualis eſt vrceolorum in Miſſa porrectio. Ita Bonacin. *diſ.* 8. *q. vnic. punct.* 3. *n.* 4. Sanchez, *conſil. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 52. *n.* 2. *&* 8.

## PVNCTVM III.

### *De materia, forma, & miniſterio Subdiaconatus.*

*Subdiaconi materia, & forma.*

18. ORdo Subdiaconorum, qui olim hyppodiaconi, ſeu ſubminiſtri dicebantur, quia eorum miniſterium proximum eſt Diacono in ſacrificio deſeruire, olim non erat Ordo ſacer, quia votum caſtitatis non habebat annexum; ſed à tempore Vrbani II. & fortaſſè antè illum, iam erat inter ſacros computatus, vt colligitur ex Innocent. III. *in cap. à multis, de ætate, & qualitate, &c.* Habet pro materiâ apud omnes indubitatâ, remota quidem, calicem cum patenâ ſine pane, & vino, proximâ ipſam traditionem Epiſcopi. Ità enim diffinitum eſt *in Concil. Florentin. ſub* Eugenio IV. in decreto fidei *poſt vltimam ſeſſionem*, 5. 6. *Sacramentum, in Carthagin.* 4. *cap.* 5. *in Toletan.* 4. *canon.* 27. & forma apud omnes iam recepta ſunt illa verba, quæ poſt traditionem calicis cum patenâ omnibus ab Epiſcopo dicuntur: *Videte, cuius miniſterium vobis traditur, ita vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, quòd Deo placere poſſitis.* Et ideò in porrectione illorum imprimitur character: eſto quod traditio libri Epiſtolarum cum ſuis verbis eſſet illius para eſſentialis propter dict. num. præcedenti.

19. Quæres ergò, an ità ſit, quod traditio libri Epiſtolarum ſit etiam pars materiæ in hoc Ordine. Affirmant Vigerius, *cap.* 26. §. 6. *verſ.* 1. Aueria, *q.* 2. *ſect.* 5. 5. *adde verò*, Dicaſtill. *tract.* 6. *diſ.* 5. *dub.* 52. Eò quòd ſicut Diacono conuenit Sacerdoti in ſacrificio deſeruire canendo Euangelium, & ſic traditio illius eſt materia iſtius Ordinis; ſic Subdiacono ſeruire illi canendo Epiſtolam ſolemniter, & ideò traditio huius libri pertinebit ad eius materiam eſſentialem. Verumtamen dicendum eſt eius totam materiam in ſolâ traditione calicis cum patenâ conſiſtere, quia in Concilijs ſuprà allegatis ſolùm de his ſit mentio, & olim Epiſtola à ſolo Diacono canebatur, & modò eſt in vſu in pluribus Eccleſijs, ſiuè ex priuilegio, ſiue ex conſuetudine, vt ab alijs, quàm à Subdiacono cantetur. Vnde ab Eccleſiâ introductum fuit tale miniſterium Subdiacono adſcribi, non tamen habuit illud ex inſtitutione Chriſti. Ita D. Thom. *in* 4. *diſ.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 2. *&* 3. *p. q.* 37. *art.* 4. *ad* 3. Valent. Vazquez, Diana, *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 189. Philibert. *tract.* 2. *p.* 6. *c.* 1. Bonacin. *diſp.* 8. *de Sacram. quæſt. vnic. punct.* 3. Palao, *tract.* 27. *diſp. vnic. punct.* 4. *n.* 13. Granad. *contron.* 9. *tract.* 1. *diſp.* 3. *&* 4. Gonet. *diſp.* 2. *art.* 2. n. Gabr. *quæſt.* 5.

*Materia eius in ſolâ traditione calicis cum patenâ conſiſtit.*

20. Et ratio illorum à priori eſt, quia illa eſt materia propria cuiuſlibet Ordinis, per quam ſufficienter, & meliùs eius poteſtas in Ordine ad Sacrificium Miſſæ ſignificatur; ſed miniſterium præcipuum Subdiaconi eſt deſeruire Sacerdoti offerendo Diacono vinũ in calice, & panem in patenâ tanquàm à populo oblata; vt ea Sacerdoti subminiſtret, quod totum optimè ſignificatur per talis calicis, & patenæ traditionem; quod ſecùs accidit in Diaconatu, quia cùm non adſit materia apta ad ſignificandum ſuum miniſterium in Ordine ad Euchariſtiam præter traditionem libri Euangeliorum, in ea conſiſtit, non enim poteſt traditio calicis, & patenæ vacuæ, cùm hæc ſit Subdiaconatus, nec cum pane, & vino, quia hæc eſt materia Sacerdotis.

*Ratio huius traditur.*

21. Sed quæres ſecundò, an huiuſmodi vaſa debeant eſſe conſecrata? Et quidem hoc eſſe neceſſarium ex neceſſitate præcepti, ità quòd peccaret mortaliter Epiſcopus, ſi vaſa non ſacra porrigeret, & ordinandus ſi cum illis ſcienter ordinaretur nulli dubium eſt, eò quòd ad minùs eſt ſacra cæremonia valdè ſubſtantialis ab Eccleſiâ præcepta, & exponeret ſe periculo manendi non Ordinatum. Dubium ergo eſt, an ſit de neceſſitate Sacramenti ad valorem illius, quod calix (idem de patenâ) tradendus Subdiacono ſit conſecratus. Negant Philibertus, Diana, *locis cit.* Enriquez, *lib.* 10. *cap.* 5. *in comment. litt. F. & c.* 8. *n.* 3. Bonacin. *num.* 5. n. Gabr. *num.* 64. *quæſt.* 6. quia dicunt non eſſe alicubi huius aliquod præceptum, & ſicut poteſt Sacerdos in vaſe non ſacro panem, & vinum conſecrare: ita ſufficit quòd miniſtro ea vaſa tradantur, in quibus poteſt ſacrificium confici.

*An calix debeat eſſe conſecratus.*

22. Sed oppoſitum, & meritò docent Palao, *loc. cit. num.* 16. Dicaſt. Silueſt. *verbo Ordo*, *n.* 2. §. 4. *verſ.* 3. quia vaſa porrecta Subdiacono non debent

*Ex neceſſitate Sacramenti requiritur traditio calicis conſecrati.*



Digitized by Google

eſſe vaſa eiuſdem rationis cum alijs laicorum; debent enim eſſe vaſa Eccleſiaſtica propria in ordine ad ſuum miniſterium, quod totum exercetur circa ipſa vaſa, non circa panem, & vinum conſecrandum. Quare, licèt non adſit huius præceptum canonicum, ex ipſâ inſtitutione Ordinis exigitur, & ſic licèt Sacerdos, qui circa panem, & vinum conſecrandum habet poteſtatem, non petat quod talis panis, & vinum iam conſecratum ei tradatur; imò nec quòd calix, aut patena ſit conſecrata pro ordinatione illius; vt benè aduertit Dicaſtillo, *loc. cit.* cùm non ſit circa vaſa eius officium; ſecùs verò in Subdiacono propter oppoſitam rationem; & ſic in vltimâ cænâ Chriſtus Dominus vaſculum per contactum ſuarum ſanctiſſimarum manuum conſecratum, Miniſtris, quos in Subdiaconos inſtituebat, porrexit.

*Munus Subdiaconi.*

23. Ex dictis ſequitur quodnam ſit miniſterium huius Ordinis; dicimus ergo præcipuum, & ſubſtantiale eſſe deſeruire ſacrificio Miſſæ, calicem, & patenam Diacono miniſtrando, eique offerendo panem, & vinum; tanquam oblationes populi, vt eas Sacerdoti tradat; deinde canere ſolemniter Epiſtolam, portare in proceſſionibus Crucem, &c.

*Non peccat mortaliter in mortali ſuum munus exercendo.*

24. Sed quæres: An peccet mortaliter Subdiaconus (idem dic de Diacono) ſi in peccato mortali ſuum proprium munus exerceat ſolemniter? ¶ Reſpondetur ex dictis *cap. præced. num.* 20. negatiuè, eò quòd rem ſacram non conficit, nec operationes elicit, quæ ex opere operato conferant gratiam, cui obicem per peccatum ponat. Ità tenent Valent. Leand. *tract.* 6. *diſ.* 2. *q.* 21. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 4 *diffic.* 10. *num.* 7. Marchin. *t.* 4. Diana, *reſol.* 190. & alij ab his Auctoribus citati; quamuis apud antiquos oppoſitum eſſet communius. Peccabit autem ſaltem venialiter quia indignè ad miniſterium excellentiſſimum accedit. Ita etiam docent Leander, Philibertus, & alij *loc. cit.*

## PVNCTVM IV.

### *De materiâ, formâ, & miniſterio Diaconi.*

*Materia Diaconi.*

25. Circa materiam Diaconatus aliqua eſt inter Doctores difficultas; & quamuis Durandus *in* 4. *diſ.* 24. *q.* 3. & Becan. *c.* 26. *de Sacram. in ſpecie, q.* 4. *num.* 6. aſſerant materiam proximam illius eſſe dumtaxat impoſitionem manuum, & formam verba illa, quæ ab Epiſcopo proferuntur: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus eius*, & traditionem libri Euangeliorum eſſe ſolùm cæremoniam ab Eccleſiâ introductam. Cæterùm communis Doctorum ſententia aſſerit, ad materiam huius Sacramenti (ſaltem prout confertur in Eccleſiâ Latinâ) pertinere traditionem libri Euangeliorum, & formam etiam eſſe verba illa, quæ tangentibus librum dicit Epiſcopus: *Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſiâ Dei tàm pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* Imò commune eſt apud illos hanc eſſe materiam præcipuam huius Sacramenti, in cuius traditione imprimitur character, & gratia confertur. Ita D. Thom. *in* 4. *diſ.* 24. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 5. *&* 3. *p. q.* 37. *art.* 5. *ad* 5. quem ſequuntur quoad hoc omnes DD. quos ſtatim pro duobus modis dicendi aſſignabimus; & ideò *in Conc. Florent. in decreto Eugenij IV.* dicitur Diaconatum per libri traditionem conferri.

*Aliqua Sacramenta habent duplicem materiam partialem.*

26. Sed difficultas eſt inter illos, vtrùm in hâc ſolâ traditione libri cum verbis correſpondentibus totum Sacramentum conſiſtat; an etiam vt pars eius eſſentialis requiratur impoſitio manuum cum verbis ſuprà relatis. Plures enim Ordines duplici gaudent materiâ, & formâ partiali, per quas diuerſa poteſtas impertitur, & quamuis in traditione præcipuæ materiæ, & poteſtatis character imprimatur, vtraque tamen ad ſubſtantiam illius requiritur, vt de ordinatione Acolyti diximus habere pro materiâ porrectionem vrceolorum, & cerei; & in Sacerdotio traditionem poteſtatis ad conficiendam Euchariſtiam, offerendo illi calicem cum vino, & patenam cum hoſtiâ; & traditionem poteſtatis ad abſolutionem per impoſitionem manuum, & verba: *Accipe Spiritum Sanctum.* Diſſidium itaque eſt in præſenti, an duplex materia aſſignata, nimirùm traditio inſtrumenti, & impoſitio manus cum verbis ſibi correſpondentibus ad Ordinem Diaconi eſſentialiter ſpectent.

*Aſſeritur impoſitionem manuum non eſſ. de eſſentiâ huius Ordinis.*

27. Prima ſententia eſt negatiua dicens, totum Ordinem Diaconi conſiſtere in traditione libri Euangeliorum cum verbis proportionatis, impoſitionem verò manuum eſſe ritum ab Apoſtolis, vel ab Eccleſiâ introductum, ſine qua verus Ordo conſiſteret, quamuis peccaret Epiſcopus, ſi illam omitteret, & deberet ſupplere eam, qui ſine tali impoſitione eſſet ordinatus ex neceſſitate præcepti. Ita Sotus, *in* 4. *diſ.* 24. *q.* 1. *art.* 3 Nuño, 3. *p. q.* 37. *art.* 5. Diana, 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 188. Valent. Vazquez, Bonacin. *diſ.* 8. *q. vnic. punct.* 3. *num.* 4. Caſtro Palao, *tract.* 27. *diſ. vnic. punct.* 4. *num.* 10. n. Gabr. Gonet. & alij. Quod probant; tùm quia in *Concil. Florent.* loco citat. ſola traditio libri Euangeliorum aſſignatur pro materiâ huius Sacramenti; tùm etiam, quia Gregorius IX. (*vt habetur in capit. Presbyter, de Sacramentis non iterandis*) dicit, *manuum impoſitionem eſſe ritum ab Apoſtolis introductum*; ergo non materia neceſſaria à Chriſto Domino aſſignata; tum denique, quia in tali impoſitione manuum nulla datur forma exprimens aliquam poteſtatem, quæ ibi conferatur Miniſtro, nec aliquod proprium munus illius, quod non ſit alijs Ordinibus commune. Quandoquidem etiam in ordinatione Sacerdotis datur ſub illis verbis manuum impoſitio, & Spiritus Sancti promiſſio.

*Impoſitio manuum eſt de eſſentiâ huius Ordinis.*

28. Secunda ſententia, cui nos adhæremus, dicit non ſolùm traditionem libri Euangeliorum, ſed etiam manuum impoſitionem ſub verbis relatis eſſe huius Ordinis partem eſſentialem. Ità Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 26. Lugo, *de Sacram. diſ.* 2. *ſect.* 4. *n.* 50. Coninck. Herinx, Marchin. *tract.* 2. *p.* 7. *c.* 3. Dicaſt. *tract.* 6. *diſ.* 1. *dub.* 11. Granad. *controu.* 9. *tract.* 1. *diſ.* 2. *n.* 25. n. Ant. *ſect.* 2. n Stephan. *&c.*

*Auctoritatibus probatur.*

Probatur primò, ex D. Hieronym. *in cap.* 56. *Iſai. Ordinatio* (inquit) *non ſolum ad imprecationem vocis, ſed etiam ad impoſitionem manuum impletur.* Et *Concil. Carthag.* 4. *Canon.* 5. *Diaconus* (dicit) *cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus manum ſupra caput eius ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur*; & quamuis (vt benè ait Dicaſtill. *loc. citat. num.* 571.) non fuit mens Concilij totum ritum huius Ordinis explicare, cæterum non prætermitteret Concilium omne, quod eſſentiale eſt in tali Ordine, & ſolùm accidentalia retuliſſet.

29. Secun-

*Ex ratione ad ipſum conuincitur.*

29. Secundò, quia ſymbolum externum, quod ex ſcripturis habemus pro Diaconatu, & Presbyteratu, eſt manuum impoſitio, vt patet *Actor. 6. 13. & 14. 1. ad Thimot. 4. 5. 2. Thimot. 1.* Ergo ad minùs eſt illius pars eſſentialis. Probatur conſequentia: Tum, quia aliàs cum non adſit aliud ſymbolum ex ſcripturâ pro Ordinibus, non haberemus quomodò, conuincere hæreticos, Ordines eſſe Sacramentum. Tum, quia etiam in alijs Sacramentis, vti in Baptiſmo, Euchariſtia, & alijs ſymbola externa à ſcripturâ aſſignata ſunt illorum eſſentialis materia. ¶ Dices, etiam in Confirmatione habemus ex ſcripturâ manuum impoſitionem, vt conſtat *Act.* 8. & tamen huiuſcemodi ſymbolum non eſt illius pars eſſentialis. Reſpondetur, quòd hæc manuum impoſitio eſt illa, quâ Epiſcopus ſignat frontes confirmatorum, in quâ manuum impoſitione hoc Sacramentum conſiſtit. Ita Sanchez, *loc. cit. num.* 3.

*Alia ratione probatur.*

30. Tertiò, quia per impoſitionem manuum tàm in Diaconatu, quàm in Presbyteratu gratia confertur, vt docet D. Thom. *in 4. diſ. 25. quæſt. 1. articul. 1. ad 5. & diſ. 24. quæſt. 2. artic. 3. in corp.* & colligitur ex D. Paul. 2. *Thimot. 1. & 1. Thimot. 4. Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyteri.* Et ideò Concil. Tridentinum ſeſſ. 23. Canon. 4. definit.: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipite Spiritum Sanctum. Anathema ſit. Quare non video* (ait benè Lugo *loc. citat. num.* 101.) *quomodo poſt hanc definitionem Tridentini aliqui opinentur per illa verba non dari Spiritum Sanctum, ſed intelligi ſolùm per modum cuiuſdam deprecationis, ſed id, per quod in Ordine confertur gratia, eſt pars Ordinis*: Ergo.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

31. Dices ita eſſe, partem Sacramenti, & nouam gratiam per illam non conferri, vt probabilius diximus *tract. de Euchariſtiâ* poſt ſuſceptionem hoſtiæ non conferri nouam gratiam per ſuſceptionem ſpecierum vini, quamuis ſint tales ſpecies illius partes eſſentiales: Ergo è contra, etiamſi per aliquod ſymbolum externum, gratia conferatur in Sacramento, non propterea dicenda eſt illius pars eſſentialis. ¶ Reſpondetur, quod licèt per omnes partes Sacramenti, quæ non conferunt diuerſam poteſtatem, noua gratia, ſeu extenſio, aut intenſio præcedentis non conferatur; quia tunc ſolùm datur gratia Sacramentalis in ordine ad ſanctificandum proprium ſubiectum: At quando per diuerſas partes illius datur noua poteſtas in ordine ad bonum Eccleſiæ, ad illam dignè exercendam noua debet dari gratia habitualis. Ita accidit in Ordine Sacerdotali, in quo, poſt traditam poteſtatem ad conſecrationem per traditionem inſtrumentorum, datur noua poteſtas Ordinis per manuum impoſitionem, & verba, quæ illis correſpondent, ad abſolutionem Sacramentalem, & ſic noua gratia confertur, eritque proinde illius pars eſſentialis; & licèt non imprimatur nouus character, præcedens extenditur per noui modi receptionem, vt diximus *cap. 1. num.* 33. de Ordinatione Epiſcopali.

*Obiectio.*

32. Hoc proportionali modo in Diaconatu inuenitur, cui poteſtas traditur, & ad dignè prædicandum Verbum Dei, & miniſteria alia ſibi propria exercenda, quod per manuum impoſitionem ſignificatur, & ad aſſiſtendum, & inſeruiendum Sacerdoti in ſacrificio Miſſæ, quod eſt eius præcipuum munus, quod quia ſignificari non poterat per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane, quia hæc eſt materia Sacerdotij, nec per traditionem calicis vacui, & patenæ, quia hoc eſt proprium Subdiaconatus, optimè ſignificatur per traditionem libri Euangeliorum, in quâ traditur poteſtas ad miniſtrandum Sacerdoti in ſacrificio ſpecialiter ad illud munus canendi ſolemniter Euangelium, quod inter eius miniſteria præcipuum locum obtinet.

33. Sed dices, quod ſi ita eſt, quòd per impoſitionem manuum gratia confertur, tunc etiam imprimetur character, non verò per traditionem libri, quia prior eſt manuum impoſitio in Diaconatu, quàm libri porrectio: vti imprimitur character Sacerdotalis cùm primò inſtrumenta porriguntur antè impoſitionem manuum, quia in traditione inſtrumentorum gratia confertur, & eſt primum, quod in tali ordinatione inuenitur. ¶ Reſpondetur negando antecedens, quia, vt diximus *hoc cap. num.* 17. in Ordinibus duas partes eſſentiales habentibus, tunc imprimitur character, & gratia confertur, quando pars principalis perficitur, ſiue in executione ſit prior, ſiue non: & quia in Sacerdotio traditio inſtrumentorum vtrumque habet, non mirum quòd in illo per priorem partem, & gratia communicetur, & character imprimatur. Quando verò pars, quæ executione antecedit, non eſt præcipua illius ordinationis, ſuſpenditus effectus eius vſque dùm totum Sacramentum, aut pars illius præcipua perficiatur, quia quamuis talis cæremonia conferat gratiam non eo tempore phyſico, quo exhibetur, ſed moraliter in illo tempore; & ideò poſt complementum vltimæ partis, cuius plura exempla tùm in Extremâ vnctione, tùm in Euchariſtiâ ſuppetunt, à quibus abſtinemus ob breuitatem.

*Solutio illius.*

*Contraria argumenta ſoluuntur.*

34. Ad primum ex Concil. Florentino reſpondent Auctores noſtræ ſententiæ, Concilium non omnes partes huius Ordinis aſſignaſſe, ſed illam, quam Armenij, quos inſtruere intendebat, ignorabant, & cum apud ipſos ſolùm eſſet pars eſſentialis eius manuum impoſitio, opportuit notificare eis etiam traditionem libri hoc habere, tacuit autem impoſitionem manuum, quam ipſi iam ſupponebant, ſed non propterea illam negauit.

35. Ad ſecundum reſpondent aliqui ex noſtris, huiuſmodi manuum impoſitionem dici ab Apoſtolis introductam, non quia ipſi illam inſtituerunt, ſed quia acceptam à Chriſto Domino primi executi ſunt. ¶ Veriùs tamen, & conformiùs ad dicta *cap. præced. num.* 5. reſpondendum eſt cum alijs, Chriſtum Dominum non inſtituiſſe in particulari materiam materialiter ſumptam, & formam eodem modo acceptam pro Sacramento Ordinis, ſed illam formam ſecundùm ſpeciem, & materiam, qua exprimeretur ſufficienter ſingulorum Ordinum facultas relinquendo poteſtati Apoſtolorum, & Eccleſiæ, quòd pro diuerſitate temporum locorum, &c. hanc, vel illam in indiuiduo materiam aſſignarent. Tempore autem Apoſtolorum impoſitio manuum fuit aſſignata in particulari pro Sacerdotio, & Diaconatu, & ideò hoc ipſum modò in Eccleſiâ Græcâ obſeruatur; maximè, quia tunc liber Euangeliorum non erat ſcriptus; modò verò quando iam extat, & ſufficienter poteſt alijs ſymbolis horum Ordinum poteſtas deſignari, optimè ab Eccleſiâ ſtatutum

eſt pro materiâ illorum particulari; & traditio inſtrumentorum, & impoſitio manuum cum verbis vtrique proportionatis, quâ ſuppoſitâ determinatione, vtraque eſt pars eſſentialis illius.

Ad vltimum optimè reſpondet Dicaſtillo citatus *num.* 180. negando nihil peculiare Diaconi in illa cæremonia exhiberi, his verbis: *Illa enim cæremonia, & verbis adiunctis ſignificatur, & denotatur ſpecialis illa fortitudo animi, & robur, vt verba ſonant, quo animus Diaconi debet eſſe inſtructus, & paratus tùm ad annuntiandum Chriſti Euangelium, tùm ad miniſtrandum Sacerdoti in proprio munere, ſuperatis difficultatibus, quales occurrunt in prædicatione Euangelij, & tanta miniſteria, maximè ſi occurrant impedimenta ex parte hoſtium fidei, & tyrannorum, quibus Diabolus vtitur tanquam miniſtris, ideò dicitur in prædictis verbis: Accipe Spiritum Sanctum ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus eius.*

*Officia Diaconorum.*

36. Supereſt vt dicamus miniſteria huius Ordinis, quæ ſunt quinque præcipua. Primum, Sacerdoti offerenti aſſiſtere, illique miniſtrare. Secundum, in Miſſa ſolemni Euangelium legere. Tertium, in abſentia Epiſcopi, vel Presbyteri, & de eorum licentiâ ſolemniter baptizare. Quartum, de licentiâ Epiſcopi populo prædicare. Quintum, in abſentiâ Presbyteri Euchariſtiam fidelibus diſpenſare. Quæ omnia munera, præciſo ſcandalo poteſt Diaconus exercere ſine peccato mortali; etiamſi cum conſcientia peccati mortalis ea faciat, vt conſtat ex dictis *num.* 24.

## PVNCTVM V.

### *De Sacerdotij materia, & forma, & muneribus eius.*

*Materia, & forma Presbyteratus.*

37. RЕceptiſſimum eſt apud omnes materiam neceſſariam huius Ordinis eſſe, remotam quidem calicem cum vino, & patenam cum hoſtia. Ita habetur expreſsè ex *decreto* Eugenij IV. *in Concil. Florentin.* illis verbis: *Materia eſt illud, per cuius traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia porrectione.* Et colligitur manifeſtè ex formâ, quam ibi aſſignat, nimirùm forma Sacerdotis eſt: *Accipe poteſtatem ad offerendum ſacrificium Deo, Miſſaſque celebrandas pro viuis, & mortuis in nomine Domini.* Et ratio eſt aperta, quia munus præcipuum huius Ordinis eſt, poſſe conficere Euchariſtiæ Sacramentum; hoc autem nullo exteriori ſymbolo, aut verbis magis expreſſis potuit ſignificari, quàm tradendo calicem cum vino, & patenam cum hoſtia, & dicendo: *Accipe, &c.* Ergo huiuſmodi traditio pertinet ad eſſentialem huius Ordinis materiam, vnde character in huiuſmodi traditione imprimitur, gratiaque confertur. Ita D. Thom. *in 4. diſ. 24. q. 2. art. 3.*

*Poteſtates illius.*

38. Etiam eſt commune apud Doctores hunc Ordinem plures actiones habere, imò plures poteſtates, ſcilicèt poteſtatem ad conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ, quæ per prædictam traditionem inſtrumentorum, & verba, quæ ſibi correſpondent, ſignificatur, & poteſtatem ad ligandum, & ſoluendum, aliaque Sacramenta conferenda (præter Ordinem, & Confirmationem) quæ ſignificatur per impoſitionem manuum tanquam per materiam, & per illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis.* In hoc ferè omnes Doctores conueniunt. ¶ Sed difficultas prima eſt, & diſſidium inter illos; an hoc Sacramentum conſtet ex vtroque ſymbolo, nimirùm ex porrectione materiæ, & verbis, & impoſitione manuum cum ſuis verbis, tanquàm ex partibus eſſentialibus, & loquimur de impoſitione illa, quæ fit ab Epiſcopo tantùm poſt traditionem inſtrumentorum, nam de illâ impoſitione manuum, quæ antecedit, & fit ab Epiſcopo, & alijs adſtantibus Presbyteris, quamuis aliqui voluerint eſſe partem huius Sacramenti, communis tamen curſus Doctorum de illa, quæ ſubſequitur, præſentem dubitationem examinat.

Negant, præter citatos Doctores *punct. præced. num.* 27. Filucius, Layman. Silueſter, Bellarminus, citati à Diana, 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 187. propter fundamenta, quæ ibi propoſuimus, & diſſoluimus.

39. Verumtamen reſpondendum eſt affirmatiuè. Ita Doctores, *num.* 28. relati, quibus adde Auerſa, *quæſt.* 2. *ſect.* 8. Vazquez, *diſ.* 239. Ledeſm. *part.* 2. *quæſt.* 36. *artic.* 4. N. Waldenſem, *tom.* 2. *de Sacram. cap.* 123. N. Lezan. N. Franc. Wigers: *de ord. quæſt.* 34. Dianam, 3. *part. tractat.* 4. *reſolut.* 187. & probatur, præter ibi dicta, ex *Concil. Maguntina, cap.* 35. vbi dicitur: *Collatio Ordinum cum impoſitione manuum veluti ſigno viſibiliter traditur.* Quod ad minus de Sacerdotio debet verificari. Idem habetur in *Carthagin.* 4. *c.* 3. imò in *Tridentin. ſeſſion.* 13. *cap.* 3. dicitur, loquendo de Extremâ vnctione: *Miniſtros Extremæ vnctionis eſſe Epiſcopos, aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinatos per impoſitionem manuum.* Et probatur ex ipsâ ſignificatione, & efficacia verborum, quæ cum impoſitione manuum dicuntur: *Accipe, &c.* quæ manifeſtè denotant Ordinandum per tale ſymbolum, & verba nouam recipere poteſtatem ad ligandum, & ſoluendum, & gratiam Spiritus Sancti, ſed pars illa, quæ verè confert in ordine poteſtatem, & gratiam, ſeu Spiritum Sanctum, eſt eſſentialis pars illius: Ergo.

*Conſtat ex traditione inſtrumentorum, & impoſitione manuum.*

40. Sed hinc ſecunda exoritur difficultas: An per impoſitionem manuum noua conferatur Sacerdoti poteſtas, quam anteà non receperat per traditionem inſtrumentorum? An verò in ipſa porrectione tam calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, & impreſſione characteris Sacerdotalis vtraque poteſtas conferatur, & per impoſitionem manuum, & verba: *Accipe Spiritum, &c.* ſolùm præcedens explicetur? Et ratio dubitandi eſt, quia ſi Epiſcopus moreretur poſtquàm Sacerdoti inſtrumenta tradidit, & pronuntiauit verba, nec eſſet alius Epiſcopus, à quo fieret impoſitio manuum cum forma, verè hic maneret Sacerdos conſtitutus, & ſi fieret Parochus, poſſet abſolutionem impertiri: Ergo in prima traditione tota poteſtas tribuitur, & per poſteriorem actionem ſolùm præcedens explicatur; atque ita tenent Sot. *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 5. Nuño, 3. *part. q.* 37. *art.* 5. Silueſt. *ord.* 2. *q.* 4. *dict.* 4. Angel. *ord.* 1. *n.* 6. & 7.

*An per impoſitionem manuum noua poteſtas tradatur?*

41. Sed nihilominùs dicendum eſt, duplicem poteſtatem dictam Sacerdotis per traditionem inſtrumentorum, & manuum impoſitionem impertiri; per iſtam poteſtas traditur ad ligandum, & ſoluendum; per illam ad conſecrandum;

*Per impoſitionem manuum recipit nouam poteſtatem.*

dum ; & ideò character pee traditionem inſtrumeutorum impreſſus, extenditur per impoſitionem manuum per nouum modum in eo receptum ad ſoluendum, & ligandom ſacramentaliter, ſinè qua extenſione talis poteſtas nequit reperiri, vt *cap. præced. num.* 31. diximus. Vnde in caſu poſito de Epiſcopo moriente, poſt traditionem calicis cum vino, &c. non maneret ille perfectè Sacerdos quantum ad omnia, nec poſſet ligare, aut ſoluere, etiamſi inſtrueretur vt Parochus, ſed tantùm Euchariſtiam conficere, & eam populis miniſtrare. Ita Saochez, *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 12. Aueria, Palao, Dicaſtill. *dub.* 10. Granad. *diſ.* 3. ſ. 3. Et quod magis eſt D. Thom. *in* 4. *diſ.* 24. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *ad* 2. his verbis : *Ad ſecundum dicendum, quòd Dominus Diſcipulis dedit Sacerdotalem poteſtatem quantum ad principalem actum in cœna, quando dixit : Accipite, & manducate : inde ſubiungit, hoc facite in meam commemorationem, ſed poſt reſurrectionem dedit eis Sacerdotalem poteſtatem* (ſcilicet quando dixit Ioann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum quorum, &c. de quo erat argumentum) quantum ad actum ſecundarium, qui eſt ligare, & abſoluere.*

*Ratio illius.* 42. Et hinc deducitur ratio pro iſta ſententia, quia Chriſtus Dominus diuiſim in diuerſis temporibus dedit Apoſtolis hanc duplicem poteſtatem ; nam in nocte Cœnæ contulit eis poteſtatem conficiendi Sacramentum Euchariſtiæ, dicendo : *Hoc facite, &c.* & poſt Reſurrectionem dedit eis poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, quem morem Eccleſia ſequuta, priùs antè conſecrationem confert Epiſcopus calicem, &c. dicendo. *Accipe poteſtatem, &c.* & poſt conſecrationem imponit manus, & dicit : *Accipe Spiritum, &c.* Ergo hæc diuerſa poteſtas per illas actiones communicatur ; aliàs ſimul, & ſemel vtramque Chriſtus, & Eccleſia tribuerent.

*Obiectio.* 43. Sed dicunt aduerſarij in nocte cœnæ Chriſtum Dominum vtramque Apoſtolis contuliſſe poteſtatem, & ſic Iudas vtramque accepit, ideoque dicitur. *Actor.* 1. *Qui connumeratus eſt in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius :* & quod certiùs eſt, Thomas vtramque poteſtatem habuit, & tamen non interfuit quando Ioan. 20. Chriſtus Apoſtolis dixit : *Accipite Spiritum Sanctum.* Vtraque ergo poteſtas in cœna communicata eſt illis, ſed quaſi inuoluta, & implicita poteſtas ligandi, & ſoluendi, quæ poſt Reſurrectionem explicitè communicata eſt, ſeu potiùs explicata.

*Solutio.* 44. Sed contra eſt. Nam verba illa : *Accipite Spiritum, &c.* non explicationem poteſtatis, ſed veram illius traditionem ſignificant, & propterea dixit *Concil. Tridentin. ſeſſion.* 14. *capit.* 1. *de Pœnitent. Verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles, poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum ſenſus ſemper intellexit.* Quare Iudas, qui poſt Reſurrectionem non interfuit, talem poteſtatem non habuit, ſed ſolùm in miniſterium Apoſtolatus, quoad reliqua, cum alijs eſt annumeratus. Thomas verò, licèt tunc non interfuerit, poſteà illam recepit, quando Chriſtus illi apparuit, & ipſi dixit, quod in priori apparitione alijs dixerat, quamuis id non fuerit ſcriptum.

45. Tertia difficultas eſt : An ſit de neceſſitate Sacramenti traditio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia ſimul ? An ſufficiat quòd vna, vel altera ex his ſpeciebus ſimul cum inſtrumentis dictis conferatur ? Negant aliqui vtramque ſpeciem eſſe de neceſſitate Sacramenti, & ſic verè manere ordinatum aſſerunt, cui Epiſcopus vnam ſolam ſpeciem, vt vinum in calice, vel hoſtiam in patenâ portigeret ; proindeque, ſi in conſumptione calicis Epiſcopus perciperet aquam pro vino ſibi miniſtratam fuiſſe, non teneri ex neceſſitate Sacramenti ordinationem repetere ; teneri tamen ex præcepto Eccleſiaſtico ad talem repetitionem, & peccare mortaliter tam ipſum, ſi non repeteret, quàm ordinatum ſi ante repetitionem celebrarent, vel aliud munus proprium Sacerdotis exercerent, Enriquez, Filucius, Homoboo. Bonacin. *diſ.* 8. *quæſt. vnic. punct.* 3. *num.* 3. Diana, 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 186. Sanchez, *conſiliorum, lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 12. *num.* 17. Dicaſtill. *tract.* 6. *diſ.* 1. *dub.* 10. *num.* 161. Bezantius, *in addit. ad* 3. *p. q.* 40. *diſ.* 1. *Alia difficultas.*

46. Et probant : Tum quia poteſtas ad vtramque ſpeciem conficiendam eſt indiuiſibilis, & vna in alia quaſi per concomitantiam continetur, vnde ſicut in vna ſpecie Sacramentum verum Euchariſtiæ reperitur, quia per concomitantiam eſt in ea, v.g. in hoſtia ſanguis Chriſti : ſic poteſtas, quæ per traditionem vnius ſpeciei ad conſecrandam illam tribuitur, includit per concomitantiam poteſtatem ad aliam conſecrandam : Ergo quamuis vna dumtaxat ſpecies porrigeretur, inſtitueretur verus Sacerdos ad totam Euchariſtiam conficiendam. Tum etiam, quia validè, quamuis non licitè, poteſt vna ſpecies ſine alia conſecrari, imò licitè ex diſpenſatione Summi Pontificis (vt volunt plures Doctores aſſerentes cum Norbergijs & Danis fuiſſe diſpenſatum, vt ſub vna dumtaxat ſpecie conficerent Sacramentum : ) Ergo ſimiliter poteſt Ordinari Sacerdos per traditionem vnius ſpeciei tantum.

47. Sed probabilius reſpondetur vtramque ſpeciem tradere, eſſe de neceſſitate Ordinationis Sacerdotis. Vnde non ſolùm peccaret mortaliter, qui aliter ordinaret, vel ſcienter ordinaretur, vel non repeteret Ordinem, vel in Ordine ſuſcepto abſque tali repetitione miniſtraret, ſed nec maneret Sacerdos, nec actus illius eſſent validi. Ita Granad. *diſ.* 3. ſ. 2. Philibert. *tract.* 2. *part.* 8. *cap.* 5. *prop.* 2. Villalob. *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 11. *diſ.* 4. *num.* 11. Ledeſm. *tom.* 1. *de Sacram. Ordin. cap.* 3. *diſ.* 3. Ioan. de la Cruz, *in direct. conſcient. part.* 2. *dub.* 2. *concluſ.* 1. Diana, ſe ipſum retractans, *part.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 119. Aueria, N. Gabr. Leand. *tract.* 6. *diſ.* 3. *quæſt.* 8. ità *Concilium Florentin. in ſæpè citato decreto Eugenij*, vbi ſic dicitur : *Ordinem eſſe illud per cuius traditionem traditur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia porrectionem.* *Duplicem ſpeciem, panis, & vini tradere eſt de neceſſitate Ordinis.*

48. Et ratio eſt, quia integrum Sacramentum Euchariſtiæ non ſaluatur in vna tantùm ſpecie, vt dictum eſt in eius tractatu, ſed vtraque eſſentialiter ad illud requiritur. Ergo per traditionem, v. g. calicis, non impertitur poteſtas ad panem conſecrandum, nec per porrectionem patenæ cum pane ſolùm datur poteſtas ad conſecrandum calicem : Ergo nulla datur. Probatur conſequentia. Quia poteſtas ad vtramque ſpeciem conſecrandam vna, & indiuiſibilis *Ratio conclusionis superioris proponitur.*

diuiſibilis eſt, ſicut vnus, & indiuiſibilis eſt pro vtroque munere character. ¶ Ex his patet ad argumentum, quòd licèt in qualibet ſpecie partialiter ſit vera ratio Sacramenti; ſicut quælibet pars hominis eſt vera ſubſtantia; non tamen quælibet ſpecies eſt totum, & integrum Sacramentum, ſicut nec quælibet pars hominis eſt tota ſubſtantia hominis; vnde per traditionem vnius ſpeciei non poteſt dari poteſtas integra ad totum Sacramentum, & cum aliàs talis poteſtas ſit indiuiſibilis, ad nullam partem illius dabitur, ſi ad vtramque non datur. Vnde licèt validè poſſit aliquis vti poteſtate in Ordine ad conſecrationem vnius partis tantùm, quia ex parte effectus eſt diuiſibilis, non tamen poteſt validè vnam recipere partem poteſtatis, cum ex parte illius indiuiſibilitas detur, ſicut poteſt voluntas vti poteſtate, quam habet ad amandum, vel odio habendum, non verò recipere ad vnum poteſtatem, & non ad aliud propter eandem rationem. ¶ Diximus poſſe validè vti Sacerdotem poteſtate in Ordine ad conſecrandam vnam ſpeciem ſine alia; non autem licitè, nec ex diſpenſatione Pontificis, eò quòd de iure diuino eſt integrum ſacrificium offerre, quod ex corpore, & ſanguine Chriſti ſignificatiuè effuſo coaleſcit. Vnde vel eſt falſum alicubi Papam diſpenſaſſe, vt aſſerunt plurimi, vel id fecit accommodando ſe opinioni probabili dicenti, quòd poterat, vt dicunt alij, de quo ſuo loco tractatur.

*Officia Presbyteratus.* 49. Munera Sacerdotis ſunt, inter alia, quatuor, nimirùm conſecrare Euchariſtiam, ligare, vel abſoluere fideles: vt dignè ad tantum Sacramentum accedant: reliqua miniſtrare Sacramenta ex officio præter Confirmationem, & Ordinem; quod non eſt intelligendum, quòd abſque commiſſione, eo ipſo, quòd ſit Sacerdos, poterit ea miniſtrare, quia hoc eſt officium Parochi, ſed quod Ordo Sacerdotis petitur ad miniſtranda alia Sacramenta ex officio. Tandem munus illius eſt benedicere populum in Miſſa ſimplici benedictione, non autem ſolemni, quæ fit cum *adiutorium noſtrum in nomine Domini*, quia hoc ab Epiſcopis in eorum Diœceſibus, ab Archiepiſcopis in tota Prouincia cum viſitant, à Legatis in termino ſuæ legationis, ab Abbatibus (quibus hoc eſt ex priuilegio conceſſum) in Eccleſijs ſibi pleno iure conceſſis, fieri poteſt.

## CAPVT IV.

### *De legitimo Sacramenti Ordinis Miniſtro, tam ordinario, quàm à Papa delegato.*

*Caput hoc continet vnicum dubium, & quinque puncta.*

*Dubium vnicum. Vtrùm tres Epiſcopi ſint neceſſariò requiſiti ad valorem Ordinationis Epiſcopalis?* num. 1.

*Punct. I. Quis ſit Miniſter Ordinis Ordinarius ex ordinatione diuinâ? Et quis ex delegatione eſſe poterit?* num. 11.

*Punct. II. Quibus ex iure competat poteſtas Ordines conferendi?* num. 30.

*Punct. III. De ſubiectione proprio Epiſcopo, quæ requiritur, vt Ordines recipiantur,* n. 43.

*Punct. IV. Quis poterit licentiam, ſeu litteras dimiſſorias, vulgò* Reuerendas *præbere in ordine ad ſuſcipiendos Ordines?* n. 58.

*Punct. V. De alijs conditionibus ad licitè Ordines conferendos requiſitis,* num. 71.

## DVBIVM VNICVM.

### *Vtrùm tres Epiſcopi ſint Miniſtri neceſſariò requiſiti ad valorem Ordinationis Epiſcopalis?*

1. DE Epiſcopi ordinatione nihil diximus capite præcedenti huic capiti hoc negotium reſeruantes, eò quòd in eâ, eadem eſt difficultas de materia, ac de Miniſtro. Vtrùm nimiſùm impoſitio manuum trium Epiſcoporum ſit materia neceſſaria? & vtrùm tres Epiſcopi debeant eſſe Miniſtri ad valorem illius? Quare ſupponimus primò ad talem ordinationem plura concurrere: vt impoſitio libri Euangeliorum ſuper ſcapulas ordinandi; vnctio coronæ ordinati ab vno ex tribus Epiſcopis facta cum verbis, quæ in Pontificali habentur; & impoſitio manuum trium Epiſcoporum dicentium: *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. Ex his tribus hoc vltimum eſſe materiam neceſſariam, ſcilicet impoſitionem manuum Ordinantis, ſiue ab vno fiat, ſiue à tribus (de quo ſtatim) aſſerunt, & rectè Enriquez, *de Ordine, cap.* 7. §. 3. Granad. *controu.* 9. *tract.* 1. *diſ.* 3. §. 1. *n.* 3. & colligitur ex *Concilio Antiochen. Can.* 10. & *Can.* 17. ibi: *Si quis Epiſcopus per manuum impoſitionem Epiſcopatum acceperit*, &c. *Plura ad Ordinationem Epiſcopi concurrunt.*

2 Secundò, ſupponendum eſt, non poſſe Epiſcopum validè ordinari à ſimplici Sacerdote; ſaltem vt à Miniſtro, nec ex iure ordinario, nec ex delegatione Pontificis, quia cùm Epiſcopus conſtituatur ſuperior ad Sacerdotes, & eius ordinatio ſit perfectiſſimum Sacerdotis complementum, indecens erat, vt ab inferiori benediceretur, aut conſecraretur, iuxta illud Pauli *ad Hebræos* 7. *Maior à minori non benedicitur, nec ſimiliter par à pari.* Ità docent Philibert. *tract.* 5. *p.* 2. *cap.* 12. Palao, *tract.* 27. *diſ. vnic. punct.* 14. *num.* 2. Vazquez, *diſ.* 243. *cap.* 4. *num.* 42. Sanchez, *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 23. *Non poteſt à ſimplici Sacerdote conſecrari.*

3. Tertiò, ſupponendum eſt eſſe de neceſſitate ad minus præcepti, quòd tres Epiſcopi ad vnius ordinationem concurrant, & ità peccarent mortaliter, & qui aliter conſecrarent, & qui abſque tali aſſiſtentiâ conſecraretur, eò quòd ita præcipitur in *Concil. Niceno* 1. *cap.* 4. *in Carthagin.* 2. *Can.* 2. *in Carthagin.* 3. *Canon.* 39. & Anacletus *Papa* non ſolùm id præcepit; ſed etiam narrat S. Iacobum fratrem Domini, fuiſſe conſecratum Epiſcopum Ieroſolymitanum à D. Petro, Iacobo, & Ioanne, atque ita omnes alios à tribus ſimiliter fore ordinandos; quod etiam refertur *in cap. Porrò* 2. *diſ.* 66. Vbi aſſeritur S. Iacobum priùs inuiſibiliter fuiſſe factum Epiſcopum à Chriſto Domino; poſteà verò à tribus eſſe viſibiliter conſecratum. *Tres Epiſcopi ex præcepto debent ad conſecrationem vnius concurrere.*

4. Quartò, denique ſupponendum eſt, ſaltem ex commiſſione Pontificis in caſu neceſſitatis poſſe validè ordinari Epiſcopum à duobus; imò etiam ab vno tantùm. Ità tenent, præter Doctores nobiſcum infrà *num.* 8. ſentientes, plures ex illis, qui aſſerunt eſſe de neceſſitate Ordinis aſſiſtentiam trium, vt Vazquez, Dicaſtillo, Enriquez, Philibertus, & alij. *Ex conceſſione Pontificis poteſt à duobus, vel ab vno.*

Ità

Ità enim colligitur ex dicto *Apoſtoli Simonis Cananæi apud* Clementem, *lib.* 8. *Conſtitut. cap.* 27. vbi poſtquam dixit Epiſcopum ordinandum eſſe à duobus, vel tribus, addit: *Quòd ſi neceſſitas coegerit ab vno ordinari, quod propter perſecutionem, aut aliam cauſam plures adeſſe non poſſunt, offeratur decretum commiſſionis plurium Epiſcoporum*; & hoc factum eſſe à Gregorio cum Auguſtino Epiſcopo Cantuarienſi, teſtantur communites Doctores, quem miſit in Angliam prædicare, & ei commiſit poteſtatem Epiſcopos ordinandi, vel à ſe ſolùm, ſi non adeſſet alius, vel à ſe, & ab alio ſi fortè interfuiſſet propter penuriam illorum in illo Regno. Imò id ab Apoſtolis executum fuiſſe, eſt apud omnes receptiſſimum, qui per ſe ipſos in regionibus diuerſis Epiſcopos ordinabant, & ſuis Diſcipulis multoties talem facultatem præbebant, quando neceſſitas id poſtulabat.

*Vid. Herinx diſp. 30 quæſt. 5.*

Et quamuis aliqui hæc, aut ſimilia in dubium vocare, aut negare non vereantur: nihilominùs pluſquam certum nobis eſt, nouiſſimè id factum fuiſſe ſub Alexandro VII. 1663. 31. Ianuarij. Siquidem Illuſtriſſimus D. Ioſephus A. S. Maria ex ordine N. Carmelit. Diſcalceatorum Epiſcopus quondam Hierapolitanus, & modo Calabriæ delegatus 1660. in regna Malabarica Indiarum Orientalium, vt maximam Cleri, & Chriſtianitatis Sertanæ partem ad Eccleſiæ Catholicæ vnionem reduceret; tandem laboribus emenſis innumeris, Authoritate Apoſtolicâ depoſito, & excommunicato, intruſo ſchiſmatico Apoſcopo, ſe ſolo, aſſiſtentibus dumtaxat duobus Presbyteris Luſitanis, ſed tam Chriſtianorum, quàm Schiſmaticorum, & gentilium multitudine infinitâ in ciuitate Caturtæ conſecrauit in Epiſcopum de Megarâ parochum quendam D. Alexandrum de Campo, ſicque operâ, gratiâ, & facundiâ admirabili Illuſtriſſimi D. Ioſephi, & aliquorum ex noſtris virtute, & doctrinâ præſtantium quamplurima hominum millia ad Eccleſiæ Romanæ gremium glorioſè seducta fuerunt.

*Hæc latiori calamo breui fortè typis dabuntur.*

Aſſerere modo. S. Pontificem vſum fuiſſe ſententiâ dubiâ aut probabili in tanto Chriſtianitatis negotio, parum certè tutum videtur: maximè cùm S. Pontifex qui ſchiſma, & mortem legitimi Archiepiſcopi antè præſciuerat, æquè tres ac vnum Epiſcopum mittere potuiſſet.

*Stat eſſe Miniſtrum vnum ordinarium, alium ex delegatione.*

5. Nec nouum eſt aliquem eſſe Miniſtrum ordinarium ad validitatem Sacramenti, & ex commiſſione etiam alios illud poſſe validè, & licitè conferre, vt de Ordine dicemus in hoc capite eſſe ſolum Epiſcopum ordinarium Miniſtrum, & poſſe nihilominùs Ordines conferre ex commiſſione Pontificis alium, qui non ſit Epiſcopus; & in Sacramento Confirmationis ſolus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius; & tamen poteſt Summus Pontifex ſimplici Sacerdoti ad illud conferendũ licentiam præbere, vt docet D. Thom. 3. *part. q* 72. *art.* 11. *ad* 1. Difficultas ergo præſens eſt: An ex iure diuino, & ex intrinſecâ ratione huius Sacramenti (præciſà commiſſione Pontificis) exigatur aſſiſtentia trium Epiſcoporum, ità quòd aliter ordinatio facta ſit inualida.

*Argumenta, quæ probant requiri tres Epiſcopos ad valorem.*

6. Et videtur omnes tres Epiſcopos neceſſariò eſſe requiſitos. Primò, quia cum *Papa* Anacletus, *in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, cap.* 1. & habetur *tom.* 1. *Conciliorum*, docuiſſet D. Iacobum à SS. Petro, Ioanne, & alio Iacobo fuiſſe Epiſcopum Ordinatum, hæc ſubdit: *Si autem non minus, quàm à tribus Apoſtolis tantus vir fuit ordinatus Epiſcopus, patet profectò eos formam inſtituente Domino tradidiſſe nõ minùs, quàm à tribus Epiſcopis Epiſcopos ordinari debere.*

Secundò, quia *Papa* Ioannes III. *in Epiſtolâ vnicâ in medio*: vt inuenitur in *tom.* 2. *Concilior.* dicit: *Omnia quæque maxima Concilia affirmant eum non eſſe Epiſcopum, qui minus, quàm à tribus Epiſcopis auctoritate etiam Metropolitani fuerit factus.*

Tertiò, quia Damaſus *Papa Epiſtol.* 4. *contra Chorepiſcopos*: Vt iſtos non eſſe Epiſcopos demonſtraſet, hæc, inter alia habet: *Quid enim Epiſcopi non ſint qui minùs, quàm à tribus ſunt ordinati Epiſcopi, omnibus patet.*

Quartò, ex illo Pauli *ad Hebræos* 7. *Maior à minori non benedicitur, nec ſimiliter par à pari*: Sed quilibet Epiſcopus eſt par cum altero: Ergo ab eo ſolo non poterit alius conſecrari, ſicut propterea Presbyter à Presbytero, aut Diaconus à Diacono nequit ordinari, atq; ità tenent Vazquez, *diſ.* 246. *cap.* 6. *num.* 36. Bellarm. *lib.* 4. *de notis Eccleſiæ, cap.* 8. Palao, *punct.* 15. *n.* 13. Barboſ. *de poteſtate Epiſcop. alleg.* 2. *n.* 45. Dicaſtill. *tract.* 6. *diſ.* 1. *dub.* 18. *n.* 156. Philibert. *n.* 4. Gonet. *diſp.* 4. *art.* 3.

7. Sed contrà eſt. Nam in *Canon.* 1. *Apoſt. apud* Clement. *lib.* 3. *c.* 20. *& lib.* 8. *c.* 27. *fol.* 33 habetur: *Epiſcopus à duobus, vel tribus Epiſcopis conſecretur*, & capit. illo 27. additur ex decreto Simonis Apoſtoli: *Si aliquis ab vno Epiſcopo ordinatus fuerit, tum is, qui ordinatus eſt, cum qui eum ordinauit deponatur.* Si deponendus eſt: Ergo verè eſt ordinatus: & in *Concilio Arauxic.* 1. *Can.* 21. ſtatutum fuit, vt ſi duo Epiſcopi aliquem inuitum facere præſumpſerint, ambo Epiſcopi deponantur, & loco vnius ordinatus ſuccedat, & loco alterius alter ordinetur. Quibus locis innuitur trium Epiſcoporum aſſiſtentiam ſolùm ex præcepto, & ad debitam ſolemnitatem illius actus eſſe neceſſariam.

*Auctoritates in contrarium.*

8. Reſpondeo dicendum, non eſſe neceſſariam neceſſitate Ordinis trium Epiſcoporum aſſiſtentiam ad ordinationem Epiſcopi; ſed ad illius valorem vnum ſufficere, ſi aſſiſtat, & conſecret. Ità docent Turrecrem. *cap. Porrò, diſt.* 66. *n.* 3. Silueſter, Sanchez, *lib.* 7. *conſ. c.* 3. *dub.* 15. *n.* 17. D. Anton. *p.* 3. *tit.* 14. *c.* 16. §. 9. Armilla, Auerſa, *quæſt.* 3. *ſect.* 2. Azorius, Granad. Herinx, *diſp.* 10. *quæſt* 5. *n.* Franc. *diſp. vnic. dub.* 2.

*Non requiruntur tres Epiſcopi ad valorem conſecrationis.*

Probatur primò, quia in Pontificali Romano licèt tres exigantur Epiſcopi ad vnius conſecrationem, vnus dicitur conſecrator, alij verò aſſiſtentes: Ergo ordinatio fit ab vno, alij ex ſolemnitate exiguntur; aliàs omnes dicerentur aſſiſtentes, & omnes conſecratores.

Secundò, quia forma, & materia pro iſto Ordine ſufficienter applicari poteſt ab vno, & ſemel ab iſto applicata, non amplior, nec maior fit à reliquis: Ergo vnus tantum ſufficit ad validam ordinationem.

Tertiò, quia in alijs Sacramentis vnus tantùm Miniſter requiritur: Ergo ſimiliter ad Epiſcopi ordinationem, ſiue ad rationem Ordinis pertingat, ſiue non; & ſic ab Apoſtolis fuiſſe factam teſtantur communiter Doctores.

9. Ad primum reſpondeo, ibi ſermonem eſſe de ſolemnitate ad talem ordinationem requiſitâ, quæ ex Apoſtolis habetur; non verò ad valorem, & patet. Quia iam erat Iacobus ſicut, & reliqui Apoſtoli, ordinatus Epiſcopus à

*Solutio argumentorum.*

Chriſto

Chriſto Domino, quare ſicut ipſe Petrus, & Ioannes, & Iacobus frater eius ordinati ſunt Epiſcopi validè, & non à tribus, qui non erant, ſicetiam Iacobus frater Domini. Et ibi adhibita eſt illa ſolemnitas ad præbendam regulam fidelibus, quomodò poſteà deberent Epiſcopi debitè, & decenter ordinari: & ſic inquit optimè Gloſſa, *in cap. Porrò, diſ. 66. Quod tantùm viſibili vnctione illi tres conſecrauerunt eum, ſed priùs erat inuiſibiliter vnctus à Domino, vel quod non ordinauerunt eum, ſed tantùm formam ordinandi alijs oſtenderunt; vel quod intronizauerunt eum ad miniſtrationem certi loci; priùs enim erat Epiſcopus ſinè titulo.*

Ad ſecundum, & tertium dicimus, illis locis dici illum Epiſcopum non eſſe, qui minùs quàm à tribus conſecratur, non quia validè Epiſcopus non ſit; ſed quia non eſt talis quoad exercitium, & acceptationem Eccleſiæ, ſed deponendus ſit ab eâ, vt conſtat ex locis in argumento, ſed contrà adductis; & multoties, qui ità eſt deponendus à dignitate, & non habendus vt Epiſcopus quò ad vſum, dicitur non eſſe Epiſcopum, vt probat Granad. Auerſ. *locis cit.*

10. Ad quartum dicimus, quòd ſi illud argumentùm vim haberet, nec à tribus poſſet Epiſcopus conſecrari; ſicut non poteſt Sacerdos à tribus Sacerdotibus, nec Diaconus à tribus ordinari Diaconibus, eò quòd tantam poteſtatem ordinis habet vnus, ac tres, & ità vnus eſt par cum altero, ac ſunt tres. Locus ergo Apoſtoli eſt intelligendus, quod par à pari non benedicitur propriâ auctoritate, ſecùs verò virtute Dei, quomodo Epiſcopus ſe habet ad alterius ordinationem, & poſſet vnus Sacerdos virtute Dei ab alio ordinari; ipſe autem iuſtè diſpoſuit, quod ſolus ſupremus ſuæ Eccleſiæ Miniſter, vti eſt Epiſcopus, ad hoc facultatem haberet, vt docet D. Thom. 3. *p. in additionib. q.* 38. *art.* 1. Sed quia Epiſcopus quoad Ordinem ſuperiorem non habet, à Deo recepit poteſtatem, & ad inferiores, & ad ſuperiores, ſcilicet Epiſcopos ordinandos.

## PVNCTVM I.

### *Quis ſit Miniſter Ordinis Ordinarius ex iure diuino? Et quis ex delegatione eſſe poterit?*

*Epiſcopus ordinarius Miniſter Ordinis.*

11. DIſſinitum eſt iam in *Concilio Tridentino* legitimum, & ordinarium Ordinis Miniſtrum eſſe dumtaxat Epiſcopum, *ſeſſ.* 23. *Canon.* 4. *&* 7. quod olim iam diffinitum fuerat in *Concilio Niceno, Canon.* 4. *in Carthag.* 2. *Canon.* 12. *& in Florent. in decreto fidei*, quod etiam docet D. Thom. *in* 4. *diſ.* 2. *q.* 1. *art.* 1. *&* 3. *p. in addit. q.* 38. *art.* 1. & cum eo omnes Catholici: Ratio S. Doctoris optima eſt: quia nimirùm Epiſcopus in Eccleſiâ ſe habet, ſicut publica poteſtas abſoluti Principis in Republicâ; ſed ad publicam poteſtatem ſpectat Magiſtratus deſignare, & reliquos miniſtros inſtituere: Ergo ad Epiſcopum, & non ad alium, ſpectat miniſtros Eccleſiæ ordinare.

*Obiectio.*

12. Etſi obijcias: Qui poteſt maius, multò magis minùs: Sed maius eſt Corpus Chriſti reale, ad cuius Sacramentum habet Presbyter poteſtatem, quàm Ordines conferre: Ergo hoc poſteriùs multò magis poſſet. ¶ Reſpondet Soto negando conſequentiam. Fallax eſt enim regula: vt qui poteſt maius, poſſit minus, quando illud minus præſupponit poteſtatem maioris, poteſtas autem ordinandi præſupponit poteſtatem conſecrandi, & quidpiam ſuperaddit.

*Epiſcopus non Sacerdos validè nequit ordinare.*

13. Ex quo infertur primò, Epiſcopum, qui non eſſet Sacerdos, non poſſe validè ordinare; quia poteſtas in corpus myſticum, nimirùm in fideles (& maximè ſuprema ad conſtituendos miniſtros illorum) vti eſt poteſtas ad ordinandum, debet ſupponere poteſtatem in Corpus Chriſti reale ad illud conſecrandum, quæ habetur per Sacerdotium, in quo omnes Doctores conueniunt. ¶ Infertur ſecundò, vt non minus commune apud illos Epiſcopum electum, & confirmatum, ſed nondùm conſecratum, non poſſe validè ordinare; quamuis poſſet licentiam præbere ſuis ſubditis, vt ab Epiſcopo conſecrato ordinarentur; quia talis facultas pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis, quàm ſtatim poſt confirmationem à Pontifice acquirit; ordinare autem eſt actus poteſtatis ordinis Epiſcopalis, & ideò ſine conſecratione non poteſt validè, nedùm licitè exerceri.

*Poteſt Epiſcopus ordinare, etiamſi hæreticus, excommunicatus, &c.*

14. Epiſcopus autem ſemel conſecratus; etiamſi hæreticus ſit, excommunicatus, ſuſpenſus, degradatus, etiam ſi Epiſcopatum renuntiauerit, validè poteſt Ordines conferre; etiam eſt commune apud Theologos, & docet D. Th. *in* 4. *diſ.* 25. *q.* 1. *art.* 2. *&* 3. *p. in addis. q.* 38. *art.* 2. & ratio S. Doctoris eſt; quia vnctio illa Epiſcopalis, quâ tribuitur ad hoc munus ordinandi poteſtas, eſt indelebilis; vt conſecratio Eccleſiæ, & vaſorum ſacrorum; & ſic quamuis talis ordinatio Epiſcopi characterē non imprimat, taliter extendit characterē Sacerdotij, quod ſit, ſicut ille, indelebilis. Vnde ſi quando vel apud Pontifices, Concilia, vel Sanctos Patres dicitur veros Epiſcopos non eſſe, nec aliquid ſui Ordinis facere poſſe excommunicatos, hæreticos, &c. intelligendi ſunt, quòd non ſint Epiſcopi quoad acceptationem Eccleſiæ, & quoad vſum licitum ſuæ poteſtatis, D. Thom. *in* 4. *diſ.* 25. *q.* 1. Granad. *tract.* 2. *diſ.* 2. Enriquez, Sanch. *lib.* 7. *c.* 3. *diſ.* 18. Leand. *tract.* 6. *diſ.* 4. *q* 3.

*Etiam per ſaltum ordinatus.*

15. Imò Epiſcopus, qui per ſaltum eſſet ordinatus, etiam ſi minores, & maiores Ordines non receperit, dummodò Sacerdos ſit, validè poteſt omnes Ordines, etiam quos non habet, impertiri; peccabit tamen mortaliter vel ſi non ſuſceptos conferat, vel etiam, quos habet antè receptionem eōrum, quos omiſit. Semper tamen ordinatio ab eo facta teneret, quia character Sacerdotalis poteſt eminenter quidquid inferiores. & in eo facultas aliorum Ordinum in virtute continetur. Vnde, ſicut Epiſcopus cum cęteris Ordinibus poteſt omnes Ordines conferre, ita ſi fuerit Sacerdos poteſt etiam reliquos, quos non habet, validè communicare, Vazquez, Wiggers, Layman. *tract.* 9. *c.* 9. n. Anton. *diſp.* 3. *ſect.* 1. n. Gabr. *quæſt.* 6.

*Angelus bonus ſi ordinaret, validè efficeret; non malus.*

16. Et ſi roges: An Angelus bonus, vel malus poſſit alium ordinare? ¶ Reſpondetur ex D. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 7. quòd ſi Angelus bonus aliquem vel Epiſcopum, vel Sacerdotem ordinaret, talis ordinatio cenſenda eſſet valida, non quia ipſe ordinarius ſit huius Sacramenti Miniſter (cum ad eum ſicut verum ſignum ſenſibile ſic requiratur verbum ſenſibile, & naturale: Atqui, vt docet D. Th. 1. *p. q.* 51. *art.* 3. *ad* 4. Locutio Angelī in corpore aſſumpto non eſt vera, ſicut non eſt vitalis:) Sed quia credendum eſt id ex diſpenſatione diuinâ, & extraordinaria Dei lege feciſſe; ſicut

conſi-

Digitized by Google

contigiſſe S. Amphiloquio, qui fuit ab Angelis ordinatus Iconij Epiſcopus, refert Nicefor us, *lib.* 11. *Hiſt. cap.* 20. Quod ſecùs credendum eſſet, ſi à Dæmonibus quiſpiam fuiſſet ordinatus, quod non ex commiſſione Dei, ſed eorum malitiâ ad decipiendum fuiſſe factum, meliùs iudicabitur; & ſic ordinatio eſſet prorſus repetenda. Ità docet Philibert. *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 7.

*Dari poteſt miniſter ordinis delegatus.*

17. Cùm ergò in *Concil. Florent. & Trident.* & paſſim apud Pontifices Epiſcopus Ordinarius miniſter huius Sacramenti appelletur, communiter à Doctoribus traditur dari poſſe alium miniſtrum ex delegatione, & commiſſione, qui poſſet Ordines conferre; ſicut quia ipſe Epiſcopus Confirmationis Ordinarius Miniſter nuncupatur, optimè deducitur ex commiſſione Summi Pontificis poſſe aſſignari alium, qui non ſit Epiſcopus, vt miniſtrum delegatum illius. Ità tenet D. Thom. *in additionib. quæſt.* 38. *art.* 1. *ad* 3. & eſt apud omnes receptiſſimum, & conſtat ex vſu Eccleſiæ, quæ pluribus, vt poſteà dicemus, qui non ſunt Epiſcopi, talem facultatem conceſſit.

*Duplex obiectio.*

18. Sed obijcies primò: Ex iure diuino requiritur miniſter à Chriſto inſtitutus, ſicut requiritur materia, & forma Sacramenti: Ergò ſicut hæc non poſſunt à Pontifice immutari, ſic nec miniſter ordinis, qui ex iure diuino eſt ſolus Epiſcopus. Secundò, quia ordinatio eſt actus proprius characteris Epiſcopalis, ſicut conſecrare Euchariſtiam eſt actus proprius characteris Sacerdotis: Ergò ſicut nemo, qui non eſt Sacerdos poteſt validè Euchariſtiam conficere, ſic nemo, qui non ſit Epiſcopus, poterit validè ordinare. ¶ Reſpondetur ad vtramque obiectionem, quæ difficilis eſſet, niſi ex vſu Eccleſiæ oppoſitum conſtaret, characterem Epiſcopalem præbere illi ex officio poteſtatem ad hoc munus, quod non tollit ex delegatione Summi Pontificis Sacerdotibus poſſe concedi; & credendum eſt Chriſtum Dominum ità Epiſcopos huius Ordinis Ordinarios Miniſtros inſtituiſſe, vt eidem Eccleſiæ, & ſuo Paſtori relinqueret poteſtatem alijs delegandi huiuſmodi facultatem, vt in Sacramento Confirmationis, cuius miniſter Ordinarius ex inſtitutione Chriſti eſt Epiſcopus, & tamen ſimplex Sacerdos poteſt eſſe delegatus. Ita Granad. *diſ.* 2. *num.* 2. Marchinus, *cap.* 14. *num.* 25.

*Quis poteſt eſſe miniſter Ordinis delegatus?*

19. Ex commiſſione Summi Pontificis poteſt quilibet Sacerdos non Epiſcopus primam tonſuram, & Ordines minores conferre. Ita D. Thom. *locis ex* 4. *ſent. adductis*, & ibi Soto, & Nuño Sanchez, *dub.* 18. Auerſa, Palao, n. Gab. n. Ant. n. Steph. Granad. Philibert. *locis nuper cit.* & eſt communis, & ideò Cardinalibus Presbyteris Romanæ Eccleſiæ hæc poteſtas conceſſa eſt receptâ conſuetudine, non in omnes; ſed in ſuos familiares. Ità aduertit Bonacin. *diſ.* 8. *quæſt. vnic. punct.* 4. *num.* 3. Barboſa, *allegat.* 3. *de poteſt. Epiſc. num.* 15. Deinde Abbatibus, & alijs quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus conceſſa eſt in iure talis poteſtas, vt ſuo loco dicemus, & an talis poteſtas abrogata, vel reſtricta ſit à Tridentino.

20. Huiuſmodi autem poteſtas ſoli Sacerdoti poteſt à Summo Pontifice concedi. Ita D. Thom. *loc. cit.* vbi Nuño, oppoſitum dicit errori proximum, Dicaſtillo, *tract.* 6. *diſ.* 1. *dub.* 17. tenetque Auerſa, Sanchez, *num.* 7. Silueſter, *Ord.* 3. *quæſt.* 7. n. Ant. & ratio eſt, quia cum hoc, quod eſt Ordines conferre, ſoli Epiſcopo vt ordinario Miniſtro ex iure diuino competat, iuſtum eſt nulli alteri, niſi Miniſtro illi proximo (in cuius charactere radicaliter ea poteſtas reperitur, vti eſt in Sacerdotio) ex delegatione conferatur. Et ideò inauditum eſt hucuſque in Eccleſiâ (vt aſſerunt communiter DD.) facultatem Ordines conferendi alteri, niſi Sacerdoti, fuiſſe conceſſam.

*Solus Pontifex poteſt facultatem ad Ordines præbere.*

21. Imò à ſolo Pontifice, qui pleniſſimam habet talem poteſtatem, poterit huiuſcemodi facultas ad conferendos ordines delegari, Enriquez, *lib.* 10. *cap.* 23. *num.* 2. Leand. *quæſt.* 22. Auerſa, *ſect.* 3. Philibert. *cap.* 13. *num.* 20. qui citat Victor. *de Sacrament. Ord. num.* 234. & Graff. *de tempore ord. conſt.* 2. *num.* 1. & ratio eſt, quia poteſtas hæc cùm Epiſcopis ex iure diuino competat, & ſit ad excellentiſſimum miniſterium in Eccleſiâ exercendum, vt eſt Miniſtros illius conſtituere, à nemine, niſi à Summo Pontifice, qui habet pleniſſimam poteſtatem, & eſt caput illius, debet delegari.

*Obiectio.*

22. Et ſi obijcias, quod in Concilio Ancyran. ſub Silueſtro Papa, *cap.* 2. dicitur Chorepiſcopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare; ſed neque vrbis Epiſcopos, niſi cum litteris ab Epiſcopo commiſſum fuerit, & in *Concilio Antiochen. ſub* Iulio I. *cap.* 10. idem decernitur, & in *Concilio Meldicenſi, ſub* Carolo *Iuniore Francorum Rege*, *Canon.* 44. & *in Hiſpalenſi* 22. *ſub* Siſebuto *Rege*, *cap.* 7. & in *cap. quamuis* 68. *ex* Leone *Papa dicitur, inter prohibita Chorepiſcopis, & Presbyteris, ſunt Presbyterorum, aut Diaconorum, aut Virginum conſecratio.* Vbi ſolùm prohibetur conſecratio Diaconi, & Presbyteri, quaſi ſupponendo fore permiſſum Chorepiſcopis aliorum Ordinum collationem, imò iſtorum etiam ex præcedentibus Concilijs, cum ſolùm prohibeant Chorepiſcopos id facere ſine licentiâ Epiſcopi; ſed Chorepiſcopi veri Epiſcopi non erant, vt probat ex profeſſo Damaſus *Papa, Epiſt.* 5. Ergò alius, quàm Pontifex poteſt ad minores Ordines, imò etiam ad maiores, licentiam præbere.

*Solutio obiectionis.*

23. Reſpondetur, quod quantum attinet ad præſens (eſto tales Chorepiſcopi veri Epiſcopi non eſſent) ſi aliquos Ordines conferebant ex licentiâ Concilij Prouincialis, vel Epiſcopi, hoc ideò erat, quia conceſſam ſibi à Summo Pontifice habebant facultatem ad talem delegationem, non quia Epiſcopi ex ſe talem licentiam poſſent præbere. Sed ne id multoties repetamus, & argumentum hoc, quo aliqui vtuntur ad probandum poſſe ex commiſſione ſaltem Pontificis Sacerdotem, non Epiſcopum Ordines ſacros omnes conferre.

*Qui fuerint Chorepiſcopi.*

24. Notandum eſt Chorepiſcopos olim fuiſſe in duplici differentiâ, alios qui verè Epiſcopi non erant, ſed Coadiutores Epiſcoporum loco ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Chriſti aſſignati, vt Epiſcopos in particularibus villis adiuuarent, de quibus *Neocæſarienſe Concil. cap.* 3. *Chorepiſcopos fuiſſe inſtitutos loco ſeptuaginta duorum Diſcipulorum*, & iſti nullos ordines conferre valebant. Alij verò Chorepiſcopi dicebantur, qui, quàmuis veri Epiſcopi eſſent, non tamen habebant Diœceſim, & erant ſicut Epiſcopi titulares, & ij Ordines cõferre poterant ex conceſſione Epiſcopi, quia verè erant conſecrati. De quibus *Concilium Antiochenum, c.* 10. *Qui in vicis, vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur;*

quamuis

Digitized by Google

*quamuis manuum impoſitionem perceperint*, *& vt Epiſcopi conſecrati ſint*, *&c.* Dicitur autem à Damaſo non eſſe Epiſcopos, quia venerant à duobus conſecrati, vt diximus *num.* 9. & ideò inhibiti, & depoſiti, & vt non Epiſcopi habendi; vel quia ex alijs rationibus iuſtè ab Eccleſiâ prohibitum eſt eis munera Epiſcoporum exercere, & mos eſt multoties in iure Canonico, qui non poſſunt munera Epiſcopi exercere, non Epiſcopos nominari.

*Non poteſt Pontifex præbere facultatem ordinandi Sacerdotes.*

25. Sed neque Pontifex poteſt alicui Sacerdoti facultatem præbere ad ordinandum aliquem in Presbyterum, vt docet D. Thom. *in addition.* 3. *part. quæſt.* 38. *art.* 1. Granad. *diſp.* 3. *num.* 3. Nuño. 3. *part. quæſt.* 38. *art.* 1. *in addit. ad* 6. Caſtro Palao *tract.* 27. *diſp. vnic. punct.* 5. *num.* 9. Auerſa, *quæſt.* 3. *ſect.* 3. & ratio eſt, quia conſecrare Sacerdotem, illique præbere facultatem ad conſecrandum verum, & reale Corpus Chriſti, & reconciliandos fideles, abſoluendo, vel ligando eos, eſt excellentiſſimum miniſterium, & inter omnes ſpirituales, & ſupernaturales facultates ſuperemineus: Ergo à ſolo Miniſtro conſecrato, & Principe Eccleſiæ habente facultatem ſupremam, vti eſt Epiſcopus, debuit impertiri.

*Quid ſit ad alios Ordines Sacros negant aliqui.*

26. Nunc reſtat maxima difficultas: An Pontifex poſſet præbere facultatem non Epiſcopo ad conferendos Ordines ſacros, vti eſt Subdiaconatus, & Diaconatus? Negant aliquem Ordinem ſacrum poſſe ex commiſſione Pontificis ab aliquo non Epiſcopo conferri, nec ad tribuendam talem facultatem habere poteſtatem, Sotus *in* 4. *diſp.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 1. Nuño, Gonet. *diſp.* 3. *art.* 1. Bonacin. Bellarm. *de Sacram. Ord. cap.* 7. *ad finem*, Enriquez, Layman, Couarro. *lib.* 10. *variar. cap.* 10. *num.* 10. Fornar. *de Sacram. Ord. cap.* 5. *num.* 2. Dicaſt. Sanchez, *dub.* 19. *num.* 10. qui citat Tabienam, Angles, Scotum, Paludanum, & Durandum, innixi principaliter loco D. Thom. 3. *part. quæſt.* 38. *art.* 1. *ad* 3. dicentis: *Aduertium dicendum, quod Papa, qui habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis, poteſt committere non Epiſcopo ea, quæ ad dignitatem Epiſcopalem pertinent, dummodò illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Chriſti, & ideò ex eius commiſſione poteſt aliquis Sacerdos ſimplex conferre minores Ordines, & confirmare; non autem aliquis non Sacerdos, nec iterùm Sacerdos maiores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Chriſti, ſuprà quod conſecrandum Papa non habet maiorem poteſtatem, quàm ſimplex Sacerdos.*

*Alij affirmant.*

27. Alij verò poſſe Pontificem præbere facultatem ſimplici Sacerdoti ad conferendum Ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus affirmant. Ità docent Rodriguez, *tom.* 2. *cap.* 14. Maior, *in* 4. *diſp.* 7 *quæſt. vnic.* Angelus, *in ſumm. ver. Ordo* 2. *num.* 2. Vazquez, Caſtro Palao, *punct.* 14. *num.* 10. Philibert. *cap.* 13. Leand. *quæſt.* 18. & 19. Tambur. *tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. Qui ex ipſo facto probant ex eo, quòd Abbas cuiuſdam Monaſterij Ciſtercienſis in Germaniâ à pluribus Pontificibus recepit poteſtatem, vt poſſet ſuos ſubditos Subdiaconos ordinare, vt refert Nauarro, *libr.* 5. *conſiliorum*, *tit. de priuilegijs*, *conſ.* 14. quòd ſe vidiſſe teſtatur Victoria, *in ſumm. de Sacram. num.* 227. Ita etiam teſtatur ſe vidiſſe illud Philibert. refert. etiam illud Maior, §. *ſecundò ſequitur*, & Rodriguez, 2. *de Regularib.* *tom.* 1. *quæſt.* 18. *art.* 3. & 4. & Herinx, *quæſt.* 5. Tambur. *quæſt.* 5. *num.* 1. Pelizar. *tract.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 3. *quæſt.* 7. n. Gabr. n. Ant. & ex. Pilott. n. Franc. Steph. & alij. Qui etiam addunt in dicto priuilegio contineri facultatem traditam dictis Abbatibus ad Subdiaconatum, & Diaconatum conferendum: & ſimile priuilegium conceſſum fuiſſe Benedictinis, refert Enriquez, *in addit. ad lib.* 10. *de Ordine.* Dicere autem Pontifices erraſſe in tali conceſſione, & ſuam facultatem exceſſiſſe temerarium videtur: maximè cùm ſit res adeò grauis, & ad mores non parùm conducens.

*Media via incedimus.*

28. Nos verò cum Granad. *contron.* 9. *tract.* 2. *diſp.* 2. *num.* 5. qui refert Ledeſm. Victor. Enriquez, Auerſa, Vibaldo, *in candelabro aureo* 1. *part. titul. de Sacram. Ord. num.* 17. Suarez, *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 11. Turriano, *in annotat. ad Concilium Nicæn. Canon.* 54. Angel. *Ordo* 2. *num.* 2. Machado, *tom.* 2. *part.* 6. *docum.* 9. Syluio, *quæſt.* 38. *art.* 1. aſſerimus poſſe Summum Pontificem præbere facultatem ad conferendum Ordinem Subdiaconatus, Diaconatus verò non ità, nec D. Thom. *loc. citat.* oppoſitum tenet. Ipſe enim locutus fuit de Ordinibus maioribus, & ſacris; qui omni tempore inter ſacros computati ſunt, qualiter non eſt Subdiaconatus, vt eſt omnibus notum, & hanc eſſe eius mentem ex eo liquet, quia loquitur de Ordinibus maioribus dicentibus immediatam habitudinem ad Corpus Chriſti, vti non eſt Subdiaconatus, qui ſolùm mediatam dicit eam, benè autem Sacerdotium, & Diaconatus, quia Sacerdos immediatè Corpus Chriſti conſecrare poteſt, & Diaconus illud tangere, & fidelibus per ſe ipſum corpus, & ſanguinem diſtribuere, ſaltem in abſentiâ Epiſcopi; quòd maximè dicendum eſt, cùm oppoſitum conſtet ex vſu Eccleſiæ.

*Soluuntur allegationes contrariæ.*

29. Priuilegia autem ſuprà relata ſolùm loquuntur de Subdiaconatu, & ita Victoria, qui ſe tale priuilegium vidiſſe teſtatur, ſolùm Subdiaconatum connumerat, & alij. Si qui autem ſunt, qui etiam priuilegium loqui de Diaconatu aſſerant, vt Gilbert. Vazquez, Pelizar. Tamburin. Auerſa, Leander. Lotb. *tract.* 7. *quæſt.* 2. & alij, vel non eſt illis omninò ſtandum, cùm oppoſitum grauiſſimi Auctores oſtendant, & ipſi de illo adhuc dubitent; vel dicendum eſt Pontifices id feciſſe (ſi verùm eſt tale feciſſe) ſequentes probabilem opinionem, quod multoties contigiſſe paſſim inuenies, maximè in *tractat. de Eucharistiâ*, vbi probabilior opinio docet, non poſſe Pontificem diſpenſare, vt Sacerdos panem ſine vino conſecret, & cum multoties id diſpenſatum cum aliquibus Regionibus offeratur, reſpondent Doctores illius opinionis, quod ſi ità factum eſt, ſequuti ſunt opinionem probabilem, quam ſequi, quandò non adeſt periculum, quod Miniſter inſtitutus inualidum aliquod Sacramentum conferat; non eſt inconueniens, vt à ſimili diximus *cap.* 3. *num.* 48.

PVNC-

Digitized by Google

## PVNCTVM II.

*Quibus ex iure competat poteſtas Ordines conferendi.*

*Ex conſuetudine non poteſt dari facultas ad ordinandum.*

30. ACtum eſt iam de Miniſtro ordinario ad conſerendos Ordines, & quibus poſſit talis facultas delegari. In hoc verò puncto videndum eſt, qui habeant de facto ex iure talem poteſtatem; diximus *ex iure*, nam ex conſuetudine, certiſſimum eſt apud omnes neminem poſſe habere facultatem Ordines confereodi, etiam ſi talis conſuetudo ex tempore immemoriabili ſit, nec poteſt ad hoc præſcriptio valère, eò quòd talis facultas eſt poteſtas Ordinis, & ideò ſine ordine, vel delegatione Pootificis (qui ratione ſuæ ſupremæ dignitatis eam conſerre poteſt) oulla conſuetudo eam poteſt iotroducere; ita communiter Doctores.

*Non poſſunt Parochi tonſurare.*

31. Sacerdotes ſimplices, aut Parochi non poſſunt primam tonſuram, vel Ordines cooferre, quia nullum datur priuilegium talem facultatem illis conferens, oec vſus, & praxis, ex quo poſſit deduci. Ita tenent communiter DD. Domioi autem Cardinales poſſunt primam tonſuram, & minores Ordines ſuis familiaribus coocedere, adhùc poſt reuocationem Concilij Tridentini infrà adducendam, non ſolùm ex coofuetudine, ſed ex facultate Summi Pontificis, quam adeſſe talis cooſuetudo probat. Ità Philib. *cap.* 10. *n.* 1. Dian. *p.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 5. qui refert plurimos.

*Qui poſſunt conferre minores Ordines.*

32. Inſuper omnes Abbates iuriſdictionem Epiſcopalem, aut quaſi Epiſcopalem habentes, poſſunt primam tonſuram, & Ordines minores conferre, & etiam alij Abbates Monachales, in quibus hæc trina conditio reperitur. Prima, quòd ſint Sacerdotes. Secunda, quòd ſint mitrati habentes ius ferendi annulum, Baculum, & Mitram. Tertia, quod ſiot conſecrati, aut benedicti ab Epiſcopo per impoſitionem illius maous, vel, vt inquit Philib. habeant facoltatem Pontificalia exercendi, etiamſi beoedicti non ſint, vel ſi Epiſcopus tertiò requiſitus, renuerit illos benedicere, vt notant Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 3. *n.* 6. imò Pellizar. *n.* 177. Tambur. *to.* 2. *diſ.* 293. qui aſſerunt ex ſpeciali iodulto Sedis Apoſtolicæ prædictos Abbates (etiamſi benedicti ooo ſint, nec benedicendi, eò quòd ſint ad tempus, vel trienoales, & benedictio ſit quaſi indelebilis) poſſe vti omnibus priuilegijs, quæ poſſunt Abbates mitrati, & benedicti. Ità doceot prædicti Auctores ex priuilegio Eug. IV. conceſſo S. Iuſtinæ de Paula, & Iulij II. cooceſſo Congregationi Vallis vmbroſæ.

*Non poſſunt omnes Prælati.*

33. Quæ facultas conferendi Ordines ex ioduko Pontificum alijs Prælatis, Prioribus, Guardianis, &c. per communicationem nequit competere, eo quòd ſolum Abbatibus prędictas conditiones habentibus ſpecialiter ſit conceſſum ratione propriæ, & ſpecialis digoitatis. Ita Tambur. *tom.* 2. *diſ.* 2. *q.* 2. *n.* 6. Philib. *n.* 7. Dian. 3. *part. tractat.* 2. *reſolut.* 15. Cùm ergò prædicti Abbates ex delegatioce Sedis Apoſtolicæ habeant poteſtatem Ordinis ad conferendam tonſuram, & Ordines minores, ſi electi fuerint Epiſcopi, & confirmati, vel ſint dati Admioiſtratores Eccleſiæ Cathedralis vacantis, etiamſi noo conſecrati, poſſunt omoes ſubditos ſuæ Diœceſis his Ordinibus initiare. Quod ſecùs accidit in alijs electis Epiſcopis non conſecratis, his enim deficit poteſtas Ordinis, & per electionem illis non cooſertur oiſi poteſtas iuriſdictionis, illi verò cum iam habeant poteſtatem Ordinis ad talem effectum, ſi accedat poteſtas iuriſdictionis ratiooe electionis, & coofirmatioois, poſſunt hos Ordines ſuis ſubditis præbère. Sic Sanchez, *tom* 2. *conſil. lib.* 7. *c.* 3. *dub.* 19. *n.* 18. ex multis.

34. Sed quæres primò: An poſt *decretum Concilij Tridentini ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de reformat.* reſtriogentis poteſtatem, quam Abbates prædicti habebant confereodi Ordines, non ſolùm ſuis ſubditis regularibus, ſed etiam ſæcularibus, in quos iuriſdictionem habebant temporalem, imò etiam alios ſiuè ſæculares, ſiuè regulares ex licentia ſuorum Prçlatorum reſpectiuè, vt ſolùm poſſent regulares ſibi ſubditos Ordinare, an oimirùm poſt tale decretum poſſint Abbates mitrati Baculum, & Mitram gereotes, & benedictionem modo dicto adepti, ſibi ſubditos ſæculares, vel alios ex liceotia ſuorum Prælatorum ordinare.

*Qui poſſunt ſæcularibus Ordines minores conferre.*

35. Reſpondetur cum diſtinctione: vel enim prædicti Abbates ſunt ex Magnatibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, huiuſmodi autem probabiliſſimum eſt adhùc poſt Tridentinum poſſe, quia cum ſint quaſi Epiſcopi in ſua dignitate, inter Abbates (non veniunt oomine Abbatum, quos *Tridentinum* vocat) illi qui Primates ſunt, & ſic talis reſtrictio reſpectu illorum noo habet locum, ſed æquè poſſunt, ac anteà fungi facultate conferendi Ordioes ſæcularibus ſibi ſubditis, & alijs ſiuè regularibus, ſiuè ſæcularibus, qui reſpectiuè litteras dimiſſorias à ſuis Prælatis acceperint. Ità Sanchez *n.* 17. Philib. *num.* 16. Auerſa, *quæſt.* 3. *ſect.* 3. Molſeſ. *tom.* 1. *ſumm. tract.* 22. *cap.* 17. Leaod. *tract* 6. *diſp.* 4. *q.* 10.

36. De alijs verò Abbatibus oon ità principalibus, etſi mitrati ſint: dicimus noo poſſe, ſed eorum priuilegia quoad hoc, quod eſt poſſe ſæculares ſibi ſubditos ordinare, fuiſſe per Concilium Tridentinum reuocata. Ibi eoim dicitur: *Abbatibus, & alijs quibuſcumque, quantumuis exemptis, non liceat in poſterum cuicumque, qui regularis ſibi ſubditus non ſit, tonſuram, vel minores Ordines conferre, non obſtantibus quibuſuis priuilegijs, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus.* Ità teoeot Auerſa, Eoriq. lib. 14. *c.* 18. *n.* 2. Dian. 4 *p. tract.* 4. *reſ.* 147. Pellizar. *ſect.* 3. *n.* 176. Caſtr. Palao, *tract.* 27. *diſp. vnic. punct.* 4. *n.* 4. Philib. *n.* 9. & ita declaraſſe Sacram Coogregatiooem Cardinalium, refert Stephao. Quaranta, *verb. Ordo* à Philib. *citatus*, & io Rota, & Sacra Congregatione ita fuiſſe deciſum, teſtatur Seraphin. 1. *p. deciſ.* 985. Barboſ. *alleg.* 3. *n.* 11. quos refert Palao, *ſup. n.* 4.

37. Noo deſuot autem Auctores aſſerentes, per dictum decretum oon fuiſſe reuocata prædicta priuilegia, & ſic poſſe poſt illud dictos Abbates ſuos ſubditos ſæculares minoribus Ordinibus ioitiare. Ita tenet Sanchez, *tom* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 19. & eam probabilem vocat Dian. *loc. cit.* & probaot hoc, quia priuilegium hoc Abbatibus conceſſum, eſt ioſertum in corpore iu-

ris, eſt etiam conceſſum à *Concilio Generali*, nempè à 7. *Synodo, c.* 14. & habetur in *cap. quorundam, diſ.* 69. ſed priuilegium inſertum in corpore iuris, vel conceſſum à Concilio generali non reuocatur, niſi de illo fiat ſpecialis mentio, quod in dicto Concilio, non inuenitur: Ergo.

Reſpondetur id verum non eſſe, quandò noua derogatio facta nequit verificari, niſi derogato priuilegio Concilij generalis, aut iuri inſerto, tunc enim illa generalis derogatio iam habetur vt ſpecialis, & ſic ſe habet derogatio facta à Tridentino. Nam ſi non auferret à dictis Abbatibus facultatem conferendi ordines niſi ſubditis regularibus, nihil faceret, vt conſideranti patebit, maximè cum reſpectu aliorum, qui ſibi ſubditi non ſunt, nunquam habuerint poteſtatem, niſi ex conceſſione ſuorum Superiorum, quod modò habere iam dicemus.

*Qui poſſunt ex licentia Epiſcopi proprij.*

38. At verò ſi ſæculares ſubditi, vel non ſubditi prædictorum Abbatum litteras dimiſſorias à ſuis Epiſcopis acceperint, vt dicti Abbates ipſis Ordines minores conferant, vel etiam regulares ſibi non ſubditi à ſuis Prælatis prædictas litteras afferant, poſſunt à dictis Abbatibus licitè ordinari, eo quòd ratione illius licentiæ, & conceſſione ſui proprij Prælati, iam fiunt ſui ſubditi reſpectu prædictorum Abbatum, quo ad hoc munus Ordines ſuſcipiendi, & ideò in hac parte non habet locum reuocatio Concilij Tridentini. Ita Tamburin. *quæſt.* 7. *num.* 3. qui plures refert, Philibert. *num* 15. Dian. 5. *part. tractat.* 13. *reſol* 93. Leand. *quæſt.* 12. & 13. Machad. *tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 3. *tractat.* 1. *docum.* 2. *num.* 2. Azorius, *moral. inſtitut. lib.* 12. *cap.* 20. *quæſt.* 7. *tom.* 1. Layman, *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 9. *num.* 2. Atquè ita fuiſſe decitum à Sacra Congregatione, refert compendium Mendicantium, in verbo *Ordines Sacri*, ſicut teſtantur Stephanus Quaranta, Vgolinus, Barboſa, citati à Philib. *num.* 15. vbi etiam affert ipſa verba declarationis Sacræ Congregationis. Aliam etiam declarationem ex Præpoſito, & alijs adducit Diana, *loc. cit.*

*Prædicti Abbates poſſunt Nouitios ſuos ordinare.*

39. Quæres ſecundò: An poſſint prædicti Abbates ſuos Nouitios ordinare, ſicut alios regulares, ſibi ſubditos? *Negant* Philib. *num.* 10. Palao, *tract.* 27. *diſ. vnic. punct.* 14. *num.* 6. Rodriguez, *tom.* 2. *quæſt.* 23. *art.* 2. & *alij*; eo quòd Nouitij nec ſint propriè regulares, nec plenè ſubditi Abbatibus, & Concilium ſolum concedit facultatem reſpectu regularium ſibi plenè ſubditorum. Affirmant verò, & nos cum illis Pelizar. *num.* 177. Layman, *num.* 2. Sanchez, *loc. cit. num.* 15. Leand. *quæſt.* 11. quia in fauorabilibus ſemper Nouitij veniunt nomine regularium, quare licèt non expediat, vt benè inquit Sanchez, eos ordinari, ne exeuntes extra Clauſtra Clericali inſigniti charactère, ad ſæcularium mores redeant, ex iuſta cauſa licitè id fieri poteſt, & factum ſemper tenebit.

*Si ſuos non ſubditos ordinarent, Ordinatio valida eſſet.*

40. Quæres tertiò: An ſi dicti Abbates ſibi non ſubditos ordinent, ordinatio valida eſſet? Reſpondetur, quòd quamuis aliqui Doctores iudicent irritam eſſe talem ordinationem, ac proindè debere repeti ab eo, qui ad alios Ordines aſcendere vellet; eo quòd ſine delegatione Summi Pontificis nullus præter Epiſcopum poteſt validè ordinare, vt conſtat ex dictis puncto præcedenti, vt Suarez, *tom* 4. *tractat.* 8. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 8. Auerſa, *quæſt.* 3. *ſect.* 3. §. *aliqui*, Paludan. *in* 4. *diſ.* 24. *quæſt.* 3. *num.* 12. Verius tamen dicendum eſt, tales Abbates, & ſi non licitè, validè tamen ordinare poſſe ſibi non ſubditos, ſicut Epiſcopus poteſt ſuos non ſubditos validè ordinare, & ideò licèt ſuſpenſi maneant prædicti ordinati ab executione ſui Ordinis, vſquè dum à proprio Epiſcopo ſuper tali ſuſpenſione abſoluantur, manent tamen verè ordinati, & ſic non debent prædictos Ordines repetere; quia facultas ad conferendos tales Ordines eſt conceſſa dictis Abbatibus abſolutè, & ſolùm limitatur ad licitè hoc faciendùm, ſicut illis prohibetur, vt extra ſuum Monaſterium hos Ordines conferant, & tamen ſi extrà illud conferrent, licèt peccarent mortaliter, factum nihilominus teneret. Ita Philib. *c.* 10. *n.* 15. Pelizar. *n.* 178. Tamburin. *diſp.* 2. *q.* 8. Sanchez, *loc. cit. n.* 17.

*Vicarius Epiſcopi nullo modo poteſt Ordines conferre.*

41. Quæres vltimò: An Vicarius Epiſcopi eo in remotis agente, poſſet tonſurare, vel Ordines minores conferre? ¶ Reſpondetur negatiuè, quia nullum extat ad hoc priuilegium, ius, aut praxis, & nec ipſe Epiſcopus poteſt ad hoc facultatem præbere, Leand. *q.* 15. Philib. *n.* 17.

*An peccet, qui in mortali Ordines confert.*

42. Sed nunc erat examinandum: An dictus Abbas peccaret mortaliter (& idem dicendum eſt de Epiſcopo) ſi in mortali dictos Ordines conferret. Conſtat tamen ex dictis *tract. de Sacram. in gener.* Quòd ſi iſti Ordines verè ſunt Sacramenta, peccaret mortaliter tam recipiens, quàm conferens eos in mortali; ſecùs verò ſi ſolùm ſint Sacramentalia, & quia vtrumque eſt probabile, probabile eſt peccare, & non peccare mortaliter, & ſi opinioni negatiuæ conformetur, aſſerendum eſt ipſum mortaliter non delinquere. Ità Sot. *in* 4. *diſ.* 25. *q.* 1. *art.* 4. §. *dubium ergo.*

## PVNCTVM III.

*De ſubiectione proprio Epiſcopo, quæ requiritur, vt licitè Ordines recipiantur.*

*Ordinatus ab alieno eſt ſuſpenſus.*

43. AD licitè Ordines recipiendos plures conditiones requiruntur, quas puncto 5. explicabimus, in hoc verò de illa dumtaxat loquemur, quam aſſignat *Concil. Tridentin.* & *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 3. & 8. Nimirum, quòd initiandus Ordinibus (etiam prima tonſurâ, quæ quoad hoc venit Ordinis nomine, vt docent communiter Doctores) debeat à Proprio Epiſcopo ordinari, vel ab alieno de licentia illius, quæ licentia quando conferenda ſit, dicemus *punct. ſequenti.* Si autem non à proprio, vel de licentia illius ordinatus fuerit, peccat mortaliter, & ſuſpenditur ab executione talis Ordinis, quouſq; proprio Epiſcopo viſum fuerit, & ordinans incurrit ſuſpenſionem à collatione Ordinum per annum, & per id tempus, quo ita ſuſpenſus eſt, ſi ſuſpenſio ſit notoria, vel notorietate facti, quia ſcilicèt Epiſcopus manifeſtè Ordinauit alienos ſine licentia proprij, vel notorietate iuris, quia in iudicio conuictus, confeſſuſque eſt, poſſunt ſui ſubditi Clerici ordinari abſque eius licentia à vicinis Epiſcopis. Sic habetur in *cap.* 2. *de tempore ordinan. in* 6. & *docet* Silveſter, *verbo Irregularitas, quæſt.* 9. & *ibi* Angelus, *num.* 32. Ar-

milla,

milla, *verbo Ordo, num.* 16. quæ facultas ſolis Clericis ſubditis Epiſcopo ſuſpenſo, hac præciſa cauſa, quia alienos ſinè licentia proprij ordinauit, competit, non autem laicis eidem Epiſcopo ſubiectis, quia non adeſt tanta neceſſitas, vt laicus ordinetur, quanta, vt Clericus Ordines alios recipiat. Ita Auerſa, *quæſt.* 3. *ſect.* 6. §. *vltimo*, Sanchez, *lib.* 7. *conſil. cap.* 1. *num.* 59.

*Qui proprius Epiſcopus dicatur.* 44. Sed nunc ſeſtat difficultas, quis dicatur proprius Epiſcopus, vt licitè Ordines conferat? tres conditiones aſſignantur *in cap. cùm nullus* 3. *de tempore ordinandorum, in* 6. vbi Bonifacius VIII. ſic inquit *Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cuius Diœceſi eſt hic, qui ad Ordines promoueri deſiderat oriundus, ſeu in cuius Diœceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet, licèt alibi natus fuerit, domicilium in eadem.* Quibus verbis tribus modis Epiſcopum eſſe proprium aſſeritur, vel ratione originis, vel ratione domicilij, vel Beneficij Eccleſiaſtici, quibus adde ex *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *de reform.* ratione familiaritatis, de quibus eſt nobis agendum, ſupponendo ex eodem Concilio hoc ſolùm procedere in Epiſcopis propriam Diœceſim habentibus, nam Epiſcopi titulares, qui vulgò dicuntur *de Anillo*, nullam habent poteſtatem ad Ordines conferendos etiam ſuis familiaribus, niſi ex licentia expreſſa proprij Epiſcopi, qui aliquâ ex his rationibus eſt proprius.

45. Sed nota, antequam ad ſingulas conditiones accedamus, quòd cum ex his quatuor rationibus dicatur proprius Epiſcopus alicuius in ordine ad Ordines recipiendos, ſi quis ratione originis eſſet alicuius Epiſcopi ſubditus, alterius ratione domicilij, alterius ratione Beneficij, alterius ratione famulatus, poſſet à quolibet ex his ordinari; imo ſi plura Beneficia Eccleſiaſtica in diuerſis Diœceſibus haberet, poſſet à quolibet ex Epiſcopis in ſua Diœceſi ordinari, quia iam eſt ſubditus illius, ſiuè in tali Diœceſi ſit oriundus, ſiuè domicilium habeat, &c. & per hoc quòd Beneficium habeat in unâ Diœceſi, ratione cuius eſt proprius vnius Epiſcopi, non tollit, quòd ſi habeat in aliâ Beneficium, ſit ratione illius proprius alterius, & etiam poteſt vnum Ordinem ab uno; & alium ab alio recipere. Ita Auerſa, *q.* 3. *ſect.* 4. Philib. *tract.* 1. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 8. Trullench. *lib.* 7. *c. vnic. dub.* 7. *n.* 20. & 27.

*Proprius ratione originis.* 46. Primò ergò dicitur aliquis proprius Epiſcopus ratione originis, quandò ordinandus natus eſt per ſe in ſua Diœceſi. Diximus *per ſe*, nam ſi parentes ibi per tranſitum exiſterent, nec domicilium eo loco contraxerint; ſed vel quia ad aliquod negotium ibi peragendum peruenerunt, vel ad aliquod officium ad tempus exercendum Prætoris, Procuratoris, &c. tunc non dicitur natus in illo loco, ſed oriundus cenſetur illius loci, in quo parentes domicilium habent. Ita communiter Doctores, Sanchez, *lib.* 3. *de matrimon. diſ.* 23. *n.* 3. Bonacin. *diſ.* 8. *q. vnic. punct.* 4. *n.* 13. Dicaſtill. *tract.* 6. *diſp.* 1. *dub.* 16. Caſtro Palao *tract.* 27. *diſ. vnic. punct.* 5. *num.* 2. Philibert. *cap.* 6. *num.* 8. At verò, ſi pater ordinandi natus fuerit in illa Diœceſi, etiam ſi ipſe alibi natus fuerit, iam cenſetur oriundus eius Diœceſis, vt poſſit à tali Epiſcopo ordinari. Ita Doctores citati, quibus adde Dianam, 4. *part. tractat.* 4. *reſol.* 198. Auerſ. *ſect.* 6. Trullench. *lib.* 4. *cap. vnic. dub.* 7. *num.* 4. & probatur *ex l. adſumptio*, §. 1. *ff. ad municipalem*, vbi dicitur: *Filium eſſe originarium ciuitatis, ex qua pater eius natus eſt*, ſed Epiſcopus poteſt originarium ſuæ Diœceſis ordinare: Ergò iſtum.



47. Sed nota cum prædictis Auctoribus ſolùm cenſeri locum originis filij illum, in quo pater natus eſt, non verò, in quo mater, & ideò ſi mater eius eſſet illius Diœceſis oriunda, non poſſet filius alibi natus ab eo Epiſcopo ordinari; niſi filius eſſet illegitimus, nam in his origo matris cenſetur etiam per fictionem iuris origo filij, non vero patris. At verò in expoſitis, quorum ignorantur parentes, ex loco, in quo expoſiti ſunt, originem trahere cenſentur. An verò ſufficiat, quod aliquis baptizatus ſit in aliqua Parochia, vt indè originem trahere dicatur? Affirmant Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 4. *n.* 3. ex Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 9. §. 1. *à num.* 105. Sed hoc debet intelligi, quando non conſtat de certo originis loco; aliàs minimè, quia hic agitur de origine naturali, non verò ſpirituali, & ideò indè debet ſumi, ubi aliquis naturaliter naſcitur. Aliàs plura incommoda ſequerentur, quandoquidem parentes filium natum in uno loco deferre poſſent ad alium, vt priuilegijs illius loci fungatur, quod in damnum, & fraudem propriæ Parochiæ, & illius loci, in quo baptizatur, multoties cederet, vt ex multis probat Trullench. *num.* 3.

48. Secundò dicitur proprius Epiſcopus quoad Ordines conferendos ratione domicilij. *Qui ſit proprius ratione domicilij.* Domicilium autem ab habitatione diſcernitur; quia hæc etiam ſine animo perpetuò manendi haberi poteſt; illud verò minimè. Itaquè domicilium acquiritur, quoties quis habitat, vel habitare incipit animo ibi perpetuo manendi, & non ſufficit ſola habitatio etiam per decennium, ſi animus abſit ibi manendi, ſicut non ſufficit animus recedendi dumtaxat à loco, vbi domicilium eſt contractum, ſed utrumque copulatiuè exigitur, nimirùm, & habitatio re ipſa habita, & animus perpetuò manendi; & vt domicilium deperdatur, etiam vtrumque requiritur, & animus recedendi, & realis receſſus. Quare ſi quis, poſtquam domicilium contraxit, animum haberet alibi ſe transferre, poſſet nihilominùs ab Epiſcopo illius loci ordinari. Ità Sanchez, *n.* 1. & 2. qui plurimos citat ex Iuriſtis Auerſa, Bonacin. *num.* 11. & 12. Caſtro Pal. *punct.* 15. Trullench. *lib.* 6. *cap. vnic. dub.* 7. Dicaſtill. *num.* 222. Philib. *cap.* 7.

49. Animum autem perpetuò manendi cenſetur quis habere, vel ſi expreſſis verbis ſuam voluntatem indicauerit, vel ſi per decennium in illo loco habitauerit, non ſignificata voluntate recedendi, vel ſi illùc domum emerit, aut maiorem partem ſuorum bonorum aſportauerit, atque his ſignis etiam in foro exteriori incola illius loci quoad honores, & priuilegia iudicabitur, niſi aliundè conſtet oppoſitæ voluntatis, ut ſi ſtudiorum cauſa, aut alicuius officij, vel muneris ad illum locum peruenerit, etiam ſi maiorem partem ſuorum bonorum aſportauerit, vel per decennium ibi duxerit, quià ſemper cenſetur habere animum recedendi. Si verò aliquis vel ſtudij causâ, vel alicuius officij ad lo- *Quomodo domicilium acquiratur.*

cum illum peruenerit, & illis finitis, ſignificauerit ſe, illic velle permanêre, vel domum emerit, vel bona ſua aſportauerit, iem domicilium contrahere cenſetur. Itê Doctores cit.

*Qui dicantur incolæ illius loci.*

50. Ex quo ſequitur, nec ſcholares in loco, in quo ſtudiorum cauſa degunt domicilium contrahere, nec poſſe ab Epiſcopo illius Diœceſis Ordines recipere. Barones verò, ſeù officiales perpetui, & eorum filij domicilium habent in ſuis oppidis, quæ in feudo, vel regimine poſſident, quamuis ibi non habitent, & ſic ab illorum locorum Epiſcopis poſſunt ordinari. Idem dicimus de Senatoribus, & alijs perpetuis Principis officialibus, & eorum filijs, quia quamuis ratione illius dignitatis, vel officij non fiant ciues illius vrbis, in qua ipſum exercent, vt conſtat ex *l. ciues, C. de incolis*, *lib.* 10. contrahunt tamen ibi domicilium, *l. Senatores*, habens etiam in duobus locis domicilium, in quibus æqualiter, vel ferè æqualiter degit, ab Epiſcopis illorum locorum poterit pro libito ordinari. Diximus æqualiter, quod accipiendum eſt non mathematicè, ſed moraliter, ita vt ferè per tot anni tempus in vno, aut in alio duxerit. Si verò in vno obiter dumtaxat degat, vel per breue tempus, vel recreationis gratiâ, ab Epiſcopo illius loci ordinari nequibit. Ità Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 4 *n.* 38. *& ex illo* Trullench, *loc. cit. n.* 13. Philib. *n.* 10. Sanch. *diſ.* 24. *n.* 2.

*Quomodò ratione beneficij ſit proprius.*

51. Tertiò fit aliquis Diœceſanus vnius Epiſcopi ratione beneficij reipſa adepti in ſua Diœceſi, & non ſufficit eſſe præſentatum ad illum, ſi reipsâ titulum, & poſſeſſionem eius non habeat; ſemel tamen beneficio recepto, etiam ſi tale beneficium ſit ſimplex, & non petat reſidentiam, ſufficit ad munus ſuſcipiendi Ordines ab illo Epiſcopo, in cuius Diœceſi eſt; & ratio eſt, quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: Atqui in *cap. cum nullus, de tempore Ordinand. in* 6. *citato* Bonifacius ſolùm ad hoc petit Beneficium Eccleſiaſticum, quod propriè eſt tale, ſiuè tenue, ſiuè magnum ſit, ſiuè reſidentiam exigat, ſiuè non: Ergo: Atque ita tenent Dicaſtill. Diana, 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 51. vbi plures refert, *&* 6. *part. tract.* 8. *reſol.* 24. Auerſa, *ſect.* 6. Trullench, *dub.* 7. Dicaſtill. *tract.* 27. *diſ. vnic. punct.* 16. *n.* 15. Philibert. *c.* 8. *n.* 2. *&* 14. Sanchez, *conſ. moral. lib.* 7. *c.* 3 *dub.* 23.

52. Beneficium autem debet eſſe perpetuum, & non ſufficit, ſi detur in commendam, ſi non datur in titulum: Hoc intellige niſi commenda ſit perpetua, quia iam tranſit in titulum; ſecùs verò ſi ſit ad tempus determinatum. Nec ſimiliter ſufficit Capellania temporalis, aut penſio habita in illo Epiſcopatu, quia nec talis Capellania, aut penſio eſt beneficium, Auerſa, *loc. cit.* Trullench, *loc cit. n.* 24. *&* 26. Philibert. *ſup. n.* 12. Sanch. *vbi ſup. n.* 8. Nauarr. *lib.* 1. *conſil. tit.* 18. *de filijs Presbyt. conſ.* 4.

*Primum quæſitum.*

53. Sed rogabis primò: An Epiſcopus poſſit diſpenſare in interſtitijs, vel legitimare ad minores Ordines eum, qui alibi habet domicilium, & eſt aliundè oriundus, ſi in ſua Diœceſi beneficium habeat? Negat Philibert. *num.* 13. *ex* Marco Antonino, *&* Nauarro; ſed verius reſpondendum eſt poſſe cum Barboſa, *de offic. Epiſc. alleg.* 4. *num.* 54. Trullench, *vbi ſup. num.* 21. Nicolao Garcia, *p.* 2. *de benef. cap.* 4. *num.* 14. quia cum ſubditus fiat illius quoad Ordines, etiam fit quoad omnia ad Ordines concernentia.

*Secundum quæſitum.*

54. Rogabis ſecundò: An ſi Epiſcopus eo animo, & intentione conferret beneficium, vt extraheret non ſubditum ſibi à iuriſdictione proprij Epiſcopi ad hoc, vt illi poſſet Ordines conferre, poſſet ratione beneficij illum ordinare? ¶ Negat Steph. Quaranta, *verb. Ordo, verſ. Circa ſecundum*, Barboſ. *dict. alleg.* 4. *num.* 57. Philibert. *loc. cit. num.* 9. eo quòd talis collatio beneficij eſſet in fraudem legis, vt ſcilicet non ſibi ſubditum à iuriſdictione proprij Epiſcopi extraheret, & fraus nemini debet patrocinari. Dubitat verò Campanilis, *in diuerſor. iur. rubric.* 9. *num.* 17. Trullench, *lib.* 6. *cap. vnic. dub.* 7. *num.* 25, & non cum illis: quia tametſi in fraudem huiuſcemodi beneficium obtinuerit, & fortè peccarent; verè tamen, & ritè eſt beneficiatus illius Diœceſis, quod, & non ampliùs petitur, vt poſſit ab Epiſcopo Ordinari, & fraudem legi non facit, qui vtitur iure ſuo recipiendo id, quod ad ſuam vtilitatem ſpectat.

*Quomodò ſit proprius ratione famulatus.*

55. Quartò fit aliquis ſubditus Epiſcopi quoad Ordines recipiendos ratione familiaritatis; quia ſcilicet eſt illius familiaris, cuius duplicem aſſignat conditionem *Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *de reform. Si per triennium fuerit ſecum commoratus, & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat.* Per beneficium autem ſtatim conferendum, intelligit Vazquez, *diſ.* 243. beneficium, quod primò vacauerit; ſed Auerſa, *quæſt.* 3. *ſect.* 6. Philibert. *tract.* 2. *de Ordine*, *p.* 5. *cap.* 9. & alij apud ipſum iuxta quaſdam Sacræ Congregationis declarationes, & Romanæ Rotæ deciſiones dicunt, debere intelligi intra decem dies à vacatione eius; & ideò beneficium, quod ſtatim debet conferre ſuo familiari Epiſcopus ad hoc munus, iam debet eſſe vacans, aliàs periculo diutius immorandi in conceſſione illius contra præceptum Concilij ſe exponeret.

56. Poteſt ergò Epiſcopus ex vi huius indulti ordinare familiares ſuos, alijs titulis ſibi non ſubditos; dummodò ſtatim eis conferat beneficium modo dicto, & non requiritur, quòd actu illis iam beneficium contulerit, vt non ita benè dixit Ledeſm. *tract. de Ord. cap.* 5. *concluſ.* 9. quia poſt acceptum beneficium iam eſt ſuus Diœceſanus modo dicto, & ſic nil in prædicto decreto eis Concilium contuliſſet. Vt ergò ex vi huius tituli famulatus Ordinari poſſit, non requiritur, quòd ratione beneficij habiti id ipſum poſſet, Sanchez, *lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 20. *num.* 25. per familiares autem intelliguntur omnes, qui viuunt in obſequio Epiſcopi, aluntur ſuis expenſis, quamuis non habitent in eius Palatio; dummodo in illo loco, in quo eſt Epiſcopus degant; ſi autem in remotis habitent, videlicet vel extra Prouinciam per decem leucas ſecundùm aliquos, & ſecundùm alios per duplicem diætam, etiamſi Epiſcopi expenſis alantur, hoc priuilegio non funguntur.

*Seruientes familiaribus Epiſcopi funguntur hoc priuilegio.*

57. Et ſi quæras: An famuli ipſorum familiarium, qui deſeruiunt familiaribus ipſis immediatè Epiſcopo miniſtrantibus, poſſint ordinari ab illo ex vi præciſè huius tituli famulatus? Affirmant Sanchez, *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 20. *num.* 24. Auerſa, *q.* 3 *ſect.* 6. Diana, 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 145.

dum-

dummodò fraus ceſſet, & occaſione huius Epiſcopus plures famulos ſuorum familiarium non permittat, & ipſius Epiſcopi expenſis alantur, vt benè aduertit Enriquez, *lib. 14. de irregul. cap. 17. num. 3.* Et ratio eſt, quia famuli familiarium Epiſcopi eius expenſis aliti, Epiſcopi famuli cenſentur, eorumque potiuntur priuilegijs, ſicut famuli familiarium Cardinalium gaudent priuilegijs ipſorum familiarium, vt ait Salicet. *l. 2. C. de Epiſcop. & Cleric. n. 8.* ergò ſimiliter in noſtro caſu.

## PVNCTVM IV.

*Quis poteſt licentiam, ſeu litteras dimiſſorias, vulgò* Reuerendas *præbere in ordine ad ſuſcipiendos Ordines.*

*Epiſcopus poteſt litteras dimiſſorias ſuis ſubditis præbere.*

58. EPiſcopus regulariter debet ſuos ſubditos ordinare; ſi autem ipſe iuſtâ, & rationabili causâ impeditus ſit, vt nec ſimpliciter, nec commodè Ordines valeat conferre, poteſt ſuis ſubditis (qui aliquo ex quatuor titulis ſuprà dictis ſubditi ſibi ſunt quoad ordines) præbere litteras dimiſſorias, vt ab alio Epiſcopo ordinentur. Ita *Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 3. de reform.* & quamuis ibi Concilium ſolùm infirmitatem Epiſcopi aſſignet, pro impedimento non conferendi Ordines, ponitur tamen exempli gratiâ, & ſic eadem eſt ratio de quacumque aliâ rationabili causâ. Priùs tamen, quàm dictas litteras conferat, debet examinare ordinandum de ſcientiâ, de vitâ, &c. Et ideò ille Epiſcopus, ad quem mittitur qui ordinandus eſt, poterit eum ordinare, nullo præuio examine; quia ſtare poteſt examini ab altero facto; ſi tamen illum examinare voluerit, poterit, & ſi ineptum iudicauerit, reprobare. Licentia autem ſemel data, non expirat morte concedentis, etiamſi alius Epiſcopus eius loco ſucceſſerit, quamdiù iſte licentias à ſuo prædeceſſore, aut à Capitulo, Sede vacante, datas non reuocauerit, Auerſa, *q. 3. ſect. 7.* Bonacin. *diſ. 8. q. vnic. punct. 5. num. 21.* Imò ſi tempore intermedio ille, qui licentiam obtinuit, alicui cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubiaceat, ſuſpenditur pro eo tempore, quo eſt illâ irretitus, licentia; non autem ſpirat, ſed quandò abſolutionem obtinuerit, eâ vti poterit Ledeſma, *in ſumm. 1. p. c. 8. de Ordin. concl. 4.* Trullench, *lib. 6. cap. vnic. dub. 8. n. 11.*

*Etiam excommunicatus, hæreticus, interdictus.*

59. Quilibet Epiſcopus propriam Diœceſim habens, etiam ſi conſecratus non ſit; ſi tamen eſt electus, & à Papâ confirmatus, poterit litteras dimiſſorias præbere. Sanchez, *lib. 7. Conſil. Mor. cap. 3. dub 20. num. 31.* Quia non eſt actus Ordinis, niſi iuriſdictionis, quam per electionem, & confirmationem, poſſeſſione iam ſecutâ, habet. At ſi excommunicatus declaratus fuerit, poterit ſimiles licentias præbêre, ſecundùm Ledeſmam, *8. concluſ. 4. diff. 2.* Sicut poteſt confeſſarios approbare, & ſuis ſubditis licentiam præbere, vt ab alio Epiſcopo confirmentur. Ità etiam Trullench, *num. 9.* Sed oppoſitum, & meritò tenet Barboſa, *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 7. num. 4.* *vbi* iudicat dimiſſorias ab Epiſcopo excommunicato, aut ſuſpenſo inualidas eſſe, & quòd ſubditus poteſt facere ſe ordinari à viciniori Epiſcopo; ſi probet ſuum Epiſcopum excommunicatum eſſe, quod probat ex *cap. 2. de temp. ordin. in 6.* & quia dimiſſorias dare eſt actus iuriſdictionis, quâ per excommunicationem eſt priuatus.

60. Poteſt etiam Epiſcopus abſens à ſua Diœceſi, & in alia exiſtens, dictas litteras præbere, cùm in hoc non exerceat iuriſdictionem contentioſam. Ita Barboſ. *loc. cit. num. 29.* & Gauantus, *in Manuali Epiſcopor. verb. litteræ dimiſſoriæ, num. 11.* Non autem eſt neceſſe, vt ad ſingulos Ordines ſacros in particulari has litteras conferat, licèt ſit magis expediens, ſed poterit, iuſtâ cauſâ interueniente, concedere litteras dimiſſorias ad omnes Ordines ſacros. Philibert. *tract. 1. p. 6. c. 3. n. 20.* ex Rebuf. *in praxi benefic. lib. 1. c. 9. n. 4.*

*Quomodo licentia præbenda ſit.*

61. Non eſt neceſſe, quòd licentia data ab vno Epiſcopo, vt ab alio quis ordinetur, ſit in ſcriptis, ſed ſufficit ſi conſtet de illa, vel per litteras concludentes, vel per teſtimonium publicum, vel per teſtes. Ita Sanchez, *num. 4.* Auerſa. Quando autem per litteras confertur huiuſmodi licentia, cauſam continere debet, ob quam proprius Epiſcopus à collatione Ordinum excuſetur. Ità *Tridem. ſeſſ. 7. c. 11. de reform.* niſi ex conſuetudine recepta in aliquâ Prouinciâ id fieri non ſoleat, vt probat Sanchez, *num. 5.* ex Rebuſo, & Salcedo. In dictis litteris exprimendi ſunt Ordines, pro quibus dantur. Si autem ſolùm in eis ad Ordines recipiendos licentia exprimatur, ſolùm de minoribus, non de ſacris intelligendæ ſunt. Et ſi ad Subdiaconatum tantum exprimantur, non valent ad alios Ordines ſacros. Similiter ſi in eis ſolum detur facultas, vt à tali Epiſcopo ordinetur, non poterit ab alio; qui ſecus fecerit, perindè eſſet, ac ſi abſque dictis litteris ordinaretur. Quando autem generaliter conceduntur, vt ordinetur à quocumque Antiſtite gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, ſi aliquis ab excommunicato, ſuſpenſo, hæretico, ſchiſmatico ordinaretur, perinde eſſet, ac ſi ordinatus fuiſſet ſine litteris dimiſſorijs; eo quod iſti non dicuntur habere gratiam, aut communionem Sedis Apoſtolicæ. Ita Sanchez, *vbi ſup. n. 4. ex multis.*

*Vicarius Epiſcopi non poteſt dare dimiſſorias litteras.*

62. Vicarius Epiſcopi Generalis, qui dicitur Prouiſor ex generali conceſſione ſibi commiſſâ, niſi aliqua ei expreſſa facultas ab Epiſcopo conferatur, non poteſt litteras dimiſſorias concedere; poterit tamen, ſi Epiſcopus in remotis exiſtat, vel quia eſt extra Prouinciam, vel per duas diētas, aut etiam vnam à Diœceſi diſtans. Ita communiter Doctores. Poterit tamen legatus à latere illas præbere, vt inquit Graff. *lib. 4. de ceſſ. cap. 17.* quod tamen negat Nauarrus, *de tempore ordinand. Conſil. 27.* & ideò in hoc conſuetudini ſtandum eſt, vt benè ait Auerſa, *q. 3. ſect. 7.*

63. Maior difficultas eſt, An poſſit Epiſcopus ordinare ſubditum alterius abſque dictis litteris, aut expreſſâ licentiâ ſub ſpe ratihabitionis de futuro? Affirmat Diana, *3. p. tract. 4. reſol. 591.* ex Villalobos, *in ſumm. tom. 1. tract. 51. difficul. 9. num 8.* & Ledeſma, *concluſ. 5.* Paludan. *in 4. dub. 16. q. 5. art. 2. caſ. 19.* quam etiam admittit Trullench, *num. 14.* quando Epiſcopi ſunt inter ſe valdè amici, vel ſubditus ergà pro-

prium magnam habet familiaritatem: quia tunc iudicandum eſt ipſum ratam habere talem ordinationem, & furtum non facit, qui credit domino placere. Sic etiam tenent alij plures, quos refert Sanchez, *lib.7. cap.3. dub.20. num.12.*

*Non poteſt Epiſcopus non ſubditum ordinare ſine licentia proprij ſub ſpe ratihabitionis.*

64. Sed ipſe *Sanchez*, ibi, *num.* 13. Bonacin. *loc. cit. num.* 28. Auerſa, Philibert. *cap.* 11. *num.* 13. & alij plures meritò negant talem ordinationem ſub ſpe futuræ ratihabitionis licitam eſſe. Tùm quia in *Concilio Tridem.* exigitur licentia expreſſa Antiſtitis proprij. Tùm etiam, quia in his, quæ contrà iuriſdictionem alterius aguntur, non eſt præſumenda illius voluntas, maximè hoc tempore, in quo tot lites circà iuriſdictionem cuiuſque exoriuntur. Tùm deniquè, quia anſa præberetur indè, vt Epiſcopus alienos ſubditos ordinaret ſub colore ratihabitionis futuræ, & ſic inter illos pax turbaretur, maximaque inconuenientia pullularent, & ideò ſic ordinans pœnam ſuſpenſionis incurreret non minus, quàm ſi abſquè licentià proprij Antiſtitis Ordines conferret, vt aſſerunt prædicti Auctores, quidquid in oppoſitum dicat Leander, *tract.6. diſ.3. q.32.* multos pro ſuo placito congerens. Epiſcopus autem poterit ratam habere talem ordinationem, nec erit neceſſarius ad hoc recurſus ad ſummum Pontificem, vt aſſerit Sanchez, *num.* 15. quia ipſe poteſt ſubditum abſque ſuà licentia ordinatum à ſuſpenſione executionis Ordinis abſoluere, vt ſibi concedit Tridentinum; quà abſolutione ſecutà, gaudet omnibus priuilegijs, ac ſi eſſet ritè ordinatus. Ita Auerſa, *loco cit.*

*Capitulum in Sede vacante non poteſt dare litteras dimiſſorias.*

65. Capitulum, Sede vacante, licèt olim haberet facultatem ad præbendas huiuſmodi litteras, ex *cap. cum nullus de temp. ord. in 6.* hæc tamen facultas coarctata eſt à *Concilio Tridentino*, *ſeſſ.23. cap.* 10. vt non poſſet capitulum, Sede vacante, nec Vicarius ab eo aſſignatus, dictas litteras præbere, niſi in duobus caſibus. Primò elapſo anno à die obitus Antiſtitis. Secundò quandò aliquis eſt coarctatus ad recipiendos Ordines intrà illum annum ratione beneficij accepti, vel accipiendi, quia videlicèt vel habet Beneficium Parochiale poſtulans, vt intra annum Presbyter ordinetur, vel Præbendam, vel Capellaniam petens perſonale obſequium alicuius Ordinis, vel eſt vocatus, vel nominatus, aut præſentatus ad aliquod Beneficium, vel Capellaniam ſimili modo petens quòd ordinetur. Si autem abſquè his conditionibus licentiam præberet, etiam ad primam tonſuram, Capitulum ſubiacebit interdicto Eccleſiaſtico, ordinatus, ſi fuerit in Ordinibus ſacris, ab executione illorum ſuſpenditur ad beneplacitum Epiſcopi futuri, ſi minoribus, priuatur priuilegijs Clericalibus, maximè in criminalibus, ſed hoc poſt ſententiam iudicis, vt aſſerunt, Sanch. Philibert. Auerſ. Trullenq. *citati.* Vicarius autem Capituli, ſi tales licentias præbeat, non ſeruatis dictis conditionibus, ab officio, & beneficio per annum ſuſpenditur, vt inquit *Concil. ſeſſ.* 23. *cap.* 10. Requiritur tamen actus conſummatio, vt tales pœnæ incurrantur, ſcilicèt quòd de facto, qui litteras accepit, ſub prætextu illarum ordinetur.

*Poteſt dare Capitulum litteras teſtimoniales.*

66. Poterit tamen Capitulum intrà illum annum litteras teſtimoniales præbere de vita, & moribus, & ſufficientia ordinandi, illi, qui aliàs licentiam haberet, vt ab Epiſcopo alieno ordinaretur, quia hoc non eſt dare litteras dimiſſorias. Imò ſi aliquis haberet facultatem à Summo Pontifice, vt à quolibet Epiſcopo ordinaretur, habità approbatione proprij ordinarij, poterit Capitulum, Sede vacante, & eius Vicarius hanc approbationem facere, & teſtimonium de illà exhibere. Imò licentiam dare alieno Epiſcopo, vt intrà Diœceſim ordinaret non ſubditos illius Diœceſis, ſed ſubditos ipſius Epiſcopi, qui ordinationes faceret. Ita Sanchez, Bonacina, Dicaſtillo, Palao, Auerſa, Trullenq, Philibert. & alij.

*Abbates, qui poſſunt Ordinare, poſſunt licentiam illis dare, vt ab alijs ordinentur.*

67. Abbates verò, qui intrà Diœceſim alicuius Epiſcopi habent iuriſdictionem; etiam ſi mitrati ſint, & benedicti, Baculo, Mitrà, & Annulo vtentes non poſſunt dare litteras dimiſſorias ſuis ſubditis ſæcularibus, vt ab alieno Epiſcopo ordinentur, ſed à proprio Epiſcopo eas obtinere debent, vt conſtat ex dictis *hoc cap. num.* 36. Poſſunt tamen ſuis ſubditis regularibus, quos initiare tonſurà, & ordinibus minoribus poterant, licentiam, & litteras præbere, vt non ſolùm ab alieno Epiſcopo, ſed etiam ab alio Abbate mitrato ordinentur iuxtà ibidem dicta. Abbates verò Magnates iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes poſſunt ſuis ſubditis ſæcularibus licentias præbere, ſicut eos ad confeſſionem approbare, vt à quolibet Antiſtite tàm minoribus, quam maioribus Ordinibus initientur. Ita Molf. *tom.* 1 *ſum. tract.* 2. *cap.2. & cap.*17. afferens Sacræ Congregationis deciſionem, & cum alijs pluribus Philibert. *cap.*4. *n.* 17. Afferens etiam quandam Rotæ deciſionem. Videatur Sanch. *Conſil. Mor. tom.2. lib.7. cap.* 3 *dub.21. per totum.*

*Religioſi à ſuis Prælatis litteras dimiſſorias recipiunt.*

68. Regulares à ſuis proprijs Prælatis, qui ordinariam reſpectu illorum iuriſdictionem habent, & ſunt Ordinarij illorum abſolutè, vt ſunt Prouinciales, & Generales, litteras dimiſſorias recipiunt, vt ordinari poſſint à quocumque Epiſcopo, ſiuè hoc habeant ex conſuetudine, ſiuè ex ipsâ inſtitutione Ordinum, & exemptione illorum conceſſâ à Summis Pontificibus. Nam hoc ipſo quòd ſint à iuriſdictione Epiſcoporum exempti, & regularibus Prælatis ſubditi, illorum eſt talem licentiam præbêre, qui meliùs norunt vitam, mores, & ſufficientiam ſingulorum, ſiue hoc habeant ex ſpeciali priuilegio Sixti V. & Clementis VIII. quod referunt Quaranta, *verbo Ordo*, Philibert. *cap.4. num* 3. Diana, 2. *p. tract.*16. *reſol.*15. & eſt commune inter Doctores. Vnde ſi Religioſus ſine tali licentia ordinaretur, peccaret mortaliter, & incurreret ſuſpenſionem latam à Pio II. & in pœnas à Sixto V. impoſitas contrà eos, qui abſque licentia proprij Paſtoris ordinantur. Illi verò, qui eiecti ſunt à Religione, à proprio Epiſcopo originis, vel domicilij ſicut poſſunt ordinari (niſi aliquâ cenſurâ ſint irretiti) ità & litteras dimiſſorias recipere. Ita Sanchez, *lib.7. cap.3. dub.*24. Trullenq. *ubi ſup. num.*16. *in fin.*

*Quomodo Prælati regulares debeant dimiſſorias concedere?*

69. Sed Prælati regulares ex mandato Clem. VIII. debent litteras dirigere ad Epiſcopum Diœceſanum eiuſdem Monaſterij, quo abſente, vel non ordinationes habente, ad quemcumque alium, dummodo in illis exprimatur talis cauſa, nimirùm, vel de abſentià Epiſcopi

Digitized by Google

pi Diœceſani, vel de ordinationibus ab eo non habendis ſub pœna priuationis officij, & dignitatis, & vocis actiuè, & paſſiuè: *Quod decretum* (inquit Caſtro Palao, *tract.* 27. *diſ. vnic. punct.* 16. *num.*8.) *non videtur vſu receptum; ſiquidem paſſim Prælati regulares, dimiſſorias concedunt, vt eorum ſubditi à quocumque Antiſtite Ordines celebrante initiari poſſint, quin vllam mentionem faciant, an prius Epiſcopus abſens fuerit, vel Ordines noluerit celebrare.* Sed hæc omnia intelligenda ſunt de Regularibus exemptis. Illi verò, qui exempti non ſunt, non à Prælatis regularibus, ſed à Diœceſanis Epiſcopis litteras, dimiſſorias debent obtinere. Vt benè notat Sanchez *dub.* 20. *num.*45.

*Nouitij ad minores Ordines, non ad maiores poſſunt dimiſſorias accipere.*

70. An verò Nouitij poſſint à prædictis regularibus Prælatis litteras dimiſſorias accipere? Negat Philibertus, *tract.*1. *p.*6. *cap.* 4. *num.*8. *plures afferens Doctores.* Sed oppoſitum, & meritò, docent Auerſa, *ſect.*7. §. *adhuc tamen dubitatur.* Leander, *tract.* 6. *diſ.*10. *q.*10. Diana, 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 7. & 3. *p. tract.* 2. *reſol.*7. N. Ant. *ſect.*3, dicentes, nouitios gaudere omnibus priuilegiis, ac alij profeſſi, & ſic poſſe non minus, ac cæteri Religioſi litteras dimiſſorias à ſuis proprijs Prælatis accipere. Excipiendum eſt tamen ad ordinationem in ſacris, ad titulum paupertatis (inquit Auerſa:) ſed hæc limitatio neceſſaria non eſt, cum nouitijs ante emiſſam profeſſionem prohibitum ſit ſacros Ordines recipere ſub varijs pœnis à Pio V. in quâdam *Bulla editâ* 1568. quæ incipit, *Romanus Pontifex ſacrorum*, vt refert Philibertus, *num.*6. & ſic ad ſacros Ordines, nec ad titulum paupertatis patrimonij, aut beneficij poſſunt recipere dimiſſorias à ſuis Prælatis.

## PVNCTVM V.

### *De alijs conditionibus ad licitè Ordines recipiendos, & conferendos requiſitis.*

*Requiritur, quod ſit in gratiâ ad licitè ſuſcipiendos Ordines.*

71. VLtrà dicta requiruntur, vt licitè Ordines conferantur, aliæ conditiones, & ſit prima illa generalis qualitas, quod non ſit in peccato mortali conferens, aut recipiens. Vterque enim peccabit mortaliter, ſi anteà vel per confeſſionem, aut contritionem non ſe ad gratiam diſponat. Si verò primâ tonſurâ initietur, aut minoribus Ordinibus, in ſententia illorum, qui aſſerunt non eſſe Sacramenta, non peccabit mortaliter, qui confert, aut ſuſcipit in mortali, vt notauit Nauarr. *in ſumm. cap.*22. *num.*18. & iam peccabit mortaliter, qui ſuſciperet Ordines, vel conferret aliquâ cenſurâ, vel inhabilitate innodatus, & hoc etiam ſi ſint Ordines minores, aut prima tonſura, quia immiſcet ſe in diuinis contrà impedimentum, quo ab alijs rebus ſacris arcetur, & vltrà hoc recipiens manet ſuſpenſus ab executione Ordinis recepti, vt conſtat *ex cap. cum illorum, de ſent. excomm.* Conferens verò incurrit ipſo facto irregularitatem, quia exercet actum Ordinis ligatus cenſurâ Eccleſiaſticâ, & hoc verum eſt, ſiuè ex iure ordinario, ſiuè ex delegatione tales Ordines conferat, vt notauit Auerſa, *q.*3. *ſect.* 8.

*Requiritur, quòd non ſit irregularis.*

72. Secundò requiritur, quòd non ſit irregularis, nam irregularitas, tametſi ad validam ordinationem non obſtet, impedit tamen licitam, & ſic peccaret mortaliter irregularis, qui ad ſuſceptionem Ordinum, & etiam primæ tonſuræ, quæ eſt diſpoſitio ad illos, accederet, eo quòd irregularitas eſt inhabilitas ad Ordines ſuſcipiendos, & maneret ab executione Ordinum ſuſpenſus. Quæ autem ſint irregularitates, & quis ab eis poſſit abſoluere, & alia his ſimilia? Conſtabit ex dicendis Tractatu de cenſuris.

*Requiritur, quod ſit baptizatus, & confirmatus.*

73. Tertiò requiritur, quòd ſit baptizatus. Qui autem ante Baptiſmum ad Ordines ſuſcipiendos accederet, non ſolùm peccaret mortaliter, ſed verè ordinatus non eſſet, & ideò poſt Baptiſmum reordinandus eſt, eo quod character Ordinis neceſſariò neceſſitate Sacramenti Baptiſmi characterem ſupponat, D. Thom. 3. *p. q.* 35. *in addit. art.* 3. Imo etiam debet eſſe confirmatus non ea neceſſitate Sacramenti (validè enim abſque Confirmatione Ordo ſuſcipitur) ſed ex neceſſitate præcepti, D. Thom. ibi, *art.*4. An verò hoc præceptum ſit graue, ità vt peccaret mortaliter, qui, non præmiſſa Confirmatione, Ordines ſuſciperet? Reſpond. negatiuè, ſed ſolum venialiter, cum Soto, *in* 4. *diſ* 4. *art.* 8. *concluſ.* 3. & *diſ.* 24. *q.* 1. *art.* 4. Nauarro, *num* 9. Victor. *in ſumm. de Ord. num.* 48. Suarez, *de Sacram. diſ.* 38. *ſect.* 1. Coninch. *de Sacram. q.* 72. *art.* 9. *num.* 90. Philibert. *tract.*1. *p.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. & ratio illius eſt, quia nullus eſt ſub lætali culpa obligandus, niſi manifeſtè conſtet de lege ſic præcipiente; in iure autem Canonico nulla adeſt lex præcipiens, quòd ordinandus confirmatus eſſe debeat, nam ſi quæ eſſet, maximè illa verba *Concilij Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *Primâ tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*, quæ verba non præceptum, ſed decentiam, & grauitatem importare, dicunt Auctores.

*Debet prius munus Ordinis ſuſcepti exercuiſſe.*

74. Debet etiam qui aliquo Ordine ſacro initiandus eſt, prius exercuiſſe munus Ordinis iam recepti; alioquin ad altiores Ordines non poteſt aſcendere, vt conſtat ex *Trident. ſeſſ.* 23. *c.*11. & 13. Nam conſecratio ad aliquam actionem datur propter ipſam actionem. An autem peccaret mortaliter, qui abſque exercitio in Ordine ſacro ſuſcepto, ad alios aſcenderet? Reſpondetur negatiuè, quia nullibi de hac re præceptum inuenitur, ſolùm poſſent adduci verba Concilij: *Ac in vno quoque Ordine iuxtà præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant, idque in eâ, cui adſcripti ſunt, Eccleſiâ.* Hæc autem verba conſultiua ſunt, non præceptiua, & ideò niſi detur Epiſcopi præceptum, nulla erit lætalis culpa omiſſio huius exercitij, nec Epiſcopi ſunt de hoc miniſterio ita ſoliciti, vt illud omittentes repellant à ſuſceptione Ordinum ſuperiorum. Ita Philibert. *p.*10. *cap.* 7.

*In ſua Diœceſi debet Epiſcopus Ordines conferre.*

75. Quintò requiritur proprius locus, nimirum exiſtentia in propria Diœceſi ad Ordines conferendos, ſi enim in aliena, abſque licentia proprij Antiſtitis, eos Epiſcopus conferat, peccabit mortaliter, & ipſe ipſo facto incurret ſuſpen-

ſionem ab exercitio Pontificalium, & ordinatus ab executione Ordinum, quos ſuſcepit. Ita *Concil. Trident. ſeſſ 6. de reform. cap.* 5. Excipe tamen primam tonſuram, quam ſi in alieoa Diœceſi Epiſcopus proprio ſubdito conferat in ſecreto, nec peccabit mortaliter, nec pœnam ſuſpenſioois incurret: Concilium enim ſolùm prohibuit Epiſcopum Pontificalia exercêre in aliena Diœceſi, & ſic conferre Ordines, quod eſt exercitium Pontificalium, non verò primam tonſuram, quæ ſi in ſecreto conferatur, abſque Pontificalibus queit conferri. Atque ita docent Philib. *part.* 5. *cap.* 10. *num.* 9. Villalob. *tractat.* 8. *diffic.* 7. *num.* 17. Enriquez, Bonacin. Leand. *tract.* 6. *diſ* 8. *q.* 29. Dian. 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 143. & alij ab iſtis citati.

*In aliena Diœceſi ex licentia proprij Antiſtitis.*

76. Sed quæres: An ſi Epiſcopus rogatus eſſet ab alio, vt in ſua Diœceſi Ordines generales exerceret, poſſet tunc ordinare non ſolùm ſubditos illius Diœceſis, in quâ Ordines celebrat, ſed etiam ſuos, vel alienos à proprijs Ordinarijs litteras dimiſſorias habentes? Affirmatiuè reſpondendum eſt, quia ſub licentia ad Ordines generales exercendos totum clauditur; ſecùs autem contingeret, ſi ſolùm ad conferendos Ordines perſonis particularibus inuitaretur. Ita tenent Diana *loc. cit. reſol.* 144. Leand. *quæſt.* 30. Philibert. *num.* 16. Villabolos, *tract* 11. *diffic.* 9. *num.* 9. Bonacin. & alij.

77. Sed objicies, quod *Conc. Trident. ſeſſ.* 6. *de reformat. cap.* 5. dicens: *Nulli Epiſcopo liceat cuiuſvis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantum.* ¶ Reſpondetur Concilium loqui de ordinantibus ſub prætextu alicuius priuilegij, non verò de illis, qui licentiâ vniuerſali iam dictâ vtuntur.

*Quo tempore Ordines ſint conferendi.*

78. Ampliùs requiritur determinatum tempus, quo Ordines debent conferri; videlicet prima tonſura quovis anni tempore, Ordines minores ex conſuetudine feriâ ſextâ proximâ Sabbatis, in quibus maiores conferuntur, vel in ipſis Sabbatis, vel etiam quauis Dominicâ, & die feſto anni, ſi Ordines facti diebus Dominicis, aut feſtiuis non ſint generales pro omnibus, ſed pro duobus, vel tribus, vel etiam pro alijs, dummodò non augeatur ita numerus, vt videantur Ordines generales fieri. Ita Granad. *tom.* 5. *in* 3. *p. controu.* 9. *tract.* 2. *diſ.* 3. *num.* 1. Maiores Ordines ſolùm ſex Sabbatis omnibus notis poſſunt conferri. Qui autem abſque licentia Pontificis extra hæc tempora ordinatur Ordinibus ſacris, peccat mortaliter, & ſuſpenſionem ab exercitio Ordinum, quos recipit, incurrit, à qua abſolui poteſt à proprio Epiſcopo; imò etiam ab irregularitate, quam incurrit, in his ſuſceptis Ordinibus miniſtrando. Trull. *lib.* 6. *cap. vnic. dub.* 9. *num.* 2.

*Non poſſunt eodem die ſuſcipi plures Ordines Sacri.*

79. Eodem die prima tonſura, & omnes Ordines minores poſſunt recipi. Si quis autem eodem die duos Ordines ſacros reciperet, & peccaret mortaliter, & ſuſpenſionem ab exercitio illorum ipſo facto incurreret. Sic docet Nauarr. *cap.* 25. *num.* 71. & 241. *ex cap. quod à Patribus, & ex c. innotuit, de eo qui furtiuè Ordines ſuſcipit.* Si verò contingat, quod aliquis defectus in ſubſtantialibus Ordinum inueniatur, vt ſi quis non tangeret inſtrumenta, aut impoſitionem manuum non reciperet, poſſunt eodem die, vel Dominicâ ſequenti, vel quovis anni tempore hi defectus ſuppleri, quia hoc non eſt Ordines facere, ſed id, quod imperfectum eſt, perficere. Ita Granad. *loc. citat. n.* 3.

*Minores cum Subdiaconatu poteſt ſimul Epiſcopus conferre.*

80. Sed nunc rogabis: An poſſet Epiſcopus eodem die, iuſtâ interueniente cauſâ, eidem ſubiecto minores Ordines, & Subdiaconatum conferre? Reſpondeo poſſe, vel eodem die Ordines minores, & Subdiaconatum conferendo, vel feriâ ſextâ minores Ordines, & Sabbato Subdiaconatum, ſiue hoc contingat, quia non adeſt prohibitio ſimul conferendi hos Ordines; quia Concilium ſolùm inhibuit plures Ordines ſacros ſimul conferre, vt inquit Vazquez, *tom.* 3. *in* 3. *p diſ. ar.* 6. *num.* 48. cui adhæret Diana, *tom.* 1. *tract.* 16. *reſol.* 28. Siue quia iam conſuetudo id introduxit, quamuis oppoſitum ſit prohibitum. Sic Villalobos, *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 11. *dub.* 13. *num.* 4. Marchin. *tract.* 1. *p.* 7. *cap.* 1. *num.* 15. Leander, *tract.* 6. *diſ.* 11. *q.* 13. & alij apud ipſos.

*Qui poteſt ordinare extra tempora.*

81. Solet Pontifex poſtulationibus alicuius inclinatus, facultatem ei præbere ad recipiendos Ordines ubique, temporibus non requiſitis ex iure, quod dicitur *per extrà tempora*, vt tribus diebus feſtiuis poſſit omnibus ſacris Ordinibus initiari, & per dies feſtos non ſolùm intelligi in iure Canonico feriatos ab operibus ſeruilibus, ſed etiam dies omnes, quibus ex officio Canonico feſtum duplex celebratur, intelligit Rodriguez, *tom.* 2. *de Regularibus, q.* 23. *art.* 5. & Fagundez, *de quinq. præcep. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 12. Quamuis Azorius, *Moral. inſt. lib.* 1. *cap.* 27. *q.* 19. *p.* 2. cum alijs, dicat debere intelligi diebus à ſeruilibus feriatis. Qui priuilegium per extrà tempora accepit, non eget litteris dimiſſorijs proprij Prælati, ſed teſtimonialibus de vita, & moribus, vt conſtat ex *Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de reform.* ſine quibus ordinans incurrit ſuſpenſionem per annum à collatione Ordinum, ordinatus verò ab executione Ordinis ſuſcepti. Debet tamen omnino examinari de ſcientia, & ſi ineptus, aut minus idoneus reperiatur, & ſic reprobetur, gratia illa collata, vt ordinetur per extrà tempora, ſpirat, quia ſemper ſub conditione examinis, & idoneitatis repertæ conceditur. Philibert. *cap.* 6. *num.* 1.

82. Sed inquires: An Regulares omnes virtute ſuorum priuilegiorum, adhuc poſt Tridentinum Concilium, de licentia ſui Prælati, iuſtâque interueniente cauſâ, poſſint ubique extrà tempora à iure ſtatuta ab Epiſcopis ordinari? Negant N. Lezana, *in ſumm. q. reg. cap.* 14. *num.* 19. Suarez *de legibus, lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 8. Vazquez, & alij citati à Diana, 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 31. aſſerentes id ſolùm poſſe Patres Societatis Ieſu, eo quod illis dumtaxat eſt conceſſum à Gregorio XIII. cum excluſione, quod aliæ Religiones in tali priuilegio non communicent.

*Religioſi ex priuilegio poſſunt extra tempora ordinari.*

83. Sed probabiliùs dicendum eſt, poſſe Dominos Epiſcopos; tutâ conſcientiâ, quemlibet regularem ex licentiâ ſuorum ſuperiorum ordinare extrà tempora in iure ſtatuta Dominicis, aut feſtiuis diebus, omnibus Ordinibus ſacris,

ex

ex vi ſuorum priuilegiorum. Ita tenet, multis relatis, Diana, *loc. cit. & reſol.* 81. & 112. & 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 209. Auerſa, *q.* 3. *ſect.* 8. vbi teſtatur de praxi in ſua Religione Clericorum minorum. Philibert. *tract.* 1. *part.* 8. *cap.* 7. *per totum*, Portellus (aſſerens id practicari) *de dubijs regularibus, verb. Ordines ſacri num.* 4. Rodriguez, *tom.* 1. *q. Regular. q.* 55. *art.* 17. & *tom.* 3. *q.* 13. *art.* 5. Barboſa, *de officio Epiſc. alleg.* 17. *num.* 6. *p.* 2. Leand. *tract.* 6. *diſ.* 11. *q.* 23. plures aſſerens.

84. Et probatur, quia hoc priuilegium fuit mendicantibus conceſſum, & confirmatum poſteà à Clemente VIII. Et ſimiliter Alexander VI. & Eugenius IV. idem priuilegium Monachis S. Benedicti conceſſêre, quod non fuiſſe per Tridentinum reuocatum, docet Villalob. *tract.* 21. *diff.* 12. *num.* 8. Similiter Clemens VIII. conceſſit idem priuilegium Congregationi S. Ioannis Baptiſtæ in Portugalia, quæ omnia latè videri poterunt apud Philibert. Rodrig. Portel. Dian. *loc. cit.*

*Obiectio, & ſolutio illius.* 85. Sed objicies, quod Gregor. XIII. *in Bulla* habita Tuſculi 21. *Septembris, anno* 1582. conceſſit hoc priuilegium recipiendi Ordines per extra tempora Patribus Societatis, & probibuit communicari alijs Religionibus, quæ participans priuilegia Societatis. ¶ Sed hoc nil obeſt, quia alij Pontifices Greg. XIII. ſucceſſores priuilegia Societatis Ieſu alijs Ordinibus conceſſere, vt teſtantur dicti Auctores, & nouiſſimè Vrban. VIII. id conceſſit nobis Carmelitis Diſcalceatis, Monachis S. Benedicti. S. Hieronymi, Diſcalceatis SS. Trinitatis, & aliorum Ordinum, & Congregationum, *Anno Domini* 1634. *die* 28. *Martij*, quod de verbo ad verbum refert Leand. *loc. cit.*

*Conſul. n. Gabr. diſp. 2. qu. 5. & n. Vrban. tract. 1. par. 2. de priuil. cap. 5.*

*Interſtitia ad Ordines requiruntur.* 86. Denique requiritur, vt Ordines diſponantur ſub certis temporum interſtitijs, ſeu quod aliqua intervalla temporis inter vnum, & alium intercedant. Ad minores Ordines, quamuis olim interſtitia ſeruarentur, poſtquam *Conc. Tridens. ſeſſ.* 23. *cap.* 11. *de refor.* id Epiſcoporum arbitrio reliquit, vt, quando ipſis expediens videatur, ſine illis conferantur. Interdum ſolent concedi, vel in ſingulis Dominicis, & feſtiuis diebus ſibi proximè ſuccedentibus, vel ſimul omnes eodem die etiam cum prima tonſura, ad quod quamuis cauſa requiratur, quælibet tamen eſt ſufficiens, etiam leuis, vt ex Sanchez, *c.* 1. *de Ord. dub.* 55. & 56. teſtatur Auerſa, *q.* 3. *ſect.* 8. & iam hoc eſt introductum conſuetudine.

*Quod tempus intercedere debet inter vnum & alium Ordinem Sacrum.* 87. Inter maiores Ordines aſſignantur à *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 11. 13. & 14. interſtitia, quòd ſcilicet vnus integer annus mediet inter Subdiaconatum, ac Diaconatum, alter inter iſtum, & Sacerdotium. Qui verò Ordines ſuſciperet, non ſeruatis interſtitijs, aut diſpenſatione illorum obtentâ, peccaret mortaliter, nullam tamen ſuſpenſionem, aut irregularitatem incurreret. Ità Trull. *lib.* 6. *c. vnic. dub* 9. *num.* 10. Dian. 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 32. Huiuſmodi intervalla temporis iuſtiſſimè aſſignata ſunt ab Eccleſia inter unum, & alium ſacrum Ordinem, vt interim ordinandus in Ordine recepto ſe exerceat, & cognoſcat meliùs pondus, & dignitatem Ordinis, quam accepit, & accepturus eſt. Annus verò, qui intercedere debet, non eſt mathematicè computandus de die in diem, ſed moraliter pro anno Eccleſiaſtico, & ideò, ſi aliquis Ordinem Subdiaconatus in Pentecoſte ſuſciperet, poſſet ſequenti anno in Ordinibus illius temporis ad Diaconatum aſcendere, etiamſi plures deeſſent dies, vt annus naturalis compleatur. Sic Trull. Villalob. *num.* 6. Auerſa, *ſect.* 9. Philibert. *tract.* 1. *p.* 5. *cap.* 4. & *p.* 7. *cap.* 2. n. Lezana *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 17.

*Qui poſſunt ſuper interſtitia diſpenſare?* 88. Sed inquires: Qui poſſunt ex iuſta cauſa diſpenſare in temporum interſtitijs? Reſpondetur in primis, ad Epiſcopos pertinere cum ſuis ſubditis diſpenſare. Diximus *cum ſuis ſubditis*; nam ſi alienos ex licentia proprij Antiſtitis ordinent, ad illum, qui præbet *Reuerendas* pertinet, non ad ordinantem diſpenſare in interſtitijs: & ideò ipſe non poterit, niſi habita licentià proprij Epiſcopi, talem diſpenſationem impertiri. Debet autem iuſta cauſa interuenire ad talem diſpenſationem, quæ eſt utilitas, & neceſſitas propriæ Eccleſiæ, quæ neceſſitas, vel utilitas non eſt neceſſarium vt ſit publica, & communis, ſed ſufficit, ſi ſit quomodolibet conducens ad propriam Eccleſiam, ac tandem talis neceſſitas morali modo, & prudenti arbitrio debet penſari. Ita communiter Doctores. ¶ Poſſunt etiam Generales, & Prouinciales Regularium reſpectu ſuorum ſubditorum diſpenſare in temporum interſtitijs; neque hoc ad Epiſcopos pertinere, ſed ad Prælatos Regulares, docent Dian. 3. *part. tractat.* 2. *reſol.* 32. & *reſolut.* 112. & 4. *part. tractat.* 4. *reſol.* 209. Suarez, *tom.* 4. *de Religione, tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 21. Villalob. *tract.* 21. *diffic.* 22. *num.* 8. Sanchez, *dub.* 54. *num.* 8. & quamuis detur declaratio Cardinalium, quam affert Philibert. *p.* 7. *cap.* 2. *num.* 2. quæ aſſeris, diſpenſationem ſuper interſtitia ad Epiſcopos, non ad Prælatos Regulares, pertinere; dicunt hi Auctores id debere intelligi de iure communi, non verò ex ſpecialibus priuilegijs Regularibus Ordinibus conceſſis, quæ priuilegia afferunt prædicti Auctores, & poterunt apud illos videri.

## CAPVT V.

### *De ſexu, ætate, & qualitatibus ordinandorum.*

*Caput hoc duplex dubium, & triplex punctum habet.*

*Dubium I. An ſexus fœmineus ſit capax recipiendi Ordinis Sacramentum? num.* 1.
*Dubium II. Vtrùm puer ante vſum rationis ſit capax recipiendi Ordines validè? num.* 17.
*Punct. I. De ætate requiſita ad licitam Ordinum ſuſceptionem, num.* 29.
*Punct. II. De moribus, & ſcientia requiſitis in recipientibus Ordines, num.* 40.
*Punct. III. De recta intentione pro receptione Ordinum requiſita, num.* 50.

## DVBIVM I.

### *An ſexus fœmineus ſit capax recipiendi Ordinis Sacramentum?*

*Argumenta, quæ probant fœminas Ordinis eſſe capaces.*

1. Videtur quòd ſit. Primò, quia tàm in veteri, quàm in nouo teſtamento aliquæ fœminæ fuerunt propheti ſſæ. Maria Soror Moyſis fuit in veteri, vt patet *num.* 12. Anna filia Fanuel, Lucæ 2. Sed officium propheticum eſt maiùs, quàm officium Sacerdotis, vt docet D. Thom. 3. *part. quæſt.* 39. *artic.* 1. *ad* 1. Ergò etiam poterunt Sacerdotes conſecrari.

2. Secundò, quia olim in Eccleſia Diaconiſſæ, Subdiaconiſſæ, Presbyteræ, & Epiſcopæ fuerunt. Idque conſtat ex prohibitione ordinationis earum factâ in *Concilio Laodicen. Canon.* 11. & refertur, *Canon. Mulieres,* 32. *diſt. & in Conc. Arauxic.* 1. *Canon.* 26. *Et in cap. Diaconiſſam* 27. *quæſt.* 1. prohibetur Diaconiſſas ordinari ante annum quadrageſimum, cuius ordinationis mentionem facit Clemens, *lib.* 8. *conſtit. cap.* 19. ibi: *De Diaconiſſis verò ego Bartholomæus conſtituo, vt manus ei, Epiſcope, impones, præſentibus Presbyteris, Diaconis, & Diaconiſſis.*

3. Tertiò, quia de Ioanna Anglicana fœmina ad Summum Sacerdotium, ſeu Pontificatum aſſumpta multi ex Catholicis referunt, qui videri poterunt apud Philib. *tract.* 1. *p.* 4. *cap.* 1. *num.* 19. & Leandr. *tract.* 6. *diſ.* 5. *q.* 2. qui aſſerunt hanc Papiſſam per duos annos inter Leonem IV. & Benedict. III. Pontificatum obtinuiſſe nomine Ioannis VIII.

*Hæretici, qui talem errorem aſſirmant.*

4. Propter hæc, & alia argumenta fuerunt diuerſi hæretici, qui fœminas ad ſacros Ordines admittendas aſſeuerabant, vt Cataphrygæ, quos refert, & impugnat S. Ambroſius *in* 1. *ad* Thimot. *cap.* 3. Pepuziani, de quibus Epiphanius, *hæreſ.* 49. Ac denique Wiclefus, & eius Diſcipuli, qui omnes errorum ſordes congregarunt, qui, ut refert n. Waldenſis, *lib. de Sacram. cap.* 59. docuerunt, omnes mulieres baptizatas, ad Sacerdotij Ordinem eſſe aſſumptas.

*Ex Scriptura oppoſitum probatur.*

5. Sed contrà eſt, quod Apoſtolus, 1. *ad* Timoth. 2. inquit: *Mulierem in Eccleſia docere non permitto, nec dominari in virum.* Sed ſi Ordinibus ſacris, maximè Sacerdotali, eſſent inſignitæ, docere deberent in Eccleſia, quia hoc eſt proprium munus Sacerdotum, & laicis cæteris dominari: Eò vel maximè, quia ſi ſemel Ordinis Sacerdotalis eſſent capaces, etiam Epiſcopalia, & ſic eſſent ſuperiores, & dominantes, quæ ſubiectioni, & obedientiæ virorum ſunt adeò ab initio ſuæ conditionis adſcriptæ, Gen. 3. *Sub viri poteſtate eris:* Ergò ſunt incapaces Ordinis Sacramentum ſuſcipiendi.

*Non poteſt fœmina ſuſcipere Ordinis Sacramentum.*

6. Reſpondeo dicendum omninò neceſſarium eſſe non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam Ordinis, virilem ſexum ad ſuſcipiendum charactérem Ordinis, non ſolùm ex inſtitutione Eccleſiæ, ſed ipſo iure diuino ex inſtitutione Chriſti, proindèque omnino irritam eſſe collationem Ordinis fœminæ factam, etiamſi omnia ei miniſtrentur, quæ ad talem ordinationem requiruntur. Ita D. Thom. 3 *p. q.* 39. *in addit. art.* 1. quem vniuerſi Catholici ſequuntur, & eſt prorſus de fide, vt dicunt omnes DD. & diffinitum in *cap. noua, de pœnitentijs, & remiſſionibus.*

*Ex inſtitutione Chriſti probatur.*

7. Et probatur primò ex ipſa inſtitutione Chriſti Domini, qui nec in nocte cœnæ alios, præter viros, Apoſtolos ſcilicèt, ordinauit; & illis, Ioann. 20. poteſtatem remittendi peccata commiſit, nec legitur ipſum aut Beatiſſimæ Virgini, aut Mariæ Magdalenæ, aut alicui ex mulieribus ſanguine, aut charitate ſibi coniunctiſſimis talem dignitatem conceſſiſſe: Ergò ſignum eſt, fœminarum ſexum illius eſſe incapacem ex inſtitutione Chriſti.

*Ex ratione probatur.*

8. Secundò, quia ſi dumtaxàt ex prohibitione Eccleſiæ fœminæ ab Ordinibus arcerentur, non omnibus collectiuè eſſet talis prohibitio impoſita, quia, licèt plures ex illis eſſent talia dignitatis, & muneris indignæ, ſicut ſunt plures homines, dubitari non debet multas alias, quæ virtute, & prudentiâ, & etiam ſcientiâ plures Sacerdotes antecellunt, illius eſſe dignas, & ſic iniuriam toti fœmineo ſexui Eccleſia irrogaret, ſi totum, nullâ exceptâ, ab Altaris miniſterio arceret, quin aliquando ſuper hoc cum aliqua diſpenſaret: Ergò non ex ordinatione Eccleſiæ, ſed ex ipſa Chriſti Domini inſtitutione ſunt incapaces recipiendi Ordinis Sacramentum, & ideò non poteſt Summus Pontifex in hoc diſpenſare.

*Alia ratione probatur.*

9. Tertiò arguit D. Thom. quia Sacramentum eſt ſignum practicum, & ideò non ſolùm productionem rei, ſed ſignificationem illius debet obtinere, quemadmodum in Extrema vnctione requiritur, quòd vngendus ſit infirmus, vt ſignificetur curatione indigens, ſed in fœmineo ſexu non poteſt ſignificari eminentia gradus, quem importat character Ordinis, eo quòd mulier ſtatum ſubiectionis ex natura ſua habet: Ergo quemadmodùm Extrema vnctio nulla eſſet, ſi non infirmo daretur, ſic ordinatio eſſet irrita, ſi fœminæ conferretur:

*Reſpondetur ad argumenta.*

10. Ex hinc reſpondet D. Thom. *ad primum, Quòd prophetia non eſt Sacramentum, ſed Dei donum, vndè ibi non exigitur ſignificatio, ſed ſolum res, & quià ſecundùm rem in his, quæ ſunt animæ, mulier non differt à viro, cum quandoquè mulier inuenitur melior quantùm ad animam multis viris, ideò donum prophetiæ poteſt recipere, ſed non Ordinis Sacramentum.*

*Quæ dicebantur olim Diaconiſſæ Presbyteræ, & Epiſcopæ.*

11. Ad ſecundum dicimus Diaconiſſas olim nuncupari, vel quia erant mulieres ſanctimoniales, quæ ſpecialem benedictionem ab Eccleſia recipiebant, vt in Choro Euangeliorum homilias cantarent, in quo cum Diaconis ſuo modo conueniebant, maximè, quia Diaconus idem eſt ac Miniſter. Ita D. Thom. *loc. citat. in fin. corp.* vel quia inſtitutæ erant, vt fidelibus mulieribus, quibus Diaconos miniſtrare alimenta, & res neceſſarias non decebat, neceſſaria ſuppeditarent, vt ait S. Clemens *loc. citat.* vel quia vxores erant Diaconorum, & ab illis quoad thorum ſeparatæ, & ideò vxores Subdiaconorum Subdiaconiſſæ, Diaconorum Diaconiſſæ, Presbyterorum Presbyteræ dicebantur, & ſi fortè viri ad culmen Epiſcopatus aſcenderent Epiſcopæ. Etiam Presbyteræ

dicebantur

dicebantur mulieres ſeniores, & viduæ nocte, dieque in Templo Deo ſeruientes, quibus ſuppellectilia, & res Eccleſiaſticæ committebantur, vt ait *Gloſſa in cap. Presbyteræ*, quia Presbyter idem eſt ac ſenior, vt inquit Diu. *Thom. loc. citat.* Nunquam tamen ſiuè Diaconiſſæ, ſiuè Presbyteræ, ſiuè aliæ, aliquem Ordinem recipiebant, vt poſſent Altari inſeruire, & minùs corpus, & ſanguinem Chriſti conſecrare.

*Quid de Ioanna Anglicana Papiſſa eſt dicendum?*

*Vide latè doctiſſimi P.N. Dominicum à SS. Trin. generalem biblioth. theol. tom. 3. ſect. 4. cap. 15.*

12. Ad tertium reſpondetur cum Bellarmino, *lib. 3. de Pontif. Roman. cap.* 24. Baronio, *tomo* 10. *anno Chriſti* 853. *num.* 86. Philib. *tract.* 1. *part.* 4. *cap.* 1. *num.* 21. rem illam fabuloſam eſſe, ſed indè ad tale mendacium anſam aliquos ſuſcepiſſe, quia cum *Pontifex* Ioannes *XII.* moribus eſſet deprauatus, & tres concubinas haberet, (inter quas dicta Ioanna quaſi primatum obtineret, & in Pontificatus adminiſtrationem nimis ſe introduceret) Papiſſa à vulgo vocabatur, & ita paulatim vires acquirens fama Ioannam fœminam inter Pontifices Sacros connumerauit. Eſto tamen talis hiſtoria fuiſſet vera, illa nec eſſet verus Pontifex, nam ad hoc requiritur, vt præcedat Presbyteratus, ſicut ad Epiſcopatum diximus *cap. 1. punct. vltim.* neceſſariò præcedere Ordinem Sacerdotij, cuius eſt incapax fœmina, nec aliqua veram ordinationem, aut conſecrationem recepit, non ſecus ac ſi homo non baptizatus ad Sacerdotij, aut Epiſcopatus dignitatem aſſumeretur.

*Etiam minorum Ordinum fœmina eſt incapax.*

13. Quod dictum eſt de incapacitate fœminarum ad Ordines, intelligendum eſt non ſolùm ad Ordines ſacros, ſed etiam ad primam tonſuram, & minores Ordines, eſto illi Sacramenta non eſſent; ſed non cum eadem certitudine, propter aliquos Doctores Catholicos aſſerentes, Pontificem poſſe diſpenſare, vt fœmina primam tonſurám, & Ordines minores reciperet; eò quod iudicent Sacramenta non eſſe, ſed Sacramentalia ab Eccleſia introducta, proindeque eſſe in illius poteſtate cum fœminis in hoc diſpenſare. Hoc probabile iudicat Dicaſtill. *tractat. 6. diſp. 1. dub. 19. numer.* 286. & tenet Paludan. *in 4. diſ. 25. quæſt. 3. artic.* 1. Hurtado, *diffic.* 20. Sed noſtram ſententiam tenent Sanchez, *lib. 7. cap.* 8. *num* 3. Vazquez, *tom. 3. in 3. part. diſ.* 245. *cap.* 2. n. Gab. *diſp. 2. qu.* 3. n. Anton. *diſp. 4. ſect.* 1. Nuño *in addit. ad 3. part. quæſt. 39. artic.* Vbi oppoſitum proximum errori dicit, eò quod prima tonſura, & minores Ordines, eſto non eſſent Sacramenta, ſunt præambula, & diſpoſitiones præuiæ ad Ordines requiſitæ, ſicut Nouitiatus ad Religionem. Vndè, ſicut incapax eſſet, vt verè Nouitius eſſet in Religione, qui ad profeſſionem capacitate careret, ita fœmina incapax recipiendi Ordines, eſt etiam incapax illorum, quæ vel ex inſtitutione diuina, vel ex ordinatione Eccleſiæ ad eos, vt præambula, & diſpoſitiones præcedunt.

*Quid de Hermaphrodito dicendum?*

14. Sed inquires: An Hermaphroditus ſit capax Ordines recipiendi? ¶ Reſpondeo Hermaphroditos eſſe in triplici differentia: Alios, in quibus fœmineus ſexus prævalet, & hi, ſicut abſolutè fœminæ ſunt, incapaces ſunt ſicut cæteræ mulieres Ordinum: Alios, in quibus vterque ſexus æquè dominatur (ſi verè hoc fieri poteſt, quod negat Ariſtot. 4. *lib. de gener. anim. cap.* 4.) & nec iſti ſunt Ordinis capaces, quia, quandiù ſexus virilis non prævalet, non eſt abſolutè vir, *leg. quæritur, ff. de ſtatu hominum.* Alios, in quibus ſexus virilis præualet, & iſti abſolutè ſunt viri, & ſic Ordinum capaces, ſunt tamen irregulares ad illos, quia eſt monſtrum, vt docet D. Antonin. 3. *part. tit.* 28. *cap.* 6. §. 5. Angelus, *Verb. Hermaphroditus, num.* 2. Armilla, *ibi. num.* 2. Tabiena, *ibi. num.* 2. Silueſt. Nauarrus, Ledeſma, quos refert, & ſequitur Sanchez, *tom. 2. conſil. lib. 7. cap. 3. dub.* 31. *num.* 3. & ſic peccaret mortaliter ſi abſque diſpenſatione Ordines reciperet, factum tamen teneret.

15. Sed quid dicendum eſſet caſu, quo in aliquo virilis ſexus præualeret, & ſic licitè, vel illicitè ordinaretur Sacerdos, poſtmodùm decreſcente vigore præualeret ſexus fœmineus, hic validè poſſet conſecrare? ¶ Reſpondetur negatiuè, quia vt benè n. Gab. quamuis in eius anima maneret adhùc character Sacerdotalis, ratione ſexus mutati iam non eſt Miniſter proprius capax Ordinis exercitij. Quemadmodum Sacerdos, qui à ſtatu viatoris ad ſtatum comprehenſoris, vel damnatorum tranſiret, iam non poteſt validè conſecrare, quia Miniſter ex neceſſitate Ordinis ad hoc requiſitus, eſt homo viator, idem cum proportione dicimus in caſu præſenti.

*Mulier in virum erumpens ordinari poteſt.*

16. Sed adhùc quæres: An mulier, quæ, erumpente ipſa natura, in virum tranſijt, ad Ordines promoueri poſſet? ¶ Hoc non eſſe impoſſibile, imò de facto accidiſſe, teſtatur Plinius, *lib. 7. cap.* 4. Evoracenſis, *tit. de mirac. part.* 3. quorum multa congerit Martinus Delrius *in ſuis diſquiſition. Magic.* Reſpondetur ergo, in illo caſu validam fore ordinationem, non verò licitam ob admirationem, & ſcandalum, quod homines reciperent, videntes altari miniſtrare, quam fœminam cognouerunt, quæ deformitas impedimentum Canonicum inducit, *cap. 2. de Clerico ægrotante.* Ita Maiolus, *lib. 2. de irregularitate cap. 27. num. 5. verſ. Huc pertinet*, Marchin. *cap. 2. num.* 18. Si autem res eſſet occulta, & abſque admiratione id fieri poſſet, non eſſet illicitum, vt loquit Enriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 6.

## DVBIVM II.

*Vtrùm puer antè vſum rationis ſit capax ſuſcipiendi Ordines validè?*

*Illicitè pueri ante vſum rationis ordinantur.*

17. SVpponendum eſt ad licitam Ordinis ſacri ſuſceptionem, neceſſarium eſſe vſum rationis, & ideò, quamuis ſinè illo recipiens non peccaret, conferens verò peccaret mortaliter, quia tales Ordines habent votum caſtitatis annexum, quod ſinè conſenſu emittentis non poteſt fieri; & ſic iniuriam irrogaret toti Eccleſiæ, inquit D. Tho. 3. *p. q. 39. art.* 2. qui ante vſum rationis puerum ſacris initiaret. Diximus *de Ordinibus ſacris*, Ordines enim minores, necnon & primam tonſuram licitè poſſe conferri puero ante vſum rationis, iuſtâ interueniente causâ neceſſitatis, & ſpe profectus futuri, docuit D. Thom. *loc. citat.* nec non *in 4. diſ. 25. q. 2. artic.* 2. ſed ex iure nouo *Concil. Trident. ſeſſ.*

23.

23. *cap.* 4. in quo cauetur, quòd prima tonſura non initientur, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, & legere, ac ſcribere neſciant: Commune eſt apud Doctores fore illicitum, & mortaliter delinquere Epiſcopum ordinantem puerum ante vſum rationis. Imò *in cap. nullus Epiſcopus, de temp. ordinand. in* 6. imponitur pœna ſuſpenſionis ad annum conferendi Clericalem tonſuram initiantibus illâ, aut minoribus Ordinibus pueros ante ſeptennium. Sed difficultas eſt: An validè talis puer ordinaretur ſiuè ſacris, ſiuè minoribus Ordinibus, ſeruatis omnibus, quæ ad talem ordinationem eſſentialiter poſtulantur?

18. Videtur quòd non. Primò, quia impoſſibilis eſt potentia in ſubiecto, in quo actus eſt impoſſibilis, quia potentia datur ad actum, ſed actus proprius characteris Ordinis eſt impoſſibilis in puero vſu rationis carente, quia ille petit actualem, formalem, vel virtualem intentionem, vt diximus *tract. de Sacram. in genere*, cuius puer eſt incapax: Ergò etiam erit Ordinis characteris.

Secondò, longè dignius eſt Sacramentum Ordinis Sacramento Matrimonij, Pœnitentiæ, & Extremæ vnctionis, horum eſt incapax prædictus puer, vt dicitur in ſuis tractatibus: Ergò etiam Ordinis.

Tertiò, quia ad recipiendum aliquod Sacramentum requiritur, vel voluntas propria recipiendi illud, vel ſaltem interpretatiua per parentes, vt contingit in paruulorum Baptiſmo, hic nulla datur, non propria, vt conſtat, non parentum, qui poſſent tali ordinationi repugnare; maximè, quia licèt poſſent ſupplére voluntatem pueri in Baptiſmo, quia eſt neceſſarium ad ſalutem, non verò in Ordine, quia non eſt de neceſſitate ſalutis.

19. Quartò, quia ſi ſemel puer abſque vſu rationis poſſet Ordinibus ſacris ordinari, poſſet etiam Sacerdotio, vt conſtat, poſſet etiam Ordine Epiſcopatus; ſed hoc eſt impoſſibile, eo quòd Epiſcopus contrahit ſpirituale matrimonium cum Eccleſia, ad quod requiritur conſenſus liber, qui abſque vſu rationis exerceri nequit.

20. Quintò denique, quia ſi ſemel non requiritur conſenſus proprius ad recipiendos Ordines, poſſet etiam dormiens, poſſet etiam amens ordinari; etiam ſi eſſent adulti, quia non eſt maior ratio vnius, quàm alterius, quod tamen communiter negatur ab omnibus.

*Qui cenſeant pueros eſſe Ordinis incapaces.*

21. Propter hæc argumenta Durand. *in* 4. *diſ.* 25. *q.* 2. putat, pueros ante vſum rationis eſſe incapaces Ordinis, ac proinde fore repetendam ordinationem in illis ſi eo tempore, quo ratione carent, ordinarentur. Idem tenet Petrus de Sot. *in inſtruct. Sacer. lect.* 5. *de Sacr. Ord.* loquendo de Ordinibus ſacris, & probabile cenſet Palud. *in* 4 *diſ.* 2. *q.* 5. *n.* 8.

22. Sed contrà eſt, quod *in cap. vnic. de Clerico per ſaltum ordinato*, dicitur, quod ſi aliquis Ordines minores, & Subdiaconatum reciperet ante vſum rationis, antequàm ad Diaconatum admittatur, debent repeti prædicti Ordines, ſi de illorum receptione non conſtet, ſi autem conſtaret, minimè: Ergo verè recipit Ordines minores, & Subdiaconatum, ac proindè reliquos Ordines ſacros, cui applicaretur debita materia, & forma à proprio Miniſtro, etiam ante vſum rationis.

*Validè ordinatur puer ante vſum rationis.*

23. Reſpondeo dicendum, pueros ante vſum rationis capaces eſſe Ordinum omnium, qui proindè repeti non debent, ſi in illo ſtatu à pueris reciperentur. Ita D. Thom. *in* 4. *diſ.* 25. *q.* 2. *art.* 2. & 3. *p. q.* 39. *art.* 2. & *ibi* Nuño, D. Bonauent. *in* 4. *diſ.* 25. *artic.* 2. *q.* 2. Scot. & Domin. Sot. *ibi.* Valent. Vazq. Philibart. Dicaſtill. Gonet. n. Gabr. Ant. Franc. Sanchez, *conſil. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 32. *num.* 2. qui refert plures alios.

*Ratio concluſionis.*

24. Et ratio eſt, quam adducit D. Thom. *loc. cit.* quia Sacramenta, quæ imprimunt characterem, non petunt ex neceſſitate conſenſum ipſius accipientis, huiuſmodi eſt Ordo: Ergo: probatur maior; tum in Baptiſmo, & Confirmatione; tum etiam, quia Sacramenta, quæ characterem imprimunt, conferunt poteſtatem, ſeu potentiam ad actum, ſed potentia ſemper debet actum præcedere: Ergò, quamuis pueri pro illo ſtatu carentiæ vſus rationis non poſſint habere actum Ordinis, poſſunt potentiâ, ſeu charactère potiri, ſicut pro tunc habent potentiam intellectus, & voluntatis humanæ, quamuis actus voluntatis, aut intellectus humanos elicere nequeant: Tum deniquè, quia in his Sacramentis non requiritur quòd agat, qui illa recipit, quia actus illius non ſunt neceſſarij ad Sacramentum, ſed quòd patiatur, ſeu recipiat; & ideò quamuis non poſſit Miniſter conferens abſque intentione debita illa conferre, quia ſe habet vt agens, poteſt tamen abſque illa paruulus ea recipere, quia ſe habet vt patiens, & recipiens.

*Soluuntur argumenta.*

25. Ex quo patet ad contraria argumenta. Ad primum dicimus ſufficere, ſi actus ſit poſſibilis pro tempore ſequenti, vt potentia detur in illo, in quo elici non poteſt, vt patet in intellectu pueri, qui eſt in illo ante vſum rationis, quamuis non poſſit, niſi in alio tempore actus illius elicere; ſed, licèt impoſſibilis eſſet actus, ſi hoc per accidens eueniret, eſſet poſſibilis potentia, vt in perpetuò amentibus cernitur, in quibus eſt intellectus, & voluntas, & poteſt eſſe Ordinis character, tametſi actus harum potentiarum ſit per accidens impoſſibilis.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd actus recipientis Matrimonium ſe habent, vt materia, vel forma ad illud, quia hoc Sacramentum eſt per modum contractus, ad quem conſenſus liber contrahentium requiritur: Extrema unctio autem petit, quòd peccata actualia in recipiente præceſſiſſent, quia datur ad abſtergendas reliquias eorum, quorum neutrum poteſt de puero verificari; ad Ordinem verò nullum ex his requiritur, & ſic non eſt eadem ratio.

Ad tertium reſpondetur, ſufficere voluntatem interpretatiuam paruulorum, quæ ſit, vel per conſenſum parentum, vel Eccleſiæ, quæ per applicationem materiæ, & formæ debitæ, à proprio Miniſtro Ordinis paruulis applicatur.

*Non poteſt puer ante vſum rationis conſecrari Epiſcopus.*

26. Ad quartum ſunt, qui aſſerant, puerum ante vſum rationis poſſe conſecrari Epiſcopum eò, quod eadem ratio eſt in tali conſecratione, ac in alijs Ordinibus ſacris. Sic tenent Dicaſtill. Sanchez, *num.* 4. qui citat Gutierr. Ledeſm. Palao, Palud. quod etiam aſſerit Vazquez, Hurtad. & Bonacin. Nos verò cum D. Tho. D. Bonauent. Soto, Nuño, Granad. *loc. cit.* oppoſitum

tene-

tenemus; tum propter rationem argumento relatam, ex D. Bonauent. deductam; tum propter aliam, quam ibi ponit D. Thom. quia videlicet Epiſcopus recipit iuriſdictionem in corpus Chriſti myſticum, aſſumiturque ad illud regendum, conſtituitur Paſtor Eccleſiæ, & ex natura ſua petit Presbyteratum ſupponere, quæ omnia ſtatum diſcretionis, & adultorum prærequirunt.

*Amentes, & dormientes quomodo validè poſſunt Sacramenta recipere.*

27. Ad quintum dicimus, de perpetuò amentibus idem ſentiendum eſſe, ac de pueris ante vſum rationis. Illi verò, qui ſolùm ad tempus vſu rationis carent, & ſimiliter dormientes, poſſunt trifariam conſiderari, nam vel ante ſomnum, v.g. habuerunt voluntatem recipiendi Ordines, vel Baptiſmum, &c. & ſic, ſi dormientes ordinentur, aut baptizentur, procul dubio characterem recipient; vel habuerunt voluntatem poſitiuam non recipiendi talia Sacramenta, & ſic certum eſt, quòd ſi dormiens, aut amens ordinetur, aut baptizetur, factum non teneret, & debent, poſtquam ad rationem redeat, huiuſmodi repeti Sacramenta; vel negatiuè ſe habuit circa hoc, quia nec habuit diſſenſum, nec aſſenſum, & in hoc caſu, inquit Caiet. *3. p. quæſt. 68. art. 7.* validè recipere Sacramentorum characterem, & probat ex *cap. maiores, de Baptiſmo, & eius effectu, § item quæritur in fine*, vbi docet Summus Pontifex, quòd dormientes, aut amentes, ſi ante ſomnum, vel amentiam habuerunt voluntatem recipiendi Sacramenta, characterem recipiunt illorum, ſi contrariam voluntatem, minimè; & addit: *Tunc enim characterem Sacramentalem imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem.* Ergò, quandò voluntas recipientis negatiuè ſe habet, & non habet voluntatem contrariam receptioni Sacramenti, recipit illius characterem.

28. Sed Caietanum Impugnat Soto *in 4. diſ. 5. q. vnic. prop. 3.* Valent. *tom. 4. diſ. 4. q. 3. punct. 2.* eo quòd in adultis requiritur conſenſus poſitiuus, virtualis, vel formalis ad validam Sacramenti ſuſceptionem, ſed de hoc videantur, quæ diximus *tract. de Sacrament. in gener.* & etiam *in tract. de Sacram. Baptiſm.* Interim ſecuriùs eſſet in caſu noſtro ſub conditione repetere Baptiſmum, aut Ordinationem, vt inquit Bonacin. *de Sacram. tom. 1 diſ. 2. punct. 6. num. 20.*

## PVNCTVM II.

### *De ætate requiſita ad licitam Ordinum ſuſceptionem.*

*Ætas pro prima tonſura, & Ordinibus minoribus.*

29 QVamuis ex iure antiquo varia eſſent tempora aſſignata tàm pro maioribus, quàm minoribus Ordinibus, nunc autem poſt Tridentinum ætas requiſita ad primam tonſuram eſt illa, quæ communiter ad vſum rationis deputatur, nimirùm ſeptem annorum, quia hæc ſufficiens iudicatur ad ea, quæ in *Conc. ſeſſ. 23 cap. 4.* pro initiandis primâ tonſurâ requiruntur. Pro minoribus Ordinibus non aſſignatur ætas determinata à Concilio, ſed hoc relinquendum eſt Epiſcopi arbitrio, quia ea ætate quâ compererit ipſos ſufficientes eſſe ad hoc munus, poterit pueros ordinare, & communiter poſt ſeptennium completum poſſe, niſi aliud ſibi congruum videbitur, aſſerunt Auerſa, *q. 3. ſect. 8.* Granad. *contr. 9. tr. 3. diſ 2. nu. 5.* Soto, *in 4. diſ. 25. q. 1 art. 2.* Ledeſma, *concl. 1.* Trullenq. *l. 6. ſ. vnic. dub. 10.* Leander, *tract. 6. diſ. 6. q. 2.*

*Ætas pro maioribus.*

30. Ætatem requiſitam ad maiores Ordines aſſignat *Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 12.* Nimirum ad Subdiaconatum annos 22. ad Diaconatum 23. ad Sacerdotium 25. Non autem debent eſſe completi, ſed ſufficit, ſi ſint incepti etiam per vnam horam, & ſic eo die, quo quis compleuit annum 24. poteſt ad Sacerdotium aſſumi, ſi dimidia dies, imò vna tantum hora tranſierit anni vigeſimi quinti. Quando ordinatur ad Epiſcopatum annus trigeſimus completus requiritur. Idem ſtatuitur ibi pro Cardinalibus; quamuis ex conceſſione Sixti V. Cardinalis Diaconus fieri poteſt ætatis ſuæ anno vigeſimo ſecundo. Ad Pontificatum nulla eſt ætas in iure aſſignata. Non poteſt autem validè in Summum Pontificem eligi, qui vſu rationis careat, iuxtà dicta nu. 26.

*An qui eo die complet ætat. poſſit ordinari.*

31. Sed inquires primò. An qui die v.g. vigeſima quarta Martij, hora quinta veſpertinâ viginti quinque annos attingeret, poſſet ipſo die hora decima, vel vndecima matutinâ ad Sacerdotium aſſumi? ¶ Reſpondeo affirmatiuè, quia vbi lex aliud non deſcribit, parum pro nihilo reputatur, & in fauorabilibus dies inceptus habetur pro completo, ſed, ſi iſte in illo caſu totum diem expleret, poſſet ordinari: Ergo ſufficit, quod illum inceperit. Atque ita tenent Ledeſ. *tom. 1. ſumm. cap. 7.* Diana, *2. p. tract. 16 reſol. 29. & 5. p. tract. 5. reſol. 17.* Philib. *tract. 1. p. 5. cap. 2. nu. 17.* Ac proindè in illo caſu veſper diei contrahitur ad mane, & ex vtraque vna dies fit; & ſic moraliter, qui primò manè modo dicto ordinatur, in anno vigeſimo quinto cenſetur conſtitutus.

*Non eſſe diẽ biſſextilem computandum ad ætatem ordinandorũ, cenſent aliqui.*

32. Secundò inquires: An in ſupputanda ætate ordinandorum enumerandus ſit dies biſſextus, vel omittendus? ¶ Reſpondeo duplicem eſſe circà hoc opinionem. Prima aſſerentium diem biſſextilem non eſſe neceſſariò computandum neque ad ordinationem, neque ad profeſſionem religioſam; ſed, ſi quis die 2. Martij compleret annũ probationis, poſſe validè profiteri die 1. Martij anni ſequentis, propter vnum diem, qui in illo anno biſſextili additur, vel ſi 25. annos illo die attingeret, poſſe Presbyter ordinari, ſi eſſet annus biſſextilis, quia annus à iure deſtinatus, cõſtat diebus 365. qui eſt annus ordinarius, quem per ſe leges intendunt, quod ſi eo anno contingat vnum biſſextilem his diebus ſuperaddi tãquam de re per accidens occurrente non eſt curandum, & ita aſſerunt Barb. *de officio Epiſc. alleg. 101. nu. 13. verſ. Ego verò*, Silu. *verb. ætas, q. 3. & 5.* Enriquez *lib. 10. c. 19. lit. K.* Narbona, *anno 25. q. 55. nu. 6.* & penes ipſum Riccius, & Acuña, Fornar. *de ord. cap. 3. num. 4.*

*Verius dicendum eſſe fore computandum.*

33. Verumtamen dicendum eſt; diem biſſextilem computandum eſſe inter dies requiſitos tam ad profeſſionem religioſam, quàm ad ordinationem ſacram; ideóque, ſi quis nouitiatum inciperet (idem cum proportione ad Ordines) die 1. Martij, non poſſet validè profiteri anno ſequenti biſſextili, die 30. Februarij ſed ſpectandum eſt vſquè dum dies prima Martij compleatur, vel ad minus inchoetur, quamuis eo anno iuxtà computũ Eccleſiæ vnus dies addatur, quia eſt annus biſſextilis (dicitur autem annus biſſextilis, quia in eo bis dicitur ſexto Kalendar Martij in Kalendario Romano) & ratio eſt, quia tam ad ordinem, quàm ad profeſſionem annus requiſitus, computandus eſt iuxtà ritum, & conſuetudinem Eccleſiæ quæ,

optimè ſtatuit, vt dè quatuor io quatuor annos vuus dies addatur propter hosas, quæ in ſingulis annis ſuperſunt vltrà 365. dies iuxtà revolutionem ſolis: Ergo dies ille biſſextilis addendus eſt, & computandus, vt anni requiſiti ad Ordines cōpleantur. Aliter poſſet quis natus d e 1. Iun. ordinari poſt 24. annos dic a 5. Maij, quia cùm in omnibus quatuor annis vnus addatur biſſextilis, ſi iſte non eſt ad Ordines computandus, iam ſex dies biſſextiles poſſent extrahi à tali computatione, & ſic ſex diebua, antequam 25. annos inchoaret, poſſet ordinari, quod ab omnibus negatur. Computandũ itaq; eſſe diem biſſextilem docent Trull. *nu.* 4. Bonac. *tom.* 1. *diſ.* 8. *q. vnic. punct. nu.* 12. Dicaſtill. Leand. *q.* 20. Philib. *cap.* 4. *num.* 14. Sanchez, *lib.* 2. *de matrim. diſ.* 24 *num.* 22. probabiliorem & io praxi ſequendam docet N. Gabr. *num.* 32.

*Quæſtio curioſa excitatur.*

34. Sed inquires tertiò: An ſi quis Sabbato Sancto naſceretur anno, in quo Paſcha die 10. Aprilis caderet, poſſet, decurſis 24. annis eodem dic Sabbati ordinari, ſi in illo anno Paſcha incideret die 10. Martij. ¶ Et ſuſpicari poteſt affirmatiuè reſpondendum. Primò, quia ætatis annus, vt diximus, computari debet iuxta ritum Eccleſiæ, maximè in his, quæ ex eius præcepto requiruntur, ſed in Eccleſia annũ Eccleſiaſticum computat de feſto in feſtum modo dicto, & ideò eſt probabile priuilegia Bullæ Cruciatæ debere intelligi de anno in annum à ſuâ publicatione, iuxtà hunc modum computádi annum Eccleſiaſticum.

35. Secundò, quia, vt diximus *cap. præced. punct. vlt. nu.* 87. annus requiſitus ad interſtitia temporum pro Ordinibus ſacris boc modo computari debet, & ideò, ſi quis Subdiaconatum Sabbato Sancto reciperet eo anno, quo incideret Paſcha die 10. Aprilis, poſſet anno ſequenti, ſeruatis debitis interſtitijs, ordinari Diaconus, ſi Paſcha incideret die 10. Martij, quia annus ille ex iure Eccleſiaſtico requiſitus debet de anno Eccleſiaſtico intelligi, & iuxta computum Eccleſiæ, quæ annum Eccleſiaſticum de feſto in feſtum inſtituit: Ergò eodem modo, & propter eandem rationem phyloſophandum eſt in noſtro caſu. ¶ Hæc certè videbantur hanc opinionem probare, ſed quia nullum vidimus in terminis eam excitantem, aliorum iudicio remitimus; maximè, quia eadem eſt ratio in profeſſione religioſa, ſi modo dicto emitteretur, videlicèt ſi quis io die Paraſceve, vel Sabbato Sancto ingrederetur religionem anno, quo die 10. v. g. Aprilis Incideret, & anoo ſequenti dic etiam Sabbati Sancti incidentis die 10. Martij profiteretur, nullus eſſe validam hanc profeſſionem diceret, & quia non eſt facilè aſſignare diſparitatem, ideò ab hoc obſtinemus, breuitati, cui conſulimus, obtemperantes, & aliorum placito remittimus.

*Aliorum iudicio remittitur.*

*Poſſe regulares ante annos requiſitos à Tridentino ordinari, qui ſenſerit.*

36. Vltimò rogabis: An Regulares gaudeant aliquo priuilegio, vt poſſint ordinari ſacris Ordinibus, non habentes ætatem ſuprà à Concilio requiſitam? Videtur poſſe iuxta priuilegium conceſſum ab Innocentio VIII. fratribus Minoribus, vt poſſent Generales, & Prouinciales, iuſta interveniente cauſa, diſpenſare cum ſuis ſubditis, vt poſt vigeſimum ſecundum annum ad Sacerdotium admittantur. Et quamuis tale priuilegium fuerit per Concilium Tridentinum reuocatum, *ſeſſ.* 23. *c.* 12. *de reform.* poſteà tamen Pius V. viuæ vocis oraculo edito ano. 1563. die 23. Martij, eiſdem minoribus conceſſit, vt in conſcientia poſſent vti omnibus priuilegijs conceſſis ſuæ Religioni à ſuis prædeceſſoribus, etiam Tridentino aduerſantibus. Et quamuis hoc viuæ vocis oraculum per Greg. XIII. reuocatum fuerit, quatenùs Tridentino cōtrarium, poſteà tamen illud pro foro conſcientiæ Mendicantibus reſtituit, vt teſtantur Cardinales Sacræ Congregationis Concilij Tridētini, & proptereà hoc priuilegio vti poſſe in conſcientia adhuc poſt Tridentinum, aſſerunt Hieron. Sorbua *in comp. priu. Mendic. tit.* Diſpenſation. 15. Emanuel Sà, *Religio, nu.* 56. Vega *in ſumm. to.* 1 *c.* 62. *caſu* 4. Enriquez, *lib.* 6. *de pœnis c.* 16. §. 3. *lit.* P. & Portel. *loco infra citando*, non audet hanc opinionem condemnare.

*Oppoſitum omninò tenendum.*

37. Certiſſimè nihilominùs dicendum eſt, poſt Tridentinum non poſſe Regulares hoc priuilegio vti. Primò, quia de reuocatione priuilegiorum regularium quoad hoc, conſtat clariſſimè ex *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 12. ibi: *Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuſcumque quoad hoc penitùs excluſis.* Cum ergò clarè de reuocatione conſtet, & de reſtitutione valdè obſcurè, non poſſumus certum pro incerto relinquere. Secundò, quia omnia viuæ vocis oracula ſunt reuocata per Gregorium XV. *conſtitutione* 27. & Vrbanum VIII. aliâ *conſtitutione* incipiente: *Alàs felicis recordationis* Gregorij XV. Tertiò, quia dato, ſed non conceſſo, Regulares Prælatos poſſe in conſcientia vti huiuſmodi priuilegijs; cæterum cum debeant ſubditos ad Epiſcopos cum litteris dimiſſorijs remittere, in quibus fidem faciant ipſos habere ætatem ſufficientem iuxtà Tridentinum requiſitam; vel in eis huius teſtimonium faciunt, vel non? Si primum, non poſſunt abſque falſitate in re adeò graui concedere tales licentias illis, quos ſciunt non habere ætatem à Tridentino requiſitam. Si ſecundum, cum hoc ſit pro foro exteriori, iam prodeſſent illa priuilegia non ſolùm in conſcientia, ſed etiam in foro exteriori, quod omnes negant. Ita tenent Aueria, & Trullenq. *loc. cit.* Vaſquez, Dicaſtil. Portel *in dubijs regul. verb. Priuilegia*, Leander, *q.* 5. Layman, *tr.* 10. *cap.* 7. *num.* 1. Diana, 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 59. Rodriguez *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 165. §. 3. Granad. *tom.* 5. *in* 3. *p. cont.* 9. *de Sacram. tract.* 3. *diſ.* 2. *num.* 7. Azorius *Mor. inſt. p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *q.* 9. Sayro, *de cenſuris, lib.* 7. *c.* 12. *in fine*, Philib. *nu.* 9. N. Lezana *tom.* 1. *cap.* 14. *nu.* 1. N. Franc. *dub.* 2. *num.* 51. Prodeſſe autem poſſunt prædicta priuilegia, vt, ſi regularis bonâ fide antè legitimam ætatem ordinaretur, poſſet à ſuo Prælato obtinere licentiam celebrandi, completo 22. anno, tutâ conſcientiâ. Ita Vaſquez, Dicaſt. *nu.* 305. Leand. vbi ſuprà.

*Quæ ætas requiratur ad obtinendum Beneficium?*

38. Ad obtinendum aliquod beneficium requiritur ex iure nouo *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 6. annus decimus quartus, & ſufficit, ſi ſit inceptus, quia Concilium eodem vtitur tenore verborum in hoc caſu, atque in præcedentibus, in quibus apud omnes annus inceptus pro completo iudicatur. Ità Philib. *c.* 2. *n.* 17. Enriq. *l.* 10. *c.* 19. §. 2. *cum multis alijs.* Et ad Canonicatũ in Eccleſia Cathedrali requiritur annus 22. inceptus *Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 4. In Collegiata autem ſufficit *annus* 14. ſicut ad alia beneficia ſimplicia, quia Tridentinum nihil circà hoc de nouo decreuit. Si autem beneficium, Dignitas, aut Canonicatus habeat certum Ordinem annexum, tunc promouēdus debet ſaltem in eà ætate eſſe, vt intrà

annum

annum poſſit talem Ordinem recipere. Sic *Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 4. ſeſſ. 24. cap. 12.* Ad Beneficium Curatum annus 25. cœptus requiritur. Ita *Concilium dicta ſeſſ. 24. cap. 12.* elapſo autem anno, poſt beneficij aſſecutionem, debet vel illud renunciare, vel Sacerdotium recipere. Dignitas verò, quæ habet iuriſdictionem in foro exteriori viſitandi, excommunicandi, interdicendi, eandem ætatem exigit, quam Beneficium Curatum. Ità ex multis Sanchez, *Conſil. tom. 2. lib. 7. cap. 3. dub. 23. num. 10.*

*Quam pœnam incurrit, qui antè legitimã ætatem ordinatur.*

39. Qui abſque ætate legitimâ Ordinibus ſacris ſcienter ordinatus fuerit, incurrit pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrendam in perpetuum; & non ſolùm vſque ad tempus, quò ætas requiſita ad Ordinem impleatur, vt dixit Corduba, *in ſumm. caſ. 143.* & Soto, *in 4. diſ. 25. q. 1. art. 2.* qui iudicant non indigere diſpenſatione huiuſcemodi ordinatum, vt expletâ ætate, in ſuſcepto Ordine miniſtret; ſed certè indigere diſpenſatione docent communiter Doctores, quæ ſolùm à Summo Pontifice poteſt obtineri, niſi quandò eſt ſecreta huiuſmodi ſuſpenſio, quia tunc Epiſcopus poteſt eam impertiri ex conceſſione *Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6.* & ſi antè illam miniſtrauerit, incurrit irregularitatem Papæ reſeruatam. At verò, quandò quis bona fide, & ex ignorantia, etiam culpabili, & craſsâ (ſi affectata non fuerit) antè ætatem requiſitam ordinatus fuerit, completâ illâ, poteſt ſinè nouâ diſpenſatione Ordines exercere; ſi verò antè illam in eis exerceatur, peccabit quidem mortaliter, ſed irregularitatem non incurret, quia hæc pro his, qui præſumunt ad Ordines aſſumi abſque legitima ætate, & in eis miniſtrant, impoſita eſt, & non cenſetur ex præſumptione facere, qui ex ignorantia facit. Ita Aueria, *vbi ſuprà* Trull. *n. 7.* Villalob. *vbi ſup. nu. 7.* Leand. *q. 13.* Dian. *3. part. tract. 4. reſol. 142.*

*vide N. Lezan. loc. cit. num. 2. & ſeq.*

## PVNCTVM II.

### *De moribus, & ſcientiâ requiſitis in recipientibus Ordines.*

*Vita, & mores honeſti in ordinãdis requiruntur.*

40. AD hoc vt aliquis ad Ordines promoueatur, bonitas vitæ requiritur, non illa ſolùm, quæ ad receptionem omnium Sacramentorum licitam, poſtulatur, nimirum quod ſit expers lætalis culpæ, ſed vltrà requiritur, quòd ſit honeſtis moribus imbutus, ſobrius, caſtus, &c. Et ſic ad alia Sacramenta recipienda examen de vitâ, & moribus non exigitur, ſicut ad hoc petitur à *Concil. Tridenc. ſeſſ. 23. cap. 7.* Debet tamen hoc examen fieri à proprio Epiſcopo, qui dat litteras dimiſſorias *Trid. ſeſſ. 23. c. 3. de reform.* In Regularibus verò à ſuis proprijs Prælatis. Epiſcopus verò, qui ordinat, acquieſcere poteſt commendationi, & approbationi illius, qui ſibi ſuum ſubditum litteris mittit. Similiter etiam in Regularibus ſuorum Prælatorum approbationi. Peccaret autem mortaliter Epiſcopus, qui proprios ſubditos, vel alienos, quos ſcit eſſe indignos, aut moribus, & vitâ deprauatos, ordinaret, quia infideliter in re grauiſſimâ agit officium diſpenſatoris. Sic D. Tho. *in 4. diſ. 24. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 4.*

*Non ſufficit quod Epiſcopus neſciat eſſe malũ, qui ordinandus eſt.*

41. Non autem ſufficit quod Epiſcopus neſciat ordinandum eſſe malum, vt abſque peccato ipſum ad Ordines admittat, ſed tenetur adhibere diligentiam, & examen, vt certitudo moralis habeatur de moribus, & vita ordinandi, quando talis eſt ignotus. Sic ſtatuitur in *Concil. Carthaginenſi 3. c. 22.* & habetur *in cap. nullus, diſ. 24.* Quandò autem conſtat de modo honeſto, & virtuoſo alicuius, vel quando eſt notus Epiſcopo, & habitus in communi opinione vt virtuoſus, ab huiuſmodi examine poteſt Epiſcopus abſtinêre, & ad Ordines ſacros, ſi ſcientiâ competenti pro illis polleat, illum admittere, vt habetur *in cap. nullus, diſ. 14. & ibi Gloſſa.*

*Modus examinandi Clericos ſæculares.*

42. Examen circà vitam, & mores Clericorum ſæcularium debet fieri in hunc modum. Pro minoribus Ordinibus (vt traditur in *Trid. ſeſſ. 23. c. 5.*) ſufficit, ſi bonum teſtimonium eius à Parochò, vel Magiſtro Scholæ, in quâ eſt educatus, habeatur. Promouendus autem ad maiores Ordines, antè adire debet per vnum menſem Epiſcopum, qui vel Parocho, vel alio, quem ad id idoneum iudicauerit, committat, vt nomen, & deſiderium ordinandi publicè in Eccleſia proponat, de illius genere, vitâ, moribus, naturalibus, & ætate inquirat, vt per ſe, vel per litteras apud Epiſcopum teſtimonium faciat. Sic habes apud *Trid. eodem cap. 5.* Poſtcà die proximo ante ordinationem, vel alio qui Epiſcopo opportunus videatur, conuocare debet ordinandos, & adhibitis alijs Sacerdotibus, ac viris prudentibus, & peritis examinare debet diligenter genus, perſonam, ætatem, mores, & fidem illorum. Ita *Trident. 22. c. 7.* Tertiò, in ipſa ordinatione actuali per Archidiaconum interrogare debet, an aſſiſtant ordinandi, qui ſint vitâ, & moribus digni. Quid autem intelligatur per genus, vitam, ætatem, perſonam, & fidem ordinandi, de quibus examen præcedere debet, videatur Sanchez, *in ſumm. tom. 1. lib. 1. cap. 28.* Trull. *lib. 6. c. vnic. dub. 14.*

*Etiam qui ordinantur de ſcientia ſunt examinandi.*

43. Præter probitatem vitæ, debent etiam eſſe præditi ſcientiâ ad Ordines promouendi, & ideò *Oſeæ, 4.* dicitur: *Quia ſcientiam repuliſti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.* Hæc ſcientia maior, vel minor pro diuerſis Ordinibus exigitur à *Concil. Tridens.* Nam ad primam tonſuram *ſeſſ. 23. cap. 4.* petit, vt ſit in rudimentis fidei inſtructus, & ſciat legere, & ſcribere non autem eſt neceſſe, vt legere ſciat latinè, ſed ſufficit ſi in proprio Idiomate id ſciet, vt latè probat Sanchez, *to. 2. Conſil. lib. 7. cap. 3. dub. 45. num. 10.* Pro minoribus Ordinibus requiritur vltrà iſta, vt ſaltem Latinam linguam intelligat. *Trid. ſeſſ. 23. cap. 11.* vbi inquit: *Minores Ordines ijs, qui ſaltem Linguam Latinam intelligant, per temporũ interſtitia niſi aliud Epiſcopo magis expediens videretur, conferantur.* Vbi dubitatur ab doctoribus, an hoc Epiſcopi arbitrio ſit commiſſum, vt ſcilicet poſſet ordinare eum, qui neſcit linguam Latinam, eſt tamen bonæ indolis, & pro ætate docilis, qui ſuo tempore diſcere poſſit. Affirmant Menochius, *lib. 2. de arbitrar. centur. 5. caſ. 425. nu. 56.* & probabiliſſimum dicit Sanchez *nu. 13.* ex Innocentio, Dominico, Turrecrem, & Rebuſo, quamuis ipſe *num. 14.* & meritò teneat oppoſitum, quia ibi ſolum quoad interſtitia relinquitur ad arbitrium Epiſcopi, vt communiter docent Doctores, non quoad ſcientiam.

*Qua ſcientia requiratur ad Ordines maiores.*

44. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum eadem *ſeſſ. c. 13.* petit, vt ſciat linguam Latinam, qua id, quod legit, intelligat, & quòd ſit inſtructus in his, quæ ad ſuum Ordinẽ pertinent. Ex quo fit nõ licere promouêre ad maiores Ordines, vel ad

Beneficium admittere, qui neſcit recitare horas Canonicas, ad quarum recitationem ſtatim obligatur, niſi ex ingenio, & alijs circumſtantijs colligatur probabiliter ipſum recitaturum ſtatim poſt acceptum Ordinem ſacrum, aut Beneficium, & proponat firmiter id facturum poſtquam eum acceperit. Ita docet Sanchez, *loc. cit. n. 6.* Ad Sacerdotium, præter dicta, exigit Concilium, *dictâ ſeſſ. c. 13. 14. & 15.* vt ſacrificium illud intelligat, vt ſcilicet materiam, formam, rectam diſpoſitionem animæ, quam petit, ſciat, & Sacramentorum, quæ miniſtrare poteſt, videlicet Euchariſtiæ, Baptiſmi, & Extremæ vnctionis. Non autem tanta ſcientia in eo requiritur, ac in eo, cui traditur cura animarum, quibus Sacramentum Pœnitentiæ debet impertiri, quia quamuis hoc quilibet Sacerdos in caſu neceſſitatis poſſet miniſtrare, caſus autem eſt rariſſimus, & ſic pro eo non debet exigi eadem rerum, peccatorum, & Sacramentorum notitia, quæ pro Miniſtro frequenti talis Sacramenti requiritur. Ita Auerſa, *qu. 3. ſect. 8.* Philiber. *tr. 1. part. 5. c. 1. nu. 12.* Rodriguez, *tom. 1. quæſt. Regul. q. 24. art. 7.*

*Scientia pro Epiſcopo requiſita.*

45. De Epiſcopo ſtatuit *Concilium ſeſſ. 22. c. 2. Scientia huiuſmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere; ideoq; antea in vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiuè Doctor, aut Licentiatus in Sacrâ Theologiâ, vel iure Canonico meritò ſit promotus, aut publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur, quod ſi Regularis fuerit, à Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat.*

*Quod peccatum ſit illiteratos ordinare.*

46. Peccabit autem mortaliter Epiſcopus, qui idiotas, ſeu neſcientes ea, quæ à Concilio decernuntur, ordinaret, quia in re grauiſſima, qualis eſt idoneos Eccleſiæ Miniſtros aſſignare, contrà præceptum Concilij ageret, maximamque ſtatui Eccleſiaſtico irrogaret iniuriam. Quare per ſe, vel per idoneos Examinatores, tenetur examinare omnes ordinandos, niſi aliundè ſint apud omnes in opinione literatorum habitos, vel ſibi de hoc manifeſtè conſtet, & niſi Regulares fuerint, vel literas dimiſſorias cum teſtimonio ſui Prælati de ſufficientia afferant; quia in hoc duplici caſu, quamuis examinare vnos, & alios Epiſcopus Ordines conferens poſſet, & quos indignos repererit, ab Ordinibus repellere, acquieſcere tamen poteſt teſtimonio ſuorum Prælatorum, & ideò Regulares poteſt ſine examine ad Ordines admittere, Aueria, *q. 3. ſect. 8.* Muñd *in Manual. Prel. q. 39.* N. Am. *ſect. 4*

*Regulares cum minori ſcientia poſſunt ordinari.*

47. Pro Regularibus ordinandis minor ſcientia requiritur, quam in Clerico ſæculari, vt docet Soto *in 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 4.* Philib. *num. 9.* Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 46. num. 14.* ſed ſufficeret, ſi ipſe benè legeret, & caneret, vt poſſet ad ſacros Ordines promoueri, quia, cum degat in aliorum ſocietate, poteſt meliùs omnia ſua munera exercenda addiſcere, eaque ſcire, quæ ad illa pertinent, etiamſi non tanta ſcientia polleat. Et idem dicimus de Sacriſtis, Cantoribus, & alijs in officijs diuinis verſatis, qui, ſi rectè legere, & canere, & miniſteria pro Ordine ſuſcipiendo exequi norunt, poſſunt, licèt illiterati ſint, ad Ordines promoueri, videantur Enriquez, *lib. 1. cap. 16. num. 2. & lib. 4. c. 11. num. 8.* Rodriguez *loc. cit.*

*An ſit illiteratus irregularis*

48. Sed inquires: An illiteratus ſit irregularis, ita quòd ſi Ordines ſuſcipiat, in eorum exercitio peccet mortaliter? Affirmant Ledeſm. *in ſumm. c. 7. de Ord. concluſ. 4.* Diana, *2. p. tract. 16. reſolu. 31.* Bonacin. *diſ. 7. de cenſ. quæſt. 1. num. 2.* Sanchez, *num. 3.* Imò dicunt non poſſe Summum Pontificem in huiuſmodi irregularitate diſpenſare, quia eſt contra ius diuinum, vt habetur Oſeæ 4. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam.* Et contrà naturale, vt quis ad miniſterium aſſumatur, qui ineptus eſt ad tale miniſterium. Negant verò eſſe talem irregularitatem, Enriques, *lib. 10. de Ord. cap. 16. num. 2. & lib. 4. cap. 8. num. 11.* Auerſa *quæſt. 3. ſect. 8.* & ideò licèt ſecundùm opinionem horum Auctorũ peccaret huiuſmodi idiota ad Ordines accedendo, non verò ſi poſtea in illis miniſtraret.

49. Nos verò cum Philibert. *tract. 1. p. 5. cap. 1* Sayro, Reginaldo, Hugolino, Homobono ab ipſo citatis mediâ viâ incedimus: & dicimus, quòd ſi talis illiteratus omninò ſit idiota, vt nec prima limina Grammaticæ ſalutauerit, eſt irregularis, nec poteſt etiam à Summo Pontifice de hac irregularitate diſpenſari, vt rectè docent Doctores primæ ſententiæ, qui nil aliud profectò volunt. Si verò aliquantulum ſit literatus, non tamen tantum quantum à Tridentino exigitur, non eſt irregularis, & ſic peccabit recipiendo Ordinem, non verò exercitium Ordinis faciendo, quod procul dubio intendunt Doctores ſecundæ ſententiæ, & ideò à Summo Pontifice poterit ſuper hoc diſpẽſari, quia hoc impedimentum eſt ab Eccleſia introductum, & ſic ab illius Capite poteſt reſcindi.

## PVNCTVM III.

### *De recta intentione pro receptione Ordinum requiſita.*

*De intentione requiſita in recipiente Ordines.*

50 NOn loquimur in hoc puncto de illa intentione formali, vel virtuali, habituali, vel actuali, recipiendi Ordines, quæ pro validâ omnium Sacramentorum, ſiuè adminiſtratione, ſiuè receptione requiritur, de quâ, *tom. 1. de Sacramentis in genere* actum eſt, ſed de ſpeciali intentione ad hoc Sacramentum requiſita vlteriùs procedendi in Ordinibus, vt qui vnum ſuſcipit, animum habeat ad alium aſcendendi, circà quod quinque ſe offerunt diſcutienda. Primum: An ſit peccatum Ordines minores ſuſcipere animo declinandi poteſtatem ſæcularem, & poſteà à Clericatu recedendi? Secundum: An ſit lethale Ordines ſuſcipere animo in eis permanendi ad tempus, & non aſcendendi ad alios, ſed permanendi in minoribus perfruendo priuilegijs, & alijs exemptionibus vſque dum occaſio vxorem ducendi ſe offerat, vel aliquid aliud id generis? Tertium: An ſit lethale Ordines ſuſcipere animo perfruendi ad tempus Beneficij pinguioribus, & poſteà recedendi à ſtatu Clericali, ducendo vxorem? Quartum: An ſit lethale Ordines minores ſuſcipere, vel alium ſacrum animo ibi manendi, & non vlteriùs progrediendi? Quintũ: An ſit illicitum Clerico minoribus initiatò à Clericatu recedere, vxorem ducere, & ad ſtatum laicalem reuerti?

*Ordinatus in minoribus poteſt abſque peccato vxorẽ ducere.*

51. Sed à certioribus incipiendo, dicimus proculdubio non peccare mortaliter Clericum minoribus, aut tonſurâ initiatum vxorem ducendo, quia de hoc nullum extat præceptum, & videtur Eccleſia id permittere, quandò votum caſtitatis tali Clericatui non adiunxit, quare ſi ex iuſtâ cauſâ id faciat, vel, vt euitet periculum incontinentiæ, vt maioratui ſuæ familiæ ſucceſſorem relinquat, vel vt vxorem nobilem, vel prædiuitem accipiat, &c.

Digitized by Google

&c. nec venialiter peccabit, ſecus autem ſi abſquè iuſta cauſa faciat propter inconſtantiam animi, qua ſinè rationabili occaſione ab incepto ſtatu reſiluit. Ita communiter Doctores vno excepto Caiet. *qui 2. 2. qu. 12. art. 1.* dixit hoc eſſe peccatum mortale, Apoſtaſiæ ab Ordine, quamuis ipſe, re meliùs inſpectâ, in ſummâ, verbo *Apoſtaſia*, mitius ſentierit, & non eſſe læthale delictum eum exceſſis teneat.

*Poteſt quis ordinem inferiorem recipere animo ibi permanendi.*

52. Etiam eſt certum apud omnes non eſſe peccatum mortale Ordines minores, vel Subdiaconatum, aut Diaconatum recipere animo ibi permanendi, & non aſcendendi ad alios, ſed miniſtrandi debitè in Ordine ſuſcepto, & in eo perſeuerandi, niſi ratione alicuius beneficij altiorem gradum exigentis, aut alterius rei cauſa ad id adſtringatur, vt diximus *c. 1. nu. 35.* quia omnes Ordines per ſe ſunt quidam gradus, & in eis ſiſtere licet miniſtrando in ipſis, & Domino pro viribus deſeruiendo, id, quod feciſſe D. Franciſcum legitur, qui ab Ordine Diaconatus ad Presbyteratum noluit aſcendere, & colligitur *ex cap. 1. de filijs Presbyterorum in 6.* vbi conceditur facultas Epiſcopo diſpenſandi cum illegitimo ad ſuſcipiendos minores Ordines, quamuis non ad maiores: Ergo in minoribus licitè poteſt permanere.

*An ſit læthale minores Ordines recipere animo recedendi ab eis?*

53. An verò ſit læthale minores Ordines, aut tonſuram recipere animo ſolum ad tempus in eis deſeruiendi, recedendi verò poſteà, vt vxorem ducat, & interim Beneficijs, aut priuilegijs Clericalibus perfruendi? Diſſidium eſt apud Auctores. Partem affirmatiuam defendunt Bañez *2. 2. quæſt. 12. art. 1. concluſ. vlt.* Petrus de Ledeſma, *dub. 5. concluſ. 2.* Molſeſ. *in ſumm. tract. 2. cap. 17. num. 1.* Philibert. *part. 8. cap. 1. num. 9.* eo quòd ſit irridere illum ſtatum, ad illum accedere animo eum relinquendi, magnaque leuitas, & animi inconſtantia. Quare dicunt hi Auctores, quòd ſicut ingredi in Religionem animo non perſeuerandi, ſed ex alia cauſa eſt irridere illam, & magnam iniuriam ipſi irrogare, & ſic peccaret mortaliter, qui cum tali animo ad Religionem accederet, ſic in noſtro caſu, & ideò peccabit mortaliter, & recipiens, & conferens illi, quem ſcit tali intentione accedere.

54. Ex alia parte ſunt grauiſſimi Auctores, qui negant eſſe mortale, minores Ordines tali animo recipere, & ſic nec ordinatum, nec Epiſcopum ordinantem in tali caſu peccare mortaliter (venialiter tamen peccare nullus dubitat) quia ſecluſo contemptu, & aliâ prauâ circumſtantiâ, non apparet in hoc grauis deformitas, nec aliquod præceptum datur illud prohibens, aut ad oppoſitum adſtringens, nam Concilium verbis ſtatim adducendis ſolùm prohibet, ne quis animo fraudulenter euadendi poteſtatem ſæcularem tonſura, aut minoribus initietur.

55. Et eſt diſpar ratio inter hunc caſum, & illum accedentis ad Religionem animo in ea non perſeuerandi; Nouitiatus namquè ad hoc præcisè ordinatur, vt quis experiatur Religionis obſeruantiam, & inter fratres verſetur, vt per communicationem, & conuictum illorum videat, an ſibi expediens ſit in tali ſtatu profiteri. Qui verò abſquè intentione perſeuerandi ingreditur, ad nihil horum attendit, imò omnia hæc contemnit: At Ordo quilibet ad hoc per ſe primò ordinatur, vt in eo quiſlibet Deo ſeruiat, ſuum proprium munus exercendo, quod exequi valet, etiamſi non intendat vlteriùs progredi, ſed ſolùm pro illo tempore in tali miniſterio Domino deſeruire, vſque dùm aliud ſibi conuenientius appareat. Sic Auerſa, *quæſt. 4 ſect. 2.* Dicaſtill. *tract. 6. diſ. 1. dub. 22. num. 329.* Villalob *tom. 1. tract. 11. diffic. 14. num. 2.* Coninc. *diſ. 20. dub. 10.* Bonacin. *de matrim. quæſt. 3 punct. 9. num. 5.* Sanchez *lib. 7. de matrimon. diſp. 31. nu. 17.* Leand. *tract. 6. diſ. 7. quæſt. 9. n.* Ant. *diſp. 4 ſect. 5.* Vtraque eſt opinio probabilis. Prima ſecurior, quamuis hæc ſecunda mitior, & fragilitati hominum maximè hac ætate vigenti patrocinetur.

*An verò minores Ordines, vel primam tonſuram aſſumere animo euadendi poteſtatem ſæcularem ſit læthale?*

56. An verò peccaret mortaliter, qui animo euadendi ſæcularem poteſtatem primam tonſuram, & Ordines minores acciperet, & poſtea ad ſtatum laicalem regrederetur? Negant adhuc Dicaſtill. Coninch. Bonac. Sanchez, Villalob. *loc. cit.* quia in hoc vtitur iure ſuo, nec adeſt præceptum in contrarium, nam Concilium, quod in oppoſitum adducitur, vel non exprimit aliquod præceptum, vel ſolùm prohibet hoc animo Ordines aſſumere ex fraude, & deceptione, aliauè malitia comitante.

57. Sed nihilominus probabilius dicendum eſt peccare mortaliter. Sic Philib. *loc. cit. nu. 3.* Leand. *qu. 12.* Ledeſm. Bañez, Molfeſ. citati quibus adde Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 11. nu. 10.* Rodrig. *in ſumm. cap. 17. num. 2.* quia in *Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 4* præcipitur: *Prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis coniectura non ſit, eos non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed, vt Deo fideliter cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.* Sed in his verbis præceptum includi, inde conſtat, quia Concilium eodem modo prohibet initiandum tonſura non confirmatum eſſe, & inſcium legendi, & ſcribendi, vel in rudimentis fidei non inſtructum, ac prohibet eum initiari, qui, vt ſæcularem effugiat poteſtatem, ad hoc venit; ſed omnes fatẽtur eſſe de primo præceptum: Ergo etiam de ſecundo; præterquàm quòd tàm ſæculari poteſtati, quàm Chriſto, vel Eccleſiæ iniuriam irrogat, ſi vt præcisè euadat illius iudicium ad Chriſti gremium accedit, ſemperque in hoc fraus reperitur, & ideò tàm ordinans eum, quem prudenter iudicat hoc animo accedere, quàm ordinatus peccant mortaliter, niſi fortaſſe primariò intendat Deo in illo Ordine ſaltem ad tempus deſeruire, & ſecundariò & minus principaliter euadere ſæcularẽ poteſtatẽ.

*Qui animo Beneficium obtinendi ordinatur peccat mortaliter.*

58. Peccat ſimiliter mortaliter, qui animo obtinendi pingue Beneficium, ordinatur, ſi hic ſit illius principalis, & vnicus finis. Si autem principaliter, vt in Ordine accepto deſeruiat Deo, ordinetur, & ſecundariò, vt Beneficio perfruatur, non peccabit mortaliter: Ratio quare talis mortaliter delinquat ea eſt, quia fruitur vtendis, & vtitur fruendis, medium aſſumit vt finem, & finem vt medium; Ordine, qui ad obſequium Dei ordinatur, vtitur in ordine ad diuitias, quas per Beneficium acquiret, quando iſtud vt medium debet attendi, vt in Ordine commodiùs, & decentiùs miniſtretur, ordinatq; peruersè rem adeò ſpiritualem, vt eſt Ordo, ad rem temporalem, vti ſunt redditus ex Beneficio prouenientes. Et ideo docet ſectè D. Thom. *2. 2. quæſt. 185. art. 1.* læthaliter delinquere appetentem Epiſcopatum ob diuitias propter eandem rationem. Et ſic etiam læthaliter pec-

eat, qui Presbyterarum, aut alium Ordinem ſuſcipit, vt eas obtineat vnicè, & principaliter. Ita Philibert. *cap. 5. num. 13.* & apud ipſum Sotus, *lect. 3. de ſcientia, & moribus Sacerd.* Barboſ. *tract. de Canonicat. cap. 16. num. 22.*

*Peccat, qui Beneficium recipit, praecisè vt eius fructibus perfruatur.*

59. Et ſimiliter mortaliter peccaret, qui Beneficium reciperet ex ſolo, vel præcipua intentione, vt eius fructibus alatur, donec ſtudia perficiat, vel valdè diuitem vxorem inueniat, & tunc recedat à Clericali dignitate. Ita Philib. *num. 18.* Syluest. *verb. Beneficium*, Gabriel. Caiet. 22. *qu. 185. art. 1.* Leſ. *lib. 2. de iuſt. cap. 34. dub 26. num. 132.* Toletus *lib. 5. cap. 5.* quamuis Sanchez, *lib. 7. de Matr. diſ. 45. num. 19.* ex Nauarro, *cap. 21. num. 52.* dicat ſolùm venialiter delinquere.

*An teneatur ad reſtitutionem fructuum.*

60. Sed inquires. An, qui hoc modò beneficium ſuſcipit, teneatur reſtituere fructus quos recipit in tempore, quo potitur Beneficio? Affirmant Syluest. Gabriel. Philibert. vbi ſup. & apud iſtum Graff. *part. 1. deciſ. lib. 2 cap. 97. nu. 55.* Garc. *de beneficijs, lib. 7. cap. 4. num. 37.* E contrà verò negant teneri ad reſtitutionem, Leſ. *loc. cit.* Toletus, *vbi ſup.* Sanchez, *num. 13.* Nos verò cum diſtinctione loquimur, nam vel Beneficium eſt Curatum, vel non. Si hoc ſecundum recipiat aliquis animo fruendi eius fructibus, & reſiliendi, quandò prædiuitem inuenerit vxorem, non tenetur ad reſtitutionem fructuum, quos recipit, & hoc intendunt Leſ. Sanchez, & Toletus. Si autem Curatum ſit, apud omnes tenetur fructus receptos reſtituere. Ita enim diffinitur in *cap. commiſſa, de elect. §. cæterùm, in 6.* Niſi fortè quis vel recipiat Beneficium Curatum animo non ſuſcipiendi Ordines poſt annum, & poſteà animum mutauerit, & eos recipiat, vel ſub dubio id acceperit animo perſeuerandi, & aſcendendi ad Ordines ſacros tempore à iure ſibi præfixo, niſi interim feliciùs ſibi contingat, vt matrimonium valdè nobile, aut mors fratris primogeniti, & ſic in maioratum intret, de quo vide Sanchez, *loc. cit. num. 9.*

## CAPVT VI.

### *De obligationibus ordinandorum.*

PLures ſunt ordinandorum obligationes, aliquas ex illis ſparſim in hoc tractatu tetigimus; alias alibi tractandas relinquemus. Nam de obligatione portandi coronam, & habitum Clericalem egimus, *cap. 3. punct. 1.* De obligatione recitandi horas Canonicas in ſuo proprio tractatu diſcutiemus. Nunc de ſola obligatione cælibatus, quæ propria eſt huius loci, & de obligatione habendi congruam ſuſtentationem, ſeu de titulis, ad quos ordinari poſſunt, & quos habere debent ordinandi, agemus.

*Caput hoc continet duo dubia, & quinque puncta.*
*Dubium I. Vtrùm votum continentiæ ſit ex iure diuino ſacris Ordinibus annexum? num. 1.*
*Dubium II. Vtrùm obligatio continentiæ ſit immediatè ex præcepto Eccleſiæ, vel mediante voto ordinatorum? num. 10.*
*Punct. I. De ijs, quibus ordinati excuſantur ab obligatione voti caſtitatis, num. 40.*
*Punct. II. In quibus caſibus poſſit coniugatus ſacris Ordinibus initiari, num. 51.*
*Punct. III. De duobus titulis, paupertatis, ſcilicèt, & ſufficientiæ, ad quos poſſent Ordinibus ſacris initiari, num. 61.*
*Punct. IV. De Beneficio, ad cuius titulum poteſt quis promoueri ad Ordines ſacros, num. 67.*
*Punct. V. De Patrimonio, ad cuius titulum poterit quis ad ſacros Ordines promoueri, num. 76.*

## D V B I V M I.

### *Vtrùm votum continentiæ ſit ex iure diuino ſacris Ordinibus annexum?*

*Obligatio continentiæ ab exordio Eccleſiæ annexa fuit Ordinibus ſacris.*

1. POſſe Eccleſiam Ordinibus ſacris votum caſtitatis coniungere, obligareque non abſolutè ad illam, ſed ex ſuppoſitione receptionis ſacri Ordinis, & voti in illa emiſſi (ſiuè hoc votum ſit in ipſa receptione implicitum, ſiue ſolùm ex ordinatione Eccleſiæ connexum, de quo dubio ſequenti) certiſſimum eſt apud omnes Catholicos, vt contrà hæreticos totius caſtitatis inimicos probant Valentia, Bellorm. Granad. Soto, & alij, & ex vſu antiquiſſimo Eccleſiæ omnibus eſt notum, & de facto dari talem obligationem ſiue ab Eccleſia, ſiue à Chriſto Domino Ordinibus connexam diffinit *ſacrum Trident. Concil. ſeſſ. 24. Canon. 9.* Nec hoc eſſe nouum, ſed ab ipſis cunabulis Eccleſiæ introductum probat latè Granad. infra citandus, & expreſsè habetur in *Concil. Carthagin. 11. Can. 2.* vbi dicitur: *Placuit, & condecet ſacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.*

*Quid imponet votum caſtitatis quod eſt in Ordine.*

2. Huiuſmodi autem votum ad tria obligat præcipuè: Primum ne quis Ordinibus ſacris initiatus vxorem ducat, imò matrimonium non ſolùm illicitum, ſed irritum reddit. Secundum, vt ſi quis ante ordinationem matrimonium contraxit, ab vxore abſtineat, nec ampliùs cum illa admiſceatur, niſi abſque vxoris licentia ordinem aſſumpſerit, quia tunc, etſi licitè reddere debitum coniugale, non autem petere, poſſet, vt poſtmodùm dicemus. Tertium, vt ab omnibus alijs actibus venereis abſtineat, qui omnibus etiam ſæcularibus extrà matrimonium ſunt vetiti, & ita in illis fornicatio, vel quilibet alius actus inhoneſtus, vltra malitiam propriam, aliam ſacrilegij in confeſſione aperiendam importat.

*Conuenientiſſimum fuit continentiã Ordinibus annecti.*

3. Talis autem continentia iuſtiſſimè ab Eccleſia ſacris Miniſtris fuit indicta: Tum, quia vt inquit Apoſtòl. *1. ad Corinth 7.* Sacerdotes rebus diuinis vacare debent, quod non parùm impeditur per opus, & vitam maritalem: Tum etiam, vt maior reuerentia ipſis à populo exhibeatur: Populus namque non ita venerari conſueuit, quos vix à ſæcularibus reliquis in operibus, & vità communi cernit diuerſos, & ideò apud Græcos, quorum Sacerdotes non adſtringuntur caſtitate, minùs in honore habentur: Tum deindè, vt maiorem exerceant in pauperes miſericordiam, & hoſpitalitatem, quam minùs expeditè poſſent exercere, ſi vxorem, & filios haberent, in quorum alimentis omnia ferè conſumerent, & eos hæredes relinquerent, atque in coacervandis diuitijs traditi eſſent: Tum deniquè, quia iam redditus Eccleſiaſtici, qui à fidelibus offeruntur, paſſim ad cauſas profanas applicarentur, & Epiſcopatus, reliquaquè Beneficia tranſmitterentur ad filios quaſi

quaſi iure hæreditario; vel Eccleſia teneretur ale-re filios illorum poſt mortem ſuorum parentum, & ſic redditus Eccleſiaſtici diſtraherentur, & plura alia incommoda pullularent.

*Non eſt ex iure natura continentia Ordinibus annexa.*

4. Quibus ſuppoſitis inter fideles certiſſimis, nunc inter Catholicos non modicum eſt diſſidium, an hæc obligatio continentiæ Ordinibus ſacris annexa, ab ipſa Chriſti Domini inſtitutione prouenerit, proindeque ex iure diuino ſit, & ſic à nullo Pontifice diſpenſabilis? An verò ſolùm introducta ſit iure poſitiuo Eccleſiaſtico, in qua proindè poſſet ipſa diſpenſare Eccleſia, vel oppoſitum decernere? Quòd enim non ſit iure naturali indicta liquidò apparet; quia licèt conſentaneum ſit ſacris inſeruientem ab vxorio exercitio abſtinere, & non ſit decens Miniſtrum tanto ſacrificio, vti eſt Euchariſtiæ, aſſignatum actibus venereis vacare, non tamen apparet ipſo lumine naturali tanta deformitas in hoc, quando in matrimonio ſanctè, & honeſtè habeatur, vt ex ipſa naturâ vetitum iudicetur; & ſic Miniſtri antiquæ legis, imò Summi Sacerdotes vxores ducebant; quod contra ius naturale exercitum, nemo audebit dicere: Quæritur ergò, an iure diuino Chriſti Domini, an ex Eccleſiæ ordinatione id habeatur?

*Argumenta probantia iure diuino eſſe annexã Ordinibus continentiam.*

5. Et videtur hoc eſſe ex iure diuino. Primò, quia *Apocalypſ.* 2. Epiſcopum Pergami ſic reprehendit Ioannes: *Quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſrael edere, & fornicari; ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*: Sed doctrina Nicolai fuit, quia, cùm eſſet vnus ex ſeptem primis Diaconis, voluit adhuc retinere vxorem, vt ſumitur ex Clemente Alexand. *lib.* 3. *Stromatum*, Epiphan. *hæreſ.* 25. Ergò erat ex iure diuino Eccleſiaſticos in ſacris conſtitutos ab vſu abſtinere matrimonij.

6. Secundò, quia Lucæ 21. præcipit ſuis Diſcipulis Chriſtus, vt abſtinerent à curis huius ſæculi. *Et* 1. Petr. 5. iubet Eccleſiæ Paſtoribus, vt omnem ſolicitudinem in Deum proijciant, 2. *ad* Timoth. 2. Illum, & alios Miniſtros Eccleſiæ, admonet Apoſtolus, vt non implicarentur negotijs huius ſæculi. Et tandem *ad* Titum 2. vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria ſobriè, iuſtè, & piè viuant in hoc ſæculo, ſed curare de vxore, & filijs, eſt negotijs ſæculi ſe implicare, mentemque non parum à Dei obſequio diuertere: Ergo præcipitur eis continentia, vt ab huiuſmodi curis abſtrahantur.

7. Tertiò, quia ſtatus Epiſcoporum perfectior eſt ſtatu Religioſo, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 184. *art.* 7. ſed ſtatus Religioſus ex iure diuino, & eſſentialiter habet annexum votum caſtitatis, vt latè probat Sanchez, *tom.* 7. *de Matrimon. lib.* 7. *diſ.* 25. *num.* 8. Ergò etiam ſtatus Epiſcoporum; & idem eſt de alijs Presbyteris, & Diaconis. Vnde, 1. *ad* Titum, docet Apoſtolus debere Epiſcopum eſſe continentem, & 1. *ad* Timoth. 3. debere eſſe pudicum, & ſimiliter Diaconos; & nomine Epiſcoporum veniunt etiam Presbyteri, nomine Diaconorum etiam Subdiaconi, vt tradunt communiter Doctores.

8. Quartò, quia ab Apoſtolorum tempore Eccleſia Latina, & Græca ſemper obſeruauit, ne matrimonium ineant, qui ad Ordines ſacros ſunt promoti. Ergò hoc eſt ex iure diuino, aliàs non tanto tempore in vtraque Eccleſia vigeret iſta conſuetudo, niſi eſſet per Apoſtolos à Chriſto Domino tradita.

*Auctores praedictæ ſententiæ.*

9. Et ideo hanc ſententiam tenet in primis Maior *in* 4. *diſ.* 24. *tota q.* 2. *n.* Waldenſis, *de Sacram. tom.* 2. *c.* 128. & probabilem vocat Azorius, *l.* 3. *inſt. Moral. c.* 12. *q.* 1. & ex parte defendit Clithobæus, *l.* 1. *de continent. Sacerd. cap.* 4. Torreoſis, *lib.* 2. *de dogmat. charact. fol.* 85. quatenùs docent, quòd licèt non ſit vetitus iure diuino vſus matrimonij, antè Ordines contracti, eſt tamen ipſo iure diuino prohibitum, illud poſt Ordines contrahere. Sed certè inconſequenter, vt benè probat Becano, *cap.* 26. *de Sacrament. in ſpecie*, *quæſt.* 10. *num.* 4. quia matrimonium contrahere, non poteſt eſſe ſacris Miniſtris illicitum, niſi propter vſum illius, & ea, quæ ad talem vſum conſequuntur, cùm Matrimonium ſit Sacramentum ſanctum, & contractio illius ſit quid iuſtum, gratiam impertiens: Ergò, ſi vſus illius non prohibetur iure diuino, multò minùs contractio matrimonij. Ac tandem Michael de Medina, *lib.* 7. *de ſacrorum hominum continentia*, *cap.* 7. vbi latè probat, quod licèt iure diuino non prohibeatur aut contractio matrimonij, aut continentia ab vxore anteà habita, benè tamen vſus illius ſimul cum Ordinum vſu, ſed vtrumque ſimul exercere, & in ſacris miniſtrare, & vxore frui, eſſe iure diuino vetitum.

*Argumentum ſed contra.*

10. Sed contrà eſt, quod *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 24. *Canon.* 9. ſic habet: *Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto*, &c. Ergò ſentit, quòd vel ex inſtitutione Eccleſiæ, vel ex voto ad continentiam tenentur, non autem ex iure diuino.

*Non eſt ex iure diuino continentia Ordinibus iuncta.*

11. Reſpondeo igitur dicendum, quòd licet emiſſo iam voto ſolemni caſtitatis ſit ex iure diuino obligatio illud obſeruandi (in quo nemo dubitat, cùm obligatio voti in qualibet materia ſit ipſo iure diuino impoſita) at non eſt ex iure diuino præceptum, quòd ſacris Ordinibus votum caſtitatis annectatur, vel quòd ordinati ex ipſa receptione Ordinum obligentur ad continentiam obſeruandam, ſiuè non contrahendo matrimonium, ſiuè abſtinendo ſe ab vxore, cum qua antè receptionem Ordinum contraxerat, ſiuè non coniungendo vſum matrimonij cum exercitio Ordinum ſacrorum; ſed omnia hæc ſolùm ex Eccleſiæ inſtitutione diuerſis temporibus fuerunt introducta, ac proinde poteſt ipſa Eccleſia in hoc diſpenſare, ſiue licentiam contrahendi matrimonium Clericis relaxando, ſiue concedendo licentiam ad vſum illius contracti iam ante Ordines ſacros, ſiue indulgendo, vt ſimul quis miniſtret in ſacris, & cum vxore viuat. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *in corp.* Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tr.* 27. Soto *in* 4. *diſ.* 57. *q.* 1. *art.* 2. Aragon 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 11. *notabil.* 1. Sanchez, *tom.* 2. *de matrimon. lib.* 7. *diſ.* 27. *num.* 5. Philibert. *tract.* 2. *part.* 6. *cap.* 8. Baſilius Legion. *lib.* 7. *cap.* 24. Granad. *tract.* 4. *de Ord. contr.* 9. *diſp.* 1. *ſect.* 4. Dicaſtill. *tract.* 6. *diſp.* 1. *dub.* 24. Auerſa, *q.* 4. *ſect.* 3. & eſt communis.

*Probatur ex Scriptura.*

12. Probatur primo, quia id ex iure naturæ non habemus, vt diximus *num.* 4. nec ex iure diuino Chriſti, quia in ſacra Scriptura non adeſt teſtimonium, quo tale præceptum continentiæ ſacris Miniſtris imponatur, quin potius oppoſitum ex ipſa deducitur. Nam, 1. Thim. 3. dicitur: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe vnius vxoris virum, ſuæ*

*domui benè præpoſitum, filios habentem pudicos : Et ad* Titum 1. monens ipſum quales eſſe debeant, qui Presbyteri, & Epiſcopi debeant ordinari air : *Si quis ſine crimine eſſet vnius vxoris vir, filios habens fideles non in accuſatione luxuriæ.* Ergò ex iure diuino potius erat permiſſum ſacris Miniſtris Matrimonium. Ratio vero, quare Apoſtolus potiùs eligendum in Presbyrerum ait eum, qui vnam babe-ret vxorem, quàm qui nullam, optimè reddit Baronius *tom. 1. anno Chriſti* 58. *num.* 14. quia videlicèt apud Cretenſes, de quorum Eccleſia agebat Paulus, mos erat ab infantia pueros vxorem ducere, & ſic rarò inueniretur vir prouectæ ætatis ſinè illa, & monuit Apoſtolus vxoratum ordinari, ſed cum vna tantum vxore coniunctum, non cum pluribus ſiuè ſimul, ſiuè ſucceſſiuè, vt ſic, & ætatem prouectam pro Ordinibus commendaret, & ſimul bigamiam ab illis abigeret.

*Probatur ratione.* 13. Tertiò, quia in Eccleſia fuit pro diuerſis temporibus maxima circa hoc varietas, & multoties ipſa indulſit in ſacris conſtitutis vxores duceſe, & vſum matrimonij conceſſit. Nam D. Petrus Damian. *in Epiſtola ad* Vmbertum, *Epiſcopum Taronenſem*, refert ex *Concilio Triburienſi* ſtatutum fuiſſe licita eſſe ſacris Miniſtris coniugia poſt ſacram ordinationem. Id ipſum colligit Vaſquez, *tom.* 3. *in* 3. *p. diſ.* 248. *cap.* 2. *ex Concilio Illiberitano, Canon.* 33. *In quo, Canon.* 10. vbi conceditur Diaconis ex licentia Epiſcopi poſſe poſt ordinationem vxores ducere. Et D. Greg. *lib.* 1. *Regiſt. Epiſt.* 42. conceſſit Subdiaconis Siciliæ, vt poſſent vti vxoribus ante ordinationem ductis : & ipſa Romana Eccleſia *in cap. cum olim, de Clericis coniugatis*, concedit Græcis Presbyteris poſſe vxoribus vti; imò poſt ordinationem eas duxiſſe in aliquo tempore probat Philibert. *tract.* 2. *p.* 7. *cap.* 8. *diffic.* 3. quamuis nunc apud illos Ordo dirimat matrimonium contrahendum, vt docet D. Thom. *in* 4. *diſ.* 37. *q.* 1. *art.* 1.

*Reſpondetur ad argumenta contrariæ ſententiæ.* 14. Ad primum ex Apocalypſi reſpondetur errorem Nicolai fuiſſe non ſolùm vxorem ducere, ſed etiam eam alijs exponere ad fornicationem, in quo ſecutus eſt doctrinam Balaam qui perſuaſit Madianitis, vt mitterent ſuas mulieres ad filios Iſrael, vt cum illis inhoneſtè miſcerentur. Vel fortè errauit Nicolaus, quia cum Diaconus eſſet, voluit vxorem ducere poſtquam hoc fuit ab Eccleſia prohibitum. Quia licèt non ex iure diuino, tamen ex tempore Apoſtolorum huiuſmodi continensiam eſſe in Eccleſiâ introductam in ſacris Miniſtris, habetur in *Concil. Carthag.* 2. *Canon.* 2. & latè probant Vaſquez, *tom.* 3. *diſ.* 247. & duabus ſequentibus, Bellarm. *lib.* 1. *de Clericis, à cap.* 18. *vſque ad* 23. Gonet *diſſ.* 3. *art.* 3. & alij; & ſolùm Subdiaconatus, quia non ſemper inter ſacros Ordines annumeratus eſt, poſtmodum habuit talem obligationem ſibi annexam. Quandò verò incepit in Subdiaconis talis obligatio vigere ? Videatur Auerſa, *q.* 4. *ſect.* 5. Philib. *tract.* 2. *p.* 6. *cap.* 8. *diff.* 5. Leand. *tract.* 6. *diſ.* 13. *q.* 2.

15. Ad ſecundum reſpondetur illis locis ſolùm prohiberi nimiam anxietatem circà res temporales ( & non ſolùm circà vxores, & filios ) ne videlicèt anteponantur ſpiritualibus, & ſic non ſolùm ad Sacerdotes, ſed ad omnes fideles diriguntur; & fortè ſolùm conſilium de re perfectiori non præceptum continent, fatemur etiam Epiſcopis, & Presbyteris præcipi, vt caſtè, & ſobriè degant, vt etiam reliquis fidelibus etiam coniugatis hoc ipſum præcipitur; non tamen illis locis matrimonium prohibetur, in quo poſſunt ſobriè, & caſtè viuere, aliàs omnibus eſſet illicitum.

16. Ad tertium reſpondetur, quòd licèt ſtatus Religioſorum in ordine ad alios perficiendos ſit imperfectior ſtatu Epiſcopatus ; at eſt perfectior in ordine ad conſequendam propriam perfectionem, eo quòd omninò mortem ſpiritualem includat. Vndè, ſicut non obſtante maiori perfectione gradus Epiſcopalis, non eſt ei annexa paupertas, quæ tamen eſt de eſſentia ſtatus religioſi, vt probat Sanchez, *tom.* 2. *de matrim. lib.* 7. *diſ.* 25. *num.* 8. ità in præſenti, ſic docet ipſe Sanchez, *eod. lib.* 7. *diſ.* 27. *num.* 7.

17. Ad quartum fatemur, antiquiſſimam hanc conſuetudinem, tàm in Eccleſia Latina, quàm in Græca, & ab Apoſtolis ipſis pro vtraque incepiſſe, vt probant Sotus, *lib.* 7. *de iuſt. q.* 6. *art.* 2. Valent. *hic, punct.* 6. §. 2. Vaſq. *diſ.* 248. Gonet & alij, ſed dicimus pro diuerſis locis, & temporibus variatam fuiſſe; & ſic ſolùm probat fuiſſe ab Apoſtolis edoctam, imò introductam ex præcepto Eccleſiaſtico, non verò ex iure diuino, aliàs numquàm licitè variari poſſet.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm obligatio continentiæ ſit immediatè ex præcepto Eccleſiæ, vel mediante voto ordinatorum ?*

18 Videtur, quòd non ex voto, ſed ex ſola lege Eccleſiæ teneantur in ſacris initiati ad obſeruandam caſtitatem. Primò; quia votum eſt lex priuata, quam quiſque ſua ſponte ſibimet imponit : Ergò non eſt in Eccleſiæ facultate voto aliquem adſtringere, maximè ad rem tam arduam, vt eſt continentia perpetua, quamuis lege ſua poſſit illi continentiam indicere. *Probatur ex lege, non ex voto obligari continentiam Ordinibus annexam.*

19. Secundò, quia poterat Eccleſia per ſe, & immediatè imponere obligationem continentiæ his, qui volunt ad Ordines aſcendere, nec indiget huiuſmodi circuitione, quâ ipſos obligaret ad vouendum, ſicut in ſententia contrariorum, poteſt Clericos obligare ad vouendum : Ergò præſtat ſic dicere, ne videatur Eccleſia illo circuitu egiſſe.

20. Tertiò, quia ſi tale votum daretur, hoc debuiſſet eſſe explicitum, quia, licèt implicitum ſufficiat aliquando, vt in profeſſione Religioſa annum Nouitiatus tranſigere, habitum Religionis portare, & alia propria illius ſtatus exercere, habetur pro implicita profeſſione, hoc eſt per accidens in ſupplementum profeſſionis explicitæ, quæ caſu defuit, per ſe tamen ipſa profeſſio explicita deberet adeſſe : ſemper enim implicitum in ſupplementum expliciti, & per accidens ponitur, ſed in ordinatione explicitum votum continentiæ non emittitur, vt omnes Doctores admittunt, ſed ſolùm implicitum in ipſa Ordinis voluntaria ſuſceptione contentum : Ergò non ex voto, ſed ex lege Eccleſiæ id præcipientis talis obligatio conſurgit.

21. Quartò, quia ſi ex voto ad talem continentiam tenerentur, ſequeretur, quòd ſi aliquis inuincibiliter ignoraret eſſe votum caſtitatis Ordini ſacro annexum, & voluntariè ſuſciperet Or-

dines,

dines, non manerct obligatus ad illam obſeruandam. Nec ſimiliter, ſi aliquis expreſsè nollet vouere illam, quamuis ordinari vellet, quia cum votum ſit lex priuata, quam ſibi vouens imponit, non poteſt ipsâ obligari vel expreſsè nolens, vel ignorantia illud mittens, hoc autem eſt abſurdum, & pluribus inconuenientibus obuium: Ergò, vt hæc euitentur, dicendum erit ex ſolâ lege Eccleſiaſticâ præcipiente caſtitatem cuſtodire omnes in ſacris conſtitutos ad talem obſeruantiam teneri.

*Auctores huius ſententiæ.*

22. Hanc ſententiam probabilem reputat Sanchez, *tom.2 de matri. lib.7. diſ. 27. num.9.* & nos cum illo, tum ob rationes dictas, tum propter authoritatem plurium Doctorum, qui illam defendunt, vt ſunt Valent. 4. *diſ.9. q.5. punct.5. §.1.* Scotus (*& non* Sotus, vt malè afferunt Leander, *&* Philibert. inf. citandi) *diſ.37. qu.1. §. dico igitur,* Palud. *ibi q.1. art.2.* Auerſ. *q.4. ſect.7. §. præferendus,* qui citat alios.

*eadem latè defendit P. Hetinx; num.102.*

*Oppoſitum ex Canonibus deducitur.*

23. Sed contrà eſt, quod D. Greg. *lib.1. Epiſt. 42.* & habetur *Canon. 1. diſt. 28.* dicit: *Nullum facere Diaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum castè promiſerit,* & *cap. Diaconi, eadem diſt. ex Synodo Ancyrana, c.20.* dicitur: *Quicumque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem profeſſi continentiam, &* *cap. cum olim, de Clericis coniugatis,* dicitur: *Nos igitur attendentes, quod Orientalis Eccleſia, votum continentiæ non admiſit,* & alijs pluribus Canonibus, qui videri poterunt apud Auctores infrà citandos, ergo talis continentia non ex præcepto Eccleſiæ immediatè, ſed ex voto ab ordinatis facto conſurgit.

*Reſponſio aduerſariorum.*

24. Nec valet dicere nomine voti ipſam legem, & ſtatutum Eccleſiæ ad continentiam obligantis intelligi, ſicut alijs pluribus locis ab Authoribus citatis adductis appellatur lex continentiæ, præceptum obſeruandæ caſtitatis, mandatum castè viuendi, & nihilominus à noſtris aſſeritur nomine legis, aut mandati ipſum votum intelligi. Ita dicunt illi votum his locis pro ipſa lege caſtimoniæ vſurpari.

*Solutio diſſoluitur.*

25. Sed contrà eſt, quod in reliquis mandatis, & præceptis Eccleſiæ numquàm præceptum ſub nomine voti inuenitur, votum autem nomine legis rectè aliquando ſignificatur, eo quod ipſa lex præcipit, vt tale votum emittatur ſaltem implicitè in Ordinibus ſacris. Vndè, quamuis nomine legis ipſum votum, ad quod immediatè obligat, rectè à noſtris intelligatur, nimis violenter votum pro ipſa lege ab aduerſarijs accipitur.

*Obligatio caſtitatis ex voto, nō ex lege ſurgit.*

26. Reſpondeo igitur dicendum, quod obligatio continentiæ in recipientibus ſacros Ordines non oritur immediatè ex lege Eccleſiaſtica caſtitatem præcipiente, ſed ex voto in ipſo facto Ordinationis ſacræ emiſſo, ac proinde Sacerdos, qui peccatum carnale committeret, nouam malitiam in ſuo peccato haberet contrà religionem aperiendam in confeſſione, niſi cum illo confiteretur, qui ſciret ipſum eſſe Sacerdotem. Concluſionem in eo, quod docet, quòd huiuſmodi obligatio eſt ex voto immediatè non ex lege, tenent in primis D. Thom. 2.2. *q.88. art.11. & in 4. diſ. 37 q.1. art.1.* è noſtris Gabr. *diſp. 2. nu. 55.* Ant. Steph. Franciſc. B. Spei *diſp. vnic. nu. 94. ex extran.* Granad. *d. 5. ſect. 5.* Dicaſtill. *tract. 6. diſ. 1. nu. 386.* Cait. *tom. 1. opuſc. tract. 27.* Phil. *tractat. 2. p. 6. cap. 1. num. 3.* Bellarm. *lib. 1. de matrim. cap. 12.* Vaſquez, Baſilius Ponc. *lib. 7. de matrim. cap. 27.* Leand. *tract. 6. diſ. 13. q. 3.* Sanch. *de matrim. tom. 2. lib. 7. diſ. 27. num. 10.* vbi plurimos refert.

*Aliquorū ratio.*

27. Probant aliqui iſtam concluſionem ex eo quod ſi ex lege, non ex voto Eccleſiaſtico ad caſtitatem adſtringerentur, iam, ſi Sacerdos in peccatum fornicationis laberetur, non haberet duplicem malitiam in ſuo peccato ſpecie diuerſam, quia vltrà peccatum fornicationis non eſſet talis actus ſacrilegium, eo quòd non eſſet contrà votum, ſed contrà nouam legem Eccleſiaſticam, quæ hoc ipſo, quòd cadat ſuper eamdem materiam, non multiplicat ſpeciem in actu contrà eam elicito, ſicut furtum non habet nouam malitiam ex eo, quod ſit lege naturali, & lege humanâ, imò etiam diuinâ prohibitum, quia omnia hæc præcepta cadunt ſuper eamdem materiam.

*Impugnatur talis probatio.*

28. Sed hinc malè deducitur concluſio: Inde enim ſequeretur, quòd ſicut eſt prima opinio probabilis eſſet etiam probabile non fore detegendam in confeſſione circumſtantiam Sacerdotij, aut Ordinis ſacri in illo caſu, ſi nouam induceret ille actus malitiam ſpecificā, quod eſt contrà communem Doctorum ſententiam. Etenim, vt benè docent. N. Salmanticenſ. *tom. 2. in 1. 2. diſ. 8. dub. 2. num. 28.* quando præcepta ex diuerſo motiuo multiplicantur; inferunt inter peccata diſtinctionem ſpecificam, ſicut percuſſio Clerici iure naturali prohibetur ex motiuo iuſtitiæ eo, quòd eſt malum illicitum contrà proximum; & eo ipſo, quod iure poſitiuo prohibeatur ex motiuo Religionis, & in honorem perſonæ Deo mancipatæ, induit malitiam ſacrilegij; & alijs exemplis conſtat ibi, *num. 29.* adductis à prædictis Patribus, ità eſt in caſu noſtro. Quamuis enim ex ſolo præcepto tenerentur Sacerdotes ad obſeruantiam caſtitatis, tale autem præceptum imponeretur ob reuerentiam diuini miniſterij, & ſacri Ordinis, ac proinde ex motiuo Religionis erga Deum, vt benè ait Auerſa *loc. cit.* & ſic adderet nouam malitiam ſpecificam in peccato.

*Ratio concluſionis.*

29. Noſtra ergò concluſio probatur præcipuè ex dictis in argumento, ſed contrà. Deinde, quia ſi ex lege Eccleſiaſtica, & non ex voto Clerici tenerentur ad continentiam, ſequeretur poſſe Pontificem ſine iuſta cauſa, tum aliquos in particulari, tum omnes in communi, à tali obligatione abſoluere, quod eſt contra communem Doctorum ſententiam, quia ſic patêret aditus relaxationi in obſeruantia adeò ſacra, ad decentiam Miniſtrorum Eccleſiæ plurimùm conducente, & probatur ſic: Quia, qui legem ſtatuit, poteſt illam abrogare pro libito, ſemel tamen hac diſpenſatione etiam ſine cauſa conceſſa, poſſent Clerici licitè matrimonium ducere, imò poſſent non ſolùm reddere, ſed petere debitum. Quia ſi ſolùm ex lege Eccleſiaſtica ad obſeruationem caſtitatis tenerentur, illâ ablatâ, nulla maneret obligatio nec abſtinendi à matrimonio, nec ſemel illo contracto, abſtinendi à petitione debiti.

30. Non ſic accidit, ſi ex voto talis obligatio conſurgit: quia, cum ad diſpenſandum in voto requiratur iuſta cauſa, ſinè quâ eſſet nulla, illâ non interueniente, non poſſet Pontifex cum aliquo in hoc diſpenſare, & minus cum omnibus, ad quod vrgentiſſima cauſa, quæ difficulter daretur, deberet interuenire, & ſi diſpenſaret ſinè illa, etſi matrimonium eſſet validum, non poſſet Sacerdos

contra-

contrahens petere licitè debitum, licèt poſſet reddere, vt accidit in eo, qui voto ſimplici caſtitatis adſtringitur, & vxorem ducit.

*Hoc ipſum magis explicatur.*

31. Etenim in præſenti datur lex Eccleſiaſtica prohibens contrahere matrimonium, & inhabiles reddens ſacris initiatos ad illud, ratione cuius votum caſtitatis, Ordini ſacro annexum induit ſolemnitatem, quâ ſubſequens irritat matrimonium, vt docent Auctores citati pro noſtrâ ſententiâ, & datur præceptum de emittendo votum caſtitatis implicitè vel explicitè illum, qui ad Ordines aſſumitur, & datur ipſum votum caſtitatis iam ab ordinato in ſacris emiſſum. Duo priora, quæ ſolum ex lege Eccleſiaſtica obligant, poſſunt ſine cauſa diſpenſari ab Eccleſia; hoc poſterius minimè, & ſic, ſicut poſſet Eccleſia alias leges ab ipſâ impoſitas, etiam ſinè cauſa reuocare, quia lex ex ſola voluntate Legiſlatoris dependet, ſic poſſet primum, & ſecundum præceptum abrogare, & omnes in poſterum ordinandos ab obligatione non ducendi vxorem abſoluere, & emittendi votum caſtitatis in Ordinibus, & in tali caſu validum, & licitum eſſet matrimonium poſt Ordines ſuſceptum, & poſſent ordinati petere, & reddere debitum, ſicut alij vxorati, & poſſet etiam abſoluere de facto iam ordinatos ab obligatione non nubendi, & ſi hoc faceret ſinè cauſa, validum eſſet matrimonium, non licitum, quia votum caſtitatis ſaltem in ratione voti ſimplicis, quamuis non ſolemnis permaneret: quia votum ſinè cauſa non poteſt diſpenſari, proindèque illicita eſſet petitio debiti, licèt non redditio illius.

*Solutio argumentorũ.*

32. Ad primum reſpondetur, quòd licèt Eccleſia abſolutè non poſſet ad emittendum votum caſtitatis adſtringere, cum hoc ſit conſilij, non præcepti; poteſt tamen ex ſuppoſitione, quod quis liberè Ordines ſacros recipiat, quia ſicut donans rem propriam poteſt conditiones illi donationi imponere, quas voluerit, *leg. in traditionibus, ff. de pactis*. Ita Eccleſia Ordines conferens poteſt, quas maluerit, tali collationi leges imponere. Vndè ſicut admittens officium Prætoris, aut Epiſcopatus dignitatem, tenetur ex voluntate, quâ illas admittit, ad obligationes, quas ſecum afferunt, ſic ad Ordines ſacros liberè accedens, ſicut ex ſuâ voluntate adſtringitur ad recitandum officium diuinum, aliaque talibus Ordinibus annexa, ſic ad emittendum votum caſtitatis.

33. Ad ſecundum fatemur poſſe ab Eccleſia immediatè præcipi caſtimoniam: Conuenientius autem fuit, quod non immediatè, ſed medio voto id efficeret, tum, vt ſibi adimeretur facultas pro libito, & ſinè cauſa in tali obſeruatione diſpenſandi, tum, vt maior libertas, quæ in voto ab ipſo ordinato emiſſo inuenitur, in ſuſceptione tantæ obligationis ſplendêret.

*Eſt hoc votum factis ſuo modo explicitum.*

34. Ad tertium reſpondetur verum eſſe, quod per ſe huiuſmodi votum debet eſſe expreſſum non verbis, ſed factis. Nam ipſo facto qui ſcit talem eſſe obligationem annexam Ordini, & Ordines voluntariè recipit ad illam attendens, & vt habetur ex rituali Romano, ad id admonetur in tali ordinatione ab Epiſcopo, vel eius Miniſtro votum explicitum factis emittit, ſaltem interpretatiuè, admittendo Ordinem cum his circumſtantijs. Implicitum autem erit, quando vel non aduertit ad talem obligationem, vel neſcit inculpabiliter illam, quomodo etiam tenetur ad caſtitatem ex voto ſaltem implicito, vt iam diximus.

*Qui ignorans voti caſtitatis Ordinibus annexum, & liberè ordinatur, aſtringitur illo.*

35. Ad quartum dicimus, quòd caſu, quo quis inuincibiliter ignoraret hoc votum eſſe Ordinibus annexum, adhuc maneret ad caſtitatem ſeruandam obligatus, vt docent omnes, & matrimonium ab eo contractum eſſet nullum, quia Eccleſia voluit omnes voluntariè Ordines recipientes inhabiles reddere ad matrimonium, & his obligationibus ſubiacêre: Sicut, licet ignoret eſſe tali ordini annexam recitationem officij diuini, aut portare tonſuram, & veſtes Eccleſiaſticas adhuc teneretur ad vtrumque. Sed an talis obligatio ex vi voti conſurgeret? Diſſidium eſt inter Doctores: Nos cum Th. Sanch. & alijs ab ipſo *n.* 11. adductis dicimus ex vi voti impliciti teneri. Nam ſicut qui vult officium Prætoris, aut Magiſtratus admittere, vult etiam ſubire omnes obligationes tali officio connexas, etiamſi illas ignoret; Ita quis vult Ordines ſacros recipere, vult etiam emittere votum caſtitatis, quod tali ordini eſt annexum, etiamſi illud ignoret, quia vult talem Ordinem cum omnibus, quæ ſecum affert.

*Qui ordinaretur nollens caſtitatẽ vouere, peccaret in hoc mortaliter.*

36. In ſecundò autem caſu in argumento attacto eius, qui Ordinem reciperet, & expreſsè vellet caſtitatem non vouere, etiam eſt certum apud omnes huiuſmodi peccare in hoc mortaliter, quia præcepto grauiſſimo Eccleſiæ contradicit, & teneri abſtinere à matrimonio, & emittere votum caſtitatis, nullumque eſſe matrimonium ab eo contractum. Quia Eccleſia poteſt præcipere, & de facto præcipit, omnes voluntariè Ordines ſuſcipientes inhabiles eſſe ad matrimonium, velint, nolint; ſed non aſſentimus ſententiæ Sanch. in hac parte, qui *loc. cit. nu.* 12. inquit huiuſmodi teneri non ex voto, ſed ex lege Eccleſiaſticâ præcipiente, omnes in ſacris initiatos caſtitatem obſeruare, nec ſententiæ Philib. qui *loc. cit. num.* 9. dicit teneri ex voto.

37. Sed magis opinioni Dicaſtill. *qui nu.* 398. docet huiuſmodi non teneri ad caſtitatem nec ex voto, nec ex lege, teneri tamen ad emittendum votum illud. Quod non teneatur ex voto patet, quia votum eſt lex particularis, quam ſibi quiſque imponit: vndè ſinè voluntate ipſius expreſſâ, vel interpretatiuâ non poteſt dari, quarum nulla adeſt, quando quis expreſſè non vult tale votum emittere, nec etiam ex lege, quia nulla datur lex de obſeruanda caſtitate, ſed de emittendo votum caſtitatis.

*In caſu præcedenti non cõmitteret ſacrilegium, qui in fornicationem incideret.*

38. Ex quo fit, quod ſi ordinatus in ſacris expreſsè nollet vouere caſtitatem, peccaret quidem mortaliter, & quamdiu diſtulerit tale votum emittere, etiam mortaliter peccaret: Eo modo, quo ille, qui differt reſtitutionem, ad quam tenetur. Si tamen illo tempore intermedio laberetur in peccatum fornicationis, non committeret in illo malitiam ſacrilegij in confeſſione detegendam, quia nec contrà votum, nec contrà legem ex motiuo Religionis præcipientem delinqueret, ſicut qui differret votum, ad quod tenetur, peccaret in differendo, non autem ſi contrarium voto emittendo committeret, vt Religioſus, qui in tali, vel tali tempore haberet obligationem profitendi, ſi differret, peccaret in eo, non verò contrà votum paupertatis, ſi aliquid, quod per illud prohibetur, in tẽpore dilationis diſtribueret. Ita Dicaſt. *n.* 400.

39. Qui benè addit *nu.* 401. quod ſi Religioſus, qui ex voto in profeſſione emiſſo caſtitatis, &

ea

Digitized by Google

*Religioſus Sacerdos non cōmitteret triplicē malitiam per peccatū incontinentiæ.*

ex voto in Ordine ſacro etiam emiſſo tenetur ad illam, in carnis peccatum laberetur, non committeret triplicem malitiam, aliam contrà caſtitatem, aliam contrà votum Religionis, aliam contrà Ordinis votum, ſed duplicem tantum, alteram contrà caſtitatem, aliam contrà votum illius, & ſic ſufficere, ſi in confeſſione detegat ſe deliquiſſe contra caſtitatem, ad quam ex voto tenetur. Ita etiam Sanchez, *ubi ſup. num.* 27. *vſque ad* 35. Secùs autem accideret, ſi aliquis ex voto ſolemni, aut ſimplici, & ex iuramento ad caſtitatem eſſet adſtrictus, quia tunc per violationem vtriuſque diuerſam malitiam committeret, alteram contrà fidem datam Deo vouendo, alteram, quia Deum in teſtem adduceit falſitatis, & ſic præter malitiam contrà caſtitatem, etiam, quæ adeſt contrà votum, & contrà iuramentum, eſt aperienda in confeſſione. Ità Sanchez *num.* 23. *loc. cit.*

## P V N C T V M I.

### *De ijs, quibus ordinati excuſantur ab obligatione voti Caſtitatis.*

40 TRia ſunt, de quibus poteſt dubitari, an excuſent ordinatos in ſacris ab obligatione voti caſtitatis. Primum eſt, quandò ordinatio eſt nulla ex defectu materiæ, formæ, vel intentionis neceſſariæ. Secundum ex defectu ætatis, vel quia ante vſum rationis, vel antè pubertatem quis ordinaretur. Tertium, quandò per metum, vel violentiam eſſet ad Ordines aſſumptus, de quibus ſuo ordine hoc puncto agemus.

*Si Ordo ſit inualidus, eſt nullum votum caſtitatis.*

41. In primis certum debet eſſe eum, qui inualidè ordinatus eſt, ex quocumque capite nullitas oriatur, non teneri amplius ad votum caſtitatis, & ſic non ſolùm validè, ſed licitè contrahere matrimonium, quia vbi corruit fundamentum, corruit etiam ædificium: Vbi principale deficit, deficit acceſſorium, ſed votum Caſtitatis eſt Ordini acceſſorium: Ergò illo non ſubſiſtente, nec iſtud ſubſiſtet. Et ſic eſt diſparitas quòad hoc in eo, qui recipit Ordines inualidè, & in eo, qui inualidè profeſſionem Religioſam emittit; vel quia in Religione non approbata; vel quia ſuperior non habebat poteſtatem, vel alijs ex capitibus. Hic votum caſtitatis non vt acceſſorium profeſſioni, ſed vt quid illi eſſentiale emittit, & ſic immeditè vouet caſtitatem; & ideò, quamuis ex defectu valoris profeſſionis non remaneat illud votum in ratione ſolemnis irritantis matrimonium; manet in vi voti ſimplicis illud illicitum reddentis, *cap. quidam, & cap. placet, de conuerſ. coniugat.* At in Ordine votum eſt acceſſorium illi, quo proindè non ſtante, corruit voti obligatio. Ità Palud. *in* 4 *diſ.* 38. *q.* 2. *artic.* 1. Auerſa, *q.* 4 *ſect.* 8. Sanchez, *diſ.* 27. *numer.* 13.

*Qui ante vſum rationis ordinatur, non tenetur ad votum caſtitatis.*

42. Secundò dicimus illum, qui antè vſum rationis fuit ordinatus, non teneri ad votum caſtitatis, ſed poſſe poſtmodum licitè, & validè matrimonium inire. Et ratio eſt, quia vel ex voto, aut ex lege Eccleſiæ ad id tenetur; ſi ex voto, cum requirat iſtud propriam electionem, & voluntatem, non poteſt antè vſum rationis emitti; ſi ex lege Eccleſiæ, Eccleſia non vult (& fortè non poteſt, vt probat Sanch. *lib.* 7. *cap.* 30. contrà Ledeſmam) obligare ad rem tam arduam, vt eſt obſeruatio caſtitatis perpetuæ abſque beneplacito, & voluntate eius, qui obligatur; in quo differt à puero, qui ante vſum rationis baptizatus tenetur ad leges Eccleſiæ obſeruandas: Nam iſtæ vel ſunt omnibus neceſſariæ ad ſalutem, & ſic iure diuino omnibus ſunt debitæ, & Baptiſmus ſolum præbet Eccleſiæ iuriſdictionem, vt poſſit baptizatos cogere ad talem obſeruantiam, vel ſi ſunt leges merè Eccleſiaſticæ non tam arduæ, & difficiles, ac eſt iſta, de quâ loquimur. Ità Auerſa, Suarez, *lib.* 3 *de Religion. lib.* 9. *cap.* 18. Sanchez, Dicaſtill. *tract.* 6. *diſ.* 1. *dub.* 17. *num.* 408.

*Ordinatus ante pubertatem voto caſtitatis nō adſtringitur.*

43. Sed difficultas eſt, an ſi quis ordinaretur poſt vſum rationis, & ante tempus pubertatis, voto caſtitatis maneret adſtrictus? Negatiuam partem eligimus cum Dicaſt. *num.* 412. Sanch. *num.* 4. Auerſ. *loc. cit.* Maiolo, *lib.* 1 *de irregul. num.* 6. ex paritate huius voti cum voto in profeſſione emiſſo: quia licet iſtud magis vrgeat, & fortius liget, & ſic ex ſententiâ D. Thom. non eſt à Pontifice diſpenſabilis 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. vtrumque tamen ſtatum conſtituit, & ad rem valdè arduam obligat, & ſic maturitatem, & perfectum vſum rationis efflagitat. Quarè ſicut profeſſio olim inualida erat ante pubertatem, *cap. ad noſtram, de regul.* & modò ex *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 15. non ſolum pubertas requiritur ad valorem illius, quæ communiter in decimo quarto ætatis anno adipiſcitur, ſed exigitur decimus ſextus annus, vt maturè res tanta operetur: ſic vt votum in Ordine emiſſum ſubſiſtat, debet eſſe ſubiectum in ætate pubertatis, imo decimum, & ſextum annum habere completum, vt probat *Sanch. loc. cit.*

*In vtroque caſu, ſi ratificet factum, voto caſtitatis adſtringitur.*

44. Sed in vtroque caſu præcedenti neuter poteſt licitè in Ordinibus miniſtrare, antequàm ad debitam ætatem perueniat, & in toto illo tempore poteſt reſilire à ſtatu Clericali, imò tranſacto illo, niſi antea factum ratificet. Si autem poſtquam ad ætatem requiſitam pro obligatione voti peruenerit, ſciens, & aduertens ad obligationem Ordinis, ratificet, & approbet factum ſiuè verbis, quibus exprimat ſe velle in illo permanêre, ſiuè factis, portando habitum, & tonſuram, & exercendo functiones ordinatorum, ſtatim ad votum caſtimoniæ tenebitur, nec reſilire poterit. Quare tam infanti ante vſum rationis ordinato, quàm impuberi, poſtquàm ad debitam ætatem perueniat, optio danda eſt, an velit reſilire, an in ſtatu Clericali permanere. Si ſtatum Clericalem amplectatur, ſtatim ad caſtimoniam aſtringetur. Si ſæcularem, habitum deponere debet, & in Ordinibus miniſtrare non poterit, poterit tamen nubere, & poterit etiam, mutatâ voluntate, niſi aliud obſtet, ad ſtatum Clericalem redire.

*Sententia aſſerens ordinatum per metum teneri ad caſtitatem.*

45. Difficultas eſt in præſenti multùm inter Doctores controuerſa: An ſi quis ordinaretur metu compulſus graui, & vt dicitur, cadente in virum conſtantem, teneretur ad continentiam? Non autem eſt dubium, ſi ipſe metu compulſus ad Ordines accedat abſque animo ſe ordinandi: quia in tali caſu nulla eſt ordinatio, & conſequenter votum, vt diximus *n.* 41. Sed ſi animum ſe ordinandi non amittit, metu tamen ad ordinationem obligatur, in tali caſu teneri ad caſtitatem, irritumque fore matrimonium ab ipſo contractum, docet Palud. *q.* 5. *art.* 4. *nu* 28. D. Antonin. 3. *p. tit.* 64. *c.* 16. Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 2. *art.* 5. Acriter hanc partem defendit Baſil. Ponc. *lib.* 7. *de matr. cap.* 29. & probabilem reputat Sanc. *lib.* 7. *de matr. diſ.* 19. *num.* 4.

cum

Digitized by Google

cum pluribus, quos ipſe adducit. Et probant: Primò, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, iuxta *regul. 42. de Reg. iur. in 6.* Sed in hoc caſu Ordo, qui eſt principalis, validè recipitur: Ergò votum, quod eſt acceſſorium cum omni vi, & robore manet: Secundò, quia in *Conc. Tolet. 8.* loquendo de his, qui per metum etiam grauem, vtpotè metum mortis, ad Ordines promouentur, dicitur: *Si verò ad coniugia, moreſque ſaculi redire attentauerint, omni Eccleſiaſtica dignitate priuentur, & Apoſtatæ habeantur.*

*Qui ex metu ordinatur ad caſtitatem nõ tenentur.*

46. Nihilominus probabilius dicendum eſt, eum, qui per metum grauem iam dictum ordinatus fuerit, caſtitatis voto non teneri, & per conſequens licitè, & validè poſſe matrimonium contrahere. Ita Sanchez *num. 5.* Dicaſtill. *dub. 29.* Philibert. *tract. 2. part. 6. diffic. 8. num. 5.* Azorius, *lib. 13. cap. 14. quæſt. 8.* Bonacin. *de matrimon. quæſt. 3. punct. 9. num. 14.* Auerſa, *ſect. 8.* Et ratio eſt, quia ordinatus non niſi ex voto ad caſtitatem tenetur, ſed votum nedum implicitum, ſed etiam explicitum extortum metu graui irritum eſt, *cap. Prælatum, &c. cum dilectus, de his quæ vi, metuſque cauſa fiunt*: Ergo, &c. Secundò, quia ſi coniugatus ex vi metus grauis ad Ordines ſacros accederet, non teneretur continentiam ſeruare, ſed poſſet æquè, ac anteà cum vxore viuere, reddere, & petere debitum, vt etiam aduerſarij fatentur, & omnes admittunt: Ergò ſimiliter non coniugatus non tenetur ad continentiam, quia par eſt ratio in vtroque, nam ſi ille ex metu iniuſto non debet iure ſuo priuari, nec etiam iſte.

*Duplex limitatio.*

47. Sed hoc intelligendum eſt cum duplici limitatione: Prima, quòd poſtmodùm talem ordinationem non ratificet, & acceptet vel verbis, vel exercendo munus proprium illius Ordinis: Si enim in illo, tranſactâ occaſione per metum impellente, miniſtret, ratam habere cenſetur; ſed hoc intelligendum eſt, ſi ipſe ſciat, & aduertat ſe tali obligatione non teneri, & per talem actum eam ſubire; non enim eſt ratificatio actus, vbi ignoratur nullitas actus. Ita docet Veg. *2. tom. ſumm. cap. 57. caſ. 6.* Nauarr. *lib. 1. conſtit. 2. num. 8. & 9.*

Secunda, quòd metus non ſit ex iuſta cauſa inductus, ſi enim Epiſcopus ex iuſta cauſa propter bonum publicum, & inopiam Miniſtrorum, aut alijs iuſtis titulis aliquem ad ordinationem adſtringeret, voto caſtitatis in illo caſu teneretur ordinatus: eo quòd irrationabiliter eſſet inuitus. Ita Sanch. Philib. Dicaſt. *loc. cit.*

48. Sed adhuc probabile reputat Sanchez, *num. 8. &* Dicaſtill. *nu. 440.* ex Nauarr. *conſtit. 3. num. 4.* in prima editione, & in poſteriori, *conſt. 5. num. 4.* non teneri voto continentiæ, qui ordinaretur per metum, quamuis metus non ſit cadens in virum conſtantem, dummodò ratione illius ordinetur, & aliter non eſſet initiandus, quemadmodum plures aſſerunt eſſe nullum matrimonium ſimili modo contractum, vt refert Sanchez, *lib. 4 de matrim. diſ. 17. nu. 2.* ſed nihilominùs oppoſitũ probabiliùs tenendũ eſt cum Auctoribus cit.

*Soluuntur fundamẽta contrariæ ſententiæ.*

49. Ad primum contrariæ ſententiæ dicimus, acceſſorium ſequi conditiones principalis, quando neceſſaria ſequela ex illo deducitur, habetque ex natura rei cum illo neceſſariam connexionem; ſecùs verò quandò talis connexio, vt in præſenti, non datur, quia tunc dari poteſt in primum conſenſum, non in ſecundum, vt hic accidit. Ad ſecundum reſpondetur, Concilium loqui de illis, qui ſub prætextu timoris, quo inducti ſunt, ab obligatione Ordinum vellent reſilire, cum iam ratam haberent talem ordinationem, & in eâ multoties miniſtraſſent; vel dicendum eſt illud Concilium non eſſe Generale, ſed Prouinciale in corpore iuris non inſertum, & ſic ab Eccleſia minimè acceptatum, imò neque quoad iſtam partem acceptatum fuiſſe in Hiſpania, in qua habitum eſt, teſtatur Auerſa, *quæſt. 4. cit. ſect. 8.*

50. Sed aduertendum eſt in omnibus his caſibus, in quibus votum caſtitatis non obligat, nec etiam recitatio officij diuini, vt dicunt Auctores adducti, & ſimiliter, quòd ſi quis, poſt acceptum Ordinem, vel antè legitimam ætatem, vel ex metu, violentiâ, &c. velit contrahere matrimonium, non poteſt licitè amplius in Ordinibus miniſtrare: Nam Eccleſia non permittit Ordinis exercitium, & matrimonium, niſi fortè aliquis virginem ducat, & eâ mortuâ velit ad ſtatum Clericalem redire, quia tunc licitè, & validè poteſt functiones Ordinum exercere. Et quod ille, qui poſt Ordines modo dicto vxorem ducit, non gaudebit priuilegijs Clericalibus, quia Eccleſia non concedit, vt quis ſolutus ab obligatione continentiæ, & volens vacare coniugio, ſimul ſuis priuilegijs potiatur, *Qui ſentit commodum, debet ſentire incommodum, de reg. iur. in 6.*

## PVNCTVM II.

### *In quibus caſibus, poßit coniugatus ſacris Ordinibus initiari.*

*Vxoratus non poteſt tonſurâ aut minoribus Ordinibus initiari.*

51 IN primis dicendum eſt, hominem coniugatum non poſſe prima tonſura, aut minoribus Ordinibus initiari, niſi ſeruatis conditionibus, quæ ad hoc, vt in ſacris conſtituatur coniugatus, requiruntur. Et Epiſcopus, qui talem tonſuraret, vel antè matrimonium tonſuratum ad minores Ordines admitteret, incurreret pœnam ſuſpenſionis à collatione eorum per annum. Ita habetur *in c. vlt. de temp. ordin. in 6. & Gloſſ.* ibi, *& tenent* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 13. q. 7.* Sanch. *lib. 7. de matr. diſ. 38. nu. 6.*

*Obiectio contraria.*

52. Sed dices. Plus abhorrent Eccleſiaſtica iura coniugium poſt Ordines, quàm ordinari poſt coniugium, vt conſtat in Græcis, qui, etſi retinere poſſint vxores, & ordinari, non verò poſt ordinationem coniugari, vt docet D. Thom. *in 4. diſ. 37. q. 1. art. 2. ad 3.* ſed poteſt ordinatus minoribus, vxorem ducere, ergo & vxoratus ordines minores recipere.

*Solutio illius.*

Reſpondetur, quòd in his, quæ dependent ex diſpoſitione iuris, illi ſtandum eſt. Ius autem vetuit coniugatum initiari minoribus, non verò in minoribus conſtitutum coniugari; & eſt huius ratio ſufficiens, quod noluerit Eccleſia, in minoribus ordinatis tantam obligationem imponere, vt à coniugio abſtinerent, ſed illo inito, cum non poſſit in illo ſtatu ad Ordines ſacros aſcendere, noluit vt his ordinibus initiaretur, qui ad illos ſunt quaſi diſpoſitiones, & præambula: quia qui formæ incapax eſt, etiam diſpoſitionis ad illam.

*Vxoratus ſine licẽtia cõiugis nequit in ſacris ordinari.*

53. Secundò vt certiſſimum tenendum eſt, non licere vxorato abſque licentiâ vxoris, vel iuſto diuortio interueniente, ad Ordines ſacros promoueri. Ita habetur *in cap. coniugatus, de conuerſion. coniugat.*

Digitized by Google

*coniugat.* & ipſa obligatio caſtitatis, quam hi Ordines habent annexam, id ipſum efflagitat, & hoc intelligendum eſt non ſolùm de matrimonio conſummato, ſed de matrimonio tantùm rato, id eſt, per verba de præſenti contracto, & nondùm conſummato. Ita declarauit *Ioann. XXII. in Extrauag. antiquæ, de voto.* & ibi pœnam irregularitatis imponit ei, qui abſque licentia vxoris, aut iuſto diuortio non interueniente, in ſacris ordinaretur, ſiue matrimonium eſſet tantùm ratum, ſiue conſummatum, ratione cuius irregularitatis nec poſſet in Ordine ſuſcepto miniſtrare, nec ad alium aſcendere, quæ etiam durat, adhuc vxore mortuâ, vſque dum ab illa abſoluatur.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

54. Sed dices: Qui vxorem duxit, & matrimonium non conſummauit, poteſt etiam, inuita vxore, ad Religioſam profeſſionem admitti: Ergò etiam ad Ordines ſacros, quia videtur eadem ratio. Sed reſpondetur eſſe diſparitatem, quòd profeſſio religioſa dirimit matrimonium ratum, non conſummatum. Vnde vxor nec poteſt repetere virum, nec iſte tenetur, ipſa petente ad illam redire, nec ad hoc compelli, & ipſa poteſt cum alio coniugium celebrare, cum primum matrimonium ſit diſſolutum. At per ordinationem ſacram matrimonium ratum, & non conſummatum non dirimitur, vt dicitur *in eadem. Extrauag.* nec vxor poteſt cum alio contrahere, & ſic ipſi fit manifeſta iniuria. Vnde ipſa poteſt virum petere, & ipſe tenetus ad illam redire, & ad hoc compelli poteſt, & debet vxori debitum coniugale reddere, non poſſet autem illud petere, quia per votum caſtitatis in Ordine emiſſum ab hoc retrahitur.

55. Sed difficultàs eſt: An qui, inuita vxore, cum qua matrimonium duxerat, ſed non conſummauerat, ad Ordines ſacros promoueretur, teneretur ingredi Religionem, vt ſic nec vxori iniuſtitiam faceret, & votum emiſſum impleret? Et idem eſt de eo, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium iuit, ſed non conſummauit, an teneatur ob eandem rationem ad profeſſionem religioſam accedere?

*Non tenetur qui matrimonium duxit, & non conſummauit, ſi ordinatur in ſacris, ingredi Religionem.*

56. Sunt qui dicant teneri. Ita D. Anton. *in 3. part. tit. 1. capit. 7.* Azor. *capit. 14. quæſt. 2.* Ledeſma, *quæſt. 53. de matrimon. artic. 3. dub. 2.* Ceterùm licèt optimè faceret, qui in tali caſu Religionem intraret, ad id tamen non teneri: ſuadetur tum, quia in illa *Extrauagant. antiquæ*, ſolùm dicitur, quòd à Diœceſano admoneatus ad id faciendum; tum etiam, quia multò plus eſt ingredi Religionem, quàm ſimpliciter ſeruare continentiam, illudque eſt medium difficillimum, ad quod non debet obligari, qui ad minùs ſolùm tenetur. Ita Auerſa *q. 4. ſect. 9. &* Sanchez, *num. 19.*

*Ex licentia vxoris poteſt coniugatus ordinari.*

57. Ex licentia verò vxoris poteſt coniugatus licitè ad ſacros Ordines promoueri. Ita habetur in *eodem cap. coniugatus, de conuerſ. coniug. & in Extrauag. antiquæ*, & in alijs iuribus. Debet autem hæc licentia eſſe libera, ſpontanea, non vi, metu, dolo, aut fraude extorta, nam ſi ex licentia vxoris hoc modo accepta vir ad Ordines promoueretur, eodem modo poſſet ab ea repeti, & maneret obnoxius eiſdem pœnis, ac ſi ordinatus eſſet abſque liceotia vxoris. Debet etiam eſſe expreſſa, & non ſufficit implicita (vt volunt aliqui, qui dicunt ſufficere mulierem ſcire virum ſuum ſacris velle ordinari, & potens reclamare, taceat; ac diſſimulet) ſed hoc non ſufficere, *ex cap. conſuluit, eodem tit. de conuerſ. coniugat.* conſtat, & ex ratione. Nam vxor ſpoliatur ſuo proprio iure, & remanet ad continentiam obligata, ad quod requiritur explicita voluntas eius, & non ſufficit tacita diſſimulatio. Si autem vir poſt obtentam licentiam vxoris ordinaretur, & poſtea ipſam cognoſceret, peccarent ambo peccato ſacrilegij, non verò peccato fornicationis, quia nec vir accederet ad non ſuam, nec mulier ad virum non ſuum. Ita Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 19.*

58. Requiritur etiam, quòd vxor talem licentiam præbens voueat caſtitatem: vt habetur expreſsè eodem illo *capit. coniugatus.* An verò teneatur ingredi Religionem? Eſt inter Doctores diſſidium. Aliqui putant ſufficere illius votum ſimplex caſtitatis, etiamſi in ſæculo permaneat, quia circa hoc non datur aliquod ius expreſſum. Ita Poncius, *lib. 7. de matrimon. cap. 25. num. 7.* Diana, *4. part. tractat. 4. reſolut. 129.* Alij verò, & probabilius dicunt, quòd ſi mulier eſt iuuenis vltrà dictum votum ſimplex, tenetur Religionem ingredi, ſecus verò ſi fuerit ſenex; nam hæc cum voto ſimplici caſtitatis poteſt in ſæculo permanere. Ita Sotus, *in 4. diſ. 37. quæſt. 1. artic. 2.* Sanchez, *diſ. 39 num. 6.* niſi fortè vir ad Epiſcopatum aſcenderet, quia tunc debere vxorem, adhuc vetulam, Religionem ingredi propter ſpecialem decentiam ſtatui Epiſcopali debitam, tenet ipſe Sanchez, *diſ. 32. &* Auerſa, *ſect. 10.*

*Vxor ordinati ſi iuuenis ſit ingredi Religionem tenetur.*

59. Poſt mortem autem viri non poteſt vltrà vxor eius matrimonium licitè contrahere, ſi in ſæculo fortè permanſit, quia votum ab ipſa emiſſum caſtitatis eſt perpetuum, ſed difficultas eſt: An ſi contraheret matrimonium, viro defuncto, eſſet tale matrimonium validum, quamuis illicitum? Affirmant Sotus, *lib. 7. de iuſtit. quæſt. 5. artic. 3.* Poncius, quia votum ſimplex caſtitatis matrimonium non dirimit, ſed communiter id negant Theologi, & Iuriſtæ, quia expreſsè habetur *in cap. quia ſunt, diſ. 28. ex* Gregorio Papa, *lib. 2. cap. 59. & cap. ſi ſe, eadem diſtinctione, ex Concilio Aureliano.* Vnde, quamuis votum mulieris fuerit ſimplex, poteſt ius Eccleſiaſticum eius matrimonium in dicto caſu annullare, & de facto annullauit.

*Si vxor in ſæculo remaneret etiam mortuo viro, inualidè matrimonium contraheret.*

60. Poteſt etiam vir ex iuſta cauſa diuortij ſacris ordinari, vxore inſcia, vel inuitâ, ſicut poteſt Religionem ingredi, licèt id aliqui negent, eo quod non eſt expreſſum in iure circa Ordines, ſicut circa ingreſſum Religionis, ſed propter paritatem vtriuſque communiter Doctores id aſſerunt. Videantur Sanchez. *lib. 10. de matrimon. diſ. 11.* Vaſquez *hic, diſ. 247. cap. 10.* Poncius *lib. 9. capit. 3.* In tali caſu vxor remanens non tenetur ad votum caſtitatis, nec matrimonium poſt mortem viri ab ipſa initum eſſet nullum, quia iura ſolùm loquuntur in caſu, quo vir ex licentia coniugis ordinaretur. Si autem diuortium cauſatum fuit culpâ viri, plurimi negant poſſe ſine licentia vxoris ad Ordines promoueri. Alij veriùs dicunt, quòd quando coniux monita, & rogata recuſat reconciliari, aut reuniri viro, poteſt ipſe, non habitâ ipſius licentia, ordinari.

*Iuſto interueniente diuortio, poteſt coniugatus ordinari.*



Digitized by Google

## PVNCTVM III.

### *De duobus titulis, paupertatis ſcilicèt, & ſufficientiæ, ad quos poſſunt Ordinibus ſacris initiari.*

*Ad quos titulos poſſunt ordinari.*

61. CVm indignum ſit ſacros Miniſtros aut oſtiatim mendicare, aut artem mœcanicam exercere, ideò iuſtiſſimè in *Concil. Tridentin. ſeſſion.* 21. *capit.* 2. *de reformat.* præceptum eſt: ne quis ad Ordines ſacros promoueatur, niſi congruam ſuſtentationem habeat, vt viuere poſſit decenter, quod iam pluribus Canonibus, & Concilijs cautum fuerat, & ſic nemo poteſt in ſacris initiari, niſi habeat titulum, quo poſſit ſuſtentari, & decenter degere. Titulus autem hic eſt in quadruplici differentia, titulus ſcilicèt paupertatis, quandò in Religione approbata eſt profeſſus, ſufficientiæ, de quo eſt dubium, patrimonij, & Beneficij. De duobus prioribus, qui minorem habent difficultatem hoc puncto agemus, & duobus ſequentibus punctis de reliquis.

*Pœna contrà Epiſcopum ſinè titulo ordinantem.*

62. Sed pro omnibus ſupponendum eſt, quòd ſi Epiſcopus aliquem abſque aliquo ex his titulis ad Ordines ſacros admiſerit, tenetur eum alere, vſque dum Beneficium ſuſtentationi congruum accipiat. Ita habetur in *cap. cum ſecundum, de præbendis*, & *in cap. accepimus, de ætate, & qualitate.* Quod intelligitur, quandò Epiſcopus eum mala fide ordinaſſet. Si autem, ſufficienti diligentiâ adhibitâ, arbitraretur talem vel patrimonium ſufficiens, vel Beneficium habere, quod poſtea falſum inuenitur, ad id non tenetur. Nec ſimiliter ſi patrimonium deſtruitur, ad cuius titulum Epiſcopus eum ordinauit. Si verò Examinatoribus, vel Vicario remiſerit, vt eum examinent, & omnia requiſita ad Ordines inquirant, & poſteà abſque ſufficienti titulo eum ordinauit, ad Vicarium, vel ad Examinatores, vel ad omnes pro ratâ ſpectat talis Clerici ſuſtentatio, non ad Epiſcopum. Si verò illi non habeant vnde ipſum alere poſſint, actio dabitur contrà Epiſcopum. Ita Gloſſa, inquit. *in cap. ſecundum, de præbendis.*

*Epiſcopus non tenetur eũ alere, qui parentes habet diuites.*

63. Sed hæc intelligenda ſunt, quandò ipſe Clericus aliundè non poſſet decenter alimenta habere, ſi tamen vel patrimonium, vel Beneficium poſteà acceperit, vel ſuis honeſtis laboribus, vel docendo pueros, vel alio modo victum comparare poſſit, ab huiuſmodi onere Epiſcopus eximitur, ſicut etiam ab eo liberatur, quando pater ordinati eſt diues, ad quem ex iure naturali pertinet alimenta filio præbere, cum ſemper leges naturales Pontificijs præferantur. Si autem cum dimiſſorijs litteris alienum ſinè debito titulo ordinauerit, ad eum, qui tales litteras dedit, ſpectat ordinatum ſuſtentare, ſiuè Epiſcopus fuerit, ſiuè Vicarius, aut Capitulum, Sede vacante, qui omnes tenentur, antequàm dimiſſorias concedant, ſufficientiam tituli inueſtigare accuratè. Ita Barboſ. *de offic. Epiſcop. allegat.* 20. *numer.* 21. At verò ſi contingat aliquem ad Subdiaconatum ab vno Epiſcopo, ab alio ad Diaconatum, ab alio ad Presbyteratum promoueri, ad omnes pro rata ſpectat obligatio alimentorum, quia omnes culpabiliter ſacros Canones violauere, *cap. Epiſcopus, de præbendis*, & ibi Decius, *numer.* 1. & ita fuiſſe deciſum teſtantur Fornarius, *de Sacram. Ord. cap.* 8. *num.* 10. Barboſ. *d. alleg.* 20. *num.* 21.

*Titulo paupertatis poſſunt ordinari Regulares profeſſi.*

64. Titulo paupertatis poſſunt omnes Regulares ſacris initiari, quos ipſa Religio alere tenetur, ſed hoc de ſolemniter profeſſis eſt accipiendum. Nouitij enim ex *Conſtitutione* 75. Pij V. incipiente, *Romanus Pontifex ſacrorum*, non poſſunt ad ſacros Ordines promoueri ſub pœna ſuſpenſionis Ordinum aduerſus ordinatos, & aduerſus ordinantem ſuſpenſionis à collatione Ordinum per annum, niſi aliundè habeant ſufficiens patrimonium, ad cuius titulum poſſent ordinari. Ab hac regula excipiuntur Patres Societatis Ieſu, qui ex ſpeciali conceſſione Gregorij XIII. poſſunt in ſacris initiari poſt profeſſionem ſimplicem, etiamſi ſolemnem non emiſerint. Si autem ordinati in Sacris è Societate eijciantur, Prælatis illius Religionis incumbit prouidere eis de alimentis, donec Beneficium, vel congruam ex aliis capitibus ſuſtentationem acquirant. Ita Philibert. *de Ord. tractat.* 2. *part.* 6. *capit.* 5. *numer.* 5. qui affert declarationem Sacræ Congregationis *Concilij*, *ſeſſ.* 21. *capit.* 2. de hac re. Si verò aliquis profeſſus ſciat ſuam profeſſionem eſſe irritam, peccaret mortaliter ad Ordines accedendo ad titulum paupertatis, & maneret ſuſpenſus, vt inquit Portel. *in dub. Regular. verb. Ordines ſacri*, niſi ipſe talem profeſſionem nullam conualidare, & ſupplere ipſo actu intenderet, vt notat Auctſ. 3. *ſect.* 10. §. *Regulares.*

*An ſufficientiæ titulo poſſit aliquis ordinari?*

65. Sed nunc difficultas eſt: An titulo ſufficientiæ præcisè, abſque patrimonio, aut Beneficio poſſet ſæcularis ordinari, quia eſt videlicèt vir maximè litteratus, vel graduatus in ſacra Theologia, aut in ſacris Canonibus, aut quia Togatus in aliquo maiori Collegio, Salmantino ſcilicèt, vel Complutenſi, aut Valliſoletano? Et videtur poſſe, quia in tali caſu eſt ſufficiens ſpes, quòd talis in proximo adipiſcetur Beneficium, dignitatem, &c. vt poſſit congruenter ſuſtentari, & Epiſcopus poteſt prudenter iudicare ipſum fore citò prouehendum, & ſic menti Concilij ſatisfacere, atque ita tenent Enriquez, *lib.* 13. *cap.* 37. *num.* 2. Gonzalez, *in regul. Cancell.* 8. *Gloſſ.* 4. Corduba, *in ſumm. quæſt.* 36. Barboſ. *in Tridentin. ſeſſ.* 21. *de reformat. capit.* 2. *numer.* 14. Garc. *part.* 2. *de Benefic. numer.* 128. & 129. Ludouic. de S. Ioann. *quæſt.* 2. *de Ord. artic.* 11. *dub.* 5. qui citat Gonzalez, & Rodriguez.

*Negatiua pars eligitur.*

66. Nihilominùs dicendum eſt non poſſe, quia *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 21. *capit.* 2. *de reformat.* ſic habet: *Statuit ſancta Synodus, ne quis deinceps, ſæcularis Clericus, quamuis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientiâ, & ætate, ad ſacros Ordines promoueatur, niſi prius legitimè conſtet eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere.* Vbi Concilium pacificam poſſeſſionem Beneficij depoſcit, nec ſufficere denotat ſpem probabilem, vel certam poſſeſſionis de futuro, quantumuis aliquis moribus,

bus, ſcientiâ, & ætate polleat: Et ratio eſt aperta, nam licèt talis habeat prudentem ſpem, quòd in proximo Beneficium, vel dignitatem ſit adepturus, cæterùm vel talis ſpes poteſt per multum tempus à ſua poſſeſſione diuelli, eo quòd vel Beneficium, aut dignitas non ita proximè vacet, vel alij graduati, & idonei ad conſecutionem concurrant; aut penitùs poteſt fruſtrari per infirmitatem, aut aliud accidens caſuale, & ſic ad illius ſuſtentationem Epiſcopus adſtringeretur. Ita docent Philibert. *numer.* 37. Dian. *Moral. reſol. part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 52. *in fine* Eman. Sà, correctus, verb. *Ordinum* 27. qui aſſerit ita ſacram Congregationem declaraſſe, Sanchez, *tom.* 2. *conſil. lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 10. Ledeſm. *de Sacram. Ord cap.* 7. Leand. *tract.* 6. *de Ord. diſ.* 9. *quæſt.* 20. qui plures refert, Auerſa, *ſect.* 10. *in fine.* N. Ant. *ſect.* 7.

## PVNCTVM IV.

### *De Beneficio, ad cuius titulum poteſt quis promoueri ad Ordines ſacros.*

*Beneficium ad congruam ſuſtentationem ſufficiens requiritur, vt ad illius titulum aliquis ordinetur.*

67. VT poſſit quis Ordinibus ſacris initiari debet in quieta poſſeſſione habere Beneficium ad congruam ſuſtentationem ſufficiens. Ita *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 21. *de reformat. cap.* 2. ſiue hoc Beneficium fuerit ſimplex, ſiue Curatum, ſiue ex ſe ſolùm ſit ſufficiens ad ſuſtentationem, ſeu aſſociatum patrimonio, ita vt ex vtroque ſufficiens ad intentum Concilij deducatur. Ne videlicet cogatur Clericus mendicare, vel per indignos quæſtus victum requirere: & ideò hoc Beneficium debet eſſe perpetuum, nec ſufficit temporale, etiam pingue: Vnde Vicaria temporalis non eſt ſufficiens ad hoc, vt ad eius titulum aliquis ordinetur: ſecus verò ſi eſſet perpetua, vt docet Sanchez, *conſil. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 25. *numer.* 5. Philibert. *cap.* 6. *numer.* 17. Quod autem Beneficium ſufficiens ſit pro ſuſtentatione, arbitrio prudentum relinquitur, qui ad hoc determinandum inſpicere debent conditionem, & qualitatem perſonæ. Quòd ſi in aliqua Diœceſi dentur circa hoc iam taxationes factæ, illis ſtandum eſt, quamuis parum faciat, ſi modicum ad hoc deficiat, vt notat Diana, 4. *part. tractat.* 4. *reſolu.* 52. Non poteſt autem reſignari Beneficium, ad cuius titulum quis ordinatus eſt, niſi exponat, ſe ad illius titulum fuiſſe ordinatum, nec poteſt admitti reſignatio, niſi conſtet eum aliundè poſſe ali, & aliter facta reſignatio eſt nulla. Ita *Trident. loc. cit.*

*Diuerſa Beneficia, ratione quorum poterit quis ordinari.*

68. Poteſt etiam aliquis ordinari ad titulum coadiutoriæ perpetuæ, ſi habeat congruam ad victum ſuſtentationem, ſin minus non poteſit: Sic Rodrig. *part.* 2. *capit.* 15. *numer.* 20. Philibert. *numer.* 11. Poteſt etiam ordinari ad titulum quotidianarum diſtributionum, quia licèt non ſint propriè Beneficium, ſunt tamen perpetuæ, & ſufficiunt, vt victus decenter habeatur, ſic Campanilis, *rubric.* 8. *capit.* 5. *numer.* 29. Barboſ. *de offic. Epiſcop. allegat.* 29. *numer.* 24. Poteſt etiam ordinari titulo perpetuæ Capellaniæ, ſi eius poſſeſſionem ante ordinationem recipiat: Sic Ledeſm. *concluſ.* 12. Ludouic. de S. Ioann. *q.* 2. *art.* 12. *dub.* 4.

69. Poteſt etiam quis ordinari ad titulum præſtimonij perpetui (eſt autem præſtimonium quidam redditus abſtracti ex redditibus Beneficiorum quibuſdam iuuenibus conceſſi, vt ſtudijs vacare poſſint) eò quod vel eſt Beneficium Eccleſiaſticum, vel quædam Eccleſiaſtica penſio, ad cuius titulum, vt iam diximus, poſſunt ordinari. Si penſio ſit ad victum ſufficiens, & perpetua, etiam propter illam poterit quis ordinari. Ita expreſsè *Tridentin. ſeſſ.* 21. *capit.* 2. & ita fuiſſe à ſacra Congregatione definitum teſtatur Garcia *de Benefic.* 2. *part. capit.* 5. *num.* 93. & 94. Non tamen eſt licita promotio ad ſacros Ordines ad titulum Beneficii de ſe inſufficientis ad ſuſtentationem, quod poſtea redditur ſufficiens ratione eleëmoſynarum, vel ob Miſſarum ſtipendia, vel anniuerſaria, quia hæc ſunt incerta, niſi fortè anniuerſaria, aut Miſſarum ſtipendia communiter occurrentia, ſufficientia ſint ad victum comparandum; ita Philibert. *num.* 28.

*Non poterit quis ad titulum Beneficij de futuro ordinari.*

70. Sed dubium eſt inter Doctores: An poſſit aliquis ordinari ad titulum Beneficij certi de futuro, vel quia ad illud eſt præſentatus, vocatus, & nominatus, vel quia ex alijs circumſtantiis certus eſt quòd eſt illud conſecuturus? Sunt qui affirmatiuè reſpondeant, vt Maiolus, *lib.* 4. *de irreg. cap.* 14. *num.* 19. Campanil. *rubric.* 8. *cap.* 4. *num.* 10. Says. *de cenſ. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 19. & tenet Gloſſ. magn. circa medium, *in capit.* Oſius, *diſ.* 61. Nihilominùs dicendum eſt non ſufficere, quia *Concilium Tridentin. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. petit quietam, & pacificam poſſeſſionem Beneficij, ad ordinationem; ſed qui ſolùm habet certitudinem illius de futuro, non gaudet quieta poſſeſſione, imò nulla: Ergo: Præterea, quia plura occurrere poſſunt, quæ eum à poſſeſſione retrahant, & ſic cogetur vel mendicare, vel indecenter viuere, Rodrig. Garc. *de Benefic. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 130. Barboſ. *alleg.* 19. *numer.* 28. quos refert, & ſequitur Philibert. *nu.* 8. Leand. *tract.* 6. *diſ.* 9. *q.* 13.

*Si quis habeat poſſeſſionem, ſed non potiatur fructibus Beneficij, poteſt ordinari.*

71. Ex his infertur, quòd ſi quis haberet titulum Beneficij, ſed impediretur iniuſtè à ſua poſſeſſione, adhuc ad titulum illius non poſſet ordinari, quia nec verbis Concilij requirentis pacificam poſſeſſionem conformatur, nec intentioni eius, quia iam vel mendicare, vel indecenter viuere cogeretur. Si tamen aliquis poſſeſſionem pacificam Beneficij haberet, illius tamen fructibus non potiretur vſque dum Presbyter ordinaretur, poſſet nihilominùs ordinari Diaconus, aut Subdiaconus ad titulum illius, quia verè habet, quod Concilium exigit, nec exinde ſequeretur, moraliter loquendo, fore mendicaturum, vel alia inconuenientia, quæ intenduntur euitari. *Sic* Garcia, *vbi ſup. nu.* 120. & Barboſ. *n.* 29.

*An ſit aliqua pœna pro eo, qui abſque titulo ordinatur?*

72. Sed inquires, quas pœnas incurrat ordinans, & ordinatus, ſi abſque vero titulo patrimonij, aut Beneficij aliquis conſtituatur in ſacris? Aliqui dicunt contra ordinatum nullam eſſe aſſignatam pœnam, ſed ſolùm contra ordinantem, eo quòd, licèt *in cap. neminem*, quod eſt *Concilij Chalcedonenſ.* & *in cap. ſanctorum, diſ.* 70. imponatur pœna ſuſpenſionis ei, qui ficto

titulo ad Ordines adſciſceretur; at Innoc. III. *in capit. cum ſecundum Apoſt. de præbendis*, commutauit hanc pœnam Clerici abſque titulo ordinati in obligationem Epiſcopi ad eum ſuſtentandum, vt ibi inquit *Gloſſ.* & teſtatur Sanchez, *capit. 2. quæſt. 24. numer. 6.* & Auerſa, *fol. mihi 122.* ſed *Concil. Tridentin.* ſolùm innouauit pœnam, quæ apud ſacros Canones erat in robore, non verò, quæ erat reuocata: Ergo ſolùm impoſuit dictam pœnam Epiſcopo ordinanti eum, qui non haberet verum titulum, non verò ſuſpenſionem ordinato, atque ita docent Conine, *diſ. 15. dub. 5. num. 38.* Enriquez, *lib. 13. capit. 37. numer. 2.* Toletus, *lib. 1. ſumm. capit. 48. num. 5.* Dian. *1. part. tractat. 16. reſolut. 5.* Philibert. *cap. 7. diff. 7.* & hi duo vltimi plures alios referunt, eſtque opinio ſatis probabilis.

*Ordinatus ſine titulo incurrit ſuſpenſionem.*

73. Probabiliùs tamen dicendum eſt, quando tam ordinans, quàm ordinatus eſt in culpa, vtrumque pœnam incurrere; ſed ordinans obligationem præbendi alimenta ordinato, ordinatus verò ſuſpenſionem. Si autem hic ſolùm ſit in culpa, eò quòd decepit Epiſcopum, ſolus ipſe incurrit pœnam. At verò ſi ordinans ſolummodò ſit in culpa, eo quòd ordinauit eum, quem ſciebat verum titulum non habere, ipſe tamen ordinatus inculpabiliter ignorabat hoc eſſe requiſitum, non incurrit ordinatus ſuſpenſionem latam *in cap. ſanctorum, & cap. neminem. diſt. 70.* Epiſcopus verò incurrit pœnam poſitam *in cap. cum ſecundum, cit.* ſcilicet, quòd debet alere ordinatum. Ita docet Sanchez, *dub. 35. num. 12.* Idem *de matrim. lib. 6. diſ. 32. num. 8.* Auerſa, Vaſq. Suarez, *diſ. 31. de cenſ. ſect. 1. num. 35.* Bonacin. *diſ. 8. q. vnica, punct. 5. num. 24.*

*Probatio concluſionis.*

74. Ad cuius probationem ponderanda ſunt verba Concilij, quod *ſeſſ. 21. cap. 2. cit. in fin.* ſic ait: *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innouando.* Innouando dixit, vt innueret ſe non ſolùm confirmare pœnas tunc extantes, ſed etiam, extinctas, & reuocatas renouare. *Pœnas*, ait non pœnam tantùm, vt indicaret non ſolùm pœnam Epiſcopo, ſed etiam pœnam ordinato ſine titulo olim iam aſſignatas imponere. Dicit etiam *Canonum*, non Canonis: Ergo non ſolùm innouauit pœnam, quæ erat in vno Canone, ſed quæ etiam in alijs inueniebantur; & dicendo *Antiquorum*, potiùs reſpiciebat ad antiquos Canones, quàm ad recentiorem *Innocentij*, & ipſamet ratio id poſtulabat, vt ſi tam ordinans, quàm ordinatus erant in culpa, vterque pœnam condignam ſubiret. Aliàs, ſi ordinatus Epiſcopum deciperet, cùm in tali caſu ipſe non teneretur alere ordinatum, nulla in hoc caſu pœna daretur, quod eſt manifeſtè contrà Concilium *loc. cit.*

*Additiones ad a nclu. ſionem.*

75. Et addit benè Reginaldus *in prax. tom. 2. lib. 32. tract. 2. cap. 25. ſect. 3. num. 72. cum* Suarez, *loc. cit.* Quòd ſi quis ficto titulo à ſuo Epiſcopo dimiſſorias acciperet, & ſic ordinaretur ab alio, duplicem ſuſpenſionem incurreret, aliam modò dictam, aliam, quia ordinatus eſt ab alieno abſque licentia proprij: illa namque licentia fraude extorta, nulla reputatur, ſed aduertit Sanchez, *loc. cit.* quòd cùm in dictis Canonibus ſolùm requiratur titulus patrimonii, aut Beneficij ad Ordines, non verò quieta illius poſſeſſio; ſi quis habens verum titulum Beneficij, non verò poſſeſſionem, ordinaretur, peccaret mortaliter tam ordinans, quàm ordinatus, quia contrà præceptum Concilij Trident. agunt, exigentis quietam poſſeſſionem, neuter verò pœnas iam dictas incurreret, quia Concilium ſolùm antiquorum Canonum pœnas innouauit, in quibus ſolùm pro non habentibus titulum verum Beneficii, aut patrimonij imponuntur. Addimus & nos, quòd cùm probabile ſit iure antiquo non requiri patrimonium, aut Beneficium ſufficiens ad ſuſtentationem, ſed quodcumque, vt inquit Nauarr. *cap. quando Latinè, cap. 21. num. 11 & lib. 1. conſil. tit. 11. de temp. ordinand. conſil. 14.* Manual. *tom. 1. ſumm. cap. 14. num. 6.* probabile eſt etiam non incurrere dictas pœnas qui ſolùm ordinaretur ad titulum patrimonij, aut Beneficij tenuis inſufficientis ad ſuſtentationem, quamuis peccaret mortaliter propter eandem rationem.

## PVNCTVM V.

### *De Patrimonio, ad cuius titulum poterit quis ad ſacros Ordines promoueri.*

*Quod patrimonium debet eſſe ſufficiens pro titulo ordinationis.*

76. NOmine patrimonij in præſenti veniunt omnia illa bona, quæ immobiliter ab ordinando poſſidentur, ſiue ſint paterna, vel materna, aduentitia, ſiue caſtrenſia, dummodò illorum quietam poſſeſſionem habeat, & ſufficientia ſint ad decentem ſuſtentationem. Ad titulum autem patrimonij non poſſunt omnes ordinari, ſed quos Epiſcopus iudicauerit neceſſarios vtilitati, aut neceſſitati Eccleſiæ, qua non exiſtente, non poſſunt ordinari, etiamſi pinguiſſimum habeant patrimonium. Ita ſtatuit *Concil. ſeſſ. 21. cap. 2.* & docent Sanchez, *conſil. lib. 7. cap. 2. dub. 35. num. 5.* Philibert. *cap. 7. numer. 3.* Hoc tamen patrimonium debet eſſe certum, immobile, aliàs conſumi poſſet, & poſtmodum ordinatus certis alimentis careret. Debet natura ſua eſſe frugiferum. Vnde qui ſolùm haberet directum aliquorum bonorum dominium, ſed alter haberet vtile, non poſſet ad titulum illius ordinari, quia nequit ſuſtentari fructibus illius patrimonij. Sic Decius, *in cap. Epiſcopus, de præbendis, num. 12.* Debet pacificè poſſideri, & non eſſe alteri ære alieno, cenſu, aut alio modo deuinctum, ſeu hypothecatum, ne illo ſpolietur Clericus à poſſeſſoribus, & ſic mendicare turpiter cogatur.

*Debet eſſe poſſeſſio rerum immobilium fructificantium.*

77. Non poteſt filius prædiuitis patris ordinari ad titulum hæreditatis futuræ, niſi prius pater ipſi aſſignauerit patrimonium certum, cuius poſſeſſionem acquirat, aliter enim licèt habeat ius ad rem, non in re, quod ad titulum Ordinis requiritur, nec ad titulum legati in teſtamento relicti viuente teſtatore; poterit tamen ad titulum cenſus perpetui, etiam redimibilis, quia cenſus perpetuus ſemper fructificat, & cautio adhiberi poteſt ab Epiſcopo in ipſo titulo, vt ſi redimatur, non conſumantur pecuniæ, ſed in Beneficium eiuſdem ordinati quàm primùm applicentur. Nec ſimiliter poteſt ordinari ſine ſufficienti patrimonio, aut Beneficio, etiamſi aliquis verbo, vel ſcripto ſpondeat ſe ordinando alimenta præbiturum, eo quòd talis obligatio perſonalis

non

Digitized by Google

non eſt res immobilis, & pacificè poſſeſſa. Si autem aliquis de fructibus ſuorum bonorum irreuocabili donatione publico Notario firmata alicui centum aureos, v.g. annuos aſſignaret, poſſet ad Ordines ſacros promoueri. Ita Hugolin. *de offic. Epiſcop. cap.* 26. §. 14. *nu.* 2. Philiber. *cap.* 7. *diff.* 2.

*Non ſat eſt patrimonium fictum.*

78. Sed quæres: An ſi quis patrimonio ficto ordinaretur, peccaret, & maneret ſuſpenſus? In hac quæſtione aliqua apud Doctores ſunt certiſſima: Primum iſtum peccare mortaliter, quia fraudulenter agit contrà præceptum Eccleſiæ bonum commune reſpiciens: Secundum eſt, quòd ſi patrimonium donatum fuit ab alio non animo, & intentione illud conferendi, aut reddendi fructus, & redditus, ſed ſolùm propter apparentiam, & formam in foro exteriori cum pacto facto ab ordinato de non petendo, vel vtendo dicto patrimonio; de hoc iudicium idem eſt faciendum, ac de illo, qui ſine vllo titulo ad Ordines acceſſit, quia hic nunquàm acquiſiuit dominium illius patrimonii, nec fuit vera donatio, vnde conſequenter ad dicta *punct. praeced. numer.* 72. incurrit ſuſpenſionem ipſo facto ab executione Ordinum, quos recepit.

*Qui verò dominium patrimonij acquirit, ad illius titulum ordinari poteſt.*

79. At verò, ſi fictio patrimonij in eo ſtaret, quòd quis verè ab amico patrimonium reciperet, & dominium illius acquireret, ſed data *antapocha*, ſeu contrà ſcripturâ, aut data fide, aut iuramento ſe redditurum tale patrimonium amico poſt ordinationem, nulli dubium eſt in hoc caſu tam donatarium, quàm donantem mortaliter delinquere, quia Eccleſiam in re grauiſſima decipiunt, & contrà illius præceptum, & mentem agunt. Si tamen hæc donatio eſſet valida, nec teneretur donatarius ſtare promiſſis, nec poſſet ad hoc compelli: Certum etiam eſt, ſuſpenſionem in tali caſu non incurrere, quia fuit ordinatus cum vero titulo patrimonij; & illa conditio impoſita reddendi poſt Ordines illud, nulla eſſet, *& non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum, de reg. iur. in* 6. Si tamen teneretur ordinatus in illo caſu ſtare promiſſis, ſaltem in foro conſcientiæ, incurreret ſuſpenſionem, ad titulum illius ſuſcipiens Ordines: quia non habebat verum titulum, nec dominium, aut quietam illius poſſeſſionem. Ita Nauarr. *in ſumm. cap.* 27. *nu.* 158. *& lib. Conſil* Maiolus, *lib.* 4. *de irreg. cap.* 15. *initio*, Rodr. 2. *tom. ſum. cap* 15. *nu.* 1.

*Sententia aſſerens non teneri ordinatum promittentem reddere patrimonium ſtare promiſſis.*

80. Sed difficultas eſt. An qui patrimonium recepit ab amico datâ antapochâ, aut fide, aut iuramento ſe redditurum illi tale patrimonium poſt ſuſceptos Ordines, teneatur in conſcientia ſtare promiſſis? (In foro enim exteriori certum eſt non teneri; in illo enim reſcindenda eſt talis retrodonatio in pœnam donatoris, qui Eccleſiam decipere tentauit, vt docent communiter Doctores.) Non teneri in tali caſu Clericum tale patrimonium in conſcientia reſtituere, nec ſtare promiſſis, eo quòd talis retrodonatio fuerit nulla, tenet *Diana*, 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 184. *ex* Ledeſm. *de Sacram. Ord. cap.* 1. *concluſ.* 6. *diff.* 3. *&* Villalob. *tract.* 11. *diff.* 15. *num.* 10. tenet etiam Leand. *tract.* 16. *diſ.* 9. *q.* 5. Bonac. *diſ.* 8. *quæſt. vnic. punct.* 5. *num.* 24. & alij.

81. Et probant, tum ex *Conc. Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de reform.* prohibente, ne penſio, aut patrimonium, ad cuius titulum fuit quis ordinatus, abſque Epiſcopi licentia alienari, aut remitti poſſit. Et etiam ex eo, quod aſſignato tali patrimonio in titulum ſacri Ordinis, Epiſcopus in illud ius acquirit, ſitque illi hypothecatum, eo quòd ipſe aliàs teneretur tali ordinato alimenta præbere.

*Tenetur in foro conſcientiæ.*

82. Cæterùm, licèt in foro exteriori donans modo dicto patrimonium, nullam haberet contrà Clericum actionem, verè tamen dominium eius non amiſit, eo quòd illa donatio fuerit nulla; & apparens tantummodò, & ſic donatarius, nullum in re dominium acquiſiuit, ſed ſolùm ad rem, eo quòd donans in pœnam ſui delicti debet in foro exteriori à iudice tali dominio ſpoliari. Nec contrà eſt *Concil. Trident.* quia loquitur de patrimonio vero, cuius ordinatus dominium acquiſiuit, quod, vt dicemus ſtatim, alienare non poteſt abſque Epiſcopi licentia, aliàs talis alienatio eſſet nulla. Nec Epiſcopus aliquod ius acquiſiuit ſuper tali patrimonio: ipſe enim non tenetur alere, quem ex ficto titulo ordinauit: quia talis obligatio impoſita eſt Epiſcopis in pœnam culpæ, quâ ſcienter ordinauerint aliquem abſque titulo: ac proinde, cùm non ſit Epiſcopus in culpâ, quando deceptus eſt, tali obligatione non adſtringitur. Aſſertum in hoc numero docet Philibert. *diff.* 5. *ex* Lopez, *de contract. lib.* 2. *cap.* 45. *&* Auila, *de cenſur. p.* 3. *diſ.* 5. *dub.* 5. *concluſ.* 5. & aliis. Tenet etiam Sanchez, *de Matr. lib.* 6. *diſ.* 32. *num.* 8. Corduba *quæſt.* 32. N. Gab. *num.* 42.

*Quidam caſus reſoluitur.*

83. Sed inquires. An renuntiatio patrimonij, aut penſionis, ad cuius titulum quis ordinatus eſt, ſit valida? Reſpondetur omnino eſſe inualidam: Nam à *Concil. Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. nullatenùs dictum patrimonium poſſe renuntiari iubetur, niſi ex licentia Epiſcopi, & poſtquam aſſecutus eſt Beneficium, vel alia bona immobilia, ex quibus poſſit decenter ali: & hinc deducitur, quid dicendum ſit in illo caſu: Petrus ordinatus eſt Subdiaconus ad titulum patrimonij, & antequàm ad Diaconatum, vel Presbyteratum aſcenderet, dictum patrimonium renunciauit, vel illud nimis grauauit debitis, & obligationibus, & poſteà præſentato priori titulo ordinatus eſt Diaconus, aut Presbyter: An iſte incurrat ſuſpenſionem latam contra ordinatos abſque titulo congruæ ſuſtentationis? Dicimus talem ſuſpenſionem non incurrere (licèt peccauerit in eo mortaliter) quia cum illa donatio fuerit nulla, nec teneatur debita contracta ex patrimonio neceſſariò ad ſuſtentationem, ad cuius titulum quis ordinatus eſt, ſoluere, ad verum titulum ordinatus eſt, nec Epiſcopum fefellit, Ita Sanchez, *Conſil. lib.* 7. *dub.* 40. *&* 39. Diana, 4. *p. tract.* 4. *reſolut.* 52. Bonacin. *num.* 19. Philiber. *diff.* 7.

*Alius caſus, & opinio prima pro illo.*

84. Sed maior difficultas eſt: An, ſi Clericus aliundè acquiſiuit ſuſtentationem congruam, poſſit validè, & licitè alienare, vel renunciare patrimonium, ad cuius titulum fuit ordinatus ſine licentiâ Epiſcopi? Affirmant validè, imò licitè id poſſe Garcia, *de Benef. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 186. Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *q.* 3. Molſeſ. *tract.* 2. *cap.* 18. *n.* 31. *&* alij in eo fundati, quod Concilium *loc. citat.* ſic ait: *Atque illa ſine*

*de reſtitut. q.* 15. Soto, *in 4. diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 2. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 519. Bañez, 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. *dub.* 2.

*Eſt valdè conſonum iuri naturali quod in Clericis talis exemptio detur.*

8. Et quidem quod hoc ſit ſuo modo ex iure diuino, eo quod ſit valdè conſonum rationi naturali, quod Principes immunitatem Clericis concedant, probatur: quia dignitas ſtatus Eccleſiaſtici; per quam ſunt Clerici peculiari modo diuinis rebus mancipati, & conſecrati, id expoſcit, eo quod eſt contrà reuerentiam Deo debitam, ſi id, quod ſemel conſecratum eſt illi, tractetur vt profanum. Præterea: quia Eccleſiaſtici ſunt Paſtores, & patres ſæcularium, & loco Dei iudices eorum in cauſis, quæ ad ſalutem æternam expectant; ſed eſt contra rationem, vt ouis iudicet ſuum paſtorem, & filius patrem, & qui ante fuit reus ſuum judicem, qui ex auctoritate Dei eum judicauit, & abſoluit, iudicet, & condemnet.

*Probatur id non adeſſe immediatè ex iure diuino.*

9. Quod autem id ex iure diuino immediatè non habeatur, probatur: quia ex aliquo loco Scripturæ id expreſſum non habemus, vt fatentur ipſi aduerſarij, nec ex traditione Eccleſiæ perpetuâ, nec ex Sanctis Patribus; quinimò oppoſitum ex his omnibus deducitur: Ergo non eſt ex iure diuino talis immunitas conceſſa. Conſequentia conſtat; minor verò probatur: quia ex Scripturâ potiùs habemus oppoſitum, vt conſtat ex loco in argument. ſed contrà adducto; & iam ex Sanctis Patribus: nam præter ibi adductos docet Ambroſ. *in Orat. de tranſitu* Baſilij, vbi ait: *Si tributum petit Imperator, non negabo. Agri Eccleſiæ ſoluunt tributum*, & Valentinus ſenior in *Epiſt. ad Epiſc. Aſiæ*, dicit: *Bonos Epiſcopos tributa penſitarè Regibus* & ex Vrbano Papa, *cap.* 22. *Tributum, quod in ore piſcis inuenitur: pro Petro, & Domino dare iubetur, quia de exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace, & quiete, quâ nos defenſare debet, Imperatoribus perſoluendum eſt*: Ergo nec ex conſuetudine, aut traditione Eccleſiæ habetur immunitas Eccleſiaſticorum à tributis ex iure diuino conceſſa.

*Secunda ratio.*

10. Secundò, quia dignitas Ordinis Clericalis non liberat iure diuino à debito perſonali pecuniario, nec à debito ſeruitutis, nec à debito coniugali: Ergo neque à debito ſeruitutis, quo quis antè ſumptum Clericalem ſtatum erat Principi ſæculari obligatus. ¶ Reſpondet Valentia, quod ſi par eſſet omnium horum debitorum ratio, non poſſet Clericus iure humano à tali debito ſubiectionis abſolui, ſicut non poteſt ab enumeratis.

11. Sed contra eſt, quod alia debita ſunt reſpectu perſonæ priuatæ, quæ ſi non cedat iuri ſuo, ſemper manent in ſuo robore; at debitum iſtud eſt reſpectu Principum, qui cedere poſſunt iuri ſuo, & defacto ceſſerunt talia priuilegia Eccleſiaſticis concedendo, quam ceſſionem, cum ſit valdè rationi conſona, & dignitati Eccleſiæ conueniens, tenentur Principes ex æquitate facere, & ad hoc poſſunt obligari à Summo Eccleſiæ Paſtore: quia in his, quæ ſpectant ad dignitatem Eccleſiaſticam, ſubditi ſunt Principes ſæculares Summo Pontifici. Quare, accedente Summi Pontificis conceſſione, & Principum iuſtâ ceſſione, & acceptatione communi populorum, iuſtè Eccleſiaſtici à tali iuriſdictione eximuntur, quam conceſſionem, poſt communem Eccleſiæ, & populorum acceptationem, non poſſunt Principes reuocare, vt infrà dicemus.

*Soluuntur argumenta contraria.*

12. Ad primum reſpondet D. Thom. *in* 2. *diſ.* 44. *art.* 2. his verbis: [*vel dicendum, quòd Chriſtus loquitur de ſe, & de ſuis Diſcipulis, qui nec ſeruilis conditionis erant, nec res temporales habebant, quibus ſuis Dominis obligarentur ad tributa ſoluenda, & ideò non ſequitur, quod omnis Chriſtianus huiuſmodi libertatis ſit particeps, ſed ſolùm illi, qui ſequuntur Apoſtolicam vitam nihil in hoc mundo poſſidentes.*]

13. Ad ſecundum reſpondetur omnia illa loca ſolùm probare ſecundam partem noſtræ aſſertionis, nimirum quod æquum eſt ita fieri; & valdè conſonum rationi Sacerdotes à ſubiectione ſæcularium eximere, & quod recta ratio dictabat ibi ſtabilitum eſt, & conceſſum ſiue à Deo, ſiue à Principibus, hinc tamen non habemus in noua lege ex iure diuino id fuiſſe conceſſum Sacerdotibus, ſed eſſe illi valdè conſentaneum, quod concedatur.

14. Idem etiam probatur tertio, & quarto argumento, nam vel Pontifices, & Concilium loquuntur de bonis Eccleſiaſtis, quæ iure diuino ſunt exempta, vel loquuntur de iure diuino non immediatè id concedente, ſed dictante deberi à Principibus concedi.

## P V N C T V M I.

### *De ſubiectione Eccleſiaſticorum legibus ciuilibus, & qualis iſta ſit.*

*Eccleſiaſtici tenentur leges ciuiles obſeruare.*

14. ECcleſiaſticæ perſonæ licet abſolutè, vt dictum eſt, ſint exemptæ à poteſtate ſæculari, non tamen omninò, ita vt illi ſubditæ non ſint quoad vim eius directiuam in legibus ciuilibus; ſed tenentur in conſcientia leges politicas obſeruare, quæ illorum ſtatui, & immunitati non contradicunt, & ideò ſi Clericus contrà illas agat, & peccat mortaliter, & tenetur reſtituere id, quod contra illas acceperit, v. g. lex ciuilis iubet, vt tanti vendatur triticum, oleum, aut vinum, illam obſeruare tenetur Clericus, & ſi magis vendat, tenetur reſtituere. Lex ciuilis iubet, vt ædificia hoc, vel illo modo fiant, quòd teſtamenta ſub tali forma conficiantur, quòd hæredes ſic, vel ſic conſtituantur, quod arma vetita non portentur, & alia huiuſmodi, quæ dignitati Eccleſiaſticæ, aut immunitati non contradicunt, ſed potiùs congruunt; cum ſint rationi conformes, & ſic illas obſeruare tenetur in conſcientiâ Clericus, & ſi tranſgrediatur, debet puniri non à judice ſæculari; ſed à ſuo proprio Prælato, nec poteſt coràm illo accuſari; ſed penes iſtum conueniri, quia hoc eſſet contrà dignitatem Eccleſiaſticam. Ita Doctores tam Theologi, quàm Iuriſtæ.

*Ratio ſuperioris aſſerti.*

15. Et ratio eſt, quia Clericus per hoc, quod in ſtatu Eccleſiaſtico collocetur, non extrahitur ab hoc, quod eſt eſſe ciuem, & partem Reipublicæ: Ergo tenetur obſeruare leges, & ſtatuta ipſius Reipublicæ: quia pars debet cum toto conformari, nec ab alijs diſcrepare compartibus, cum

Digitized by Google

cum hoc ipſa ratio naturalis dictet. Vnde fit, quod ſicut Princeps legem ferens, tenetur obſeruare ſuam legem quoad vim directiuam, quamdiù illam non abrogat, vel ſecum ſuo modo ex iuſta cauſâ diſpenſat, nè alioqui turpiter ab alijs partibus diſcrepet (cum etiam ipſe ſit, ſicut particularis perſona, quædam politici corporis pars): Sic Clericus, qui pars eſt Reipublicæ, illius leges iuſtas, quæ ſuæ immunitati non contradicunt, obſeruare tenetur. Ita docent Valent. Granad. Becan. & alij *locis dub. præced. citat.*

*Non tenentur ex vi coërcitiua.*

16. Ex quo ſequitur, Clericos non vi coërcitiua, ſed ſolùm directiua ad huiuſmodi leges teneri, id eſt non directè legibus ciuilibus ſubjici, ſed ſolùm indirectè, quatenùs ratio naturalis dictat ſeruandas eſſe leges ſæculares propter conformitatem cum alijs partibus eiuſdem Reipublicæ: ſicut Reges, & Principes leges ferentes eodem modo illis ſubjiciuntur. Ita docet Valent. *concl.* 2. Araujo, 1. 2. *q.* 95. *diſ.* 3. *ſect.* 5. *diff.* 4. *concl.* 1. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 3. Villalob. *tractat.* 2. *dub.* 31. *numer.* 1. Dian. *p.* 1. *tractat.* 2. *reſolut.* 8. & eſt communis: Eius ratio eſt, quia vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 69. *art.* 5. Nemo tenetur directè legibus ſuperioris, qui in ipſum non habet iuriſdictionem; ſed Principes in Eccleſiaſticos nullam habent iuriſdictionem: Ergò iſti directè, & ſecundùm vim coërcitiuam ad leges ſæculares non tenentur.

*Non poſſunt cogi à ſæcularibus ad obſeruationem legum.*

17. Ex his aliquarum difficultatum ſolutio deducitur. Prima: An ſæculares Magiſtratus poſſint cogere Clericos, vt triticum vendant, ſi neceſſitas adſit? Reſpondetur non poſſe, niſi fames, & neceſſitas ſit nimis vrgens, & periculum in mora, in quo caſu poteſt iudex laicus triticum ex domibus Clericorum extrahere, & vendere non ratione iuriſdictionis, ſed vt neceſſitati occurrenti ſatisfiat. At abſolutè Clericos ad id cogere non poteſt, ſed Epiſcopum adire, vt ab eo ad talem venditionem compellantur. Ita Dian. *p.* 5. *tractat.* 2. *ex* Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *Can.* 15. *q.* 17. *num.* 45. & Molleſ. *in ſumm. tom.* 2. *tractat.* 12. *capit.* 5. *numer.* 88. Et ratio eſt, quia Magiſtratus ſæculares nullam habent in Eccleſiaſticos iuriſdictionem, nec illa neceſſitas talem iuriſdictionem illis præbet: Ergo quamuis Clerici mortaliter peccent retinendo triticum, & alia ad victum populi neceſſaria, vel illa vendendo ſuprà pretium commune, teneanturque ad reſtitutionem: quia tamen legibus ciuilibus vi correctiuâ non coarctantur; ſed directiuâ, non poſſunt à ciuilibus Miniſtris ad id cogi, ſed à ſuis proprijs Prælatis, quibus negligentibus, vel abſentibus, in caſu, quo vrget neceſſitas, poſſunt modo dicto extrahi grana ex horreis Clericorum.

*Armis ſpoliari poſſunt Clerici à ſæcularibus.*

18. Secunda: An Miniſter laicus poſſit Clericos armis ſpoliare prohibitis, & eas retinere? Negat adhuc poſſe Dian. *loc. cit. reſolut.* 10. *ex* Barboſ. Bonac. Duardo, Megala, Riccio, & alijs, eo quod Clerici per iudicem Eccleſiaſticum cogendi non ſunt ad obſeruanda ſtatuta ciuilia, & ſic non poterunt Miniſtri Regis armis prohibitis Clericos ſpoliare. Verumtamen dicendum eſt poſſe, vt docet Couarrubias, *pract. qq. capit.* 33. *numer.* 7. Antonius Gomez *in leg.* 45. *Tauri*, *numer.* 48. & ex multis probat Dominus Marius Cuttelus, *lib.* 2. *q.* 10. & ex Theologis Lorca, *in* 1. 2. *tom.* 2. *tractat. de legib. diſ.* 25. *memb.* 4. Vaſq. ibi, *tom.* 2. *diſ.* 167. *cap.* 4. *numer.* 31. qui tres vltimi benè obſeruant, Miniſtros Regis dicta arma ab Eccleſiaſticis auferendo, non exercere iuriſdictionem in illos, ſed impedire turbationes Reipublicæ, efficereque, vt leges Pontificiæ, & Regales armorum portationem Clericis prohibentes, cuſtodiantur, non per vim coarctiuam, ſed gladium gladio retundendo, & auferendo impedimenta quieti Reipublicæ contraria, quæ licet auferri potius à ſuo Epiſcopo deberent, ſed quia vel non poteſt multoties ipſe, vel in mora talis ablationis eius, ſæpè ſæpius eſt periculum, licitum eſt Miniſtris regalibus, maximè nocte hæc arma à Clericis auferre, non per modum punitionis, ſed magis per modum defenſionis, quietis, & pacis publicæ.

*Eccleſiaſtici aſportantes aliquid extrà Regnum non ſunt ſpoliandi re, quam aſportant.*

19. Tertia difficultas eſt: An iudex laicus inueniens Eccleſiaſticos aſportantes pecunias, frumentum, equos, &c. à Regno contra legem, poſſit talia auferre? Reſp. non poſſe, quia licèt tales leges ſint iuſtæ, & Clerici illas obſeruare teneantur, ac proinde peccent mortaliter contrà eas agendo, quia tamen ad illas non obligantur vi coërcitiua, non ſunt puniendi pœnâ legibus regalibus ſtatutâ, vt eſt priuatio illorum bonorum, & minus poſſunt puniri à iudice laico tali pœnâ, & eſt diſpar ratio, ac in præcedenti caſu. In illo enim agitur de iuſtâ Reipublicæ defenſione, de ſtatuenda pace illius, auferendo impedimenta, quæ ipſam turbare poſſent, & ſic per modum defenſionis poſſunt arma Eccleſiaſticis à ſatellitibus auferri. In noſtro autem caſu nulli fit iniuria per illorum bonorum poſſeſſionem, ideoque licèt à Magiſtratibus impediri poſſit, ne ex Regno extrahantur propter bonum publicum, non tamen eis ſpoliare poſſunt Eccleſiaſticos in pœnam huiuſmodi aſportationis. Ita Dian. *reſolut.* 11. *ex* Megala, *in* 3. *p. lib.* 3. *cap.* 51. *num.* 36. & Azor. *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 19. *q.* 13.

*Clericus in fragranti inuentus, poteſt à ſatellitibus comprehendi, vt ſuo ſuperiori tradatur.*

20. Vltima difficultas eſt: An iudex laicus poſſit capere perſonam Eccleſiaſticam in fragranti crimine, & ducere illam ſine iniuria ad ſuum Superiorem Eccleſiaſticum? Reſpondetur poſſe abſque eo, quod in excommunicationem Bullæ incurrat, modo id reuerenter, & abſque vlla iniuria, vi, aut indecentiâ faciat, maximè quando crimen eſt enorme, & poſt ipſum patratum timor ſit, quod fugiat, vt à ſuo proprio Superiore non poſſit capi. Ita Bonacin. *diſ.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. §. 5. *numer.* 22. Nauarr. *in Manual*, *capit.* 17. *numer.* 83. Peregrinus, *de immunit. Eccleſ. capit.* 16. *numer.* 37. Bañez, 2. 2. *q.* 27. *art.* 2. *concluſ.* 2.

21. Idem dicendum eſt, ſi Clericus non in fragranti delicto, ſed noctu cum armis prohibitis, vel mutato habitu fuit inuentus, vt docet Sauſa, *in Bull. Cœnæ*, *cap.* 16. *diſ.* 82. *num.* 9. Ioan. de la Cruz, *p.* 1. *præcept.* 8. *q.* 3. *art.* 1. *dub.* 3. *concl.* 3. Bañez, 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. *dub.* 2. *concl.* 5. Quia licèt in Bulla Cœnæ excommunicentur Magiſtratus quomodolibet ſe interponentes circa captu-

ram

contrahens petere licitè debitum, licèt poſſet reddere, vt accidit in eo, qui voto ſimplici caſtitatis adſtringitur, & vxorem ducit.

*Hoc ipſum magis explicatur.*

31. Etenim in præſenti datur lex Eccleſiaſtica prohibens contrahere matrimonium, & inhabiles reddens ſacris initiatos ad illud, ratione cuius votum caſtitatis Ordini ſacro annexum induit ſolemnitatem, quâ ſubſequens irritat matrimonium, vt docent Auctores citati pro noſtrâ ſententiâ, & datur præceptum de emittendo votum caſtitatis implicitè vel explicitè illum, qui ad Ordines aſſumitur, & datur ipſum votum caſtitatis iam ab ordinato in ſacris emiſſum. Duo priora, quæ ſolum ex lege Eccleſiaſtica obligant, poſſunt ſine cauſa diſpenſari ab Eccleſia; hoc poſterius minimè, & ſic, ſicut poſſet Eccleſia alias leges ab ipsâ impoſitas, etiam ſinè cauſa reuocare, quia lex ex ſola voluntate Legiſlatoris dependet, ſic poſſet primum, & ſecundum præceptum abrogare, & omnes in poſterum ordinandos ab obligatione non ducendi vxorem abſoluere, & emittendi votum caſtitatis in Ordinibus, & in tali caſu validum, & licitum eſſet matrimonium poſt Ordines ſuſceptum, & poſſent ordinati petere, & reddere debitum, ſicut alij vxorati, & poſſet etiam abſoluere de facto iam ordinatos ab obligatione non nubendi, & ſi hoc faceret ſinè cauſa, validum eſſet matrimonium, non licitum, quia votum caſtitatis ſaltem in ratione voti ſimplicis, quamuis non ſolemnis permaneret: quia votum ſinè cauſa non poteſt diſpenſari, proindèque illicita eſſet petitio debiti, licèt non redditio illius.

*Solutio argumentorũ*

32. Ad primum reſpondetur, quòd licèt Eccleſia abſolutè non poſſet ad emittendum votum caſtitatis adſtringere, cum hoc ſit conſilij, non præcepti; poteſt tamen ex ſuppoſitione, quod quis liberè Ordines ſacros recipiat, quia ſicut donans rem propriam poteſt conditiones illi donationi imponere, quas voluerit, *leg. in traditionibus, ff. de pactis*. Ita Eccleſia Ordines conferens poteſt, quas maluerit, tali collationi leges imponere. Vndè ſicut admittens officium Prætoris, aut Epiſcopatus dignitatem, tenetur ex voluntate, quâ illas admittit, ad obligationes, quas ſecum afferunt, ſic ad Ordines ſacros liberè accedens, ſicut ex ſuâ voluntate adſtringitur ad recitandum officium diuinum, aliaque talibus Ordinibus annexa, ſic ad emittendum votum caſtitatis.

33. Ad ſecundum fatamus poſſe ab Eccleſia immediatè præcipi caſtimoniam: Conuenientius autem fuit, quod non immediatè, ſed medio voto id efficeret, tum, vt ſibi adimeretur facultas pro libito, & ſinè cauſa in tali obſeruatione diſpenſandi, tum, vt maior libertas, quæ in voto ab ipſo ordinato emiſſo inuenitur, in ſuſceptione tantæ obligationis ſplenderet.

*Eſt hoc votum factis ſuo modo explicitum.*

34. Ad tertium reſpondetur verum eſſe, quod per ſe huiuſmodi votum debet eſſe expreſſum non verbis, ſed factis. Nam ipſo facto qui ſcit talem eſſe obligationem annexam Ordini, & Ordines voluntariè recipit ad illam attendens, & vt habetur ex rituali Romano, ad id admonetur in tali ordinatione ab Epiſcopo, vel eius Miniſtro votum explicitum factis emittit, ſaltem interpretatiuè, admittendo Ordinem cum his circumſtantijs. Implicitum autem erit, quando vel non aduertit ad talem obligationem, vel neſcit inculpabiliter illam, quomodo etiam tenetur ad caſtitatem ex voto ſaltem implicito, vt iam diximus.

*Qui ignorans voti caſtitatis Ordinibus annexum, & liberè ordinatur, aſtringitur illo.*

35. Ad quartum dicimus, quòd caſu, quo quis inuincibiliter ignoraret hoc votum eſſe Ordinibus annexum, adhuc maneret ad caſtitatem ſeruandam obligatus, vt docent omnes, & matrimonium ab eo contractum eſſet nullum, quia Eccleſia voluit omnes voluntariè Ordines recipientes inhabiles reddere ad matrimonium, & his obligationibus ſubiacere: Sicut, licet ignoret eſſe tali ordini annexam recitationem officij diuini, aut portare tonſuram, & veſtes Eccleſiaſticas adhuc teneretur ad vtrumque. Sed an talis obligatio ex vi voti conſurgeret? Diſſidium eſt inter Doctores. Nos cum Th. Sanch. & alijs ab ipſo *n.* 11. adductis dicimus ex vi voti implicitè teneri. Nam ſicut qui vult officium Prætoris, aut Magiſtratus admittere, vult etiam ſubire omnes obligationes tali officio connexas, etiamſi illas ignoret; Ita qui vult Ordines ſacros recipere, vult etiam emittere votum caſtitatis, quod tali ordini eſt annexum, etiamſi illud ignoret, quia vult talem Ordinem cum omnibus, quæ ſecum affert.

*Qui ordinaretur nollens caſtitatẽ vouere, peccaret in hoc mortaliter.*

36. In ſecundò autem caſu in argumento tacto eius, qui Ordinem reciperet, & expreſſè vellet caſtitatem non vouere, etiam eſt certum apud omnes huiuſmodi peccare in hoc mortaliter, quia præcepto grauiſſimo Eccleſiæ contradicit, & teneri abſtinere à matrimonio, & emittere votum caſtitatis, nullumque eſſe matrimonium ab eo contractum. Quia Eccleſia poteſt præcipere, & de facto præcipit, omnes voluntariè Ordines ſuſcipientes inhabiles eſſe ad matrimonium, velint, nolint; ſed non aſſentimus ſententiæ Sanch. in hac parte, qui *loc. cit. nu.* 12. inquit huiuſmodi teneri non ex voto, ſed ex lege Eccleſiaſticâ præcipiente, omnes in ſacris initiatos caſtitatem obſeruare, nec ſententiæ Philib. qui *loc. cit. num.* 9. dicit teneri ex voto.

37. Sed magis opinioni Dicaſtill. *qui nu.* 398. docet huiuſmodi non teneri ad caſtitatem nec ex voto, nec ex lege, teneri tamen ad emittendum votum illud. Quod non teneatur ex voto patet, quia votum eſt lex particularis, quam ſibi quiſque imponit; vndè ſinè voluntate ipſius expreſſâ, vel interpretatiuâ non poteſt dari, quarum nulla adeſt, quando quis expreſſè non vult tale votum emittere, nec etiam ex lege, quia nulla datur lex de obſeruanda caſtitate, ſed de emittendo votum caſtitatis.

*In caſu præcedenti non cõmitteret ſacrilegium, quã in fornicationem incideret.*

38. Ex quo fit, quod ſi ordinatus in ſacris expreſsè nollet vouere caſtitatem, peccaret quidem mortaliter, & quamdiu diſtulerit tale votum emittere, etiam mortaliter peccaret: Eo modo, quo ille, qui differt reſtitutionem, ad quam tenetur. Si tamen illo tempore intermedio laberetur in peccatum fornicationis, non committeret in illo malitiam ſacrilegij in confeſſione detegendam, quia nec contrà votum, nec contrà legem ex motiuo Religionis præcipientem delinqueret, ſicut qui differret votum, ad quod tenetur, peccaret in differendo, non autem ſi contrarium voto emittendo committeret, vt Religioſus, qui in tali, vel tali tempore haberet obligationem profitendi, ſi differret, peccaret in eo, non verò contrà votum paupertatis, ſi aliquid, quod per illud prohibetur, in tẽpore dilationis diſtribueret. Ita Dicaſt. *n.* 400.

39. Qui benè addit *nu.* 401. quod ſi Religioſus, qui ex voto in profeſſione emiſſo caſtitatis, &

ex

Digitized by Google

*Religioſus Sacerdos non cõmittit triplicẽ malitiam per peccatũ incontinentiæ.*

ex voto in Ordine ſacro etiam emiſſo tenetur ad illam, in carnis peccatum laberetur, non committeret triplicem malitiam, aliam contrà caſtitatem, aliam contrà votum Religionis, aliam contrà Ordinis votum, ſed duplicem tantum, alteram contrà caſtitatem, aliam contrà votum illius, & ſic ſufficere, ſi in confeſſione detegat ſe deliquiſſe contra caſtitatem, ad quam ex voto tenetur. Ita etiam Sanchez, *vbi ſup. num. 27. vſque ad* 35. Secùs autem accideret, ſi aliquis ex voto ſolemni, aut ſimplici, & ex iuramento ad caſtitatem eſſet adſtrictus, quia tunc per violationem vtriuſque diuerſam malitiam committeret, alteram contrà fidem datam Deo vouendo, alteram, quia Deum in teſtem adducit falſitatis, & ſic præter malitiam contrà caſtitatem, etiam, quæ adeſt contrà votum, & contrà iuramentum, eſt aperienda in confeſſione. Ità Sanchez *num. 23. loc. cit.*

## PVNCTVM I.

### *De ijs, quibus ordinati excuſantur ab obligatione voti Caſtitatis.*

40 TRia ſunt, de quibus poteſt dubitari, an excuſent ordinatos in ſacris ab obligatione voti caſtitatis. Primum eſt, quandò ordinatio eſt nulla ex defectu materiæ, formæ, vel intentionis neceſſariæ. Secundum ex defectu ætatis, vel quia ante vſum rationis, vel antè pubertatem quis ordinaretur. Tertium, quandò per metum, vel violentiam eſſet ad Ordines aſſumptus, de quibus ſuo ordine hoc puncto agemus.

*Si Ordo ſit inualidus, eſt nullum votum caſtitatis.*

41. In primis certum debet eſſe eum, qui inualidè ordinatus eſt, ex quocumque capite nullitas oriatur, non teneri amplius ad votum caſtitatis, & ſic non ſolùm validè, ſed licitè contrahere matrimonium, quia vbi corruit fundamentum, corruit etiam ædificium: Vbi principale deficit, deficit acceſſorium, ſed votum Caſtitatis eſt Ordini acceſſorium: Ergò illo non ſubſiſtente, nec iſtud ſubſiſter. Et ſic eſt diſparitas quòad hoc in eo, qui recipit Ordines inualidè, & in eo, qui inualidè profeſſionem Religioſam emittit; vel quia in Religione non approbata; vel quia ſuperior non habebat poteſtatem, vel alijs ex capitibus. Hic votum caſtitatis non vt acceſſorium profeſſioni, ſed vt quid illi eſſentiale emittit, & ſic immeditè vouet caſtitatem; & ideò, quamuis ex defectu valoris profeſſionis non remaneat illud votum in ratione ſolemnis irritantis matrimonium; manet in vi voti ſimplicis illud illicitum reddentis, *cap. quidam, & cap. placet, de conuerſ. coniugat.* At in Ordine votum eſt acceſſorium illi, quo proindè non ſtante, corruit voti obligatio. Ità Palud. *in 4 diſ.* 38. *q.* 2. *artic.* 1. Auerſa, *q.* 4. *ſect.* 8. Sanchez, *diſ.* 27. *numer.* 13.

*Qui ante vſum rationis ordinatur, non tenetur ad votum caſtitatis.*

42. Secundò dicimus illum, qui antè vſum rationis fuit ordinatus, non teneri ad votum caſtitatis, ſed poſſe poſtmodum licitè, & validè matrimonium inire. Et ratio eſt, quia vel ex voto, aut ex lege Eccleſiæ ad id tenetur; ſi ex voto, cum requirat iſtud propriam electionem, & voluntatem, non poteſt antè vſum rationis emitti; ſi ex lege Eccleſiæ, Eccleſia non vult (& fortè non poteſt, vt probat Sanch. *lib.* 7. *cap.* 30. contrà Ledeſmam) obligare ad rem tam arduam, vt eſt obſeruatio caſtitatis perpetuæ abſque beneplacito, & voluntate eius, qui obligatur; in quo differt à puero, qui ante vſum rationis baptizatus tenetur ad leges Eccleſiæ obſeruandas: Nam iſtæ vel ſunt omnibus neceſſariæ ad ſalutem, & ſic iure diuino omnibus ſunt debitæ, & Baptiſmus ſolum præbet Eccleſiæ iuriſdictionem, vt poſſit baptizatos cogere ad talem obſeruantiam, vel ſi ſunt leges merè Eccleſiaſticæ non tam arduæ, & difficiles, ac eſt iſta, de quâ loquimur. Ità Auerſa, Suarez, *lib.* 3 *de Religion. lib.* 9. *cap.* 18. Sanchez, Dicaſtill. *tract.* 6. *diſ.* 1. *dub.* 17. *num.* 408.

*Ordinatus ante pubertatem voto caſtitatis nõ adſtringitur.*

43. Sed difficultas eſt, an ſi quis ordinaretur poſt vſum rationis, & ante tempus pubertatis, voto caſtitatis maneret adſtrictus? Negatiuam partem eligimus cum Dicaſt. *num.* 412. Sanch. *num.* 4. Auerſ. *loc. cit.* Maiolo, *lib.* 1. *de irregul. num.* 6. ex paritate huius voti cum voto in profeſſione emiſſo: quia licet iſtud magis vigeat, & fortius liget, & ſic ex ſententiâ D. Thom. non eſt à Pontifice diſpenſabilis 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. vtrumque tamen ſtatum conſtituit, & ad rem valdè arduam obligat, & ſic maturitatem, & perfectum vſum rationis efflagitat. Quarè ſicut profeſſio olim inualida erat ante pubertatem, *cap. ad noſtram, de regul.* & modò ex *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 15. non ſolum pubertas requiritur ad valorem illius, quæ communiter in decimo quarto ætatis anno adipiſcitur, ſed exigitur decimus ſextus annus, vt maturè res tanta operetur: ſic vt votum in Ordine emiſſum ſubſiſtat, debet eſſe ſubiectum in ætate pubertatis, imo decimum, & ſextum annum habere completum, vt probat *Sanch. loc. cit.*

*In vtroque caſu, ſi ratificet factum, voto caſtitatis adſtringitur.*

44. Sed in vtroque caſu præcedenti neuter poteſt licitè in Ordinibus miniſtrare, antequàm ad debitam ætatem perueniat, & in toto illo tempore poteſt reſilire à ſtatu Clericali, imò tranſacto illo, niſi antea factum ratificet. Si autem poſtquam ad ætatem requiſitam pro obligatione voti peruenerit, ſciens, & aduertens ad obligationem Ordinis, ratificet, & approbet factum ſiuè verbis, quibus exprimat ſe velle in illo permanere, ſiuè factis, portando habitum, & tonſuram, & exercendo functiones ordinatorum, ſtatim ad votum caſtimoniæ tenebitur, nec reſilire poterit. Quare tam infanti ante vſum rationis ordinato, quàm impuberi, poſtquàm ad debitam ætatem perueniat, optio danda eſt, an velit reſilire, an in ſtatu Clericali permanere. Si ſtatum Clericalem amplectatur, ſtatim ad caſtimoniam aſtringetur. Si ſæcularem, habitum deponere debet, & in Ordinibus miniſtrare non poterit, poterit tamen nubere, & poterit etiam, mutatâ voluntate, niſi aliud obſtet, ad ſtatum Clericalem redire.

*Sententia aſſerens ordinatum per metum teneri ad caſtitatem.*

45. Difficultas eſt in præſenti multùm inter Doctores controuerſa: An ſi quis ordinaretur metu compulſus graui, & vt dicitur, cadente in virum conſtantem, teneretur ad continentiam? Non autem eſt dubium, ſi ipſe metu compulſus ad Ordines accedat abſque animo ſe ordinandi: quia in tali caſu nulla eſt ordinatio, & conſequenter votum, vt diximus *n.* 41: Sed ſi animum ſe ordinandi non amittit, metu tamen ad ordinationem obligatur, in tali caſu teneri ad caſtitatem, irritumque fore matrimonium ab ipſo contractum, docet Palud. *q.* 5. *art.* 4. *nu* 28. D. Antonin. 3. *p. tit.* 64. *c.* 16. Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 2. *art.* 5. Acriter hanc partem defendit Baſil. Ponc. *lib.* 7. *de matr. cap.* 29. & probabilem reputat Sanc. *lib.* 7. *de matr. diſ.* 19. *num.* 4.

cum

eum pluribus, quos ipſe adducit. Et probant: Primò, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, iuxta *regul. 42. de Reg. iur. in 6.* Sed in hoc caſu Ordo, qui eſt principalis, validè recipitur: Ergò votum, quod eſt acceſſorium cum omni vi, & robore manet: Secundò, quia in *Conc. Tolet. 8.* loquendo de his, qui per metum etiam grauem, vtpotè metum mortis, ad Ordines promouentur, dicitur: *Si verò ad coniugia, moreſque ſæculi redire attentauerint, omni Eccleſiaſtica dignitate priuentur, & Apoſtatæ habeantur.*

*Qui ex metu ordinatur ad caſtitatem nõ tenetur.*

46. Nihilominus probabilius dicendum eſt, eum, qui per metum grauem iam dictum ordinatus fuerit, caſtitatis voto non teneri, & per conſequens licitè, & validè poſſe matrimonium contrahere. Ita Sanchez *num. 5.* Dicaſtill. *dub. 29.* Philibert. *tract. 2. part. 6. diffic. 8 num. 5.* Azorius, *lib. 13. cap. 14. quæſt. 8.* Bonacin. *de matrimon. quæſt. 3. punct. 9. num. 14.* Auerſa, *ſect. 8.* Et ratio eſt, quia ordinatus non niſi ex voto ad caſtitatem tenetur, ſed votum nedum implicitum, ſed etiam explicitum extortum metu graui irritum eſt, *cap. Prælatum, &c. cum dilectus, de his quæ vi, metuſque cauſa fiunt*: Ergo, &c. Secundò, quia ſi coniugatus ex vi metus grauis ad Ordines ſacros accederet, non teneretur continentiam ſeruare, ſed poſſet æquè, ac anteà cum vxore viuere, reddere, & petere debitum, vt etiam aduerſarij fatentur, & omnes admittunt: Ergò ſimiliter non coniugatus non tenetur ad continentiam, quia par eſt ratio in vtroque, nam ſi ille ex metu iniuſto non debet iure ſuo priuari, nec etiam iſte.

*Duplex limitatio.*

47. Sed hoc intelligendum eſt cum duplici limitatione: Prima, quòd poſtmodùm talem ordinationem non ratificet, & acceptet vel verbis, vel exercendo munus proprium illius Ordinis: Si enim in illo, tranſactâ occaſione per metum impellente, miniſtret, ratam habere cenſetur; ſed hoc intelligendum eſt, ſi ipſe ſciat, & aduertat ſe tali obligatione non teneri, & per talem actum eam ſubire; non enim eſt ratificatio actus, vbi ignoratur nullitas actus. Ita docet Veg. *2. tom. ſumm. cap. 57. caſ. 6.* Nauarr. *lib. 1 conſil. 2. num. 8. & 9.*

Secunda, quòd metus non ſit ex iuſta cauſa inductus, ſi enim Epiſcopus ex iuſta cauſa propter bonum publicum, & inopiam Miniſtrorum, aut alijs iuſtis titulis aliquem ad ordinationem adſtringeret, voto caſtitatis in illo caſu teneretur ordinatus: eo quòd irrationabiliter eſſet inuitus. Ita Sanch. Philib. Dicaſt. *loc. cit.*

48. Sed adhuc probabile reputat Sanchez, *num. 8. &* Dicaſtill. *nu. 440.* ex Nauarr. *conſil. 3. num. 4.* in prima editione, & in poſteriori, *conſ. 5. num. 4.* non teneri voto continentiæ, qui ordinaretur per metum, quamuis metus non ſit cadens in virum conſtantem, dummodò ratione illius ordinetur, & aliter non eſſet initiandus, quemadmodum plures aſſerunt eſſe nullum matrimonium ſimili modo contractum, vt refert Sanchez, *lib. 4 de matrim. diſ. 17. nu. 2.* ſed nihilominùs oppoſitū probabiliùs tenendū eſt cum Auctoribus cit.

*Soluuntur fundamẽta contrariæ ſententiæ.*

49. Ad primum contrariæ ſententiæ dicimus, acceſſorium ſequi conditiones principalis, quando neceſſaria ſequela ex illo deducitur, habetque ex natura rei cum illo neceſſariam connexionem; ſecùs verò quandò talis connexio, vt in præſenti, non datur, quia tunc dari poteſt in primum conſenſum, non in ſecundum, vt hic accidit. Ad ſecundum reſpondetur, Concilium loqui de illis, qui ſub prætextu timoris, quo inducti ſunt, ab obligatione Ordinum vellent reſilire, cum iam ratam haberent talem ordinationem, & in eâ multoties miniſtraſſent; vel dicendum eſt illud Concilium non eſſe Generale, ſed Prouinciale in corpore iuris non inſertum, & ſic ab Eccleſia minimè acceptatum, imò neque quoad iſtam partem acceptatum fuiſſe in Hiſpania, in qua habitum eſt, teſtatur Auerſa, *quæſt. 4. cit. ſect. 8.*

50. Sed aduertendum eſt in omnibus his caſibus, in quibus votum caſtitatis non obligat, nec etiam recitatio officij diuini, vt dicunt Auctores adducti, & ſimiliter, quòd ſi quis, poſt acceptum Ordinem, vel antè legitimam ætatem, vel ex metu, violentiâ, &c. velit contrahere matrimonium, non poteſt licitè amplius in Ordinibus miniſtrare: Nam Eccleſia non permittit Ordinis exercitium, & matrimonium, niſi fortè aliquis virginem ducat, & eâ mortuâ velit ad ſtatum Clericalem redire, quia tunc licitè, & validè poteſt functiones Ordinum exercere. Et quod ille, qui poſt Ordines modo dicto vxorem ducit, non gaudebit priuilegijs Clericalibus, quia Eccleſia non concedit, vt quis ſolutus ab obligatione continentiæ, & volens vacare coniugio, ſimul ſuis priuilegijs potiatur, *Qui ſentit commodum, debet ſentire incommodum, de reg. iur. in 6.*

## PVNCTVM II.

### *In quibus caſibus, poßit coniugatus ſacris Ordinibus initiari.*

51 IN primis dicendum eſt, hominem coniugatum non poſſe prima tonſura, aut minoribus Ordinibus initiari, niſi ſeruatis conditionibus, quæ ad hoc, vt in ſacris conſtituatur coniugatus, requiruntur. Et Epiſcopus, qui talem tonſuraret, vel antè matrimonium tonſuratum ad minores Ordines admitteret, incurreret pœnam ſuſpenſionis à collatione eorum per annum. Ita habetur *in c. vlt. de temp. ordin. in 6. & Gloſſ.* ibi, *& tenent* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 13. q. 7.* Sanch. *lib. 7. de matr. diſ. 38. nu. 6.*

*Vxoratus non poteſt tonſurâ aut minoribus Ordinibus initiari.*

52. Sed dices. Plus abhorrent Eccleſiaſtica iura coniugium poſt Ordines, quàm ordinari poſt coniugium, vt conſtat in Græcis, qui, etſi retinere poſſint vxores, & ordinari, non verò pòſt ordinationem coniugari, vt docet D. Thom. *in 4. diſ. 37. q. 1. art. 2. ad 3.* ſed poteſt ordinatus minoribus, vxorem ducere, ergo & vxoratus ordines minores recipere.

*Obiectio contraria.*

Reſpondetur, quòd in his, quæ dependent ex diſpoſitione iuris, illi ſtandum eſt. Ius autem vetuit coniugatum initiari minoribus, non verò in minoribus conſtitutum coniugari; & eſt huius ratio ſufficiens, quod noluerit Eccleſia, in minoribus ordinatis tantam obligationem imponere, vt à coniugio abſtinerent, ſed illo inito, cum non poſſit in illo ſtatu ad Ordines ſacros aſcendere, noluit vt his ordinibus initiaretur, qui ad illos ſunt quaſi diſpoſitiones, & præambula: quia qui formæ incapax eſt, etiam diſpoſitionis ad illam.

*Solutio illius.*

53. Secundò vt certiſſimum tenendum eſt, non licere vxorato abſque licentiâ vxoris, vel iuſto diuortio interueniente, ad Ordines ſacros promoueri. Ita habetur *in cap. coniugatus, de conuerſion. coniugat.*

*Vxoratus ſinè licẽtia cõiugis nequit in ſacris ordinari.*

Digitized by Google

*coniugat.* & ipſa obligatio caſtitatis, quam hi Ordines habent annexam, id ipſum efflagitat, & hoc intelligendum eſt non ſolùm de matrimonio conſummato, ſed de matrimonio tantùm rato, id eſt, per verba de præſenti contracto, & nondùm conſummato. Ita declarauit *Ioann. XXII. in Extrauag. antiqua, de voto.* & ibi pœnam irregularitatis imponit ei, qui abſque licentia vxoris, aut iuſto diuortio non interueniente, in ſacris ordinaretur, ſiue matrimonium eſſet tantùm ratum, ſiue conſummatum, ratione cuius irregularitatis nec poſſet in Ordine ſuſcepto miniſtrare, nec ad alium aſcendere, quæ etiam durat, adhuc vxore mortuâ, vſque dum ab illa abſoluatur.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

54. Sed dices: Qui vxorem duxit, & matrimonium non conſummauit, poteſt etiam, inuita vxore, ad Religioſam profeſſionem admitti: Ergò etiam ad Ordines ſacros, quia videtur eadem ratio. Sed reſpondetur eſſe diſparitatem, quòd profeſſio religioſa dirimit matrimonium ratum, non conſummatum. Vnde vxor nec poteſt repetere virum, nec iſte tenetur, ipſa petente ad illam redire, nec ad hoc compelli, & ipſa poteſt cum alio coniugium celebrare, cum primum matrimonium ſit diſſolutum. At per ordinationem ſacram matrimonium ratum, & non conſummatum non dirimitur, vt dicitur *in eadem. Extrauag.* nec vxor poteſt cum alio contrahere, & ſic ipſi fit manifeſta iniuria. Vnde ipſa poteſt virum petere, & ipſe tenetur ad illam redire, & ad hoc compelli poteſt, & debet vxori debitum coniugale reddere, non poſſet autem illud petere, quia per votum caſtitatis in Ordine emiſſum ab hoc retrahitur.

55. Sed difficultas eſt: An qui, inuita vxore, cum qua matrimonium duxerat, ſed non conſummauerat, ad Ordines ſacros promoueretur, teneretur ingredi Religionem, vt ſic nec vxori iniuſtitiam faceret, & votum emiſſum impleret? Et idem eſt de eo, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium iniit, ſed non conſummauit, an teneatur ob eandem rationem ad profeſſionem religioſam accedere?

*Non tenetur qui matrimonium duxit, & non conſummauit, ſi ordinetur in ſacris, ingredi Religionem.*

56. Sunt qui dicant teneri. Ita D. Anton. *in 3. part. tit. 1. capit. 7.* Azor. *capit. 14. quæſt. 2.* Ledeſma, *quæſt. 53. de matrimon. artic. 3. dub. 2.* Cæterùm licèt optimè faceret, qui in tali caſu Religionem intraret, ad id tamen non teneri: ſuadetur tum, quia in illa *Extrauagant. antiqua*, ſolùm dicitur, quòd à Diœceſano admoneatur ad id faciendum; tum etiam, quia multò plus eſt ingredi Religionem, quàm ſimpliciter ſeruare continentiam, illudque eſt medium difficillimum, ad quod non debet obligari, qui ad minùs ſolùm tenetur. Ita Auerſa *q. 4. ſect. 9. &* Sanchez, *num.* 19.

*Ex licentia vxoris poteſt coniugatus ordinari.*

57. Ex licentia verò vxoris poteſt coniugatus licitè ad ſacros Ordines promoueri. Ita habetur in *eodem cap. coniugatus, de conuerſ. coniug. & in Extrauag. antiqua*, & in alijs iuribus. Debet autem hæc licentia eſſe libera, ſpontanea, non vi, metu, dolo, aut fraude extorta, nam ſi ex licentia vxoris hoc modo accepta vir ad Ordines promoueretur, eodem modo poſſet ab ea repeti, & maneret obnoxius eiſdem pœnis, ac ſi ordinatus eſſet abſque licentia vxoris. Debet etiam eſſe expreſſa, & non ſufficit implicita (vt volunt aliqui, qui dicunt ſufficere mulierem ſcire virum ſuum ſacris velle ordinari, & potens reclamare, taceat; ac diſſimulet) ſed hoc non ſufficere, *ex cap. conſuluit, eodem tit. de conuerſ. coniugat.* conſtat, & ex ratione. Nam vxor ſpoliatur ſuo proprio iure, & remanet ad continentiam obligata, ad quod requiritur explicita voluntas eius, & non ſufficit tacita diſſimulatio. Si autem vir poſt obtentam licentiam vxoris ordinaretur, & poſtea ipſam cognoſceret, peccarent ambo peccato ſacrilegii, non verò peccato fornicationis, quia nec vir accederet ad non ſuam, nec mulier ad virum non ſuum. Ita Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 9. cap.* 19.

*Vxor ordinati ſi iuuenis ſit ingredi Religionem tenetur.*

58. Requiritur etiam, quòd vxor talem licentiam præbens voueat caſtitatem: vt habetur expreſsè eodem illo *capit. coniugatus.* An verò teneatur ingredi Religionem? Eſt inter Doctores diſſidium. Aliqui putant ſufficere illius votum ſimplex caſtitatis, etiamſi in ſæculo permaneat, quia circa hoc non datur aliquod ius expreſſum. Ita Poncius, *lib. 7. de matrimon. cap. 25. num. 7.* Diana, *4. part. tractat. 4. reſolut.* 129. Alij verò, & probabilius dicunt, quód ſi mulier eſt iuuenis vltrà dictum votum ſimplex, tenetur Religionem ingredi, ſecus verò ſi fuerit ſenex; nam hæc cum voto ſimplici caſtitatis poteſt in ſæculo permanere. Ita Sotus, *in 4. diſ. 37. quæſt. 1. artic. 2.* Sanchez, *diſ. 39 num. 6.* niſi fortè vir ad Epiſcopatum aſcenderet, quia tunc debere vxorem, adhuc vetulam, Religionem ingredi propter ſpecialem decentiam ſtatui Epiſcopali debitam, tenet ipſe Sanchez, *diſ. 32. &* Auerſa, *ſect.* 10.

*Si vxor in ſæculo remaneret etiam mortuo viro, inualidè matrimonium contraheret.*

59. Poſt mortem autem viri non poteſt vltrà vxor eius matrimonium licitè contrahere, ſi in ſæculo fortè permanſit, quia votum ab ipſa emiſſum caſtitatis eſt perpetuum, ſed difficultas eſt: An ſi contraheret matrimonium, viro defuncto, eſſet tale matrimonium validum, quamuis illicitum? Affirmant Sotus, *lib. 7. de iuſtit. quæſt. 5. artic. 3.* Poncius, quia votum ſimplex caſtitatis matrimonium non dirimit, ſed communiter id negant Theologi, & Iuriſtæ, quia expreſsè habetur *in cap. quia ſunt, diſ. 28. ex* Gregorio Papa, *lib. 2. cap. 59. & cap. ſi ſe, eadem diſtinctione, ex Concilio Aurelian.* Vnde, quamuis votum mulieris fuerit ſimplex, poteſt ius Eccleſiaſticum eius matrimonium in dicto caſu annullare, & de facto annullauit.

*Iuſto interueniente diuortio, poteſt coniugatus ordinari.*

60. Poteſt etiam vir ex iuſta cauſa diuortij ſacris ordinari, vxore inſcia, vel inuitâ, ſicut poteſt Religionem ingredi, licèt id aliqui negent, eo quod non eſt expreſſum in iure circa Ordines, ſicut circa ingreſſum Religionis, ſed propter paritatem vtriuſque communiter Doctores id aſſerunt. Videantur Sanchez *lib. 10. de matrimon. diſ. 11.* Vaſquez *hic, diſ. 247. cap. 10.* Poncius *lib. 9. capit. 3.* In tali caſu vxor remanens non teneretur ad votum caſtitatis, nec matrimonium poſt mortem viri ab ipſa initum eſſet nullum, quia iura ſolùm loquuntur in caſu, quo vir ex licentia coniugis ordinaretur. Si autem diuortium cauſatum fuit culpâ viri, plurimi negant poſſe ſine licentia vxoris ad Ordines promoueri. Alij veriùs dicunt, quòd quando coniux monita, & rogata recuſat reconciliari, aut reuniri viro, poteſt ipſe, non habitâ ipſius licentia, ordinari.

## PVNCTVM III.

### *De duobus titulis, paupertatis ſcilicèt, & ſufficientiæ, ad quos poſſunt Ordinibus ſacris initiari.*

*Ad quos titulos poſſunt ordinari.*

61. CVm indignum ſit ſacros Miniſtros aut oſtiatim mendicare, aut artem mœcanicam exercêre, ideò iuſtiſſimè in *Concil. Tridentin. ſeſſion. 21. capit. 2. de reformat.* præceptum eſt: ne quis ad Ordines ſacros promoueatur, niſi congruam ſuſtentationem habeat, vt viuere poſſit decenter, quod iam pluribus Canonibus, & Concilijs cautum fuerat, & ſic nemo poteſt in ſacris initiari, niſi habeat titulum, quo poſſit ſuſtentari, & decenter degere. Titulus autem hic eſt in quadruplici differentia, titulus ſcilicèt paupertatis, quandò in Religione approbata eſt profeſſus, ſufficientiæ, de quo eſt dubium, patrimonij, & Beneficij. De duobus prioribus, qui minorem habent difficultatem hoc puncto agemus, & duobus ſequentibus punctis de reliquis.

*Pœna contrà Epiſcopum ſinè titulo ordinantem.*

62. Sed pro omnibus ſupponendum eſt, quòd ſi Epiſcopus aliquem abſque aliquo ex his titulis ad Ordines ſacros admiſerit, tenetur eum alere, vſque dum Beneficium ſuſtentationi congruum accipiat. Ita habetur in *cap. cum ſecundum, de præbendis, & in cap. accepimus, de ætate, & qualitate.* Quod intelligitur, quandò Epiſcopus eum mala fide ordinaſſet. Si autem, ſufficienti diligentiâ adhibitâ, arbitraretur talem vel patrimonium ſufficiens, vel Beneficium habere, quod poſtea falſum inuenitur, ad id non tenetur. Nec ſimiliter ſi patrimonium deſtruitur, ad cuius titulum Epiſcopus eum ordinauit. Si verò Examinatoribus, vel Vicario remiſerit, vt eum examinent, & omnia requiſita ad Ordines inquirant, & poſteà abſque ſufficienti titulo eum ordinauit, ad Vicarium, vel ad Examinatores, vel ad omnes pro ratâ ſpectat talis Clerici ſuſtentatio, non ad Epiſcopum. Si verò illi non habeant vnde ipſum alere poſſint, actio dabitur contrà Epiſcopum. Ita Gloſſa, inquit. *in cap. ſecundum, de præbendis.*

*Epiſcopus non tenetur eũ alere, qui parentes habet diuites.*

63. Sed hæc intelligenda ſunt, quandò ipſe Clericus aliundè non poſſet decenter alimenta habere, ſi tamen vel patrimonium, vel Beneficium poſteà acceperit, vel ſuis honeſtis laboribus, vel docendo pueros, vel alio modo victum comparare poſſit, ab huiuſmodi onere Epiſcopus eximitur, ſicut etiam ab eo liberatur, quando pater ordinati eſt diues, ad quem ex iure naturali pertinet alimenta filio præbere, cum ſemper leges naturales Pontificijs præferantur. Si autem cum dimiſſorijs litteris alienum ſinè debito titulo ordinauerit, ad eum, qui tales litteras dedit, ſpectat ordinatum ſuſtentare, ſiuè Epiſcopus fuerit, ſiuè Vicarius, aut Capitulum, Sede vacante, qui omnes tenentur, antequàm dimiſſorias concedant, ſufficientiam tituli inueſtigare accuratè. Ita Barboſ. *de offic. Epiſcop. allegat.* 20. *numer.* 21. At vero ſi contingat aliquem ad Subdiaconatum ab vno Epiſcopo, ab alio ad Diáconatum, ab alio ad Presbyteratum promoueri, ad omnes pro rata ſpectat obligatio alimentorum, quia omnes culpabiliter ſacros Canones violauere, *cap. Epiſcopus, de præbendis*, & ibi Decius, *numer.* 5. & ita fuiſſe deciſum teſtantur Fornarius, *de Sacram. Ord. cap.* 8. *num.* 10. Barboſ. *d. alleg.* 20. *num.* 21.

*Titulo paupertatis poſſunt ordinari Regulares profeſſi.*

64. Titulo paupertatis poſſunt omnes Regulares ſacris initiari, quos ipſa Religio alere tenetur, ſed hoc de ſolemniter profeſſis eſt accipiendum. Nouitij enim ex *Conſtitutione* 75. Pij V. incipiente, *Romanus Pontifex ſacrorum*, non poſſunt ad ſacros Ordines promoueri ſub pœna ſuſpenſionis Ordinum aduerſus ordinatos, & aduerſus ordinantem ſuſpenſionis à collatione Ordinum per annum, niſi aliundè habeant ſufficiens patrimonium, ad cuius titulum poſſent ordinari. Ab hac regula excipiuntur Patres Societatis Ieſu, qui ex ſpeciali conceſſione Gregorij XIII. poſſunt in ſacris initiari poſt profeſſionem ſimplicem, etiamſi ſolemnem non emiſerint. Si autem ordinati in Sacris è Societate eijciantur, Prælatis illius Religionis incumbit prouidere eis de alimentis, donec Beneficium, vel congruam ex aliis capitibus ſuſtentationem acquirant. Ita Philibert. *de Ord. tractat.* 2. *part.* 6. *capit.* 5. *numer.* 5. qui affert declarationem Sacræ Congregationis *Concilij*, *ſeſſ.* 21. *capit.* 2. de hac re. Si verò aliquis profeſſus ſciat ſuam profeſſionem eſſe irritam, peccaret mortaliter ad Ordines accedendo ad titulum paupertatis, & maneret ſuſpenſus, vt inquit Portel. *in dub. Regular. verb. Ordines ſacri*, niſi ipſe talem profeſſionem nullam ſeconualidare, & ſupplere ipſo actu intenderet, vt notat Auerſ. 3. *ſect.* 10. §. *Regulares.*

*An ſufficientiæ titulo poſſit aliquis ordinari?*

65. Sed nunc difficultas eſt: An titulo ſufficientiæ præcisè, abſque patrimonio, aut Beneficio poſſet ſæcularis ordinari, quia eſt videlicèt vir maximè litteratus, vel graduatus in ſacra Theologia, aut in ſacris Canonibus, aut quia Togatus in aliquo maiori Collegio, Salmantino ſcilicèt, vel Complutenſi, aut Valliſoletano? Et videtur poſſe, quia in tali caſu eſt ſufficiens ſpes, quòd talis in proximo adipiſcetur Beneficium, dignitatem, &c. vt poſſit congruenter ſuſtentari, & Epiſcopus poteſt prudenter iudicare ipſum fore citò prouehendum, & ſic menti Concilij ſatisfacere, atque ita tenent Enriquez, *lib.* 13. *cap.* 37. *num.* 2. Gonzalez, *in regul. Cancell.* 8. *Gloſſ.* 4. Corduba, *in ſumm. quæſt.* 36. Barboſ. *in Tridentin. ſeſſ.* 21. *de reformat. capit.* 2. *numer.* 14. Garc. *part.* 2. *de Beneſic. numer.* 128. & 129. Ludouic. de S. Ioann. *quæſt.* 2. *de Ord. artic.* 11. *dub.* 5. qui citat Gonzalez, & Rodriguez.

*Negatiua pars eligitur.*

66. Nihilominùs dicendum eſt non poſſe, quia *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 21. *capit.* 2. *de reformat.* ſic habet: *Statuit ſancta Synodus, ne quis deinceps, ſæcularis Clericus, quamuis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientiâ, & ætate, ad ſacros Ordines promoueatur, niſi prius legitimè conſtet eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere.* Vbi Concilium pacificam poſſeſſionem Beneficij depoſcit, nec ſufficere denotat ſpem probabilem, vel certam poſſeſſionis de futuro, quantumuis aliquis moribus,

bus, ſcientiâ, & ætate polleat: Et ratio eſt aperta, nam licèt talis habeat prudentem ſpem, quòd in proximo Beneficium, vel dignitatem ſit adepturus, cæterùm vel talis ſpes poteſt per multum tempus à ſua poſſeſſione diuelli, eo quòd vel Beneficium, aut dignitas non ita proximè vacet, vel alij graduati, & idonei ad conſecutionem concurrant; aut penitùs poteſt fruſtrari per infirmitatem, aut aliud accidens caſuale, & ſic ad illius ſuſtentationem Epiſcopus adſtringeretur. Ita docent Philibert. *numer.* 37. Dian. *Moral. reſol. part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 52. *in fine* Eman. Sà, correctus, verb. *Ordinum* 27. qui aſſerit ita ſacram Congregationem declaraſſe, Sanchez, *tom.* 2. *conſil. lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 10. Ledeſm. *de Sacram. Ord cap.* 7. Leand. *tract.* 6. *de Ord. diſ.* 9. *quæſt.* 20. qui plures refert, Auerſa, *ſect.* 10. *in fine.* N. Ant. *ſect.* 7.

## PVNCTVM IV.

### *De Beneficio, ad cuius titulum poteſt quis promoueri ad Ordines ſacros.*

*Beneficium ad congruam ſuſtentationem ſufficiens requiritur, vt ad illius titulum aliquis ordinetur.*

67. VT poſſit quis Ordinibus ſacris initiari debet in quieta poſſeſſione habere Beneficium ad congruam ſuſtentationem ſufficiens. Ita *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 21. *de reformat. cap.* 2. ſiue hoc Beneficium fuerit ſimplex, ſiue Curatum, ſiue ex ſe ſolùm ſit ſufficiens ad ſuſtentationem, ſeu aſſociatum patrimonio, ita vt ex vtroque ſufficiens ad intentum Concilij deducatur. Ne videlicet cogatur Clericus mendicare, vel per indignos quæſtus victum requirere: & ideò hoc Beneficium debet eſſe perpetuum, nec ſufficit temporale, etiam pingue: Vnde Vicaria temporalis non eſt ſufficiens ad hoc, vt ad eius titulum aliquis ordinetur: ſecus verò ſi eſſet perpetua, vt docet Sanchez, *conſil. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 25. *numer.* 5. Philibert. *cap.* 6. *numer.* 17. Quod autem Beneficium ſufficiens ſit pro ſuſtentatione, arbitrio prudentum relinquitur, qui ad hoc determinandum inſpicere debent conditionem, & qualitatem perſonæ. Quòd ſi in aliqua Diœceſi dentur circa hoc iam taxationes factæ, illis ſtandum eſt, quamuis parum faciat, ſi modicum ad hoc deficiat, vt notat Diana, 4. *part. tractat.* 4. *reſolu.* 52. Non poteſt autem reſignari Beneficium, ad cuius titulum quis ordinatus eſt, niſi exponat, ſe ad illius titulum fuiſſe ordinatum, nec poteſt admitti reſignatio, niſi conſtet eum aliundè poſſe ali, & aliter facta reſignatio eſt nulla. Ita *Trident. loc. cit.*

*Diuerſa Beneficia, ratione quorum poterit quis ordinari.*

68. Poteſt etiam aliquis ordinari ad titulum coadiutoriæ perpetuæ, ſi habeat congruam ad victum ſuſtentationem, ſin minus non poterit: Sic Rodrig. *part.* 2. *capit.* 55. *numer.* 20. Philibert. *numer.* 11. Poteſt etiam ordinari ad titulum quotidianarum diſtributionum, quia licèt non ſint propriè Beneficium, ſunt tamen perpetuæ, & ſufficiunt, vt victus decenter habeatur, ſic Campanilis, *rubric.* 8. *capit.* 5. *numer.* 29. Barboſ. *de offic. Epiſcop. allegat.* 29. *numer.* 24. Poteſt etiam ordinari titulo perpetuæ Capellaniæ, ſi eius poſſeſſionem ante ordinationem recipiat: Sic Ledeſm. *concluſ.* 12. Ludouic. de S. Ioann. *q.* 2. *art.* 12. *dub.* 4.

69. Poteſt etiam quis ordinari ad titulum præſtimonij perpetui (eſt autem præſtimonium quidam redditus abſtracti ex redditibus Beneficiorum quibuſdam iuuenibus conceſſi, vt ſtudijs vacare poſſint) eò quod vel eſt Beneficium Eccleſiaſticum, vel quædam Eccleſiaſtica penſio, ad cuius titulum, vt iam dicemus, poſſunt ordinari. Si penſio ſit ad victum ſufficiens, & perpetua, etiam propter illam poterit quis ordinari. Ita expreſsè *Tridentin. ſeſſ.* 21. *capit.* 2. & ita fuiſſe à ſacra Congregatione definitum teſtatur Garcia *de Benefic.* 2. *part. capit.* 5. *num.* 93. & 94. Non tamen eſt licita promotio ad ſacros Ordines ad titulum Beneficii de ſe inſufficientis ad ſuſtentationem, quod poſtea redditur ſufficiens ratione eleëmoſynarum, vel ob Miſſarum ſtipendia, vel anniuerſaria, quia hæc ſunt incerta, niſi fortè anniuerſaria, aut Miſſarum ſtipendia communiter occurrentia, ſufficientia ſint ad victum comparandum; ita Philibert. *num.* 28.

*Non poterit quis ad titulum Beneficij de futuro ordinari.*

70. Sed dubium eſt inter Doctores: An poſſit aliquis ordinari ad titulum Beneficij certi de futuro, vel quia ad illud eſt præſentatus, vocatus, & nominatus, vel quia ex alijs circumſtantiis certus eſt quòd eſt illud conſecuturus? Sunt qui affirmatiuè reſpondeant, vt Maiolus, *lib.* 4. *de irreg. cap.* 14. *num.* 19. Campanil. *rubric.* 8. *cap.* 4. *num.* 10. Sayr. *de cenſ. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 19. & tenet Gloſſ. magn. circa medium, *in capit.* Oſius, *diſ.* 61. Nihilominùs dicendum eſt non ſufficere, quia *Concilium Tridentin. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. petit quietam, & pacificam poſſeſſionem Beneficij, ad ordinationem; ſed qui ſolùm habet certitudinem illius de futuro, non gaudet quieta poſſeſſione, imò nulla: Ergo: Prætereà, quia plura occurrere poſſunt, quæ eum à poſſeſſione retrahant, & ſic cogetur vel mendicare, vel indecenter viuere, Rodrig. Garc. *de Benefic. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 130. Barboſ. *alleg.* 19. *numer.* 28. quos refert, & ſequitur Philibert. *nu.* 8. Leand. *tract.* 6. *diſ.* 9. *q.* 13.

*Si quis habeat poſſeſſionem, ſed non potiatur fructibus Beneficij, poteſt ordinari.*

71. Ex his infertur, quòd ſi quis haberet titulum Beneficij, ſed impediretur iniuſtè à ſua poſſeſſione, adhuc ad titulum illius non poſſet ordinari, quia nec verbis Concilij requirentis pacificam poſſeſſionem conformatur, nec intentioni eius, quia iam vel mendicare, vel indecenter viuere cogeretur. Si tamen aliquis poſſeſſionem pacificam Beneficij haberet, illius tamen fructibus non potiretur vſque dum Presbyter ordinaretur, poſſet nihilominùs ordinari Diaconus, aut Subdiaconus ad titulum illius, quia verè habet, quod Concilium exigit, nec exinde ſequeretur, moraliter loquendo, fore mendicaturum, vel alia inconuenientia, quæ intenduntur euitari. *Sic* Garcia, *vbi ſup. nu.* 120. & Barboſ. *n.* 29.

*An ſit aliqua pœna pro eo, qui abſque titulo ordinatur?*

72. Sed inquires, quas pœnas incurrat ordinans, & ordinatus, ſi abſque vero titulo patrimonij, aut Beneficij aliquis conſtituatur in ſacris? Aliqui dicunt contra ordinatum nullam eſſe aſſignatam pœnam, ſed ſolùm contra ordinantem, eo quòd, licèt *in cap. neminem*, quod eſt *Concilij Chalcedonenſ.* & *in cap. ſanctorum, diſ.* 70. imponatur pœna ſuſpenſionis ei, qui ficto

titulo ad Ordines adſciſceretur; at Innoc. III. *in capit. cum ſecundum Apoſt. de præbendis*, commutauit hanc pœnam Clerici abſque titulo ordinati in obligationem Epiſcopi ad eum ſuſtentandum, vt ibi inquit *Gloſſ.* & teſtatur Sanchez, *capit. 2. quæſt. 24. numer. 6. & Auerſa, fol. mihi 122.* ſed *Concil. Tridentin.* ſolùm innouauit pœnam, quæ apud ſacros Canones erat in robore, non verò, quæ erat reuocata: Ergo ſolùm impoſuit dictam pœnam Epiſcopo ordinanti eum, qui non haberet verum titulum, non verò ſuſpenſionem ordinato, atque ita docent Conine, *diſ. 15. dub. 5. num. 38.* Enriquez, *lib. 53. capit. 37. numer. 2.* Toletus, *lib. 1. summ. capit. 48. num. 5.* Dian. *1. part. tractat. 16. reſolut. 5.* Philibert. *cap. 7. diff. 7.* & hi duo vltimi plures alios referunt, eſtque opinio ſatis probabilis.

*Ordinatus ſine titulo incurrit ſuſpenſionem.*

73. Probabiliùs tamen dicendum eſt, quando tam ordinans, quàm ordinatus eſt in culpa, vtrumque pœnam incurrere; ſed ordinans obligationem præbendi alimenta ordinato, ordinatus verò ſuſpenſionem. Si autem hic ſolùm ſit in culpa, eò quòd decepit Epiſcopum, ſolus ipſe incurrit pœnam. At verò ſi ordinans ſolummodò ſit in culpa, eo quòd ordinauit eum, quem ſciebat verum titulum non habere, ipſe tamen ordinatus inculpabiliter ignorabat hoc eſſe requiſitum, non incurrit ordinatus ſuſpenſionem latam *in cap. ſanctorum, & cap. neminem. diſt. 70.* Epiſcopus verò incurrit pœnam poſitam *in cap. cum ſecundum, cit.* ſcilicet, quòd debet alere ordinatum. Ita docet Sanchez, *dub. 35. num. 12.* Idem *de matrim. lib. 6. diſ. 32. num. 8.* Auerſa, Vaſq. Suarez, *diſ. 31. de cenſ. ſect. 1. num. 35.* Bonacin. *diſ. 8. q. vnica, punct. 5. num. 24.*

*Probatio concluſionis.*

74. Ad cuius probationem ponderanda ſunt verba Concilij, quod *ſeſſ. 21. cap. 2. cit. in fin.* ſic ait: *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innouando.* Innouando dixit, vt innueret ſe non ſolùm confirmare pœnas tunc extantes, ſed etiam, extinctas, & reuocatas renouare. *Pœnas*, ait non pœnam tantùm, vt indicaret non ſolùm pœnam Epiſcopo, ſed etiam pœnam ordinato ſine titulo olim iam aſſignatas imponere. Dicit etiam *Canonum*, non Canonis: Ergo non ſolùm innouauit pœnam, quæ erat in vno Canone, ſed quæ etiam in alijs inueniebantur; & dicendo *Antiquorum*, potiùs reſpiciebat ad antiquos Canones, quàm ad recentiorem *Innocentij*, & ipſamet ratio id poſtulabat, vt ſi tam ordinans, quàm ordinatus erant in culpa, vterque pœnam condignam ſubiret. Aliàs, ſi ordinatus Epiſcopum deciperet, cùm in tali caſu ipſe non teneretur alere ordinatum, nulla in hoc caſu pœna daretur, quod eſt manifeſtè contrà Concilium *loc. cit.*

*Additiones ad concluſionem.*

75. Et addit benè Reginaldus *in prax. tom. 2. lib. 32. tract. 2. cap. 25. ſect. 3. num. 72. cum* Suarez, *loc. cit.* Quòd ſi quis ficto titulo à ſuo Epiſcopo dimiſſorias acciperet, & ſic ordinaretur ab alio, duplicem ſuſpenſionem incurreret, aliam modò dictam, aliam, quia ordinatus eſt ab alieno abſque licentia proprij: illa namque licentia fraude extorta, nulla reputatur, ſed aduertit Sanchez, *loc. cit.* quòd cùm in dictis Canonibus ſolùm requiratur titulus patrimonii, aut Beneficij ad Ordines, non verò quieta illius poſſeſſio; ſi quis habens verum titulum Beneficij, non verò poſſeſſionem, ordinaretur, peccaret mortaliter tam ordinans, quàm ordinatus, quia contrà præceptum Concilij Trident. agunt, exigentis quietam poſſeſſionem, neuter verò pœnas iam dictas incurreret, quia Concilium ſolùm antiquorum Canonum pœnas innouauit, in quibus ſolùm pro non habentibus titulum verum Beneficii, aut patrimonij imponuntur. Addimus & nos, quòd cùm probabile ſit iure antiquo non requiri patrimonium, aut Beneficium ſufficiens ad ſuſtentationem, ſed quodcumque, vt inquit Nauarr. *cap. quando Latinè, cap. 25. num. 15 & lib. 1. conſil. tit. 11. de temp. ordinand. conſil. 14.* Manual. *tom. 1. ſumm. cap. 14. num. 6.* probabile eſt etiam non incurrere dictas pœnas qui ſolùm ordinaretur ad titulum patrimonij, aut Beneficij tenuis inſufficientis ad ſuſtentationem, quamuis peccaret mortaliter propter eandem rationem.

## PVNCTVM V.

### *De Patrimonio, ad cuius titulum poterit quis ad ſacros Ordines promoueri.*

*Quod patrimonium debet eſſe ſufficiens pro titulo ordinationis.*

76. NOmine patrimonij in præſenti veniunt omnia illa bona, quæ immobiliter ab ordinando poſſidentur, ſiue ſint paterna, vel materna, aduentitia, ſiue caſtrenſia, dummodò illorum quietam poſſeſſionem habeat, & ſufficientia ſint ad decentem ſuſtentationem. Ad titulum autem patrimonij non poſſunt omnes ordinari, ſed quos Epiſcopus iudicauerit neceſſarios vtilitati, aut neceſſitati Eccleſiæ, qua non exiſtente, non poſſunt ordinari, etiamſi pinguiſſimum habeant patrimonium. Ita ſtatuit *Concil. ſeſſ. 21. cap. 2.* & docent Sanchez, *conſil. lib. 7. cap. 2. dub. 35. num. 5.* Philibert. *cap. 7. numer. 3.* Hoc tamen patrimonium debet eſſe certum, immobile, aliàs conſumi poſſet, & poſtmodum ordinatus certis alimentis careret. Debet natura ſua eſſe frugiferum. Vnde qui ſolùm haberet directum aliquorum bonorum dominium, ſed alter haberet vtile, non poſſet ad titulum illius ordinari, quia nequit ſuſtentari fructibus illius patrimonij. Sic Decius, *in cap. Epiſcopus, de præbendis, num. 12.* Debet pacificè poſſideri, & non eſſe alteri ære alieno, cenſu, aut alio modo deuinctum, ſeu hypothecatum, ne illo ſpolietur Clericus à poſſeſſoribus, & ſic mendicare turpiter cogatur.

*Debet eſſe poſſeſſio rerum immobilium fructificantium.*

77. Non poteſt filius prædiuitis patris ordinari ad titulum hæreditatis futuræ, niſi prius pater ipſi aſſignauerit patrimonium certum, cuius poſſeſſionem acquirat, aliter enim licèt habeat ius ad rem, non in re, quod ad titulum Ordinis requiritur, nec ad titulum legati in teſtamento relicti viuente teſtatore; poterit tamen ad titulum cenſus perpetui, etiam redimibilis, quia cenſus perpetuus ſemper fructificat, & cautio adhiberi poteſt ab Epiſcopo in ipſo titulo, vt ſi redimatur, non conſumantur pecuniæ, ſed in Beneficium eiuſdem ordinati quàm primùm applicentur. Nec ſimiliter poteſt ordinari ſine ſufficienti patrimonio, aut Beneficio, etiamſi aliquis verbo, vel ſcripto ſpondeat ſe ordinando alimenta præbiturum, eo quòd talis obligatio perſonalis

non

tion eſt res immobilia, & pacificè poſſeſſa. Si autem aliquis de fructibus ſuorum bonorum irreuocabili donatione publico Notario firmata alicui centum aureos, v.g. annuos aſſignaret, poſſet ad Ordines ſacros promoueri. Ita Hugolin. *de offic. Epiſcop. cap. 26. §. 14. nu. 2.* Philiber. *cap. 7. diff. 2.*

*Non ſat eſt patrimonium fictum.*

78. Sed quæres: An ſi quis patrimonio ficto ordinaretur, peccaret, & maneret ſuſpenſus? In hac quæſtione aliqua apud Doctores ſunt certiſſima: Primum iſtum peccare mortaliter, quia fraudulenter agit contrà præceptum Eccleſiæ bonum commune reſpiciens: Secundum eſt, quòd ſi patrimonium donatum fuit ab alio non animo, & intentione illud conferendi, aut reddendi fructus, & redditus, ſed ſolùm propter apparentiam, & formam in foro exteriori cum pacto facto ab ordinato de non petendo, vel vtendo dicto patrimonio; de hoc iudicium idem eſt faciendum, ac de illo, qui ſine vllo titulo ad Ordines acceſſit, quia hic nunquàm acquiſiuit dominium illius patrimonii, nec fuit vera donatio, vnde conſequenter ad dicta *punct. præced. numer.* 72. incurrit ſuſpenſionem ipſo facto ab executione Ordinum, quos recepit.

*Qui verò dominium patrimonij acquirit, ad illius titulum ordinari poteſt.*

79. At verò, ſi fictio patrimonij in eo ſtaret, quòd quis verè ab amico patrimonium reciperet, & dominium illius acquireret, ſed data *antapocha*, ſeu contrà ſcripturà, aut data fide, aut iuramento ſe redditurum tale patrimonium amico poſt ordinationem, nulli dubium eſt in hoc caſu tam donatarium, quàm donantem mortaliter delinquere, quia Eccleſiam in re grauiſſima decipiunt, & contrà illius præceptum, & mentem agunt. Si tamen hæc donatio eſſet valida, nec teneretur donatarius ſtare promiſſis, nec poſſet ad hoc compelli: Certum etiam eſt, ſuſpenſionem in tali caſu non incurrere, quia fuit ordinatus cum vero titulo patrimonij; & illa conditio impoſita reddendi poſt Ordines illud, nulla eſſet, *& non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum, de reg. iur. in 6.* Si tamen teneretur ordinatus in illo caſu ſtare promiſſis, ſaltem in foro conſcientiæ, incurreret ſuſpenſionem, ad titulum illius ſuſcipiens Ordines: quia non habebat verum titulum, nec dominium, aut quietam illius poſſeſſionem. Ita Nauarr. *in ſumm. cap. 27. nu. 158. & lib. Conſil* Maiolus, *lib. 4. de irreg. cap. 15. initio*, Rodr. *2. tom. ſum. cap. 15. nu. 1.*

*Sententia aſſerens non teneri ordinatum promittentem reddere patrimonium ſtare promiſſis.*

80. Sed difficultas eſt. An qui patrimonium recepit ab amico datâ antapochâ, aut fide, aut iuramento ſe redditurum illi tale patrimonium poſt ſuſceptos Ordines, teneatur in conſcientia ſtare promiſſis? (In foro enim exteriori certum eſt non teneri; in illo enim reſcindenda eſt talis retrodonatio in pœnam donatoris, qui Eccleſiam decipere tentauit, vt docent communiter Doctores.) Non teneri in tali caſu Clericum tale patrimonium in conſcientia reſtituere, nec ſtare promiſſis, eo quòd talis retrodonatio fuerit nulla, tenet *Diana*, 3. *p. tract. 4. reſol.* 184. *ex* Ledeſm. *de Sacram. Ord. cap. 1. concluſ 6. diff.* 3. *&* Villalob. *tract.* 11. *diff.* 15. *num.* 10. tenet etiam Leand. *tract.* 16. *diſ.* 9 *q.* 5. Bonac. *diſ.* 8. *quæſt. vnic. punct.* 5. *num.* 24. & alij.

81. Et probant, tum ex *Conc. Trident. ſeſſ.* 21. *cap. 2. de reform.* prohibente, ne penſio, aut patrimonium, ad cuius titulum fuit quis ordinatus, abſque Epiſcopi licentia alienari, aut remitti poſſit. Et etiam ex eo, quod aſſignato tali patrimonio in titulum ſacri Ordinis, Epiſcopus in illud ius acquirit, ſitque illi hypothecatum, eo quòd ipſe aliàs teneretur tali ordinato alimenta præbere.

*Tenetur in foro conſcientia.*

82. Cæterùm, licèt in foro exteriori donans modo dicto patrimonium, nullam haberet contrà Clericum actionem, verè tamen dominium eius non amiſit, eo quòd illa donatio fuerit nulla; & apparens tantummodò, & ſic donatarius, nullum in re dominium acquiſiuit, ſed ſolùm ad rem, eo quòd donans in pœnam ſui delicti debet in foro exteriori à iudice tali dominio ſpoliari. Nec contrà eſt *Concil. Trident.* quia loquitur de patrimonio vero, cuius ordinatus dominium acquiſiuit, quod, vt dicemus ſtatim, alienare non poteſt abſque Epiſcopi licentia, aliàs talis alienatio eſſet nulla. Nec Epiſcopus aliquod ius acquiſiuit ſuper tali patrimonio: ipſe enim non tenetur alere, quem ex ficto titulo ordinauit: quia talis obligatio impoſita eſt Epiſcopis in pœnam culpæ, quâ ſcienter ordinauerint aliquem abſque titulo: ac proinde, cùm non ſit Epiſcopus in culpâ, quando deceptus eſt, tali obligatione non adſtringitur. Aſſertum in hoc numero docet Philibert. *diff. 5. ex* Lopez, *de contract. lib. 2. cap. 45. &* Auila, *de cenſur. p. 3. diſ. 5. dub. 5. concluſ. 5.* & alijs. Tenet etiam Sanchez, *de Matr. lib. 6. diſ.* 32. *num.* 8. Corduba *quæſt.* 32. N. Gab. *num.* 42.

*Quidam caſus reſoluitur.*

83. Sed inquires. An renuntiatio patrimonij, aut penſionis, ad cuius titulum quis ordinatus eſt, ſit valida? Reſpondetur omnino eſſe inualidam: Nam à *Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 2.* nullatenùs dictum patrimonium poſſe renuntiari iubetur, niſi ex licentia Epiſcopi, & poſtquam aſſecutus eſt Beneficium, vel alia bona immobilia, ex quibus poſſit decenter ali: & hinc deducitur, quid dicendum ſit in illo caſu: Petrus ordinatus eſt Subdiaconus ad titulum patrimonij, & antequàm ad Diaconatum, vel Presbyteratum aſcenderet, dictum patrimonium renunciauit, vel illud nimis grauauit debitis, & obligationibus, & poſteà præſentato priori titulo ordinatus eſt Diaconus, aut Presbyter: An iſte incurrat ſuſpenſionem latam contra ordinatos abſque titulo congruæ ſuſtentationis? Dicimus talem ſuſpenſionem non incurrere (licèt peccauerit in eo mortaliter) quia cum illa donatio fuerit nulla, nec teneatur debita contracta ex patrimonio neceſſariò ad ſuſtentationem, ad cuius titulum quis ordinatus eſt, ſoluere, ad verum titulum ordinatus eſt, nec Epiſcopum fefellit. Ita Sanchez, *Conſil. lib. 7. dub. 40. & 39.* Diana, 4. *p. tract. 4. reſolut.* 52. Bonacin. *num.* 19. Philiber. *diff.* 7.

*Alius caſus, & opinio prima pro illo.*

84. Sed maior difficultas eſt: An, ſi Clericus aliundè acquiſiuit ſuſtentationem congruam, poſſit validè, & licitè alienare, vel renunciare patrimonium, ad cuius titulum fuit ordinatus ſine licentiâ Epiſcopi? Affirmant validè, imò licitè id poſſe Garcia, *de Benef. p. 2. cap. 5. num.* 186. Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 4. q. 3.* Molſeſ. *tract. 2. cap. 18. n. 31. &* alij in eo fundati, quod Concilium *loc. citat.* ſic ait: *Atque illa ſine*

*licentia Epiſcopi alienari, extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliundè habeant, unde viuere poſſint.* Vbi illa dictio *donec* eſt reſtrictiua temporis, habetque naturam ſuſpenſiuam, donec aliud emergat: Ergo dato beneficio, vel aliquo alio ſufficienti ad ſuſtentationem Clerici, poterit dictum patrimonium alienare abſque Epiſcopi licentia.

*Vera reſolutio illius.*

85. Sed nec validè, nec licitè id poſſe abſque dictâ licentiâ Epiſcopi tenendum eſt, & ratio eſt, quia fruſtrà exigeretur à Concilio licentia Epiſcopi ad alienationem patrimonij. Etenim ipſe eam numquam daret, imò nec dare poſſet, niſi loco patrimonij aut beneficij alia bona ad Clerici victum ſubrogarentur: Ergo quando Concilium dictam licentiam poſcit ad validam alienationem illius, eſt quandò loco eius beneficium ſubrogaretur, vel aliud ad victum Clerici neceſſarium; Quare illa particula *donec* limitat poteſtatem Epiſcopi ad tempus nouæ conſecutionis, qua poſita, renuntiationem poteſt permittere, & ſine illa non poteſt ad hoc licentiam præbere; ac ſi diceret, donec Epiſcopo conſtet Clericum aliundè habere, vnde poſſit viuere, talem renuntiationem non permittat, aliàs nulla eſſet renuntiatio patrimonij, ad cuius titulum eſt ordinatus. Ita Barboſ. *de offic. Epiſc. alleg.* 19 *num* 9. *& in Trident. ſeſſ.* 21. *de reform. cap.*2. *numer* 22. Philib. *diſſ.*9. *numer.* 12. vbi plures citat. Vaſq. *diſ.*246 *cap.*6.*num.* 60. Leand. *quæſt.* 11. & alij.

*Talia bona ſunt Eccleſiaſtica.*

86. Ex dictis ſequitur, bona patrimonialia, ad quorum titulum eſt Clericus ordinatus, gaudere omnibus priuilegijs iure conceſſis bonis Eccleſiaſticis, quia verè Eccleſiaſtica ſunt hoc ipſo, quod ſint in titulum Ordinis ſacri data: ac proindè non tenetur ex illis ſoluere decimas, non poſſunt alienari ſine ſolemnitatibus requiſitis, ad alienationem bonorum Eccleſiaſticorum, tantum requiritur tempus ad præſcribendum, ſicut ad bona Eccleſiaſtica, non poſſunt collectari à Principibus ſæcularibus. Ita Barboſ. *dict. alleg.* 19. *num* 91. Leſſius, *lib.*2. *de iuſtit. & iur. cap.* 33. *dub.* 3. *numer.* 19. Dian. *tom.* 1. *tract.*3. *reſolut.* 22. Philibert. *tract.*2. *part.* 6. *cap.*7. *diſſ.* 12.

*Filio volenti ordinari tenetur pater dotes aſſignare patrimonium.*

87. Sed in fine huius puncti inquires: An, ſi filius vellet in ſacris in Ordinari, inuito parente, teneretur pater ei aſſignare ſufficiens patrimonium? Reſpondetur teneri, imò ad hoc poſſe cogi à iudice Eccleſiaſtico; & ratio eſt, quia tenetur pater dotem aſſignare filiæ, quæ cum digno contraxit matrimonium, ipſo neſciente, imò contradicente, ut docet Sanchez, *de Matrim. lib.*4. *diſ* 26. *num.*4. Dos enim non ſolum conſtituitur filiæ, vt virum inueniat; ſed ne à marito indotata malè tractetur. Similiter filiam ingredi religionem deſiderantem tenetur dotare pater, docet Auendaño, *reſp.*17. *num.*4. Gregor. Lop. 28. *verb. El padre, tit.* 15. *p.*4. Ergo ſimiliter tenetur pater aſſignare filio volenti ad Ordines ſacros aſcendere ſufficiens patrimonium, propter eandem rationem. Sic docet Sanch. *loc. cit. num.*7. Barboſ. *alleg* 19. *num.*63. Philib. *diſſ.* 1. Auendaño, *loc. cit.* & alij.

## CAPVT VII.

### *De priuilegijs & immunitate, quæ Ordinibus ſunt annexa.*

PLura hic de immunitate Eccleſiaſtica tum locorum, tum perſonarum, & bonorum eſſent agenda, quæ ſi in particulari pertractanda forent, longiſſimè tractatus hic protenderetur: & quia tam in tractatu de cenſuris, quàm in ſpeciali tractatu de immunitate Eccleſiaſtica pertractantur, non ita immorabimur in præſenti, ſicut opportebat. Sed quia huius loci etiam proprium eſt aliquid de illis agere, non omittenda omninò duximus, ſed breui calamo, quæ magis neceſſaria, & communia eſſe iudicabimus, diſcutiemus; ſupponendo omnia priuilegia, exemptiones, & immunitates, de quibus hoc capite agemus, non eſſe ita propria Clericorum, ut non conueniant alijs perſonis Eccleſiaſticis; omnibus quippe regularibus vtriuſque ſexus ſunt communia, tam quoad perſonas, quàm quoad loca, & bona illorum cum eiſdem conditionibus, cum quibus conueniunt ordinatis.

*Caput hoc continet duplex dubium, & ſex puncta.*
*Dubium. I. An iure diuino, vel humano exemptio à ſæculari poteſtate Clericis conueniat? n.* 1.
*Punct.I. De ſubiectione Eccleſiaſticorum legibus ſæcularibus, & qualiter? n.* 14.
*Punct.II. De exemptione Clericorum à poteſtate ſæculari quoad perſonas, n.*23.
*Punct.III. De exemptione Clericorum à poteſtate ſæculari quoad illorum bona, n.* 35.
*Punct.IV. De exemptione Clericorum à poteſtate ſæculari quoad cauſas, n.*55.
*Punct.V. De his, qui dictis priuilegijs, & exemptionibus gaudent, num.*56.
*Punct.VI. Quomodò poſſunt renuntiari, aut derogari dicta priuilegia? num.*70.
*Dubium II. An Miniſtri Regis poſſint aduocare ad ſe cauſas Eccleſiaſticas per viam violentiæ? numer.* 75.

## DVBIVM I.

### *An iure diuino, vel tantùm humano, ciuili, vel Eccleſiaſtico ſint ordinati exempti à poteſtate ſæculari?*

1. DVo in hoc dubio apud Catholicos certiſſima ſupponenda ſunt, & unum in controuerſiam vocatur. Supponimus primò iure diuino eſſe perſonas Eccleſiaſticas exemptas à poteſtate ſæculari quoad res ſpirituales, quoad lites, & cauſas Eccleſiaſticas, & alia, quæ merè Eccleſiaſtica ſunt, nimirum quoad electionem Prælatorum, ordinationem, & his ſimilia: hoc habetur expreſsè, *in cap. ſi Imperator, diſ.* 96. vbi Ioannes Papa, inquit: *Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates, & Concil. Roman,*

*Quoad res purè Eccleſiaſticas Clerici iure diuino exempti ſunt à poteſtate ſæculari.*

*Romanor.* 3. ſub Symmacho Papâ : *Eccleſiaſticarum facultatum, ſolis Sacerdotibus diſponendis, indiſcuſè à Deo cura commiſſa docetur.* In quo vniuerſi Catbolici conſpirarunt, & ratio eſt, quia ex iure diuino datur in Eccleſia poteſtas independens à poteſtate ſæcolari : & ideò Matth. 16. dixit Chriſtus Petro : *Tibi dabo claues, &c.* & Ioannis *vltim. Paſce oues meas* : Ergo poteſtas Eccleſiaſtica, quantum ad ſua bona, & ſuas cauſas à Deo immediatè deriuata eſt, nullo modo ſæculari ſubordinata : & ideò Pontifex nullo modo poſſet Eccleſiaſticicos, quantum ad hæc, Principibus ſæcularibus ſubijcere.

*Iure Canonico, & ciuili Eccleſiaſtici gaudent immunitate.*

2. Secundò ſupponendum eſt iore humano, ciuili, & Canonico Eccleſiaſticos exemptos eſſe tam quoad perſonas, quàm quoad res; & huiuſmodi exemptio in quatuor conſiſtit. Primò quoad loca, quod videlicet Eccleſiæ pro ipſis Clericis deputaræ gaudeant immunitate ab omni ſæcularis iuſtitiæ perturbatione ; ſed de boc agetur in ſuo proprio tract. *de immunitate Eccleſiarum*, à quo proinde ſuperſedemus. Secundò quoad ſuas perſonas, quia ſi delinquant cootrà leges Eccleſiaſticas, vel ciuiles, non poſſunt puoiri à Magiſtratu ſæculari, ſed tantùm ab Eccleſiaſtico. Tertiò quoad bona temporalia, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue patrimonialia, quæ libera manent à tributis, & oneribus ciuilibus. Quartò quoad cauſas, ſeo controuerſias tam ciuiles, quàm Eccleſiaſticas, quæ non trahuntur ad Tribunal ſæculare. De quibus in particulari ſuo ſpeciali puncto diſcuriemus. Nunc ſolùm ſupponimus tam iure Eccleſiaſtico à Summis Pontificibus conceſſo, quam iure ciuili ab Imperatoribus donato, Eccleſiaſticos huiuſmodi immunitate gaudere. Iura verò, in quibus huiuſmodi priuilegia conceduntur, videri poterunt apud Leſ. *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 3. Granad. *tom.* 5. *in* 3. *p. contrau.* 9. *tractat.* 4. *diſ.* 4. *ſect.* 2. & 3. Suarez *contrà* Reg. Ang. *lib.* 4. *cap* 9. Valent. *diſ* 9. *q* 5. & alios. Nunc ſolùm dubiramus : An etiam iure diuioo ſit talis exemptio Eccleſiaſticis aſſignara.

*Argumenta probantia iure diuino adeſſe talem exemptionẽ.*

3. Et videtur affirmatiuè reſpondendum. Primò : quia Matthæi 17. cum didrachma exactum fuiſſet à Chriſto à Miniſtris Imperialibus, ait Petro : *Reges gentium, à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? A filijs ſuis, an ab alienis?* Et reſpondit ille, *ab alienis* : Intulit Chriſtus. *Ergo liberi ſunt filij ; ut autem non ſcandalizemus eos vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, &c.* Ergò ex iure diuino Chriſti ſunt Sacerdores, & Diſcipuli eius exempti à vectigalibus, & tributis ſæcularibus.

4. Secundò, quia in Scriptura veteris legis habemus Sacerdotibus, & alijs Dei Miniſtris talem exemptionem, & immonitatem à poteſtate ſæculari conceſſam fuiſſe à Deo : Ergo idipſum ex iure diuino Sacerdotibus nouæ legis competere dicendum eſt. Antecedens probatur : Nam *Geneſ.* 47. cum Pharaoni ſubijceret Ioſeph, ac tributariam faceret totam terram Ægypti, liberos à tali onere reliquit Sacerdotes Item Sacerdotes, & Leuitas in populo Dei fuiſſe ex ordinatione diuinâ liberos ab onere ſoluendi tributum, manifeſtè apparet ex *capit.* 1. *Numer.* Suppoſitis bis, quæ narrantur *Exod.* 30. Idem *Numer.* 3. & 18. Ac tandem 1. *Eſdr.* 7. Artaxerxes Rex Perſarum pro Eſdra Summo Sacerdote, & populo Iſrael ita ſcribit ad Miniſtros ſuos : *vobis quoque notum facimus de uniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus, Nathineis, & Miniſtris domus Dei huius, ut vectigal, & tributum, & annonas, non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.*

5. Tertiò, quia Boniſacius VIII. *in capit. quamquam, de Cenſibus, lib.* 6. ita ait : *Eccleſiæ Eccleſiaſticaque perſonæ, ac res ipſarum non ſolum iure humano, quinimò, & diuino à ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes, &c.*

Quartò : quia in *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 15. *cap.* 20. *de refor.* dicitur : *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus eſſe conſtitutam* : Ergo ex iure diuino talis immunitas Eccleſiaſticis debetur, & ita defendunt communiter Canoniſtæ, cum Gloſſ. *in cap. tributum* 23. *qu* 8. & *in cap. quamuis de cenſib.* ex Theologis Granad. *numer.* 13. Azor. *lib.* 1. *cap.* 12. Dian. *p.* 1. Suarez, Layman, *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 8. *numer.* 1. Valentia, *punct.* 4. & *alij.*

Sed contrà eſt, quod Apoſtolus ad *Roman.* 13. *v.* 1. inquit : *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Vbi per ly. *Omnis anima* nullus excipitur, etiam Clericus, & ideo D. Chryſoſt. in hoc loco : *Oſtendens iſta*, inquit, *omnibus imperari, & Sacerdotibus, & Monachis, non ſolum ſæcularibus.* Idem habet Theodoret. & Theophyl. & Apoſt. *verſ.* 6. addit : Ideo *tributa præſtatis* : Ergo Clerici, niſi eximantur priuilegio Principum, tenentur ſoluere tributa.

*Clerici iure diuino non ſunt exempti à poteſtate ſæculari.*

6. Reſpondeo dicendum hanc immunitatem non eſſe immediatè à Deo factam, nec ex iure naturali, aut diuino inſtitutam, ſed ſolùm ex priuilegio Principum, & Pontificum : Tametſi dici poſſit quodammodo iure naturali, & diuino conceſſam ; non quia Deus immediatè hanc exemptionem conceſſerit ; vel quia lex naturalis eam immediatè præcipiat ; ſed quia dictat eſſe à Principibus concedendam : Et eſt valdè rationi, & iuri diuino conſentaneum, ut bona Eccleſiaſtica, quæ Deo conſecrata ſunt (& ideo bona Dominica vocantur in *Canonibus Apoſt. Can.* 4.) ſint libera ab exactionibus Principum, ne Deus ipſe videatur obligari ad ſoluenda tributa. Concluſio ſic ſtabilita eſt expreſſa à D. Thom. *Roman. cap.* 13. *lect.* 1. ad illud : *Ideò tributa præſtatis. Ab hoc tamen debito, inquit, liberi ſunt Clerici ex priuilegio Principum, quod quidem æquitatem naturalem habet.* Vbi utramque partem noſtræ aſſertionis proponit, dicendo enim hanc exemptionem eſſe ex priuilegio Principum, oſtendit non eſſe ex iure diuino, & dicendo : *Quod quidem æquitatem naturalem habet.* Oſtendit eſſe mediatè ex iure diuino, & naturali, quod dictat eſſe ita faciendum, & valdè conſonum rationi, quod Principes talem immunitatem Eccleſiaſticis concedant.

*Doctores pro hac ſententia.*

7. S. Doctorem ſequuntur Becan. *cap.* 2. *de Sacrament. qu.* 9. Aragon, 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 3. Villalob. *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 11. *dub.* 17. *num.* 2. Enriquez, *lib.* 10. *cap.* 15. *num.* 1. Leſſ. *de iuſtit. & iur. lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 4. *numer.* 30. Caiet. *verbo excommunicatio, cap.* 31. & 37. Ioannes de Medio.

*de reſtitut.* q. 15. Soto, *in 4. diſ.*25.q. 2. *art.*2. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 119. Bañez, 2. 2. q.67. *art.*2. *dub.*2.

*Eſt valdè conſonum iuri naturali quod in Clericis talis exemptio detur.*

8. Et quidem quod hoc ſit ſuo modo ex iure diuino, eo quod ſit valdè conſonum rationi naturali, quod Principes immunitatem Clericis concedant, probatur: quia dignitas ſtatus Eccleſiaſtici; per quam ſunt Clerici peculiari modo diuinis rebus mancipati, & conſecrati, id expoſcit, eo quod eſt contrà reuerentiam Deo debitam, ſi id, quod ſemel conſecratum eſt illi, tractetur vt profanum. Præterea: quia Eccleſiaſtici ſunt Paſtores, & patres ſæcularium, & loco Dei iudices eorum in cauſis, quæ ad ſalutem æternam expectant; ſed eſt contra rationem, vt ouis iudicet ſuum paſtorem, & filius patrem, & qui ante fuit reus ſuum iudicem, qui ex auctoritate Dei eum iudicauit, & abſoluit, iudicet, & condemnet.

*Probatur id non adeſſe immediatè ex iure diuino.*

9. Quod autem id ex iure diuino immediatè non habeatur, probatur: quia ex aliquo loco Scripturæ id expreſſum non habemus, vt fatentur ipſi aduerſarij, nec ex traditione Eccleſiæ perpetuâ, nec ex Sanctis Patribus; quinimò oppoſitum ex his omnibus deducitur: Ergo non eſt ex iure diuino talis immunitas conceſſa. Conſequentia conſtat; minor verò probatur: quia ex Scripturâ potiùs habemus oppoſitum, vt conſtat ex loco in argument. ſed contrà adducto; & iam ex Sanctis Patribus: nam præter ibi adductos docet Ambroſ. *in Orat. de tranſitu* Baſilij, vbi ait: *Si tributum petit Imperator, non negabo. Agri Eccleſiæ ſoluunt tributum*, & Valentinus ſenior in *Epiſt. ad Epiſc. Aſiæ*, dicit: *Bonos Epiſcopos tributa penſitare Regibus* & ex Vrbano Papa, *cap.*22. *Tributum, quod in ore piſcis inuenitur, pro Petro, & Domino dare iubetur, quia de exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace, & quiete, quâ nos defenſare debet, Imperatoribus perſoluendum eſt*: Ergo nec ex conſuetudine, aut traditione Eccleſiæ habetur immunitas Eccleſiaſticorum à tributis ex iure diuino conceſſa.

*Secunda ratio.*

10. Secundò, quia dignitas Ordinis Clericalis non liberat iure diuino à debito perſonali pecuniario, nec à debito ſeruitutis, nec à debito coniugali: Ergo neque à debito ſeruitutis, quo quis antè ſumptum Clericalem ſtatum erat Principi ſæculari obligatus. ¶ Reſpondet Valentia, quod ſi par eſſet omnium horum debitorum ratio, non poſſet Clericus iure humano à tali debito ſubiectionis abſolui, ſicut non poteſt ab enumeratis.

11. Sed contrà eſt, quod alia debita ſunt reſpectu perſonæ priuatæ, quæ ſi non cedat iuri ſuo, ſemper manent in ſuo robore; at debitum iſtud eſt reſpectu Principum, qui cedere poſſunt iuri ſuo, & de facto ceſſerunt talia priuilegia Eccleſiaſticis concedendo, quam ceſſionem, cum ſit valdè rationi conſona, & dignitati Eccleſiæ conueniens, tenentur Principes ex æquitate facere, & ad hoc poſſunt obligari à Summo Eccleſiæ Paſtore: quia in his, quæ ſpectant ad dignitatem Eccleſiaſticam, ſubditi ſunt Principes ſæculares Summo Pontifici. Quare, accedente Summi Pontificis conceſſione, & Principum iuſtâ ceſſione, & acceptatione communi populorum, iuſtè Eccleſiaſtici à tali iuriſdictione eximuntur, quam conceſſionem, poſt communem Eccleſiæ, & populorum acceptationem, non poſſunt Principes reuocare, vt infrà dicemus.

*Soluuntur argumenta contraria.*

12. Ad primum reſpondet D. Thom. *in* 2. *diſ.*44. *art.* 2. his verbis: [*vel dicendum, quòd Chriſtus loquitur de ſe, & de ſuis Diſcipulis, qui nec ſeruilis conditionis erant, nec res temporales habebant, quibus ſuis Dominis obligarentur ad tributa ſoluenda, & ideò non ſequitur, quod omnis Chriſtianus huiuſmodi libertatis ſit particeps, ſed ſolùm illi, qui ſequuntur Apoſtolicam vitam nihil in hoc mundo poſſidentes.*]

13. Ad ſecundum reſpondetur omnia illa loca ſolùm probare ſecundam partem noſtræ aſſertionis, nimirum quod æquum eſt ita fieri; & valdè conſonum rationi Sacerdotes à ſubiectione ſæcularium eximere, & quod recta ratio dictabat ibi ſtabilitum eſt, & conceſſum ſiue à Deo, ſiue à Principibus, hinc tamen non habemus in noua lege ex iure diuino id fuiſſe conceſſum Sacerdotibus, ſed eſſe illi valdè conſentaneum, quod concedatur.

14. Idem etiam probatur tertio, & quarto argumento, nam vel Pontifices, & Concilium loquuntur de bonis Eccleſiaſtis, quæ iure diuino ſunt exempta, vel loquuntur de iure diuino non immediatè id concedente, ſed dictante deberi à Principibus concedi.

## PVNCTVM I.

### *De ſubiectione Eccleſiaſticorum legibus ciuilibus, & qualis iſta ſit.*

*Eccleſiaſtici tenentur leges ciuiles obſeruare.*

14. ECcleſiaſticæ perſonæ licet abſolutè, vt dictum eſt, ſint exemptæ à poteſtate ſæculari, non tamen omninò, ita vt illi ſubditæ non ſint quoad vim eius directiuam in legibus ciuilibus; ſed tenentur in conſcientia leges poſitiuas obſeruare, quæ illorum ſtatui, & immunitati non contradicunt, & ideò ſi Clericus contrà illas agat, & peccat mortaliter, & tenetur reſtituere id, quod contra illas acceperit, v.g. lex ciuilis iubet, vt tanti vendatur triticum, oleum, aut vinum, illam obſeruare tenetur Clericus, & ſi magis vendat, tenetur reſtituere. Lex ciuilis iubet, vt ædificia hoc, vel illo modo fiant, quòd teſtamenta ſub tali forma conficiantur, quòd hæredes ſic, vel ſic conſtituantur, quod arma vetita non portentur, & alia huiuſmodi, quæ dignitati Eccleſiaſticæ, aut immunitati non contradicunt, ſed potiùs congruunt, cum ſint rationi conformes, & ſic illas obſeruare tenetur in conſcientiâ Clericus, & ſi tranſgrediatur, debet puniri non à iudice ſæculari; ſed à ſuo proprio Prælato, nec poteſt coràm illo accuſari; ſed penes iſtum conueniri, quia hoc eſſet contrà dignitatem Eccleſiaſticam. Ita Doctores tam Theologi, quàm Iuriſtæ.

*Ratio ſuperioris aſſerti.*

15. Et ratio eſt, quia Clericus per hoc, quod in ſtatu Eccleſiaſtico collocetur, non extrahitur ab hoc, quod eſt eſſe ciuem, & partem Reipublicæ: Ergo tenetur obſeruare leges, & ſtatuta ipſius Reipublicæ: quia pars debet cum toto conformari, nec ab alijs diſcrepare compartibus,

cum

cum hoc ipſa ratio naturalis dictet. Vnde fit, quod ſicut Princeps legem ferens, tenetur obſeruare ſuam legem quoad vim directiuam, quamdiù illam non abrogat, vel ſecum ſun modo ex iuſta causâ diſpenſat, oè alioqui turpiter ab alijs partibus diſcrepet (cum etiam ipſe ſit, ſicut particularis perſona, quædam politici corporis pars): Sic Clericus, qui pars eſt Reipublicæ, illins leges iuſtas, quæ ſuæ immunitati non contradicunt, obſeruare tenetur. Ita dncent Valent. Granad. Becan. *&* alij *locis dub. præcd. citat.*

*Non tenentur ex vi coërcitiua.*

16. Ex quo ſequitur, Clericos non vi coërcitiua, ſed ſolùm directiua ad huiuſmodi leges teneri, id eſt non directè legibus ciuilibus ſubijci, ſed ſolùm indirectè, quatenùs ratio naturalis dictat ſeruandas eſſe leges ſæculares propter conformitatem cum alijs partibus eiuſdem Reipublicæ: ſicut Reges, & Principes leges ferentes eodem modo illis ſubijciuntur. Ita docet Valent. *concl.* 2. Araujo, 1. 2. *q.* 95. *diſ.* 3. *ſec.* 5. *diff.* 4. *concl.* 1. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 3. Villalob. *tractat.* 2. *dub.* 31. *numer.* 1. Dian. *p.* 1. *tractat.* 2. *reſolut.* 8. & eſt communis: Eius ratio eſt, quia vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 69. *art.* 5. Nemo tenetur directè legibus ſuperioris, qui in ipſum non habet iuriſdictionem; ſed Principes in Eccleſiaſtiens nullam habent iuriſdictinnem: Ergò iſti directè, & ſecundùm vim coërcitiuam ad leges ſæculares noo tenentur.

*Non poſſunt cogi à ſæcularibus ad obſeruationem legum.*

17. Ex bis aliquarum difficultatum ſolutio deducitur. Prima: An ſæculares Magiſtratus poſſint cogere Clericos, vt triticum vendant, ſi neceſſitas adſit? Reſpondetur non poſſe, niſi fames, & neceſſitas ſit nimis vrgens, & periculum in mora, in quo caſu poteſt iudex laicus triticum ex domibus Clericorum extrahere, & vendere non ratione iuriſdictionis, ſed vt neceſſitati occurrenti ſatisfiat. At abſolutè Clericos ad id cogere non poteſt, ſed Epiſcopum adire, vt ab eo ad talem venditionem compellantur. Ita Dian. *p.* 1. *tractat.* 2. *ex* Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *Can.* 15. *q.* 17. *num.* 45. *&* Molfeſ. *in ſumm. tom.* 2. *tractat.* 12. *capit.* 5. *numer.* 88. Et ratio eſt, quia Magiſtratus ſæculares nullam habent in Eccleſiaſticos iuriſdictionem, nec illa neceſſitas talem iuriſdictionem illis præbet: Ergo quamuis Clerici mortaliter peccent retinendo triticum, & alia ad victum populi neceſſaria, vel illa vendendo ſuprà pretium commune, teneanturque ad reſtitutionem: quia tamen legibus ciuilibus vi correctiuâ non coarctantur; ſed directiuâ, non poſſunt à ciuilibus Miniſtris ad id cogi, ſed à ſuis proprijs Prælatis, quibus negligentibus, vel abſentibus, in caſu, quo vrget neceſſitas, poſſunt modo dicto extrahi grana ex horreis Clericorum.

*Armis ſpoliari poſſunt Clerici à ſæcularibus.*

18. Secunda: An Miniſter laicus poſſit Clericos armis ſpoliare prohibitis, & eas retinere? Negat adhuc poſſe Dian. *loc. cit. reſolut.* 10. *ex* Barboſ. Bonae. Duardo, Megala, Riccio, & alijs, eo quod Clerici per iudicem Eccleſiaſticum cogendi non ſunt ad obſeruanda ſtatuta ciuilia, & ſic non poterunt Miniſtri Regis armis prohibitis Clericos ſpoliare. Veruntamen dicendum eſt poſſe, vt docet Couarrubias, *pract. qq. capit.* 33. *numer.* 7. Antonius Gomez *in leg.* 45. *Tauri*, *numer.* 48. & ex multis probat Dominus Marius Cuttelus, *lib.* 2. *q.* 10. & ex Theologis Lurca, *in* 1. 2. *tom.* 2. *tractat. de legib. diſ.* 25. *memb.* 4. Vaſq. ibi, *tom.* 2. *diſ.* 167. *cap.* 4. *numer.* 31. qui tres vltimi benè obſeruant, Miniſtros Regis dicta arma ab Eccleſiaſticis auferendo, non exercere iuriſdictionem in illos, ſed impedire turbationes Reipublicæ, efficereque, vt leges Pontificiæ, & Regales armorum portationem Clericis prohibentes, cuſtodiantur, non per vim coarctiuam, ſed gladium gladio retundendo, & auferendo impedimenta quieti Reipublicæ contraria, quæ licet auferri potius à ſuo Epiſcopo deberent, ſed quia vel non poteſt multoties ipſe, vel in mora talis ablationis eius, ſæpè ſæpius eſt periculum, licitum eſt Miniſtris regalibus, maximè nocte hæc arma à Clericis auferre, non per modum punitionis, ſed magis per modum defenſionis, quietis, & pacis publicæ.

*Eccleſiaſtici aſportantes aliquid extrà Regnum non ſunt ſpoliandi re, quam aſportant.*

19. Tertia difficultas eſt: An iudex laicus inueniens Eccleſiaſticos aſportantes pecunias, frumentum, equos, &c. à Regno contra legem, poſſit talia auferre? Reſp. non poſſe, quia licèt tales leges ſint iuſtæ, & Clerici illas obſeruare teneantur, ac proinde peccent mortaliter contrà eas agendo, quia tamen ad illas non obligantur vi coërcitiua, non ſunt puniendi pœnâ legibus regalibus ſtatutâ, vti eſt priuatio illorum bonorum, & minus poſſunt puniri à iudice laico tali pœnâ, & eſt diſpar ratio, ac in præcedenti caſo. In illo enim agitur de iuſtâ Reipublicæ defenſione, de ſtatuenda pace illius, auferendo impedimenta, quæ ipſam turbare poſſent, & ſic per modum defenſionis poſſunt arma Eccleſiaſticis à ſatellitibus auferri. In noſtro autem caſu nulli ſit iniuria per illorum bonorum poſſeſſionem, ideoque licèt à Magiſtratibus impediri poſſit, ne ex Regno extrahantur propter bonum publicum, non tamen eis ſpoliare poſſunt Eccleſiaſticos in pœnam huiuſmodi aſportationis. Ita Dian. *reſolut.* 11. *ex* Megala, *in* 3. *p. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 36. *&* Azor. *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 19. *q.* 13.

*Clericus in fragranti inuentus, poteſt à ſatellitibus comprehendi, vt ſuo ſuperiori tradatur.*

20. Vltima difficultas eſt: An iudex laicus poſſit capere perſonam Eccleſiaſticam in fragranti crimine, & ducere illam ſine iniuria ad ſuum Superiorem Eccleſiaſticum? Reſpondetur poſſe abſque eo, quod in excommunicationem Bullæ incurrat, modo id reuerenter, & abſque vlla iniuria, vi, aut indecentiâ faciat, maximè quando crimen eſt enorme, & poſt ipſum patratum timor ſit, quod fugiat, vt à ſuo proprio Superiore non poſſit capi. Ita Bonacin. *diſ.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. §. 1. *numer.* 22. Nauarr. *in Manual*, *capit.* 17. *numer.* 83. Peregrinus, *de immunit. Eccleſ. capit.* 16. *numer.* 37. Bañez, 2. 2. *q.* 27. *art.* 2. *concluſ.* 2.

21. Idem dicendum eſt, ſi Clericus non in fragranti delicto, ſed noctu cum armis prohibitis, vel mutato habitu ſuit inuentus, vt docet Sauſa, *in Bull. Cœnæ*, *cap.* 16. *diſ.* 82. *num.* 9. Ioan. de la Cruz, *p.* 1. *præcept.* 8. *q.* 3. *art.* 1. *dub.* 3. *concl.* 3. Bañez, 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. *dub.* 2. *concl.* 5. Quia licèt in Bulla Cœnæ excommunicentur Magiſtratus quomodolibet ſe interponentes circa captu-

ram

Google

ſam Clericorum abſquè Epiſcopi licentiâ, in his tamen caſibus non capturam perpetrant, ſed bono Reipublicæ, & quieti illius conſulunt, quia non ab ipſis Clerici capiuntur, vt in carceſcutur, aut puniantur; ſed vt proprio ſuperiori præſententur, à quo ſine auxilio ſæcularis poteſtatis fortè puniri non poſſent, & etiamſi in fragranti, vel caſu inuentus fuerit Clericus criminoſus, ſi licentia Epiſcopi ad eius capturam expectaretur, interim elaberetur, & fugeret.

*Non poſſunt eos in carcere detinere.*

22. Quare non admittimus, quod dicit Mag. Magal. *in 3. p. lib.3. cap. 11. num. 7.* qui, cum oppoſitum noſtræ aſſertioni teneat, licèt probabilem eam dicas, addie, iuxta illam poſſe Clericos intrà viginti horas, & non amplius detineri à ſæcularibus Miniſtris in ſuis carceribus. Id enim non admittimus, quia nec intrà illud ſparium ipſos incarceratos detinere poſſunt, ſed ſtatim recto tramite deducendus eſt Clericus ad iudicem Eccleſiaſticum, & ita benè probat Barb. *in ſuis collect. tom.1. lib.3. tit. 1. cap.2.n.*8. Quod ſi incontinenti eum poſſit, non tradat Clericum ſuo proprio Superiori, excommunicationem incurreret Magiſtratus ciuilis.

## PVNCTVM II.

### *De exemptione Clericorum à poteſtate ſæculari quoad ſuas perſonas.*

23. PRæter priuilegium illud celebre, quod dicitur *Canonis*, quo Clerici illa gaudent immunitate quoad ſuas perſonas, vt ſi quis illos percuſſerit, grauiſſimam excommunicationem incurrat, gaudent Eccleſiaſtici, etiam quoad ſuas perſonas alia exemptione, quòd videlicèt non poſſint incarcerari, puniri, iudicaſi, &c. à Magiſtratibus ſæcularibus. Hoc priuilegium eis conceſſit ius ciuile, & Canonicum, vt videre eſt apud Valent. *diſ.9. quæſt.5. punct.4.* Granad. *ſect.1. num.5.* Becan. *cap.26. de Sacram. q.9,* Bañez, *concluſ.2.*

*Ex iure ciuili, & Canonico Clerici quoad perſonas ſunt exempti.*

24. Et quamuis ius ciuile non exemerit eos, niſi tantùm in ciuilibus, in criminalibus autem voluerit, à iudice ſæculari in cauſis cognoſci, non tamen condemnari, niſi priùs Clericus fuerit ab Epiſcopo degradatus. At lex Canonica exemit eos ſimpliciter, etiam in cauſis criminalibus, cui lex ciuilis debet cedere, eo quòd Papa poteſt Regibus, & Imperatoribus imperare in his, quæ ad Eccleſiæ decorem ſpectant. Nec poſſunt ſæculares Principes ea infringere, quæ per Eccleſiaſticam poteſtatem ob ſpiritualem finem ſtatuuntur, etiam circa temporalia, vnde ſinè conſenſu Principum poſſent Clerici eximi ab Eccleſia, à ſæcularium poteſtate, vt rectè docet Valentia, *loc.cit.* Soto *in 4. diſ.25. q 2. art.2.*

*Obiectio, quod Chriſtus Pilato, Paulus Cæſari ſe ſubiecere.*

25. Sed obijcies, quòd Chriſtus Dominus ſubiectus fuit Pilato, qui in illum videtur à Deo poteſtatem recepiſſe, ipſo dicente, Ioann. 21. *Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper:* Ergò multò magis cæteri Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ erant ſubditæ poteſtati ſæculari: & ideò Apoſtolus, *Act.25.* cum ageretur contrà eum cauſa criminalis, Cæſarem appellauit: Ergò non gaudebat exemptione in illa, aliàs non poſſet tali priuilegio cedere, cum non poſſit particularis cedere priuilegio in bonum totius ſtatus conceſſo, vt dicemus inſra.

26. Reſpondetur, Chriſtum Dominum nullo modo fuiſſe Pilato ſubiectum, cum eſſet verus Meſſias, Princepſque omnium abſolutiſſimus: ſed ipſe ex ſubiectione ad Deum voluit propter ipſum Pilato ſubmitti, qui tyrannicè, & iniuſtè in illum exercere voluit poteſtatem: & quia Deus permiſit illum vſurpare in Chriſtum talem poteſtatem, inde Chriſtus dicit illam à Deo Pilato datam, id eſt, permiſſam. Vt benè explicat, Bañez, *loco cit.* Paulus autem quando Cæſarem appellauit, id ex violentia fecit, quia nimirum à Iudæis contrà rationem, & iuſtitiam condemnatus erat, & contrà talem violentiam Cæſaris auxilium exquiſiuit, non quia illi ſe ex voluntate ſubiecerit, ſed quia aliter effugere tyrannidem non poterat, & ſic quamuis nec Cæſar, nec Præſes illius, in eum haberent poteſtatem, vt iniuſtitiam vnius effugeret, ad alterius iuſtitiam appellauit. Si autem poſſet ab vtroque ſe eximere, nullius iudicio ſe ſubmitteret, maximè in cauſa Religionis, de qua contrà illum agebatur, quæ ex iure diuino, vt diximus, à ſæcularibus eximitur, & ſoli Eccleſiaſticæ ſubditur poteſtati, ſed ex duobus malis, altero certo & maiori, alio minori & dubio, hoc poſterius eſt potius eligendum, vt docet D. Greg. *lib.32. mor. cap.18.*

*Reſponſio.*

*Dantur caſus, in quibus Clerici à ſæcularibus plecti poſſunt.*

27. Sed inquires: An dentur caſus, in quibus Magiſtratus ſæculares poſſint Clericos pœnis coërcere? Reſpondetur dari, vt ſi Clerici in manifeſtam ſæcularis Reipublicæ perniciem populos commouerent, communemq; pacem turbarent, contra proprium Principem ciues armarent, & commouerent, nec à ſuis Epiſcopis coërcerentur: & ratio eſt, quia ius Canonicum, ratione cuius Clerici hac exemptione gaudent, non derogat iuri naturali, quo gaudet Reſpublica, vt poſſit ſe tranquillam ſeruare, nec Imperatores concedentes hoc priuilegium, poſſunt cedere iuri ſuo in his, quæ ad publicam pacem, & tranquillitatem ſpectant; at non poteſt Reſpublica aliter ſe indemnem ſeruare in caſibus dictis, niſi Clericos puniendo, comprehendendo, & incarcerando, maximè ſi à ſuis Superioribus non poſſint coërceri, vel ipſi circa hoc negligenter ſe gerant, vel potiùs adiuuent: Ergo poteſt Princeps in tali caſu contrà illos agere, nō tamen pœnâ mortis, quia hoc ſcandaloſum eſſet, & impium, nec ad quietem Reipublicæ neceſſarium, ſed alijs pœnis ipſos plectendo, ad quod non habent Miniſtri particulares poteſtatem, ſed ipſe Princeps, apud quem eſt totius Regni poteſtas. Ita docent Bañez, *concluſ.5.* Suarez *contr. Reg. Angl. lib.4.cap. 34.num.6.* Soto *quæſt.7.in fin.* Molin. *de iuſtit. & iur.tom.1.tract.2.diſ.31.* & alij, quos refert, & ſequitur Marius Cultellus, *lib 2.q.7.*

*Caſus dicti ad praxim ſunt reducti.*

28. Sed immeritò Diana, *1.part. tractat.2. reſol.7. ex* Salas, Azor, *&* Victor. caſus hos merè metaphyſicos vocat, proindeque nunquam practicabiles, cum id antiquis ſæculis ſæpè ſæpius accidiſſe narrent Hiſtoriæ, atque Caſtella noſtra multoties deplorauit. Quis enim illius

commu-

communitates aduerſus Carolum Imperatorem perturbauit, atque ad internum pœnè perduxit, niſi Eccleſiaſticorum libertas, & induſtria, & eorum ſuperiorum incuria, aut licentia? Quis iu Catalaunia, ac Portugalia noſtris temporibus publicam ſeditionem adiuuauit, niſi Eccleſiaſticorum, Religioſorum, & Epiſcoporum opera, vt contra ius humanum, & diuinum ſuo antiquiſſimo Domino obedientiam denegarent? Quare in his caſibus, & quando non poteſt Summus Pontifex adiri, eo quòd ſit periculum in mora, non ſolùm poſſunt Principes auctoritatem præbere ſuis Miniſtris, vt, exorta tempeſtate, commouentes, vel adiuuantes plebem pœnis coerceant, ſed etiam vt imminens damnum præueniant, quando illius ſuſpicio, & probabile periculum timetur. Nam vt benè Saluſtius in Catilin. inquit: *Cætera maleficia tunc perſequere, vbi facta ſunt, hoc niſi præuideris, ne accedat vbi euenerit, fruſtra iudicia implores.*

*In alijs caſibus illicitum eſt ſæcularibus agere contrà Clericos.*

29. In alijs verò caſibus illicitum omnino eſt Principibus agere contra Eccleſiaſticam immunitatem, quare non licèt eis punire Clericum notorium aſſaſinum, niſi poſt ſententiam declaratoriam iudicis Eccleſiaſtici, Bonacin. *diſ.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. §. 4. *num.* 9. aliter incurrit in excommunicationem Bullæ Cœnæ. Si autem ſit aſſaſinus per iudicem Eccleſiaſticum declaratus, poteſt, Philiber. *tract.* 2. *part.* 1. *c.* 15. *diff.* 22. Duard. Canon. 15. *Bullæ Cœnæ, quæſt.* 11. *num.* 62. nec Clericum incorrigibilem, ille enim antequam declaretur talis à iudice Eccleſiaſtico, & tradatur brachio ſæculari, non amittit priuilegium fori, habetur *in c. cum non ab homine, de iudicijs*, & docet Suarez, *de cenſur. diſ.* 22. *ſect.* 1. *num.* 9. Nec ſimiliter Clericum Sodomitam, etiamſi notorium ſit eius delictum, Duard. *loco cit.* Quamuis oppoſitum ſit probabile, vt docet Philibert. ibi; quia talis priuatur omni priuilegio Clericali per Bullam Leonis X. quæ incipit: *Supremæ*, & per *Conſtitutionem* Pij V. quæ incipit: *Horrendum.*

30. Similiter in excommunicationem Bullæ Cœnæ incideret iudex ſæcularis, proceſſans occultè Eccleſiaſticum in cauſa criminali, etiamſi hoc faceret ea intentione, vt proceſſum iudici Eccleſiaſtico deferret, Filucius, *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 11. *num.* 312. Et ratio eſt, quia hoc eſt quodammodò in cauſis Eccleſiaſticorum ſe intromittere, quod eſt contrà libertatem Eccleſiaſticam, nec ſimiliter poteſt Clericum punire, qui commiſit crimen læſæ Maieſtatis. Ita communiter DD. tam Theologi, quàm Iuriſtæ, vt teſtatur Dian. 1. *p. tract.* 2. *reſol.* 20. & decilum eſt à Paulo V. vt refert Genuenſis *in praxi*, *cap.* 72. *per tot.* & probat Philiber. *loc. cit.* quia, cum Clericus non ſit vaſſallus Regis, non poteſt dici eum crimen læſæ Maieſtatis contrà illum commiſiſſe.

*Clericus incedens ſine habitu, & tonſura quando à ſæcularibus plecti poteſt.*

31. Sed inquires: An ſi Clericus incedens ſine habitu, & tonſura, immiſceret ſe grauiſſimis delictis, vt homicidijs, ſacrilegijs, adulterijs, latrocinijs, &c. poſſet puniri, vel conueniri per iudicem ſæcularem? Reſpondetur (quidquid ſit de Clericis in minoribus conſtitutis, de quibus infrà) Clericos ſacris ordinatos, quantumuis atrocia delicta committant, non amittere priuilegium fori, ac proinde non, niſi à ſuo Prælato, poſſe puniri, niſi antea præceſſiſſet trina admonitio ſui Prælati, quà iam præcedente, ipſo facto priuatur Clericus priuilegio fori, & ſic per iudicem ſæcularem poteſt puniri. Ita Dian. *reſ.* 24. Filuc. *nu.* 314. & conſtat *ex cap. fin. de vit. & honeſtat. Cler. & ex cap. in audientia* 25. *de ſent. excommunicat.* Vbi expreſsè deciditur, Clericos atrocia facinora perpetrantes, & ter à ſuo Prælato admonitos, & caſtigatos, ſi adhuc non reſipiſcant, priuilegium fori amittere, & conſequenter tale priuilegium non amittitur, hac trina monitione non præcedente. Sed notat benè Barboſ. *in collect. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 9. *cap.* 1. *num.* 2. 3. *&* 4. ad hoc, vt Clericus amittat in dicto caſu fori priuilegium, debere ſine habitu, & tonſura incedere, nec ſufficere, ſi vnum delictum ſolùm perpetrauerit, niſi plura commiſerit.

*Non poteſt Princeps ſæcularis à Regno expellere Sacerdotes.*

32. Secondò inquires: An Clerici, vel Epiſcopi inobedientes Regis mandatis, vel alia delicta perpetrantes, poſſint à Principibus ſæcularibus à ſuo Regno expelli? Reſpondetur non poſſe, ſed tàm Principes expellentes, quàm Conſiliarij eorum talem expulſionem conſulentes incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia licèt Clerici, & Epiſcopi Principis mandatis debeant obtemperare, quæ contrà eorum immunitatem non pugnant, ad hoc autem non tenentur vi coactiua, ſed directiuâ. Nec amittunt fori priuilegium per hoc, quòd, contrà illa delinquant, nec ex hoc Principes ſæculares in illos iuriſdictionem acquirunt. Ita Molina, *diſ.* 3. *concluſ.* 6. Bonacin. *de leg. diſ.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 29.

*Obiectio.*

33. Sed obiicies, quòd licèt Principes per viam iuriſdictionis contentioſæ, & iudicialis non poſſint Clericos, aut Epiſcopos à ſuis Prouincijs relegare, poterunt tamen per viam iuriſdictionis œconomicæ, & politicæ eos à ſuis Regnis expellere, eo ſanè modo, quo pater ſamilias poteſt à ſua domo eijcere famulum Clericum, vel Capellanum inobedientem, & dictam domum perturbantem.

*Solutio illius.*

34. Reſpondetur eſſe rationem diſparitatis manifeſtam, nam Clericus non eſt ex auctoritate Principis in illa domo patris familias, nec ad commorandum in ea ius aliquod acquiſiuit, ſed ſolùm ex voluntate domini in ea degit, in cuius proindè voluntate eſt, quando libuerit eum à domo relegare, ſinè eo, quòd illi faciat iniuſtitiam. Si autem in ea eſſet auctoritate Principis, & ex conceſſione eius aliquod ius acquiſiuum haberet ad ibi commorandum, non poſſet pater familias ſua voluntate à domo propria repellere. Clerici enim, Prælati, & Epiſcopi à Summo Pontifice in Regnis conſtituuntur ad ſeruitium, & regimen Eccleſiarum, & ex conceſſione Summi Paſtoris, ius habent ad commorandum cum ſuis ciuibus, imò ad reſidentiam in ſua Diœceſi tenentur. Vnde, quamuis poſſint à ſuis Prælatis per viam iuriſdictionis contentioſæ, & iudicialis à talibus Prouincijs relegari, non tamen à Principibus ſæcularibus, nec per viam iuriſdictionis contentioſæ, nec Politicæ, nec alio modo.

## PVNCTVM III.

### *De exemptione Eccleſiaſticorum à iudicibus ſæcularibus quoad eorum bona, ſeu quoad res ab ipſis poſſeſſas.*

*Quoad bona Clerici, ſunt exempti.*

35. PRæter exemptionem in perſonis, gaudent Eccleſiaſtici etiam priuilegio exemptionis bonorum ſuorum, vt non poſſint ex illis tributa, gabellas & alias impoſitiones Regibus ſoluere. Conſtat ex *Concil. Lateran. ſub* Alexand. III. *p.* 1. *cap.* 19. *& ſub* Innocent. III. *c.* 46. *Item ex cap. Sanctæ Mariæ, extra de conſtitutionibus, & cap. quia, & cap. Clericis, de Immunit. Eccleſ. lib.* 6. *&* ex Iuſtiniano, *l. ſancimus* 22. *C. de Sacroſancta Eccleſia, & ex Nouella* Frederici Imperatoris, quæ incipit: *Item nulla.* Et ratio eſt, nam ſubiectio illa, qua tenentur aliqui tributa & impoſitiones ſoluere, dependet tanquam ex radice, vel fundamento ex ſubiectione perſonarum. Qui enim ſubditi non ſunt, tributa ſoluere non tenentur. Et ideò infert Apoſt. *Roman.* 13. ex eo, quod omnis anima poteſtati ſubiecta eſt: *Ideò enim & tributa præſtatis*, ſed Eccleſiaſtici quoad perſonas ſubditi non ſunt ſæcularibus Principibus, vt conſtat ex dictis *puncto præced.* Ergò nec quoad eorum bona, vt ex illis tributa & gabellss ſoluant.

*Quæ bona Eccleſiaſticorum exemptione gaudent.*

36. Sed inquires, quæ bona Eccleſiaſticorum huiuſmodi gaudeant exemptione? Reſpondetur, non ſolùm bona Eccleſiaſtica, vt ſunt illa, quæ ex Beneficiis, præſtimonijs, penſionibus, &c. habent, ſed omnia bona ſiue patrimonialia, ſiue aliàs donata, aut empta, aut quouis alio titulo quæſita, quæ ad Eccleſiaſticos, vel ad Eccleſias, vel Monsſteria deueniunt, gaudere immunitate, ita vt ſint libera à nouis tributis imponendis. Ita docet *Leſſ. de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 33. *dis.* 3. *num.* 19. Molina, *tom.* 3. *tractat.* 2. *diſ.* 61. *nu.* 2. Molfeſ. *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *n.* 166. Duard. *Canon.* 18. *quæſt.* 5. *num.* 4. Sylueſt. verb. *Immunitas* 1. *n.* 6. N. Lezaoa, verb. *Gabella* & alii, quos citat, & ſequitur Diana *part.* 1. *tractat.* 2. *reſol.* 40. *&* 43. & dicit eſſe communem Theologorum ſententiam.

37. Et probatur ex clauſula 17. *Bullæ Cœnæ Domini*, ibi: *Excommunicantur omnes, qui abſque ſpeciali, & expreſſa Summi Pontificis licentiâ imponunt collectas, decimas, taleas, præſtantias, aut alia onera perſonis Eccleſiaſticis, aut eorum bonis, ſiue Eccleſiarum, aut Monaſteriorum ipſorum.* Vbi facit diſtinctionem Pontifex inter bona Clericorum, & bona Eccleſiarum; ſed bona Eccleſiarum dicuntur omnia bona Eccleſiaſtica: Ergò per bona Clericorum reliqua alis bona ſæcularia ad ipſos pertinentia comprehenduntur.

*Obiectio.*

38. Sed obijcies: Rex babebat ius ad imponendum vectigal huic agro, vel prædio antequam ad poſſeſſionem Clerici perueniret, ſed non debet ſpoliari tali iure per hoc, quod ad ipſum perueniat; quia nemo ſuo iure abſque ipſius voluntate, aut culpâ priuatur: Ergo adhuc poſtmodùm poterit illud imponere, & tenebitur Clericus illud ſoluere.

*Solutio.*

39. Reſpondetur, Principem non babere ius imponendi vectigalia prædio, niſi quamdiu tale prædium fuerit apud ſibi ſubditum, ſeu priuilegio non gaudentem, non tamen habet ius tale apud quemcumque reperiatur. Vnde, quemadmodum ſi ad Magnatem perueniret immunem à ſoluendis tributis Princeps non baberet ius ad imponendum in illo vectigalia, ità etiam quando tranſijt in poſſeſſionem Eccleſiaſtici.

*Onera, quæ anteà bona Clericorum habebant, ab ipſis præſtanda ſunt.*

40. Diximus *num.* 36. quod hæc bona aliàs ſæcularia, vt patrimonialia, vel quouis alio modo ad Clericos tranſeuntia, immunia ſunt, ita vt ſint libera à nouis tributis imponendis, nam ſi talia bona, antequam ad Eccleſiaſticos deueniant, habebant aliquod onus certum, & inuariabile ipſis annexum, vt cenſum, vel ſeruitutem Principi debitam, vel onus diſtribuendi tot eleēmoſynas, vel reparandi viam publicam, domum, vel Eccleſiam, &c. hæc omnia præſtanda ſunt ab Eccleſiaſtico, quia res quæcumque cum ſuo onere tranſit. Ita Sylueſt. *num.* 19. *Leſ. dub.* 3. *num.* 19. N. Lezana, *num.* 20. ſed ad ſolutionem iſtorum onerum, vel aliorum, ad quæ fortè Clericus teneatur, non poteſt compelli à iudice ſæculari, ſed ab Eccleſiaſtico debet obligari, quia ſicut perſona Clerici immunis eſt à poteſtate ſæculari, ita & res illius. Quarè, ſicut non poteſt iudex ſæcularis punire Clericos in perſonis, ita nec in bonis eorum, nec ad hoc ſe intromittere, qoia vt benè docet Suar. *cont. R. Angl. lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 11. bona ſemper adhærent perſonæ ipſius Clerici, & ideò tunc perſona perfectè exempta eſt, quando eius bona ſunt exempta.

*Obiectio.*

41. Sed obijcies: Bona Eccleſiaſticorum temporalia ſunt, & non reſpiciunt ipſos vt Clericos, ſed vt dominos rerum, & vt ciues: Ergò, quamuis iudex ſæcularis non poſſit contrà perſonam Eccleſiaſtici procedere, poteſt contra bona illius, vt ſunt ciuis politici, & domini temporalis.

*Solutio.*

42. Sed hæc diſtinctio adinuenta eſt à Iuriſtis, vt in bona Eccleſiaſtica contrà ius Canonicum, & ciuile, & contrà Eccleſiarum immunitatem ſe intromittant, quæ, ſi veritatem baberet, etiam iudex ſæcularis poſſet Clericum, non vt Clericum, ſed vt ciuem, vt peccatorem, vt ſcandaloſum punire, quia eadem eſt ratio in vtroquè. Quarè dicendum eſt, perſonam Clerici omnimodo eſſe exemptam, & vt Clericus eſt, & vt ciuis, & conſequenter omnia, quæ illi acceſſoria ſunt. Et ſic in *cap. vnic. de Cleric. coniug. in* 6. ſtatuitur, quòd perſona Clerici non poſſit in rebus moleſtari, ne per vnam viam denegetur, quod conceditur per aliam.

*Caſus primus.*

43. Ex his communibus regulis ad caſus particulares deſcendendum eſt, & ſit primus: An iudex ſæcularis procedere poſſit contra animalia, & pecora Clericorum, quæ in alienis paſcuis inuenta fuerunt? Circa quem caſum audiamus quę luculentiſſimè docet doctiſſimus Iuriſconſul. Barboſ. *in collect. tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 10. *nu.* 6. vbi ſic affatur: [Statuta laicorũ pœnarum condemnationem, & exactionem imponentia aduerſus eos, quorum pecora damnum dederunt, aut in fructibus, vel in paſtibus vetitis fuerũt inuenta, non ligant Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas, quia indiſtinctè ſæcularibus prohibetur Clericos diſtringere, aut condemnare, *c.* 2. *de for. competent*, quia cauſa quamuis ſua natura merè temporalis ſit ratione perſonæ Clerici, contra quem mouetur, manet Eccleſiaſtica, quidquid contrarium reſoluant aliqui.

44. Id-

44. Idque ſuadere conantur ex eo, quia quandu onus impoſitum eſt rei, poteſt ſæcularis iubere, vt executio fiat in re, quæ io ſuo territorio, & iuriſdictione eſt, non habito reſpectu, an perſona, cuius res eſt, pertineat ad ſuum forum, vel iuriſdictionem. Confirmatur hæc ratio, quia hoc pacto perſona Clerici non condemnatur à iudice ſæculari, nec eius ſtatuto ligatur, quia in perſona Clerici nulla dirigitur executio, ſed onus reale rei impoſitum à Clerico exigitur, ſicut aliud quodcumque tributum reale. Sed ratio hæc non euincit, cùm omnino oporteat ſententiam ferri, & condemnationem pœnarum fieri io perſonam, quia animalia minimè ſunt capacia quòd conueniantur, vel condemnentur, *argum. cap.* 2. vbi rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit, *hoc tit. cap. mulier. verſ. quæritur* 15. *quæſt.* 5. ibi: *Nec vllo modo rapax legis ſit. Bonus text. in lib.* 1. *poſt princip. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur*: Ergo fundamentum prędictum contrariæ opinionis ſecundùm iuris rigorem ſtare non poteſt.] Hæc ille.

*Secundus caſus.*

45. Secundus caſus eſt: An aliquis ſoperior poſſit imponere gabellas, vel alia onera Eccleſiaſticis perſonis, vel in tempore peſtis, aut publicæ neceſſitatis, vel ad ſoſtentandum exercitum contra hæreticos terras Catholicorum infeſtantes, vel ad reparationem pontium, viarum, vel locorum publicorum. ¶ Reſpondetur, quòd quantùm attiott ad tempus peſtis, vel publicæ neceſſitatis, ſi neceſſitas publica æquè, & principaliter concernit vtilitatem ſæcularium, & Clericorum, tunc debent Eccleſiaſtici contribuere non quidem ex ſolo conſenſu, & deliberatione laicorum, ſed ſimul Eccleſiaſtici, & ſæculares ſuper hoc conuenire debent, vt decernant, quod omnibus vtile, & neceſſarium fuerit, vt conſenſus omnium accedat, vbi de omnium vtilitate, & grauamine agitur. Ita Leſ. *num.* 26. Ledeſm. *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 2. *concl.* 27. Ioann. de la Cruz, *p.* 1. *præcept.* 7. *q.* 7. *art.* 3. *dub.* 1. Azor, *p.* 3. *lib.* 5. *c.* 29.

*Reſoluitur.*

46. Quantum verò attinet ad caſum de contributione Clericorum pro expeditione exercitus contra fidei inimicos, vel alios Regnum, vel Prouinciam infeſtantes, reſpondendum eſt cum diſtinctione: Vel enim tale damnum æquè, & principaliter imminet Clericis, & laicis, vt ſi ciuitas ipſa, in qoa degont, periclitaretur, vel proximè bella imminerent, ex quo bona tam Eccleſiarum, quàm laicorum deſtruerentur; in tali autem caſu placet ſententia Enriquez, *lib.* 10. *c.* 15. *n* 5. *in gloſſ. lit.* Q. aſſerentis ex multis Doctoribus à ſe conſultis iuſtè poſſe Clericos per Epiſcopum compelli, vt contribuant ad expenſas exercitus, quia quando bonum commune æquè Clericos, & laicos reſpicit, abſque immunitatis violatione tenentur contribuere ipſi Clerici, vt dicunt Silueſter, & Angelus, verb. Gabella, Bonacin. *tom.* 3. *diſ.* 1. *q.* 19. *punct.* 4. Suarez, *cap.* 26. *num.* 6. At verò ſi in remotis inimici inuadant, & pro illorom oppoſitione exercitus expediendus ſit, cùm in tali caſu in impoſitione gabellarum bonum commune per ſe primò, & directè inſpiciatur, & particulare Clericorum non niſi mediatè, & minùs principaliter, non tenentor ad ſolutionem illarum, nec ad hoc poſſunt compelli, quia quando in impoſitione tributorum bonum commune ſolummodò, aut per ſe primò attenditur, non ſunt Eccleſiaſtici grauandi, aliàs ad nihil eorum immunitas valeret ab oneribus Reipublicæ communibus. Ita Leſ. *dub.* 3. *num.* 24. Dian. *tract.* 2. *part.* 1 *reſolut.* 79. *ex* Graff. *de effect. Cler. effect.* 3. *num.* 243.

47. Ex quo deducitur, non poſſe Clericos obligari ad contributiones pro reparatione pontium, murorum, &c. quia hæc omnia bonum commune per ſe primò reſpiciunt, nec attingunt immediatè, & primò Clericos, & ſi ab his, & ſimilibus oneribus ex priuilegio Clericali exempti non eſſent, parum illis prodeſſet ſua immunitas Eccleſiaſtica. Ita Leſ. *n.* 45. & Diana, *loc. cit. reſol.* 39. *ex* Laym. Ioan. de la Cruz, Barboſ. Solon. Portel. N. Lezana. & alijs.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

48. Et ſi contra nos obiicias quod *Leg. ad inſtructiones* 7. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* dicitur: *Ad inſtructiones itinerum, pontium, quæ etiam diuinas domos, & venerabiles Eccleſias libenter adſcribimus*: Quia cum hoc decretum ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam, vſque dum in ſpecie ab Eccleſiâ approbetur, vim non habet, vt docet Leſ. *loc. cit. num.* 25. Ab Eccleſiâ autem approbatum non eſt, quin potiùs correctum per ius Canonicum, vt apparet *in cap. non minus, & in cap. aduerſus, de immun. Eccleſ. & ex Canon. Bullæ Cœnæ.*

*Tertius caſus proponitur.*

49. Tertius caſos: Ao poſſint poni gabellæ ex iuſtâ cauſâ ſuper carnes, oleum, vinum, &c. propter quas cogantur Clerici has res cariùs emere, quamuis id non fiat animo extorquendi à Clericis pecunias, vel directè in grauamen illorum, ſed in grauamen omnium, inter quos etiam Clerici indirectè grauantur? Affirmatiuè reſpondet Silueſter, *& Angelus verb. immunitas.* Enriquez, *lib.* 10. *cap.* 15. *num.* 5. *lit.* O. in gloſſ. Caſt. *conſul.* 432. *lib.* 2. & alij. Maximè quando id non fit animo extrahendi pecunias à Clericis, à quibus aliâ viâ extrahi non poſſunt: & Malderus 22. *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 11.

*Vera ſententia eligitur.*

50. Sed oppoſitum probabilius eſt tenendum: quia in Bulla Cœnæ non ſolùm excommunicantur, qui gabellas Clericis directè imponunt, ſed etiam, qui indirectè, quamuis ex animo grauandi Clericos non fiat: quandoquidem immunitas Clericorum ex bono, vel malo animo gabellas imponentium non dependet; aliàs Miniſtri regales ſemper cum bono animo ſe imponere gabellas aſſererent, proindeque quotidie grauarentur Eccleſiaſtici, qui ex priuilegio iuris canonici, & ciuilis ab his oneribus ſunt immunes, ſiue hoc, ſiue illo animo imponantur. Ita luculenter Suarez, *c.* 33. Magala, *in p.* 2. *lib.* 2. *c.* 17. *q.* 6. *num.* 107. Gutierr. *in tract. de Gabel. q.* 9 *num* 6. Dian. *reſol.* 46. & 82.

*Explicatio, & additio præcedentis aſſerti.*

51. Sed non benè hic vltimus reprobat *dict. reſol.* 46. ſententiam Enriquez, *lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 5. *in gloſ. lit.* P. aſſerentis, in caſu, quo tales gabellæ ex iuſtâ cauſâ omnibus imponantur, aliam tabernam aperiendam eſſe, ad quam poſſint Clerici confluere, vt emant vinum, oleum, &c. abſque tributo. Eò quòd dicit, Clericos liberos eſſe, vt in quolibet loco victualia abſque aliquo onere poſſint emere, nec coarctandi ſunt, vt in tali, vel tali loco ea emant: Nam licet id in aliquod eorum cedat incommodum, nullum tamen damnum inde accipiunt, & communi vtilitati, modo quo poſſit fieri magis licito, conſulendum eſt, quamuis exinde Clericis aliqua incommoditas oriatur. Quare id licitum, & conſulendum cenſent, præter

Enriquez *loc. cit.* *Rodrig. in ſumm. tom. 2. c. 74. num. 14. ibi* : [ *Ni deſto ſe pueden quexar los Clerigos, pues pueden comprar eſtas coſas en ſus carnicerias, y taberzillas, y oficinas, particularmente diputadas para ellos, donde commodamente las pueden tener* ] Idem etiam tenet Ledeſm. *loc. cit.*

*Caſus vltimus, & 1. ima ſententia pro illo.*

52. Vltimus caſus eſt : An ſi Clerici negotiationem exerceant, debeant tributa, & gabellas ſoluere? Affirmatiuè reſpondent Portel. *in dub. regul. verbo tribut. num. 5.* Malder. *dub. 9.* Turrian. *tom. 2. in 22. diſ. 44. dub. 4. num. 12.* & probatur ex *cap. quamquam 4. de cenſib. in 6.* Vbi hoc concedit Eccleſia in odium negotiationis, quæ maximè indecora eſt, & indecens Eccleſiaſticis, ipſiſque interdicitur ſub grauiſſimis pœnis, vt patet ex *c. conſequens, diſ. 88.* vbi Gelaſius *Papa ait* : *Clericis ab indignis quæſtibus abſtinendum, & ab omni cuiuſlibet negotiationis ingenio ceſſandum, aut in quocumque gradu ſint poſiti mox à Clericalibus officijs cogantur abſtinere.*

*Secunda ſententia.*

53. Alij verò aſſerunt, non poſſe Clericos cogi ad ſolutionem gabellarum, niſi priùs ter fuerint admoniti, vt à negotiationibus abſtineant. Ita docet Rodriguez, *in ſumm. tom. 2. cap. 75. num. 11.* Ledeſm. *in ſumm. tom. 2. tract. 17. cap. 2. concl. 17.* & probant hanc ſententiam *ex cap. ex litteris de vitâ, & honeſt. Cler.* vbi trina admonitio prærequiritur, vt Clerici à priuilegio exemptionis priuentur.

*Ad concordiam reducuntur.*

54. Nos verò cum Leſ. *num. 23. &* Molina, *concluſ. 5. &* Duard. *lib. 2. Can. 18. q. 8. num. 9.* ſub hâc diſtinctione reſpondemus. Quod loquendo de bonis, quæ vendunt, emunt, & quibus negotiantur, ſtatim ante trinam admonitionem à priuilegio immunitatis manent priuati, & poſſunt ab eis licitè exigi gabellæ, etiam non præmiſſa trina admonitione, & ita explicari poſſunt Authores primæ ſententiæ. Quoad alia verò ſua bona non amittunt tale priuilegium, niſi trina dicta præcedat admonitio, qua præcedenti, ſi adhuc Clericus negotiari voluerit, immunitatem quoad omnia amittet in pœnam peccati, & poſſunt licitè exigi ab eo tributa ex omnibus bonis eius, quæ purè Eccleſiaſtica non fuerint, quo ſenſu videntur loqui Authores ſecundæ ſententiæ, atque ita vtramque ſententiam ad concordiam reducit Diana, *1. p. tract. 6. reſol. 47.*

*Leg. N. Lezan verb. gabel.*

## PVNCTVM IV.

### *De exemptione Clericorum à poteſtate ſæculari quoad cauſas, ſeu controuerſias.*

*Clerici quoad cauſas gaudent priuilegio fori.*

55. Eccleſiaſticos exemptos eſſe à ſæculari poteſtate iure diuino quoad cauſas, & controuerſias merè ſpirituales, & Eccleſiaſticas, conſtat ex dictis in principio huius *cap. num. 1.* & ratio eſt, quia iure diuino Tribunal Eccleſiaſticum à Tribunali ſæculari diſtinctum eſt, & altioris Ordinis : Ergo cauſæ merè Eccleſiaſticæ iure diuino ſolùm apud Tribunal Eccleſiaſticum, non ſæculare debent iudicari : & ideò in *Concilio Mileuitano, Can. 19.* grauiter puniuntur Clerici, qui deferunt cauſam Eccleſiaſticam ad iudicium Imperatoris : Quantum verò ſpectat ad cauſas ciuiles iure humano tàm Canonico, quàm Imperiali exempti ſunt, vt conſtat ex *Concil. Chalcedon. Can. 9. Agathen. Can. 21. &* ex Caio Pontifice, *in Epiſt. ad* Felicem Pontif. ex Marcellin. *Epiſt. 2. &* D. Gregor. Pap. *lib. 1. cap. 14. & ex conſt.* Iuſtinian. Imp. *in Nouellis, conſt. 79. 83. & 123.* propter eandem rationem, qua *punct. præced.* diximus exemptos eſſe, quantum ad bona, à poteſtate ciuili.

Hic exagitanda erat illa quæſtio : An Miniſtri Regis per viam violentiæ poſſint cognoſcere cauſas Eccleſiaſticas ciuiles, vel ſpirituales; ſed quia hoc petit examinari ex profeſſo, illud ad finem huius capitis, vbi agendum eſt latè de hâc materiâ, *dub. 2.* remittimus.

## PVNCTVM V.

### *De his, qui dictis preuilegijs, & exemptionibus gaudent.*

*Qui gaudeant dictis priuilegijs?*

56. Omnibus priuilegijs hucuſque enumeratis, nimirùm priuilegio Canonis, fori, & exemptionis à tributis gaudent omnes Clerici in ſacris, ſeu maioribus Ordinibus conſtituti, omnes Regulares vtriuſque ſexus : quia hi omnes vel firmiter Eccleſiaſtico ſtatui ſunt dediti, vel obſequio alicuius Eccleſiæ deſtinati, quibus omnibus non ſolùm profeſſi, ſed etiam Nouitij Regulares gaudent, proindeque ſuper bona illorum gabellæ, & tributa imponi non poſſunt : Nouitij namque ſub nomine Religioſorum in fauorabilibus includuntur. Sic Sanchez, *in ſumm. tom. 2. lib. 6. cap. 10. num. 16. &* Barboſ. *in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 7. num. 11.*

*De his plura N. Lezan verb. gabella.*

*Illis gaudent Equites D. Iacobi, Alcantaræ & Calatrauæ.*

57. Et ſimiliter his omnibus exemptionibus gaudent Equites D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, & quod gaudeant priuilegio Canonis probant Bonacin. *de cenſ. diſ. 4. q. 4. punct. 1. num. 7.* Filucius, *tom. 1. tract. 15. cap. 1. q. 4. n. 14.* Quòd etiam gaudeant priuilegio fori probant Diana, *1. p. tract. 2. reſol. 73. ex* Mota, Zeuallos, *&* alijs. Quod exemptionibus à gabellis, probant Flores de Medina, *lib. 2. q. 21. n. 205.* Mota, *de informat. Ord.* D. Iacob. *lib. 2. c. 2. §. 29.* Quorum ratio eſt : quia iſti ſunt verè Religioſi, vt ex multis probat Sanchez, *in ſumm. tom. 1. lib. 4. cap. 16. num. 11.* Baſil. Ponc. *tract. de Imped. Matr. c. 27. q. 2. §. 4.* Et quamuis Religioſi verè non eſſent, ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ, & largo modo Religioſi : Ergo gaudent priuilegijs Ordinibus Religioſorum, & Eccleſiaſticorum annexis. Vide Dian. *loc. cit. reſol. 50.*

*Etiam Tertiarij, & Beatæ.*

58. An verò Tertiarij, necnon, quæ vulgò dicuntur Beatæ S. Franciſci, & B. Mariæ de Monte Carmeli gaudeant priuilegijs huiuſmodi; audi Cherubin. *in comp. Bull. tom. 1. conſt. 22.* Leonis X. *Schol. 2.* ex declaratione *Illuſtr. Cardinal.* ita aſſerentium : Sacra Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum conſulta, reſpondit fratres Tertiarios, Montellatos, Corrigiatos, alioſque ſimiles, ita demum Ordinis, cuius tertiæ regulæ habitum aſſumpſerunt, priuilegijs potiri, & ab Ordinarij iuriſdictione exemptos eſſe, ſi verè Collegialiter viuant, ſeu cum Clauſtralibus habitent, & mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam traduxerint, quemadmodùm cauetur in conſtitutione Concilij Lateranenſis ſub Leone X. quæ habetur *ſeſſ. 11.* in fine.] Vide Portel. *in dub. regul. verb. tertiarij, num. 7.* Baſil. Ponc. *cap. 29. §. 15.* *Rodrig. in qq. Regul. tom. 2. q. 65. art. 5.* N. Lezan, *tom. 2. cap. 14.*

59. Dixi-

*Quomodo in minoribus conſtituti, dictis gaudeant priuilegijs?*

59. Diximus his priuilegijs gaudere omnes Clericos in ſacris conſtitutos. De his verò, qui tantùm ſunt minoribus, vel tonſura initiati ita loquitur *Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. de refor.* [ *Is fori priuilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiat, vel in Seminario Clericorum, aut aliquâ Scholâ, vel Vniuerſitate de licentiâ Epiſcopi, quaſi in via ad ſuſcipiendos maiores Ordines verſetur.* ] Sed antè quàm ſingulas clauſulas explicemus, & difficultatibus circa illas occurrentibus ſatisfaciamus, oportet prænotare, quòd quamuis Concilium ſolum priuet priuilegio fori Clericos in minoribus, aut primâ ſolùm tonſurâ conſtitutos non ſeruantes dictas conditiones, hoc eſt, quod non poſſint trahi ad tribunalia ſæcularia: tamen ex conſequenti etiam priuantur priuilegio Canonis *Si quis*; ita vt, qui illos percuſſerit, non incurrat excommunicationem, vt docet Auend. *de execut. mandat. p. 1. cap. 22. num. 12.* Et ratio eſt, quia, vt docet Suarez, *cont. Reg. Angl. lib. 4. c. 29. n. 7.* Laym. *in Theol. Mor. lib. 4. tract. 9. c. 7. num. 1.* qui gaudent priuilegio Canonis, gaudent priuilegio fori; ſed huiuſmodi Clerici non gaudent priuilegio fori, vt conſtat: Ergo nec priuilegio Canonis.

*Ex vi decreti Concilij non priuantur Clerici non ſeruantes eius conditiones omni exemptione.*

60. Ex vi huius decreti Concilij, dictos Clericos non ſeruantes conditiones in eo aſſignatas, priuilegio immunitatis à tributis ex conſequenti etiam priuari, docent grauiſſimi Doctores Barboſ. *num. 7.* Suarez, *cap. 27. n. 14.* Azor. *p. 3. lib. 5. c. 19. q. 6.* Laym. *c. 6. n. 3.* Ceterùm licèt id ſit ſatis probabile, probabilius tamen iudicamus, ex vi huius decreti non priuari dictâ exemptione: quia in eo ſolùm fit mentio de priuatione priuilegij fori, & ſtare poteſt optimè, aliquem non habere priuilegium fori, & tamen gaudere exemptione à tributis, vt in pluribus ſæcularibus ex conceſſione Principum reperitur. Quare cum ex iure communi Clerici hoc ipſo quod tales, etiamſi conditiones dictas non habeant, gaudeant tali exemptione, vt colligitur *ex cap. quamquam. de cenſibus, & ex leg. Presbyteros, C. de Epiſc. & Cleric.* Ex vi huius decreti ſolùm priuantur priuilegio fori, non verò exemptione à tributis. Ita Leſ. *lib. 2. c. 33. dub. 5. n. 38.* Molina, *tom. 3. tract. 2. diſ. 270. n. 5.* Garc. *de Beneſ. tom. 1. c. 3. p. 2. n. 5.* Diana, *reſol. 36. & 37.*

*Ex conſuetudine priuantur dicti Clerici exemptione.*

61. Diximus *ex vi huius decreti* non priuari Clericos in minoribus conſtitutos exemptione à tributis, niſi vel beneficium habeant, vel habitum, & tonſuram deferant, & ex licentiâ Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruiant, quia longâ conſuetudine contraria eam amiſiſſe in aliquibus Regnis teſtantur Leſ. Diana, & Molin. *loc. cit.* & Aragon. *in 2. 2. q. 62. art. 3.* Turrian. *2. 2. tom. 2. diſ. 44. dub. 4. n. 12.* & ſi obijcias, quòd non poteſt vnquam valere conſuetudo contra immunitatem Eccleſiaſticam, vt habetur *in Nouell.* Frider. Imperat. quæ incipit: *Caſſa, & irrita, & colligitur ex cap. cauſam, de præſcription. & cap. Clerici, de iudicijs.* Reſpondet Leſ. *num. 39.* his verbis: *Reſpondeo non poſſe quidem eam valere, inuito Pontifice, ſeu non accedente libero eius conſenſu, ſed præſumi poſſe, hunc conſenſum propter commoda Principum interueniſſe, nam hæc conſuetudo non erat omnino à ratione aliena, præſertim ob multitudinem talium Clericorum, quorum plerique ideò dumtaxat Clerici fiebant, vt à tributis eximerentur abſque vllo animo ad Eccleſiaſticum ſtatum conſcendendi.* ] Ita ille. Quod etiam docet Dian. *cit.* & Vazq. *opuſc. de reſtit. cap. 6. §. 1. num. 33.*

*Sufficit ſi Beneficium habeat, etiamſi tonſuram, & habitum non deferat.*

62. Nunc ergo ad ſingulas clauſulas Concilij deueniamus, *Niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat:* circa quam Suarez, *de cenſ. diſ. 22. ſect. 1. num. 11.* tenere videtur, quod Clericus Beneficiatus, niſi inſeruiat alicui Eccleſiæ, non gaudet priuilegio fori. Sed immeritò, nam Concilium ſub diuiſione loquitur, & vnum, vel alterum requirit, aut quod habeat Beneficium, aut quòd Eccleſiæ inſeruiat: vnde Clericus Beneficium Eccleſiaſticum habens, quamuis non portet habitum, vel tonſuram, vel Eccleſiæ non inſeruiat, non poteſt à iudice ſæculari comprehendi, trahi, aut puniri. Ità Philibert. *tract. 2. part. 1. cap. 15. diff. 1.* Dian. *reſol. 29.* Rodrig. *p. 1. ſumm. cap. 155. concluſ. 1.* & ſufficit, quòd titulum habeat Beneficij etiam tenuis, etiamſi poſſeſſionem, vel redditus illius non obtineat, quia ex hoc, quòd habeat titulum Beneficij, & verè ſit Beneficiatus, verificantur verba Concilij, & verè dicitur Beneficium habere. Sic Philibert. *loc. cit.* Dian. *reſol. 30.* Garc. *cap. 2. num 37.*

*Non ſufficit penſio ad intentum.*

63. Et quia perpetua Capellania, & ſimiliter præſtimonium perpetuum pro Beneficijs habentur, vt docet Garc. *loc. cit. num. 117.* Azeued. *tom. 1. lib. 1. tit. 4. n. 7. Recopilat.* & alij, ſufficit, ſi Clericus dictam Capellaniam, vel præſtimonium habeat ad hoc, vt gaudeat priuilegio fori. Ita Diana, *reſol. 32. &* Philibert. *loc. cit.* Non autem ſufficit quæcumque penſio ad hoc, vt Clericus ſit immunis à foro ſæculari, vt voluit Rodrig. *num. 11.* Nec etiam penſio quantumuis magna, & quæ excedat ſummam ducatorum ſexaginta auri de Camera, vt dixit Barboſ. *allegat. 12. n. 6. de offic. & poteſt. Epiſcop.* quia penſio propriè Beneficium Eccleſiaſticum non eſt, & à mero ſæculari poteſt poſſideri, atque ita deciſum fuiſſe in Neapolitana Curiâ, refert Duard. *Can. 15. q. 3. n. 6.*

*Sufficit habitum, vel tonſuram portare ad intentum.*

64. Secunda clauſula eſt: *Aut Clericalem habitum, & tonſuram deferens.* Circa quam notandum eſt, quòd ly *Et*, non eſt ſumendum in vi coniunctionis, ſed vt æquiualet *vel*; ſicut cùm dicitur: *Ioann 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem.* Ly *Et* communiter pro *vel* à Catholicis vſurpatur, vt oſtendatur, ſumptionem ſub vtraque ſpecie Euchariſtiæ, non eſſe de neceſſitate ſalutis: Et ſimiliter *Act. cap. 3. Argentum, & aurum non eſt mihi*, id eſt, *argentum, vel aurum:* Et ſimiliter de hoc caſu, *in cap. ſi iudex, de ſentent. excommun. in 6.* Etiam ponitur, quòd ad fruendum priuilegio fori debet Clericus tonſuram, & habitum portare, & tamen iure communi de mente omnium interpretum fatetur Barboſ. *num. 21.* ſufficere ſi vnum, vel alterum portet. Ita ex iure nouo Tridentini non ampliùs requiritur. Ita Zarabella, *in cap. perpendimus, de ſentent. excommunicat.* Farina. *in praxi crimin. tit. de Inquiſit. q. 8. n. 65.* Maceratenſ. *variar. reſol. lib. 3. reſol. 48. n. 9.* quos refert, & ſequitur Philib. *diffic. 4.* & alij, quos citat Diana, *reſol. 33.*

*Debet per multum tempus habitum deponere, vt priuilegium amittat.*

65. Ad hoc autem vt Clericus non portando habitum, vel tonſuram amittat priuilegium fori, non requiritur ex iure nouo Tridentini trina præcedens admonitio Epiſcopi, quamuis ex antiquo iure eſſet requiſita Barboſ. *n. 19. & 22.* requiritur verò, quod per longum tempus habitum, vel tonſuram dimittat, ita ut communiter habeatur ut laicus. Qui autem per paucum tempus dimiſit, vel

vel quia tempore capturæ inuentus eſt ſine habitu, quem tamen habebat tempore delicti, vel illi proximo, non amittit dictum priuilegium. Ita Farin. *num.* 68. *&* Barboſ. *num.* 17. 18. *&* 20. Suar. *num.* 11. Bonac. *diſ.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. §. 4. *n.* 14. Sed notandum eſt, non pertinere ad iudices ſæculares cognoſcere, vel iudicare in caſu contingenti, vel de habitu, vel de Clericatu, ſed ad Epiſcopum, vel iudicem Eccleſiaſticum. Ita habetur expreſsè *in cap. ſi iudex laicus, de ſentent. excom. in* 6. & eſt commune inter Doctores, & rationem ibi reddit Pontifex, quia non eſt iudicis ſæcularis de re ſpirituali, & Eccleſiaſticâ, qualis eſt Clericatus, agnoſcere. Vide Dian. *reſol.* 18. Philib. *diſſ.* 9.

66. Sed rogabis: An qui Ordines minores accipit, & aſſumit Clericalem habitum poſt patratum delictum, animo ſubtrahendi ſe à poteſtate ſæculari gaudeat priuilegio fori? Negatiuè reſpondet Zeuall. *tract. de cognit. per viam viol. p.* 2. *q.* 44. *n.* 7. Gutierrez, *pract. qq. lib.* 1. *q.* 5. Tum quia *Concil. Trident. c.* 4. *ſeſſ.* 23. *de ref.* prohibet, Epiſcopos ordinare eos, qui ut effugiant ſæcularem poteſtatem, Ordines aſſumunt, tum etiam, quia aliàs multi in fraudem, & perniciem Reipublicæ, ut euitarent pœnam mortis, ordinarentur.

67. Veriùs tamen dicendum eſt cum Bonacin. *loc. cit. punct.* 1. §. 1. *n.* 16. gaudere priuilegio fori: quoniam ſi confugiens ad Eccleſiam, ut effugiat iudicis poteſtatem, gaudet illius immunitate, multò magis qui per ordinationem Eccleſiæ addicitur, & Deo in perſonâ propriâ conſecratur. Imò ipſum Concilium *loc. cit.* potiùs eſt pro hâc parte: quia prohibendo, ne Epiſcopus tales ordinet, qui accedunt animo ſubtrahendi ſe à poteſtate ſæculari, ſupponit etiam hoc modo ordinatos minimè illi ſubijci. Quare prouidere voluit Concilium inconuenienti in oppoſitum adducto, prohibendo, ne Epiſcopi eos ordinent, & præcipiendo eis, ut circa mores, & vitam ordinandi maximâ circumſpectione, & ſtricto examine ſe habeant.

68. Tertia clauſula eſt. *Alicui Eccleſiæ, &c.* Iuxta quam niſi Clericus non Beneficiatus in minoribus conſtitutus habitum, vel tonſuram portet, & ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ deſeruiat, non gaudet priuilegio fori, ut docent communiter Doctores. Hæc autem licentia debet eſſe expreſſa: quia, quæ ſunt de formâ ſubſtantiali alicuius actus, debent eſſe expreſſa, tradit Barboſ. *dict. alleg.* 12. *num.* 13. ſufficit autem ſi ſit verbalis, & per teſtes probari poſſit, hac tamen ſemel obtenta ad inſeruiendum uni Eccleſiæ, etiamſi ex ſuâ voluntate alteri vel Capellæ Eccleſiæ obſequio addicatur, gaudet dicto priuilegio: Non autem ſufficit ſi tali Eccleſiæ in temporalibus deſeruiat; ſed debet deſeruire in ſpiritualibus. Nec ſufficit ſi bis, aut ter illi deſeruiat, ſed maiori temporis ſpatio. Si tamen per aliquod tempus id omittat, non propterea amittit fori priuilegium, etiamſi per unum menſem antè delictum patratum id omiſerit. Imò qui iam Eccleſiæ ſeruitium dimiſit, ſi iterùm eam reſumat, dicto priuilegio gaudet. Ità Philibert. *diſſ.* 6. *&* 7. *&* Diana, *reſol.* 35.

*Clericus coniugatus cum unâ virgine, & Eccleſiæ inſeruiens, priuilegio fori gaudet.*

69. Clerici verò coniugati, qui habitum, vel tonſuram portant, & alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi deſeruiunt, ſi cum unâ ſolâ, & virgine contraxerint matrimonium, gaudent priuilegio fori tam in cauſis ciuilibus, quàm criminalibus. Conſtat ex *cap.* 2. *de for. comp. & c. unico, de Clerico coniugat.* Vbi habetur ab ipſis ſæcularibus iudicibus dictos Clericos coniugatos nec perſonaliter, nec pecunialiter puniri poſſe. Ita Zeball. *q.* 73. *n.* 4. *&* Duard. *q.* 4. *concl.* 3. *n.* 12. Leſ. *c.* 33. *dub.* 5. *n.* 40. Philib. *diſſ.* 10. Si autem Clericus talis cum virgine coniugatus habitum Clericalem per multum temporis dimiſerit, & poſteà eum reaſſumpſerit, gaudet dicto priuilegio, Dian. *reſol.* 80. Imò talis Clericus incedens ſine habitu, & tonſurâ ſi captus fuerit à iudice ſæculari, & effugiens è carcere habitum poſteà reſumat, gaudet priuilegio fori, & non poteſt ampliùs capi, aut puniri pro eo delicto à iudice ſæculari. Ita Barboſ. *&* Philib. *diſſ.* 10. Vbi adducit pro hâc parte declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium.

## PVNCTVM VI.

### *Quomodo poſſint remitti, aut deperdi dicta priuilegia?*

*Non poſſunt dicta priuilegia à Principe reuocari, nec à Pontifice in totum reſcindi.*

70. HÆc priuilegia, quæ hucuſque Clericatus ſtatui conuenire diximus, ſiue iure humano, ſiue diuino illi conueniant, non poſſunt à Principibus reuocari, nec in totum à Summo Pontifice remitti, quamuis poſſit Summus Pontifex in aliquo caſu particulari Clericos poteſtati ſæculari ſubmittere. Quòd autem à nullo Principe poſſint reuocari, etiamſi dicta priuilegia iure humano, non diuino, ſint inducta, tenet Arauj. 1. 2. *tom.* 1. *quæſt.* 97. *diſ.* 3. *ſect.* 5. *diſſ.* 4. *num.* 3. ubi etiam à Summo Pontifice non poſſe in totum reuocari, docet ex Victor. Zeuall. & alijs. Idem tenet Salgad. *de protect. Princ. part.* 1. *cap.* 1. *prael.* 3. *num.* 127. Leſ. *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 5. *num.* 35. Barboſ. *in collect. tom.* 1. *tit.* 2. *n.* 21. Dian. *p.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 2.

*Probatio aſſerti.*

71. Et probatur non poſſe Principes reuocare hæc priuilegia, quia licèt ab ipſorum conſenſu ortum habuerint, tamen à Pontificibus, & Concilijs ſunt confirmata, à quâ confirmatione independenter iam ab eorum voluntate firmitatem acceperunt. Prætereà, quia populi, à quibus Principes ſuam poteſtatem, & iuriſdictionem acceperunt, iam à multis ſæculis ea approbarunt, & receperunt: Ergò iam non eſt in Principum voluntate illa reuocare, neque hoc poteſt efficere Summus Pontifex, quia non eſt dominus abſolutus bonorum, aut iurium ſuæ Sedis; ſed hæc priuilegia conceſſa ſunt non particulari perſonæ Pontificis; ſed Sedi, & Chriſto, cuius eſt Vicarius, donata.

*Particularis hoc priuilegium renuntiare non poteſt.*

72. Quare licèt in caſu particulari poſſit Pontifex hoc, vel illud renuntiare priuilegium (ut communiter tenent Doctores, etiam, qui aſſerunt eſſe ex iure diuino, quia tantùm ius diuinum prohibet, ſæculares authoritate ſuâ propriâ in Eccleſiaſticos iuriſdictionem habere, non verò ſi hoc habeant ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ, & ex priuilegio Summi Pontificis, ut ex multis probat Barboſ. *loc. cit. n.* 21. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *c.* 12. *litt.* C.) non tamen omnia, & pro omnibus poteſt renuntiare: ex quo deducitur, multò minùs poſſe quemlibet Clericum in particulari renuntiare tale priuilegium: hoc enim expreſsè prohibitum eſt *in cap. ſi diligenti, & cap. ſignificaſti, de for. comp.* & tenent communiter Doctores, & hoc non ſolùm in ciuilibus, ſed etiam in criminalibus, & ratio eſt: quia nullus poteſt cedere priuilegio communitati conceſſo;

ceſſo; ſed hoc priuilegium non ipſi Clerico particulari, ſed toti ſtatui eſt conceſſum: Ergò à nemine particulari poteſt ſecundùm nullam rationem renuntiari.

*Non poſſunt hæc priuilegia per conſuetudinem deleri.*

73. Non autem poſſunt prædicta priuilegia per conſuetudinem oppoſitam deleri, ſed omnis conſuetudo, quantumuis immemorabilis, quâ Miniſtri Regis in cauſis Clericorum, ſiuè ſint ciuiles, ſiuè criminales, ſe intromittunt, potiùs corruptela, quam conſuetudo cenſenda eſt, ſiuè quia iure diuino talis exemptio Eccleſiaſticis conueniat, & ideò incapaces ſunt ſæculares, ut per eam ius, & poteſtatem ſuprà Eccleſiaſticos acquirant, ut docet Barboſ. *num.* 18. Duard. *Can.* 14. *q.* 9. *n.* 8. *&* ex multis probat Azor, *cap.* 12. *q.* 1, *verſ. Sed dubitari poteſt.* Vel quia omnis conſuetudo contrà libertatem Eccleſiaſticam reprobatur *in cap. nouerint, de ſent. excom. & in Authent. de Sacroſ. Eccl.* & alijs Canonibus adductis ab Azor, *&* Barboſ. *loc. cit.* Vel quia ſingulis annis in Bullâ Cœnæ reprobatur omnis conſuetudo oppoſita, ut tenent multi, quos citat, & ſequitur Dian. 1. *p. tract.* 2. *reſol* 4.

74. Ex quo patet, non ſufficere ad roborandam talem conſuetudinem, conſenſus tacitus Summi Pontificis ſcientis, & non contradicentis, quia quotannis illi contradicit in Bullâ Cœnæ, ut benè inquit Araujo, *diſſ.* 4. *fol.* 686. §. *Secundus verò.* Filuc. *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *num.* 250. Præterquam quod, ut docet Suarez, *de leg. lib.* 7. *c.* 13. *num.* 12. *&* Filuc. ibi tolerantia ſola Superioris, quandò ipſe commodè non poteſt oppoſitum prouidere, non eſt cenſenda approbatiua animo confirmandi conſuetudinem; ſed potiùs permittendi eam, ut maiora mala euitentur, quia multa tolerantur, quæ non approbantur, *cap. iam dudum, de præbendis.* Vndè talis tolerantia ad diſpenſationem non ſufficit, *cap. denique, diſ.* 4. Nec ſufficit talis tolerantia ad iudicandum Superioris conſenſum.

## D V B I V M II.

### *An Miniſtri Regij poſſint per viam violentiæ cognoſcere cauſas Eccleſiaſticorum.*

*Non poſſunt Miniſtri Regis titulo iuriſdictionis cauſas innocentium cognoſcere.*

75. PRo intelligentiâ huius difficultatis ſupponendum eſt primò, quod quandò Miniſtri Regis aſſumunt defenſionem cauſæ vim patientis (vel quia ei denegatur appellatio ad Superiorem, vel quia cenſura iniuſtè ei imponitur, vel quia alia via vis, & violentia infertur, in quibus caſibus procedit dubium) hoc non facere, vel facere poſſe titulo, vel poteſtate iuriſdictionis, cum nullâ viâ ſæcularis iudex habeat in Clericum iuriſdictionem. Quarè ſolùm facto poteſt ſe, vel alios defendere aduersùs Superiorem Eccleſiaſticum, & per vires, & potentiam ſuppoſito iuſto titulo, vel adminiſtratione eius rei, quæ defenditur, in quo apparet diſcrimen inter Eccleſiaſticum, & ſæcularem iudicem. Ille enim, cùm ſit Superior Magiſtratibus ciuilibus, ſi ab eis vim patiatur, vel ipſe, vel ſui ſubditi, poteſt ab eis per poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualis ſe defendere, excommunicando, interdicendo, &c. quod ſecùs accidit propter oppoſitam rationem in iudice ſæculari.

76. Secundò ſupponimus, poſſe iudices laicos vim auferre, de violentiâ cognoſcere, & inſpicere acta, & vim vi repellere, defenſionemque innocentis contrà iudicem Eccleſiaſticum vim inferentem ſibi aſſumere, quandò vel non patet aditus ad Superiorem, uti ad Pontificem, Metropolitanum, vel Nuntium, vel talis recurſus eſt difficilis, vel eſt periculum in morâ, vel quandò ipſi Superiores requiſiti nolunt, vel negligunt defenſionem innocentis aſſumere. Ità Araujo, 1. 2. *tom.* 1. *quæſt.* 97. *diſſ.* 3. *ſect.* 5. *dub.* 4. Sayr. *in ſuo Theſaur. lib.* 13. *cap.* 18. Malder. 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. *fol. mihi* 407. Soui. *in Bull. Cœn. Can.* 15. *diſ.* 78. *num.* 2. N. Lezana, *tom.* 3. *verb. Exemptio Regul. n.* 16. & alij. Sed quia moraliter vix unquam id accidere poteſt, ut benè notant Azor. *&* Bonacin. *infr. citat.* cùm Clericus vim patiens ab Epiſcopo coram Archiepiſcopo conueniri debeat, & ab Archiepiſcopo ad Primatem appellare, à Primate ad Summum Pontificem, vel ad eius Legatum, *ex cap. Sacroſancta, de ſent. excomm. & c. ad reprimendam, de offic. iud. Ordin.* & his temporibus; etiam quandò patet recurſus ad Superiorem Eccleſiaſticum, nihilominùs ad iudices ſæculares quotidiè per viam violentiæ recurritur. In hoc caſu præſens diſcutitur dubium.

*Quandò non patet aditus ad Superiorem Eccleſiaſticum, poteſt iudex ſæcularis de violentiâ cognoſcere.*

*Argumenta pro parte affirmatiua.*

77. Et videtur eſſe licitum talem recurſum, & in caſu poſito poſſe Magiſtratus, & Conſiliarios Principis per viam violentię de cauſis Clericorum tàm Eccleſiaſticis, quàm ciuilibus cognoſcere. Primò ex conſuetudine immemorabili obtentâ à tempore excedente hominum memoriam, & ſic conficitur argumentum. Conſuetudo immemorabilis vim priuilegij, conceſſionis, ſeu diſpenſationis obtinet; ſed priuilegio, ſeu conceſſione poteſt Papa certas Clericorum cauſas committere iudicibus ſæcularibus, & fori priuilegio derogare, ut diximus *punct. præced.* Ergò iudices ſæculares conſuetudine immemorabili poterunt de huiuſmodi Clericorum cauſis cognoſcere, & vi oppreſſos liberare.

78. Secundò hæc praxis, & antiqua obſeruantia comprobatur propter magnam eius utilitatem, quæ accidit Reipublicę, quia niſi remedium hoc, & auxilium aduerſus iudices Eccleſiaſticos adhiberetur, grauiſſimè ab ipſis opprimerentur innocentes, eò quòd procul à Romanâ Curiâ exiſtentes, ipſi iudices Eccleſiaſtici iuriſdictione, & poteſtate Eccleſiaſticâ abuterentur; & ideò omnes Principes Catholici ea utuntur, mediante conſilio prudentiſſimorum virorum. Vnde exiſtimandum eſt, huiuſmodi praxim valdè utilem eſſe Reipublicæ, nec non iuſtam, & valdè rationi, & iuſtitiæ conſentaneam.

79. Tertiò, quia huiuſmodi poteſtas conuenit Regibus ex ipſo iure naturali, uſu iam, & conſuetudine firmato: Ergò eſt iuſta, & laudabilis. Probatur antecedens, quia fundatur in naturali iure defenſionis, quod unuſquiſque habet, etiam Eccleſiaſticus, ex *cap. dilecto filio, de ſent. excomm. in* 6. quod maximè competit Regi, cui incumbit ex officio ſubditos à violentijs defendere, quod totum in illâ maximâ fundatur: *Vim vi repellere licèt.* Quâ ratione etiam defenſio naturalis contra Papam, & bellum iuſtum eſſe contrà eum, docet Caiet. *in opuſc. de Pot. Pap. c.* 27. atque in hâc materiâ de exemptione notat Victor. *relect.* 1. *de Pot. Eccl. n.* 8.

*Varij textus pro hâc parte.*

80. Quartò probatur, iuſtam, & rationabilem eſſe dictam conſuetudinem, & praxim pluribus textibus. Primus ex *lib.* 36. *tit.* 5. *lib.* 2. *Rec.* ubi ſic dicitur: [ *Por quanto aſſi por derecho, como por coſtumbre inmemorial nos pertenece alçar las fuerças, que los*

*Iuezes Eccleſiaſticos hazen en las cauſas de que conocen, no otorgando las apelaciones, que dellos legitimamente ſon interpueſtas. Por ende mandamos à nueſtros Preſidentes, è Oidores, que quando alguno viniere ante ellos quexandoſe, &c. den nueſtras cartas en la forma acoſtumbrada en nueſtro Conſejo, para que ſe otorgue la apelacion, &c.* ] Idem habetur *lib. 2. tit. 6. l. 1. eiuſd. Nou. Recop. edita ann.* 1525.

81. Secundus textus habetur in *cap. Regum 23. q. 5.* ubi dicitur: *Quod Regum, & Principum eſt iua cuique tribuere, & per vim oppreſſos liberare, & iniurias pellere.* Tertius textus habetur *in cap. filijs, vel nepotibus 17. q. 7.* ubi dicitur quod: Epiſcopis, & Archiepiſcopis negligentibus punitionem eorum rectorum bonis Eccleſiaſticis abutentium Regem poteſt adire, qui malo illi remedium adhibeat.

*Authores huius ſententiæ.*

82. Propter hæc, & alia argumenta plures, & grauiſſimi Authores tàm Theologi, quàm Iuriſtæ huic ſententiæ adhærent. Valer. *in diff. utriuſque for. diff. 3. n. 2.* Ioann. de la Cruz, *1. part. prac. 8. quæſt. 3. art. 1. concluſ. 3.* Curtel. *lib. 2. quæſt. 14.* Couarr. *in pract. qq. cap. 35. num. 3.* Nauarr. *in Manual. cap. 27. num. 70.* Garcia, *de nobilit. gloſſ. 9. num. 48.* Zeuall. *à cap. 12.* Salgad. *in tract. de protect. Reg. cap. 1. & ſeq.* Segur. *part. 2. cap. 23. num. 51. & 53.* Azeued. *tom. 1. lib. 1. l. 2. tit. 6. Recopil.* Liam. *part. 1. cap. 7. 5. 19.* Enriquez, *tom. 2. lib. 14. de irregul. cap. 12. litt. H.* ubi in gloſſa citat plurimos Salon, *2. 2. num. 67.* Corduba, *q. 35. 5. à lo ſegundo, fol. 83.* Leand. *tom. 4. de cenſur. tract. 3. diſ. 14. quæſt. 13.* Turrecremat. *cap. 102. & cap. 106.* Bobadill. *in Politic. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 139.* Bañez, *2. 2. quæſt. 67. de iuſtit. & iur. artic. 1. dub. 2. ubi concluſ. 6.* ita ait:

*Dictum duorum grauiſſimorum virorum.*

83. [ Sexta concluſio: Rex Hiſpaniæ habet priuilegium à Summo Pontifice, ut poſſit cauſas Clericorum ad ſua Tribunalia interim aduocare, quando aliquis etiam ſæcularis conqueritur, quòd vim patitur à iudice Eccleſiaſtico, quòd vulgò dicitur, *por via de agrauio, y fuerça*, tunc iudices ſæculares poterunt iudicare ex ipsâ commiſſione Pontificis an fiat vis, vel non? Quæ res multùm reprimit Epiſcoporum Vicarios ab inſolentijs, nihilominùs ſemper manet recurſus liber ad Sedem Apoſtolicam. ] Hucuſque vir doctiſſimus Bañez.

84. Ex eâdem Dominic. familiâ Magiſter Araujo, *diſſ. 4, fol. mihi* 687. ità ait: & poſtquam iſtam opinionem doctiſſimè impugnauit, concludit: [ Sed quoniam opinio probabilis eſt, quæ tutâ conſcientiâ in praxi ſequi poteſt, propterea non damnamus Magiſtratuum noſtræ Hiſpaniæ praxim, dum cauſas Eccleſiaſticorum ad Regia Tribunalia adducunt, ut iuris naturalis læſi vindices, potiùs quàm iudices ſalubre remedium auferendæ violentiæ à iudicibus Eccleſiaſticis illatæ inſontibus adhibeant: ſi tamen temperatè ſe gerant, & à formâ iuriſdictionali abſtineant, quia ut probabili priuilegio Principis, aut opinioni probabili grauiſſimorum Doctorum innituntur, in quo ſenſu citatæ leges nouæ Recopilationis ſunt intelligendæ. ] Hactenus ille.

*Contra eſt Concil. & Bull. Cœna.*

85. Sed contra eſt, quod *Concilium Tridentin. ſeſſion. 25. de reformat. cap. 3.* ibi: *Nefas ſit ſæculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem reuocet, ſub prætextu quod contenta in præſenti decreto non ſint obſeruata, cum non ad ſæculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat.* Et in *Bull. Cœn. Canon.* 14. ità dicitur: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel alios authoritate propriâ, ac de facto, quarumcumque executionum, vel aliarum gratiarum, vel literarum Apoſtolicarum prætextu beneficiales, & decimas, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commiſſarijs noſtris, aliiſq; iudicibus Eccleſiaſticis auocant illarum curſum, &c. impediunt, &c. & ad faciendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolui per ſtatutum, vel aliàs compellunt, vel executionem litterarum Apoſtolicarum impediunt etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad Nos informandos, ut dicunt, ſupplicauerint, &c.*

86. Reſpondeo igitur dicendum iudices ſæculares non poſſe per viam violentiæ cauſas Eccleſiaſticas ad ſe trahere, iudiceſque Eccleſiaſticos compellere, ut a cenſuris abſtineant, literaſque reuocent, cùm ſint iudices Superiores Eccleſiaſtici, ad quos id pertineat, nimirùm appellando ab Epiſcopo ad Metropolitanum, ab iſto ad Primatem, ab eo ad Summum Pontificem, quando ad hoc aditus patet, nec ad ipſos iudices ſæculares pertinere, an iuſtè, vel non Epiſcopus deneget appellationem, & per viam executoriam procedat; nec id impedire ſub quouis pretextu poſſunt, aliàs ipſi iudices eſſent & Eccleſiaſtici merè Executores, & Miniſtri, cùm compellantur ſub pœnis à laicis, ut excommunicatum abſoluant, ad eoſque remittant cauſæ cognitionem, quod ſacris Canonibus aduerſatur in *cap. qualiter, & quando, & in cap. Clericis, de iudicijs.*

*Pars negatiua eligitur.*

87. Ita docent Barboſ. *collect. tom. 1. lib. 1. tit. 2. cap. Eccleſia S. Mariæ 10. n. 13.* Duard. *in Bull. Cœn. l. 2. Canon. 14. quæſt. 9.* Laym. *in ſumma lib. 4. c. 4.* Bonacin. *diſ. 10. q. 2. punct. 1. 5. n. 10.* Azor, *inſt. mor. part. 1. lib. 5. c. 14. quæſt. 2.* Sayr. *in explicat. Bull. Cœn. Canon. 14. & lib. 13. Theſaur. part. 1. cap. 18. n. 8. de cenſur. lib. 3. c. 18. n. 8.* Pellizar. *tom. 2. Manualis* Reg. *tract. 8. cap. 6. ſect. 2. quæſt. 3. & 4.* N. Lezana, *tom. 3. verb. Exemptio Regul. n* 16. Prado, *tom. 2. c. 23. qu. 1. n. 18.* Araujo, *concluſ. 2.* Suarez, *cont. Reg. Angl. l. 4. c. 34.* Filiuc. *tom. 1. tract. 16. c. 8. & 10.* Diana, *1. part. tract. 2. reſol. 14.* Gregor. Lopez, *in leg. 13. tit. 13. part. 2.* Roa, *in lib. obiect.* retractans ſententiam, quam anteà ſecutus fuerat.

*Authores huius ſententiæ.*

88. Et probatur in primis ex duplici textu in argumento ſed contra adducto ex *Concil. Trident.* & *Bull. Cœnæ*, qui manifeſtè huic ſententiæ ſuffragantur, ſed eos ſoluere nituntur aduerſarij dicentes, Pontificem in Canon. Bull. Cœn. loqui de iudicibus ſimiles actus exercentibus, *niſi in caſibus iure conceſſis*; ſed in caſu, de quo loquimur, iure conceſſum eſt Miniſtris Regis cauſas Clericorum cognoſcere, ut conſtat ex dictis in ultimo argumento: Ergò: Secundò aſſerunt tàm Tridentinum, quàm Bullam Cœnæ loqui de illis, qui prætextu priuilegiorum, aut conſuetudinis in cauſas Eccleſiaſticorum ſe intromittunt: *Prætextus* autem eſt ſimulatio, vel velamen, quo aliquis ſe mouet ad aliquid faciendum, cùm alia ſit cauſa motiua illius: quare ſolùm comprehendit eos, qui cùm incertâ, dubiâ, fictâ, aut ſimulatâ conſuetudine id agunt, ſecùs verò illos, qui ex certâ, & indubitatâ conſuetudine cauſas Clericorum ad ſua Tribunalia reuocant: Vel denique aſſerunt, Magiſtratus

*Solutiones aduerſariorum.*

ſæculares

ſæculares agere ex tacito conſenſu Summi Pontificis ſcientis talem conſuetudinem quotidiè ad praxim reduci, & minimè contradicentis, & cōſenſus Principis longi temporis taciturnitate probatur, ut probat Menoch. *de præſumpt. lib. 2. præſ. 3.* Marſil. *conſ. 45. num. 10.*

*Solutiones poſita impugnantur.* 89. Nam contra primum eſt (quidquid ſit de illis textibus, de quibus infr.) eſto in illis tale priuilegium Principibus concederetur, hoc reuocatum eſt *iure nouo, Tridentin. & Bull. Cœn.* nec non ab Innocent. III. *in cap. qualiter, & quando, de iudicijs*, ut docent Arauj, Barboſ. Duard. Suar. Filiuc. Azor, *loc. cit.* & ſic nullum extat in ſuo robore, quo poſſint oppoſitum facientes defendi. ¶ Contra ſecundum, quod licèt ibi dicatur ſub prætextu conſuetudinis, aut violentiæ laici cauſas Clericorum non iudicent, hoc non ſolùm eis prohibetur, quando conſuetudo eſt ſubobſcura, & incerta, ſed etiam quando eſt certa, & manifeſta, nam hoc nomine ſub prætextu Canones, & leges ſignificant etiam veram cauſam, quod his probat Azor, [ Hoc nomine ſub prætextu Canonesl, & leges ſignificant veram cauſam, non ſimulatam, & fictam, aut quæ tantùm cauſæ ſpeciem offert, *in lib. ſub prætextu, C. de tranſact.* habetur ſub prætextu inſtrumenti poſt reperti tranſactionem finitam reſcindi iura non patiuntur. Quæ lex confirmatur ex *cap. inter Monaſterium, de ſentent. & re iudicat.* Vbi dicitur, ſub nouorum inſtrumentorum prætextu lites non debent inſtaurari, & *cap. ſuborta, eod. tit.* dicitur prætextu priuilegij de nouo reperti non debet ſententia retractari. Profectò his in locis non ſolùm inſtrumentum, aut priuilegium fictum aut ſimulatum, ſed etiam verum, & certum, quod poſt repertum eſt nomine ſub prætextu ſignificatur.]

90. Et contra tertium inſurgit Barboſ. *loc. cit.*
*Conſuetudo in hac parte eſt corrupta.* *n. 23.* ita loquens [Romanos Pontifices huiuſmodi conſuetudini numquàm conſenſum præſtitiſſe, imò quotidie reclamant, conqueruntur, prohibent, pœnas conſtituunt, & cenſuris afficiunt laicos, qui talia facere audent, ut ſæpè ſæpiùs videmus in actibus iudicialibus Auditorum Cameræ, ubi expediuntur litteræ monitoriæ, ut perſonaliter compareant hi, qui ità conueniunt, ac conſentiunt, & contra illos pronuntiantur ſententiæ condemnatoriæ, latâ etiam excommunicatione. Idem etiam conſtat ex pluribus deciſionibus S. R. R. in quibus omninò prohibentur, & damnantur tales recurſus, & hi, qui recurrunt, declarantur excommunicati, ut in pluribus relatis per me, *de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg 79. n. 4. & apud* Farin. *p. 4. conſt. 68. & deciſ. 218. n. 3. in princ. coll.* Ratio autem, quare Summus Pontifex conſcius huiuſmodi conſuetudinis, in aliquibus partibus eam uti prauam, & cōtra ius diuinum, libertatem Eccleſiaſticam, & Sanctorum Patrum Canonica inſtituta in totum non tollit, ſed potiùs inuoluntariè tolerat, illa ſolùm eſt ad euitandum ſcandalum, & maius malum, quo etiam caſu ipſius Summi Pontificis ſcientia non excuſat.] Idem habet Azor. Duard. Arau. *loc. cit.* videantur dicta *punct. præced. n. 74.*

*Probatur ratione concluſio.* 91. Secundò probatur concluſio, quia huiuſmodi conſuetudo iudicandi per viam violentiæ de cauſis Eccleſiaſticorum, cauſas ad ſe aduocando, acta inſpiciendo, prohibendo executionem ſub prætextu appellationis negatæ, & alia exercendo, quæ paſſim ſub prætextu violentiæ à Magiſtratibus ciuilibus practicantur, eſt contra immunitatem Eccleſiaſticam. Quod ſic oſtendimus: nam in *cap. qualiter, & quando, de iudic.* Innocent. III. omninò prohibuit, Clericos ad iudicium ſeculare trahi, etiamſi contingat, Epiſcopum negligenter ſe habere in expediendis cauſis Eccleſiaſticis. Similiter in alijs Canonibus prohibetur ſæculares de rebus Eccleſiaſticis iudicare, Clericos ad ſua Tribunalia afferre; ſed totum hoc per ſimilem praxim violatur, & oppoſitum exercetur, quandoquidem ſub prætextu violentiæ laici Eccleſiaſticas cauſas ad Tribunalia Regia deferunt, ut ibi examinentur, & iudicentur, an iudex Eccleſiaſticus vim inſerat? Acta cauſæ ad ſe afferre præcipiunt, & iuridicè examinant, an appellatio fuerit, necnè iuſtè negata, an cenſura malè impoſita, præcipiunt iudici Eccleſiaſtico, ut excommunicatum abſoluat, omniaque retractet, & reponat in eum ſtatum, in quo erant tempore appellationis, & ſententiæ: Ergò iudices ſeculares ſunt, qui iuriſdictionem circa talem cauſã exercent, ſunt iudices, & Superiores, & Eccleſiaſtici merè executores ſuorum mandatorum, quod eſt euidenter contra immunitatem Eccleſiaſticam.

92. Sed harum actionum abſurditas, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ violatio explicatur hoc exemplo, allato à Suarez, *n. 35.* his verbis: [Nam ſi laicus de ſuo iudice ſæculari conqueratur, quòd illi inferat vim, negando appellationem, vel quid ſimile, non patienter feret iudex ſæcularis, ut Eccleſiaſticus ſe intromittat, & authoritatem ſuam interponat, acta cauſæ poſtulando ſub præcepto, vel cenſurâ ad examinandum, vel iudicandum, an iudex ſæcularis vim faciat, necnè, nec ſæculares iudices illam vocabunt defenſionem in iudice Eccleſiaſtico, ſed ſuæ iuriſdictionis uſurpationem: Ergò eodem iure iudices ſæculares reſpectu Eccleſiaſticorum cenſeri debent, vel certè maiori, quia maiorem poteſtatem habet Eccleſiaſticus iudex ſupra laicum, quàm è contrario.] *Exemplo manifeſto explicatur.*

93. Tertiò, quia tribus titulis dumtaxat poſſet talis conſuetudo honeſtari: Primus, ratione conſuetudinis immemorabilis. Secundus, ex iure naturali iuſtæ defenſionis, quâ *vim vi repellere licèt.* Tertius eſt priuilegium aliquod à Summo Pontifice ad hoc Principi conceſſum; ſed ex nullo ex his titulis poteſt honeſtari, illicita ergo eſt, & reprobanda. Probatur minor quoad primam partem; tum, quia omnis conſuetudo contra immunitatem Eccleſiaſticam reprobatur *in cap. nouerint, de ſentent. excommunic. & in Authentic. de Sacroſanct. Eccleſ.* & hæc conſuetudo, de quâ loquimur in ſpecie reprobatur in *Bull. Cœnæ*, quotannis promulgata, ut docent Duardus, Bonac. Azor. & alij ſupr. *citat.* & probat Dian. *reſ.* 4. tum etiam, quia conſuetudo, aut præſcriptio ſolùm poteſt habere vim priuilegij, aut conferre poteſtatem capacibus illius; at ubi adeſt incapacitas ex parte illâ utentis, nec habet vim priuilegij, nec tribuit illi poteſtatem Couaru. *lib. 1. variar. cap. 17. n. 6.* Menoch. *lib. 2. illuſt. c. 89.* ſed in laicis eſt incapacitas iuriſdictionis erga Clericos, cùm hæc ſolùm ex iure diuino ad Eccleſiaſticos ſpectet iuxta aliquorum probabiliſſimam ſententiam, & in omnium ſententiâ circa cauſas Eccleſiaſticas: quare de hâc conſuetudine ita loquitur Duard. *n. 8.* [ Ad vltimum argumentum fundatum in communi ferè Chriſtianorum Principum uſu, ac conſuetudine reſpondetur, quòd hanc conſuetudinem iura corrupte- *Tertia concluſionis probatio.*

lam appellant, non enim per præſcriptionem temporis quantumuis immemorabilis introduci poteſt, ut laicus Clericis ius dicat, & in cauſis ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis ſe intromittat, quoniam immemorabilis temporis præſcriptio dat ius capacibus, non autem incapacibus, prout ſunt laici iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ut ſup. diximus, & docet Azor. *lib. 5. inſt. mor. c. 14. q. 6.* in fine ] Hactenùs ille. Videantur quæ diximus *punct. prec. n. 73.*

94. Nec ſecundus titulus tali conſuetudine ſuffragatur, nam ut defenſio illa ſit boneſta, & vim vi repellere liceat, duæ conditiones apud omnes debent reperiri. Prima, ut iniuſtitia, vis & violentia ſit certa, & manifeſta, maximè in noſtro caſu, in quo agitur de contentione ſubditi cum Superiore, pro quo ſemper in dubijs eſt præſumptio, nec debet ſpoliari iure ſuo, quod habet ad procedendum contrà inferiorem, niſi quandò iniuſtitia, & vis eſſet manifeſta. Secunda, ut ſit talis defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ; ſed nulla ex his conditionibus obſeruatur in caſu, de quo agimus. Non prima, quia de hoc eſt querela, de hoc iudicium, de hoc examen, an inferatur ab inferiori iniuſtitia, necnè? An violenter deneget Superior appellationem, & ad executionem procedat, an iuſtè excommunicet? Ergò non eſt certa, ſed valdè dubia iniuſtitia, & violentia: Si autem certiſſima eſſet, poſſet in tali caſu, ſi aliundè non poſſet repelli, iuſtitia regalis circa hoc ſe intromittere.

95. Nec etiam adeſt ſecunda conditio, quia tunc iuſtè poſſet Magiſtratus defendere innocentem vim patientem à iudice Eccleſiaſtico, quandò vel non adeſſet alius iudex Superior Eccleſiaſticus, à quo poſſet defendi, vel illum innocens non poſſet, niſi difficulter valdè adire, vel ipſe negligeret, vel omitteret illius defenſionem iuxta dicta *n. 76.* Si autem adeſt Superior Eccleſiaſticus, qui poteſt violentiam repellere, ad quem poteſt inferior commodè accedere, ſi iniuſtè laicus talem iuriſdictionem ſibi uſurpat, non inculpatè agit ad inſontis defenſionem, ſed potiùs culpatè, cum velit cauſas Eccleſiaſticas ad ſe auocare, contrà Clericos ius dicere, quod Canones, & Concilia prohibent.

96. Nec etiam ex tertio titulo, nimirùm ex priuilegio, poteſt talis conſuetudo honeſtari, tum quia, ut plures, & grauiſſimi Doctores aſſerunt, tale priuilegium, ſi eſt apud aliquem Principem, eſt per *Bullam Cœn. Can. 14.* reuocatum. Ita Sayr. *de conſcient. lib. 3. c. 25. n. 10.* Duard. *lib. 3. §. 1. quæſt. 1. n. 1.* Mainard. *de priuil. Eccleſ. part. 2. art. 18. n. 10.* Malder. *in 1. 2. quæſt. 96. art. 4. fol. 407. col. 1.* & alij, quamuis Filuc. *n. 258* dicat, per reuocationem generalem Bullæ Cœnæ omnium priuilegiorum, non fuiſſe derogatum ſpeciali priuilegio, quod piè credit Regibus Hiſpaniæ, & Galliæ circa hoc fuiſſe conceſſum, quod docuit Bañez, cuius verba adduximus, *n. 83. & Suar. n. 29.* Solùm hâc viâ poſſe defendi oppoſita ſententia teſtatur, aſſerendo ſcilicet eſſe priuilegium à Summo Pontifice ad ea, quæ paſſim in Tribunalibus Regum adeò Catholicorum circa hoc aguntur.

97. Sed audiamus Azorium, ita de tali priuilegio loquentem: [ Certè habeant necnè priuilegium Romani Pontificis quæſtio eſt facti, non iuris. Qui tale priuilegium ſe habere teſtatur, eius intereſt id oſtendere, cùm oportet. Videat itidem, num priuilegium perſonale ſit? Quod iam perſona finitur, & definit. Videat, num ſit priuilegium ad tempus conceſſum? Quod lapſu temporis extinguitur. Videat, an ſit priuilegium ad certas Clericorum cauſas cognoſcendas, an his, vel illis conditionibus ſit affectum, ita ut ſine illis vim, & locum non habeat. Videat, ſi tale priuilegium Romani Pontificis authoritate abrogatum, &c. Et certè meo iudicio ſi tale priuilegium datum fuiſſet in tot, tantiſque cauſis, & controuerſijs, quæ frequenter ortæ, tractatæ, aptatæque ſunt propter eos, qui ab Eccleſiaſticis iudicibus ad ciuiles Magiſtratus prouocant, confugiunt, recurruntue, exhibitum aliquandò, & productum fuiſſet, vel à iudicibus ciuilibus profanis, vel ſaltem ab ipſis Clericis, ut ſe penitùs ab omni culpâ excuſarent, &c. At nunquàm tale priuilegium in iudicio citatum apparet. ] Hucuſque ille.

98. Ex his patet ſolutio ad primum, & tertium argumentum. Ad ſecundum, quod ex conuenientiâ facti procedit, dicimus non eſſe cur potiùs iudicetur à Magiſtratibus ſæcularibus, quàm ab Eccleſiaſticis iuſtitiam adminiſtrari; & cùm ex violentiâ Epiſcopi ad Archiepiſcopum, ad Primatem, ad Nuntium, ad Summum Pontificem detur recurſus? Cur cenſendum eſt à tot grauiſſimis viris non eſſe conuenientiùs cauſas examinare, quæ ad ſuam iuriſdictionem ſpectant, quàm à ſæcularibus iudicibus, etſi aliàs doctiſſimis, & pijſſimis: [Quod ſi iudices Eccleſiaſtici ( ait optimè Duardus *in Bull. Cœn. Can. 14. quæſt. 10. ad 1.*) abutuntur eorum poteſtate, & innocentes opprimunt, in Prouincijs, & Regnis ſunt Archiepiſcopi, Primates, Legati, & Nuntij Apoſtolici, ad quos violentiam paſſi, atque indebitè vexari recurſum habere poſſunt, quapropter non conſtat de utilitate, quæ ex recurſu ad ſæculares iudices Reipublicæ conſequi poſſit. Cùm Epiſcopus iniquè aliquem oppreſſerit, non eſt ratio, cur magis Reipublicæ interſit, ut cauſa ad ſæcularem iudicem deferatur, & non ad Archiepiſcopum, non ad Primatem, non ad Legatum, non ad Nuntium Apoſtolicum, ad quos de iure pertinet determinatio cauſarum ſpiritualium, & Eccleſiaſticarum. Quænam ratio ſuadet, ut ſi Epiſcopus iuſtam appellationem non admittit, Regius Magiſtratus præcipiat, ut admittat? Cùm ipſe ſit Eccleſiaſticis poteſtatibus inferior? Cur Canones, & iura non ſeruantur? (ait Azorius) Cur negliguntur? Cur violantur?] Hucuſque doctiſſimus vir Leonardus Duardus.

¶ Ad quartum, quod ex pluribus textibus conſtat, præter dicta videantur Duardus, *loc. citat.* Azor. Barboſ. Diana, Araujo, Filuc. Suarez, Sayrus, *loc. cit.* qui illos explicant, & probant, non loqui de noſtro caſu, eſto non eſſent reuocati, ut diximus *num. 89. & 96.* ad illum textum ex *leg. Recopilat.* benè reſpondet Araujo pijſſimum Legiſlatorem, enixum conſuetudini immemorabili ſui Regni, & opinioni probabili plurimorum virorum tale mandatum protuliſſe.

# TRACTATVS NONVS
# DE SACRAMENTO
# MATRIMONII.

## PROOEMIVM.

QVamuis Matrimonium abſolutè ſumptum, omnia Sacramenta tempore inſtitutionis præcedat, utpotè quod ab exordio mundi inter Adam, & Euam fuit celebratum, communiter ab Authoribus poſt cætera alia Sacramenta declaratur. Et priùs de illis Sacramentis agunt, quę ad bonum ſingularium perſonarum ordinantur, deinde de Ordine, qui ad utilitatem Eccleſiæ communem, poſtmodùm de Matrimonio, quod cum Ordine in eo conuenit, quòd eſt bonum generis reſpicere; cedit tamen ipſi excellentiâ, & nobilitate, & ideò poſt ipſum meritò venit declarandum. Varijs nominibus Matrimonium nuncupatur, præcipnè tribus: dicitur enim *Coniugium*, quia ſub vno iugo maſculum, & ſæminam coniungat: *Nuptiæ* dicitur à nubendo, quod eſt tegere, ſeu occultare, quia ſicut nubibus cœlum obtegitur, ſic virgo in Matrimonio velamine olim operiebatur. Ac denique dicitur *Matrimonium* à matre, eò quòd fœmina eò Matrimonium ducat, ut mater efficiatur: & quia ipſa plus quàm vir in educatione, & procreatione filiorum elaborat, à matre potiùs, quàm à patre nomen ſortitur. Sicut è contra *Patrimonium* à patre dicitur, qui plus in eius augmento, & conſeruatione deſudat. Tractatum iſtum hoc ordine percurremus, ut priùs à Sponſalibus, quæ ſunt quaſi præambula ad ipſum, deinde de eſſentiâ, materiâ, ſormâ, & proprietatibus Matrimonij, poſtmodùm de impedimentis, vel dirimentibus, vel impedientibus dumtaxat agemus, ac denique de ijs, quæ pertinent ad uſum illius, & quæ ad Matrimonium conſequuntur. Quæ omnia in plura capita diuidentur, ne idem cum faſtidio longiùs protendatur.

### CAPVT I.

### *De naturâ, & eſſentiâ Sponſalium.*


*Caput hoc continet octo puncta.*

*Punct. I. De nomine, & definitione Sponſalium, n.1.*

*Punct. II. Vtrùm promiſſio Sponſalium debeat eſſe mutua, & acceptata, num. 13.*

*Punct. III. Quæ intentio requiratur in promittentibus ad conſtituenda Sponſalia? num. 23.*

*Punct. IV. Quæ expreſſio per verba, & ſigna? n.41.*

*Punct. V. Vtrùm promiſſio Sponſalium debeat eſſe deliberata, libera, & publica? num. 57.*

*Punct. VI. Quæ qualitates debeant reperiri in promittentibus Sponſalia? num. 70.*

*Punct. VII. Quam obligationem inducant Sponſalia? num. 83.*

*Punct. VIII. Vtrùm poſſit in Sponſalibus imponi obligatio ad pœnam? num. 56.*


### PVNCTVM I.

### *De nomine, & definitione Sponſalium.*

*Quot nominibus ſponſalia dicantur,*

1. SPonſalium vox multifariam accipitur. Primò enim nomine Sponſalium munera ipſa Sponſalitia dicuntur iuxta illud 1. Reg. 18. *Non habet Rex Sponſalia neceſſè.* Secundò, accipitur pro ipſo Matrimonio contracto de præſenti; ſed nondum conſummato, & ideò Sponſæ nomine ipſa mulier nupta, quæ iam matrimonium contraxit; ſed nondum eſt à viro cognita; appellatur. Quâ ratione Beatiſſima Virgo Sponſa Beati Ioſeph Matthæi 1. dicitur, cum quo iam de præſenti coniugium celebrauerat. Sed propriùs, & communiùs pro Matrimonin futuro *Sponſalia* ſumuntur, & *Sponſus, ac Sponſa* dicuntur, qui ſibi inuicem Matrimonium contrahendum promiſerunt, & ſic D. Bernard. *tom. 2. ſerm. de Virginib.* inquit: *Sponſæ, vel Sponſi nomen ab eo, quod eſt ſpondere Grammatici deriuant. Dicuntur autem Sponſus, & Sponſa, quia ſe ſibi alterutrum ſpondent, ut nec ille, nec illa alteri nubat*, & ſic nomen *Sponſi, & Sponſæ* communiter in hoc ſenſu accipitur, ſicut nomẽ *Coniugis, uxoris*, aut *Mariti* pro ijs, qui Matrimonium contraxerunt, & conſummarunt, uſurpatur: quamuis aliquando etiam pro nuptis de præſenti, non conſummato Matrimonio, accipiatur, & ideò Matthæi 1. de Beatiſ. Virgine dicitur: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.*

2. Varias Sponſalium definitiones in diuerſis Authoribus reperies, illam tamen præ omnibus eligimus, quam tradit Valent. *diſ.* 10. *quæſt.* 2. *punct.* 1. Baſil. Ponc. *de Matr. lib.* 12. *c.* 1. *num.* 4. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 2. *Sponſalia ſunt mutua promiſſio futuri Matrimonij ſigno aliquo ſenſibili expreſſa.* In quâ omnia, quæ ab alijs inuolura traduntur, explicantur. Dicuntur autem *promiſſio*, quia ſimplex intentio, propoſitum, aut deſiderium, etiam exteriùs *Definitio ſponſalium.*

expli-

explicatum, non ſufficit ad contrahenda Sponſalia. Similiter debet eſſe *mutua*, quæ à Iureconſultis dicitur *repromiſſio*, ſi enim vnus promittat, altero expreſſè, vel tacitè non repromittente, non celebrantur *Sponſalia*, (quidquid ſit an promittens teneatur ſtare promiſſis, de quo infrà) Contractus enim ſponſalium perfectus eſt, & non debet claudicare, proptereaque *Sponſalia* in plurali dicuntur, vt oſtendatur, talem contractum, promiſſionem mutuam vtriuſque contrahentis, debere includere. Dicitur *futuri Matrimonij*, in quo à contractu ipſo Matrimoniali diſcernitur. Ac denique debet exteriùs innoteſcere, vt à contrahentibus acceptetur, quod per vltima verba explicatur, quas conditiones ſequentibus punctis proſequemur.

3. Nunc in iſto duas quæſtiunculas libuit examinare. Prima: An ratione Sponſalium tale ius acquirant ad inuicem Sponſi, quòd ſi Sponſus cum aliena, vel Sponſa cum alieno commiſceatur, talis copula ſit adulterina, filijque procreati adulterini, vel ſaltem ſpurij dicantur? Secunda: An dicta copula includat, præter malitiam fornicationis, aliam neceſſariò in confeſſione aperiendam, aſto talis congreſſus non ſit adulterium?

*Non eſt adulterium ſponſum cum alia fornicari.*

4. Et circa primam quæſtionem reſpondendum eſt cum communi Doctorum ſententiâ, huiuſmodi copulam non eſſe adulterinam, ſaltem in foro conſcientiæ, (quidquid ſit de foro exteriori, de quo videatur Baſil. Ponc. *cap. 6. num. 6*) & ratio eſt, quia, vt inquit D. Thom. 2. 2. q. 154. *art. 8. Adulterium eſt alieni tori violatio.* Sed quandò quis accedit ad Sponſam de futuro non datur violatio alieni tori, eò quòd Sponſus nondum fruitur toro Sponſæ: Ergo non eſt adulterium. Ita tenent Baſil. *n.* 8. Enriq. *lib.* 11. *c.* 14. *n.* 4. Filliuc. *tract.* 10. *c.* 7. *n.* 233. Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 1. *dub.* 46. *n.* 661. Ledeſ. *in addit. ad 3. p. q. 43. art. 1. dub. vlt.* Sanchez, *de Matrim. lib. 1. diſp. 2. num. 2.*

5. Atque hinc deducitur, filios ex tali copulâ procreatos non eſſe adulterinos, imò neque ſpurios, ſed naturales, illegitimos tamen, eo modo, quo filij procreati ab habente votum ſimplex caſtitatis non ſunt ſpurij, ſed naturales. Illi namque dicuntur ſpurij, qui ab habentibus impedimentum aliquod dirimens Matrimonium præcisè generantur. Ita Dicaſt. *n.* 667. Coninch. *diſp.* 22. *dub.* 1. *n.* 7. Sanch. *n.* 8. & N. Ant. *ſect.* 1.

*Obiectio.*

6. Nec valet, ſi contra nos obijcias, quod *leg.* 11. *Tauri. hodiè leg. 9. tit. 8. lib. 5. Recop.* dicitur: *Ordenamos, que entonces ſe digan ſer los hijos naturales, quando al tiempo que nacieron, ò fueron concebidos, ſus padres podian caſar con ſus madres juſtamente ſin diſpenſacion*, ſed in præſenti non ita accidit: Ergo filij non ſunt dicendi naturales, ſed ſpurij. ¶ Reſpondetur, quòd in hac lege *iuſtè* pro *validè* ſumitur, vt docet Enriq. *lib.* 11. *de Mat. c.* 20. *n.* 3. & ſolùm excludit à ratione filij naturalis illum, qui fuit conceptus à parentibus, qui abſque diſpenſatione non poterant validè Matrimonium contrahere, aliàs etiam filij procreati ab habentibus votum ſimplex caſtitatis ſpurij dicerentur, quod omnes negant. Et hoc explicatur ex *c. Porrò, de Diuortijs* in fin. vbi dicitur, pertinere ad Epiſcopum ea matrimonia diſſoluere, quæ illicitè contrahuntur, vbi omnes pro *illicitè*, *inualidè* intelligunt, aliàs ſi validè contracta fuerint, tametſi illicitè ab Epiſcopo non poſſent diſſolui.

7. Circa quæſtionem ſecundam eſt triplex ſententia, & quælibet ſatis probabilis, vt docet Lugo, *de Pænit. diſ.* 16. *ſect.* 4. *n.* 178. Prima aſſerit, fornicationem habitam cum ſponſâ de futuro, aut cum ſponſo non inducere nouam circumſtantiam ſpecificè diuerſam, ſed ſolùm aggrauare malitiam ſimplicis fornicationis, proindeque neque ſponſam, quæ in tali peccato labitur, neque ſponſum cum aliena fornicantem debere hanc circumſtantiam in confeſſione detegere. Ita Couarr. 4. *Decretal.* 1. *part. c.* 1. *n.* 13. Viuald. *de ſponſal. c.* 1. *n.* 10. Trull. *lib.* 6. *c.* 1. *dub.* 1. *num.* 8. Ponc. *cap.* 6. *n.* 8. Dian. 1. *part. tract.* 7. *reſol.* 5. & 3. *part. tract.* 4. *reſolut.* 67. & probabilem vocat Laym. *li.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *c.* 1. *n.* 6. Ledeſ. & Sanch. infr. cit. N. Franc. B. Spei *diſp.* 1. *dub.* 3.

*Non eſſe circumſtantiam in confeſſione aperiendã, docent aliqui.*

8. Et ratio eſt: Primò, quia per contractum ſponſalium non acquiſiuit ſponſus aliquod ius in corpus ſponſæ, nec ſe obligauit ſponſa ad non commiſcendum cum alio, ſed tantùm ad non contrahendum Matrimonium, niſi cum illo: Ergo per hoc, quod cum altero fornicetur, non facit illi iniuriam, & conſequenter huiuſmodi actus non ſubit malitiam iniuſtitiæ in confeſſione aperiendam. Secundò, quia ſponſalia comparantur ad Matrimonium, ſicut votum Religionis ad profeſſionem Religioſam, quia ſicut per Matrimonium datur traditio corporum, & per ſponſalia promiſſio huiuſmodi traditionis, ita per profeſſionem datur traditio profitentis Religioni, & per votum obligatio ad talem traditionem; ſed per hoc, quod quis habeat votum Religionis, non acquiſiuit Religio aliquod ius in illo: & ideò ſi antequam profeſſionem emittat, contra paupertatem, aut caſtitatem delinqueret, non committeret malitiam, quę eſt contra profeſſionem Religioſam, nec Religioni aliquam iniuriam irrogaret: Ergo ſimiliter in noſtro caſu.

*Ex parte ſponſæ induere nouã ſpeciem fornicationem, non ex parte ſponſi, aliqui itã dicunt.*

9 Secunda ſententia aſſerit, quòd ſi res habeatur cum ſponsâ de futuro, induit nouam circumſtantiam in confeſſione aperiendam, ſecùs tamen ex parte ſponſi, ſi cum aliena rem habuerit. Ita Filliuc. *n.* 233. Bonacin. *quæſt.* 1. *punct.* 10. *n.* 12. Sanchez, *n.* 6. Rodrig. *in ſumm. tom.* 1. *c.* 53. *n.* 3. Fagunc. *de Præcept. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 21. Villaloh. *tom.* 1. *tract.* 9. *dub.* 36. *n.* 17. & ratio illorum eſt, quia ex vnâ parte frangitur fides Sponſalium, & fit iniuria Sponſo, qui, licèt non habeat ius in re, habet tamen ius ad rem, & hæc iniuria, quando ipſa Sponſa rem habet cum alio, eſt grauiſſima reſpectu Sponſi, qui cogeretur, vel Sponſalia deſerere, vel cum fornicaria nubere. Hoc autem ceſſat ex parte Sponſi, cuius infidelitas in hac parte iniuria leuis reſpectu Sponſæ iudicatur prudentum arbitrio, & ſic non excedit limites peccati venialis.

*Obiectio contra illos.*

10. Et ſi contra illos obijcias, quòd ſi ita res ſe habet, quod leuis dumtaxat iniuria fit Sponſæ per fornicationem Sponſi cum alia, idem dicendum eſſet poſt contractum matrimonium, quia neque tunc cenſetur apud homines iniuria grauis reſpectu vxoris, benè tamen, ſi ipſa adulteraretur, iniuriam faceret grauiſſimam marito. ¶ Nam ad hoc rectè reſpondet Sanchez, *loc. cit. num* 9. quod tunc vtriuſque adulterium, quia opponitur bono fidei Sacramenti Matrimonij, induit circumſtantiam in confeſſione aperiendam, quę non ceſſaret, quamuis viro conſentiente uxor rem haberet cum alio. Inter Sponſos autem non ita, nam ſi Sponſa, conſentiente Sponſo, cum alio commiſceretur, ſolùm haberet tale peccatum malitiam incontinentiæ.

*Reſponſio Sanchez.*

11. Ve

*Vtrumque in iuſtitiam committere verior ſententia aſſerit.*

11. Verior tamen, & probabilior eſt tertia ſententia aſſerens, quòd peccatum fornicationis ex parte vtriuſque in tali caſu induceret malitiam ſpecificè diuerſam in confeſſione aperiendam. Ita Dicaſt. *num.* 663. Ledeſm. *art.* 1. *dub. vlt.* Coninch. *dub.* 1. *num.* 6. Rebell. *lib.* 4. *de Sponſal. q.* 8. *ſect.* 2. *n.* 9. Gutierr. *cap.* 1. *num.* 20. Syluius, 3. *p. q.* 43. *art.* 1. Gonet. *diſp.* 3. *art.* 3. N. Ant. *loc. cit.* & ratio eſt, quia ex parte vtriuſque frangitur fides Sponſalium, & iniuria adinuicem irrogatur, eò quòd vterque ex vi contractus Sponſalium acquiſiuit ius ad corpus alterius, quamuis non in corpore, id eſt ad rem, non in re. Quòd autem talis iniuria grauis reputetur, etiam cùm Sponſus cum alterà fornicatur, conſtat: tum, quia hæc eſt ſufficiens cauſa ad diſſoluenda Sponſalia, vt infrà dicemus, quæ non niſi ex graui cauſâ diſſolui poſſunt: tum etiam, quia ex eâ acciperet Sponſa ſuſpicionem, ſe minùs à Sponſo præ altera amari, minuſque amandam poſt initum Matrimonium: tum denique, quia eſt periculum, ne naſcatur proles ſumptibus communibus poſteà alenda. Vnde aperienda eſt in confeſſione hæc circumſtantia, tam à Sponſo, quam à fœmina, quæ cum illo rem habuit.

*Solutio argumenti.*

12. Et ex his patet ſolutio ad ea, quæ pro vtraque ſententia adducuntur. Solum reſtat ad ſecundum reſpondere, quod pro primâ ſententiâ allatum eſt, deductum ex paritate habentis votum ingrediendi Religionem, &c. Dicimus eſſe diuerſam rationem, quia cum votum illud ſolùm ſit promiſſio Deo facta, nullum acquiſiuit ius Religio neque ad vouentem, neque in vouente, & ideò nulla illi fit iniuria per hoc, quod contra profeſſionem religioſam operetur; at in noſtro caſu promiſſio fit alteri, à quo acceptata eſt, & per illam acquiſiuit ius iam explicatum ad corpus alterius, proindeque iniuriam accipit ſi alteri illud tradat.

## PVNCTVM II.

### *Vtrùm promiſſio Sponſalium debeat eſſe mutua, & acceptata?*

*Promiſſio debet eſſe mutua.*

13. AD contrahenda vera Sponſalia non ſufficit quæcumque promiſſio de futuro Matrimonio; ſed hæc promiſſio debet eſſe mutuà ex parte vtriuſque contrahentis, quod colligitur ex *leg.* 1. *ff. de Sponſal.* vbi promiſſio Sponſalitia dicitur repromiſſio, id eſt vtriuſque promiſſio, & in hoc omnes Doctores conſentiunt, & ratio eſt, quia Sponſalia faciunt contractum perfectum de traditione corporum futurâ, ſicut Matrimonium eſt traditio ipſorum corporum de præſenti; ſed Matrimonium eſt contractus perfectus, qui non claudicat, & ſic vtriuſque contrahentis conſenſum exigit: Ergo ſimiliter Sponſalia non debent claudicare, ſed ex parte vtriuſque ſpondentis promiſſionem includere.

*Ante acceptationem non obligat.*

14. Promiſſio autem Sponſalitia debet eſſe ab aliâ parte acceptata, vt obligationem pariat, & ideò vſque dum acceptetur, non obligat promittentem, poteſtque proinde pro libito ſuo à promiſſione recedere, & à Sponſalibus reſilire. Ita Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. *num.* 34. Caſtro, Palao, *diſp.* 1. *punct.* 3. *num.* 2. Baſil. *lib.* 12. *cap.* 4. *num.* 4. Dicaſt. *diſp.* 1. *dub.* 2. *num.* 22. Ratio eſt, quia nulla promiſſio regulariter obligat ante acceptationem vel promiſſarij, vel alterius illius vices gerentis, hanc enim conditionem implicitam habet quælibet promiſſio, nimirùm ſi à promiſſario acceptetur: Ergo promiſſio Matrimonij non obligat ante acceptationem alterius partis. Quod etiam de promiſſione Matrimonij facta infanti docent, præter dictos, Trullenq. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 3. Auerſa, *quæſt.* 8. *ſect.* 1. Imò etiam ſi talis promiſſio iuramento firmetur, nihilominùs non obligat ante acceptationem, & ideò ante illam poteſt ſine peccato promiſſor recedere. Ita hi Authores cum Sanch. *diſp.* 6. *num.* 24. & 25. Gutierr. *de Matr. c.* 6. *n.* 16. Quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, ſed in hoc caſu iuramentum eſt acceſſorium promiſſioni: Ergo ſi promiſſio ante acceptationem non obligat, etiamſi iuramento firmetur, non obligabit.

15. Sed nunc difficultas eſt. An hoc ipſo, quod aliquis acceptet, intelligatur repromittere? v. g. Titius promiſit Bertæ eam in vxorem admittere, illa abſque reciprocâ promiſſione dixit: *Admitto, vel placet, vel gratias tibi ago*, &c. Quæritur, an in hoc caſu ſint ex parte vtriuſque valida Sponſalia, & vterque maneat obligatus ad Matrimonium contrahendum?

*Promiſſionem acceptare ſufficere ad repromiſſionem, ſunt qui aſſerant.*

16. In hâc quæſtione eſt duplex ſententia, & vtraque probabilis, & in praxi tuta, vt inquit Diana, 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 244. Prima aſſerit, quod ſtare non poteſt acceptatio ex parte fœminæ, quin expreſſè, vel implicitè detur repromiſſio illius ad virum, & quod hoc ipſo, quòd Matrimonium promittatur ab vno, & ab alio acceptetur, in quâ acceptatione virtualis repromiſſio includitur, Sponſalia perfecta contrahuntur. Ita Vazq. *in* 3. *p. tom.* 4. *diſp* 4. *à cap.* 1. Baſil. *l.* 4. Palud. *in* 4. *diſp.* 27. *q.* 1. Leand. *tract.* 9. *diſ.* 1. *q.* 8. Enriq. *lib.* 11. *c.* 13. N. Gab. à S. Vinc. *diſp.* 4. *qu.* 3. Ratio illorum eſt, quia ſicut Matrimonium claudicare non poteſt, ſed debet eſſe validum ex vtraque parte, vel ex nullâ; ita & Sponſalia, ſed ſi in Matrimonio aliquis diceret: *Accipio te in meam vxorem*, illa reſpondente: *Placet, vel admitto*, Matrimonium eſſet validum, & ex parte vtriuſque obligaret, vt docent Canoniſtæ *in cap. ſi inter de Sponſalib.* Ergo ſimiliter ſi aliquis diceret: *Accipiam te in vxorem*, per promiſſionem de futuro, & illa reſponderet: *Placet*, erunt vera Sponſalia, & talis acceptatio eſſet verè repromiſſio.

17. Ex quo deducunt hi Authores cum Molina, *tom.* 2. *de Iuſt. tract.* 2. *diſp.* 263. quòd non poteſt aliquis manere obligatus per promiſſionem Sponſalitiam, niſi alter reciprocè obligetur, eò quòd talis promiſſio non eſt gratuita, ſed reſpectiua, & oneroſa, *facio, vt facias*, nam contractus iſte eſt inſtar contractus cuiuſdam commutationis, & neceſſariò in ſe continet mutuam vtriuſque obligationem. Quare, ſicut in contractu venditionis, quo aliquis promittit ſe alicui vendere v. g. domum, promiſſarius acceptans promiſſionem, hoc ipſo repromittit emptionem, & ex parte vtriuſque mutua obligatio conſurgit, quia obligatio ad venditionem abſque obligatione emptionis ſtare non poteſt: Ita, quia traditio vnius in Matrimonium abſque alterius traditione non ſubſiſtit, non ſtat obligatio ex parte vnius ad illud contrahendum, niſi ex parte alterius ſimilis obligatio detur.

18. Secunda

*In promiſſione acceptata à parte repromiſſio non includitur.*

18. Secunda ſententia, quæ nobis magis arridet; inquit ſtare poſſe promiſſionem vnius de futuro Matrimonio cum acceptatione alterius, abſque eius repromiſſione tacita, vel expraſſa, neque in acceptatione fidei datæ per alterum includi repromiſſionem acceptantis. Ita Trullench. *lib. 6. cap. 1. dub. 2. num. 4.* Dicaſtill. *tract. 10. diſp. 4. dub. 5. n. 4* Palao, *num. 8.* Sanchez, *lib. 1. diſp. 5. num. 5.* Ledeſm, *3. p. q. 43. art. 1. diff. 1. ad 6.* Laym. *lib. 5. tract. 10. cap. 1. num. 2.* N. Ant. à Spir. Sancto, *sect. 3.* Francil. *num. 16.* Et ratio eſt, quia aliud eſt acceptare fidem alterius, eiuſque promiſſionem, aliud dare illi fidem. Stare autem poteſt, vt quis fidem alterius acceptet, vt maneat ſibi obligatus, quin ipſe illi fidem det, & ideò quin obligetur erga illum: ſicut aliud eſt ius ab altero ſibi oblatum accipere; aliud ius contra ſe illi præbere. Vnde poteſt quis velle, vt alter ſibi ad contrahendum maneat obligatus, quod fit per acceptationem, & ipſe nolit obligari, quouſque rem maturè conſideret, & ſibi vtilem, & commodam iudicauerit.

19. Ex quo ſequitur, quod ille, qui promittit, maneat obligatus ad contrahendum Matrimonium, immuni altero à tali obligatione permanente, quamuis talis promiſſio, & obligatio non ſit ſponſalitia, ſed orta ex ſimplici dumtaxat promiſſione, quia ad promiſſionem ſponſalitiam requiritur, quod ſit mutua, vt dictum eſt; in hoc tamen caſu ſolùm datur promiſſio ex parte vnius, & ideò ſolùm habet vim obligandi ſicut omnis alia promiſſio acceptata, de quâ ſtatim dicemus. Et eſt diſparitas inter iſtam obligationem, & illam, quæ oritur ex promiſſione ſponſalitia, quod hæc maior eſt, maiorem petit cauſam, vt diſſoluatur, inducitque impedimentum publicæ honeſtatis, quod ſecùs accidit in illa.

*Promiſſio non mutua in vi promiſſionis ſimplicis obligat.*

20. Quòd verò talis promiſſio obliget promittentem ſaltem in vi promiſſionis ſimplicis, quamuis promiſſarius acceptans non maneat obligatus, probatur, quia aliud eſt obligari ad Matrimonium contrahendum, aliud ipſum Matrimonium contrahere: ſicut aliud eſt obligari ad contractum onerosum, aliud ipſum contractum perficere: v. g. aliud eſt promittere venditionem domus, & obligari ad vendendam illam, aliud ipſam actualiter vendere, ſed poteſt quis obligari ad vendendam domum alteri, quin ipſe obligetur ad emendam eam, (quamuis non poſſit perficere cõtractum venditionis abſque emptione alterius) vt ſi quis promittat, & obligetur ad vendendam domum, ſi alter voluerit emere eam, iſte non tenetur ad emptionem, quamuis ille ad venditionem teneatur. Ita ſimiliter quamuis contractus Matrimonij claudicare non poſſit, & ideò non detur obligatio ex parte vnius contrahentis dumtaxat, poterit tamen promiſſio talis Matrimonij in vi promiſſionis ſimplicis claudicare, ita vt obliget vnum, & non alterum; non autem claudicare poteſt in vi promiſſionis ſponſalitiæ, quia ſponſalia inducunt contractum perfectum ex vtraque parte conſiſtentem, & obligationem mutuam generantem. Ex his patet ad omnia, quæ pro contraria ſententia adducuntur.

*Niſi quando ſub conditione repromiſſionis promittit.*

21. Et tamen, quæ modò dicta ſunt de obligatione ex parte promittentis, intelligenda ſunt de promiſſione ſpontanea, & gratioſa, quando nimirùm ipſe promittens intendit ſe obligare abſque onere repromiſſionis alterius, quod fieri poſſe conſtat ex dictis, maximè quando poſt acceptum Beneficium, in gratiarum actionem, ad tale Matrimonium vult obligari. Si tamen promiſſio ſit implicitè, vel explicitè ſub conditione repromiſſionis alterius, vt poſtquam actum eſt inter illos de Matrimonio contrahendo, promittit, vel non exprimit ſe velle gratioſè promittere, vel intendit promittere, ſicut ad ſponſalia requiritur, abſque repromiſſione alterius, & reciprocâ obligatione non manet obligatus. Si tamen dubitet, quâ intentione promiſſionem emiſit, cenſendum eſt eam emiſiſſe iuxta naturam Sponſalium, ac proinde cum onere repromiſſionis alterius, quâ non ſtante manet immunis. Ita Sanch. *num. 14.* Dicaſt. *dub. 4.* Coninch. *dub. 6.* Auerſ. *sect. 1.*

*Obligat promiſſio ſimplex ad mortale.*

22. Sed inquires, in caſu, quo maneat aliquis obligatus ex vi ſuæ promiſſionis ad contrahendum Matrimonium abſque repromiſſione alterius, an teneatur ſub mortali ſtare promiſſis? ¶ Reſpond. hoc eſſe commune ad omnem promiſſionem. Vnde ſicut in omni promiſſione, de re graui acceptata non poteſt quis recedere ſine peccato mortali, niſi noua cauſa, & notabilis mutatio interueniat, ſic in præſenti. Ita Becan. *cap. 44. q. 3. num. 5.* Trullench. *num. 5.* Dicaſt. Auerſ. & Sanch. *loc. cit.* Ledeſ. *vbi ſup. ad 6.* Sot. *in 4. diſt. 27. q. 2.* Sed hoc intelligendum eſt iuxta hos Authores, quando promittens ſcit per promiſſionem talem obligationem ſubire, & intendit ſe obligare, nam cùm promiſſio ſit quaſi lex priuata, quam ſibi promittens imponit, ſolùm obligat iuxta intentionem illius, quod de qualibet obligatione voluntaria aſſerendum eſt. [*Ex quo plurimæ promiſſiones excuſari poſſunt à mortali* (verba ſunt notanda Sanchez) *quia per eas non intendunt homines ſe obligare præcisè, ſed ex quadam beneuola honeſtate, vel ignorant tantam ex ſimplici promiſſione conſurgere obligationem, exiſtimantes ſolùm obligari ad ſuum tuendum honorem, vnde in prouerbium abijt verba vrbanitatis minimè obligare. Indicia verò, quibus diſcerni poteſt non habuiſſe animum ſe obligandi ſub mortali, ſunt duo. Primum, ſi requiſitus vt iuramento firmet, id recuſet non ob iuramenti reuerentiam, ſed ne teneatur ſub mortali. Secundum, ſi quando promittit rogaretur, an vellet ſe obligare ad mortale, reſponderet ſe nolle.*]. Hæc ille, quæ pro praxi ſunt notanda.

## PVNCTVM III.

### *Quæ intentio requiratur in promittentibus ad conſtituenda Sponſalia?*

*Peccabit mortaliter, qui ſine intentione ſponſalia celebrat.*

23. CErtum eſt apud omnes aliquam intentionem requiri in contrahentibus Sponſalia, vt talem contractum perficiant, nimirùm vel promittendi, vel adimplendi, vel ſaltem ſe obligandi, ſed quænam debeat eſſe talis intentio eſt inter illos diſſidium, quod maximè conſiſtit in eo, an promiſſio ficta ſine intentione ſe obligandi, ſufficiat ad ſponſalia contrahenda, in quo certum eſt peccare mortaliter vel qui promittit fœminæ Matrimonium animo non adimplendi, vel etiam animo non ſe obligandi, vt benè inquit Auerſ. *q. 8. sect. 2.* Sanch. *lib. 1. diſp. 9. n. 3.* Caiet. *verb. Sponſalia*, vel quia proximum decipit in re grauiſſimâ, vel quia in contractu vtrimque obligatorio lex iuſtitiæ præcipit, vt vterque verè contrahat, animumque habeat adimplendi, quod contraxit.

24. Diſſi-

24. Difficultas vero eſt: An qui fictè promiſit animo non ſe obligandi, teneatur ex iuſtitiâ ſtare promiſſis, ſiuè ex altera parte repromiſſionem accipiat, ſiuè non? Diximus *ex iuſtitiâ*, quidquid ſit de obligatione ex fidelitate, quia fidem dedit promittendo, quia cum obligatio orta ex fidelitate præcisè non ſit grauis, ſiuè teneatur, ſiuè non ex illa, numquam peccabit mortaliter, qui à promiſſione reſiliret.

*Multis modis ſe poteſt habere promittens.*

25. Sed pro intelligentia huius ſupponendum eſt fictè promittentem poſſe multifariam ſe habere. Primò, ſi animum promittendi non habeat, quamuis verbis exterioribus promittat, & hoc modo certum eſt non obligari ad promiſſionem adimplendam, quia verè non promiſit, ſed ioco, vel fallaciâ verba protulit. Secundò, ſi verè habuit animum promittendi, & ſe obligandi, non tamen adimplendi, & hoc modo certum eſt teneri adimplere promiſſum, quia obligatio hæc non prouenit ex intentione adimplendi, vel non adimplendi, ſed ex ipsâ naturâ promiſſionis, quâ ſtante, ſicut in dato caſu inuenitur, ſemper conſurgit obligatio, in quo omnes conueniunt. Tertiò, ſi aliquis ſciret, ex promiſſione obligationem oriri, non tamen recordaretur illius, neque ad illam attenderet, nihilominus teneretur ad promiſſum, quia qui ſcit, obligationem ex promiſſione oriri, & vult ipſam promiſſionem, virtualiter, & interpretatiuè cenſetur obligationem velle, quia qui vult antecedens, vult etiam conſequens. *leg. 1. §. 2. ff. ſi vſusfructus.*

*Ignorans ex promiſſione oriri obligationem non manet obligatus.*

26. Si autem aliquis ignoraret, ex promiſſione obligationem oriri, ſunt qui cenſeant nihilominus obligari, ſi verè intendit promittere, eo quod ex promiſſione liberè facta oritur obligatio tamquam effectus neceſſarius, ſicut illuminatio ex applicatione luminoſi. Sed certè non obligari, fere commune eſt apud omnes, & ratio eſt, quia non habet obligationem adimplendi, qui voluntatem promittendi non habet, ſed qui ignorat, obligationem ex promiſſione ſubſequi, non habet voluntatem verè promittendi, quia non habet cognitionem veræ promiſſionis, vera namque promiſſio ex naturâ ſuâ obligationem parit, & ideò impoſſibile eſt naturam promiſſionis cognoſcere, qui obligationem ex ea ortam ignorat, ſi autem ignorat promiſſionem, non vult illam, & conſequenter non obligabitur ex ea.

*Etiam obligari qui abſque animo ſe obligandi promiſit, ſunt, qui aſſerant.*

27. Sed difficultas maior eſt, quando aliquis ſciens obligationē ex promiſſione oriri, vult nihilominus promittere abſque animo ſe obligandi, an teneatur promiſſionem adimplere? In quo eſt duplex grauiſſima ſententia. Prima aſſerit impoſſibile eſſe aliquem ſcientem ex promiſſione obligationem oriri, velle ſe promittere, & nolle ſe obligare, ac proinde eum, qui voluit promittere, manere obligatum, etiam ſi animum non ſe obligandi habeat. Ita Ledeſ. *q. 43. art. 1. diff. 2.* Pone, *lib. 12. cap. 2.* Leſ. *de iuſt. cap. 4. dub. 1. num. 6.* Dicaſt. *tract. 10. diſp. 1. num. 72.* Sot. *lib. 7. de iuſt. q. 1. art. 2.* Aragon. *2. 2. q. 88. art. 1.* Et ratio illorum eſt, quia qui vult antecedens, vult conſequens. Sed ex promiſſione ſequitur neceſſariò obligatio, ſicut ex applicatione ignis ad ſtipulam combuſtio: Ergò ſicut non eſt in poteſtate applicantis ignem ad ſtipulam, quòd comburat, vel non comburat, ita non eſt in poteſtate promittentis, quòd obligetur, vel non obligetur, ſed neceſſariò obligabitur. Et hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

*Probabilius eſt oppoſitum.*

28. Probabilior, & verior eſt nihilominus ſecunda ſententia, quæ aſſerit, eum, qui fictè promiſit, & habuit animum promittendi, non tamen habuit animum ſe obligandi, non teneri ex iuſtitia ſtare promiſſis, etiamſi alter repromittat, vt contingit in ſponſalibus: Ac proinde non teneri contrahere Matrimonium (præciſo alio damno ſecuto, de quo ſtatim) eum, qui promiſit fœminæ Matrimonium, ſed poſſe ſeparari intentionem promittendi ab intentione ſe obligandi. Ita Dian. *tom. 3. tract. 4. reſol.* 205. Sanch. *lib. 1. diſp. 9. num. 5.* N. Cornejo *in 3. p. tract. 6. diſp. 2. dub. 5.* Villalob. *tom. 1. tract. 12. diffic. 2. num. 1.* Coninch. *diſp. 21. dub. 2. n. 7.* Bonac. *q. 1. punct. 5. n. 5.* Becan. *cap. 43. q. 2. n. 3.* Auerſ. *ſect. 3.* Palao, *diſp. 1. punct. 3.*

*Etiamſi promiſſio ſit iurata.*

29. Et hoc etiam eſſe verum, quandò talis promiſſio iuramento firmatur, docet Sanch. *ex multis, num. 9.* Becan. *n. 5.* Auerſ. & N. Cornejo, *loc. cit.* ſiuè quia iuramentum in tali caſu eſt acceſſorium promiſſioni, qua proinde corruente, corruit, ſiuè quia, vt docet D. Thom. *in 3. diſt. 39. q. 1. art. 3. q. 3. in corp.* iuramentum non obligat, quandò deficit animus ſe obligandi, etiamſi iurandi intentio perſiſtat, & in præſenti caſu ſupponimus, eum, qui promiſit, & promiſſionem iuramento firmauit, non habuiſſe intentionem ſe obligandi neque ex promiſſione, neque ex iuramento.

*Probatur 1.*

30. Aſſertum autem principale huius concluſionis probatur: Primò, quia conditio contraria ſubſtantiæ contractus inualidat ipſum contractum, qua ratione *in cap. fin. de condition. appoſit.* dicitur, quòd conditio contraria ſubſtantiæ Matrimonij ipſum annullat, licet ſit intentio contrahendi Matrimonium, ſed qui habet poſitiuam intentionem non ſe obligandi, ponit conditionem contrariam ſubſtantiæ promiſſionis, de cuius ratione eſt ipſa obligatio: Ergò ipſam promiſſionem annullat: Ergò non tenetur ratione illius.

*Probatur 2.*

31. Secundò, quia promiſſio eſt quaſi lex particularis, quam unuſquiſque ſibi imponit, ſed lex non obligat niſi iuxta intentionem Legiſlatoris, & ideò ſi Legiſlator vult, quod ſolùm obliget ad pœnam, ad illam ſolùm obligabit, ſi ad culpam, ad culpam: ſi grauiter, grauiter: ſi leuiter, leuiter: Ergò promiſſio ſolùm obligabit iuxta intentionem promittentis, quo proinde poſitiuè nolente ſe obligare ad iuſtitiam, à tali obligatione manebit immunis.

Ad argumentum contrariæ ſententię reſpondetur, verum eſſe obligationem ſequi ex promiſſione verâ, non autem ex fictâ, & doloſâ, qui autem abſque animo ſe obligandi promiſit, fraudulenter, & fictè promiſit, & ſic ex promiſſione obligationem non contraxit.

*An qui fictè promittens Matrimonium virginem deflorauit teneatur eam ducere?*

32. Hucuſque dicta intelligenda ſunt de obligatione orta ex vi præcisè promiſſionis fictæ independenter à damno ſecuto, ſed modò quæſtio eſt, an ſi ex tali promiſſione ſequeretur damnum promiſſario, vt ſi vir deciperet virginem ſub ſpecie promiſſionis fictæ, & eam defloraret promittendo Matrimonium, ſub cuius ſpe illa conſentit, an teneatur illam ducere; an verò ſatiſ-

faciat ſuæ obligationi, ſi damnum illatum virgini aliunde reſarciat?

*Negatiuè reſpondent aliqui.*

33. Circa quod eſt duplex ſententia: Prima aſſerit non teneri eam ducere, ſed ſatisfacere ſuæ obligationi, aut dotando eam, vel in totum, vel in partem, aut prouidendo illi de nuptijs competentibus D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *capit.* 3. Barthol. de Ledeſm. *de matrimon dub.* 19. Gabriel *in* 4 *diſtinct.* 27. *quæſt.* 1. *artic.* 2. & probabilem iudicat Dicaſtill. *tractat.* 10. *n.* 165. Et ratio illorum eſt, quia non tenetur ex vi promiſſionis, vt dictum eſt, ſed tantùm ex vi damni illati: Ergò ſi damnum illud poteſt aliundè reſarcire, non tenebitur ad contrahendum Matrimonium.

*Sententia D. Thomæ.*

34. Sed ad hanc quæſtionem ita reſpondet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* x. *ad* 4. *Ad quartum dicendum, quod in tali caſu ſponſus antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere vxorem, ſi ſint æquales conditionis, vel ſi ſponſa ſit melioris conditionis, ſed ſi aliam duxerit, iam factus eſt impotens ad ſoluendum illud, ad quod tenebatur, & ideò ſufficit, ſi ei de nuptijs prouiderit, & ad hoc etiam non tenetur, vt quidam dicunt, ſi ſponſus ſit multò melioris conditionis, aut aliquod ſignum euidens fraudis fuerit, quia præſumi probabiliter poteſt, quòd ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi ſe finxerit.* Ex quibus verbis duo habemus. Primùm, quòd in caſu, quo ſponſus ſit inferioris conditionis, vel æqualis cum ſponſa, tenetur eam ducere. Hanc ſententiam etiam docent Cornejo, *concl.* 3. Dicaſtill. *diſput.* 9. *n.* 156. Silueſt. *verb. Luxuria, concluſ.* 5. Sanch. *diſp.* 10. *num.* 3 Becan. *num* 6. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. Palao, *num* 3.

*Probatur ſententia D. Thom.*

35. Et ratio eſt, quia qui promittit Matrimonium virgini, à qua ſui corporis uſuram accepit, cum illa contraxit per contractum oneroſum, *do, vt des, facio, vt facias, promitto Matrimonium ſub conditione, vt mihi cedas*; ſed qui cum altero contrahit per contractum oneroſum, non ſatisfacit reſtituendo tantundem, vel æquale, ſed illud ipſum debet reſtituere, ad quod ſe obligauit, vt ſi quis paciſcatur cum Petro de emendo equo pro domo, non ſatisfacit offerendo æquale, ſed ipſam domum, ſi poteſt, nec Petrus tradendo æquiualens, ſed ipſum equum: Ergò quando fuit conuentio inter virum, & fœminam, vt iſta copiam ſui corporis faceret, & ille pro ea ſe fœminæ in Matrimonium tradat, non ſatisfacit vir, niſi cum illa Matrimonium ducat.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

36. Dices hoc verum eſſe in contractibus veris, & realibus, qui ſunt de rebus determinatis, at in noſtro caſu contractus non fuit verus, quia promiſſio fuit cum fictione facta. ¶ Contra eſt, quia uterque tenebatur ex iuſtitia verè contrahere, & ſic quando ex parte fœminæ adimpletum eſt onus, ex parte ſui tenetur ad id, quod fictè promiſit: debebat tamen ex iuſtitia verè promittere, & ita in ipſâ fictâ promiſſione iniuſtitiam intulit, quam reſarcire nequit, niſi implendo promiſſionem, cui innixa fœmina ſe illi iniuriæ expoſuit. Quemadmodum qui fictè promiſit Petro centum aureos, ſi tale negotium exequatur, poſita ex parte Petri executione, tenetur illos ſoluere in vtroque foro.

*Si vir ſit valdè nobilis, aut diues, non tenetur contrahere.*

37. Secundum habemus ex verbis D. Thom. quòd ſi vir valdè nobilis, aut diuitijs, aut alijs qualitatibus impar notabiliter, arbitrio prudentum, virginem decepit, non tenetur eam ducere, ſed vel ad ſummum dotare, vel de nuptijs prouidere, de quo alibi: quod etiam docent Auctores modò relati pro noſtra ſententia: Tum propter rationem, quam tetigit D. Thomas, nimirum quòd illa voluit decipi, quia prudenter conijcere poterat ex inæqualitate promittentis virum, ficta promiſſione uti: Tum etiam, quia in contractibus oneroſis ſolùm tenetur quis ex iuſtitia, quando ſeruatur æqualitas in rebus; quando verò inæqualitas datur, non tenetur fictè contrahens integrè implere, ſed ſolùm æquale ſoluere. Nec ſimiliter iuſtitia obligat ad ſoluendum pluſquam damnum æſtimatur, ſed ablatæ virginitatis damnum non tanti æſtimatur apud homines ad virum notabiliter digniorem, fœminam ducere: Ergò ad hoc non tenetur.

*Etiamſi fœmina eſſet inæqualitatis inſcia.*

38. Ex quo deducitur, quòd ſi vel fœmina ignorauit inæqualem conditionem viri, vel prudenter iudicauit ex ſignis, & efficacia verborum illum abſque dolo promittere, adhuc non tenetur vir eam ducere, vt docet Sanch. *loc. cit. num.* x1. & N. Cornejo propter rationem modò datam, quia nimirum ex vi promiſſionis non tenetor, cum ficta fuerit, neque ex vi contractus, quia iſte ſolum obligat ad habendum conſenſum, & voluntatem, quando de rebus æqualibus agitur, quod ſecùs accidit in præſenti.

*Quid dicendum eſſet, ſi rem cum fœmina corrupta haberet?*

39. Et ſi inquiras: An ſi quis modo dicto decepit, & induxit mulierem corruptam, quod ipſe iam ſciebat, teneatur eam ducere? ¶ Reſp. cum Aueſ. Cornej. & Sanch. *loc. cit.* ſub diſtinctione: Vel enim mulier vidua erat, & honeſta, æqualiſque vel ferè æqualis conditionis cum viro, vel iniuſtè corrupta fuerat extra Matrimonium: Si hoc ſecundum, non tenetur eam ducere, ſiquidem in tali caſu fictum promiſſorem illam ducere longè maioris æſtimationis eſt, quam id, quod ab ea accepit, vt ſi quis meretrici ob pretium ſui corporis ſummam notabilem promiſit, non tenetur ob fidem promiſſionis totum ſoluere, ſed quod communiter iudicatur æquale: At è contrario in primo caſu contingit, quia quando fœmina corrupta fuit à legitimo coniuge, non multum æſtimabilius eſt eam ducere, quam rem cum ipſa habuiſſe, ſiquidem Matrimonium contrahere cum viduis bonæ, & honeſtæ famæ, nullum dedecus iudicatur in hominibus etiam nobilibus.

*Limitatio doctrinæ præcedentis.*

40. Sed notandum eſt, quod in duobus caſibus, *num.* 35. & *num.* 39. adductis, in quibus tenetur fictus promiſſor fœminam ducere, intelligendum eſt præciſo ſcandalo, aut alio graui damno. Si enim ex tali Matrimonio vel ſcandalum, vel graue damnum ſequeretur, vt ſunt rixæ inter parentes, vel conſanguineos contrahentium, vel quid ſimile, non tenetur eam ducere, ſed vel dotare, vel de nuptijs prouidere, quia non poteſt quis ex iuſtitia obligari ad id, quod ſine peccato exequi nequit; ſed Matrimonium in tali caſu non poteſt ſine peccato celebrari: Ergo, &c. Ita Sanch. *cap.* 9. *num.* 26. Dicaſtill. *diſp.* 5. *dub.* 10. *num.* 161. & *alij*.

PVNC-

## PVNCTVM IV.

*Quæ expreſſio per verba, & ſigna requiratur ad ſponſalia?*

*Debet eſſe promiſſio manifeſtata.*

41. CErtum eſt in hoc puncto promiſſionem merè internam, quæ nullo ſigno exteriori explicatur, non ſufficere ad ſponſalia, ſed requiri externam expreſſionem per verba, vel ſigna, nam cum ſponſalia ſint contractus humanus, humano modò debent perfici, ac proinde exteriùs explicando, quod in mente habetur: maximè cum debeat eſſe mutua promiſſio & acceptata: promiſſio autem unius nequit acceptari ab alio, niſi per verba, vel ſigna illi manifeſtetur.

*Promiſſio Deo facta obligat, licet ſit interna.*

42. Quæ doctrina communis eſt omni promiſſioni, quæ, ſi dirigatur ad hominem, non habet vim obligandi, niſi exteriùs illi manifeſtetur, eo quòd niſi acceptetur ab alio, non præbet illi ius contrà promittentem. Quæ eſt doctrina D. Thom. *in 4 diſt* 38. *q.* 1. *artic.* 1. *q.* 1. *&* 22 *quaſt.* 88. *art.* 1. In quo differt promiſſio facta homini à promiſſione facta Deo, quòd illa niſi exterius manifeſtetur, obligationem non inducit, promiſſio verò facta Deo per votum, aut iuramentum, etiam ſi ſit merè interna, obligationem parit: eo quòd Deus intuetur cor. Cæterùm promiſſio Deo facta de futuro Matrimonio adhùc non obligat, quia vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. Votum, & promiſſio Deo facta debet eſſe de re meliori: at bonum cœlibatus meliùs eſt, quàm Matrimonium, vt definit *Concil Trid. ſeſſ.* 24. *Can.* 10. Ergò promiſſio facta Deo de contrahendo Matrimonio, quod impedit bonum cœlibatus, nulla eſt, niſi aliundè quis teneretur ad contrahendum, vel quia virginem deflorauit, vel quia ſponſalia contraxit cum ea, vel alijs ex capitibus, de quibus videri poteſt Sanch. *lib.* 1 *diſp.* 4. Auctſ. *q.* 8. *ſect.* 3. Becan. *cap.* 43. *quæſt.* 2.

*Non ſufficit propoſitum ad obligationem ſponſalium.*

43. Sed non ſufficiunt quæcumque verba ad contrahendam obligationem ſponſalium, illa nimirum, quæ ſolùm exprimerent ſimplex propoſitum, vt ſi quis diceret: *Propono, vel habeo propoſitum ducendi talem*, quæ ex communi vſu ſolùm ſignificant voluntatem aliquid faciendi ſine obligatione, aut promiſſione. Illa ergò verba ſunt neceſſaria, quæ promiſſionem ſatis ſignificent, vt iſta: *Promitto, me obligo, ſub fide mea te ducam, habeas me pro infido, pro proditore, pro infami, niſi tecum contraxero.*

*Si verba ſint negatiua ſolum ſub conditione obligant.*

44. Quid autem dicendum ſit, quando verba ſunt negatiua, nimirum. *Non ducam aliam à te, vel non ducam aliam niſi te, non aliam quàm te?* Veriùs dicendum eſt cum Baſil. *lib.* 1. *cap.* 10. Becan. *cap.* 44. *quæſt.* 9. Bonacin. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *num.* 13. Sanchez, *lib.* 1. *diſp.* 19. *n.* 5. N Franc. *&* Steph. *hic n.* 3. facere ſolum ſenſum negatiuum, niſi aliundè conſtet de intentione promittentis, & ſolùm ſub conditione obligare, nimirum quòd ſi velit contrahere Matrimonium, debeat eſſe cum illa. Quamuis Barthol. de Ledeſm. *de matrim. dub.* 25. Petr. de Ledeſm. *q* 43. *art.* 1. dicant facere ſenſum abſolutum, & affirmatiuum de ducenda tali, & negatiuum de alijs, quia propoſitio exceptiua exponitur per unam affirmatiuam, & alteram negatiuam, vt in iſta: *Nemo currit, niſi Petrus* eſt dicere: *Petrus currit, & non alius.* Alij verò aſſerunt eſſe ambigua, & vtroque modo poſſe exponi, & ſolùm ex circumſtantijs, vel ex interpretatione promittentis, quandò aliundè non conſtat de intentione illius, debere accipi in uno, vel altero ſenſu, ſed tu tene noſtram ſententiam, quæ communior eſt inter Doctores.

*Non ſufficit taciturnitas ad exprimendum conſenſum.*

45. An verò ſufficiens ſit taciturnitas ad exprimendum conſenſum? Eſt dubium, ſed pars negatiua tenenda eſt, & ideò quando quis promittit fœminæ Matrimonium, ſi ipſa taceat, non propterea dicendum eſt conſentire, aut repromittere. Ita Caſt. Palao, *diſp.* 1. *punct.* 4. *num.* 11. Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 1. *n* 37. Bonacin. *q.* 1. *punct.* 1. *num.* 11. Nec in contra eſt regula illa iuris in 6. *Qui tacet conſentire videtur*, quia ſolùm currit, quando eſt in ſui fauorem, non verò quando cedit in eius præiudicium, iuxta aliam regulam iuris in 6. *Qui tacet, nec conſentire, nec diſſentire videtur.* Cum ergò repromiſſio, & conſenſus in traditionem ſui corporis, non cedat in ſui fauorem, ſed in fauorem alterius, ex hoc, quòd taceat, non cenſetur conſentire, niſi fortè ex tali Matrimonio magnam vtilitatem, & commodum acciperet, quia in tali caſu cederet in ſui fauorem, & ſic taciturnitas pro conſenſu poſſet interpretari.

*Niſi parentes pro filijs in eorum præſentia reſpondeant.*

46. Sed hoc limitandum eſt, quando parentes in præſentia filiorum ſiue puberes, ſiue impuberes fuerint, pro illis reſpondent, & acceptant promiſſionem, ipſis tacentibus, internè tamen conſentientibus, in tali enim caſu taciturnitas habetur pro conſenſu. Ita Sanch. *diſp.* 23. *n.* 3. Bonacin. *loc. cit.* Dicaſt. *num.* 39. Palao, *punct.* 5. *num.* 12. Gutierrez, *de matrim. num* 5. N. Vrban. *quem ſequitur* Steph. *num.* 2. & habetur expreſsè *in cap. vnic. de deſponſat. impub. in* 6. *§. fin.* ibi: *Ex ſponſalibus, quæ parentes pro filijs puberibus, vel impuberibus contrahunt, ſi filij expreſsè conſenſerint, vel tacitè, vt ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur iuſtitia publicæ honeſtatis.*

*Si abſentes promiſſionem parentum nouerint, non contradicant, eam ratificant.*

47. Imò, filijs abſentibus, pro illis parentes promittant, & poſteà quam ipſi nouerint, parentum promiſſionem, non contradicunt, ſed tacent, cenſetur eos conſentire. Ita Dicaſt. *n.* 40. Palao, *num.* 14. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 13 *num.* 5. Sot. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 1. Cardin. Tuſcbus, *tom* 7. *concl.* 400. Et ratio illorum eſt, quia ſi filius præſens eſt, & parentibus promittentibus, tacet, cenſetur ratam habere illorum promiſſionem: Ergò ſimiliter quando abſens exiſtens, illorum promiſſionem cognoſcit, nec contradicit, ſed tacet, eam ratificare cenſetur, & vrgentiori ratione, nam in præſentiâ parentum poterat illorum reuerentiâ à reclamatione retrahere, quod in abſentiâ illorum, non ità.

48. Cæteri autem, præter parentes, etiam ſi tutores ſint, curatores, aut fratres, ſi promittant futurum Matrimonium in præſentia viri, vel fœminæ, ipſis tacentibus, etiamſi in interiori conſentiant, dummodò per verba, aut ſigna, ſuam mentem non declarent, non cenſentur contrahere ſponſalia, iuxta dicta *num.* 41. ita Sanchez, *n.* 12. Gutierr. *c.* 13. *n.* 2.

*Poteſt per ſigna conſenſus exprimi.*

49. Poteſt tamen promiſſio ſponſalitia non ſolùm verbis exprimi, ſed etiam ſignis, quæ ſint ſuffi-

ſufficientia ad exprimendum conſenſum. Quæ autem ſint talia ſigna? Dicimus quòd pro diuerſitate Prouinciarum, aut locorum diuerſa ſigna ad exprimendum conſenſum ſponſalitium ſufficiunt: & ideò in locis, vbi conſuetudine habetur, vt immiſſio annuli in digitum, aut torquis ad collum ſponſæ, aut manuum porrectio, aut talium munerum acceptatio ſignificentur ſponſalia, hæc ſigna ſufficientia ſunt ad contrahenda illa, niſi aliundè conſtet de mente contrahentium. Vbi tamen talis conſuetudo non viget, non ſufficiunt ad exprimendum conſenſum ſponſalium, quia ex ſe talia ſigna indifferentia ſunt, niſi immediatè, vel proximè inter virum, & fœminam ſermo de contrahendo Matrimonio habeatur, quia tunc cenſentur talia ſigna ad exprimendum conſenſum ſponſalitium interuenire, Auerſa, Becan. *c.* 43. *q.* 11. Coninch, *diſp.* 21. *num.* 28. Sanchez, *lib.* 1. *diſp.* 22. Diceſtill. *dub.* 2. *num.* 36. Palao, *num.* 10.

*An Matrimonium nullum habeat vim ſponſalium?*

50. Sed nunc difficultas eſt: An ſi verba exprimant conſenſum de præſenti, & Matrimonium inualidum efficiant ob defectum aliquem ſubſtantialem, vt quandò Matrimonium de præſenti contrahitur inter perſonas inhabiles non abſolutè, ſed in hoc tempore, vel ſine hac, vel illâ conditione, an nimirùm licèt expreſſio conſenſus utriuſque non valeat ad contrahendum Matrimonium, valeat tamen ad contrahenda ſponſalia? Quod in duplici caſu poteſt contingere, vel quando Matrimonium clandeſtinè celebratur inter puberes, vel quando inter impuberes clandeſtinè, vel publicè celebratur.

*Inter impuberes vim ſponſalium habet.*

51. Et incipiendo ab hoc ſecundo, dicendum eſt cum communi ſententia Matrimonium nullum, quia contractum inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem, etiamſi clandeſtinum ſit, habere vim ſponſalium, niſi aliundè conſtet de mente contrahentium, quia nimirùm expreſſam intentionem contrariam habebant intendendo ita de præſenti contrahere, vt caſu, quo non valeat tunc Matrimonium, nolint manere obligari ad expectandum tempus pubertatis, ſed velint manere liberi ad faciendum poſteà, quòd ſibi libuerit. Præciſâ autem hâc expreſſâ voluntate, etſi Matrimonium dictum nullum ſit in ratione Matrimonij, habet tamen vim ſponſalium: tum propter ea, quæ *num. ſeq.* dicemus: tum quia cenſentur contrahere iuxta iuris formam, ſed in iure habetur, quòd tale Matrimonium vim ſponſalium habeat, vt conſtat expreſſè *ex cap. vltim. de deſponſat. impub. & cap. vnic. eod. tit. in 6.* Ergò cenſentur habere voluntatem, vt actus valeat in ratione ſponſalium, quamuis non valeat in ratione Matrimonij. Ita Sanch. *diſp.* 21. *num.* 2. Baſil. *lib.* 12. *cap.* 5. *n.* 4. Palao, *diſp.* 5. *punct.* 4. *n.* 3. Leand. *tract.* 9. *diſ.* 1. *quæſt.* 12. Becan. *q.* 10. *num.* 5. & eſt communis.

*Etiam inter puberes aliqui autumnant.*

52. Circà primum verò caſum eſt duplex ſententia. Prima aſſerit, Matrimonium clandeſtinè contractum inter puberes, quamuis nullum ſit poſt Concilium Tridentinum, vbi admiſſum eſt, in ratione Matrimonij, valere tamen in ratione ſponſalium. Ita Ochagau. *tract.* 1. *de matrim. q.* 10. *num.* 6. Ledeſm. *dub.* 18. *fol.* 124. Coninch, *dub.* 4. *n.* 47. Auerſ. Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 18. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 5. *n.* 4.

*Duplici ratione probatur.*

53. Et probatur duplici ratione: Prima, quia actus, qui non valet, vt fit, valet tamen, vt fieri poteſt, vt dicitur *in cap. vnic. de deſponſat. impub. in 6.* ſed Matrimonium dictum poteſt valere in ratione ſponſalium, quamuis non valeat in ratione Matrimonij, vt conſtat exemplo Matrimonij inter impuberes contracti: Ergò ita eſt aſſerendum. Secunda, quia quando actus, qui fit, includit actum, qui fieri poterat, tunc ſi eſt inualidus eo modo, quo fit, valet ſaltem eo modo, quo fieri poterat, vt docent Canoniſtæ teſte Couarrub. 4. *decret.* 1. *p. cap.* 3. ſed contractus Matrimonij virtualiter includit contractum ſponſalium: Ergo ſi in ratione Matrimonij eſt inualidus, valebit in ratione ſponſalium.

*Non habet vim ſponſalium Matrimonium nullum.*

54. Secunda, & verior ſententia aſſerit prædictum Matrimonium neque in ratione Matrimonij, neque in ratione ſponſalium valere. Ità Petrus de Ledeſm. *quæſt.* 45. *art.* 5. *dub.* 4. *fol.* 181. Sanch. *num.* 3. Bonacin. *quæſt.* 2. *punct.* 8. *num.* 48. Dian. 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 258. Becan. Barboſ. *de poteſtat. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 32. *num.* 143. Villalob. *tractat.* 12. *diff.* 7. *num.* 1. vbi affert declarationem Cardinalium pro hac parte, & hoc etiam verum cenſent, etiamſi iuramento dictum Matrimonium firmetur, quia iuramentum contra bonos mores non obligat. Ità Becan. Dian. Sanchez, Bonacin. Imò addunt, quod licet haberent intentionem expreſſam ſe obligandi eo modo, quo poterant, adhuc non manerent contracto ſponſalium alligati, eo quod interna intentio, niſi exteriùs actu valido pateſiat, non habet vim obligandi, actus autem, de quo in præſenti loquimur, omninò eſt nullus, vt iam probauimus.

*Probatur rationibus.*

55. Concluſio hæc probatur in primis ex *Concil. Trident.* quod prædictum Matrimonium nullum omninò, & irritum reddit in ratione contractus, & ſimiliter contrahentes omninò inhabiles facit, ſed ſi haberet vim contractus ſponſalium, iam non eſſet omnino nullum in ratione contractus: Ergò, &c. Secundò, quia quandò ius reſiſtit actui prohibendo, & irritando illum, tamquam contra bonos mores, nulla oritur obligatio ex eo, *l. non dubium, C. de legibus*, ſed *Concil. Trident.* contradicit Matrimonio clandeſtino, irritando, & annullando illud, quia eſt contra bonos mores: Ergò nulla relinquitur ex eo obligatio. Tertiò, quia quandò actus non valet, ut fit, valet ut fieri poteſt, ſi vel ſolùm claudicat ex parte efficientis, vel contrahentis, & non ex parte formæ, & quando illi ius non reſiſtit, ſi enim claudicat ex parte formæ. nec ut fit, nec ut fieri poteſt, valet, ſimiliter quando ius illi reſiſtit, argumento ex *cap. quod in dubijs, de remunerat.* ſed Matrimonium clandeſtinum non ſolùm claudicat ex parte contrahentium, ſed etiam ex parte formæ, quia illi deficit ſolemnitas requiſita ad contractum, ſimiliter tali Matrimonio ius reſiſtit: Ergo nullam obligationem parit.

*Soluuntur argumenta contraria.*

56. Ex his conſtat ad argumenta contrariæ ſententiæ, quæ ſolùm probant, quandò actus præciſè claudicat ex parte agentis ſeruando debitam formam, vel quando illi ius non reſiſtit, quod contingit in Matrimonio contracto inter impuberes, quod ſolùm claudicat ex parte contrahentium, qui debitam non habent ætatem, neque illi ius reſiſtit, vt habeat vim ſponſalium,

ſed

ſed potiùs fauet, ut conſtat ex dictis *num.* 51. Nec per hoc, quod tale Matrimonium clandeſtinè contrahatur, deficit illi ſolemnitas requiſita à Tridentino, nam Concilium ſolùm aſſignauit aſſiſtentiam Parochi, & teſtium pro ſolemnitate Matrimonij, quod ex iure ſine illa erat validum, & ſic non eſt locutum de Matrimonio impuberum, quod ſemper fuit inualidum.

## PVNCTVM V.

### *Vtrùm promiſſio ſponſalitia debeat eſſe deliberata, libera, & publica?*

*Requiritur phyſica libertas.*

57. PRæter attentionem promittendi, & ſe obligandi, quæ ex parte intellectus requiritur ad ſponſalia, ex parte voluntatis debet dari libertas, quæ ex deliberatione intellectus prouenit: & quidem certum eſt ad validitatem ſponſalium requiri libertatem phyſicam cum plena deliberatione, & aduertentia, quæ non eſt neceſſe, quòd ſit diuturna, & matura, ſed ſufficit, ſi ſit ſubita, & inſtantanea. Si tamen plena fuerit, & cum libertate perfecta, quæ ſufficit ad peccatum mortale, vel ad meritum, hæc eadem ſufficit ad obligationem ſponſalium: at libertas imperfecta, quæ ex ſemiplena deliberatione prouenit, inſufficiens eſt ad contrahenda ſponſalia. Ita Becan. *cap.* 43. *quæſt.* 5. Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 1. *dub.* 2. Trulleneb, *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 2. Leand. *tractat.* 9. *diſput.* 1. *à quæſt.* 19. Bonacin. *quæſt.* 1 *punct.* 1. *num.* 4. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 8. *num.* 5. & è noſtris Gab. *qu* 5. Ant. *ſect.* 6. Franc. *n.* 5. &c. Et ratio eſt, quia ſponſalia ſunt contractus humanus, qui humano modò fieri debet, ſed quod ſine deliberatione perfecta, & plena libertate fit, humano modo fieri non cenſetur, & idem dicendum eſt de quacumque promiſſione, voto, vel iuramento, quæ obligare non poſſunt, niſi cum perfecta, & plena deliberatione emittantur, eo quòd ſunt onera ſponte ſuſcepta, quæ non cenſetur quis ſibi imponere, niſi in illa perfectè conſenſerit.

*Iracundus validè poteſt contrahere ſponſalia.*

58. Ex quo fit, quod neque inſanus, neque amens, neque ebrius eo tempore, quo his defectibus ſubiacent, poſſunt contrahere ſponſalia. Illi verò, qui lucida interualla habent, benè poſſunt contrahere ſponſalia, quando ſunt, vel ab inſania, vel ab amentia liberi. Et ſimiliter ille, qui in aliqua materia inſanit, & in alijs rationis compos exiſtit, niſi inſaniras ſit huius materiæ. Ille verò, qui calore iracundiæ, vel alia paſſione ductus, promittit ſponſalia, ea implere tenetur, quia cum his paſſionibus perfecta libertas, & deliberatio ſaluatur.

*De his benè N. Gabr. diſp. 4. qu. 5.*

*Obiectio in oppoſitum.*

59. Et ſi objicias, quod *l.* 3. *ff. de diuort. & cap. diuortium, de pœnit. diſt.* 1. dicitur: *Quidquid calore iracundiæ fit, vel dicitur, non prius ratum eſſe, quàm ſi perſeuerantia apparuerit, iudicium animi fuiſſe.* ¶ Reſpondetur hos textus loqui, vel de iracundia, quæ pœnitùs abſorbet rationem, & tollit libertatem perfectam animi, vel loqui in foro exteriori, in quo cenſetur non habuiſſe perfectam libertatem, qui cum iracundia promiſit, & poſteà de promiſſis pœnituit, in foro autem conſcientiæ tenetur ſtare promiſſis, ſi cum libertate perfectà, & plenâ aduertentiâ, quamuis iracundus, fidem dedit.

*Obiectionis ſolutio.*

*Metus leuis ſponſalia non facit irrita ſed irritanda.*

60. Præter libertatem phyſicam requiritur libertas moralis à coactione, ſeu à metu. Et quidem ſi metus leuis fuerit, certum eſt non reddere ipſo facto irrita ſponſalia, ſed irritanda. Et in hoc eſt diuerſitas, quia quando ſponſalia verè contracta ſunt, & poſteà vel authoritate iudicis, vel propria diſſoluuntur, inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, ſecus verò quando ab initio irrita, & nulla fuere. Quod autem ſponſalia metu leui contracta, non cadente in virum conſtantem valida ſint, tenet Auerſa, *q* 8. *ſect.* 4. Sanch. *li.* 4. *diſp.* 19. *n* 6. Bonacin. *q.* 1. *punct.* 9. *propoſ* 2. qui etiam docent poſſe etiam propria authoritate reſcindi ab eo, qui tali metu conſenſit. Et ratio eſt, quia altera pars in conſcientia tenetur relaxare fidem tali metu extortam: Ergò ipſa pars, quæ metu conſenſit, in conſcientia poterit fidem à ſe datam reaſſumere.

*Sponſalia metu graui contracta non eſſe irrita, ſed irritanda docent aliqui.*

61. Maior autem difficultas eſt: An ſponſalia contracta metu graui cadente in virum conſtantem, ſint ipſo facto nulla? In quo eſt duplex ſententia. Prima aſſerit talia ſponſalia eſſe valida, inualidanda tamen, & irritanda, vel authoritate propria, vel authoritate iudicis. Ita Petr. de Ledeſm. 3. *p. quæſt.* 47. *art.* 3. *fol. mihi* 218. Hurtad. *diſp.* 1. *diff.* 15. Trull. *num.* 8. Conimb, *diſp.* 28. *n.* 7. Dicaſt. *dub.* 22. *num.* 315. quia iudicant, omnem contractum etiam metu graui initum validum eſſe, excepto Matrimonio, de quo infrà. Et ratio illorum eſt, quia per hoc quod Matrimonium metu graui contractum annulletur, non cenſentur annullari ſponſalia, quæ tali metu contrahuntur, quemadmodum Matrimonium clandeſtinum ab Eccleſia irritatur, & non propterea, cenſentur irritari ſponſalia, quæ clandeſtinè fiunt: Ergò cum dicta ſponſalia neque ex ipſa natura rei, neque ex alia lege irritentur, valida cenſenda ſunt, quamuis poſtea irritanda, & annullanda, ſi pars, quæ coacta fuit, poſtulauerit.

*Contrarium verius dicendum.*

62. Secunda, & verior ſententia eſt, quam tenet Sanch. *num.* 3. *& diſp.* 21. *num.* 3. Auerſ. Couarr. 4. *Decret. p.* 2. *cap.* 3. §. 5. *num.* 1. Becan. *q.* 1. *num.* 6. Bonacin. *num.* 6. *& q.* 3. *punct.* 8. *num.* 32. Dian. *tom.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 278. N. Stephan. §. 5. aſſerens talia ſponſalia nulla eſſe, neque aliquam obligationem parere in eo, qui metu contraxit. Et addunt hi Authores, etiamſi iuramento ſuam promiſſionem firmauerit, cum Barboſ. *in collect. tom.* 2. *lib.* 4. *tit.* 2. *cap.* 11. *n.* 4. & ideò non ſolùm tale iuramentum non firmare contractum ſponſalium nullum, ſed neque indigere diſpenſatione.

63. Et ratio eſt, quia in *cap. ex litteris, de deſponſ. impub.* talia Sponſalia irrita redduntur, etiamſi iuramento firmentur, non ſolum quia ſunt contrà bonos mores, ſed quia ſunt contrà publicam utilitatem, ſed contractus prohibitus ob publicam utilitatem, etiamſi ſtabiliatur iuramento, nullam obligationem producit, ut patet ex *cap. ſi diligenti, de foro competent.* Ergò, &c. Per quod patet ad id, quod pro contrariâ ſententiâ adducitur.

*Obiectio in oppoſitum.*

64. Nec refert ſi objicias. Tum, quia ſi quis iuret ſoluere uſuras ad redimendam vexationem, tenetur obſeruare iuramentum, *cap. debitoris, de iurejurand.* quamuis tale iuramentum non confirmet contractum, quia obſeruatio illius non eſt

contra bonos mores: Ergò ſimilites, qui iurauit ſponſalia, renebitur ad obſeruandum iuramenrum, euius obſeruatio non eſt contrà bonos mores, quamuis hoc iuramenrum non firmet illum contractum. Tum etiam, quia D. Thom. 2. 2. q. 89. *art.* 7. *ad* 3. ita ait: *Ad tertium dicendum quòd in iuramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Vna quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt promiſſum non ſeruetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen eius promiſit, & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere quam iuramentum violare.*

*Reſponſio.* 65. Reſpondetur, quòd quando iuramentum cadit ſupra contractum iure prohibitum, quia non ſolùm eſt contrà bonos mores, ſed contrà publicam utilitatem, etiam irritatur tale iuramentum, ne ex eo aliqua obligatio conſurgat, ut conſtat in matrimonio metu contracto, vel clandeſtinè, quod hoc ipſo, quòd iure irritetur, iuramentum cadens ſuprà illud nullum eſt. Sed etiam Sponſalia metu graui contracta iure prohibentur, & annullantur tamquam bono publico nocioa, & ideò iuramentum nullum eſt cadens ſuprà illa, quod ſecus accidit in contractu uſurario, qui ſolum prohibetur quia nociuus perſonæ particulari, & ideò iuramentum obligat in caſu argumenti: Ex quo ſoluitur ſecundum, quia D. Thomas, loquitur de iuramento cadente ſuprà rem metu extortam, non verò iure prohibitam propter publicam utilitatem.

*Extenditur concluſio.* 66. Quod diximus in hoc puncto de Sponſalibus metu graui factis intelligendum eſt ſiue ab alia parte metus incutiatur, ſiue ab alio tertio, dummodo talis metus iniuſtè fuerit incuſſus, nam ſi ex iuſta cauſa incutiatur, non irritat ſponſalia, eo quod irrationabiliter inuita cenſenda eſt pars, quæ metu contraxit. Alia verò pars, quæ abſque metu fidem dedit, ſemper ſtare tenetur promiſſis, quamuis non ratione contractus ſponſalium, benè tamen ratione promiſſionis liberè ab ipſa emiſſæ, & ab alia parte acceptatæ, ſiue iuramento eam firmauerit, ſiue non firmauerit.

*Aliqui indicant ſponſalia clandeſtina irrita eſſe, alij illicita.* 67. Vltra prædicta aliqui arbitrantur ad Sponſalia validè contrahenda eſſe neceſſariam aſſiſtentiam Parochi, & teſtium, ſicut ad Matrimonium, & probant ex *leg. ſi quis tutor. ff. de rit. nupt.* & ex *leg. oratio, ff de ſponſal.* ubi dicitur, quod hoc ipſo, quod Matrimonium ſit inualidum, etiam ſponſalia, quæ ſunt præuia ad ipſum, eo quòd inhabilis ad Matrimonium, etiam eſt inhabilis ad ſponſalia, ſed Matrimonium clandeſtinum inualidum eſt: Ergò ſponſalia ſic celebrata. Alij verò dicunt, quòd licet talis ſolemnitas non requiratur, ut validè contrahantur ſponſalia: benè tamen ut licitè, proindeque peccare mortaliter, qui clandeſtinè deſponſaretur, eo quod prohibito aliquo, cenſetur prohiberi id, per quod itur ad illud, ſed Matrimonium clandeſtinum eſt prohibitum: Ergò etiam ſponſalia, quæ ſunt via ad ipſum. Ita Paludan. *in* 4. *diſt.* 28. *q.* 1 *art.* 2. Caiet. & Armil. *in ſum. verb. Sponſalia*, Syluest. *de Matr.* 6. *q.* 7. Tabiena, *verb. Sponſalia, quæſt.* 1. *n.* 2.

*Nec illicita eſſe, nec inualida, eſt aſſerendum.* 68. Nihilominus dicendum eſt ſponſalia, & licitè, & validè poſſe clandeſtinè celebrari. Ita N. Cornejo, *tract.* 6. *diſp.* 1. *dub.* 4. Bonacin. *punct.* 7. *num.* 11. Dicaſt. *dub.* 24. *num.* 346. Palao, *diſp.* 1. *punct.* 2. *num.* 5. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 1. *q.* 32. & 33. Becan. Coninck, *diſp.* 21. *dub.* 2. *num.* 20. Trullen. *lib.* 6. *cap.* 2. *dub.* 9. Ratio autem quare ſint valida talia ſponſalia, eſt, quia iure naturæ non ſunt irrita, neque etiam iure poſitiuo, quia non datur aliquod illa annullans, ſi quod enim daretur maximè decretum *Tridentini*, *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. irritans Matrimonium clandeſtinum, hoc non, quia lex Tridentini eſt correctiua iuris communis, & non extenditur extrà caſum expreſſum in ea *leg. præcipimus*, §. *quidquid*, *C. de appellat.* Quod autem nec ſint illicita, probatur. Tum ex uſu communi Eccleſię. Tum etiam, quia non datur lex prohibens illa. Non enim eſt eadem ratio prohibendi ſponſalia, & Matrimonium, eo quod ex Matrimonio occultè contracto plurima ſequuntur abſurda, quę non ſequuntur ex ſponſalibus ſic celebratis. Quando autem non eſt eadem ratio prohibendi Matrimonium, & ſponſalia, non cenſentur iſta prohibita, per hoc, quod illud prohibeatur. Ita & benè N. Gab. *qu.* 7.

*Soluuntur argumenta contraria.* 69. Et per hoc patet ad argumenta contrariæ ſententiæ. Leges enim, quæ prohibent, vel irritant Matrimonium, cenſentur prohibere, vel irritare ſponſalia, quandò eadem ratio currit in utroque caſu, ſecus tamen quando diuerſa, ut in præſenti accidit. Matrimonium namque clandeſtinum irritatum fuit à Concilio, quia plures, qui occultè contrahebant cum unâ, publicè cum alia Matrimonium celebrabant, cum quâ in perpetuo concubinatu viuebant, propriâ deſertâ vxore, ex quo plura peccata, & inconuenientia pullulabant, quæ omnia ceſſant in noſtro caſu, & ideo per hoc, quod Matrimonium occultum ſit irritum, vel prohibitum non cenſentur irritari ſponſalia, vel prohiberi, quamvis ſint via ad Matrimonium, quia non ſunt via ad Matrimonium clam celebrandum, ſed in ſecreto contrahuntur ſponſalia de futuro Matrimonio publicè celebrando. Tunc autem eſt verum, quòd prohibito aliquo prohibetur id, quod eſt via ad ipſum, quandò eſt via ad ipſum ut prohibitum, non autem quandò ad ipſum ritè celebrandum.

## PVNCTVM VI.

### *Quæ qualitates requirantur in promittentibus Sponſalia.*

*Inhabiles ad Matrimonium, ſunt etiam ad ſponſalia.* 70. AD hoc ut aliqui poſſint ſponſalia contrahere, non debent eſſe abſolutè inhabiles ad Matrimonium. Vnde omnes illi, qui ad Matrimonium de præſenti contrahendum ſunt impediti, etiam ſunt ad ſponſalia, & ideò ſi impedimentum dirimens Matrimonium habeant, non poſſunt validè ſponſalia contrahere. Imò etiam illi, qui ſolum habent impedimentum Matrimonium prohibens, ſunt inhabiles ad contrahenda ſponſalia, & ideò inualida ſunt ſponſalia Catholici cum hæretica, quia illicitum eſt cum eâ contrahere Matrimonium. Similiter inualida ſunt ſponſalia habentis votum ſimplex caſtitatis, cui illicitum eſt Matrimonium, quia in omnibus his caſibus promiſſio eſt de re illicitâ, ac pro-

proinde nulla. Ita Sanch. *lib.* 1 *diſp.* 15. Auerſ. *q.* 8. *ſect.* 7. Beeao. *cap.* 43. *q.* 8. Niſi impedimentum Matrimonij non fuerit abſolutè, & pro omni tempore, & promiſſio ſponſalitia facta fuerit pro illo tempore, quo Matrimonium eſt licitum, vel validum, ut in deſponſatione impuberum contingit, quæ valida eſt, quia ſolum promittitur Matrimonium pro tempore à iure permiſſo.

*Vſus rationis & etiam ſeptem annorum requiritur pro ſponſalibus.*

71. Similiter ſunt inhabiles ad contrahenda ſponſalia pueri ante vſum rationis, etiamſi ſeptennium completum habeant; quia ante vſum rationis non poteſt dari vera promiſſio, & ideò conuenienter à iure aſſignatur ætas ſeptem annorum ad contrahenda Sponſalia, *cap. litteras, cap. Acceſſit, & cap. Ad diſſoluendum, de Deſponſat. impub.* & cap. *vnic. eod. tit. in* 6. quia in illa ætate vſus rationis aduenire prudenter iudicatur, vt rectè docet, & probat D.Thom. *q.* 43. *art.* 2. *in addition.* vbi etiam reddit rationem quare diuerſa ætas pro Sponſalibus, & Matrimonio à iure deſignetur. Tum, quia cum Matrimonium nullo modo poſſit diſſolui, maturiorem depoſcit deliberationem, & ideò viri, niſi completis quatuordecim annis, & fœminæ duodecim, illud contrahere nequeunt, niſi malitia ſuppleat ætatem, de quo infrà, at Sponſalia non ſunt contractus indiſſolubilis, & ſic ſufficit uſus rationis, & ætas ſeptem annorum pro illis. Tum etiam, quia contrahentes Matrimonium, debent eſſe habiles ad generationem, quod non niſi poſt ætatem pubertatis habent, in Sponſalibus autem, id non requiritur, & ſic minor ætas ſufficit.

*Oppoſita obiectio, & ſolutio.*

72. Nec valet ſi objicias, quod ius ciuile nullum definiuit tempus pro Sponſalibus, vt patet ex *leg. in ſponſalibus contrahendis, ff. de ſponſal.* ibi: *In ſponſalibus contrahendis ætas contrahentium definita non eſt, vt in Matrimonio.* ❡ Reſpondeo primo ex Cornejo, *tract.* 6 *diſp.* 2. *dub.* 3. parum referre ætatem dictam iure Cæſareo definitam non eſſe, cum determinata ſit iure Canonico, cuius eſt de cauſis Matrimonialibus cognoſcere. Secundò, cum Soto *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 2. *art.* 2. intelligi de parentibus pro filijs contrahentibus, quòd ætas nimirum determinata non ſit pro Sponſalibus, quando parentes pro filijs fidem præbent. Tertiò, & conformiùs ad textum, qui paulò poſt dicit requiri, ut minimum ſeptem annos ad ſponſalia. Quòd quando in illo dicitur ætatem pro Sponſalibus non eſſe determinatam, ſicut pro Matrimonio eo eſt, quia ætas definita pro ſponſalibus non ſemper ſufficit, ſicut ætas definita pro Matrimonio, quia non ſemper aduenit uſus rationis completo ſeptennio, qui neceſſarius eſt pro quacumque promiſſione.

*Sufficit ſeptennium eſſe moraliter completum.*

73. Sed nunc ſunt aliquæ quæſtiones decidendæ. Prima: An ſeptennium à iure requiſitum pro Sponſalibus debeat eſſe completum metaphyſicè, an verò ſufficiat, quod ſit completum moraliter, ità quòd poſſint infantes validè ſponſalia contrahere per aliquot paucos dies ante ſeptennium. ❡ Reſpondetur affirmatiuè cum D.Thom. 3.*p.* *q.* 43. *in addit. art.* 2. *ad* 7. ibi: *Ad ſeptimum dicendum, quod in ſponſalibus etiam ſimiliter, ſi appropinquent contrahentes ad tempus ſeptennij, contractus ſponſalium habet robur: quia ſecundum Philoſophum in* 2. *phyſic. quòd parum deeſt, quaſi nihil deeſſe videtur.* Quem ſequuntur Sot. Diana, *tract.* 4. *reſol.* 274. Enriq. *lib.* 11 *cap.* 13. *num.* 9. N. Cornejo, §. *Dico ſecundò.* Et aſſerit, quod adhuc ſi non conſtet uſum rationis fuiſſe acceleratum, ſed in dubio ſit, valida eſſe ſponſalia in utroque foro ante ſeptennium completum contracta, modo pauci dies deficiant, ut tres, vel quatuor, & etiam octo.

76. Secunda quæſtio eſt. An quando malitia ſupplet ætatem, & certò, vel probabiliter cognoſcitur uſum rationis ante ſeptennium adueniſſe, vel naturaliter, vel quia miraculosè in aliquo fuit acceleratus, poſſet validè contrahere ſponſalia? ❡ Reſpondetur affirmatiuè cum Diana, Sanch. *diſp.* 16. *num.* 9. Baſil. *lib.* 12. *cap.* 5. Cornejo, Dicaſt. *dub.* 20. *num.* 25. Bonacin. *q.* 1. *punct.* 4. *num.* 2. Coninch, *diſp.* 21. *dub.* 5. *num.* 52. N. Ant. *ſect.* 9. N. Steph. *num.* 4. *cont.* 2. N. Vrban. Franciſ. Et colligitur *ex l. in ſponſalib.* 14. *ff. de ſponſ.* ubi dicitur ſatis eſſe Sponſos, quod agant intelligere. Et ratio deſumitur ex paritate cum Matrimonio, in quo duodecim anni pro fœminis, & quatuordecim pro viris aſſignantur, & tamen ſi malitia in illis ſupplet ætatem, quia nimirùm probabiliter colligitur eſſe aptos ad generationem, & aliàs habent perfectam, & plenam notitiam de ijs, ad quæ obligantur, Matrimonium eſt validum, vt habetur in *cap. iuuenis de ſponſal. & cap. vnic. de deſponſat. impub. in* 6. Ergò ſimiliter dicendum eſt in Sponſalibus.

*Si malitia ſuppleat ætatem, ante ſeptennium poſſunt ſponſalia celebrari.*

77. Sed objicies cum Durando, *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 3. *art.* 2. Auerſ. *q.* 8. *ſect.* 7. Palao, *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 8. oppoſitum ſentientibus, quod idem iudicium ferendum eſt in foro conſcientiæ, quod in foro externo; ſed in foro externo ante ſeptennium contractus ſponſalium ſemper iudicatur validus, quia *cap. litteras, cap. acceſſit, & cap. ad diſſoluendum de deſponſat. impub.* dicitur nullus. Ergò ſimiliter in foro conſcientiæ. ❡ Confirmatur, quia aliàs fruſtrà præſcriberetur à iure ætas ſeptennia pro ſponſalibus, quia ſi ante ætatem ſeptem annorum venit uſus rationis per nos ſunt valida, ſi poſt completos ſeptem annos non venit, inualida exiſtunt, vt quid ergò ſeptem annorum ætas pro ſponſalibus aſſignatur?

*Obiectio oppoſita.*

78 Reſpondetur, quod quando forum externum nititur præſumptione, non eſt idem iudicium de illo, ac de foro conſcientiæ; quando id, quod præſumitur, non eſt ità, quia tamen ante ſeptennium non præſumitur uſum rationis aduenia ſſe, ſemper iudicantur inualida ſponſalia, quæ ante talem ætatem contrahuntur, ſicut valida illa, quæ poſt ætatem ſeptenniam celebrantur, niſi oppoſitum certò probetur, & ad hoc deſeruiunt leges dictam ætatem aſſignantes, ut in foro exteriori, & in dubijs iudicetur ſecundum illas. Si verò aliquis certus ſit in conſcientia uſum rationis ante ſeptennium habuiſſe, ſecundum hoc debet manere obligatus in foro conſcientiæ. Ex his patet ad confirmationem.

*Solutio illius.*

79. Tertia quæſtio eſt: An peccarent mortaliter, qui ante ætatem in iure præſcriptam ſponſalia contraherent, ſiue quia uterque non pertingit ad ſeptennium ſiue quia alter dumtaxat ex contrahentibus, vel conſulentes, aut inducentes ad talem deſponſationem infantes,

*Non peccarent mortaliter qui ante ſeptennium deſponſarentur.*



Digitized by Google

vel denique parentes eorum pro ipſis ante ſeptennium promittentes. ¶ Reſp. negatiuè, quia vel infantes ante ſeptennium carent uſu rationis, & ſic non poſſunt peccare mortaliter, tamen in caſu noſtro nec ipſi, nec alij enumerati peccarent mortaliter, quia nec datur lex prohibens ſub peccato talia ſponſalia, quæ vel inualida ſunt, vel facillimè reſcindenda, neque aliquod Sacramentum recipiunt, cui irreuerentia irrogetur, neque alicui per hoc fit iniuria. Quare ita ſentiunt Coninch, *num* 54. Sanch *diſp.* 17. *num.* 4. Diana, *reſol.* 275. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 12. *diff.* 4. *num.* 7. Auerſ. Becan. *q.* 3. *num.* 12. Leand. *q.* 29. Palao, *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 11. N. Anton. *loc. cit.*

*Obiectio in contrarium.*

80. Sed objicies cum Cornejo, Bonacin. *num.* 6. Enriq. *num.* 13. qui ſentiunt peccare mortaliter, qui ante legitimam ætatem ſponſalia contrahunt, quod in *c.* 2. *de deſponſat. impuber.* ſic dicitur: *Diſtrictius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel Canonibus, determinatam non peruenerit, coniungantur, niſi fortè aliqua urgentiſſimâ neceſſitate interueniente, utpote pro bono pacis talis coniunctio toleretur.* Hæc autem prohibitio vim præcepti continet, & cum ſit in re adeò graui, non poteſt non ad mortale obligare.

*Illius ſolutio.*

81. Reſpondetur in illo textu ſermonem eſſe de Matrimonio, non de ſponſalibus, quia loquitur de coniunctione contrahentium, ſponſalia autem non tam ſunt coniunctio, quam via, & præparatio ad coniunctionem & cum res ſit pœnalis, & prohibitoria non debet extendi extrà propriam ſignificationem.

*Qui antè pubertatem nuberent, peccarent mortaliter, niſi malitia ætatem ſuppleret.*

82. Ex quo infero contrà Villalob. Sanch. Auerſ. Leand. *loc. cit.* & Baſil. *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 4. quod ſi impuberes contrahant Matrimonium antè legitimam ætatem, niſi malitia ſuppleat ætatem, peccant mortaliter tam ipſi, quam conſulentes, & inducentes, quod probatur ex dicto textu, cuius verba manifeſtam prohibitionem habent de coniunctione antè legitimam ætatem, quæ ad minus intelligenda ſunt de coniunctione per Matrimonium. Id enim, quod docent Sanch. & Baſil. intelligi debere de coniunctione per copulam carnalem, minimè habet locum in præſenti, nam textus dicit ex grauiſſimâ causâ poſſe concedi talem coniunctionem, quod falſum eſſet, ſi de copula carnali eſſet ſermo, eo quod in tali tempore, cum Matrimonium eſſet nullum, ex nulla cauſa quantumuis graui, poſſet talis coniunctio concedi. Habeatur ergò eſſe peccatum mortale tale Matrimonium contrahere, niſi grauiſſima cauſa, & publica urgeret. Ita præter Cornejo, Bonacin. Enriq. *loc. cit.* Sylueſt. *matrimon.* *q.* 6. Palao, *n.* 13.

## PVNCTVM VII.

### *De obligatione, quam inducunt ſponſalia.*

*Sponſalia obligant ſub mortali.*

83. PRomittentes Matrimonium de futuro tenentur ſub mortali ſeruare fidem datam, & Matrimonium de præſenti contrahere. Eſt communis ſententia Doctorum, nam licet promiſſio ſimplex obligationem grauem non inducat, promiſſio verò mutua, quæ dicitur ſtipulatio, eam ex natura rei producit, eo quod promiſſio ius præbet acceptanti, & ſi ex utrâque parte detur, ius datur in utroque contrahente, & ſic fit contractus perfectus, qui apud omnes obligat ex iuſtitia illum contrahentes obſeruare, niſi aliqua iuſta cauſa à tali obligatione eos eximeret. Quæ autem ſint cauſæ ſufficientes ad diſſoluenda ſponſalia? Dicemus *cap. ſeq.*

*Etiam ſi vir impar ſit diuitijs, & nobilitate.*

84. Ex quo fit, quod licet vir eſſet valdè nobilis, & impar diuitijs, aut eos ditioribus alijs à ſponſa, ſi tamen ſciens inæqualitatem, ſponté cum illa contraxerit ſponſalia, etiamſi nullum damnum aliud ſecutum fuerit, tenetur ſtare promiſſis, & peccaret mortaliter, niſi cum illa contraheret Matrimonium, ut benè docet Bonacin. *q.* 1. *punct.* 2. *num* 2. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 14. *num.* 2. Azor. 3. *p. lib.* 5. *c.* 5. *q* 3. *diff.* 2. quia cum contrahens ſit dominus rei promiſſæ, quando eſt conſcius exceſſus ex parte alterius, & nihilominùs ſpontaneè promittit, cenſetur facere donationem exceſſus, & cedere iuri ſuo. Sed hoc intelligendum eſt niſi timeretur ſcandalum, aut graue damnum ex tali Matrimonio ſecuturum, ut ſunt rixæ, & contentiones inter conſanguinéos, quia cum iuſtitia non obliget ad aliquid illicitum, & in tali caſu illicitum eſſet Matrimonium propter ſcandala, & damna imminentia, non obligabitur ad illa; teneretur tamen in tali caſu damnum reſarcire, ſi fortè aliquod ſponſæ eueniſſet, eo quod ipſa poſteà difficilius æquales ſibi nuptias inueniret, & ſic vel ad dotandam eam, vel ad augendam dotem, &c.

*Poſſunt in aliquo caſu obligare venialiter.*

85. Sed nunc inquires primò. Vtrum, ſi ſponſalia contrahentes inter ſe conuenirent, ut non obligarentur ad ſeruandam fidem, niſi tantum ſub veniali, nihilominus tenerentur ſub mortali ſtare promiſſis? ¶ Reſpondetur cum Sanch. *diſp.* 9. *num.* 6. quod in tali caſu ſolum ſub veniali aſtringerentur, quia cum promiſſio ſit lex priuata, ſolum obligat iuxtà beneplacitum promittentis, ut diximus *num.* 31. quemadmodum accidit in voto, quod poteſt quis emittere, etiam de re graui cum intentione leuiter ſe obligandi, & quia lex eſt priuata, ſolum in tali caſu leuiter obligabit. Sed non admittimus, quod hic Author *loc. cit.* aſſerit, nimirùm eſſe vera ſponſalia, & inducere conſequenter impedimentum publicæ honeſtatis, quando obligatio ad obſeruanda ea eſſet dumtaxat leuis, ſicut votum eſt verè votum, etiamſi ſub veniali obligetur quis ad obſeruandum promiſſum, nam dicimus in ſponſalibus diſparem rationem inueniri, hæc enim, & faciunt licita oſcula, & amplexus inter ſponſos, & inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, qui effectus abſque graui obligatione de contrahendo Matrimonio, inter ſponſos non conferuntur, & ideò ſponſalia, quæ verè ſunt ſponſalia ſemper in iure cenſentur obligationem grauem inducere, *cap. ex litteris* 2. & *cap. requiſiuit de ſponſalibus.* alijſque iuribus.

*Quando ſponſalia obligent?*

86. Secundò quæres: Quo tempore teneantur contrahentes ſponſalia, ad Matrimonium celebrandum, & quidem ſi tempus præfixum fuit in promiſſione ſponſalitia, nimirum quod poſt menſem, vel annum Matrimonium ſit celebrandum, niſi tranſacto illo tempore nullus ex

con-

contrahentibus tenetur ad nuptias. Sed difficultas eſt, quando nullum tempus fuit aſſignatum, circà quod eſt duplex ſententia. Prima aſſerit non teneri ſtatim à tempore profeſſionis, ſed quando altera pars petit, & inſtat ſiue ex timore, verecundiâ, obliuione, vel alijs ex cauſis à tali petitione deſiſtat, quod præcipuè in fœminis contingit, nam in tali caſu ducet teneri ſponſum, quando commodè potuerit, Matrimonium celebrare, præciſâ autem hac ratione, non niſi quandò altera pars inſtet, & petat, quod commune aſſerit eſſe in omnibus contractibus, in quibus tempus non determinatur, non dari obligationem ad ſtatim ſoluendum, vel exercendum, quod promiſſum eſt, niſi quandò inſtatur, & petitur, quia uſque tunc non cenſetur eſſe in morâ. Ita Villalob. *tract.* 12. *diff* 9. *num.* 2. Sanch. *diſp.* 28. *num.* 2. Diana, 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 245. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 1. *q.* 40. Becan. *cap.* 43. *q.* 14. *num.* 5.

*Quandò poſſunt commodè implere obligant.*

87. Secunda, & verior ſententia aſſerit, contrahentes ſponſalia abſque determinatione temporis, ſtatim teneri, quando potuerint opportunè Matrimonium celebrare, & ſi diſtulerint eſſe in morâ culpabili, niſi paruitas materiæ excuſet, nimirum quia dilatio eſt parui temporis, vel niſi altera pars expreſſè, vel tacitè in dilatione conſentiat, & tunc cenſetur tacitè conſentire, ſi commodè poteſt reclamare, & urgere, & nihilominùs tacet, & dilationem admittit. Ità Barthol de Ledeſ. *de matr. dub.* 13. Baſil. *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 1. Auerſ. *q.* 8. *ſect.* 8. Palao, *diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 2. Conineb, *diſp.* 22. *dub.* 1. *num.* 2. *& colligitur ex leg. in omnibus obligationibus, ff. de regul. iur.* ibi: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur, & ex leg. cum qui, §. quoties, ff. de verb. obligat.* vbi dicitur: *Quod ſine termino præfixo debetur, ſtatim debetur.*

88. Et ratio eſt, quia quandò quis promittit Matrimonium, pro toto vitæ tempore promittit alteri conſortium coniugale, & ideò per illud tempus, quo differt, alium à ſuo iure defraudat, quemadmodum in voto, & promiſſione factâ Deo obligat ſemper adimpletio promiſſi ab inſtanti, quo emiſſum eſt, quandò poteſt commodè adimpleri, niſi ex iuſtâ cauſâ differatur quod etiam accidit in ſponſalibus, in quibus iuſta cauſa differendi excuſat dilationem, vt dicitur in *l. ſæpe, ff de ſponſ.* ibi: *Sæpè iuſtæ ac neceſſariæ cauſæ, non ſolum annum, vel biennium, ſed etiam triennium, & quadriennium trahunt ſponſalia, aut valetudo ſponſi ſponſæuè, vel mores parentum, &c.*

*An poſſit aliquis compelli ad impletionem?*

89. Tertiò inquires. An ſi aliquis iniuſtè noluerit ſponſalia adimplere, poſſit ad hoc compelli in foro contentioſo? Diximus *iniuſtè*, non enim eſt difficultas, quando ex iuſtâ cauſâ à ſponſalibus reſilire contendit, quia ſicut in tali caſu neque in conſcientiâ tenetur ſtare promiſſis, vt dicemus *cap. ſeq.* neque etiam in foro externo poteſt ad hoc compelli. Diximus etiam *in foro contentioſo*, in foro namque conſcientiæ certum eſt debere compelli à confeſſario, vt promiſſionem adimpleat, & ſi noluerit, non poteſt illum abſoluere, quia ſemper eſt cum conſcientiâ peccati, & ſine propoſito adimplendi id, ad quod tenetur.

*Variæ circa hoc ſententiæ.*

90. Ad quæſtionem reſpondent aliqui non poſſe iudicem compellere ſponſum ad contrahendum Matrimonium, quod promiſit, etiamſi promiſſio fuerit iuramento firmata. Alij verò aſſerunt, quod ſi promiſſio fuerit iuramento firmata, poſſunt à iudice compelli promittentes ad contrahendum Matrimonium, ſecùs verò ſi non fuerit. Alij denique dicunt, quod ſiue promiſſio fuerit iurata, ſiue non, poſſunt iudices, & debent in foro externo compellere ad contrahendum Matrimonium, & per excommunicationem, vel incarcerationem, vel alias pœnas cugere nolentem, & quidem omnes probabiliter.

*Vera ſententia cum diſtinctione ponitur.*

91. Nos verò cum Becan. *q.* 15. Cornejo, *tract.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 2. Auerſ. Sanch. *lib* 1. *diſp.* 29. Leand. *q* 46. Dicaſt. *tract.* 10. *dub.* 25. Villalobos, Coninch. *dub.* 2. aſſerimus, quod ſi iudex videat ex tali matrimonio plurima fore incommoda ſequenda, vel timeat, quod ille, qui compulſus fuerit, fictè in Matrimonium conſentiat, vel vxorem occidat, vel inter illos plurimæ rixę, & diſſentiones oriantur, non debet compellere nolentem ad Matrimonium, ſed eum monere, & modis omnibus inducere ad illud, quod ſi adhuc in ſua duritie perſiſtat, eum relinquere, ſiue promiſſio fuerit iurata, ſiue non. Si tamen hæc damna non timeantur poſſe, & debere iudicem ad Matrimonium nolentem compellere, vel per cenſuras, vel per carcerem, vel alio modo, ſiue promiſſio ſponſalitia iurata fuerit, ſiue non, quamuis cum maiori rigore, & inſtantiâ debeat eos obligare ad Matrimonium, qui ſub iuramento ſponſalia contraxerunt.

*Probatur quoad utramque partem concluſio.*

92. Hæc concluſio in eo, quod aſſerit poſſe iudicem obligare nolentem ad contrahendum Matrimonium, probatur *ex cap. ex litteris Syluani.* 10. *de ſponſal.* vbi ſic dicitur, quod iudex Eccleſiaſticus debet compellere ſponſum ad contrahendum, niſi neceſſitas vrgens extiterit. Et ratio eſt, quia iudex Eccleſiaſticus eſt cuſtos iuris, & tenetur reddere vnicuique, quod ſuum eſt, at ſponſus, vel ſponſa ius habent ad contrahendum ad inuicem Matrimonium: ſi ergò aliquis ſine iuſta cauſa noluerit, iudicis erit eum obligare, ſicut ad ipſum pertinet quemcumque ſibi ſubditum compellere ad reddendum alteri, quod debet.

93. Quòd autem non debeat, nec poſſit ad id compellere, quandò incommoda dicta ſequuntur, ex eo liquet, quia tantum eſt iudicis compellere ad Matrimonium, quandò expedit fini Matrimonij, ſecùs tamen quandò contra illum eſt, cum ex fine Matrimonij neceſſitas medinrum conſurgat, ſed quando incommoda dicta imminent, vel timentur, non expedit Matrimonio, nec fini eius, quòd in tali caſu contrahatur, vt ex ſe conſtat: Ergò non debet iudex ad hoc compellere nolentem, debet tamen ipſum obligare ad reſarciendum damnum datum ſponſæ ex ſola violatione fidei ſponſalium ex eo, quod mulier, cui fides violatur, virum ſibi æqualem pòſtea non inueniet. In tali caſu ſponſus debet reſarcire detrimentum, & augere dotem, ſi fuerit neceſſarium, & ad hoc debet compellere confeſſarius in iudicio pœnitentiæ. & etiam iudex in foro exteriori, quod ſi omittat, peccat contra iuſtitiam, & tenetur reſtituere, vt benè inquit Petrus de Ledeſm. *in addit. ad 3. p. q. 43. art. 1. dif. 3. concluſ. ult.*

*Quis debeat eſſe iudex circa hanc cauſam.*

94. Et ſi inquiras, à quo iudice debeat compelli fidem ſponſalium ſeruare nolens? Reſpondetur

cum

cum Sanch. *lib. 1. diſput. 29. num. 9.* Becan. *vbi ſup. num. 6.* Dicaſt. *tract. 10. diſput. 1. dub. 25. num. 360.* Palao, *diſp. 1. punct. 8. num. 6.* Baſil. *lib. 12. cap. 6. num. 5.* iudicem competentem huius coactionis eſſe tam Eccleſiaſticum, quam ſæcularem: Eccleſiaſticum quidem ſemper, ſæcularem verò, quandò iam conſtat de certitudine ſponſalium, quia ſi de hoc ſit dubitatio, non ad ipſum, ſed ad Eccleſiaſticum ſpectat; ſed quandò conſtat valida fuiſſe ſponſalia, poteſt iudex ſæcularis obligare ad adimpletionem eorum, etiamſi iuramento firmata ſint. Nec obſtat quod dicitur *l. 7. tit. 1. partit. 4. Eſta apremia debe ſer fecha por la Santa Igleſia.* Nam hoc intelligitur regulariter, quomodò ſolent oriri dubitationes circa valorem ſponſalium, vel circà ſufficientiam cauſæ reſcindendi ea, quod decidere pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum.

## PVNCTVM VIII.

### *Vtrum in ſponſalibus apponi poſsit obligatio ad pœnam?*

*Diuerſis modis poſſunt pœna aſſignari.*

95. POena in ſponſalibus adiecta poteſt eſſe duplex: Poſitiua, quæ verè rationem pœnæ induit, & conſiſtit in diminutione poſſeſſionis, aut patrimonij, vt ſi quis Mariæ promittat Matrimonium ſub promiſſione, vt ſi à tali promiſſione reſiliat, teneatur mille aureos ſoluere: Vel negatiua, quæ conſiſtit in amiſſione alicuius lucri, vt ſi quis promittat mulieri centum ſe daturum, ſi nubat ſecum, aliter non daturum; aut teſtator relinquat virgini legatum, ſi cum tali, vel tali Matrimonium contrahat, aliter legatum amittat: quod adhùc dupliciter poteſt eſſe, vel retrahendo a Matrimonio, vt ſi dicat: *Promitto tibi centum, ſi non nupſeris*, vel inducendo, & alliciendo ad illud, vt ſi dicat: *Promitto, ſi duxeris.* De his omnibus hoc puncto ſuo ordine pertractabimus.

*Pœnam ſponſalibus apponere illicitum, & irritum eſt.*

96. Et incipiendo à primo, certum eſt apud omnes illicitam, imò inualidam eſſe appoſitionem pœnæ in ſponſalibus, vt quis teneatur nummos, vel quid ſimile ſoluere, niſi Matrimonium promiſſum celebret, hæc enim conuentionalis, & pœnalis promiſſio prohibetur, & irritatur tam in iure Canonico, vt patet ex *capit. Gemma, de ſponſal.* quàm in *Ciuili, leg. Titia, ff. de verbor. obligat. leg. fin. C. de ſponſal.* & iure Regio, *leg. 39. tit. 11. partit. 5.* Et ratio decidendi ea eſt, vt Matrimonij libertas minimè lædatur, ſed liberè celebretur. Si autem quis ad pœnam appoſitam eſſet obligatus, nec illam ſubiret, etiam coactè, & inuoluntariè Matrimonium iniret, ex quo iurgia, & diſſenſiones inter coniuges inſurgerent, non ita educationi filiorum intenderent, quod frequenter ex Matrimonijs abſque voluntate contractis oriri, experientia ipſa teſtatur, quare peccaret mortaliter qui ſciens, & aduertens ad has prohibitiones talem pœnam ſponſalibus apponeret, vt docent Bonacin. *quæſt. 1. punct. vltim. num 3.* Auerſ. *quæſt 8. ſect. 9.* eo quod lex irritans, & prohibens aliquem contractum, vel actionem etiam prohibet conari ad illam, & cum materia ſit valdè grauis, non poteſt non eſſe læthale tendere contra legem in illa, quamuis Caietan. & Armil. *verb. Sponſalia*, Sanchez, *lib. 1. diſput. 30. num. 2.* Trullench, *lib. 7. cap. 1. dub. 10. num. 4.* Perez, *diſput. 6. ſect. 7.* dicant non eſſe mortale, ſed ad ſummum veniale peccatum, talem pœnam ſponſalibus apponere, ſed veriùs eſt quòd diximus.

*Etiam quando à parentibus, fratribus, &c. talis pœna apponitur.*

97. Idem dicendum eſt, quando pœna adiecta eſt in ſponſalibus non ſolum à ſponſis, ſed vel à parentibus, à conſanguineis, vel ab amicis ipſorum, quòd nimirùm inualida ſit talis conuentio, & ſtipulatio, vt communiter ab omnibus admittitur, quia finis, & intentum legis etiam in his caſibus ſaluatur, nimirùm ne minuatur libertas contrahendi Matrimonium, quia timore ducti ne parentes, &c. talem pœnam ſoluant, illud celebrarent, quamuis aliàs nullum illius effectum haberent, ſecùs tamen accidit, quando ab extraneis motu proprio talis pœna apponeretur: tunc enim licita, & valida eſſet conuentio, exinde enim libertas Matrimonij non minueretur, eo quod extraneorum damnum non ita urgeret ſponſos ad Matrimonium, vt propter illud abſque libertate contrahere iudicandum ſit. At verò ſi non motu proprio, ſed inducti à ſponſis huiuſmodi pœnam ſponſalibus apponerent, illicita, & inualida eſſet ſtipulatio, quia perinde eſſet, ac ſi ab ipſis contrahentibus eſſet appoſita. Totum quod hoc numero, & præcedentibus dictum eſt, etiam eſt tenendum, quando pœna eſſet exigua, leges enim omnem pœnam ſponſalibus apponere vetant, nec diſtingunt inter grauem, vel exiguam, quia ſemper aliqualiter libertas contrahentium minueretur: & ſi per accidens id in aliquo caſu non accideret, lex non ad ea, quæ per accidens occurrunt, attendit, ſed ad id, quod per ſe, & frequenter accidere ſolet, Palao, *diſput. 1. punct. 9. num. 1.* Auerſ. *loc. cit.* Gregor. Lopez, *leg. 39. tit. 11. part. 5.* Sanchez, *lib. 1. diſp. 30. n. 11.* N. Cornejo. *tract. 6. diſp. 2 dub. 7.*

*Promiſſio pœna iniuſtè reſilienti poſita etiam nulla eſt ſecundum aliquos.*

98. Sed quæres primò: An dicta intelligenda ſint etiamſi iniuſtè quis vellet à ſponſalibus reſilire? An nimirum inualida eſſet adiectio pœnæ impoſitæ ei, qui iniuſtè nollet fidem ſeruare? Circa hoc eſt duplex ſententia. Prima aſſerit obligationem pœnæ ſponſalibus adiectam eſſe iniuſtam, & inualidam, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè fidem quis frangere velit, & ideò non teneri nec in foro externo, aut conſcientiæ eam ſoluere, qui ab his ſponſalibus iuſtè, vel iniuſtè reſiliret, eo quod leges propoſitæ prohibeant obligationem pœnæ ſponſalibus omnibus adjicere, talemque obligationem inualidam reddant, quia ſemper ſaluatur intentum, & finis legis, nimirùm, quòd Matrimonium liberè contrahatur, quæ libertas minueretur, ſi pœna reſilienti iuſtè, vel iniuſtè à ſponſalibus imponeretur. Ita tenent Sanchez, *num. 2.* Auerſ. Becan. *cap. 43. quæſt. 16. num. 2.* Dicaſtill. *tract. 10. diſp. 1. dub. 16.* Trullench, *capit. 1. dub. 10. num. 1.* Bonacin. *num. 1. & 264.* N. Cornejo *in 3. p. diſp. 2. dub. 7.* olimque cenſebatur inter Doctores commune.

*Promiſſio pœna iniuſtè reſilienti appoſita valida eſt.*

99. Secunda, & verior ſententia docet, inualidam eſſe talem promiſſionem, ſi apponatur iuſtè reſilienti, vel ſine diſtinctione iuſtè, vel iniuſtè fidem ſponſalium frangenti; at verò ſi apponere-

tur

tur iniuſtè ab eis recedenti, iuſtam, & validam eſſe, proindeque teneri in vtroque foro eam ſoluere, qui frangeret iniuſtè ſponſalia ſub tali pœna promiſſa. Ad hoc inclinatur Conineb, *diſput.22. dub.5.num.29.* & abſolutè docet Leand. *tractat 9. diſp.1. quaſt.52.* Diana, 3 *part. tractat. 4 reſolut.211.* Baſil. *lib.12. cap.19. num. 8.* Palao, *num 3. qui citat* Suarez, *tom.2. de Relig. lib.2. de iuram. cap.23. num.5.* Vaſq. *opuſcul. de teſtam. cap.3 dub.2.num.* 28 Laym. *lib.5.tract.10.cap.19. num.8.*

*Probatur dicta ſententia.* 100. Cuius ratio eſt, quia nec iure naturali, nec poſitiuo eſt nulla talis pœnalis conuentio; non quidem iure naturæ, quod omnes concedunt, quia non eſt nec contra rationem, nec contra naturam Matrimonij, eo quòd talis obligatio ex voluntate imponentis oritur, & ſic ex natura rei libertatem non adimit Matrimonij; Nec etiam iure poſitiuo, ius enim Canonicum *in capit. Gemma cit.* loquitur de ſponſalibus inter impuberes celebratis, qui iuſtè poſſunt, cum ad pubertatem peruenerint, reſilire. Reliqua autem iura vel correcta ſunt per *Nouellam* 18. Leonis Imperatoris, ubi approbatur impoſitio pœnæ iniuſtè fidem frangenti ſponſalium, vt quidam volunt, vel ſolùm loquuntur, quando poteſt quis liberè à ſponſalibus recedere: eo quòd ratio decidendi in illis eſt, ne libertas Matrimonij lædatur, & conſequenter, quando non poteſt quis liberè reſilire (uti accidit, quando ſine iuſta cauſa renuit fidem datam obſeruare) non prohibent pœnam imponere, eritque proinde obligatio eam obſeruandi.

*Quid quando promiſſio fuit iurata?* 101. Secundo inquires: An obligatio ad pœnam, quæ in noſtra ſententia inualida eſt, ſi imponatur iuſtè reſilienti, & in alia omnibus ſponſalibus impoſita, ſi ſub iuramento imponatur, firmet contractum, vel ſaltem tale iuramentum obliget, niſi relaxatio illius obtineatur? Coninch, *num.* 24. iudicat, talem promiſſionem, aliàs inualidam, firmari iuramento, Leſ. verò, *de iuſtit. lib.2. cap.20. num.135. & Molin. de iuſtit. & iur. diſput.151. num.22.* dicunt tale iuramentum, licet promiſſionem non firmet, obligare, & ſub fide Deo data teneri, qui iuramentum emiſit, illud adimplere, quamuis detur illi reſtitutio in integrum, habeatque actionem ad repetitionem dati, vel poſſit relaxationem iuramenti ab Epiſcopo accipere. Et ratio illorum eſt, quia iuramentum debet impleri, quoties licitè impleri poteſt, & eſt de re licita; at licet ſtipulatio dicta illicita ſit, ſolutio tamen pœnæ illicita non eſt, nec à lege prohibita: & ideò non peccaret nec venialiter, qui ſolueret liberè pœnam impoſitam: Ergo, &c

*Etiamſi iuramento firmetur talis promiſſio, non obligat.* 102. Veriùs tamen dicendum eſt, tale iuramentum nec confirmare promiſſionem, nec aliquam obligationem inducere, & ideò abſque relaxatione poſſe ſine peccato, non adimpleri. Sic N. Coninch. N. Anton. *ſect.* 12. *num.79.* Sanch. *lib.1.diſput.32.num.21.* Auerſ. Dicaſtill. *dub.27. num.371.* Trulleneb, *ubi ſup.num.3.* Palao, *num. 6.* Baſil. *num.7.* Quòd autem tale iuramentum non firmet promiſſionem, probatur, quia actus principaliter prohibitus ob publicam utilitatem, non firmatur iuramento, vt ſumitur ex *textu in cap. ſi diligenti, de foro compet.* ubi definitur, irritum eſſe pactum etiam iuratum, quo Clericus quidam ſibi conſtituit iudicem ſæcularem, eo quod priuilegio Clericorum conceſſo in communem ſtatum Clericorum, ſit contrarium, ſed promiſſio pœnæ in ſponſalibus eſt primò, & principaliter prohibita propter bonum publicum, cum ratio prohibitionis ſit propter libertatem Matrimonij, ex qua bonum, & tranquillitas Reipublicæ maximè pendet: Ergo, &c.

103. Quòd verò nec obliget tale iuramentum, probatur, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, ſed eſſet, ſi in tali caſu obligaret. Tum, quia ipſa obligatio pœnæ eſt prohibita per legem, eſto ſolutio pœnæ non eſſet prohibita: Ergò ſi iuramentum poneret obligationem, eſſet vinculum iniquitatis. Tùm etiam, quia ipſa ſolutio pœnæ, vt debita virtute promiſſionis eſt mala, & prohibita, quia per eam tacitè approbatur promiſſio iniuſtè facta. Tùm denique, quia talis promiſſio, licet non ſit contra bonos mores naturales, quia non eſt à natura prohibita, eſt tamen contra bonos mores ciuiles, eo quod eſt contra bonum pacis, & tranquillitatis Reipublicæ, quod ſufficit, vt iuramentum ad eam obligare nequeat.

104. Sed objicies primò: Qui iurat ſoluere pecuniam ludo perdendam, tenetur, ſi perdiderit, eam ſoluere lucranti, & tamen ludus, pecuniâ non appoſitâ, ſed creditâ, prohibitus eſt à lege, & irrita promiſſio ſoluendi, *leg.8. & 9. tit.7. lib. 8. Recopilat.* Ergò ſimiliter in noſtro caſu. ¶ Secundò, qui iurauit ſoluere pretium promiſſum mulieri pro illicito vſu ſui corporis, tenetur iuramentum ſeruare, & pretium ſoluere, quamuis promittens illud peccauerit: Ergò ſimiliter, quamuis peccauerit, qui promittit pœnam, ſi non obſeruet fidem, ſi tamen hoc iurauit, tenebitur ad eius ſolutionem. ¶ Tertiò, qui iurauit promiſſionem reddendi vſuras pro pecunijs debitis, tenetur iuramentum ſeruare, vt conſtat *ex cap. debitores, de iureiurand.* quamuis poſt earum ſolutionem creditores compellendi ſint, vt eas reſtituant: Ergò idem dicendum eſt in præſenti. *Triplex in oppoſitum obiectio.*

105. Reſpondetur ad primum, admiſſa maiori, & minori, negando conſequentiam, quia talis ludus prohibitus non eſt primò, & principaliter ob bonum commune, ſed propter utilitatem particularem, ne iſte imprudenter ſuum patrimoniũ dilapidet, cum faciliùs ſit de rebus creditis diſpendium, quàm de bonis præſentibus, & appoſitis, quod in utilitatem cedit particularis: Reipublicæ autem parum intereſt, quòd talia bona apud iſtum, vel illum inueniantur, & ſic talis promiſſio firmatur iuramento, eiuſque adimpletio non eſt mala; at promiſſio pœnæ in ſponſalibus appoſita, ob utilitatem communem eſt prohibita, eiuſque ſolutio modo dicto eſt mala, & ſic eſt diſpar ratio utriuſque. ¶ Ad ſecundum concedendum eſt antecedens, & neganda conſequentia, quia illa promiſſio ſolùm eſt mala, vt eſt inductiua ad peccatum, ſed non eſt mala, vt à tali inductione præſcindit, quare ſolutio talis pretij bona eſt, imò debita, vt pretium rei vendibilis, & ſic talis promiſſio firmatur iuramento, & obligat, quod non accidit in præſenti. ¶ Ad tertium dicimus, ſolutionem uſurarum in caſu, de quo loquitur ille textus, eſſe licitam, & bonam, quia eſt actus charitatis er- *Omnium ſolutio.*

ga

ga ſe ad redimendam ſuam vexationem, quod in præſenti non inuenitur.

*An recipiens pœnam, eam reſtituere teneatur.*

106. Tertiò quæres: An ſi aliquis, vel quia ignorabat non habere obligationem ſoluendi pœnam, vel quia ad hoc non aduertit, ſolueret illam, recipiens teneretur ante ſententiam iudicis eam ſoluenti reſtituere? Circa quod eſt etiam duplex ſententia ſatis probabilis. Prima aſſerit, teneri in conſcientia ad talem ſolutionem. Ita Soto, *lib. 4. de iuſtit. & iur. quæſt. 5. art. 2.* Ludouic. Lupez, *lib. 2. de contract. cap. 22 fol. 287.* Alcorer, *lib. de Ludo. cap. 30.* Medina, *lib. 1. ſumm. cap. 14. §. 29.* Et idem eſt de eo, qui perdita in ludo prohibito ſoluit, quòd ad eius reſtitutionem teneatur recipiens. Et ratio illorum eſt, quia recipiens nullum ius habet ad pœnam, quia irrita promiſſio nullum ius parit: Ergò tenetur id, quod recepit, reſtituere.

*Non teneri eam reſtituere, aliqui aſſerunt.*

107. Secunda ſententia ex aduerſo docet, non dari in conſcientia talem obligationem reſtituendi, ſed dari actionem in ſoluente aduerſus eum, qui talia recepit, & in foro exteriori poſſe compellere, vt reddat, & ad hoc à iudice debere obligari, ſed quamdiù hoc à iudice non declaretur, poſſe tuta conſcientia illud ſibi retinere, niſi fortè per minas, vel fallaciam, aut alio modo actionem partis impedierit, & à repetitione debiti retraxerit. Ita Coninch, *num. 26.* Leſ. *c. 26. dub 3. & 4.* Sanch. *lib. 1. diſp. 31. num. 2.* Et probatur: Tum, quia iura ſolum irritant promiſſionem ſoluendi pœnam, ita vt promittens vi promiſſionis ad id non teneatur, non tamen impediunt dominij tranſlationem, nec alterum reddunt inhabilem ad recipiendam rem promiſſam: Ergo quandò promittens vult eam ſoluere, non tenetur promiſſarius ad redditionem. Tum etiam, quia legatarius in teſtamento minùs ſolemni non tenetur reſtituere legatum, quod recepit, quamuis hæres non teneretur illud ſoluere. Tum denique, quia ludens pecuniâ creditâ non tenetur eam ſoluere, ipſo tamen ſoluente, alter ad reſtitutionem non obligatur, quamdiu per iudicem ad hoc non compellitur, etiamſi talis ludus pecuniâ non appoſitâ, ſed creditâ ſit vetitus; & promiſſio irrita iure Regni, vt ſuprà vidimus.

*Sub diſtinctione reſpondendum.*

108. Nos verò cum Dicaſtill. *num. 388.* Palao, *num. 9.* ita cum diſtinctione reſpondemus, & ad concordiam vtramque ſententiam reducimus, nam vel promittens ſoluit pœnam, vt promiſſis etiam nullis ſtet, ſciens indebitam eſſe, & tunc poterit recipiens eam retinere, donec oppoſitum in foro exteriori iudicetur, quia eo caſu non ſoluitur pœna quatenùs debita virtute promiſſionis, ſed donans, vel cedit iuri ſuo, & vult ſpontaneè eam donare, vel tantum vult fidem ſuam ſeruare, etiamſi ad hoc non teneatur, quod iura non prohibent, ſed irritam reddunt promiſſionem, & ſolutionem virtute illius factam, vt obligatoriam prohibent, & annullant, & hoc ſenſu videntur loqui Authores ſecundæ ſententiæ. Vel ſoluit pœnam ſponſalium, eo quòd credit ad hoc eſſe obligatum, & hoc modo recipiens non poteſt in conſcientia eam retinere, eo quòd talis obligatio nulla, & irrita eſt per iura, nec cenſetur donans cedere iuri ſuo, aut ſpontaneè donare, & in hoc ſenſu videntur loqui Auctores primæ ſententiæ, quod etiam in caſu de ſolutione pecuniæ perditæ per ludum vetitum cenſendum eſt: in alio verò de legatario eſt dubium, de quo ſuo loco dicemus.

*Pœna negatiua ab extraneis poteſt apponi.*

109. Circa ſecundam partem huius puncti de pœna negatiua, ſeu de lucro non acquirendo, quando aliquis à ſponſalibus reſiluit, ſciendum eſt, hanc pœnam poſſe poni vel à contrahentibus, vel ab extraneis, ſi ab extraneis ponatur, vt ſi quis dicat: *Lego tibi centum, ſi cum tali nupſeris, vel promitto totidem, ſi cum tali nupſeris*; talis promiſſio valida eſt, ita vt qui non nupſerit, lucrum, vel legatum amittat, quia hoc propriè non eſt pœnam apponere, ſed ſpecie lucri ad Matrimonium allicere, quod honeſtum, & bonum eſt. Vndè hoc expreſſè eſt deciſum in *l. Titio, §. 1. ff. de condition. & demonſtrat. & l. 1. C. de inſtit. & ſubſtitut. & iure Regni, l. 4. & l. 22. tit. 9. p. 6.* quæ doctrina fallit in duobus caſibus. Primus, quando talis pœna apponitur in legitimâ, quæ inualida eſt, eo quòd priuatio illius haberet verè, & propriè rationem pœnæ, quæ non poteſt Matrimonio contrahendo apponi. Secundus, quando is, cui hæreditas, vel legatum relinquitur, non grauatur ducere indigno, vel inhoneſto modo, nam ſi ità ſit talis conditio cenſetur inualida, *l. cum ita legatum, ff. de condition. & demonſtrat. §. videamus, l. 32. tit. 9. par. 6.* eo quòd talis conditio cenſetur non natura, ſed iure impoſſibilis, id enim poſſumus, quod iure, & honeſtè poſſumus, *l. nepos Proculo, ff. de verb. ſignific.* ex quo ſequitur legatum puellæ relictum, ſi Petro nubat validum eſſe, etiamſi illa de conſenſu patris non Petro, ſed alteri nubat, nam virgo, niſi de parentis conſenſu, nulli poteſt honeſtè nubere, quæ omnia communia ſunt apud Auctores.

110. Similiter eſt apud omnes receptum, vt ſi à contrahentibus talis pœna apponatur, quando à viro ponitur ſic: *Dabo tibi centum, ſi mecum contraxeris*, eſt inualida; valida tamen eſt, ſi à muliere imponatur, promittente ipſa centum, ſi cum ea vir nupſerit, quare ſecuto primò modò Matrimonio, non tenetur vir ſtare promiſſis, benè tamen mulier in ſecundo caſu. Sic Sanch. *lib. 1. diſp. 33. num. 3.* N. Cornejo, *tract. 6. diſp. 2. dub. 7.* Prima pars huius aſſerti expreſſè habetur, *l. ſi ita ſtipulatus fuero, §. ſi tibi nupſero, ff. de verb. ſignif.* Secunda verò pars, quòd videlicet ſit valida promiſſio à fœmina adiecta; definitur ab Alexand. III. *cap. de illis, de condit. appoſit.* Et ratio eſt, quia præſumitur id facere cauſa libidinis, quando vir promittit mulieri, ob quam cauſam, quia turpis eſt, promiſſio à iure inualidatur, niſi quando vir ignobilis, aut ſenex aliquid mulieri nobili, & iuueni promittit, quia tunc non cauſa libidinis id facere præſumitur, ſed in ſatisfactionem iuuentutis, aut nobilitatis, quæ ſuo modo diminuitur cum ignobili, aut ſene contrahendo, *l. mulieri, C. de dignitatibus, lib. 12.* At verò quando fœmina viro promittit, tantum ſe daturam ſi ſecum nubat, id fieri cauſa dotis præſumitur, & ſic talis promiſſio tenet.

111. Si autem pœna de amittendo, ſeu non acquirendo lucro ad retrahendum à Matrimonio apponatur, vt ſi aliquis promittat centum alicui, ſi non nupſerit, dicendum eſt, quòd ſi fœmina vidua fuerit, id eſt Matrimonium ratum conſummauerit, talis promiſſio, vel legatum ſub illa conditione relictum, ſunt valida, & licita, & ſic

ſi

ſi ipſa nupſerit, id lucrum amittet. Ita Molin. *tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſput. 207. fol. 1264.* Matiene. *lib. 1 Recopil. tit. 1. leg. 3. gloſſ. 2. n. 14* Sanch. *lib. 1. diſp. 36. num. 29. & habetur in Authent. de nuptijs, § quæ verò, collat. 4. & Authent. cui relictum, C. de indict. vidui.* Nam honeſtum eſt à ſecundis nuptijs abſtinere, *cap. fin. 31. quæſt. 1.* Vndè conditio nuptias prohibens, in hoc caſu valida eſt, & in legato, vel contractu admittitur.

112. Quandò verò virgini, id eſt quæ nunquam nupſit, ac Matrimonium conſummauit, conditio apponitur abſtinendi à Matrimonio, vt ſi donatio, vel legatum illi fiat ſub conditione ducendi vitam cælibem, ſi talis conditio adijciatur contractui, non reijcitur, ſed illum vitiat, irritumque reddit. Ratio eſt, quia hæc conditio iure reputatur impoſſibilis, Enriq. *lib. 11. de matrim. cap. 12. num. 6.* Becan. *cap. 43. quæſt. 18. n. 2.* eo quod à iure reprobatur, vt ſtatim dicemus, & quæ improbantur à iure, vocantur impoſſibiles, *l. conditiones contra edictas ff. de condition.* Ea enim ſolùm poſſumus, quæ iure poſſumus, ſed conditiones impoſſibiles ſiuè iure, ſeu naturâ contractibus adiectæ non reijciuntur, ſed eos irritos reddunt. Si autem talis conditio abſtinendi à Matrimonio adiuncta ſit legato non vitiat legatum, ſed reijcitur. Vndè ſi virgini legentur mille, ſi non nupſerit, obtinebit illa, ac ſi purè, & abſque omni conditione relicta eſſent. Habetur expreſsè *l. quoties 22. l. cui tale 71. & l. Titiæ ſi non nupſerit. ff. de condit. & demonſtrat.* Et ratio decidionis eſt, quia vt habetur *ex l. 2. C de indict. vidui* Reipublicæ intereſt, vt multis ex legitimo Matrimonio procreatis, augeatur

113. Ratio autem, quare conditio naturâ, vel iure impoſſibilis non reijciatur à contractibus, ſed eos vitiet, & irritet; ſi tamen legato adijciatur, reijcitur, & legatum tenet, ea eſt, quòd in contractu cum contrahentes ſint ſuperſtites, poſſunt conditionem impoſſibilem illum vitiantem à contractu repellere, & eum ad debitum modum reducere; at teſtator, qui mortuus eſt, hoc non poteſt facere. Vndè oportuit, quòd per legem ipſam reduceretur ad modum debitum legatum, reijciendo turpem conditionem. Quarè idem dicendum eſt, quandò talis conditio adiecta eſt donationi causâ mortis, eò quòd conditiones impoſſibiles non tantùm à legato, ſed à donatione causâ mortis reijciantur, *leg. quæ ſub conditione, & in morte, ff. de condit. inſtitut. &* docet Sanchez, *lib. 1. diſp. 34. num 3.*

## CAPVT II.

### *De cauſis, quibus ſponſalia diſſoluuntur.*

CErtiſſimum eſt apud omnes, poſſe ſponſalia diſſolui, eo quòd nec ſint Sacramentum, neque vinculum indiſſolubile, darique proindè cauſas, quibus non ſolùm validè, ſed etiam licitè diſſoluantur, quòd habet D. Thom. *in 4. diſt. 27. quæſt 2. art. 3. & in addit. ad 3. part. quæſt 43. art. 3* ſed quænam ſint iſtæ cauſæ, erit huius capitis materia, poſtquàm de natura, & conditionibus ſponſalium egimus capite præcedenti. Hoc continet ſeptem puncta.

*Punct. I. An mutuo conſenſu contrahentium diſſoluantur ſponſalia? num. 1.*

*Punct. II. An, & quomodò diſſolui poſſint ſponſalia per ingreſſum Religionis, ſuſceptionem Ordinis, & emiſſionem voti? num. 16.*

*Punct. III. An, & quomodò priora ſponſalia diſſoluantur per ſubſequens Matrimonium, vel per noua ſponſalia? num. 36.*

*Punct. IV. Quomodò diſſoluantur ſponſalia ob lapſum temporis, vel per abſentiam ſponſi? num 50.*

*Punct. V. Quibus cauſis ſuperuenientibus poſſint ſponſalia diſſolui? num. 63.*

*Punct. VI. Quibus cauſis antecedentibus poſſint ſponſalia diſſolui? num. 85.*

*Punct VII. Qua authoritate debent diſſolui ſponſalia? Et quæ probatio erit ad hoc ſufficiens, & requiſita? num. 100.*

## PVNCTVM I.

### *An mutuo conſenſu contrahentium diſſoluantur ſponſalia?*

*Mutuo conſenſu diſſoluuntur ſponſalia.*

1. COnclusio eſt affirmatiua, quam docet D. Thom. *in 4. diſt. 27. quæſt 2. art 3. ad 5. & 3. part. quæſt. 43. art. 3. ad 5* eſtque communis inter Doctores, quandò vtraque pars liberè, & ſpontaneè remittit obligationem alterius, & in diſſolutionem fidei datæ conſentit. Et ratio eſt, quia quæcumque res, per quas cauſas producitur, per eaſdem diſſoluitur, *cap. 1. de regul. iur. & cap. omnis res 27. q. 2.* ſed ſponſalia generantur mutuo contrahentium conſenſu: Ergo mutuo vtriuſque conſenſu diſſoluuntur.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

2. Sed objicies, quod in *capit. ex parte, de ſponſalibus*, dicitur: *Qui de Matrimonio contrahendo fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, vt præſtitam fidem obſeruent, ſi autem ſe ad inuicem admittere noluerint, ne deteriùs inde contingat, poteſt in patientia tolerari.* ¶ Reſpondetur, omiſſis varijs ſolutionibus huic textui ab Authoribus adhibitis, non eſſe ſenſum illius, ſponſalia mutuo conſenſu licitè non poſſe diſſolui, & tanquam minus malum permitti, ſed potius ex eo deduci, id ſinè culpa fieri poſſe, cum ibi dicatur: *Ad inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contraxerunt, & poſteà eandem ſibi remittunt.* Quod vtique poteſt ſimplici eorundem contrahentium voluntate fieri; quia verò ſi abſquè aliqua cauſa rationabili ſponſalia diſſoluantur, id fit cum nota inconſtantiæ: multiſque datur occaſio obloquendi, & murmurandi, quod, quamvis non ſit peccatum, debet euitari. In verbis adductis dicitur: monendos eſſe ſponſos, vt ſibi fidem ſeruent, quòd ſi noluerint, toleretur, non tanquam res malè geſta, ſed in opinione aliorum non ità decens, & honeſta.

*Si vtraque pars abſque violentia conſentiat.*

3. Diximus, *ſi vterque liberè, & ſpontaneè fidem alterius remittat*, ſi autem aliqua pars dolo, vi, metu, aut precibus importunis remiſſionem alterius extorqueat, non liberatur ab obligatione ſponſalium, debet enim vterque liberè in talem diſſolutionem conuenire. Similiter etiam dicendum eſt, quandò vna pars requirit aliam ad contrahendum, & recuſat, tunc illa pars, quæ

remit fidem obſeruare, io hoc peccat mortaliter, & non liberatur ab obligatione ſponſalium, alia verò pars, quæ requirit, libera manet, & poterit, cui voluerit, nubere, vel in cælibatu perſiſtere, quia frangenti fidem, non eſt ſeruanda fides, *leg. cum proponens, C. de pactis*. Cenſetur autem admonitus recuſare, aut ſi expreſsè dicat ſe nolle ſtare promiſſis, aut ſi nimis differat adimpletionem, vel quia præfixum fuit tempus pro contrahendo Matrimonio, & illo tranſacto, adhuc differt illud celebrare, vel ſi tale tempus præfixum non fuit, per aliquot annos differt adimpletionem promiſſionis, niſi aliqua iuſta cauſa talis dilationis occurrat, illâ namque interueniente, non amittit ius ſuum, nec cenſetur relaxare obligationem alterius, vt docet Bonacin. *q.1. punct.6. n.6.* Baſil Ponc. *lib.12. cap.16. num.6.* Sanchez, *lib.1. diſp.53. num.7.*

*Etiamſi iuramento firmentur, poſſunt mutuo conſenſu diſſolui.*

4. Sed inquires: An ſi ſponſalia iuramento firmata fuerint, poſſint mutuo conſenſu diſſolui? Reſpondetur affirmatiuè, quia iuramentum adiectum ſponſalibus, cenſetur fieri iuxta conditionem illorum, quarè ſi illa mutuo conſenſu diſſolui poſſunt, etiam iuramento firmata. Maximè, quia cum ſit in commodum partis tale iuramentum emiſſum, cenſetur fieri ſub illa conditione, ſi pars non reſpuat, ſi non reſiſtat, & hoc modo à Deo acceptatur; quare ſi vtraque pars diſſentiat, ſicut ſponſalia corruunt, & ſic ceſſat materia iuramenti, ceſſat etiam ipſum iuramentum. Eſt communis inter Doctores, & docet D. Thom. 2. 2. *q.89. art.9. ad 2.*

5. Sed maior difficultas eſt, ſi tale iuramentum non præciſè eſſet emiſſum in commodum partis, ſed in honorem Dei, & causâ pietatis, vt ſi quis iuraret pauperem fœminam ducere, ad ſubleuandam illius inopiam, propter amorem Dei? ¶ Sed adhuc dicendum eſt, poſſe tale iuramentum per remiſſionem partis relaxari: Ita Becan. *cap. 43. quæſt. 27. n.2.* Villalob. *tract.12. difficult.12. num.1.* Dicaſt. *tract.10. diſp. 1. dub.34. num.* 508. Auerſ. *quæſt.8. sect.11.* Leſſi. *lib.2. cap.42. dub 12. num* 57. Palao, *diſp.1. punct. 17. num.4.* Coninch, *diſp.23. dub.1. n.2.* Leand. *tract.9. quæſt.21.* Sanchez, *lib.1. diſp 52. num.8.* N. Gabr. *diſp.5. quæſt.3.* Franciſc. *num.86.* Anton. *num.142.* Et ratio eſt eadem, quia quando iuramentum in commodum partis emittitur, etiamſi propter amorem Dei tale commodum intendatur, ſemper illam conditionem implicitam habet, niſi altera pars recuſet, vel diſſentiat, ac proindè illâ diſſentiente, nullum remanet iuramentum.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

6. Nec refert ſi obijcias, quod D. Thom. 2. 2. *quæſt.89. art.9. ad 2.* ita ait: *Quod homo poteſt alteri promittere aliquid ſub iuramento dupliciter, vno modo, quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipſius, putà ſi ſub iuramento promittat ſe ſeruiturum ei, vel pecuniam daturum, & à tali promiſſione poteſt abſoluere ille, cui promiſſio facta eſt, intelligitur enim iam ei ſoluiſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum eius voluntatem. Aliò modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem aliorum, puta ſi aliquis ſub iuramento promittat alicui ſe intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum, & tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſoluere promittentem, quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo.* ¶ Reſpondetur. D. Thom. loqui de promiſſione, quæ non cedit in commodum alterius partis, ſed præciſè in honorem Dei, vt eſt illa, quâ aliquis promittit alteri ſe ingreſſurum Religionem. Si verò talis promiſſio etiam iuramento firmata in commodum alterius cedat, quamvis ob amorem Dei ſit facta, alterâ parte remittente, non perſiſtit, quia ibi implicita eſt conditio iam dicta, ſub quâ emiſſum eſt iuramentum, & ideò S. Doctor in fine illius ſolutionis addit: *Niſi fortè ſit interpoſita conditio, ratione cuius poſſit, ſcilicèt ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale.*

*Non tenetur quis nubere, cum iurauit fœminã pauperem ducere.*

7. Sed occaſione huius inquires: An ſi aliquis promitteret Deo feminam pauperem ducere, nullam determinando, teneatur Matrimonium cum aliquâ contrahere, vel poſſit aliam, quæ non ſit pauper, ducere? ¶ Reſpondetur non teneri aliquam ducere, & datâ hypoteſi, quod vellet nubere, poſſet etiam cum diuite contrahere. Ita Baſil. *cap.9. num.2.* Leand. *quæſt.12. & 23.* Ratio primi eſt, quia iuramentum Deo factum, & non in fauorem determinatæ perſonæ cum voto coincidit, votum autem debet eſſe de re meliori, cum autem melius ſit in cælibatu viuere, quam aliquam ducere, vt docet *Concilium Trident. ſeſſ.* 24. *Can.* 10. non tenetur in tali caſu qui iurauit, cum aliquâ nuptias celebrare. Et indè ratio ſecundi deducitur, quia ſi ex vi iuramenti non tenetur aliquam pauperem ducere, ex nulla ratione obligabitur, & ſic liber manebit ad nubendum cui voluerit.

*Impuberes antè pubertatem non poſſunt ſponſalia reſcindere.*

8. Hactenus dicta intelligenda ſunt de ſponſalibus contractis inter puberes, ſponſalia verò ab impuberibus celebrata diſſolui non poſſunt mutuo illorum conſenſu, antequam ad ætatem pubertatis adueniant, ſi verò poſtquam ad eam peruenerint, ſtatim reclamauerit, vel vterque, vel alter illorum, ſponſalia diſſoluuntur. Ita habetur *cap. de illis, cap. à nobis, de deſponſat. impub.* Ratio vnius eſt, ne propter inconſtantiam ætatis ſæpè contrahant, & ſponſalia reſcindant. Ratio verò alteriùs, ne cogantur approbare, quod in tenerâ ætate fecerunt. Quod non ſolum intelligendum eſt de veris ſponſalibus, ſed etiam de præſumptis, vt quandò impuberes Matrimonium de præſenti contraxerunt, quod vim ſponſalium habere, quamvis ſit nullum Matrimonium, diximus *cap præc. n.51.* & dicitur in *cap. à nobis, de deſponſat. impub.* & docet Dicaſt. *diſp.23. num.* 498. Sanchez, *diſp.51. n.13.*

*Debent intrà triduum reclamare.*

9. Diximus *ſi ſtatim reclamauerint*, ſi enim poſtquam pubertatem nacti ſunt, reclamare deſiſtant ſtatim, vel poſt triduum, poſtquam cognouerunt ſe pubertatem adeptos, iam deinceps non datur locus reſiliendi ſingulis, niſi mutuo conſenſu vtriuſque, vti in ſponſalibus puberum accidit, & ideò, quilibet illorum, tranſacto illo triduo à pubertate, iam non poteſt à ſponſalibus reſilire, argumento *leg. finali, C. de errorib. aduocat. & leg. finali, C. de iudicijs.* Si autem aliquis contrahentium prior altero ad pubertatem adueniat, non debet expectare, vt altera pars pubertatem nanciſcatur, ſed ſtatim ac pubes factus eſt, poteſt ipſe ſinè conſenſu alterius reſilire. Ità Auerſ. *quæſt 8. sect.12.* Sanchez, *num.9.* Coninch, *dub.2. n.6.* Baſil. *n.3.* Diana, 3. *p. tract.4. reſol.282.* & ſeq. N. Stephan. *num.11.* Et ratio eſt, quia fruſtrà expectaretur euentus,

cuius

Digitized by Google

cuius nullus eſt effectus, *cap. cum contingat, de offic. delegat.* Sed in præſenti nullus eſt effectus, ut pubes iam factus, pubertatem alterius expectet, cú poſſit tunc pro libito reſilire: Ergò &c.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

10. Sed obijcies, quod etiam quandò impuberes ſponſalia contraxerunt, non poſſunt in illa ætate reſilire, ſed tempus pubertatis ad hoc expectare debent, etiamſi pro libito poſſint, quandò ad illam ætatem perueniunt, reſilire, ut conſtat *ex cap. de illis, & cap. à nobis, de deſponſat. impub.* Ergò ſimiliter in caſu præſenti. ¶ Reſpondetur eſſe diſparem rationem, nam quandò vterque impubes eſt, non præſumit ius habere ſufficientem deliberationem, & conſtantiam ob defectum ætatis, ratione cuius ſæpè contraherent, & reſcinderent ſponſalia, & ideò prohibuit antè pubertatem ab illis reſilire, quod inconueniens ceſſat, quandò alter eorum pubertatem nactus reclamat, quia iam ſufficientem ætatem habet, ut poſſit in ſuo propoſito perſiſtere.

*Si pubes cum impubere contrahat, ille nō poteſt reſilire, ſed iſte.*

11. Sed inquires. An ſi pubes cum impubere ſponſalia contraxerit, poſſit uterque ſinè alterius conſenſu reſilire? ¶ Reſpondetur, quòd pubes non habet poteſtatem recedendi à ſponſalibus tempore impubertatis alterius, neque poſtquam iſte ad pubertatem accedit, niſi ex beneplacito illius, impubes autem poteſt, altero nolente, reſilire, quandò ad pubertatem accedit, & non anteà. Ita Becan. c.43. q.16. Dicaſt. *diſp.*33. *n.*491. Enriq *lib.*11. *c.*14. Palao, *diſp.* 1. *punct.*17. *n.*6. Sanchez, *l.*1. *diſp.* 51. *n.* 10. Reginal. *l.*31. *n.*261. Auerſ. N. Anton. *n.* 145. N. Franciſc. *n.* 90. Et ratio eſt, quia contractus poteſt in minoris fauorem claudicare, ut ſi minor cum maiori contrahat abſque conſenſu tutoris, poteſt minor reclamare, non autem maior, *leg non quominus, C. de Procurator.* Ergò ſimiliter ſponſalia contracta inter puberem, & impuberem claudicare poſſunt ex parte impuberis. Ita ut ipſe poſſit reclamare; non alter.

*Non requiritur nouus conſenſus quando pubertatem nanciſcuntur.*

12. Si tamen uterque impubes ſponſalia contraxerunt, & poſt pubertatem ſtatim non reclamarunt, iam cenſendi ſunt perſiſtere in prima voluntate, & ſic nō requiritur poſitiuus conſenſus in ſponſalia, ſed ſufficit præterit us non retractatus, ut obligati permaneant. Talis autem reclamatio non requiritur, ut ſit in foro exteriori facta, ut ab obligatione liberentur in foro conſcientiæ, quamuis enim in foro exteriori cogendus eſſet fidem obſeruare, qui vel coram Epiſcopo, vel etiam Vicario, vel ipſis abſentibus, curam honeſtis perſonis non reclamauit, in foro autem conſcientiæ ſufficit, quod interiùs in ſponſalibus diſſentiat, quamuis exteriùs ſuum diſſenſum non manifeſtet. Ita Perez, *diſp.*9. *ſect.* 2. Dicaſt. *n.*489. Sanchez, *n.*17. Auerſ. N. Gabr. *num.*27. Et ratio eſt, quia non debet conformari forum conſcientiæ cum exteriori foro, quandò iſtud nititur præſumptione, ſi talis præſumptio deficiat, ſed in foro exteriori cogendi ſunt fidem obſeruare, qui poſt pubertatem non reclamarunt in foro exteriori, quia præſumitur eos in prima voluntate perſiſtere: Ergò quandò talis voluntas deficit per interiorem diſſenſum, quamuis hic non manifeſtetur in foro exteriori, manet in foro conſcientiæ ab obligatione immunis.

13. Sed nunc inquires. Vtrum ſi impubes ante pubertatem à ſponſalibus reſiliat, & poſteà non mutet talem diſſenſum, neque amplius recordetur quando ad pubertatem peruenit, maneant diſſoluta ſponſalia? ¶ Reſpondetur affirmatiuè, Dicaſt. *ſup. num.* 492. Sanchez, *num.*16. Coninch, *diſp.*23. *num.*7. Perez, *num.* 5. Et ratio eſt, quia ideò ratificantur ſponſalia, quandò in puncto pubertatis non reclamatur, quia cenſentur contrahentes perſiſtere in prima voluntate, & conſenſu, hoc ipſo, quod illum poſt pubertatem non mutauerint: Ergò ſimiliter qui reſilierunt antè pubertatem in tali diſſenſu perſiſtere cenſendi ſunt, ſi poſtquam pubertatem nacti, illum non mutauerunt.

*Qui antè pubertatem reſilit, niſi mutet voluntatem, diſſoluit ſponſalia in puncto pubertatis.*

*Quid, ſi iuramento firmentur?*

14. Vltimò quæres. An ſi ſponſalia inter impuberes celebrata, iuramento firmata ſint, poſſint diſſolui in puncto pubertatis per alicuius partis reclamationem? ¶ In hoc eſt duplex ſententia utraque ſatis probabilis. Prima ait, ſponſalia in tali caſu non firmari iuramento, & ſic quamlibet partem poſſe reſilire in puncto pubertatis, non minùs ac ſi iuramentum non adeſſet. Ita Baſil. *n.*8. Leand. *quæſt.*27. Diana, 3. *p. tract.*4. *reſol.*246. Machado, *lib* 3. *p.*1. *tract.*14 *documn.* 1. *n.*5. Palao, *n* 9. Enriq. *cap.* 2. *de ſponſal n.* 9. & ratio illorum eſt, quia iuramentum additum contractui, eaſdem conditiones habet cum illo, ſed ſponſalia impuberum contracta ſunt ſub hac conditione, niſi pubertatem nacti reſiliant: Ergò ſimiliter quandò fuerint iurata, & conſequenter nec per iuramentum firmantur, ut indiſſolubilia ſint, nec tollitur libertas reclamandi à contrahentibus.

*Iurata ſponſalia impuberum non poſſunt diſſolui ex eorum voluntate.*

15. Probabilior tamen ſententia dicit, hæc ſponſalia iuramento firmari, reddique indiſſolubilia in eo ſenſu, quod poſt pubertatem non poſſint reſcindi ad voluntatem cuiuſcumque partis. Ita Sanchez, *q.*3 *n* 22 Becan. *n.*7. Dicaſt. *n.*494. Bonacin. *q* 1. *punct.*6. *n.*4. Auerſ. *in fin.* Filliuc. *tract.*10. *n.*179. N. Gabr. *q.*3. *n.*28. Anton. *n.*146. Diana, ubi contrarius, 3 *p. tr.*4 *reſol.*188. Et probatur *ex c. ex litteris* Siluani, *de ſponſalib.* vbi expreſſe deciditur, duos impuberes iurantes ſponſalia, cogendos eſſe adimplere illa, & ratio deciſionis eſt, quia licèt de alijs impuberum contractibus dubium ſit inter Doctores an firmentur iuramento, eò eſt, quia inualidi ſunt, ſed contractus ſponſalium inter impuberes validus eſt: Ergò iuramento debet firmari. Ex quo ad argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, verū eſſe, iuramentum ſequi conditiones contractus, cui adhæret, niſi aliter per legem ſit diſpoſitum, at ius Canonicum, quod in c. *de illis, de deſponſat. imp.* diſpoſuit tacitam conditionem eſſe in ſponſalibus impuberum, niſi poſt pubertatem reſiliant, etiam diſpoſuit in *cap. ex litteris cit.* id non verificari, quandò iuramento firmata fuerint: Ergò &c.

## PVNCTVM II.

### *An, & qualiter diſſolui poſſint ſponſalia per ingreſſum Religionis; ſuſceptionem Ordinis, & emiſſionem voti?*

*Diſſoluuntur per ingreſſum Religionis.*

16. CVm ſponſalia ſint quaſi præambula ad Matrimonium, certum eſt diſſolui per ſuſceptionem talis ſtatus, in quo non

poſſit contrahi Matrimonium. Et ideò imprimis per ſe diſſoluuntur per ingreſſum Religionis. Habetur c. *ex publico, de conuerſ. coniugat.* ubi licèt ſit ſermo de Matrimonio rato, non conſummato, quod per Religionem diſſoluitur, potiori iure currit in ordine ad diſſoluenda ſponſalia, ut communiter aſſerunt Doctores. Diximus *per ſe*, per accidens autem aliquandò non diſſoluuntur, ſed teneretur quis Religionem deſerere, & Matrimonium inire, vel ad legitimandos filios, quos fortè anteà habuit, vel ad conſulendum famæ, & honori fœminæ, cum quâ familiariter tractauit, imò aliquandò non ſolum celebrare Matrimonium, ſed illud conſummare, & in eo viuere tenetur, ut quandò ſub ſpe futuri Matrimonij rem habuit cum fœminâ non ſolum virgine, ſed etiam viduâ honeſtæ famæ, & hoc etiamſi promiſſione fictâ, ab eâ copulam exorauit, ut diximus *c. præc. à n.*34. Quod docent Auerſ. *q.*8. *ſect.*12. Baſil. *lib.*12. *c.*10. Leſſi. *lib.*2. *de iuſt. c.*10. *dub.*4. *num.*35. Coninch, *diſp.*23. *dub.*3. *num.*24. Bonacin. *diſp.*1. *punct.* 5. *num.*4.

17. Sed nunc reſtat duplex difficultas. Prima: An ſi ſponſalia, iuramento firmata fuerint, poſſit quis licitè ingredi Religionem, & per ingreſſum diſſoluantur? In quo eſt duplex ſententia, Prima aſſerit teneri priùs contrahere, ut iuramenti Religio adimpleatur, & antè conſummationem Matrimonij poſſe ingredi Religionem, & tunc diſſoluuntur ſponſalia, & non anteà. Ita Rebell. *lib.*4. *de Matr. q.*8. *ſect.*6. *concluſ.* 2. Nauarr. *cap. non dicatis* 12. *q.*1? Vega, *lib.*1. *ſumm. c.*389. Quod probant ex *cap. commiſſum* 16. *de ſponſal.* Vbi ſic aſſerit Summus Pontifex: *Tutius eſt ei, Religione iuramenti ſeruatâ, prius contrahere, & poſtea ſi elegerit, ad Religionem migrare.*

*Non tenetur Matrimoniū contrahere ante ingreſſū Religionis, qui iurauit ſponſalia.*

18. Verior tamen, & communior ſententia tenet non eſſe neceſſarium priùs Matrimonium contrahere in tali caſu, ſed poſſe licitè Religionem ingredi, per quod diſſoluuntur ſponſalia, Baſil. *num.*13. Auerſ. Palao, *diſp.*1. *punct.*16. *n* 3. Sanch. *lib.*1 *diſp.*43. *n.* 3. Coninch, *n.*13. Becan. *c.*43. *q.*21. Dicaſt. *tr.*10. *diſp.*1. *dub.* 32. *n.*455. N, Gabr. *diſp.*5. *q.* 1. N. Anton. *diſp.*2. *ſect.* 1. Et ratio eſt, quia ut habetur *cap. quemadmodum, de iure iur.* iuramentum ſequitur conditiones contractus cui adhæret, ſed ſponſalia cenſentur contrahi ſub hac conditione, *niſi meliorem ſtatum elegero.* Ergò ſimiliter iuramentum cadens ſuprà illa cum illa conditione cenſetur emiſſum. Neque oppoſitum habetur *in cap. commiſſum*: Nam, ut benè explicant Baſil. Sanchez, Dicaſt. *&* Auerſ. Anton. *loc cit.* loquitur Summus Pontifex de eo, qui non habebat determinatam voluntatem ingrediendi Religionem, & alioquin inſtabat iuramenti adimpletio, quia tempus præfixum iuramenti fuerat adimpletum, & ideò rectè docet eſſe in eo conſultius contrahere, & antè conſummationem Matrimonij per bimeſtre ſibi conceſſum deliberare de ingreſſu Religionis. Niſi fortè Summus Pontifex locutus fuerit de eo, quod communiter accidit, & quia poſt contracta ſponſalia ſolet nimia familiaritas adeſſe, oſcula, tactus, &c. Ideò, ut bonæ famæ Sponſæ conſulatur, dicit melius eſſe Matrimonium contrahere, & poſteà, ſi voluerit, illo non conſummato, Religionem ingredi.

*An ſponſalia per ingreſſum Religionis, vel per profeſſionem diſſoluantur?*

19. Secunda, & grauior difficultas eſt. An ſponſalia diſſoluantur præcisè per ingreſſum Religionis? An expectanda ſit profeſſio illa ad hunc effectum? Prima ſententia aſſerit, quod ſicut Matrimonium ratum diſſoluitur non per ingreſſum, ſed per profeſſionem Religioſam, ita ſponſalia non diſſoluuntur ex parte alicuius contrahentium, niſi per illam. Ita Couarruu. *2. p. de Matr. cap.*5. *n.*15. Durand. *in* 4. *diſt.*27. *q.*3. *art.*3. Palud. *ibi*, *q.*1. *art.* 3. *num.*23. Vera Cruz, 1. *p. ſpeculi*, *art.*21. Armill, verb. *Sponſalia*, *n* 22. *Fauet* D. Thom. 3. *p. quæſt.*43. *art.* 3. *ad* 1. Aſſerens, ſponſalia diſſolui per ingreſſum Religionis, quia eſt mors ſpiritualis, quod non verificatur niſi in profeſſione, & ratio eſt: quia nullus datur textus, quòd diſſoluantur ſponſalia præcisè per ingreſſum Religionis, neque ex natura rei ex tali ingreſſu ſequitur hic effectus, cum ingrediens, ſi exeat, poſſit ſponſalia exequi.

*Per ſolum ingreſſum docent aliqui.*

20. Secunda ſententia ait, quod ex vi ſtatus Religioſi ſequitur diſſolutio ſponſalium, & ideò quod hoc ipſo, quod aliquis contrahentium ingrediatur Religionem; etiam profeſſione non expectatâ, manet uterque à fide ſponſalium immunis. Ita Tolet. *in ſumm. lib.*7. *c.*11. Sanchez, *lib.*1. *diſput.*42. *numer.*2. *&* 5. Bonacin. *quæſt.*1. *punct.*5. *num.*2. Becan. *cap* 43. *quæſt.*21. Dicaſt. *numer.*436. Quod probant dupliciter. Primò, quia ſic ſe habent ſponſalia ad Matrimonium, ſicut Nouitiatus ad profeſſionem, ſed Matrimonium ratum per profeſſionem diſſoluitur ex parte utriuſque, ut habetur *cap.* 2. *de conuerſ. coniugat.* Ergò ſponſalia per Nouitiatum, profeſſione non expectatâ. Secundò, quia votum Religionis diſſoluitur per ingreſſum bona fide animo permanendi in eâ: Ita ut ſi ingrediens bona fide exeat, manet liber ab obligatione voti: Ergò ſimiliter per talem ingreſſum diſſoluuntur ſponſalia, quia maiorem obligationem inducit promiſſio voti, quam promiſſio ſponſalitia.

*Ex parte ingredientis nō diſſoluuntur, ſed ex parte alterius.*

21. Tertia nihilominus, & verior ſententia aſſerit, ſponſalia per ingreſſum Religionis diſſolui quoad eum, qui in ſæculo remanet, qui non tenetur expectare profeſſionem, ſed poſſe ſtatim cum quo maluerit contrahere. Quoad verò eum, qui ingreditur, non diſſolui, niſi profeſſione ſecutâ, & ideò, ſi ad ſæculum redeat, tenetur fidem Sponſalium ſeruare, ſi altera pars voluerit, eo ſanè modo, quo diſſoluuntur ſponſalia per fornicationem ex parte innocentis, non verò ex parte delinquentis, ut dicemus hoc *cap. punct.*5. Ita Rebell. *lib* 4. *de Matrim. quæſt.*8. *ſect.* 6. Baſil. *num* 4. Auerſ. Enriq. *lib.*11. *de Matrim. cap.*14. *num.*3. Palao, *punct.* 18. *num* 3. Rodrig. *tom.*1. *cap.*245 *in* 1. *edit. num.*1. Layman, *libr.*5. *tr.*10. *c.*2. *n.*2. Ledeſm. *q.*43. *art* 3 *dub.*2. Leand. *tract.*9. *diſp* 2. *q.*2. Villalob. *tract.*12. *diff.*12. *n.*5. Gonet, *art.*5. N. Anton. *ſect.* 3. Franciſc. *n.*92.

22. Probatur quoad primam partem, diſſolui nimirum ſponſalia ex parte eius, qui in ſæculo remanet. Tum, quia ingrediens Religionem cenſetur cedere iuri ſuo, & obligationem alterius quoad contrahendum Matrimonium remittere. Tum etiam, quia per ingreſſum Religionis nimis immutatur ſtatus ingredientis, & quilibet abhorret contrahere cum illa, quæ Religionem deſeruit. ¶ Quoad ſecundam verò partem probatur. Tum, quia ex vi ſtatus Religionis

cæteris

Digitized by Google

catenùs diſſoluuntur ſponſalia, quatenùs per illum redditur ingrediens inhabilis ad contrahendum, quod per ingreſſum præcisè non accidit, cum poſſit, ſi exeat, fidem obſeruare. Tum etiam, quia iam pateret aditus fraudi, cum poſſet aliquis Religionem ingredi, ut liberaretur ab obligatione contrahendi cum altera parte, & poſteà egreſſus nuberet, cui vellet. ¶ Nec D. Thom. eſt contrà hoc *loc. citat.* ſed potiùs pro noſtrâ ſententiâ, quia ibi loquitur de diſſolutione ſponſalium ex parte utriuſque, quod fieri non poteſt, niſi per mortem ſpiritualem, quæ eſt in profeſſione.

*Obiectio, & eius ſolutio.*

23. Nec refert ſi objeias cum Dicaſt. *loc. cit.* quod obligatio ſponſalium eſt mutua, ut diximus *cap. præced. punct.* 2. & ideò ceoletur quis promittere ſponſalia ſub hac conditione, ut obligetur, ſi alter maneat obligatus: Ergò non ſtat, quod ex parte remanentis in ſæculo ceſſet obligatio ſponſalitia, & ex parte alterius perſiſtat. ¶ Reſpood. obligationem ſponſalium eſſe mutuam, ut ſic dicamus in fieri, ſeu quandò actu celebrantur, poſteà verò poteſt permanere, ex parte unius, & ex parte alterius diſſolui, ut ſi mulier poſt ſponſalia cum altero rem haberet, ex parte ſponſi ceſſaret obligatio obſeruandi fidem, non verò ex parte fœminæ, aliàs reportaret commodum ex delicto, & ideò ſi vir vellet nihilominus cum illa contrahere, deberet illa ſtare promiſſis, & etiam abſque culpâ id poteſt accidere, ut ſi ſponſus in diuitijs, in honore, in ſalute maximam mutationem ſubiret, non teneretur fœmina cum illo contrahere, ſi tamen vellet adhuc cum his conditionibus ſponſalia adimplere, vir teneretur fidem obſeruare.

*Argumenta ſecundæ ſententiæ ſoluuntur.*

24. Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum eſſe paritatem quoad aliqua inter ſpouſalia, & Matrimonium ex unâ parte, & Nouitiatum, & profeſſionem ex aliâ, quia nimirùm ſicùt Nouitiatus eſt diſpoſitio ad profeſſionem, & præambulum ad illam, ſic ſponſalia reſpectu Matrimonij, ſed non quoad omnia. Maximè, quia per ingreſſum Religionis nullum ius acquirit Religio ad illum retinendum, neque ipſe aliquam obligationem ſubiſt ad perſeuerandum., per quam præcedens obligatio ſponſalium diſſoluatur, at per ſponſalia acquirit ius altera pars, ut obſeruetur fides ſibi data, & contrahens ex iuſtitiâ obligatur ad futurum Matrimonium, quæ obligatio non diſſoluitur, niſi quandò tale Matrimonium illicitum, vel impoſſibile redditur. ¶ Ad ſecundum dicimus, eſſe diſparem rationem, nam licèt obligatio voti ſit maior obligatione ſponſalium, per ingreſſum tamen Religionis bonâ fide ponitur id, ad quod per votum Religionis obligatur, non tamen ponitur id, ad quod per ſponſalia tenetur.

*Per Ordines ſacros diſſoluuntur ſponſalia.*

25. Similiter diſſoluuntur ſponſalia per ſuſceptionem Ordinum non quidem minorum, ſed maiorum, per quos redditur vir incapax contrahendi matrimonium, ratione voti ſolemnis caſtitatis, quod per illos emittitur. Sed difficultas eſt: An peccet mortaliter, qui poſt ſponſalia ad Ordines ſacros aſſumeretur, non requiſitâ alterâ parte. Partem affirmatiuam defendit. Rebell. *quæſt.* 8. *ſect.* 5. Sanchez, *lib.* 1. *diſp.* 47. *n.* 3. Palao, *punct.* 19.

26. Sed nihilominus dicendum eſt non peccare nec venialiter, nec mortaliter, qui poſt ſponſalia Ordinibus ſacris initiaretur. Ità Soto, *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 5. Baſil. *cap.* 11. *num.* 3. Nauarr. *in ſumm. cap.* 22. *caſu* 10. *numer.* 25. Aueria, Enriq. *numer* 4. Diana, 3. *p. tract.* 4 *reſol.* 188. Et ratio eſt, quia promiſſio ſponſalium cenſetur fieri ſub illa tacitâ conditione. *Niſi ad meliorem ſtatum tranſierit*, ſed per aſſumptionem Ordinis ſacri meliorem ſtatum aſſumit, quam eſſet per Matrimonium: Ergò per illam abſoluitur ab obligatione præcedenti, ac proindè licitè fieri poteſt. ¶ Confirmatur, quia adhuc in ſententiâ Sanchez, & aliorum oppoſitæ ſententiæ poſt ſponſalia licitum eſt, & obligatorium votum de ſuſcipiendis ſacris Ordinibus: Ergò adhuc poſt ſponſalia eſt licita talis ſuſceptio, alias votum obligaret ad id, quod illicitum eſſet.

*Obiectio contra rationem concluſionis.*

27. Sed objicies, quod illa conditio: *Niſi ad meliorem ſtatum tranſierit*, non inuenitur in promiſſione ſponſalitia: Ergò corruit fundamentũ noſtræ ſententiæ. Antecedens probatur, quia ex iure id non habetur, ut conſtat, neque etiam ex natura rei, ſeu ex naturâ ſponſalium, non enim qui promittit aliquid in commodum alterius, ſub-intelligitur id facere ſub tali conditione, niſi in melius commutetur, alioquin qui promiſit Petro diuiti dare centum aureos, ſatisfaceret ſuæ obligationi, ſi totidem pauperibus diſtribueret, quod melius eſt. ¶ Confirmatur, quia nec votum, nec iuramentum in bonum euidenter melius commutare licet in alterius præiudicium, *leg. Id, quod honeſtum eſt, de reg. iur.* Ergò in promiſſione ſponſalium voluntariè aſſeritur includi talis conditio; *Niſi in melius mutetur.*

*Solutio obiectionis.*

28. Reſpondetur, quod hæc conditio de commutatione in melius non includitur in omnibus promiſſionibus, ſed in illis, de quibus agitur de aſſumendo ſtatu, nam in his ſemper cenſendum eſt promiſſionem fieri, niſi alius ſtatus melior aſſumatur, & ideò *in cap.* 1. *de conuerſ. coniugat.* diſſoluitur Matrimonium ratum per ingreſſum Religionis quia in tali contractu implicita fuit illa conditio, niſi ad ſtatum perfectiorem tranſierit, quia quandò nullum damnum fuit illatum parti, non debet promiſſio facta creaturæ, impedire, quominùs aliquis dicetur creatori. Vnde in promiſſione aſſumendi ſtatum, quo creaturæ inſeruiat, includitur conditio, niſi tranſierit ad ſtatum, quo Deo offeratur, quod fit, vel per promiſſionem Religioſam, vel per ſuſceptionem Ordinis ſacri.

*Per votum Religionis, & Ordinum diſſoluuntur ſponſalia.*

29. Denique diſſoluuntur ſponſalia per votum ingrediendi Religionem, & ſimiliter per votum ſuſcipiendi Ordines ſacros eâ proportione, quâ per ingreſſum, vel ſuſceptionem Ordinis diſſoluuntur, & ideò qui aſſerunt per nouitiatum diſſolui ex parte utriuſque, etiam per votum dicunt. Nos verò, qui ſolùm ex parte unius diſſolui diximus, idem de voto aſſerimus, ſimiliter votum Ordinis ex parte utriuſque diſſoluit ſponſalia, ſicut Ordo ipſe diſſoluit. Et ratio eſt, quia votum obligare non poteſt ad id, quod licitè non poteſt exequi, ſed votum Religionis, vel Ordinis adhuc poſt ſponſalia emiſſum in omnium opinione obligat: Ergò diſſoluit ſponſalia præcedentia, aliàs ſi maneret illorum obligatio, votum eſſet de re, quæ ſinè iniuſtitia exequi non valeret.

30. Diximus votum poſt ſponſalia emiſſum illa diſſoluere. Si autem antè illa emitteretur, ſiue eſſet votum ſimplex caſtitatis, ſiuè votum Religionis, vel Ordinis, non ſolùm illicita, ſed etiam nulla reddere ea parte utriuſque, concors eſt Doctorum ſententia, nam in tali caſu ſponſalia eſſent promiſſio de re illicita. Quandoquidem, ſuppoſito tali voto, non poteſt Matrimonium ſinè peccato exequi: Ergò nullam obligationem pariunt, aliàs obligarent ad illicitum.

*An poſſit emittere votũ caſtitatis qui ſponſalia contraxit?*

31. Sed nunc reſtat difficultas: An poſt ſponſalia, poſſit aliquis licitè votum ſimplex caſtitatis emittere, & illo emiſſo, an diſſoluantur ſponſalia ex parte utriuſque partis? Non enim eſt dubium diſſolui ex parte unius, ut ſi fœmina votum caſtitatis emittat, in tali caſu manet vir immunis ab obligatione ſponſalium, & poterit cum alia contrahere. Et ratio eſt, quia per votum caſtitatis, cenſetur emittens illud, cedere iuri ſuo, & obligationem alterius ad contrahendum Matrimonium remittere. Dubium autem eſt: An ipſe vouens ab obligatione ſponſalium liberetur, & an licitè poſt ſponſalia tale votum emittat: In quo eſt duplex ſententia utraque æquè probabilis, ut inquit Dicaſt. *tract.*10. *diſp.*1. *dub.*32. *num* 461.

*Prima ſentẽtia negatiua.*

32. Prima aſſerit, quòd illicitè tale votum emittitur, & per illud ſponſalia non diſſoluuntur ea parte vouentis. Ita Sanchez, *diſp.*46. *num.*9. Leſſi. *de iuſt. c.*41. *num.*54. Laym. *lib.*5. *tract.*10. *p.*1. *c.*2. *num.*6. Palao, *punct.*20. Becan. *quæſt.*22. *num* 3. Coninch, *num.*25. Franciſc. *n.*98. Quod probant primò, *ex c. veniens, qui Clerici vel vouentes.* Vbi Pontifex dicit, imponendam eſſe pœnitentiam ob mentitam fidem fœminæ, quæ votũ caſtitatis emiſerat, poſtquam ſponſalia contraxerat. Secundò, quia illicitè, & invalidè promittitur Deo id, quod erat debitum, & promiſſum homini, ſed per ſponſalia erat debitum, & promiſſum corpus coniugi: Ergò per votum caſtitatis non poteſt Deo promitti.

*Secunda affirmatiua.*

33. Secunda ſententia aſſerit, & licitè, & validè poſt ſponſalia tale votum emitti, etiamſi ſponſalia iuramento firmata fuerint, quia hoc ſequitur conditiones contractus, cui adhæret, proindèque diſſoluere illa etiam ea parte vouentis, adhuc ſi iurata fuiſſent. Ita Aversa, Caiet. *verb. periurium promiſ. ad fin. c.*2. Enriq *de Matrim. cap.*14. *n.*4. Baſil. *cap.*12 *n* 4. Bonacin. *q.*1. *p.*5. *propoſ.*2. *n.*13. Azot, *tom.*1 *lib.*11. *c.*21. *q.*10. Suarez, *lib.*2. *de voto, c.*4. *n.*13. Vazq. *opuſc. de reſtit. c.* 3. §. 2. *dub.*6. *n.*17. Leand. *tract.*9 *diſp.*2. *q.*6 & 7. Gonet. *art.*5. N. Gabr. *n.*18. Et ratio illorum eſt, quia per votum caſtitatis aſſumit homo ſtatum meliorem ſibi magis proficuum, & Deo magis gratũ, illique conſecratur, & offertur, cum ergò in promiſſione ſponſalium implicita ſit illa conditio, *niſi ſtatum meliorem, quo Deo conſecretur, accipiat*, dicendum eſt ſponſalia per tale votum remitti. ¶ Et confirmatur, nam vel tale votum eſt validum, vel non. Inualidum dici nequit, aliàs ſi poſt illud emiſſum contraheret, poſſet non ſolùm reddere, ſed etiam petere debitum, quod Authores contrariæ ſententiæ negant. Si eſt validum: Ergò dirimit ſponſalia, quia obligatio obſeruandi caſtitatem incompoſſibilis eſt cum obligatione contrahendi Matrimonium.

34. Nec oppoſitum habetur ex dicto *cap. veniens.* Ideò enim aſſerit Pontifex imponendam eſſe pœnitentiam mulieri, quæ poſt ſponſalia votum caſtitatis emiſit. Tum, quia volebat poſt tale votum, Matrimonium cum alio contrahere, & ſic fidem Deo datam per votum infringere: *Nos itaque attendentes* (verba ſunt Pontificis) *tutiùs eſſe, ut præfata mulier poſt fidem, & votum ſimpliciter oblatum, Matrimonium contrahat, quàm fornicationis reatum incurrat, mandamus quatenùs, ſi plus non proceſſit, ſibi de fide mentita, & voto violato congruam ſatisfactionem indicas, &c.* Tum etiam, quia illa mulier diù antea diſtulerat contrahere Matrimonium, & poſteà non tam caſtitatis amore, quam ne compelleretur cum illo ſponſo Matrimonium inire, caſtitatem vouit, ut narratur in textu, ob quam dilationem, & intentionem non omninò liberabatur à culpa, & ſic erat digna pœnitentia.

*Vtraque probabilis.*

35. Vtraque hæc ſententia eſt probabilis, & tuta, ſed non approbamus, quod inquit Sanchez, *num.*8. & Bonacin. *numer.*17 & Leand. *quæſt.*12 quod ex hac ſecunda ſententia deducitur, quod ſi poſt votum emiſſum caſtitatis aliquis fornicaret, ſolùm peccaret contra caſtitatem, & votum, non verò contra fidem datam præcedentium ſponſalium, eò quòd illa per votum diſſoluuntur, & ſimiliter quòd ſi voti relaxationem obtineret, poſſet cum alia nubere, abſque eo, quod frangeret ſponſalia præcedentia; ſed certè non indè infertur, ſed eſto hæc ſecunda ſententia admittatur, oppoſitũ eſt dicendum cũ Rebell. *lib.*4 *de iuſt. q* 8. *ſect.*7. *n.*49. Auerſ. *q.*8. *ſect.*12. Et ratio eſt, quia prior obligatio ſolùm extinguitur in ordine ad talem effectum, nimirùm ſeruandi caſtitatem, & non penitùs extinguitur, ſed determinatè, & quaſi conditionatè, quamdiù in tali ſtatu caſtitatis permanſerit. Vndè ſi ab illo recedat, frangit ſponſalia præcedentia in caſibus dictis, quorum obligatio non conſurgit, quia extincta non fuit, niſi ſub conditione, & determinatione dictâ, aliàs multis fallacijs aditus pateret, quibus aliquis voueret caſtitatem, ut liberaretur à coniugio unius, & poſtea obtineret diſpenſationem voti, ut cum alia contraheret.

## PVNCTVM III.

### *An, & quomodò priora ſponſalia diſſoluantur per ſubſequens Matrimonium, vel per noua ſponſalia?*

*Per ſubſequẽs Matrimoniũ diſſoluuntur ſponſalia.*

36. Certiſſimum eſt apud omnes, ſi Matrimonium ſubſequens validum fuerit, per illud diſſolui ſponſalia ea parte utriuſque partis, ut habetur *cap. ſi inter, de ſponſal. & capit.*1. *de ſponſa duorum.* Si autem Matrimonium contractum irritum, & invalidum fuerit ratione alicuius impedimenti dirimentis, etiam dirimit ſponſalia ex parte eius, qui Matrimonium non contraxit: Tum, quia altera pars videtur cedere iuri ſuo, & ſponſalium obligationem remittere contrahendo cum alio. Tum etiam, quia innocens habet ſufficientem cauſam reſiliendi propter fractionem fidei ſibi datæ, ſed ex parte contrahentis non diſſoluuntur ſponſa-

lia

lia præcedentia: *Quia non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum, leg. non præſtat. regula 53. de reg. iur. in 6.* Sed in tali caſu non ſortitur effectum Matrimonium, cum ſit invalidum. Ergò, &c. In utroque autem caſu peccaret mortaliter, qui poſt ſponſalia contracta cum una, abſque eius licentia, vel non interueniente iuſta cauſa, ſufficiente ad diſſoluenda ſponſalia, Matrimonium cum alia validè, vel inualidè celebraret.

*Per noua ſponſalia præcedentia non diſſoluuntur.*

37. Similiter eſt certum apud omnes, non diſſolui præcedentia ſponſalia per noua aduenientia, ſed hæc omninò inualida eſſe, quia ſtante promiſſione priori, alia promiſſio eſt de re omninò illicita, & hoc verum eſt, etiamſi ſecunda ſponſalia iuramento firmentur, quia iuramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, & cum in tali caſu promiſſio ſponſalitia eſſet de re omnino illicita, non poteſt per iuramentum firmari. ¶ Et ſi obijcias, quòd vinculum fortius adueniens diſſoluit vinculum præcedens minùs forte, ut poſteà dicemus, ſed promiſſio iurata eſt fortius vinculum ſimplici promiſſione: Ergò ſi ſponſalibus nouis iuramentum accedat, antiqua ſinè illo celebrata corruent. ¶ Reſpondetur id verum eſſe, quandò vinculum fortius adueniens verè vinculum eſt, & vim obligandi obtinet, quod ſecùs accidit in præſenti, ubi iuramentum nullum eſt, & nullam obligationem inducit. ¶ Fatemur tamen, per noua ſponſalia ſiuè iurata, ſiuè non iurata fuerint, diſſolui ex parte innocentis, eo quòd alius contrahens noua ſponſalia, remittit obligationem præcedentium, & ſufficientem cauſam tribuit ad reſiliendum ab illis. Si tamen altera pars petat ſibi fidem ſeruari, debet, qui noua ſponſalia contraxit, illi acquieſcere, & peccabit mortaliter contrahendo noua ſponſalia, ſtante obligatione præcedentium: in hoc omnes Doctores conueniunt, ſed reſtat circà hoc triplex difficultas examinanda.

*An ſi Matrimonium contractum diſſolueretur, ſponſalia ſubſiſterent?*

38. Prima: An Matrimonium validè contractum, omninò diſſoluat præcedentia ſponſalia, ità quòd ſi tale Matrimonium diſſolueretur, vel morte coniugis, vel per diſpenſationem Pontificis, ante conſummationem Matrimonij, adhuc non ſtaret præcedentium ſponſalium obligatio. ¶ In quo eſt duplex ſententia, utraque ſatis probabilis. Prima eſt affirmatiua, quam tenet Sanchez *lib. 1. diſp. 48 n. 3.* Becan *c. 43 q. 24.* Bonacin. *q. 1. punct. 7. n. 1.* Dicaſt. *tract. 10 diſp. 1. dub. 37. n. 346.* Villalob. *tom. 1. tract. 12. diff. 12. n. 1.* Laym. *lib. 5 ſum. tr. 10. part. 1. cap. 1.* Et ratio illorum eſt, quia obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit, *cap. quæſiuis, de conſecrat. diſt. 4.* ſed per Matrimonium ſubſequens ſponſalia præcedentia diſſoluuntur, ut conſtat ex *cap. ſi inter, de ſponſal. & cap. 1. de ſponſa duorum*, & alijs iuribus: Ergò per hoc, quod dictum Matrimonium diſſoluatur, prædicta ſponſalium obligatio non redibit, manebitque utraque pars libera ad contrahendum cum qua maluerit.

*Verior ſententia negatiua.*

39. Secunda, & verior ſententia aſſerit, per nouum Matrimonium non diſſolui omninò præcedentia ſponſalia, ſed quaſi ſuſpendi. Et ideò ſi Matrimonium illud diſſoluatur, debere illum, qui iniuſtè contraxit Matrimonium, ſeruare fidem ſponſalium præcedentium, ſi altera pars efflagitet, quæ procul dubio libera eſt, ut patet ex dictis. Hanc tenet Conincb, *diſp. 23. dub. 4. concluſ. 3.* Vega, *lib. 6. ſumm. caſu 125.* Baſil. *lib. 12. cap. 13. n. 4.* Leand. *tract. 9. diſp. 2. q. 15.* Petr. de Ledeſm. *q. 43. art. 3. dub. 2. ad 2.* Palao, *diſp. 1. p. 21. n. 4.* Auerſa, *q. 8 ſect. 13.* Syluius, Henrix. Goner. *n. 57.* N. Gabr. *diſp. 5. n. 23.* Franciſc. *n. 105.* Et ratio eſt, quia per ſubſequens Matrimonium non diſſoluuntur penitùs præcedentia ſponſalia, aut iure poſitiuo, aut iure naturæ, ſed quaſi ſuſpenduntur pro illo tempore, quo eſt impoſſibilis executio illorum, manentibus ipſis pro tempore, quo talis executio licita, & poſſibilis fuerit. Quòd non iure poſitiuo diſſoluantur, conſtat, quia in locis adductis pro contraria ſententia ſolum fit ſermo de diſſolutione ſponſalium, quandiù manet Matrimonium; & ſic reddunt rationem, quare præcedentia ſponſalia adimpleri non debeant, quia perſiſtere debet quis in Matrimonio contracto cum quo impoſſibilis eſt executio illorum, & ſic non eſt ſermo in caſu, quo Matrimonium diſſolueretur, & talis executio fieret poſſibilis, & ſic ſolùm dicunt, non obligare ſponſalia pro tempore, quo Matrimonium durat, non verò pro illo, quo vinculum eius ceſſaret.

40. Neque etiam iure naturæ obligatio præcedentium ſponſalium extinguitur, quia impedimentum ſubſequens ſolùm ſuſpendit præcedentem obligationem, non penitùs extinguit, ut patet in eo, qui poſt votum Religionis Matrimonium contraheret, & conſummaret, in quo quamuis tempore, quo Matrimonium durat, & eſt ſibi impoſſibilis ingreſſus Religionis, ſuſpendatur obligatio voti, ſi tamen Matrimonium per mortem coniugis diſſoluatur, ad ingreſſum Religionis adſtringitur ratione voti, quod obſeruare tenetur, ut eſt communis Doctorum ſententia. ¶ Sed reſpondent aduerſarij, id verum eſſe, quandò vinculum de nouo adueniens eſt diuerſæ rationis, ut in caſu poſito; ſecùs tamen quandò eſt eiuſdem rationis, ut in noſtro: tunc enim extinguitur præcedens obligatio per fortiorem obligationem aduenientem, ut conſtat in eo, qui voueret ingredi Religionem ſtrictam, & profiteretur in laxiori, quia priori voto maneret immunis omninò, ut conſtat ex *cap. qui poſt votum 5. de voto, & voti redemptione in 6.* eo quòd obligatio adueniens eſt eiuſdem rationis cum præcedenti, & ſic extinguit illam. ¶ Sed contrà eſt, nam quòd ſit obligatio eiuſdem, vel diuerſæ rationis nihil iuuat ad hoc, ut præcedens ſuſpendatur, vel extinguatur, ſed hoc iudicandum eſt iuxtà conditionem ſubſequentis, quæ ſi omninò irreuocabilis fuerit, penitùs extinguit præcedentem, ſi tamen ſolùm ad tempus, reuocari non poſſit, pro illo tempore, quo executio eſt impoſſibilis, ſuſpendit illam; ut patet hoc exemplo. Si quis Petro venderet equum, & poſtea Paulo ipſum venderet, & traderet, prima obligatio contractus quaſi ſuſpenditur per ſecundam fortiorem: ſi verò talis equus ad dominiú vendentis rediret, teneretur illum vendere Petro, cum quo de venditione contraxit, & tamen utraque obligatio eſt eiuſdem rationis, & una fortior aliâ.

*Aduerſariorum reſponſio & impugnatio.*

41. Ad caſum verò in obiectione adductum dicimus, id eſſe ſpeciale in illo caſu ex diſpoſi-

*Ad caſum obiectionis reſpondetur.*

tione iuris, quod non debet trahi ad ſimilia, quia propter plura inconuenientia, quæ ſequerentur ex oppoſito, ità fuit iure Canonico ſtabilitum: maximè, quia cum profeſſio facta in Religione laxiori ſit irreuocabilis, & ſemper duret, extinguit minorem obligationem, quæ invenitur in voto ſimplici ingrediendi ſtrictiorem. Quare ſi aliqua ſimilitudo deberet adeſſe, hęc erat, quod ſicut durante profeſſione, quo tẽpore impoſſibilis eſt adimpletio voti præcedentis, ceſſat eius obligatio, ita durante Matrimonio, quo tempore impoſſibilis eſt executio ſponſalium præcedentium, ceſſet illorum obligatio; at quia Matrimonium diſſolui poteſt, non verò profeſſio, hæc penitùs extinguit obligationem voti, illud verò non ita obligationem ſponſaliũ.

*An per ſponſalia noua, copula ſecuta, priora diſſoluantur?*

42. Secunda difficultas eſt: An ſi poſt ſponſalia cum una, aliquis de nouo contraheret ſponſalia cum alia, cum qua copulam haberet ſub promiſſione Matrimonij, in tali caſu diſſoluerentur præcedentia ſponſalia, & teneretur iſte contrahere cum ea, quam cognouit? An verò cum priori? ¶ In quo certum eſt, quòd ſi talis mulier ſciebat præcedentia ſponſalia, hæc non dirimuntur per noua, etiam copulâ ſecutâ, quia ipſa voluit decipi, & non fuit decepta, & iniuſtè huiuſmodi promiſſionem admiſit. Sed caſus eſt, quandò ea ignorabat ſponſalia contracta cum alia, & etiam loquimur in caſu, quo cum prima talem copulam non habuiſſet, nam ſi hæc ſecuta fuit, non eſt dubium debere contrahere cum priori; & etiam loquimur poſt Concilium Tridentinum, nam antè illud, vel in locis, quibus non eſt receptum, cum per copulam ſecutam ad ſponſalia animo coniugali fieret Matrimonium de præſenti, ut conſtat *ex cap. is qui fidem, de ſponſal.* & Matrimonium præſens diſſoluat promiſſionem de futuro, certum eſt debere contrahere cum ſecunda. Quare dubium eſt in caſu, quo poſt ſponſalia præcedentia, aliquis ſub promiſſione Matrimonij fœminam, vel virginem, vel viduam honeſtæ famæ, ignaram præcedentis obligationis ad copulam induceret, poſt Tridentini conſtitutionem.

*Prima ſententia negatiua.*

43. In quo eſt duplex ſententia. Prima aſſerit non teneri cum ea, quam deflorauit, vel cognouit, modo dicto contrahere, ſed cum priori, cum qua abſque tali damno ſponſalia celebrauit. Ità Sot. *in 4. diſt.* 27. *q.* 2. *art.* 4. *dub* 3. Becan. *q.* 25. Sanchez, *diſp.* 49. *n.* 5 Hurtad *diſp.* 2. *diff.* 8. Villalob. *n.* 12. Enriq *lib.* 11. *c.* 13. *n.* 3 Auerſ. Herinx. *num.* 41. Et ratio illorum eſt, quia non tenetur cum ſecunda contrahere ratione promiſſionis ſponſalitiæ, quæ nulla fuit, nec ratione damni illati; quod aliundè reſarciri poteſt: Ergò nullo modo, quamuis aliqui ex his Auctoribus addant, quòd ſi magnum ſcandalum ſequatur ex eo, quòd non contraheret cum ſecunda, vel magna iactura famæ in ſecunda, in alia verò non ita, ſed præcisè negatio obligationis contractæ, quòd in tali caſu primam deberet renuntiare, & contrahere cum ſecunda.

*Verior ſententia affirmans*

44. Probabilior tamen & verior ſententia eſt, quæ aſſerit per noua ſponſalia, copulâ ſecutâ, præcedentia diſſolui, & teneri virum contrahere cum ea, quam ſub promiſſione Matrimonij cognouit. Ita Coninch, *n.* 34. Baſil. *c.* 14. *num.* 4. Leand. *q.* 18. Rebell. *lib.* 4. *q.* 8. *ſect.* 4. *n.* 56. Palao, *punct.* 22. *num.* 6. N. Franciſ. *quem ſeq.* Stephan. *n.* 14. quamuis teneretur reſarcire damna ſponſæ prioris, ſi quæ illi ſecuta ſunt per ſponſalia celebrata.

*Probationes huius ſententiæ.*

45. Probatur primò, quia per copulam illam animo maritali factam ſub ſpe Matrimonij de futuro ſit traditio corporum anticipata, quæ iure antiquo ſufficeret ad inducendum Matrimoniũ: Ergò iure nouo ſufficit ad diſſoluenda ſponſalia, quod patet hoc exemplo: Si quis rem venderet Petro, & poſteà illã venderet, & traderet Paulo, ſecunda venditio præualet, etiam cum præiudicio prioris, *l. quoties* 15. *C. de rei vendic.* Ergò ſimiliter in caſu præſenti. ¶ Secundò, ſic ſe habent ſponſalia ad Matrimonium, ſicut ingreſſus Religionis ad profeſſionem, ſed qui poſt votum ingrediendi Religionem virginem deflorarer, vel cum vidua honeſtæ famæ rem haberet ſpe futuri Matrimonij, teneretur ad contrahendum cum illa, non ad intrandũ Religionem: Ergò qui hoc modo fœminam cognoſceret poſt ſponſalia cum alia, deberet cum ſecunda contrahere, non cum prima. ¶ Tertiò, quia ius fortius adueniens impedit ius minùs fortè præcedens, ſed per ſponſalia, copulâ ſecutâ, acquirit ius fortius fœmina, quam erat ius, quod prior per ſponſalia habebat: Ergò per illa diſſoluuntur præcedentia, & hoc indè conſtat, quia adhuc in ſententia aduerſariorum ſi utraque fœmina in iudicio contenderet de iure ſibi obſeruando, omnis iudex pro ſecunda iudicium ferret, quæ maius damnũ paſſa, habet ius urgentius, ut ſibi conſulatur, quam alteri, quæ nullum, vel exiguum detrimentum ſubiret, ſi fides ſponſalium illi non obſeruaretur.

*Induceretur impedimentũ publicæ honeſtatis per ſecunda ſponſalia.*

46. Ex quo infero contrà nonnullos noſtræ ſententiæ Auctores, quod per ſecunda ſponſalia induceretur impedimentum publicę honeſtatis, quia non ſolùm ratione damni illati eſſet obligatio cum ſecunda contrahendi, ſed quia ſponſalia vera fuerunt, ſi enim præcedentia diſſoluta ſunt per noua celebrata, ſecutâ copulâ cum promiſſione Matrimonij: Ergò per talem copulam hæc ſponſalia firmata fuerunt, & valida facta, ſolùm enim præcedentium obligatio impedire poſſet, quominùs noua ſponſalia vera forent: Ergò, illa ceſſante obligatione, hæc firmantur, & validantur. Verumtamen ſi hæc ſecunda ſponſalia aliqua ratione diſſoluerentur, vel morte ſponſæ, vel illius remiſſione, vel ſaltem noua cauſa superueniret ſufficiens ad diſſoluenda ſponſalia, cum iam obligatio noua ceſſaret, priori ſtandum eſſet, quæ non extincta, ſed ſopita eſſet modo, quo diximus *num.* 39. & ideò ſi prior ſponſa vellet ſibi fidem obſeruari, cum illa nubere teneretur, qui priùs illi Matrimonium promiſit.

*An diſſolutis prioribus ſponſalibus teneretur quis ad obſeruationem poſteriorum?*

47. Tertia, & ultima difficultas eſt: An qui poſt priora ſponſalia, noua celebraret, teneretur illa obſeruare caſu, quo priora ſponſalia diſſoluerentur? Affirmat Couarruu. *in 4. Decretal. part.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 10. Rebell. *ſect.* 8 maximè ſi talia ſponſalia fuerint iurata: Quod probant, quia promiſſio, & iuramentum de re aliàs illicita obligat, quandò ſit licita, nam quod non valet eo modo, quo ſit, ſaltem valet quantùm valere poteſt, ut patet in coniugato, qui ſi profiteatur in Religione, non valet talis profeſ-

ſio

Digitized by Google

ſin in præiudicium vxoris, valet tamen in ratione voti ſimplicis caſtitatis, ut conſtat *cap. quidam, de conuerſ. coniugat.* Ergò, ſimiliter quamuis ſponſalia dicta non valeant in ratione ſponſalium, valent in ratione ſimplicis promiſſionis, aut iuramenti.

*Pars negatiua eligitur.*

48. Verius tamen dicendum eſt cum Sanchez, *diſp.* 50. *num.* 6. Baſil. *cap.* 17. *num.* 2. Auerſ. *quæſt.* 8. *ſect.* 13. non teneri, quia quod ab initio fuit inualidum, tractu temporis non conualeſcit, *cap. non firmatur, de reg. iur. in 6.* ſed ſponſalia dicta, etiam ſi iurata eſſent, fuerunt inualida ab initio: Ergò non conſurgit obligatio eorum per hoc, quòd antiqua diſſoluantur, ut conſtat duplici exemplo. Primum, ſi aliquis habens votum caſtitatis, vel Religionis, ſponſalia contraheret, etiamſi relaxationem voti obtineret, non propterea obligationem illorum ſubiret, quia ab initio fuerunt invalida. Secundum, ſi coniugatus in Religione profiteretur, non teneretur mortua uxore ad Religionem redire, quia talis profeſſio fuit nulla ab initio ſui.

*Argumentum oppoſitum diſſoluitur.*

49. Ad argumentum contrarium reſpondetur falſo niti fundamento, quia obligatio, quæ penitùs fuit nulla, ad nihilum obligat. Illius autem, qui poſt Matrimonium in Religione profiteretur, profeſſio nulla eſſet, quia ad illam erat inhabilis, & tamen poſſet ſibi obligationem caſtitatis indicere, quam in coniugio ſuo modo ſeruare poſſet, non petendo debitum, quamuis reddendo illud, & extra coniugium abſolutè, ideò ab initio obligatus fuit voto caſtitatis, in noſtro autem caſu per ſecunda ſponſalia ad nihil obligatus eſt, etiamſi iuramento firmarentur, non ratione ſponſalium, quæ nulla fuere, nec ratione iuramenti, quod cum eſſet de re illicita, erat penitùs nullum.

## PVNCTVM IV.

### *Qualiter diſſoluantur Sponſalia ob lapſum temporis, vel per abſentiam ſponſi.*

*Multipliciter poteſt tempus aſſignari.*

50. QVod dictum fuerit in hoc puncto de ſponſo, idem de ſponſa ſentiendum eſt, cum ſint correlatiua, & ſic quæ de uno dicuntur, conueniunt alteri: & ſupponendum eſt, quòd vel poteſt tempus determinatum aſſignari ſponſalibus, vel poſſunt contrahi nullo præfixo termino pro adimpletione eorum, & quandò tempus præfigitur adhuc biſariam poteſt fieri. Primò, ſi tale tempus ſolùm aſſignetur ad ſolicitandam adimpletionem, quia nimirùm partes nolunt obligari uſque ad tale tempus, & illo tranſacto iam obligatio incipiat, & poſſit unus alterum requirere pro adimpletione promiſſi, quòd etiam in omnibus contractibus reperitur. Secundò, quandò tale tempus, vel in ſponſalibus, vel in alijs contractibus præfigitur ad finiendam obligationem, ita ut velint obligari uſque ad annum & de cætero faciant, quod maluerint, quod ex intentione contrahenſium, & ex circunſtantijs repertis in contractibus iudicandum eſt, quandò ſcilicèt tempus determinent ad finiendam obligationem, & quandò ad eam ſolicitandam, ut benè inquit Auerſa, *quæſt* 8. *ſect.* 11. Palao, *diſp.* 1. *punct.* 24. *num.* 3. Baſil. *libr.* 12. *cap.* 16. *num.* 3. attendendo ſcilicèt ad cauſas, & motiua, quibus inducti contrahentes tale tempus aſſignarunt.

*Quid faciendum in dubio?*

51. Quandò autem dubium eſt, an animo ſolicitandi obligationem, vel illam finiendi, tale tempus præfigitur, undè id erit inueſtigandum? Ad hoc optimæ ſunt duæ regulæ, quas aſſignat Sanchez, *l.* 1. *diſp.* 53. *n.* 3. & approbat Coninch, *diſp.* 23. *dub.* 6. *num.* 4. ſequiturque Dicaſt. *diſp.* 1. *dub.* 35. *n* 526. & Becan. *c* 43 *q.* 28. *n.* 4. N. Gabr. *diſp.* 5. *num.* 38. Prima, quandò tale tempus ab una tantùm parte fuit aſſignatum, alterâ circà hoc negatiuè ſe habente, tunc cenſendum eſt, deſignari ad ſolicitandam adimpletioné. Quandò verò ab utraque fuit præfixum, iudicandum eſt (niſi aliundè de oppoſita conſtet voluntate) fuiſſe ad finiendam obligationem propoſitam. Secunda, quandò talis aſſignatio temporis contractum præceſſit, tunc cenſetur ut intrinſeca illi, & ſic appoſita ad illius obligationem finiendam; at verò cum poſt contractum perfectè initum talis determinatio temporis aſſignatur, iudicandum eſt, fuiſſe appoſitam ad præcisè ſolicitandam adimpletionem illius, cum non ſit intrinſeca contractui, qui iam perfectè celebratus ſupponitur.

*Si nullum aſſignetur tempus, per lapſum illius non diſſoluuntur ſponſalia.*

52. Quibus ſic ſtatutis, dicendum eſt, quandò ſponſalia contracta fuere nullo tempore determinato, per illius lapſum ex nulla parte diſſolui. Quod eſt apud omnes manifeſtum, cum abſolutè inita ſint, nullo aſſignato tempore, & ſic in omni tempore obligationem conſeruant, niſi tempus nimis differatur. Si enim nimia mora intercedat, tunc diſſoluuntur ex parte eius, qui non eſt in cauſa dilationis, & per quem non ſtat, quominùs conualiatur, ex parte autem differentis non ſic, ſi altera pars in ſua voluntate ſemper perſiſtat. Ita Dicaſtill. *num.* 528. Trullench, *libr.* 7. *capit.* 2. *num.* 4. Bonacina, *quæſt.* 1. *punct.* 6. *numer.* 7. Palao, Auerſa, Et ratio eſt, quia ille, qui eſt in mora, videtur iam cedere iuri ſuo, & obligationem ſponſalium alterius partis remittere, & cum fidem datam nolit obſeruare, non eſt illi ſeruanda fides. Quod adhuc verum cenſemus, etiamſi talis mora non fuerit culpabilis, quia ſponſa non præſumitur velle per ſponſalia obligari longo tempore eſſe ſinè nuptijs: & ideò ſiuè alius ex culpa differat ſiuè abſque illa, vel ob infirmitatem, vel aliam cauſam, ipſa non debet manere ſuſpenſa, & impediri, quominùs de nuptijs ſibi prouideat. Quod adhuc verum eſt, ſiuè ſponſalia iurata fuerint, ſiuè non, cum iuramentum conditionem contractus, cui adhæret, ſequatur.

53. Quandò verò cenſendum ſit grauem intereſſe moram, ſufficientem ad ſponſalia diſſoluenda, non conueniunt Doctores, alij biennium aſſignant, alij triennium, alij unum annum; alij, ut Palao, Coninch, expectandam eſſe circà hoc ſententiam iudicis aſſerunt, alij eſſe arbitrio prudentum relinquendum qui, attenta qualitate ſponſæ, & alijs circumſtantijs, inter quas penſanda eſt, ſi periculum immineat incontinentiæ, id iudicare debent. Ita Dicaſt. *n.* 531. Rebell. *lib.* 4 *q.* 8. *ſect* 3. Perez, *diſp* 9. *ſect.* 9 *num.* 5. Nos verò conſequenter ad ea, quæ, diximus cap. præced. *num.* 87. aſſerimus, quòd ſi opportunitas adſit con-

contrahendi, & alter paratus ſit, & tacitè, vel expreſsè aliam requirat, & renuat, vel ſi prudentum, aut iudicis arbitrio, vel etiam ipſius partis dumtaxàt conſenſu tempus illi determinetur ad contrahendum, & alter nihilominùs differt, iam eſt in mora culpabili, & cenſetur alterius obligationem remittere.

*Si tempus ad ſolicitandam adimpletionē aſſignetur, non diſſoluuntur ſponſalia per illius lapſum.*

54. Quandò verò tempus determinatur contractibus, ac proindè ſponſalibus, non ad finiendam obligationem, ſed ad ſolicitandam executionem, lapſu temporis non diſſoluuntur. Ita Becan. Dicaſt. *num.* 525. Trullench, *dub.* 5. *n.* 3. Sanchez, *n.* 5. N. Gabr. Anton. *n.* 139. & eſt communis: Probaturque ex *l. Celſus, ff de receptis arbitris*, vbi dicitur in tali caſu eſſe duplicem obligationem, alteram adimplendi promiſſum, alteram talis tempore adimplendi, quarè, illo lapſo, ceſſat ſecunda obligatio, prima adhuc perſiſtente, niſi nimis poſt tale tempus differatur, ut aduertunt prædicti Doctores, quia tunc, iuxta dicta duobus præcedentibus numeris, ceſſat ex parte eius, per quem non ſtat talis dilatio. Quarè ſiuè ſponſalia iurata, ſiuè non iurata fuerint, ſiuè per culpam, aut aliam cauſam fiat nimia dilatio, ille, per quem non ſtat, reſilire poteſt, & cui voluerit nubere. Imò minor dilatio ſufficit in hoc caſu, quàm in eò, de quo egimus *num. præc.* Tum, quia iam incipit frangere fidem, qui tempus aſſignatum præterire permittit. Tum, etiam, quia cum talis aſſignatio ſit ad ſolicitandam obligationem impoſita, iam ipſo adueniente tempore cenſentur ad inuicem requiri, & ſic in mora eſt, per quem ſtat talis dilatio. Fatemur autem maiorem dilationem requiri, quandò abſque culpa differtur, quàm ſi culpabiliter differatur.

*Quandò tempus ad finiendam obligationem aſſignatum tranſit, diſſoluuntur.*

55. Si tamen tempus ad finiendam obligationem aſſignetur, illo tranſacto, diſſoluuntur ſponſalia, etiamſi iurata fuerint ex parte eius, per quem ſtat adimpletio. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 3. *ad* 2. *&* 3 *p. quæſt.* 43. *artic.* 3. *ad* 2. Becan. Sanchez, Coninch, N. Gabr. Anton. *num.* 137. Et eſt communis. Colligiturque ex *cap. à nobis, de deſponſat. impub. & cap. ſicut de ſponſal. & ratio eſt: quia contractus ex conditione legem accipere dignoſcitur, regulâ contractus, de regul. iur. in* 6. Cum ergò tali contractui intrinſeca conditio appoſita fuerit de contrahendo Matrimonio tali tempore, illo tranſacto, ceſſat obligatio ex parte eius, per quem non ſtat dilatio, ex parte verò illius, qui ſua culpâ differt, non ceſſat, ne commodum ex ſuo delicto importet. Vndè altero volente tenetur adhuc poſt illud tempus ſeruare fidem, ſiue ex vi contractus ſponſalium, qui in tali caſu non claudicat ex parte eius, ut quidam volunt, ſiuè ex vi obligationis, quam ſubijt tradendi ſe alteri vitture promiſſionis acceptatæ, quamuis ſponſalia utrimque diſſoluantur, ut volunt alij.

*Quid quandò inculpabiliter tempus præterijt.*

56. Sed difficultas eſt. An modo dicto ſponſalia diſſoluantur, quandò non contrahitur tranſacto tempore præfixo inculpabiliter, quia nimirùm tunc iuſtè impeditus ſponſus non potuit Matrimonium celebrare? In quo eſt duplex ſententia. Prima aſſerit, quod ſi tempus præfixum labatur ſinè culpa, Sponſalia non diſſoluuntur ex parte alicuius. Ita Sanchez, *l.* 1 *diſp.* 53. *num.* 7. Baſil. *lib.* 12. *cap.* 16. *n.* 4. Trullench, *lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 5. Quod probant *ex cap. ſicut de ſponſal.* vbi Pontifex docet ſponſalia diſſolui ex parte eius, per quem non ſtat illa dilatio, in quo inſinuat dilationem alterius debere eſſe culpabilem, quia per illum ſtat non adimpletio promiſſionis. Tum etiam, quia ut dicitur *cap. quia diuerſitatem, de conceſſion. præben. & leg.* 3. *§. fin. de Annal. exceptione.* Legitimè impedito non currit tempus, ut iure priuetur.

*Etiam tunc tranſacto tēpore ſponſalia diſſoluuntur.*

57. Secunda ſententia probabilius aſſerit, ſponſalia modo dicto diſſolui, etiamſi abſquè culpa tempus differatur. Ita Laym. *l.* 5. *ſum tract.* 10. *s. p. cap.* 2. *n.* 17. Palao, *n.* 8. Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 1 *dub.* 35. *n.* 524. Coninch, *n.* 47. & ratio eſt illorum, quia quandò contrahentes tempus aſſignant, ut determinatiuum obligationis, ut in plurimum id faciunt, nè diutius abſque nuptijs in tali obligatione perſiſtant, & poſſint nubere poſt illud tempus, vel cum ipſo, vel cum alio. Et ideò ſi tranſacto illo tempore ſub tali vinculo eſſent, & ſibi damnoſum foret, ſiuè cum culpâ alterius, ſiuè abſque illa fiat, & præter intentionem obligarentur. ¶ Et confirmatur, quia ſi paratus contrahere tempore præfixo non eximatur ab obligatione, illo tranſacto fruſtrà aſſignaretur tempus pro obligatione ſponſalium, nam etiam illo non aſſignato, ſi alter fuerit in morâ culpabili, abſoluitur innocens ab obligatione, ut dictum eſt in hoc puncto. Quarè in *cap. ſicut.* Solum dicitur, quòd per illum ſtet, vel non ſtet, quod ſiuè culpabiliter, ſiuè non, fiat, verificatur. Textus autem illi, qui dicunt tempus non currere, quandò legitimè eſt impeditus, intelliguntur in ordine ad amiſſionem iuris acquiſiti, non verò quandò ex voluntate contrahentium, nolunt obligari extrà tempus aſſignatum.

*Per diſceſſum ſponſi diſſoluuntur ſponſalia.*

58. Deindè diſſoluuntur ſponſalia per hoc, quod ſponſus in aliam ciuitatem domicilium transferret, vel ſi in longinquam Regionem abiret, etiamſi animo redeundi pergeret Laym. *n.* 15. Coninch, *diſp.* 28. *dub.* 6. *concl.* 6 Palao, *n.* 1. Trull. *dub.* 6. Becan. *quæſt.* 29. & probatur ex *cap. de illis* 5. *de ſponſal.* ubi ſic ait Summus Pontifex: *Qui præſtito iuramento promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea dimittunt terram, ſe ad alias partes transferentes; liberum erit mulieribus ad alia ſe vota transferre.* Vbi, ut conſtat, loquitur Summus Pontifex de ſponſalibus etiam iuramento firmatis.

59. Et ratio eſt, quia ſponſus transferendo domicilium, vel ad Regionem longinquam tendendo, ſiuè intrà Prouinciam, ſiuè extra illam cenſetur renuntiare ſponſalium obligationi, neque ſponſa de futuro illum ſequi tenetur (quidquid ſit de ſponſa de præſenti, de quo ſuo loco dicemus.) Ex quo ſequitur, ſponſam poſſe, nullâ expectatâ morâ ſe transferre, ad alia ſponſalia. Sed hoc intelligendum eſt, quandò abſque licentia ſponſæ ſe tranſtulit ſponſus, vel abiuit, ſi tamen ab eâ licentiam obtinuit abeundi abſquè tempore præfixo, illum expectare tenetur ſecundum regulas iuris ciuilis, de quibus ſtatim dicemus. Si tamen tempus pro abſentia deſignauit, illi ſtandum eſt, quo tranſacto poterit mulier ad alia ſponſalia tranſire.

*Diuerſa iura in oppoſitum.*

60. Et ſi obijcias contrà reſolutionem *num.* 58. poſitam, quòd *leg.* 2. *C. de ſponſal.* deciditur, ſponſam debere expectare per biennium

pro

pro abſentia ſponſi in eadem prouincia, & *leg.2. C. de Repudys* dicitur, triennium eſſe expectandum, quandò abſentia eſt in alia Prouincia, & *leg. ſæpe ff. de ſponſal.* ſtatuitur, dum ex cauſa neceſſaria abeſt, expectandum eſſe donec cauſa ceſſet. Item iure Regni, *leg.8. tit.1. p 4.* requiritur trium annorum expectatio, quandò requiſitus ſponſus inueniri non poteſt: Ergò non ceſſat obligatio ſponſalium ex parte ſponſæ ſtatim ac ſponſus ſe transfert in remota, etiam non expectato beneplacito illius.

*Ius ciuile correctum eſt per Canonicum.*

61. Reſpondetur, ius ciuile correctum fuiſſe in hac parte per ius Canonicum in *cap. de illis* cit. & ideò non eſſe obſeruandum, quidquid aliqui in oppoſitum dicant. Ita Bonacin. *q.1. punct.6. num* 8. Sanchez, *lib.1. diſp.54. num.6* Palao, *punct.* 23 *num.3.* Auerſ. Dicaſt. *dub.36. n.535.* Gonet *art.4. n.67.* Nam Summus Pontifex dicit ita: *Si quis iurauerit aliquam ducturum, & posteà dimiſit terram, ſe ad alias partes transferens, liberum erit mulieri ad alia ſe vota transferre.* Non autem eſſet liberum contrahere cum alio Matrimonium, ſi per biennium, aut triennium deberet expectare, quare tam in foro interiori, quam in foro exteriori libera manet ſponſa ad contrahendum cum quo maluerit, nec cogendam eſſe in foro contentioſo ad obſeruationem iuris ciuilis contrà Enriq. *lib.11. de Matr. cap.14. num.5.* & Bonacina, *quæſt.9. punct.6.* docent Becan. Auerſ. Dicaſt. Palao, Sanchez, *loc. cit.*

*Quandò cum ſpe reditus diſcedit ſponſus expectandus.*

62. Si autem diſceſſus ſponſi fuerit in propinquum cum ſpe reditus expectandus eſt, donec redeat, vel illi tempus præfigendum vltrà quod non poſſit detineri. Si tamen requiſitus reditum ex iuſta cauſa differat, non eſt temerè reſiliendum à ſponſalibus, ſed expectandum prudentis arbitrio, vel quod ſecurius eſt iudicis ſententiâ, qui, attenta qualitate ſponſæ, alijſque circumſtantijs inſpectis, maximè ſi periculum immineat incontinentiæ, propter quod ius Canonicum ciuile correxit, illam abſoluere, vel obligare poteſt. Ita Rebell. *lib 4. quæſt 8. ſect.3.* Sanchez, *num.10.* Coninch. *diſp.23. dub.6. n.51.* Dicaſt. *num.531.*

## PVNCTVM V,

### *Quibus cauſis ſuperuenientibus poſſint Sponſalia diſſolui.*

*Regula generalis ſtatuitur.*

63. IN primis regula generalis ſtatuenda eſt in hac parte, deinde ad cauſas particulares deſcendendum. Sit ergò generalis regula, quandò talis cauſa emergit, aut talis mutatio de nouo aduenit, aut circumſtantiæ, vel talia inconuenientia occurrunt, quod ſi præuiſa eſſent antè ſponſalia, vel ad illa præcederent, nequaquam contraherentur, in tali caſu ceſſat obligatio illorum ex parte eius, qui de nouo has cauſas non dedit. Ita Sanchez, *lib.1. diſp 62. n.3.* Auerſ. *quæſt. 8. ſect.14.* Ledeſm. *3. p. q.43. caſ.* Enriq. *lib.11. cap.14.* Palao, *diſp.1. punct.28. n 8.* Dicaſt. *diſp.1. dub.40* & è Noſtris Gabr. *num.58.* Anton Franciſ. Vrban. Steph. *n.16.* & alij. Et ratio eſt. Tum, quia ſponſalia contrahentes ſolum ſe voluerunt obligare ad Matrimonium, rebus in eodem ſtatu permanentibus, illis ergo notabiliter mutatis, ceſſat obligatio illorum. Tum etiam, quia ſub hac conditione cenſentur ſponſi obligari, niſi accedat notabilis mutatio, quæ ſi præuiſa, aut præuia eſſet, minimè contraheretur: Ergo illâ ſuperueniente, non amplius obligatur, qui eam non appoſuit.

*Obiectio contraria.*

64. Obijcies, quod ſi ita eſt, quod ſub tali conditione dumtaxat ſponſalia obligant: Ergò numquam dabitur contractus abſolutus ſponſalitius, ſed dumtaxat conditionatus. Ex quo ſequitur numquam per ſponſalia impedimentum publicæ honeſtatis induci, quia hoc ſolùm ex veris ſponſalibus, quæ abſoluta ſunt, inducitur, non ex conditionatis, quæ non ſunt verè ſponſalia, quandiù à conditione dependentia. ¶ Reſpondetur nec in caſu, de quo loquimur, nec in alijs, in quibus tacita dumtaxat conditio in contractibus imbibitur, eos reddere conditionatos, aut tollere, quòd ſint verè, & ſimpliciter abſoluti, ſed talis conditio eſt, vt poſſint reſcindi, & ſic ſenſus eſt: Contraho tecum abſolutè, ſi autem talis mutatio adueniat, ab obligatione reſiliam.

*Cuidam quæſito fit ſatiſ.*

65. Si autem inquiras, quomodo cognoſcendum ſit, quòd ſi ab initio talis cauſa, vel talis mutatio daretur, aut præuideretur futura, non contraherentur ſponſalia? ¶ Ad hoc reſpondet Sanchez, *num.6.* Palao, *punct.29. n.2.* credendum eſſe cuicumque aſſerenti ſe minimè promiſſurum fuiſſe, idque non ſolum in foro conſcientię, ſed etiam in foro externo, quia eâ, quæ in animo conſiſtunt, cum aliorum teſtimonio nequeant probari, aſſertione, aut iuramento eiuſdem partis confirmanda, & accipienda ſunt. Sed quia hoc eſſet expoſitum, vt quilibet etiam ex leui cauſa à ſponſalibus reſiliret, melius dicendum eſt cum Palao, *punct.28. n 6.* Coninch, *diſp.23. dub 8. n.65.* quod ſcilicèt quando talis cauſa, vel mutatio datur, quod ſi ab initio eſſet, vel præuideretur, prudenter retraheret homines illius ſtatus, & conditionis à Matrimonio cum tali perſona contrahendo, tunc ſufficit ad reſcindenda ſponſalia.

*Quæ cauſæ ſufficiant ad diſſoluenda ſponſalia.*

66. Sed modo ad caſus in particulari deueniamus. Et in primis poſſunt reſcindi ſponſalia per nouam infirmitatem grauem, & habitualem ſuperuenientem, aut per deformitatem enormem, vt ſi alter amitteret oculum, manum, auriculam, &c. eſt expreſſa D. Thom. *quæſt.43. in 3.p. art.3. ad 3.* & habetur in *cap. quemadmodum* 25. *de iur. iur.* etiamſi ſponſalia iurata eſſent, ibi: *Quod ſi poſt huiuſmodi iuramentum mulier fieret non ſolum leproſa, ſed etiam paralytica, vel oculos, vel naſum amitteret, ſeu quidquam et turpius eueniret, numquid vir teneretur eam ducere in vxorem? Profectò ductam non poſſet dimittere:* Et ratio textus, & D. Thom. ea eſt, ne Matrimonium inter tales perpetuam diſplicentiam generet, & malum exitum habeat. Idem tenet Villalob. *tractat.12. diff.12. num.18.* Sanchez, *lib.1. diſp.57. à num.1.* Baſil. *lib.12. cap.17.* Auerſ. *q.8. ſect.14.* qui etiam notant non ſolum infirmitates in hoc textu aſſignatas, ſed etiam alias graues, & grauamen Matrimonio imponentes, eundem effectum habere, quia illæ ſolum adductæ ſunt in exemplum, & ideò ſufficeret morbus Gallicus, male-olentia oris, lepra, paralyſis, & alia huiuſmodi.

*Lege N. Gabr. quæſt. 5. num.49.*

67. Similiter etiam per deformitatem ſponſæ,

quæ

*Alia cauſæ ad id ſufficientes.*

quæ eum antea pulchra eſſet ab ea pulchritudine defecit, etiamſi non amitteret vel oculum, vel naſum, de quo fit mentio in textu, ſed illam pulchritudinem amitteret, quam habebat. Et ratio eſt, quia promiſſio ſponſalium intelligitur facta, rebus in eodem ſtatu permanentibus, & nulla notabili mutatione de nouo adueniente. Ita Sanchez, *num.*4. Baſil. *num.*5. Auerſ. Diana, 3 *p.tract.* 4.*reſol.*285. Coninch. *diſp.*23. *dub.* 8. *num.*66. Palao, *punct.* 27. *num.* 5. N. Anton. *num.*157. Vrbanus *quem ref.* Steph. *loc. cit.*

68. Deinde diſſoluuntur propter delictum hæreſis, quia hoc eſt impedimentum ad minus impediens Matrimonium, & illicitum reddens. Similiter propter graue delictum, ex quo infamia generatur propter iacturam famæ, opinionis, vel honoris, propter graues inter ſponſos inimicitias exortas, ex quibus malus exitus matrimonij timetur, propter ſæuitiam ſponſi, & denique propter omnia illa, quæ ſufficiunt ad ſeparationem quoad thorum, quia magis requiruntur ad talem ſeparationem, quàm ad reſcindenda ſponſalia. Et ideò cauſæ ſufficientes ad primum, ſunt ſuperabundantes ad ſecundum.

*Per impedimenta ſolùm impedientia non diſſoluuntur.*

69. Sed quæres primò. An per aduenientia impedimenta Matrimonij, diſſolui poſſint ſponſalia? ¶ Reſpondetur, quod ſi loquamur de impedimentis non dirimentibus, ſed præcisè impedientibus, non diſſoluuntur ſponſalia (excepto voto caſtitatis, aut Religionis, & etiam hæreſis, ſi fortè non ſit impedimentum dirimens, de quo ſuo loco) Ita Sanchez, *diſp.* 56. *num.*3. Palao, *punct.*26. Coninch, *dub.*5.*num.*36. Bonacin. *quæſt.*1 *punct* 7. *num.*7. *contra* Auerſa, Sot. *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.*2. *art.* 5. *caſ.* 9. Ledeſ. *art.* 3. *caſ.* 3. qui dicunt etiam per hæc impedimenta aduenientia diſſolui ſponſalia. Et ratio noſtræ concluſionis eſt, quia licet talia impedimenta ſint in ſuo robore, & rigore, ita vt modo obſtent Matrimonio, quod negat Sanchez, *diſp.* 55. *num.*3. Palao, *punct.* 26. de quo nos ſuo loco dicemus, ſolùm tamen habent vim impediendi, ſeù obſtandi Matrimonio, dum res eſt omninò integra, non quandò ſponſalia præceſſerunt, & ſic antecedit inchoatio Matrimonij per illa.

*Dirimentia prorſus diſſoluunt.*

70. Si autem loquamur de impedimentis dirimentibus certum eſt apud omnes, talia impedimenta ſponſalia diſſoluere ex parte innocentis, ſeu eius, qui impedimentum non appoſuit, quia ſibi ſufficiens cauſa ſuppetit reſiliendi; vndè non tenetur admittere diſpenſationem, etiamſi ab alio obtineatur, & offeratur ſibi, quia ius reſiliendi acquiſiuit per impedimentum ſuperueniens, quod non amittit per hoc, quòd alter diſpenſationem adipiſcatur. Ita Coninch. *concl.* 2. Palao, *n.*2. N. Gabr. *quæſt.* 5. N. Franciſ. *n.* 122. Imò addit probabiliter Dicaſt. *tract.*10. *diſp.*1. *dub.*38. ſolui immediatè, & proximè ſponſalia ex parte vtriuſq; partis, ſiuè culpabiliter, ſiuè inculpabiliter impedimentum adueniat. Et ratio eſt, quia nemo tenetur ad id, quod non poteſt, & ſuppoſito tali impedimento, iam eſt impoſſibile Matrimoniũ ex parte vtriuſque.

71. Sed nunc reſtat duplex difficultas. Prima: An ille, qui impedimentum oppoſuit, teneatur diſpenſationem illius ſolicitare, parte id exigente? Secunda: An ſi ſponſalia inter habentes impedimentum dirimens contraherentur ſub hac conditione, ſi Papa diſpenſet ſuper impedimentum, valida ſint, & inducant impedimentum publicæ honeſtatis?

*An teneatur diſpenſationem ſolicitare?*

72. Circà primam difficultatem eſt duplex ſententia. Prima negat per ſe teneri diſpenſationem ſolicitare, vel etiam oblatam acceptare, per accidens autem ad hoc poſſe obligari ratione damni illati, vt ſi virginem ſub ſpe coniugij defloraui, vel rem habuit cum vidua honeſtæ famæ, vel nimia iactura opinionis fœminæ immineat, &c. Ita Auerſ. Filliuc. *cap.* 8. *quæſt* 8. Sanchez, *lib.*1. *diſp.*56. *num*4. Coninch. *num.*37. quod verificari dicunt; etiamſi ſponſalia fuerint iuramento firmata, & hoc probant. Tum quia promiſſio intelligitur, rebus in eodem ſtatu manentibus, *c. quemadmodum, de iur. iur.* Tum etiam, quia cum diſpenſatio ſit beneficium Principis, quod extrà legem communem extrahit, nemo tenetur eam ſolicitare, ſed poteſt ſe conformare legibus, & iuri communi. Limitat Sanchez, niſi talem diſpenſationem facilè poſſet obtinere, ſecus tamen ſi magnis expenſis, & magna mora temporis; quia per ſponſalia non cenſetur ſe voluiſſe ad hæc onera obligari.

*Qui impedimentum appoſuit tenetur diſpenſationẽ ſolicitare.*

73. Secunda, & verior ſententia aſſerit, teneri etiam præciſo alio nocumento ex hoc præcisè, quòd impedimentum appoſuit, quo fidem ſuo modo ſponſalium fregit. Et ideò ſi per tales expenſas, moras, aut diligentias ſolet communiter obtineri diſpenſatio illius impedimenti, eas adhibere tenetur, parte innocente id exigente. Ita Ledeſ. 3. *p. quæſt.*43. *art.* 3. *cauſ* 3. quia ſponſa per ius ad Matrimonium etiam ius acquiſiuit, ne alter reddatur ad illud inhabilis, & ſi redditus ſit, modo, quo poſſit, habilis reddatur. Tenet etiam Palao, *num* 4. N. Franciſc. *num.*125. Et probant, nam qui impedimentum apponit, ius partis lædit: Ergò tenetur illud reparare modò, quo poteſt, non poteſt alio modo, niſi diſpenſationem impetrando: Ergò ad id tenetur. Qui autem pro contraria ſententia adducuntur intelligi debent quandò per ipſum non ſtat quod res in eodem ſtatu permaneant; quando autem ab ipſo impedimentum fuit appoſitum, poteſt quis obligari ad ſolicitandam diſpenſationem ratione damni illati, & iuris læſi, & ſi res aliter modo ſe habent, per illum ſtat talis immutatio, & ideò ipſi incumbit ad priſtinum ſtatum, ſi poteſt, & modo quo poteſt, eas reducere, vt ius læſum alterius reſarciat.

*Sponſalia ſub conditione obtinendi diſpẽſationem valent.*

74. Ad ſecundam difficultatem reſpondetur valere talia ſponſalia, vt conditionata, & inducere impedimentum publicæ honeſtatis impletâ conditione. Ita Sanchez, *lib.*5. *diſp* 8. *num.* 10. Baſilius, *lib.*12. *cap.*7. *num.*1. Rebell. *part.*2. *lib.*2. *quæſt.*10. *ſect.*6. *num.*46. Ledeſ. *quæſt.*47. *art.*5. *dub.*2. *concluſ.* 3. Bonacin. *num.*9. Diana, *reſol.*290. multis relatis (quamvis oppoſitum probabile dicat, quod etiam aſſerit Sanchez, quod tenet Enriq. *libr.* 12. *cap.*10. *num.*4. cum alijs nouem Authoribus, quos refert Diana, aſſerentibus, eſſe nulla talia ſponſalia, & poſſe liberè vtrumque ſponſum recedere antè, & poſtquàm diſpenſatio obtineatur. Adde Auerſ. *quæſt.*8. *ſect.*8. Barboſa, *in collectan. tom.* 1. *lib* 4. *titul.*5. *cap.* 5. *num.*11. Et ideò non teneri diſpenſationem ſolicitare, dicuntque melius eſſe legibus

Digitized by Google

bus communibus ſe conformare, quàm ab eis per diſpenſationem eximi.) Et ratio eſt, quia licèt tempore contractus adſit impedimentum dirimens, contractus ſub tali conditione celebratur, differtur, & prorogatur ad tempus, quo ablato impedimento, erunt ſponſalia, & eorum executio licita, nam iuxta iuriſperitorum ſententiam actus factus tempore inhabili, relatus ad tempus habile valet pro illo. Sed benè aduertit Sanch. *diſp.* 5. *nu.* 38. non eſſe licitos amplexus, & oſcula inter ſponſos, qui ſub tali conditione contraxerunt, vſque dum illa conditio impleatur, & obtineatur diſpenſatio, tunc enim liciti ſunt illi actus, quia tunc de conditionatis tranſeunt ſponſalia in abſoluta. Ideòque non indigent nouo conſenſu, vt vera, & abſoluta ſint, vt docet idem Sanch. *diſp.* 8. *nu.* 10. ac proindè non licet ab eis reſilire, niſi ex cauſis iuſtis, quæ in alijs ſufficiunt ad reſcindenda ſponſalia, vt aduertit Dicaſtill. *diſp.* 38. *num.* 574. *ex eodem* Sanch. *num.* 24.

*Si pauper fiat quæ diues erat, ſponſalia poſſunt diſſolui.*

75. Quæres ſecundo. An quando ſponſa, quæ diues fuerat cum celebrauit ſponſalia & poſteà ad paupertatem deuenit, ſit ſufficiens cauſa ad reſcindenda ſponſalia ex parte alterius, qui in eodem ſtatu perſiſtit? Et idem eſt de ſponſo, proportione ſeruata. ¶ Reſpondetur affirmatiuè. Ita Auerſ. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 59. *num.* 4. Baſil. *cap.* 17. *num.* 8. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 6. Coninch. *dub.* 8. *num.* 69. Dian. *reſ.* 286. N. Gabr. Anton. *num.* 159. Et ratio eſt. Tum, quia notabilis eſt mutatio rerum ſuperueniens: Tum etiam, quia non debet obligari altera pars, vt totum onus Matrimonij ſubeat, & omnem expenſam peragat in filiorum educatione, & communi victu, ſi alterius bona deficiant, quibus concurrere debebat. Et hoc verum eſt ſiuè bona mulieris in dotem eſſent aſſignata, ſiuè non. Primum eſt certum apud omnes, quia Matrimonium promittitur ſub conditione dotis, quâ proindè non ſtante, ceſſat obligatio. Secundum docent Sanch. Dicaſtill. *diſp.* 1. *dub.* 4. *num.* 595. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 2. *quæſt.* 44. & 45. Coninch *num.* 69. Palao, *diſp.* 1. *punct.* 28. *num.* 3. N. Gabr. *num.* 56. ſiuè quia omnia bona ſponſæ cenſentur in dotem aſſignata, vt volunt aliqui apud Sanch. *loc. cit.* ſiue propter rationes, quas modo adduximus.

*Si vterque pauper fiat diſſolui poſſunt ſponſalia.*

76. Sed nunc reſtat circa hoc duplex difficultas. Prima. An ſi vterque ſponſus ex diuite pauper reddatur, ſit ſufficiens cauſa diſſoluendi ſponſalia ex parte vtriuſque? Secunda. An ſi alter ſponſus ditior notabiliter fiat, alio in eodem ſtatu manente, reſcindi poſſint ex parte eius, qui ditior factus eſt? ¶ Ad primam reſpondetur affirmatiuè. Ita Baſil. Rebell. *lib.* 14. *de ſponſal. q.* 3. *ſect.* 8. *nu.* 70. Leand. *quæſt.* 46. Auerſ. N. Anton. *loc. cit.* Et ratio eſt, quia per vtriuſque inopiam redditur onus Matrimonij difficilius, quam ſi alter eorum in paupertatem incideret: Ergò ſi hoc ſufficit ad reſcindenda ſponſalia ex parte vnius, etiam illud ex parte vtriuſque ſufficiet. Scio Bonacinam, *punct.* 8. *num.* 14. oppoſitum ſenſiſſe, quia iudicat paupertatem vnius per paupertatem alterius compenſari. Sed tu tene, quod diximus, niſi in caſu, quo alter poſt paupertatem vellet cum æquali nubere, quia iam teneretur primæ, cum qua ſponſalia contraxit, vt benè docet Auerſ. *fol.* mihi 434.

77. Ad ſecundam quæſtionem reſpondent Sanch. *num.* 7. Coninch, Auerſ. & Palao, *num.* 5. N. Gabr. & Anton. negatiuè, quod probant, quia talis non iudicatur deceptus circà conditionem ſponſæ, ſed circà ſe ipſum, in quem non fertur conſenſus, quod Sanchez explicat exemplo eius, qui promittit vendere equum pretio, quod tunc iuſtum erat, nihil nocebit valor multò auctior traditionis tempore, quo minùs illum tradere teneretur, quamuis oppoſitum probabile ſit, quod ex Ochagauia, & Hurtado docet Leander *quæſt.* 47. & tenet Dicaſtill. *num.* 599. Trull. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 12. *num.* 4. quia ſtatus rerum eſt valdè mutatus, & alter factus notabiliter dignior, ratione cuius mutationis fit grauior, & durior notabiliter impletio reſpectu diuitis, quæ mutatio ſi præuideretur, non contraherentur ſponſalia.

*Secunda quæſtio reſoluitur.*

78. Tertiò inquires: An ſi alter ſponſus poſt ſponſalia fornicetur, ſit ſufficiens cauſa ad diſſolutionem eorum? ¶ Reſpondetur, quòd licèt iurata fuerint ſponſalia, ſufficit hæc cauſa ad diſſoluenda illa ex parte innocentis. Conſtat ex *cap. quemadmodum, de iur. iur.* & hoc æquè currit ex parte viri, & fœminæ; nam licèt in dicto cap. ſolùm fiat mentio fœminæ fornicantis, quia deterius, & turpius eſt eius delictum: æquo paſſu currit, quando vir fornicatur, quia vterque frangit fidem ſponſalium, & frangenti fidem non eſt ſeruanda fides: at ex parte culpati ſponſalia non diſſoluuntur, ne commodum ex ſuo delicto aſportet. Totum hoc eſt commune apud Doctores. Videatur Sanch. *diſp.* 55. *num.* 1. Baſil. *num.* 3. Palao, *punct.* 25. Dicaſt. *diſp.* 1. *dub.* 39. *num.* 556. N. Gabr. *num.* 43. Ant. *num.* 130.

*Per fornicationem ſponſalia diſſoluuntur.*

79. Sed nunc reſtat triplex difficultas. Prima: An ſufficiant oſcula, tactus, &c. ad diſſoluenda ſponſalia ex parte innocentis? Secunda: An ſi mulier vi oppreſſa eſſet, ſufficeret ad reſcindenda ſponſalia ex parte viri? Tertia: An ſi vterque fornicetur, detur compenſatio delicti, ità vt neuter poſſit reſilire abſque alia cauſa

*Triplex quæſtio proponitur.*

80. Ad primam quæſtionem dicimus, ſufficere tactus, oſcula &c. ex parte ſponſæ, ad hoc, vt vir poſſit reſilire à ſpõſalibus, non autem ex parte viri, ſi ipſe cum aliâ hos actus habuerit, niſi caſu, quo ità frequentes eſſent, vt iudicarent propenſum in alteram partem animum, ex quo deduceret ſponſa, ſe minùs poſtea amari, & in ſuſpicionem deſpectus veniret. Ita Dicaſtillo *num.* 577. Dian. *reſol.* 183. Sanch. *num.* 5. Coninch, *dub.* 7. *num.* 56. N. Gabr. *num.* 44. Et ratio eſt, quia ex parte ſponſæ hos actus habere cum alio in magnũ cedit dedecus ſponſi, & nullus cordatè vellet cum illâ nubere, quam ſic ab alio permittit contrectari, quæ omnia ex parte viri non currunt, niſi in caſu, de quo locuti ſumus.

*Prima reſoluitur.*

81. Ad ſecundam quæſtionem reſpondetur affirmatiuè, & ſumitur *ex cap. raptor.* 27. *q.* 2. & docet Auerſa, Becan. *cap.* 43. *q.* 30. Leand. *quæſt.* 32. Sanch. *num.* 7. Palao *num.* 5. Coninch *num* 55. Dicaſt. *num.* 578. N. Gabr. *n.* 47. Franciſ. *n.* 132. Et ratio eſt, quia etiamſi mulier vi oppreſſa fuerit, vilior facta eſt, & magna mutatio circa eam, ob quam repudiari poſſit; nimis enim cederet in viri dedecus cum tali contrahere.

*Secunda decidiuer.*

82. Et ſi obijcias, quod in *cap. deſponſatas* 27. *quæſt.* 2. dicitur: *Deſponſatas puellas, & poſt ab alijs raptas, placuit erui, & reddi eis, quibus antea fuerant deſponſatæ, etiamſi eis à raptoribus vis illata conſtiterit.*

*Triplex contra illam obiectio.*

Tum etiam, quia in tali caſu non eſt in culpa mo- l ci, nec cenſetur fidem fregiſſe ſponſalium. Tum deniq; quia in ſimili caſu vxor non poteſt ſeparari à thoro coniugali: Ergò nec debet ius ſponſalium dependere. ¶ Reſpondetur ad primum, textum illum loqui de ſponſis de præſenti non de futuro, de quibus nunc agimus. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd mulier non eſt repudianda ob culpam, ſed ob notabilem mutationem circà illam factam. ¶ Ad tertium reſpondetur minùs requiri ad reſcindenda ſponſalia, quàm ad ſeparationem quoad thorum, vt communiter docent Doctores.

*Tertia quæſtio reſoluitur.*

83. Circà tertiam difficultatem eſt duplex ſententia. Prima aſſerit in caſu fornicationis vtriuſque coniugis neutrum poſſe à ſponſalibus reſilire. Hanc docent Bonac. *punct.*8. *nu.*6. Auerſa, Palao, *nu.*10. Perez, *diſp.*9. *ſect.*16. *nu.*2. & probabilem vocat Dian. *reſ.*284. ſed dari compenſationem delicti, vt neutri fas ſit recedere: probatur, quia ſi poſt contractum Matrimonium vterque coniux fornicetur, vir non poteſt facere diuortium, ſed datur compenſatio delicti, etiamſi ex parte fœminæ ſit grauius: Ergò ſimiliter in noſtro caſu.

84. Secunda, & probabilior ſententia aſſerit, quòd in caſu dicto poteſt ſponſus recedere, non ſponſa. Et ratio eſt, quia multò turpior eſt fornicatio in ſponſa, quàm in viro, eamque viliorem reddit, & grauius detrimentum, & dedecus indè oritur viro, quapropter licèt detur compenſatio delicti quoad fractionem fidei, non verò quoad vilitatem, ex qua ipſa amiſit ius, quod per fornicationem alterius acquiſierat ad recedendum à ſponſalibus, illiſque ſtare debet, ſi vir petierit, qui recedere poteſt, etiamſi prior fuerit eius fornicatio. Ita Enriq. Coninch. *concl.*6. Baſil. *c.*17. *n.*3. Sanch. *n.*9. Diana *dict. reſ.*284. Becan. *c.*43. *q.*30. Leand. *q.*3. Dicaſt. *nu.*587. N. Gabr. Anton. *nu.*131.

## PVNCTVM VI.

### *Quibus cauſis antecedentibus poſſint ſponſalia diſſolui?*

*Nobilis, aut diues tenetur cũ ignobili, aut paupere contrahere, cui Matrimonium promiſit.*

85. RECeptum eſt apud omnes, quòd ſi cauſæ antecedentes notæ erant parti, vt morbus, ignobilitas, paupertas, &c. non ſunt ſufficientes poſtmodùm ad reſcindenda ſponſalia: eo quòd ille, qui ſciens tales cauſas ſponſalia contraxit, iuri ſuo cedere cenſetur, & velle eum tali onere Matrimonium inire. Ex quo deducitur contrà nonnullos, quòd ſi vir valdè nobilis, aut diues ſciens imparitatem conditionis fœminæ, ignobili, aut pauperi Matrimonium promiſit, tenetur cum illa contrahere, quia cum ſit Dominus ſui corporis, poteſt iuſtè, cui maluerit, nubere. Et ideò cenſetur cedere iuri ſuo, eo ipſo, quòd diſparitatis conſcius ſponſalia celebrauit, atque ita docet Auerſa, *q.*8. *ſect.*15. Veracruz *in ſpec. p.*3. *art.*19. *concl.*2. Sanchez, *lib.*1. *diſp.*14. *num.*2. & ex ipſo Dicaſt. *diſp.* 1. *dub.*10. *nu.*159. qui citat Rebell. *lib.*4. *q.*1. Azor. 3. *p. lib.*5. *c.*5. *q.*3. *diſſ.*2. Gutierr. *c.*4. *de matrim. &* *c.*9. *nu.*10. niſi fortè ex tali Matrimonio magnum ſcandalum ſequeretur, & iurgia, aut diſſentiones inter parentes, aut conſanguineos, quia in tali caſu etiamſi ſub iuramento Matrimonium eſſet promiſſum non obligari ad illud, docent prædicti Authores, eo quòd talis promiſſio eſſet rei iniuſtæ, quæ abſque peccato non poſſet adimpleri: quapropter iuramentum, quod non eſt vinculum iniquitatis, non poſſet talia ſponſalia confirmare neque obligationem aliquam inducere.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

86. Sed obijcies, quod ſi quis prodigè magnam partem promitteret meretrici pro vſu ſui corporis non teneretur illam ſoluere, ſed quod iuſtum erat, ut docet Soto, *lib.*4. *de iuſt. art.*1. *ad* 2. *verſ. An verò*, Palacius, *lib.*5. *de contract. cap.*11. Bañez, 2. 2. *quæſt.*62. *art.*5. *dub.*5. *concl.*3. Rodriguez, 2. *tom. ſumm. cap.*40. *num.*4. ſed promiſſio Matrimonij facta notabiliter impari, prodiga eſt: Ergo obligationem non inducit. Similiter, quia ſi quis in contractu promitteret immodicum prætium, non teneretur totum ſoluere, ſed iuſtum, & æquale, eo quòd imprudenter, & prodigè promiſit: Ergò ſimiliter in caſu præſenti. ¶ Reſpondet Dicaſtill. *num.* 174. citans Sanchez, & Molinam, eum, qui immodicum pretium meretrici promiſit, totum ſoluere teneri, quia licèt promiſſio ex liberalitate proceſſerit, executio tamen eſt ex debito, quarè cum in illa nulla fiat prodigalitas, ſed impletio debiti, ad eam tenetur, quamuis prodiga fuerit promiſſio cum peccato facta; Quemadmodùm, qui promiſit pecunias fœminæ ob vſum ſui corporis, peccat promittendo, quia ad peccatum inducit, tenetur tamen eas ſoluere ex contractu, quia executio non eſt illicita, ſed debita. Quod verum cenſeo, ſiuè promiſſio iurata fuerit, ſiuè non; ſed quidquid de hoc ſit, adhuc eſt diſpar ratio, nam qui promittit fœminæ pecunias ob vſuram ſui corporis, promittit in pretium contractus, in quo ſemper æqualitas debet inueniri iuxta dicta *cap. præc. nu.*37. At in noſtro caſu non promittitur traditio corporis per Matrimonium in pretium, ſed mera liberalitate eius, qui Dominus eſt ſui, & iuſtè poteſt, cui voluerit, nubere, per quod patet ad id, quod additur in obiectione.

*Cauſa ignota poſſunt ſponſalia, dirimere.*

87. Quandò vero cauſæ præcedentes ignotæ erant parti contrahenti, communis eſt Doctorum ſententia, quòd ſi tales cauſæ ſuperuenientes ſpõſalibus ſufficientes eſſent ad illa reſcindenda, etiam ſunt regulariter ſufficientes, quandò antecedunt, & de nouo cognoſcuntur. Ita Dicaſtill. *nu.* 604. Auerſ. Leand. *qu.*49. Palao, *diſp.*1. *punct.*29. Baſil. *lib.*12. *cap.*18. Sanch. *lib.*1. *diſp.*63. *n.*2. Et ratio eſt, quia in tali caſu notabilis mutatio apparet, quæ ſi cognita eſſet, ſponſalia impediret: & ideò idem eſt ac ſi de nouo reſultaret, tunc enim cenſetur res fieri, quandò innoteſcit, & è contrà idẽ eſt non eſſe, & non apparere *l. in lege, ff. de contr. empt.*

*Excipitur aliquis caſus,*

88. Diximus regulariter, quia aliqua cauſa datur, quæ ſi ſuperueniret, poſſet ſponſalia reſcindere, quandò autem antecedit, etiamſi poſteà cognoſcatur, id non poteſt. Huiuſmodi eſt fornicatio viri, quæ, quia poſt ſponſalia facta fidem illorum frangit, ius præbet fœminæ ad reſiliendum, iuxta dicta *num.*78. At ſi præceſſit, non poteſt ob illam ſponſa recedere. Ita docet Sanchez, *num.*9. Leander, *quæſt.* 52. Dicaſtill. *dub.* 40. Coninch. *diſp.*23. *dub.*7. *num.*12. Baſil. *num.*2. Palao, *num.*8. & apud ipſum Gutierr. *cap.*34. *num.*7. Tenet etiam Auerſ. *ſect.*16. N. Franc. *n.*130. Et ratio eſt, quia ex vna parte fides ſponſalium non frangitur, & ex alia nulla nota, aut ignominia eſt fœminæ cum viro, qui aliam nouit, Matrimonium contrahere. Quod limitant hi Auctores, niſi vir nimium dedi-

tus

Digitized by Google

tus eſſet huic vitio, & prudenter timere poſſet fœmina, poſt patratum Matrimonium, fidem illius fracturum, quia difficile, imò probroſum eſt mulieri honeſtæ illum ducere; qui cum pluribus ſe commiſcuit, vel etiam ſi ſemel, aut bis cum alia fornicauit, & prolem ex illa habuit, quia tunc difficilius eſt Matrimonium ob diſcordias, quæ indè communiter oriuntur, & quia alimenta ex bonis communibus illi impertiri debent, & ideò adeſt notabilis mutatio ſufficiens ad ſponſalia reſcindenda.

89. Si autem ſponſa antè ſponſalia fuerit fornicata, quod poſteà notum fuerit ſponſo, non tenetur hic promiſſionem implere. Tum, quia bigamiam incurreret per contractionem cum illa, quod ſi forſan anteà cognoſceret, ſponſalia non contraheret. Tum etiam propter ea, quæ ſtatim dicemus. Imò etiam ſi talis mulier vidua fuerit, poteſt nihilominùs vir reſilire, quia probroſum eſt homini mulierem etiam viduam inhoneſtam ducere. Ita Sanchez, *num.* 3. *&* 5. Baſil. Coninch. *concl.* 3. *num.* 57. Auerſa, Palao, *num.* 4. Trullench, *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 13. *num.* 2. Leand. *quæſt.* 50. *&* 51. Dicaſt. *num.* 612. *&* 613.

*Obiectio ex cap. quemadmodum.* 90. Sed objicies, quòd in *cap. quemadmodum, de iureiurand.* ita ait Pontifex: *Si quis iurauerit, ſe ducturum aliquam in uxorem, non poteſt ei fornicationem opponere præcedentem, ſed ſubſequentem, ut illam non ducat in coniugem*; & idem aſſerit de infirmitate antecedente. Quod ex paritate rationis extendunt Palud. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. & ſupplementum Gabriel, *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 5. ad alias cauſas, quæ, ſi ſuperuenirent, ſufficerent ad ſponſalia diſſoluenda, non verò quandò antecedunt ignotæ, & poſteà cognoſcuntur, maximè ſi ſponſalia eſſent iurata.

*Plures cauſa occulta ſufficientes ad diſſoluenda ſpõſalia.* 91. Sed nihilominùs dicendum eſt, quòd licèt ſponſalia iurata fuerint ſufficis fornicatio fœminæ præcedens, & infirmitas grauis ex parte utriuſque, infamia, paupertas, ſæuitia, & alia, de quibus locuti ſumus *punct. præc.* ad tribuendum ius innocenti, ut à ſponſalibus reſiliat. Ita Auctores citati. Pontifex verò in illo textu loquitur de fornicatione, aut infirmitate præcedentibus ſponſalia cognitis à contrahentibus, de quibus iam diximus *num.* 85. non ſufficere ad reſcindendum illa, non verò de ignotis, quæ poſteà pateſcunt, de quibus nunc loquimur.

*Alia proponitur.* 92. Ex quibus deducitur, quod ſi vir celebraret ſponſalia cum vidua, quam virginem iudicabat, non tenetur ducere illam. Et ratio eſt, quia in communi hominum æſtimatione prudenter cenſetur vidua ad contrahendum Matrimonium minoris eſſe æſtimationis, quam virgo; minuſque virum illam ducere, quàm iſtam, quia irregularitatem bigamiæ incurrit, contrahendo cum illa, ratione cuius non poteſt ad Ordines aſſumi. Ergò eſt facta reſpectu viri notabilis mutatio, ratione cuius poſſit à promiſſione recedere. Ita Baſil. Auerſ. Sanchez, *num.* 3. Dicaſtillo, *num.* 618. Trullench, Palao, *num.* 6. Leand. *q.* 50. Bonacina, *q.* 1. *punct.* 8. *num.* 17. Gutierr. *num.* 4.

*Hoc intelligitur quando error dedit cauſam cõtractui.* 93. Sed hæc omnia intelligenda ſunt, quandò error, ſeu ignorantia cauſæ præcedentis dedit cauſam contractui, ſeu quandò ita affectus eſt, qui contraxit, quòd ſi talem cauſam adeſſe noſceret, minimè contractum celebraret. Si tamen ita affectus es, quandò ſponſalia contraxiſti, quòd etiamſi ſcires cauſas dictas præcedere, nihilominùs ſponſalia celebrares, tunc etiamſi illas tempore contractionis ignoraſti, non potes poſt notitiam reſilire, quia in tantùm tale ius acquirere potes, in quantum ſub hac conditione promittere cenſeris, niſi talis mutatio, vel talis cauſa detur: Ergò ſi ita affectus es, quòd nihilominus promitteres illis exiſtentibus, nullà additâ conditione, te promittere iudicatur, vnde reſilire non poteris. Ita Dicaſtillo, *dub.* 60. *num* 605. *&* 621. Baſil. *num.* 4. *ex* Coninch, *num.* 60. Palao, *num.* 2. *ex* Sanchez *diſp.* 65. *num.* 2. Leand. *quæſt.* 43. Trullench, *dub.* 13. *num.* 3. Si autem dubius es, an tempore promiſſionis ita affectus eras, ut adhuc, illâ causâ cognitâ, promitteres, ſecundum iſtos Auctores iudicandum eſt, te non habuiſſe talem voluntatem, quandò cauſa eſſet grauis, & ſufficiẽs ad retrahendum à coniugio homines tuæ conditionis; ſecùs verò ſi cauſa eſſet leuis, & ad retrahendum à coniugio ſimiles homines inſufficiens.

94. Sed inquires primò: An cauſa ignorata, quæ dedit cauſam contractui, ipſo facto reddat ſponſalia irrita, an verò ea valida relinquat, ſed irritanda? ¶ Reſpondetur, valida eſſe ſponſalia modo dicto celebrata, proindèque inducere impedimentum publicæ honeſtatis, & promiſſionem eſſe abſolutam, & ſolùm ſub hac conditione factã. Quod ſi talis cauſa ſit, vel ſequatur, tribuat ius reſiliendi. Et idem dicendum eſt de reliquis contractibus, in quibus error dedit cauſam, ſi tamen non fuerit error de ſubſtantia contractus, ſed de circumſtantijs, quod in præſenti accidit, nam ſubſtantia contractus ſponſalium eſt promiſſio perſonæ habilis ad Matrimonium, & ad uſum illius, quod verò ſit cum his, vel illis conditionibus, eſt circumſtantia adhærens. Ita Palao, *num.* 10. *ex* Leſ. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 5. *num.* 31. Dicaſtillo, *num.* 603. *&* 610. Coninch, *dub.* 9. *num.* 73. *Quæſtio* 1.

95. Secundò inquires: An qui, poſt cognitam cauſam reſiliendi, ſponſalia ratificat, poſſet nihilominùs illa reſcindere, non ſuperueniente nouâ causâ? ¶ Reſpondetur negatiuè, ſiuè talis ratificatio fiat verbis, ſiuè factis, quod præcipuè accidit, quandò poſt cognitam cauſam reſiliendi, qui cognoſcit ſe habere ius ad diſcedendum à ſponſalibus, anteà quàm ab illis reſiliat, habuit copulam cum ſponſa, ſiue illam habeat animo ratificandi ſponſalia, ſiue non, ſed ipſo facto ratificat. Et ratio eſt, quia tunc cenſetur renuntiare iuri, quod habebat reſiliendi. Vndè, ſicut in Matrimonio qui ius habebat ſeparationis quoad torum, ſi poſteà cum coniuge copulam habeat, amittit illud, & iuri renuntiare cenſetur, ſic in præſenti. Ita Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 10. Gutier. *apud* Palaum, *punct.* 19. *nu.* 11. Dicaſt. *dub.* 41. *nu.* 627. Sanch. *diſp.* 66. *nu.* 2. Auerſ. Coninch, *dub.* 10. *nu.* 75. Baſil. *nu.* 4. Leand. *ſup. quæſt.* 54. Trull. *nu.* 7. Si autem poſtea quam ſponſalia diſſoluta ſunt, talem copulam habeat, nec cenſetur ſponſalia iam nulla ratificare, nec ex vi huius præciſè voluntatem ad illa redeundi habere. Ita Sanch. *num.* 3. Dicaſt. *num.* 360. *Quæſtio* 2.

96. Inquires tertiò: An qui haberet occultum impedimẽtum iam dictum poſſet licitè ſponſalia contrahere, & poſteà inſiſtere, & cogere partem ad Matrimonium contrahendum? ¶ Circà quod eſt varietas magna apud Doctores, quamuis omnes conueniant, quod ſi tale impedimentum, *Quæſtio* 3.

etiamſi notum eſſet parti, nihilominus promitteret, vel uterque eodem impedimento laboraret, poſſet licitè ſponſalia inire, & ad Matrimonium alium compellere. His tamen præciſis quando impedimentum eſt ex parte unius, & ignotum alteri.

97. Reſpondetur cum hac diſtinctione, nam vel cauſæ occultæ non ſunt iniurioſæ, neque poſitiuè incommodæ alteri, ſed ſolùm minùs commodum, aut appetibile Matrimonium reddunt, ut ſi pauper eſſet ſponſa, quæ diues iudicabatur; ignobilis, quæ nobilis; deformis, quæ pulchra; corrupta, quæ virgo, & alia huiuſmodi, cum his poſſe licitè ſponſalia contrahere, illa occultando, & poſtea inſiſtere, & compellere ad Matrimonium eum, qui cum illis cognitis non contraheret. Docent Palao, *punct.* 30. Coninch, *dub.* 12. *à num.* 92. Baſil. Sanch. *lib.* 6. *diſp.* 27. Auerſ. q. 8 *ſect.* 9. Dicaſt. *dub.* 42. Et ratio eſt, quia nemo tenetur defectus ſuos proclamare, & ſe infamare, quandò alteri iniuſtitiam non facit, ſed parti incumbit eos inueſtigare. Et exemplum eſt in adultero, qui debitum poteſt petere coniugi, quamuis, cognito adulterio, ius haberet alter ad illud denegandum. Quarè, docent hi Authores ſolùm habere ius reſiliendi innocentem per exceptionem, & obiectionem talis impedimenti, non verò antè illas, quia aliud eſt me eſſe liberum ab obligatione, aliud verò me habere ius contrà eam excipiendi.

98. Sed hæc intelligenda ſunt: Tum, niſi fœmina virum deciperet, ſe virginem fingendo, quæ corrupta erat, vel diuitem, quæ pauper, cum in hoc parti irrogaret iniuſtitiam, decipiendo illam, quàuis poſſit hos defectus tegere, aut amphibologia utens, eos interrogata negare, aut modis omnibus ſimulare, quia non tenetur ſe infamare, aut defectus ſuos proferre; tenetur tamen alium non decipere, & cum deceptione ad Matrimonium inducere. Tum etiam, niſi timeat, quòd ſi poſtmodùm à viro cognoſcantur, malus exitus futurus ſit Matrimonij, aut malè à viro tractandam, aut rixas, & contentiones inter illos futuras, quia tunc ex lege charitatis erga ſe tenetur ſibi hæc damna præcauere, ea detegendo antè ſponſalitiam promiſſionem, vel deſiſtendo ab illa, vel ſponſum de eis admonendo, ut vel à Matrimonio deſiſtat, vel cum tali onere ſciens, & volens contrahat.

99. Si autem defectus occulti, ſint probroſi, & damnoſi alteri, & poſitiuè illi incommodum afferant, reddantque Matrimonium non ſolùm minùs appetibile, ſed odioſum, & iniurioſum alteri, ut morbus Gallicus, paralyſis, aut lepra, infamia ex genere, vel delicto, quæ familiam deturpare poſſunt, & his ſimilia, quæ vel generationem impediunt, vel honeſtæ prolis educationi officiunt, vel à ſociabili vita auertunt, non poteſt cum illis licitè ſponſalia contrahere, vel ſi contraxit, ante celebrationem debet ea detegere, ſibique imputare, ſi in eas anguſtias intrauit. Et ratio eſt, quia nemo debet ſuum commodum ſollicitare cum incommodo, & damno alterius, & ſicut qui venderet ligna, aut equum, vel inutilia ad effectum, pro quo comparantur, vel habentia occulta impedimenta contraria omninò contractui, teneretur ea detegere ex iuſtitia, ita in præſenti. Quod tenent Palao, Baſil. Coninch. *loc. cit.* Diana, 3 *part. tract.* 4. *reſol.* 287. & alij apud ipſos contrà Sanchez, Auerſ. Dicaſtillo, *loc. cit.* & Hurtadum, *diſp.* 2. *de Matrim. num.* 62. Leand. *quæſt.* 56. Trullench. *dub.* 14. N. Anton. *num.* 174.

## PVNCTVM VII.

### *Qua auctoritate poſſint ſponſalia diſſolui, & quæ probatio requiratur in vtroque foro?*

100. CErtiſſimum eſt apud omnes (ſi cauſa de nouo adueniens ipſo factò irritet ſponſalia) poſſe quemlibet propria auctoritate reſilire (idem ſi occulta præcedat) ut Matrimonium alterius, ingreſſus Religionis, aſſumptio ad Ordines ſacros, vel impedimentum dirimens Matrimonium, ut conſtat ex D. Thom. 3. *p. in addit. qu.* 43 *art.* 3. *in corp.* Et ratio eſt manifeſta, quia tunc Matrimonium eſt impoſſibile, & ſic nemo poteſt ad illud obligari, ſi vero impedimentum adueniens non ipſo iure ſponſalia diſſoluat, ſed ſolùm ius præbeat ad reſiliendum, quando ſponſalia ſunt clandeſtina, & cauſa de nouo cognita eſt certa moraliter, aut probabiliter ex fama, ex teſtibus, ex experientia, &c. poteſt, qui ius accipit, per illud propria authoritate reſilire non expectatâ iudicis ſententiâ. Ità Baſil. *lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 8. Palao, *diſp.* 31. *num.* 1. Ledeſm. 3. *p. quæſt.* 43. *art.* 3. §. *circa iſtam, in fin.* Auerſ. q. 8. *ſect.* 16. Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 1. *dub.* 44. *num.* 648. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 16. *num.* 1. Et ratio eſt, quia ex iure non tenetur iudicis ſententiam expectare, quia nullum datur id præcipiens, nec ex natura rei, ſiquidem utitur iure ſuo, & ſub illa conditione ſe obligauit, ni ſi iuſta cauſa reſiliendi accedat.

*Quandò poſſunt propria authoritate ſponſalia diſſolui.*

101. Sed obijcies, quod D. Thom. *loc. cit.* ita ait: *In omnibus prædictis caſibus ſponſalia contracta dirimuntur, ſed diuerſimodè, quia in duobus ſcilicèt, cum quis ad Religionem confugit, coniugium cum altera per verba de præſenti contrahit, ipſo iure ſponſalia dirimuntur, ſed in alijs caſibus dirimi debent ſecundum iudicium Eccleſiæ.* ¶ Reſpondetur, S. Doctorem loqui in caſibus, in quibus Eccleſia iuriſdictionem habet. Quarè cum ipſa de occultis non iudicet, non loquitur cum ſponſalia occultè fuerunt celebrata, ſed quandò publica ſunt, & ex eorum diſſolutione propria auctoritate facta ſcandalum ſequitur, de quo iam dicemus.

*Obiectio ex D. Tho.*

102. Quandò autem ſponſalia publicè celebrata ſunt, ſi cauſa diſſoluendi etiam publica fuerit, poſſunt contrahentes propria auctoritate reſilire, imò etiamſi occulta, per ſe id poſſunt, quandò inde nullum ſcandalum ſequatur propter eandem rationem. Si tamen ſcandalum immineat, tunc non poterunt, niſi authoritate, iudicis competentis, ut benè docent Baſil. *num.* 8. Palao, *num.* 2. Leand. *diſp.* 1. *quæſt.* 59. Dicaſt. *num.* 649. Trullench, *num.* 2. Imò etiamſi ſponſalia eſſent ab initio nulla, ſi non poſſet quis abſque ſcandalo ab eis reſilire authoritate propria, teneretur iudicem interpellare, ut Eccleſiæ ſatiſfaciat, & ſcandalum auertat, ut inquit Auerſ. *ſect.* 16. Si tamen cauſa occulta eſſet, qua poſſet quis recedere à ſponſalibus publicè celebratis, non tamen poſſet eam in iudicio probare, ut ſi de fornicatione ſponſæ ſibi conſtaret, quam probare non poſſet in foro exteriori, non teneretur per ſe, & ſecluſo ſcandalo ad reſiliendum, iudicem adire, quia talis interpellatio ſibi officioſa eſſet, cum ob defectum proba-

*Quid ſi cauſa fuerit publica, & etiam ſponſalia?*

tionis

Digitized by Google

tionis compelleretur ſtare ſponſalibus, quibus non tenetur. Vnde ſicut poſſet propria anthoritate rem ſuam capere ab alio iniuſtè detentam, quandò in iudicio non poſſet eam babere, ita in præſenti, quod docent Palao, *num.*4. Dicaſt. *nu.*652. Sanch. *lib.* 1. *diſp.*69. *nu.*7. Auerſ. N. Franc. *nu.* 140. & quamuis iudex ab altera parte interpoſitus, ſententiam contrà innocẽtem proferret, cùm falſa nitatur præſumptione, poteſt modis omnibus executionem ſubterfugere.

*Quid dubius de cauſa, debet facere.*

103. Etiam tenetur ille, qui dubius eſt de cauſa reſiliendi, iudicem adire. Si enim in tali caſu propria authoritate recederet, peccaret mortaliter, quia ob cauſam dubiam non eſt priuandus alter iure ſuo certo, quod poſſidet. Ità Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 69. *nu.* 8. Palao, *num.* 1. Ledeſm. Auerſ. *ſect.* 16. Et hoc verum eſt, ſiuè dubium ſit facti, nimirum, quia dubitat fornicationem alterius perpetratam, ſiuè iuris, quia dubitat talem cauſam ſibi ius reſiliendi præbere. Si autem probabiliter certur ſit, iam non eſt dubius, quia probabile iudicium pro certo, aut quaſi certo moraliter, & prudenter habetur, & ſic poteſt authoritate propria reſilire, ſed quãdiu dubius manet, non poteſt, & tenetur iudicem adire, qui rem inueſtigare debet. Si autem, adbibita ſufficienti diligentia, adbuc iudex in dubio purè tali perſiſtat, non poteſt ſententiam contrà alium prębere, quia exponeretur periculo illi iniuſtitiam irrogandi, ſed eum debet in ſua poſſeſſione conſeruare, cum in dubijs melior ſit conditio poſſidentis. Ità Dicaſt. *dub.* 40. *nu.* 654. Trull. *nu.* 13. Hurt. *diſp.* 2. *de matr. nu.* 6.

*Quis iudex competens.*

104. Sed inquires primò quis ſit iudex competens adeundus in caſibus dictis? ¶ Reſpondetur eſſe iudicem Eccleſiaſticum Ordinarium, vel delegatum, qui iuriſdictionem habeat in foro contentioſo; undè non poteſt ſæcularis de hac re cognoſcere, cum ſit cauſa ſpiritualis ad Matrimonium pertinens, nec Parochus, qui iuriſdictionem in foro exteriori non habet. Ità Sanch. *diſp.* 69. *nu.* 10. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 1. *quæſt.* 62. Palao, *punct.* 31. *nu.* 4. *in fin.* Auerſa, *quæſt.* 8. *ſect.* 16. Trull, *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 14. *num.* 4.

*Secunda quæſtio reſoluitur.*

105. Inquires ſecundò: An qui iuſtam babet cauſam reſiliendi, occultam tamen, quæ famam alterius poſſet lædere, poſſit licitè illam coram iudice detegere, ſi pars, quæ tali defectu laborat, inſiſtet pro executione Matrimonij promiſſi, & non poſſit alia via ſe liberare? ¶ Reſpondetur, quòd in tali caſu teneretur priùs partem monere, ut ſi ob fornicationem occultam fœminæ vellet reſilire, de qua ſibi morali certitudine conſtabat, eam prius monere debet, ut à prætenſione deſiſteret per ſe, vel per alios, ut per parentes, amicos, & conſanguineos, minando eam, quod ſi adbuc acquieſcere nolit, eius deteget defectum. Si tamen illa perſiſteret, poſſet eius culpam propalare, & in foro externo obijcere. Ità Baſil. *n.* 8. Palao, *nu.* 4. Sanch. *diſp.* 70. *n.* 2. Coninc. *dub.* 11. *nu.* 83. *&* 9. Auerſ. Dicaſt. *diſp.* 1. *dub.* 41. *num.* 6. *&* 59. N. Gabr. *num.* 72. Franc. *loc. cit.* Et ratio eſt, quia illa delatio eſt proprij iuris defenſio, & ſi præcedentibus monitis iam dictis, fœmina contra ius, & rationem petit, quod ſibi non debetur, ſibi imputet, ſi infamata fuerit, quia alter in ſui defenſionem utitur iure ſuo.

*Tertia quæſtio circa hanc materiam.*

106. Inquires tertiò: An quandò ſponſalia ex aliqua cauſa diſſoluuntur iudicis, vel propria authoritate, ſi fuerunt iurata, ſit neceſſaria relaxatio iuramenti, ut liber omninò euadat; qui reſilijt? ¶ Reſpondetur negatiuè, nam per ipſam ſponſalium diſſolutionem obligatio iuramenti ipſis adhærens euaneſcit. Iuramentum enim, ut dictum eſt hoc tractatu, adhærens contractui, illius conditiones ſubit, quare ſicut in celebratione ſponſalium illa conditio intelligitur, niſi iuſta cauſa reſiliendi accedat, ita iuramentum ſub illa conditione obligat, qua proindè deficiente ſinè relaxatione iuramenti, quod cum diſſolutione ſpõſalium corruit, poteſt tutus in conſcientia manere. Colligitur ex *cap. quemadmodum, de iur. iurand.* ubi dicitur non eſſe periurum, qui poſt ſponſalia iurata recedit ob fornicationem ſponſæ, quam docet Dicaſt. *dub.* 44. *n.* 650. Auerſ. Bon. *q.* 1. *punct.* 10. *n.* 6. Baſil. Leand. *diſp.* 2. *qu.* 60. Sanch. *diſp.* 67. *nu.* 2. Trull. *dub.* 16. *n.* 2.

*Obiectio contrà datam reſolutionem.*

107. Sed obijcies cum Soto *in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 1. oppoſitum aſſerente, quòd in *cap. ſi verò, de iureiurand.* Pontifex ait: *Non eſt tutum contrà iuramentum venire, niſi talis ſit, quòd ſeruatum in interitum vergat ſalutis æternæ*; ſed quandò cauſa ſolùm dat facultatem reſiliendi, non tamen ipſum Matrimonium irritat, aut prohibitum reddit, poteſt adimpleri iuramentum abſque æternæ ſalutis diſpendio: Ergò obligat, quamdiu non obtinetur relaxatio, quæ debet peti, & debet concedi, ut teſtatur idem Sotus. ¶ Reſpondetur intelligendum eſſe textum de iuramento, quod nec expreſsè, nec tacitè conditionem inuoluit, ob cuius defectum ceſſat obligatio iuramenti, ut dictum eſt.

*Quarta quæſtio & illius ſolutio.*

108. Quartò inquires: Quæ certitudo requiratur cauſæ, ut poſſint ſponſalia diſſolui? ¶ Reſpondetur, quod in foro conſcientiæ ſufficit unus teſtis etiam non iuratus, qui de exiſtentia cauſę teſtetur, ut ſi unus fide dignus, in quo ſuſpicio non ſit doli, aut fallaciæ dicat tibi, ſponſam fuiſſe fornicatam, vel ignobilẽ eſſe, quæ nobilis arbitrabatur, vel ſi de hoc fama teſtificetur, vel aliquid aliud detur, quod in foro exteriori ſufficiat ad ſponſalia reſcindenda, quia tunc probabiliter, & prudenter iudicare poteris cauſam adeſſe, & ſic recedere à promiſſione. Ità Palao, *diſp.* 1. *punct.* 32. *nu.* 8. *in fine*, ex Gutierr. Sanchez, *diſp.* 73. *nu.* 2. *&* 3. Auerſ. *q.* 8. *ſect.* 16. Coninch, *diſp.* 23. *dub.* 11. *nu.* 82. Dicaſt. *diſp.* 1. *dub.* 40. *nu.* 656.

*Quid in foro exteriori requiratur?*

109. In foro autem exteriori ſufficit ad reſcindenda ſponſalia, ſi utraque pars confiteatur cauſam exiſtere, quia iam obligationem remittere, & in diſſolutionem conſentire cenſetur: Vel ſi pars, quæ Matrimonium optat, cauſam adeſſe teſtificetur, quia ſuo teſtimonio oſtendit Matrimonium recuſare. Si autem ſola pars, quæ diſſolutionem intendit, de cauſa teſtificetur, non ſufficit, quia non eſt credendum illi, cum ſit confeſſio in ſui fauorem, & alterius damnum, & præiudicium Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 72. *nu.* 2. 3. *&* 4. Coninch, *nu.* 77. Auerſ. Palao, *nu.* 2. Dicaſt. *num.* 65. Trull. *dub.* 17. *num.* 6.

*Quæ certitudo requiratur utraque parte negante?*

110. Sed maior difficultas eſt: Quæ probatio, & certitudo in foro exteriori requiratur, quãdò vel uterque, vel pars, quæ Matrimonium optat, cauſam adeſſe negat? ¶ Circà quod cum diſtinctione reſpondendum eſt: Aut enim cauſa eſt impedimentum dirimens Matrimonium, aut impediens, & illicitum reddens, & in tali caſu ſufficit unus teſtis integer. Patet *ex cap. præterea* 12. *de ſponſ. cap. ſuper eo* 22. *de teſtibus, cap. licèt ex quadam, eod. tit.* Et ratio ibi aſſignatur, quia agitur de impediendo

diendo peccato, quod committerent contrabendo: & ideò minor probatio ſufficit, quia in hoc bono ſpirituali contrahentium attenditur. Debet autem eſſe teſtis integer, id eſt iuratus, & ocularis, quia cùm de vitando peccato agatur, eſt in præiudicium alterius, quomodo non creditur niſi teſti iuranti, & oculari, ſeu ex certâ ſcientiâ id aſſerenti, niſi teſtetur de impedimento affinitatis, aut conſanguinitatis, ad quod ſufficit ſi ſub iuramento aſſerat ſe audiuiſſe à duobus maioribus fide dignis. Ita Palao, *num.* 3. 4. Sanch. *diſp.* 71. *à num.* 2. Gutierr. *de Matrim. cap.* 36. *à nu.* 2. Auerſ. N. Gabr. *q.* 7 Coninch *nu.* 77. *&* 79. qui in fine illius dubij benè ait teſtem, qui ſcit tale adeſſe impedimentum, habere obligationem illud propalandi, ſi ſinè incommodo poteſt, præuia correctione, & admonitione fraterna, ſi ex delicto tale impedimentum conſurgat, ut ſi ſciat mulierem fornicatam cum fratre ſponſi, & his ſimilia.

*Quid quandò fuerunt ſponſalia iurata.*

111. Et ſi quæras. An quandò ſponſalia iurata ſunt, ſufficiat unus teſtis integer modo dicto, de impedimento impediente, vel dirimente teſtificans? ¶ Reſpondetur ſufficere. Ità Palao, *ſup. nu.* 6. Auerſ. N. Gabr. Sanc. *nu.* 8. Gutierr. *nu.* 7. Trull. *nu.* 2. quibus adde Couarr. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 7. §. 10. *nu.* 22. N. Ant. *nu.* 180. Et ratio eſt: quia probatio famæ ſufficiens eſt ad diſſoluenda ſponſalia, etiam iuramento firmata, ut iam dicemus ex *cap. ſuper eo de conſang. & affin.* Sed unus teſtis ocularis, & iuratus non minùs, imò magis, quàm fama probat; ut eſt apud omnes inconcuſſum: Ergò, &c.

*Obiectio ex diuerſis textibus.*

112. Sed obijcies, quòd in *cap. licèt, de teſtibus, & cap. ſuper eo cit. & in cap. præterea* 12. *de ſponſal.* duo teſtes requiruntur in dicto caſu ad probandam cauſam Matrimonium irritantem: Ergò unus non ſufficit ad ſponſalia diſſoluenda. ¶ Reſpondetur, quod in duobus prioribus textibus agitur de diſſolutione Matrimonij iam de præſenti contracti, ad quod maior probatio requiritur, cum ſit vinculum ex ſe indiſſolubile, quam ad impidiendum illud per diſſolutionem ſponſalium. In ultimo autem capite ſermo eſt de teſte, qui ſuum nomen, vel ob timorem, vel ob aliam cauſam non pateſcere, nam quandò ſponſalia fuerunt iurata, requiritur unus teſtis ocularis, & iuratus, qui ſuum nomen manifeſtet in iudicio, etſi ob aliquam cauſam ſe prodere nolit, duo teſtes adeſſe debent; ſecùs autem accidit, quandò non fuerunt iurata, ut docent Sanch. Palao, Conin. Trull. *loc. cit.* quia cum ſponſalia iurata maiorem habeant firmitatem, quàm non iurata, maior probatio exigitur à iure pro illorum diſſolutione, quàm pro diſſoluendis iſtis.

*Fama ſufficit ad probationem.*

113. Deindè etiam ſufficit probatio famæ ex fide dignis orta teſtificantibus de impedimento vel ſolum impediente, vel dirimente, ut ſponſalia etiam iurata diſſoluantur in foro contentioſo, ut patet ex *cap. ſuper eo* 12. *de conſang. & affinit.* Niſi oppoſitum per teſtes fide dignos à parte litigante probetur, *cap. cum in tua, de Sponſal.* Ita Coninch *n.* 80. Auerſ. Trull. *nu.* 3. N. Ant. *nu.* 181. Et non requiritur ad hoc, quod talis fama in iudicio probetur, ſed quod ſit notoria iuxta Sanch. *diſp.* 71. *nu.* 18. ſed verius eſt non ſufficere notorietatem illius, niſi iuridicè probetur, quia iudex ſuâ ſcientiâ utens, ſe habet ut particularis perſona, non ut iudex, qui iuxtà allegata, & probata debet iudicare. Sic Palao, *nu.* 7. *ex* Gutierr. *cap.* 36 *nu.* 14.

*Quandò impedimentũ non reddit illicitũ Matrimonium, quot teſtes requiruntur?*

114. Si autem impedimentum, quod apponitur, non impediat, aut Matrimonium dirimat, ſed tantum ius reſiliendi præbeat, ut fornicatio ſponſæ, ignobilitas, deformitas, ſæuitia, &c. duo teſtes requiruntur integri, id eſt ex certa ſcientia, & ſub iuramento deponentes. Ita Sanch. *num.* 7. Palao, *nu.* 8. *ex* Gutierr. *cap.* 36. *nu.* 17. Tenet etiam Trull. *nu.* 5. Coninch *concl.* 2. *nu.* 81. N. Gabr. *nu.* 74. Ant. *nu.* 183. Et ratio eſt: quia hic non agitur de peccato vitando, ratione cuius conceſſum eſt in iure, ut fama, aut unus teſtis ſufficiat pro probatione impedimenti Matrimonium illicitum reddentis, cum, tali cauſâ præſuppoſitâ, adhuc poſſit ſinè peccato Matrimonium celebrari, ſed de præiudicio tertij, ubi duo teſtes, ſicut in alijs cauſis, neceſſariò requiruntur, *ut dicitur cap. veniens cap. in omni negotio de teſtibus*,

*Sententia contraria probabilis.*

115. Sed non reticebo oppoſitam ſententiam ſatis probabiliter tenuiſſe Palud. *in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 1. *art.* 3. *nu.* 16. quam probabilem vocat Trull. *loc. cit. num.* 5. in quam magis inclinatur Auerſ. *quæſt.* 8. *ſect.* 16. §. *ult.* his verbis: [ *Sed fortaſſe etiam in foro externo pro qualitate rei, & perſonarum poſſet interdum ſufficere talis unicus teſtis, addito eius iuramento, ut iudex meritò poſſit abſoluere partem innocentem ab obligatione ſponſalium. Tum: quia durum ſanè eſſet compellere virum ingenuum ad ducendam ſponſam, quam à tali teſte audit, & in mente ſua perſuaſum habet fuiſſe fornicatam, & eſſe corruptam, quam putabat virginem. Tum, quia ex hoc ipſo ſæpe infelices exitus timeri poſſent. Tum, quia ſi rogetur Epiſcopus, ut declaret, num vir teneatur in conſcientia ducere talem ſponſam, debebit declarare non teneri, ſicut fatetur* Sanchez *verè non teneri: Ergò ſimpliciter poteſt illum in iudicio abſoluere.* ] Hactenus vir doctiſſimus, & ex familia doctiſſima minorum Clericorum alumnus.

## CAPVT III.

### *De Matrimonio ſecundum ſuam eſſentiam, ut eſt contractus, & ſecundum quod eſt Sacramentum.*

*Caput hoc continet quinque puncta, & quatuor dubia.*

Punct. I. *De multiplicitate, ſignificatione, definitione, & Miniſtro Matrimonij, nu.* 1.
Punct. II. *De tempore inſtitutionis Matrimonij, & eius neceſſitate. num.* 11.
Punct. III. *De honeſtate Matrimonij, & de finibus, quibus ſine peccato debet contrahi, num.* 16.
Dub. I. *Vtrum in baptizatis Matrimonium ſit Sacramentum gratiam conferens? num.* 34.
Dub. II. *Quænam ſit materia, & forma Sacramenti Matrimonij? num.* 54.
Dub. III. *An inter fideles poſſit ſeparari ratio contractus Matrimonij à ratione Sacramenti, & verum Matrimonium dari, quod non ſit Sacramentum, nu.* 73.
Dub. IV. *Verum Matrimonium inter abſentes celebratum ſit verè Sacramentum? num.* 84.
Punct. IV. *Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut procurator nomine alterius contrahat Matrimonium? num.* 97.
Punct. V. *Qualiter ſit Matrimonium nullum renalidandum, num.* 109.

PVNC.

## PVNCTVM I.

### *De multiplicitate, ſignificatione, definitione, & Miniſtro Matrimonij.*

*Quot ſint Matrimonia?*

1. HÆc omnia hoc puncto coniungimus, quia parum difficultatis præſeferunt. Matrimonium ergò, ut initio huius tractatus diximus, multiplici nomine appellatur, ut *coniugium, nuptiæ, & Matrimonium*, propter ea, quæ ibidem diximus. Sed ſciendum eſt, Matrimonium eſſe in triplici differentia. Primum eſt *validum*, & eſt illud, quod ritè iuxta leges celebratur, & mutuo utriuſque conſenſu vero perficitur, quomodo datur inter infideles, in quibus validus eſt contractus, non tamen eſt Sacramentum. Secundum eſt Matrimonium *ratum*, & hoc eſt intèr fideles, in quibus eſt Sacramentum, ob quod minimè diſſolui poteſt, ſed ſemper perſeuerat, inter infideles autem non ita, cum poſſit diſſolui per conuerſionem alterius ad fidem. Vndè Innocentius III. *in cap. quanto, de diuortijs*, ita ait: *Et ſi Matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum; inter fideles autem verum, & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur.* Tertium eſt Matrimonium *conſummatum*, quod nimirum per copulam carnalem ad prolis procreationem ordinatam eſt completum, & perfectum, ad quam omnia, quæ in illo reperiuntur, ſicut ad complementum ordinantur.

*Quas ſignificationes habeat?*

2. Matrimonium ergò, ut eſt legitimus contractus, ſignificat Dei traditionem animæ per gratiam. Vt verò eſt Sacramentum, ſeu Matrimonium ratum, ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia per Bapriſmum. Vt verò eſt conſummatum, ſignificat unionem Verbi cum humanitate per unionem hypoſtaticam, & unionem Dei cum Beatis in gloria per viſionem Beatam.

*Quæ reperiuntur in Matrimonio?*

3. At verò cum Matrimonium & habeat rationem contractus, & rationem Sacramenti, videndum eſt, in quo conſiſtat illius ratio utroque modo, antequam definitionem exhibeamus. Pro quo ſciendum eſt, quod in Matrimonio tria dantur, ad quæ omnia alia, quæ hìc ab Authoribus multiplicantur, reducuntur. Primum eſt ipſa ratio contractus, in quo includitur internus conſenſus utriuſque, & externus ſignis, vel verbis ſignificatus, ex quibus omnibus contractus perfectus coaleſcit. Secundum eſt vinculum quoddam animorum ex tali contractu cauſatum, & illo tranſacto, permanens, ratione cuius quilibet coniux eſt alteri alligatus iuxta illud *ad Roman. 7. Mulier alligata eſt viro quanto tempore vir eius viuit. 1. ad Corinth. 7. Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem.* Siuè hoc vinculum dicatur ius, poteſtas, & dominium in alterius corpus, ſiuè mutua ſubiectio, & obligatio ad reddendum ſibi debitum coniugale.

*Quid ſit vinculum?*

4. Hoc vinculum quidam volunt eſſe relationem rationis, ut Scotus, *in 4. diſt. 26. qu. 1.* Sotus, *ibi, diſt. 27. q. 1. art. 1. ad 2.* Sed immeritò, cum habeat ſui cauſam, & fundamentum reale, ex quo reſultat nimirum ipſe mutuus conſenſus expreſſus coniugum. Alij dicunt eſſe denominationem quamdam realē ex contractu præterito ſumptam, eo quod fundamentum, quod erat contractus, iam tranſijt, & ſic ſola denominatio ex illo remanſit. Ita Auerſ. *q. 2. ſect. 1.* Sed neque hoc eſt dicendum, ſed eſſe relationem veram, & realem & mutuam inter coniuges ſubiectionis, & dominij mutuò inter illos inueniri, ut inquit Ledeſ. *q. 44. de Matr. art. 3.* Enriq. *lib. 11. c. 8. num. 2.* Sanch. *lib. 2. diſp. 1. nu. 7.* N. Cornejo, *tract. 6. diſp. 1. dub. 1.* Et meritò. Nam ſicut, tranſacta generatione, remanet relatio realis filiationis, & paternitatis, ſuprà illam fundata, & ab ea producta, ita tranſacto contractu mutuo, quo ſe coniuges adinuicem tradiderunt, remanet relatio dominij, iuris, & poteſtatis, ſubiectionis, & obligationis mutuò inter illos repertæ. Nam, ut docent Noſtri Complut. *in Logic. diſp. 14. q. 4. n. 39.* Iſtæ relationes fundatæ ſuper actionem, & paſſionem ſolum petunt reale fundamentum in fieri, non verò in facto eſſe, ſed illo tranſacto, illæ permanere poſſunt.

*Non eſt copula pars eſſentialis illius, ſed finis.*

5. Tertium deniquè in Matrimonio repertum eſt ipſa carnalis copula apta ex natura ſua ad filiorum generationem, quæ eſt primarius finis Matrimonij. Quare alia duo ad hoc tertium dicunt ordinem, & ſic intelligitur contractus, ſeu conſenſus, & traditio, vinculum, debitum, ſeu dominium, nempe in ordine ad maritalem copulam, quæ eſt conſummatio Matrimonij non tamen ſe habet ut pars eſſentialis illius, & ideò ante copulam, & etiamſi nunquam ſequatur, eſt verum Matrimonium ſimpliciter, & abſolutè, licet non conſummatum. Et ita fuit verum, & proprium Matrimonium inter Sanctiſſimam Virginem, & Sanctum Ioſeph, tametſi ab illo nunquam fuerit cognita. An verò ſit pars integralis talis copula Matrimonij, & quomodò ſe habeat ad illud, dicemus infrà.

*In quo eſſentia Matrimonij conſiſtat?*

6. Eſſentia ergò Matrimonij licèt in duabus prioribus rationibus inueniatur, & ſic promiſcuè Matrimonium abſolutè ſumptum pro contractu mutuo conſenſu expreſſo accipiatur, & pro ipſo vinculo permanente, ſeu pro iure, & poteſtate alterutrius partis, propriiſſimè tamen in ratione Sacramenti pro priori ratione accipitur, at in ratione Matrimonij in ſecunda acceptione uſurpatur. Ratio primi eſt, quia Sacramentum ut tale gratiam cauſat, at Matrimonium ſolum gratiam producit in animâ, quandò mutuò per conſenſum contractus perficitur, & ſic ponitur materia, & forma illius, non verò toto tempore, quo in ratione vinculi durat: Ergò ut eſt Sacramentum, ſumitur ſecundum quod eſt contractus in fieri à Chriſto eleuatus ad gratiam producendam. Ratio ſecundi eſt, quia Matrimonium eſt permanens, & indiſſolubile, & ſic potiori ratione in illo vinculo permanenti conſiſtet, quod ſemper durat, quod cauſatum eſt ex conſenſu contrahentium.

*Quomodò definiatur Matrimonium?*

7. Ex his patet quomodò definiendum ſit Matrimonium ut Matrimonium eſt, ſeu ut communiter accipitur, ut tale, & ut eſt commune fidelibus & infidelibus, & quomodò ipſum, ut eſt Sacramentum. Matrimonium ergo abſolutè tale ità definitur: *Coniunctio maritalis viri & mulieris inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem continens.* Ita D. Thom. *in 4. diſt. 27. q. 1. art. 1. & in addit. ad 3. p. q. 44. art. 3.* traditurque *in iure Canonico ab* Alexandao III. *in cap. illud quoque, de præſump.* & *in Ciuili, leg. 1. ff. de Ritu nuptiar.* & communiter ab Auctoribus admittitur. *Coniunctio* ponitur loco generis, in quo conuenit cum alijs coniunctionibus, quæ matrimonia non ſunt, & intelligitur de coniunctione per conſen-



Digitized by Google

ſum in mutuam traditionem, non de coniunctione corporum, quæ fit per copulam. *Maritalis* additur, ut ſignificet illam ſubiectionem unius, & alterius dominium, quod eſt maritale vinculum, in quo ab alijs vinculis diſcernitur, *Viri, & mulieris*, per quod diſcernitur à Matrimonio, quod eſt inter bruta, ut inter columbas, turtures, & ciconias. Et additur *inter legitimas perſonas*, quæ ſunt huius contractus ſubiectum, quæ habiles debent eſſe, id eſt nullo impedimento dirimente irretitæ, & ultima verba indiſſolubilitatem Matrimonij, & eius finem declarant. Si autem Matrimonium, ut Sacramentum eſt, definiatur, ità poteſt deſcribi: *Eſt ſignum ſenſibile gratiæ collatæ, viro, & mulieri legitimo conſenſu copulatis ad perpetuam vitæ conſuetudinem.*

*Quis ſit Miniſter Matrimonij.* 8. Miniſter huius Sacramenti non eſt Parochus Matrimonio aſſiſtens, ſed ſunt ipſi contrahentes, quod eſt inter Doctores commune, & probatur. Tum quia Eugenius IV. in *Decreto fidei*, §. *ſeptimum*. Aſſerit cauſam efficientem Matrimonij eſſe mutuum conſenſum regulariter per verba explicatum: Ergò contrahentes, qui talem conſenſum ponunt, ſunt, qui Sacramentum efficiunt: Tum etiam, quia *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.* irritat Matrimonia abſque præſentia Parochi celebrata: Ergò ſupponit fuiſſe vera Matrimonia, quæ ſinè Parocho fiebant, & conſequenter ille non erat Miniſter illorum. Tum denique, quia Miniſter Sacramenti eſt, qui ponit formam pro Sacramento, ut in omnibus conſtat; ſed contrahentes per verba exprimentia conſenſum, ponunt formam huius Sacramenti, ut poſteà dicemus: Ergò ſunt Miniſtri illius.

*Obiectio & ſolutio illius.* 9. Et ſi obijcias, quod Matrimonium, utpotè res ſacra debet per formam ſacram conſtitui, verba autem contrahentium ſunt profana, & ſic non poterunt eſſe forma, ſed illa verba Sacerdotis: *Ego vos coniungo, &c.* quæ cum vera ſint, id efficient, quod ſignificant, & ſic ille erit Miniſter Matrimonij, ſaltem ut eſt Sacramentum. ¶ Reſpondetur, quod cum Chriſtus Dominus contractum Matrimonialem eleuauerit ad rationem Sacramenti, ille, qui contractum iſtum fecerit in ratione contractus, facit etiam in ratione Sacramenti. Verba igitus contrahentium, quæ ut profana ſolum Matrimonium conſtituuns in ratione contractus, ut eleuata à Chriſto Domino, ſunt ſacra, & illud in ratione Sacramenti conſtituunt. Cæterum verba à Sacerdote prolata, ſolùm declarant coniunctionem factam per mutuom utriuſque conſenſum.

*Quot peccata committat, qui in mortali coniugium celebrat.* 10. Ex quo deducitur primò, quod unus contrahens in altero ut Miniſter cauſat gratiam, ſiuè immediatè per ſe ipſum, ſiuè medio procuratore, quia quandò per procuratorem Matrimonium conficitur, bie non eſt Miniſter, ſed ille, qui ſibi dedit poteſtatem, & cuius conſenſum exprimit. Vndè procurator etiamſi in mortali ſit, quandò Matrimonium celebrat non peccat mortaliter, ut docet Palao, *diſp. 2. punct. 4. nu. 4.* Baſil. *lib. 1. cap. 20.* N. Gabr. *diſp. 2. qu. 3.* Secundò, quod quandò contrahentes ſunt in peccato mortali, duplex peccatum committunt in celebratione Matrimonij, alterum, quia Sacramentum in mortali recipiunt, quod apud omnes eſt mortale, cum ponant obicem gratiæ; alterum, quia ut Miniſtri concurrunt ad Sacramentum, quod an ſit mortale eſt dubium. Aliqui negant, eò quòd ſolum Miniſter conſecratus, & per conſecrationem ad Sacramentum conficiendum deputatus mortaliter delinquit, ſi ſit in mortali, quandò illud efficit, ut inquit Sotus, *in 4. diſt. 1. q. 5. art. 6.* Sanchez, *lib. 2. diſp. 6. num. 4.* Conincb. *diſp. 24. dub. 3. nu. 34.* Alij verò aſſerunt eſſe mortale, eò quòd ſit Chriſti inſtrumentum ad conferendam gratiam, & decet inſtrumentum eſſe conforme cauſæ principali. Ità Ledeſ. *q. 42. art. 3.* Vaſquez, *tom. 2. in 3. p. diſp. 136. cap. 3.* Baſil. *lib. 1. cap. 11. num. 8.*

## PVNCTVM II.

### *De tempore inſtitutionis Matrimonij, & eius neceſſitate.*

*Matrimonium eſt naturale.* 11. MAtrimonium eſſe de iure naturæ docuit rectè D. Thom. *3. p. in Add. q. 41. art. 1.* non tanquam debitum, vel ortum ex principijs naturæ, ut in graui inclinatio ad centrum, & in leui motus ſurſum, ſed ſicut id, ad quod natura inclinat, media cognitione, & appetitu quomodò actus virtutis dicuntur actus naturales, nam ſicut ipſa natura inclinat ad conſeruationem indiuidui per potum, & cibum, ſic ad conſeruationem ſpeciei per generationem, & debitam prolis educationem, quod fit in Matrimonio.

*Quomodo detur præceptum Matrimonij.* 12. Ex quo deducit *art. 2.* eſſe præceptum Matrimonij non obligans particulares perſonas, ſed totam Rempublicam, cui incumbit procurare, ut in aliquibus pro filiorum procreatione, & educatione conſetuetur. Hoc ergò præceptum aliqui iudicant poſitiuum eſſe à Deo impoſitum primis parentibus illis verbis: *Creſcite, & multiplicamini.* Alij verò rectiùs eſſe ex ipſo iure, & lumine naturæ inditum; ipſa enim natura ſuo lumine indicebat deberi Matrimonium contrahi, ne tota ſpecies periret. Quod ſanè præceptum extinctum non eſt, ſed adhuc durat vel apud Principes, vel apud Rempublicam, ut ſi exitium eius immineret, aliquos ad contrahendum obligaret; nullum tamen in particulari modò obligat, & ſi aliqui nubunt, eſt quia volunt, non quia ad id teneantur. At primi homines ad Matrimonium ex præcepto erant obligati, & ſimiliter poſt diluuium filij Noë. Et propterea Deus in utroque caſu id, quod præceptum naturale illis dictabat, ipſis intimauit, dicens: *Creſcite, & multiplicamini.* Et idem dicendum foret, ſi genus humanum in tales anguſtias, aut ſimiles deueniret: nam ſicut obligat præceptum charitatis ergà proximum, ut illi ſuccurras per cibum, ipſo in extremis agente, ne pereat, ſic obligat præceptum charitatis ergà ſe, & ergà ipſam naturam, ne tota pereat, ut illi nuberent, qui in pauco numero relicti non aliter poterant huic neceſſitati prouidere.

*Quod ſi omnes perirent, an Monachi, aut Clerici nubere poſſent.* 13. Sed difficultas eſt. An ſi omnes homines perirent, & Religioſi, aut ſacris initiati remanerent, iſti eſſent ad coniugium obligati, ut conſeruationem naturæ, quæ alio modo non poſſet perſiſtere, procurarent? ¶ Res ſanè merè metaphyſica eſt, pro utraque parte ſuos patronos non ignobiles habent, qui rem probabilé utrimq; relinquunt. Alij dicunt in tali caſu poſſe, & teneri Matrimonium contrahere, quia ad hoc ipſum naturæ præceptum urgebat, quod in officium uniuerſalis naturæ cum eſſet, præponderare debebat voto, aut

alijs

Google

aliis rationibus; quæ ad caſtimoniam adſtringebant. Alij dicunt neutiquam teneri, nec poſſe Monachos, aut Clericos Matrimonium inire, ſed credendum tunc finem mundi inſtare, quandò Deus permitteret in tot anguſtias naturam venire.

*Vera circa hoc reſolutio.*

14. Nos verò ſub diſtinctione reſpondemus: Aut enim tunc ſigna videbantur, aut præceſſerant, quæ mundi occaſum prædicerent, quæ ex Scriptura, traditione, aut Patribus habemus, aut non? Si primum, ſtandum eſt ſecundæ ſententiæ, & credendum finem mundi aduentare, & ſic Matrimonium eſſet Clericis, aut Monachis illicitum. Si ſecundum, cum primâ ſententiâ eſt dicendum poſſe & deberi exequi præceptum naturæ de Matrimonio in illo caſu ineundo, quia niſi probabiliter aliundè nobis conſtet finem mundi adeſſe, ſemper debent homines conſeruare naturam. Quod præceptum modo obligat communitatem, ſeu Principem, qui poſſet, & deberet aliquos compellere ad Matrimonium, ſi neceſſitas id poſtulaſſet, ex his, qui poſſunt illud contrahere, tunc verò etiam ſingulos obligaret, etiam eos, qui aliàs per votum caſtitatis erant ad hoc impediti.

*Quãdo inſtitutum fuit Matrimonium*

15. Hoc ergò Matrimonium ab initio ſæculi incepit, ut eſt contractus humanus in beneficium naturæ, etiam antè peccatum, ut inquit Auguſt. *lib. 14. de Ciuit. Dei. cap. 24. Nuptias Deus antè peccatum hominis ab initio conſtituit, creando maſculum, & fœminam, qui ſexus utique in carne eſt.* In remedium etiam concupiſcentiæ poſt peccatum. Itaq; quandò Adam à ſomno excitatus dixit. *Gen. 1. Hoc nunc os ex oſſibus meis*, &c. ibi cum Eua Matrimonium in ratione contractus celebrauit. Teſte *Trident. ſeſſ. 24. cap. 1.* Poſteà Deus per illa verba: *Creſcite & multiplicamini*, eis executionem illius indixit. Ità Ledeſ. *de Matrim. q. 41. art. 1.* Baſil. *lib. 1. de Matrim. cap. 3.* D. Iſidor. *lib. 1. Etymol. cap. 4.* At in ratione Sacramenti fuit à Chriſto Domino inſtitutum, quod eſt de fide, quamuis circà tempus eius inſtitutionis ſit aliquod inter Doctores diſſidium, aliquibus dicentibus Ioannis 2. fuiſſe inſtitutum, quando nuptijs Canà interfuit, alijs verò probabilius aſſerentibus non niſi Matth. 19. fuiſſe in ratione Sacramenti conſtitutum, quandò Chriſtus Dominus illius indiſſolubilitatem declarauit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

## PVNCTVM III.

### *De honeſtate Matrimonij, & de finibus, quibus ſinè peccato debet contrahi.*

*Matrimonium illicitum eſſe aliqui hæretici dixerunt.*

16. Matrimonium illicitum, & inhoneſtum eſſe, priſci docuerunt Hæretici, cuius erroris primus Auctor fuit Saturninus tempore Traiani Imperatoris, ut refert D. Irenæus, *lib. 2. cap. 22.* quem poſteà renouerunt Martioniſtæ, teſte D. Hieronym. *lib. 1. contr. Iouinian.* In eodem fuerunt Manichæi, & Adamitæ, ut teſtatur D. Auguſt. *lib. de Hæreſib. cap. 31. & cap. 40.* Quam hæreſim etiam Priſcilianiſtas tenuiſſe, docet D. Leo Papa *Ep. 41.* Ac tandem eandem ſecutos fuiſſe Albigenſes docet D. Antonin. *4. part. tit. 11. cap. 2. §. 5.*

*De fide eſt eſſe bonum, & honeſtū.*

17. Sed contrarium eſt omninò de fide Catholicâ tenendum, aſſerendumque Matrimonium per ſe eſſe rem bonam, & licitam, Ita definitum eſt in *Conc. Granatenſ. cap. 11. Can. 9.* in *Braccarenſ. Can. 11. in Toletan. 1. in Confeſſione fidei, in Tridentin. ſeſſ. 24.* Quod tenent, & defendunt contrà hæreticos Clemens Alexand. *lib. 3. Strom.* D. Clemens Papa, *lib. 6. Apoſtol. inſtit.* D. Leo, *Epiſt. 71.* Innocent. *Epiſt. 22. ad Epiſcop. Maced.* D. Auguſt. *lib. de bono coniugal. & lib. de nupt. & concupiſc.* D. Thom. *in 4. diſt. 36. & 31. & in addit. q. 41. art. 3.* & probatur ex illo *1. ad Corinth. 7. Qui Matrimonio iungit Virginem ſuam benè facit.* Et iterum: *Si nupſerit virgo, non peccabit. Ad Hebr. 13. honorabile coniugium, & thorus immaculatus.* Geneſ. 1. & 9. *Creſcite, & multiplicamini*, Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et ideò Immaculata Virgo cum Ioſeph contraxit, & Chriſtus Dominus nuptijs Canà Gallilææ interfuit ut ſuo facto, & præſentia commendarent, quod ipſo lumine naturæ, & à Deo erat iniunctum, & quod antè Eſum ligni, & proindè antè omne peccatum fuerat à primis parentibus exercitum.

*Ratione naturali probatur.*

18. Et ratione naturali id ipſum probatur, nam medium aptum, & neceſſarium ad finem per ſe bonum, & honeſtum, bonum, & honeſtum eſt: Sed Matrimonium eſt aptiſſimum medium, imò omninò neceſſarium ad propagationem naturæ humanæ, & modo, quo naturam rationalem decet: Ergò, &c. Probatur minor, quia in filiorum procreatione non ſolum eſt attendenda ipſa filiorum generatio, ſed etiam illorum debita, & honeſta educatio, ſed licèt abſque Matrimonio per vagum concubitum, & fornicarium filij procreentur, non tamen eis de recta educatione prouidetur, quia nec certum parentem habent, nec rectè educari poſſunt, vel ſaltem non rectè illis prouiſum eſt à parentibus. Quare, nec fuerunt ab homine geniti, ut homo eſt, & modo, quo decet hominem, qui non ſolum in eo conſiſtit, ut pater det eſſe filio, ſed etiam ut det illi diſciplinam, ut inquit Philoſ. *8. Ethic. cap. 11. & 12.* Imò etiam bonorum copiam, ut inquit D. Thom. *3 part. q. 67. art. 1. & q. 63. art. 3. & 4.*

*Triplex obiectio cōtrà veritatem Catholicā.*

19. Sed obijcies primò, quia Matrimonium nec cadit ſub præcepto, nec ſub conſilio: Ergo nō eſt bonum aut laudabile, quia omne quod bonum eſt, aut ſub præcepto, aut ſub conſilio cadit. Antecedens quoad primam partem probatur, quia aliàs Chriſtus non totam legem impleret, ſi Matrimonium eſſet præceptum, à quo ipſe abſtinuit. Quoad ſecundã, quia duo actus contrarij non poſſunt cadere ſub cōſilio, ſed vita cælibata, & virginalis cadit ſub conſilio: Ergò non Matrimonialis, quæ illi contrariatur. Secundò, quia id, quod ſeparat à Deo, peccatum eſt. Iſai. 59. *Iniquitates noſtræ diuiſerunt inter nos, & Deum noſtrum*, ſed copula carnalis à Deo ſeparat: Ergò peccatum eſt, & Matrimonium illicitum, quod ad illam ordinatur. Minor probatur. Tum quia *Exod. 19.* præcipit Deus populis, ut abſtineant ab uxoribus, quando eis erat legem daturus: Ergò commixtio cum illis à Deo auertit. Tum etiam, quia in *cap. vir cum propria 33. q. 4.* habetur debere aqua lauari, qui cum uxore dormiuit, ſi in Eccleſiam intrare velit. Ac deinque *7. Ethic.* docet Philoſoph. neminem quidquam percipere poſſe mente, dum eſt in illa voluptate: Ergò retrahit à Dei cultu, & contemplatione. ¶ Tertiò, quia quod bonum eſt, excuſatione non indiget. Sed ſecundum D. Thom. *3. p. q. 49. art. 1. &* D. Auguſt *lib. 1. de nupt. & concupiſcent.*

*ſent.cap.* 11. *&* 17. excuſatur Matrimonium per illa tria bona, quæ ex eo deducuntur, nimirum per fidem coniugum, per prolem, & Sacramentum: Ergò, &c.

*Solutio prima, & ſecunda obiectionis.*

20. Reſpondetur ad primum, Matrimonium cadere ſub præcepto non quidem ſingulos obligante, ſed communitatem generis humani, & aliquos ex illa vagè, ut dictum eſt *punct. præcedent.*

¶ Ad ſecundum reſpondetur ſeparationem à Deo habitualem, vel actualem per amiſſionem gratiæ, & charitatis eſſe quidem peccatum, non verò ſeparationem à Deo per hoc, quòd homo alijs diſtractus, non ſemper Deo attendat; aliàs dum dormit, vel alijs negotijs implicatur, quibus ab attentione, & contemplatione Dei impeditur, peccaret, quod falſum eſt: hoc ſecundo modo copula maritalis à Deo ſeparat, non primo: & quia dum Deus legem dabat, actualem attentionem diuinis exigebat, propterea abſtinentiam pro tunc ab uxoribus indixit, per quod ad ſecundam, & ultimam probationem conſtat. Ad ſecundam dicimus, quòd in ipſo actu maritali etſi macula animæ non detur, corpus tamen maculatur, & corrumpitur, qua ratione lotio aquæ iubetur adhiberi, ut decenter ad Eccleſiam, & diuina accedant, qui cum uxoribus dormiêre, vel fortè, quia regulariter ob humanam fragilitatem, quæ per concupiſcentiam corrupta deordinatur in tali actu, & in libidine excedit, & ſic venialiter peccat, ad expiandum tale peccatum aqua benedicta adhiberi præcipitur.

*Tertia obiectio diſſoluitur. & bona Matrimonij explicatur.*

21. Ad tertium reſpondetur ex D. Thom. 3. *part. quæſt.* 49. *art.* 1. quòd ſunt aliqua tametſi bona, & honeſta, quæ nonnulla detrimenta afferunt, ratione, quorum prudens non debet ea exercêre, niſi ob bona indè ſequuta excuſetur. Huiuſmodi eſt Matrimonium, quod aliqua detrimenta ſecum affert, & præcipuè tria, & ideò per tria bona illius excuſatur. Primum detrimentum eſt perpetua ſeruitus, 1. *ad Corinth.* 7. *Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem.* Quod compenſatur bono Sacramenti, quod inuenitur in coniugio, quo coniuges diligunt ſe, ſicut Chriſtus Eccleſiam dilexit, & gratiam recipiunt, quâ faciliùs vinculum perpetuum tolerent. Secundum, quia in ipſo Matrimonij actu reperitur tanta voluptas, ut mentem omninò abſorbeat, quod compenſatur per bonum prolis, quod generatur, & producitur ad diuinum obſequium, quæ licèt non ſemper ex eo ſequatur, ſaluatur tamen in ipſo fine intrinſeco, ad quem Matrimonium dirigitur. Tertium eſt nimia ſolicitudo placendi uxori, educandi liberos, illis theſaurizandi, quod per bonum fidei, id eſt fidelitatis, quo coniuges ſibi mutuò obligantur ad reddendum debitum, negandumque corpus cuicumque alij, compenſatur. Et qui hæc tria bona, nimirùm Sacramentum, fides, & proles intrinſeca bona ſunt ex ipſo Matrimonio ſecuta non ab extrinſeco aduenientia, non indiget Matrimonium bono extrinſeco, à quo honeſtetur, in quo differt ab indifferentibus actibus, & ſic eſt bonum, & honeſtum ab intrinſeco.

22. Sed quia poſſet dehoneſtari à fine prauo illi appoſito, debet ſub recto fine exerceri, & non ob concupiſcentiam, vel nimiam libidinem, quâ ratione Tobiæ 6. monuit Angelus iuniorem Tobiam his verbis: *Accipiens Virginem cum timore Domini amore filiorum magis, quàm libidine ductus.* *Et idem* Tob. *cap.* 8. *Non luxuriæ cauſa accipio coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.* Quo ſenſu dixit D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 30. *in fine expoſitionis litteræ* peccare mortaliter, ſi quis per effrænatam libidinem ad uxorem accederet, quod intelligendum eſt, quandò adeò effrænata eſſet libido, ut quis eo animo accederet ad uxorem, ut eo modo cum illa commiſceretur, etiamſi ſua non eſſet, hoc tamen affectu præciſo, etiamſi inordinata libido eſſet, quâ quis Matrimonium contraheret, aut illud conſummaret, non eſſet peccatum mortale, ſed ad ſummum veniale, ut tam dicemus.

*Triplex finis in Matrimonio poteſt reperiri.*

23. Sed pro intelligentia huius, notandum eſt triplicem finem poſſe in Matrimonio inueniri. Alius intrinſecus, & ſubſtantialis, ut eſt traditio mutua, obligatio radicalis reddendi debitum, & etiam inter fideles vinculum indiſſolubile ſignificans Chriſti cum Eccleſia indiſſolubilem nexum, qua ratione inter bona Matrimonij bonum Sacramenti enumeratur, nimirum ipſum non ut contractus præcisè, ſed ut contractus ratus, & indiſſolubilis, quod habet ut eſt Sacramentum, ut diximus *num.* 1. Secundus finis eſt accidentalis, intrinſecus tamen ipſi Matrimonio, ut eſt prolis procreatio, & educatio ad cultum Dei, remedium concupiſcentiæ, iuxta illud Paul. 1. *ad Corinth.* 7. *Propter fornicationem* (utique vitandam) *unuſquiſque ſuam uxorem habeat.* Et rurſus: *Quòd ſi non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quàm uri.* Tertius finis eſt extrinſecus, ut ſi quis nuberet ob pacem populi, ob diuitias conſequendas, ob comparandos amicos, & affines, ob nobilitatem, & voluptatem ex pulchritudine ſponſæ conſequendam, &c.

*Dupliciter poteſt quis ſe habere circa finem Matrimonij.*

24. Secundò ſupponendum eſt dupliciter poſſe ſe habere, qui aliquem finem accidentalem præcisè quæreret in Matrimonio, vel poſitiuè excludendo finem alium ſubſtantialem, ut ſi ob diuitias nuberet animo non contrahendi in perpetuum, vel uxorem non cognoſcendi, vel negatiuè ſe habendo circa finem proprium Matrimonij, aut quia ad illum non attenderet, vel non recordaretur, vel de eo non curaret, ſed non excludendo eum: quomodò verè talem finem retinet, quia, qui contrahit non excludendo finem Matrimonij in ipſa intentione operis, vult finem illius intrinſecum, quàmuis ad eum non attendat, & ſic quamuis ob alios fines Matrimonium ſolicitet, hoc fit retento fine proprio illius. Quibus ſuppoſitis.

*Prima concluſio.*

25. Dico primò, quod ſi quis contraheret poſitiuè excludendo finem proprium, & ſubſtantialem Matrimonij, non ſolùm peccaret mortaliter, ſed nullum Matrimonium iniret, & ſic irritum eſſet Matrimonium eius, qui animo non ſe obligandi, aut non tradendi alteri ius in ſuum corpus, aut non tribuendi ei debitum radicale ad copulam, aut non contrahendi indiſſolubiliter, ſed ad tempus. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 31. *q.* 1. *art.* 3. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 29. *nu.* 11. Palao, *diſp.* 2. *punct.* 10. *nu.* 1. Palud. *in* 4. *diſt.* 30. *q.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. *nu.* 4. D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *c.* 19. Et ratio eſt, quia qui talem animum haberet, nollet verè contrahere Matrimonium, ſed Matrimonium abſque animo, & intentione contrahendi, nullum eſt: Ergò, &c.

26. Dico

*Secunda concluſio.* 26. Dico ſecundò, quod ſi quis poſitiuè excluderet duos fines intrinſecos Matrimonij, accidentales tamen, ut eſt prolis procreatio, & concupiſcentiæ remedium, & licitè, & validè Matrimonium contraheret. Tenet Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 12. *de Matr. quæſt.* 3. Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 2. *dub.* 25. *num.* 313. ut quandò ſenes contrahunt abſque ſpe prolis procreandæ, aut ſteriles, qui tamen eſſent apti ad copulam, ſed nec ipſam habere, nec remedium concupiſcentiæ intenderent, ſed ſolum bonum Matrimonij, quod eſt in cohabitatione vtriuſque, bonorum communione, & amore, ac mutuâ fidelitate, quia iam ſaluatur finis Matrimonij ſubſtantialis, & non apponitur finis prauus, nemoque tenetur omnes fines Matrimonij prætendere, quod conſtat manifeſtè in coniugio B. Virginis cum Sancto Ioſeph, in quo nec remedium concupiſcentiæ, nec prolis procreatio intendebatur, & tamen abſque peccato, & validè contraxerunt.

*Tertia concluſio.* 27. Dico tertiò. Si quis finem Matrimonij, ut Sacramentum eſt, quantum ad eius effectum, qui eſt gratiæ communicatio, poſitiuè excluderet, videlicèt nolendo per illud gratiam recipere, peccaret mortaliter, quia gratiam poſitiuè excluderet, verumtamen Matrimonium iniret, quod eſt apud omnes receptiſſimum, & conſtat in alijs Sacramentis, in quibus poſſet aliquis validè Sacramentum recipere, etiamſi illud viuum, & formatum nollet, ut ſi quis baptiſmum cum intentione recipiendi illud, ſuſciperet, & haberet animum non ſe præparandi ad gratiam, aut illam recipiendi, peccaret quidem mortaliter, ſed verè baptizatus maneret.

*Quarta concluſio.* 28. Dico quartò: Si aliquis intenderet etiam, ut finem primarium, & principalem duplicem finem accidentalem, & intrinſecum Matrimonij, aut vnum ex illis, ut remedium concupiſcentiæ, aut prolis generationem, nec venialiter peccaret, ſed opus bonum, & meritorium efficeret. Ita Dicaſtillo, *num.* 303. Coninch, *diſp.* 25. *num.* 17. Baſil. *lib.* 2. *cap.* 21. Palaus, *num.* 3. N. Ant. *diſp.* 1. *num.* 40. Et ratio eſt: Tum, quia D. Paulus 1. ad Corinth. 7. ait abſolutè: *Propter fornicationem* (vtique euitandam) *autem vnuſquiſque ſuam uxorem habeat.* Ergò ſi primariò intendatur talis fornicationis euitatio, nullum peccatum committitur. Tum etiam, quia nulla lex præcipit, ut id, quod in opere primarium eſt, primò intendatur dummodò honeſtum, & bonum ſit, quod intenditur, & maximè ſi ſit operi intrinſecum, quod exercetur. Quod pluribus exemplis exornat Coninchus *loc. cit.* eo præcipuè, quia licèt ex intentione operantis primariò intendatur finis accidentalis, attamen ex intentione operis ſemper eſſentialis, & primarius intenditur, quamdiu non excluditur, nec iſtum ad ſecundarium ordinat, in quo eſſet deordinatio, ſed eo retento ex intentione operantis intendit primariò id, quod accidentale eſt in Matrimonio, in quo nulla deformitas reperitur. Imò qui inter ipſos accidentales eum, qui primarius eſt excluderet, intendendo ſecundarium, ut ſi non intenderet prolem procreare, ſed ſolùm concupiſcentiam ſedare, nullum peccatum eſſet, ut ſi ſterilis magnis ſtimulis concupiſcentiæ agitaretur, & vellet nubere, ut ſe ab eis liberaret.

*Quinta concluſio.* 29. Dico quintò: Si finis intentus in celebratione connubij eſſet malus, eſſet peccatum talis celebratio iuxta prauitatem malitiæ finis; & ſic ſi finis eſſet peccatum veniale, ut ſi quis ob vanitatem contraheret, celebratio Matrimonij eſſet peccatum veniale. Si finis eſſet peccatum mortale, ut ſi quis nuberet cum ſorore Mariæ, ut poſſit frui ipſa Maria, &c. peccatum eſſet mortale. Et ratio eſt, quia talis eſt actus qualis finis, *cap. cum Miniſter* 25. *quæſt.* 5. Ità Auerſ. *q.* 1. *ſect.* 1. Dicaſt. *nu.* 311. Sanc. *lib.* 2. *diſp.* 29. *nu.* 27. N. Ant. *n.* 41. ſed ſi roges. Quot peccata in tali Matrimonio ex fine prauo mortaliter contracto committerentur? Reſpondet Ledeſm. *de matrim. quæſt.* 48. *art.* 2. *dub.* 2. committi duo peccata, aliud ex fine prauo appoſito cauſatum, aliud quia impedimentum gratiæ recipiendæ per Sacramentum apponitur. Imò plura alia peccata poſſe committi in tali celebratione, docent Sanch. & Dicaſt. *loc. cit.*

*Sexta concluſio.* 30. Dico ſextò, quòd ſi quis intendat præcisè alios fines extrinſecos Matrimonij (non excluſo fine proprio illius ſubſtantiali, & ſic eo tacitè, & implicitè retento) ut diuitias, honorem, familiæ exaltationem, voluptatem, pulchritudinem, pacem, amicitiam conſanguineorum, &c. nullum peccatum committeret, ſed in contrahendo Matrimonium, actum bonum, & meritorium exerceret. Ita Caiet. Palaus, *loc. cit.* Coninc. *dub.* 2. *num.* 18. Baſil. *n.* 13. Herinx *diſp.* 2. *n.* 7. N. Gabr. *diſp.* 1. *n.* 40 Et ratio eſt, quia contractus Matrimonij tam in ratione contractus, quàm in ratione Sacramenti per ſe licitus, & honeſtus eſt: Ergò, retento proprio fine illius, talem contractum ad alios fines, qui non ſunt mali, ordinare, ſiue honeſti, & virtuoſi ſint, ſiuè indifferentes, non eſt malum, & cõſequenter erit bonum, & meritorium, ut ſi quis orationes funderet, vel ſacrificiũ offerret, vel propter caſtitatem acquirendam, vel ob adipiſcendas diuitias, nullum peccatum committeret, tametſi finem Religionis proprium illorum actuum non intenderet, ſi tamen eum non excluderet.

*Duplex obiectio contra iſtam concluſionem.* 31. Dices primò? Rem Sacram ad profanam ordinare peccatum eſt, quia eſt frui vtendis, & uti fruendis: Ergò cum Matrimonium, ut Sacramentum eſt, ſit res ſacra, peccatum erit id propter dictos fines profanos contrahere. ¶ Secundò, quia quilibet humano modo operans, & ſic cum deliberatione, & aduertentiâ, tenetur bonum, & honeſtum finem apponere; quo proindè non appoſito peccat. Qua ratione probant Thomiſtæ 1. 2. q. 18. *art.* 9. & ibi NN. Salm. *diſp.* 7. *dub.* 2. non dari actus in indiuiduo indifferẽtes: Ergò quandò quis contrahit Matrimonium ob finem præcisè indifferentem, peccatum committit, quia finem honeſtum ſuæ operationi non apponit.

*Obiectionis primæ ſolutio.* 32. Reſpondetur ex Caiet. *loc. cit.* quòd dupliciter poteſt quis intendere finem profanum in celebratione Matrimonij, vel ut finem operis: ordinando, videlicèt ipſum Matrimonium ad illum, & in hoc eſt inordinatio, & peruerſitas, ut ſi quis ob ſtipendium celebraret, tanquàm propter finem operis: alio modo, (quod communiter accidit, ut inquit Caietanus, & ſic à peccato liberantur, qui propter talem finem Matrimonium intendunt) tanquam applicationem voluntatis, vel ad Matrimonium abſolutè, vel ad Matrimonium cum tali, aut tali celebrandum, quod proindè non contraherent, niſi propter amorem talis finis applicarentur. Exemplum primi eſt in Dauid, qui cum non haberet animum contrahendis.

Google

hendi, nihilominùs tamen cum Abiſag Sunamitide contraxit, vt ab illa calefieret. Exemplum ſecundi eſt in Iacob, qui propter pulchritudinem Rachelis elegit potiùs cum illa, quàm cum Lia contrahere, & in hoc nulla datur inordinatio, quia bonum, quod in tali Matrimonio intenditur, non aſſumitur vt finis Matrimonij, nam in ipſa contractione Matrimonij finis proprius eius intenditur, ſed vt finis illius voluntatis, quæ cum nollet contrahere, mouetur ad contrahendum ex hoc, vel illo fine, vel cum nollet cum iſta contrahere, mouetur ad contrahendum cum illa ob eius pulchritudinem, diuitias, &c.

32. Dicimus ergo, quòd quando aliquis, qui nolebat nubere, modò mouetur ad hoc, quia ſibi occurrit fœmina vel nobilis, vel pulchra, vel diues, vel cum non vult contrahere cum tali, mouetur ad contrahendum cum alia, in qua ſimiles qualitates reperit, ſolùm intendit talem finem, et applicationem ad Matrimonium, non vt finem ipſius Matrimonij, quandiu finem proprium illius non excludit, in quo nullum peccatum eſt, vt patet in exemplo appoſito à Caietano, eius, qui erat determinatus ad non celebrandum, adueniente amico, vt illi morem gerat, ad celebrandum mouetur, quia in tali caſu voluntas amici non aſſumitur, vt finis ſacrificij, ſed et applicatio voluntatis ad illud, non excluſo fine proprio eius, & ſic excuſantur à peccato Matrimonia, quæ communiter ob magnam dotem, ob diuitias, ob pulchritudinem, &c. contrahuntur.

*Solutio ſecunda obiectionis.*

33. Ad ſecundum dicimus, quòd quandò actus eſt ex ſe bonus, & eius finis proprius non excluditur, iam in eo finis bonus apponitur: & ſic quamuis fines indifferentes apponantur, vt applicationes voluntatis ad illum, non propterea vitiatur actus, aut malus ob defectum finis honeſti redditur. Nec propterea datur actus indifferens in indiuiduo, quia talis actus bonus, & honeſtus eſt. Doctrina autem Thomiſtarum currit, quandò actus eſt indifferens nec bonus, nec malus, in quo caſu niſi illi adiungatur finis honeſtus, in indiuiduo eſt malus. Quare actus bonus eſt, ſi quis temperatè comedat non attendendo ad finem comeſtionis, ſed nec excludendo illum, etiamſi ex guſtu, & voluntate ad talem comeſtionem applicetur. Et in noſtro caſu quando quis ex voluptate capienda in copula maritali applicatur ad illam, talis actus eſt bonus, quia eſt actus iuſtitiæ, & redditio debiti, etiamſi ad hoc non attendatur, ſed ad voluptatem capiendam, quod frequentiùs accidit, quia ſemper retinetur finis honeſtus illius actus, & talis voluptas ſolùm eſt applicatio voluntatis ad illum.

## DVBIVM I.

### *Vtrùm Matrimonium ſit in baptizatis Sacramentum gratiam conferens?*

*Argumenta, quæ probant Matrimonium non eſſe Sacramentū.*

34 Videtur quòd non. Primò, quia Matrimonium eſt commune baptizatis, & non baptizatis, quia etiam inter infideles, et dicitur in *cap. gaudemus, de diuort.* verè, & propriè Matrimonium eſt: Ergò non eſt Sacramentum, aliàs antè Baptiſmum eſſent homines alicuius Sacramenti capaces, & ſic Sacramentum Baptiſmi non eſſet aliorum ianua. ¶ Secundò, Sacramenta habent efficaciam ex paſſione Chriſti, & ſic per illa debet homo conformari cum paſſione Chriſti, ſed per Matrimonium, quod habet adiunctam delectationem, homo non conformatur paſſioni Chriſti, quæ fuit pœnalis: Ergò, &c. ¶ Tertiò, Sacramenta ſunt de iure diuino, ita et non poſſint alterari aliquâ poteſtate humanâ, nec circà materiam, aut formam aliquid de nouo poteſt Eccleſia diſponere, ſed Eccleſia de facto Matrimonium alterauit, & clandeſtinum, quod validum erat, reddidit nullum: Ergò non eſt Sacramentum. ¶ Quartò, omnia Sacramenta ea, quæ ſignificant cauſant: ſunt enim ſigna practica, ſed Matrimonium non cauſat, quod ſignificat: ſignificat enim vnionem Verbi cum humanitate, & vnionem Chriſti cum Eccleſia, quas tamen minimè cauſat. Ergò, &c.

35. Quintò, quia Matrimonium non eſt ſignum cauſatiuum gratiæ: Ergò non eſt Sacramentum: Antecedens probatur: Tum, quia licitè ſit pactum de Matrimonio contrahendo, etiamſi certa pecunia numeretur, & aſſignetur dos, quâ poſitâ, & non aliter Matrimonium contrahatur, hoc autem non fieret licitè, ſed ſimoniacè, ſi Matrimonium gratiam conferret, quia iam iſta emeretur pecunijs. Tum etiam, quia Matrimonium nec dat primam gratiam, nec augmentum illius; non primam, quia eſt Sacramentum viuorum, & ſic gratiam debet ſupponere in ſuſcipientibus; non augmentum, nam virgo nubens non accipit augmentum gratiæ, ſed potiùs diminutionem illius, cum per Matrimonium virginitatem deperdat, vel illius iacturæ ſe exponat, cum tamen melius, & magis meritorium eſſet in virginitate, aut in vita cælibe permanere iuxta Apoſt. 1. *ad Corinth.* 7. *Qui nubit benè facit, qui non nubit melius facit, &c. Beatior erit ſi ſic permanſerit.*

36. Plures ſunt hæretici tam ex antiquis, quàm ex nouis, qui Matrimonium à numero Sacramentorum relegarunt. Ita Wicleph, quem refutat N. Waldenſ. *tom.* 1. *de Sacram. cap.* 131. *&* Armenij, et refert Prateol. *lib.* 1. *de vitis, & geſtis hæret.* Quos ſequuti ſunt Lutherus, & Caluinus, et refert Caſtr. *verb. Nuptiæ, hæreſ.* 4. Bellarmin. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 1. qui omnes aſſerunt, Matrimonium merum eſſe contractum humanum, non verò Sacramentum, & inter Catholicos plures Canoniſtæ, & Durand. *in* 4. *diſtinct.* 26. *quæſt.* 3. *&* Magiſter ſententiarum, ibi, et refert D. Thom. *quæſt.* 42 *art.* 1. *ad* 4. *in addit.* dixerunt non eſſe eiuſdem rationis cum alijs Sacramentis, nec conferre gratiam, ſicut alia, & ſic non dici vniuocè Sacramentum cum reliquis.

*Hæretici, qui hunc errorem tenuerunt.*

37. Sed contrà eſt. Primò: Quod *Apoſtol. ad Epheſ.* 5. dicit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Id eſt, tendens ad ſignificandam vnionem Chriſti cum Eccleſia, vndè dignitas illius elucceſcit. Quod proindè licèt inter reliqua Sacramenta ſit minimum ex parte dignitatis, & gratiæ, quam confert, ex parte ſignificationis eſt maximum, cum ſignificet vnionem Chriſti cum Eccleſia, loquendo tamen de ſignificatione mediatâ, non de immediatâ, quæ ipſum in ratione Sacramenti conſtituit, vt eſt gratia, & charitas, quibus anima Deo vnitur, & coniuges inter ſe charitatiuè diliguntur, ſicut Chriſtus Eccleſiam, & licèt dicat Vaſquez *diſp.* 2. *de matrim. cap.* 6. quem ſequutus eſt Baſil. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 10.

*Primum locum Apoſtolicum quo Matrimonium eſſe Sacramentum probatur.*

5. *num.* 10 non rectè ex hoc loco, vel ex alio Scripturæ loco probari, Matrimonium eſſe verum Sacramentum, ſed ex perpetua traditione Eccleſiæ, ratione cuius *Tridentinum* hoc definiuit. Cæterum ex illo probat intentum *Concil. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *Cathechiſmus* Pij V. *in tractat. de matrim. nu.* 15. D. Aug. *de nupt. & concup. cap.* 19. *& de bono coniug. c.* 18. D. Thom. 3. *p. q.* 42. *art.* 1. *in addit* Hieron. Chryſoſt. Theophyl. *&* Eucum. *ſuper illum locum.*

*Secundus locus Apoſtoli quo gratia per Matrimonium collata refertur.*

38. Secundò, quia 1. ad Titum 2. ait Apoſtol. *Saluabitur autem mulier per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* Quaſi dicat, mulier in ſtatu Matrimonij ſalua fiet, ſi permaneat in ijs donis, quæ accepit in illius celebratione. Ex quibus verbis colligitur (ut rectè, inquit, Becan. *cap.* 44. *q.* 4. *num.* 3. quatuor dona gratiæ per Matrimonium conferri, ſicut ſunt quatuor mala, quæ ſine gratia Dei nequeunt in Matrimonio euitari. Primum malum eſt non ſeruare coniugi fidem Matrimonialem, ad quod datur donum fidei, id eſt fidelitatis. Secundum, odium, & rixæ, quæ aliquandò inter coniuges oriuntur, ad quod datur donum dilectionis, quo ab inuicem amentur. Tertium, immunditia quædam, & turpitudo ex rebellione membrorum, ad quod donum ſanctificationis confertur. Quartum eſt intemperantia, & nimia libido, aut concupiſcentia, contrà quod malum donum ſobrietatis, per quod concupiſcentia reprimitor, & ad debitum modum reducitur, ab Apoſtolo aſſignatur.

*Obiectio contra dicta.*

39. Sed objicies, quòd infirmitas non curatur per id, per quod potiùs augetur, ſed concupiſcentia augetur per Matrimonium, quia, ut inquit, Philoſt. *in* 3. *Ethic. Inſatiabilis eſt concupiſcentiæ appetitus, & per operationem congruam augetur:* Ergo non confertur donum gratiæ in Matrimonio contrà concupiſcentiam. ¶ Hoc argumentum ſibi oppoſuit D. Th. 3. *p. q.* 42. *art.* 3. *arg.* 4. & ita reſpondet ad illud: *Ad quartum dicendum, quòd contrà concupiſcentiam poteſt præſtari remedium dupliciter: vno modo ex parte ipſius concupiſcentiæ, ut reprimatur in ſua radice: & ſic remedium præſtat Matrimonium per gratiam, quæ in eo datur: alio modo ex parte actus eius, & hoc dupliciter: uno modo, ut actus, ad quem concupiſcentia inclinat exterius, turpitudine careat, & hoc fit per bona Matrimonij, quæ honeſtant carnalem concupiſcentiam: alio modo, ut actus turpitudinem habens impediatur, quod fit ex ipſa natura actus, quia dum concupiſcentia ſatisfacit in actu coniugali, ad alias corruptelas non ita incitat; propter quod dicit Apoſt.* 1. *ad Corinth.* 7. *Melius eſt nubere, quam uri: quamuis enim opera concupiſcentiæ congregata ſecundùm ſe nata ſint concupiſcentiam augere, tamen ſecundùm quod ratione ordinantur, ipſam reprimunt.*

*Quomodo Matrimonium ſit remedium concupiſcentiæ.*

*De fide eſt Matrimonium eſſe Sacramentum gratiam conferens.*

40. Reſpondeo igitur dicendum, Matrimonium verè Sacramentum eſſe nouæ legis uniuocè conueniens cum alijs, gratiam ex opere operato, ſicut alia, communicans. Concluſio eſt de fide, non ſolùm quâ parte dicit eſſe verum Sacramentum, de quo nunquam inter Catholicos fuit dubium, ſed etiam quâ parte aſſerit gratiam conferre, de quo licèt apud aliquos fuerit dubium at poſt Concil. Trident. nullum datur, quod *ſeſſ.* 24. *Can.* 1. ita dicit: *Si quis dixerit Matrimonium non eſſe verè, & propriè unum ex ſeptem legis Euangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, neque gratiam conferre, anathema ſit.* Idem dixerat in *cap.* 1. *in Doctrina de hoc Sacram. Idem ſeſſ.* 7. *Can.* 7. de omnibus Sacram. inter quæ numerat Matrimonium. Quod etiam fuerat deciſum in *Florentin. in Decreto* Eugenij: & etiam Lucius Papa docuerat *in cap. ad abolendum, de hæretic.* Euariſt. *cap. aliter* 30. *quæſt.* 5. & ex Patribus D. Thom. 3. *part. quæſt.* 41. *in addit. art.* 1. *&* 3. & alij, quos lato calamo referunt Conineb *diſp.* 14. *dub.* 2. Bellarm. *contrоu.* 1. *de matrim. per tot.* Valent. *diſp.* 10. *q.* 1. *punct.* 5. Wiggers *dub.* 8.

*Ratio concluſionis proponitur.*

41. Probatur concluſio hac ratione, quia Matrimonium eſt ſignum rei ſacræ à Chriſto Domino inſtitutum, & gratiam conferens: Ergò eſt Sacramentum, imò eiuſdem rationis cum alijs. Conſequentia conſtat à definitione ad definitum. Antecedens probatur: Et quidem quòd fuerit à Chriſto Domino inſtitutum diximus hoc cap. *num.* 15. Quòd autem ſit ſignum rei ſacræ, probatur: nam ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, unionem humanitatis cum Verbo, & unionem coniugis cum Deo per gratiam, & per charitatem, & dilectionem cum alio coniuge. Pro quo nota cum N. Cornejo, *tractat.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 5. Becan. *cap.* 44. *quæſt.* 4. duplicem eſſe unionem Chriſti cum Eccleſia, alteram naturalem, qua per naturalem unionem unita fuit perſona Verbi cum humanitate, & ſic cum tota Eccleſia, imò cum omni genere humano, hanc ſignificat Matrimonium, quatenus eſt contractus naturalis ſiue à fidelibus, ſiue ab infidelibus celebratus: in omnibus enim talem unionem ſignificat, licèt non ab infidelibus intendatur. Alia unio eſt Chriſti cum Eccleſia per dilectionem, quâ ipſam amat, ſanctè, & piè gubernat, illaque viciſſim ipſum diligit, & ei ſubijcitur, & ratione huius unionis Chriſtus dicitur Sponſus, & Eccleſia ſponſa nominatur: hanc unionem ſignificat Matrimonium, ut Sacramentum eſt, per unionem gratiæ, & charitatis, quas in coniugibus non ponentibus obicem producit, ut ab inuicem diligantur, & cum Deo etiam per charitatem copulentur.

*Quòd conferat gratiam Matrimonium probatur.*

42. Quòd autem Matrimonium ſit ſignum practicum, ac proinde hanc ſecundam unionem, & gratiam, quam ut Sacramentum ſignificat, operetur, probatur: Tum, quia in Matrimonio plura onera ſunt, & difficultates tolerandæ in cohabitatione mutua, in fidei obſeruatione, maximè ſi alter infirmetur, aut deformetur, in procreatione filiorum, &c. Ergò Chriſtus, qui ad alias difficultates euincendas alia Sacramenta gratiam conferentia inſtituit, etiam iſtum contractum ad rationem Sacramenti eleuauit, ut gratiam conferret ad hæc onera ſanctè, & religioſè toleranda. Tum etiam, quia ut inquit, D. Thom. *art.* 3. *cit. in corp. Vbicumque datur diuinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo conuenienter uti poſſit facultate illa, ſicut patet, quod omnibus potentijs animæ correſpondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire poſſint. Vnde cum in Matrimonio detur homini ex diuina inſtitutione facultas utendi ſua uxore ad procreationem prolis, datur etiam gratia, ſine qua conuenienter id facere non poſſet.*

*Argumenta contra ſoluuntur.*

43. Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad primum, quod licet inter infideles detur Matrimonium, non verò eſt Sacramentum, ut dicemus cap.

*cap. ſeq. punct.2.* & quamuis in illo *cap. gaudemus*, Sacramentum dicatur, hoc fit ſumpto in latiori ſignificatione nomine Sacramenti, quà omne ſignum alicuius rei ſacræ à Deo inſtitutum Sacramentum dicitur, non tamen ſecundùm rigoroſam acceptionem, de quà nunc loquimur, in quantum dicit ſignum practicum gratiæ ſanctificantis animam. ¶ Ad ſecundum reſpondet D.Thom. 3.*p.q.42.art.1.ad* 3. ſic. *Ad tertium dicendum, quod quamuis Matrimonium non conformetur paſſioni Chriſti quantùm ad pœnam, conformatur tamen ei quantum ad charitatem, per quam pro Eccleſia ſibi in ſponſam coniungenda paſſus eſt.* ¶ Ad tertium dicendum, quod licet Sacramenta directè non poſſint ab Eccleſia immutari, poſſunt indirectè, & per reſultantiam, ut diximus *tract. de Ordine, capit.2. num.5.* & hoc præcipuè in Matrimonio, quod eſt contractus quidam ciuilis, & naturalis habens pro materia, & forma mutuum utriuſque contrahentis conſenſum, cum ergò circa contractum ipſum, ut validè fiat, poſſit Eccleſia conditiones apponere, poteſt indirectè, & per reſultantiam Sacramentum hoc immutare, faciendo quod ſit nullum in ratione contractus, & conſequenter in ratione Sacramenti, niſi cum his; vel illis conditionibus celebretur. ¶ Ad quartum conſtat ex dictis *num.*41. quod matrimonium immediatè ſignificat gratiam, & charitatem, quibus coniuges inter ſe; & cum Deo coniunguntur, & media hac unione ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, ut eam diligentis, & gubernantis. Vnionem verò naturalem humanitatis cum verbo ſignificat, in quantum eſt ciuilis, & naturalis contractus, ſufficit ergò ut ſit Sacramentum, quod illud cauſet, quod immediatè, in quantum eſt Sacramentum, ſignificat.

44. Ad quintum negandum eſt antecedens, ad cuius primam probationem reſpondetur, quod cum ſit Matrimonium naturalis contractus plura onera, & etiam utilitates ſecum ferens, poteſt pro illo pecunia, aut dos apponi, vel ad facilius onera ſuſtinenda, vel ad recompenſandam inæqualitatem, quæ inter coniuges datur; numquam tamen pro illo, ut Sacramentum eſt, & gratiam conferens, pecunia apponitur. Et ideò id licitè fit, ſicut licitè pecuniæ dantur pro calice aureo, & patena ratione materiæ pretioſæ, quà conſtat, non ratione conſecrationis, quà gaudent. ¶ Ad ſecundam, quod conferendo ſtatum cùm ſtatu, melior eſt virginis ſtatus, quàm nuptæ, quod, & non amplius inquit Apoſtolus; ſed conferendo ſtatum cum Sacramento præciſè, melior eſt virgo poſt ſusceptionem illius, in quo augmentum gratiæ recipit, quam antè illud, & ſic gratiam recipere ſemper verificatur.

*Quid ſit in Matrimonio res, & Sacramentum? Et quid Sacramentum tantum?*

45. Ex dictis infertur quid ſit Sacramentum tantum in Matrimonio, quid res illius, quid res, & Sacramentum? Dicimus ergo, quod verba, aut ſigna contrahentium, quibus exprimitur eorum conſenſus, & contractus perficitur, ſunt Sacramentum tantum, quod non ſignificatur, ſed ſignificat, Gratia producta eſt res illius, ſicut in alijs Sacramentis. Vinculum verò, quod remanet, eſt res, & Sacramentum, quia eſt id, quod ſignificatur per Matrimonium, & ſimul ſignificat unionem humanitatis cum Verbo, & Chriſti cum Eccleſia. Ita D.Thom. *in 4.diſt.26.q 2.art.1. ad* 5. Cornejo, *tract.6.diſp.1.dub.5.* Becan. *cap.44. quæſt.4.num.9.* Sanchez, *lib.2. diſp.10.num.3.* N. Anton. *diſp.1.num.8.*

*An Matrimonium ſit Sacramentum permanens?*

46. Ex quo patet ſolutio ad illam quæſtionem: An Matrimonium in ratione Sacramenti conſiſtat in facto eſſe in eſſe in illo vinculo, quod remanet inter coniuges, an verò ſolùm in ipſa contractione Matrimonij, proindeque tranſeunter, & in fieri? § Bellarmin. *lib.1. de Matr. cap.6.* Sanch. *lib.2. diſp.5. num.7.* Rebell. *lib.2. de Matr. q.4.* Laym. *lib.3.tract.10. 2. p. cap.2.num.4.* aſſerunt, quod ſicut Euchariſtiæ Sacramentum in fieri, non conſiſtit in ipſa conſecratione, ſed in facto eſſe in ſpeciebus conſecratis, ſic Matrimonium ut Sacramentum eſt, non conſiſtit in ipsâ celebratione contractus tranſeunte: ſed in vinculo maritali permanente, quod probant, quia hoc vinculum unionem Chriſti inſeparabilem cum Eccleſiâ ſignificat, & melius, quàm ipſa celebratio Matrimonij, quæ deficit: Ergò vinculum eſt Sacramentum.

*Non permanens Sacramentum, ſed tranſiens eſt Matrimonium.*

47. Sed oppoſitum verius dicendum eſt, quod videlicet ſolum Sacramentum Euchariſtię eſt permanens, & in facto eſſe conſiſtit, reliqua verò Sacramenta ſunt tranſeuntia & in ipſo fieri, ſeu applicatione materiæ conſiſtunt, & ideo Matrimonium in ratione Sacramenti non conſiſtit in vinculo permanenti, quod indiſſolubiliter durat, ſed in ipsâ celebratione contractus, Ita Baſil. *lib.1. cap.7. num.16.* Coninch, *diſp.24. dub.2. num.11.* Palao, *diſp.2. punct.2. num.3.* Cornej. *diſp.1.dub.5. cit.* N.Gabr. *diſp.2.nu.8.* Et ratio eſt, quia Sacramentum eſt ſignum practicum gratię, quod, ut inquit *Concil. Florentin in litteris* Eugenij, inſtitutum eſt, ut ſuo uſu, & applicatione ex opere operato ſanctificet, ut patet in Euchariſtia, quæ in uſu, & applicatione ſpecierum gratiam cauſat; ſed vinculum Matrimonij nec eſt per ſe ſignum ſenſibile, cum non exterius appareat, & minus eſt ſignum practicum gratiæ, quod ſuo uſu ſanctificet, aliàs quoties coniuges exiſtentes in gratiâ uterentur Matrimonio, nouam gratiam reciperent ex opere operato, quod nemo dixit.

*Soluitur argumentum contrarium.*

48. Quare ad argumentum oppoſitum dicimus, vinculum Matrimonij, tametſi, ut per contractum exteriorem ſignificatum unionem Chriſti cum Eccleſia ſignificet, ipſum tamen per ſe nihil ſignificat nec ſpeculatiuè, nec practicè, quia gratiam non cauſat, quod totum in Matrimonio in fieri reperitur, ubi & gratia communicatur, & ſignificatur immediatè unio animæ cum Deo per charitatem, & mediatè unio Chriſti cum Eccleſiâ, quæ ſignificatio, licet tranſierit, remanet in vinculo virtualiter.

*An ſit unum, vel multiplex Sacramentum.*

49. Sed inquires. An Matrimonium ſit unicum, vel duplex Sacramentum? § Aliqui, quos refert Ledeſ. *q.42.art.1.dub.3.* aſſerunt, quod licèt in ratione contractus ſit unum tantum Matrimonium, duplex tamen in ratione Sacramenti. Alij verò quod ſunt duo Sacramenta partialia eo modo, quo Euchariſtia licèt ſit unum totale Sacramentum, conſtans ex ſpeciebus panis, & vini; eſt tamen duplex Sacramentum partiale, cuius quælibet pars eſt verum Sacramentum gratiam conferens. Et hoc probant, quia unicum Sacramentum non poteſt in duobus ſubiectis reperiri, nec duplicem gratiam in diuerſis cauſare, nec ſimul gratiam in uno, qui eſt benè diſpoſitus producere, non in alio, qui obicem ponit, huiuſmodi eſt

Matri-

Matrimonium, quod in utroque coniuge reperitur, gratiam utrique communicat, & contingit aliquandò, quod in uno, qui eſt benè diſpoſitus eam cauſet, non in alio, qui eſt in peccato: Ergò non eſt unum Sacramentum, ſed multiplex, & ad minùs modo dicto partialiter.

*Vnum eſt formaliter, & multiplex virtualiter.*

50. Sed nihilominus dicendum eſt, tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti eſſe unum Matrimonium, licèt in eſſe entis ſit multiplex, unum formaliter ita ut nec partialiter modo dicto multiplicetur; eſt tamen virtualiter multiplex. Sic Auerſ. *q.* 1. *ſect.*4. Ledeſ. *loc.cit.* Sanch. *lib.*2. *diſp.*10. *numer.*5. Coninch, *diſp.* 24. *dub.*2. *num.*24. Cornej. *dub.*5. Et ratio eſt, quia Matrimonium eſt ſignum unicum conſtans ex unica materia, & forma: Ergò non eſt multiplex Sacramentum adhuc partialiter. Probatur antecedens, quia ſolum ſignificat unionem animæ cum Chriſto, & Chriſti cum Eccleſia, & hoc per unicum ſimplicem contractum, qui coaleſcit ex mutuo utriuſque coniugis conſenſu explicato per verba, & ſigna.

*Obiectio, qua probatur eſſe formaliter multiplex.*

51. Dices. Ibi duplex materia, & forma reperitur, ſiquidem verba cuiuſlibet ſunt materia reſpectu alterius, & rurſus verba huius ſunt materia reſpectu illius, & ad inuicem etiam per alterius conſenſum expreſſum informantur, & ſic verba unius, ut terminant alterius verba, & conſenſum, ſunt forma; & materia ut terminantur per verba coniugis conſenſum exprimentia, quod ſimiliter reperitur in altero coniuge: Ergò bis repetitur materia, & forma, & conſequenter ſignificatio, & etiam gratia cauſata: Ergò eſt duplex Sacramentum ſaltem partiale, ſicut in Euchariſtia.

*Solutio obiectionis propoſita.*

52. Reſpondetur, quod licèt materialiter, & in eſſe entis materia, & forma in Matrimonio multiplicetur, non verò formaliter, ut deſeruiunt ad eundem mutuum contractum, qui indiuiſibiliter ex alterno conſenſu terminato, & terminante coaleſcit; & ideò per hoc, quod verba unius terminent alterius verba, & conſenſum, non perficitur contractus perfectus, qui non debet claudicare, ſed includere viciſſim utriuſque terminationem, in quo eius ſignificatio completur, & tunc gratia producitur, quandò ex parte utriuſque datur non ſolum alterius acceptatio, ſed etiam traditio, quod ſecus accidit in Euchariſtia, ubi quælibèt ſpecies habet ſuam formam, & materiam, & completam ſignificationem, & ideò quælibet ſeorſim gratiam cauſat, licèt ad complendum, & integrandum unum conuiuium, & ſic unicum Sacramentum Euchariſtiæ, utraque pars concurrat.

*Soluitur argumentum contraria ſententia.*

53. Ex quo ad argumentum conſtat hoc eſſe ſpeciale in hoc Sacramento, quod cum ſit humanus contractus, & perfectus debet inter duos celebrari, & ſic in duobus reperiri, & eleuatus ad rationem Sacramenti, ſeruatâ ipſa naturâ contractus, debet gratiam in utroque producere, niſi in aliquo obicem reperiat, quod non inuenitur in alijs.

## DVBIVM II.

### *Quænam ſit materia, & forma Sacramenti Matrimonij.*

*Non eſt ſermo de forma totali Sacramenti.*

54 IN hoc dubio ſupponimus, non eſſe præſentem diſputationem de forma totali Sacramenti Matrimonij, quæ ſicut in alijs rebus à tota ſubſtantia rei non diſtinguitur. Sicut humanitas, quæ eſt forma totalis hominis. Et in Sacramentis hæc totalis forma eſt ſignificatio completa gratiæ, quam producunt. Sed loquimur de illa forma, quæ tanquam pars eſſentialis ſimul cum materia totum Sacramentum componit. Quam formam debere apponi ab ipſis contrahentibus, qui ſunt Miniſtri huius Sacramenti, & non à Parocho aſſiſtente diximus *num.*8. Ex quo manet excluſa opinio Melchioris Cani, *lib.*8. *de loc. Theol.c.*5. quem ſequuntur Eſtius, *in* 4. *diſt.* 26. § 10. Syluius, *in* 3.*p.* D.Thom. *qu.*42.*art.*2. §. *quæritur primò.* Quos refert Diana, 3. *p. tract.* 4. *reſolut.* 254. Aſſerentes formam huius Sacramenti eſſe verba illa Sacerdotis dicentis: *Ego vos coniungo*, &c. quia indicant ipſum Sacerdotem eſſe Miniſtrum huius Sacramenti, ſed hoc iam ſuprà impugnauimus, & inde falſitatis conuincitur, quia antè Tridentinum, (& modo in locis ubi non eſt receptum) Matrimonium ſine aſſiſtentia Sacerdotis celebratum validum erat in ratione contractus; & conſequenter etiam in ratione Sacramenti, ut dicunt communiter Doctores, & ſic formam propriam habebat: Ergò forma illius non ſunt verba Sacerdotis, quæ tunc minimè dabantur.

*Forma debet apponi ab ipſis contrahentibus.*

*Matrimonium veram habet materiam, & formam.*

55. Supponimus ſecundò contrà Durand. *in* 4. *diſt.*26.*q.*3. Matrimonium ſicut reliqua Sacramenta veram habere materiam, & formam (quod immeritò Durandus negauit) non ſolum in ratione contractus, ſed etiam in ratione Sacramenti. (Quod enim requiritur ad Matrimonium, ut contractus eſt vel tanquam forma, vel tanquam materia, idipſum petitur ad id, ut Sacramentum eſt; nam Chriſtus Dominus contractum iſtum non immutauit, ſed illius naturâ propriâ ſeruatâ eleuauit ad rationem Sacramenti.) Et ratio eſt, nam *Concil. Florentin. Decreto de unione Armenorum, tit. de Sacrament.* poſtquam ſeptem Sacramenta enumerauit, & inter illa Matrimonium, omnia tribus perfici dixit, nimirum materia, forma & Miniſtro.

*Duplex materia datur Matrimonij.*

56. Datur ergò materia proprius huius Sacramenti, imò duplex materia, ſicut in alijs Sacramentis, ſcilicet materia remota, id eſt, *circa quam, &* proxima, ſeu *ex quâ*, ut in Baptiſmo, in quo aqua eſt materia remota, & ablutio materia proxima. Similiter in Ordine inſtrumentum, quod traditur, eſt materia remota, & *circa quam*, ipſa verò actualis traditio materia proxima, & *ex quâ*. Et in Matrimonio corpora contrahentium ſunt materia, *circa quam*, ipſa autem actualis traditio materia, *ex quâ* Sacramentum componitur, ut ſtatim dicemus. Vnde non benè Baſil. *lib.*1. *cap.*7. *num.*13. negauit in Sacramento Matrimonij dari duplicem dictam materiam, ſed eamdem eſſe materiam, ex quâ, & circa quam, nimirum ipſæ perſonæ aptæ ad contrahendum, ut in compoſito ex

accidenti, & ſub'ecto, inquit, ſubiectum, quod eſt materia, circà quam accidens exercetur, eſt materia, ex quâ totum componitur. Sed hoc verum eſt in rebus permanentibus, quæ non ſunt humanæ operationes, at Sacramenta, quæ in fieri conſiſtunt, & in actibus humanis debent habere materiam, circà quam tales actus exercentur, diuerſam ab ipſis actibus, qui ſunt materia, ex qua omnia Sacramenta tranſeuntia componuntur.

*Non eſt ſermo de materia, aut forma Matrimonij in facto eſſe.*

57. Ex quo patet præſens dubium non eſſe de materia, aut formâ Matrimonij, ut eſt in facto eſſe, ſeu ſecundùm quod eſt vinculum permanens, ſignificans coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, nam ut benè inquit Baſil. *nu.* 16. in præſenti loquimur de Matrimonio, ut Sacramentum eſt propriè dictum, ſeu ut eſt ſignum practicum gratiæ, quod habet ſecundùm quod eſt contractus in fieri, ut ſuprà diximus *num.* 47. ipſum autem vinculum permanens, quod communiter Matrimonium dicitur, ſolum eſt Sacramentum lato modo ſumptum, ut ibidem diximus. Vnde non eſt neceſſarium aſſignare pro illo formam, & materiam, imò difficile hoc erit. Ex quo manet excluſa ſententia Bellarm. *de Mat. cap.* 6. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 5. *in fine*, Becan. *cap.* 44. *q.* 5. *num.* 3. Auerſ. *q.* 2. *ſect.* 3. aſſerentium, quod contrahentium corpora ſunt materia *ex qua* Matrimonij in facto eſſe; conſenſus verò exterius explicatus forma, illius verò in fieri, ſeu quando in ratione contractus perficitur eſſe materiam, & formam mutuum contrahentium conſenſum per verba explicatum. Sed hoc ſtare non poteſt, ut dictum eſt.

*Prima ſententia circà dubium.*

58. Omiſſis ergo in hoc dubio varijs opinionibus, tres principaliores referemus. Prima aſſerit, quod in omnibus contractibus res, quæ traduntur, & recipiuntur, ſe habent ut materia illorum, formam verò eſſe ſigna, vel verba externa exprimentia conſenſum, ut in contractu venditionis res, quæ venditur in donatione res, quæ donatur, & conſequenter in Matrimonia ipſa corpora legitimè contrahentium eſſe materiam, verba verò, aut ſigna exprimentia conſenſum eſſe formam. Ita D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *c.* 2. *ante* 1. 5. Vaſq. *tom.* 4. *in* 3. *p. diſput.* 3. *de Matrim. cap.* 5. & *tom.* 2. *diſp.* 129. *cap.* 3. & *diſp.* 148 *cap.* 7. Palac *in* 4. *diſt.* 1. *diſp.* 3. Turria. *in ſum. p* 2. *c.* 94. *dub.* 2. Palud. *in* 4. *diſt* 26. *q* 4. *art.* 3. *ad* 2. Baſil. *nu.* 12. & nouiſſimè Herinx *diſp.* 2. *q.* 3. & probant ex eo, quod *Concil. Flor. loc. ſup. cit.* inquit Sacramentum rebus, & verbis perfici, & conſequenter non debent ipſa verba aſſignari pro materia, & forma, ſed alia res debet conſtitui ut materia: non eſt aptior, quam ipſa corpora, quæ traduntur: Ergò, &c.

*Secunda ſententia proponitur.*

59. Secunda ſententia aſſerit conſenſum contrahentium eſſe materiam cuiuſlibet contractus, & conſequenter Matrimonij, formam verò eſſe verba, aut ſigna, quibus talis cōſenſus exprimitur. Ita Capreol. *in* 4. *diſt.* 26. *quæſt. vnic. artic.* 3. *ad* 7. Auerſ. *q.* 2 *ſect.* 3. Rebell *lib.* 2. *q.* 4. *ſect.* 3. *nu* 12. Nauarr. *in Manual. cap.* 22. *num.* 20. Valent *diſp.* 10. *q.* 1. *punct.* 6. & intendunt hi Auctores id eſſe de mente D. Thom. qui in 4. *diſt.* 26. *q.* 2. *art.* 1. *in ſolut. ad* 1. dicit verba coniugum eſſe formam huius Sacramenti, & *ad* 2. actus coniugum eſſe materiam illius: Ergò conſenſus interni contrahentium, qui ſunt actus coniugum, ſe habent, ut materia, quæ determinatur, & perficitur per verba exprimentia illos, quæ proinde ſe habent ut forma. E contra verò Ioannes Mayor, *in* 4. *diſt.* 26. *q.* 1. inquit verba ſe habere ut materiam, conſenſum verò contrahentium ut formam, quia verba, & ſigna exteriora per interiorem conſenſum complentur, & perficiuntur.

*Impugnatur prima ſententia.*

60. Sed nulla ex his ſententijs ſtare poteſt. Nam contrà primam eſt, quòd quandò dicit corpora contrahentium eſſe materiam Matrimonij, vel loquitur de ipſis corporibus legitimè non impeditis, ut opinantur Doctores citati, vel de traditione ipſorum corporum, ut malè intelligit eos Leand. *tract.* 9. *q.* 9. & docet Palaus, *diſp.* 2. *punct.* 3. *num.* 2. Si hoc ſecundum dicatur, nihil de nouo dicitur, nam ipſa traditio corporum debet eſſe verbis expreſſa, ut ſit materia Sacramenti, quod verum eſt, ut infrà dicemus. Sed hoc eſt coincidere cum noſtra opinione, quam prædicti Auctores impugnant.

*Secunda pars dilemmatis probatur.*

61. Si verò primum dicatur, quod eſt præcipuè traditum ab Auctoribus huius ſententiæ, impugnatur. Primò, quia corpora contrahentium ſunt materia, *circà quam*, huius Sacramenti: Sed materia, *circa quam*, & materia *ex qua* non poſſunt eſſe eadem in Sacramentis, ut conſtat inductione cæterorum, & in omnibus contractibus, in quibus res; quæ traditur, aut venditur, ut equus, aut domus ſunt materia circà quam illorum, non materia, ex qua contractus componitur, iſta enim eſt conſenſus exterius explicatus, ut iam diximus. ¶ Secundò, quia ſuſcipiens Sacramentum, & illud faciens diſtinguuntur à Sacramento, ſed perſonæ contrahentes ſunt ſubiectum Matrimonij, & cauſa illius: Ergò non poſſunt ſecundùm ſe eſſe pars intrinſeca, & materialis Sacramenti. ¶ Tertiò, quia Sacramentum abſolutè ſupponit pro materia, & materia pro Sacramento, ut Baptiſmus eſt ablutio, & ablutio Baptiſmus, ſed falſum eſt dicere: Matrimonium ſunt coniuges, vel corpora eorum: Ergò coniuges, vel illorum corpora non ſunt materia Matrimonij. ¶ Denique, quia materia Sacramenti ſimul cum formâ concurrit immediatè ad cauſandam gratiam; ſed corpora coniugum non producunt gratiam in illis immediatè, ſed medijs operationibus exprimentibus conſenſum: Ergò non poſſunt per ſe eſſe materia Sacramenti.

*Impugnatur ſecunda ſententia.*

62. Et contrà ſecundam ſententiam eſt, quod materia cuiuſlibet Sacramenti debet eſſe per ſe ſenſibilis. Licèt enim materia alicuius Sacramenti partialis poſſit non eſſe ſenſibilis, ut in pœnitentia, in qua actus interiores ſunt materia illius partialis, quamuis non ſit ſenſibilis: quia ſimul cum actu exteriori confeſſionis integrant materiam Sacramenti, materia verò totalis cuiuſlibet Sacramenti debet eſſe ſenſibilis, & ſimiliter forma, quia ipſum Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, & conſequenter ex partibus, quæ ſenſibiles ſint, debet coaleſcere: Ergò cum conſenſus interior non ſit ſenſibilis, non poterit eſſe materia, aut forma Sacramenti. ¶ Deinde, nam cum ponitur interior actus pro materia huius Sacramenti, vel eſt per ſe ſolus; vel coniunctus cum verbis, & ſignis; quibus exteriùs explicatur; non primum, quia ut ſic eſt omninò inſenſibilis; nec ſecundum; quia iam ipſa verba tenerent ſe ex parte materiæ, & conſequenter non eſſent forma, ut inquit iſta ſententia. Eiſdem rationibus impugnata



Google

pugnata remanet ſententia Maioris; ut ex ſe patet.

*Quæ ſit materia, & forma Matrimonij?*

63. Reſpondeo igitur dicendum, quod verba utriuſque coniugis ad inuicem ſunt materia, & forma, nimirum quatenùs verba unius coniug a exprimunt traditionem illius, ſunt materia, & verba alterius, ut exprimunt acceptationem, ſe habent ut forma, & è conuerſo, v. g. Quando vir dicit fœminæ: *Volo te in coniugem recipere*, duo facit, & exprimit traditionem ſui corporis fæminæ, & acceptationem mutuæ traditionis fæminæ ad ipſum, & ſimiliter ex parte fæminæ, quando ipſa dicit: *Volo tecum nubere*, & traditionem ſui, & acceptationem alterius explicat. Verba ergo utriuſque coniugis, ſecundum quod explicant traditionem, ſunt materia reſpectu alterius, cujus verba, ut explicant acceptationem illius, ſe habent ut forma, & conſequenter verba iſtius, ut explicant traditionem ſui alteri, ſe habent ut materia, & alterius verba ut explicant acceptationem, ut forma. Ac proinde in hoc Sacramento datur duplex materia, & forma partialis, neutra tamen perfectè ſignificans, niſi ut coniuncta cum alia. Concluſionem noſtram tenent D. Thom. *in addit. quæſt.* 42. *art.* 1. *ad* 1. *&* 2. Coninch, *diſp.* 24. *dub.* 3. *nu.* 23. Becan. *cap.* 44. *q.* 5. *num.* 2. Suarez, *tom de Sacrament. qu.* 60. *art.* 8. *diſp.* 2. *ſect.* 1. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 5. *num.* 6. Petrus de Ledeſ. *de Matr. q.* 42. *art.* 1. *dub.* 4. *concluſ.* 7. Trull. *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 4. *n.* 6. Wiggers q. 41. *dub.* 12. Labat. *dub.* 2. Gunet. *diſp.* 2. *art.* 5. è N. Gabr. *diſp.* 2. *q.* 1. Anton. *diſp.* 1. *ſect.* 5. Cornejo. *diſp.* 1. *dub.* 6. Vrban. Franciſ. *n.* 34. Steph. *diſp.* 8. *n.* 28.

*Ratione probatur.*

64. Probatur ratione, quia materia, & forma Sacramenti debet eſſe ſenſibilis, & quando Sacramentum eſt tranſiens, debet eſſe tranſiens; ſed non datur alia materia, aut forma ſenſibilis aptior ad Sacramentum Matrimonij, quam conſenſus utriuſque coniugis modo dicto explicatus: Ergo, &c. Probatur minor, quia talis conſenſus verbis, & ſignis explicatus ſenſibilis & tranſiens eſt, ſicut ipſum Sacramentum; & rurſus traditio unius ſemper cenſetur imperfecta, & incompleta, uſque dum per acceptationem terminetur; & perficiatur: Ergo verba ſenſibilia exprimentia traditionem ſe habent ut materia, & alterius verba acceptationem exprimentia ut forma.

*Alia ratione probatur.*

65. Probatur ſecundò, quia Matrimonium habet rationem contractus; ſed in omnibus contractibus verba utriuſque contrahentis ſe habent ut materia, & forma, & ex illis, ut exprimentibus conſenſum totus contractus perficitur; & ideo obligatio, quæ ex illo oritur, non ex rebus, circà quas contractus verſatur, gignitur, ſed ex mutuo conſenſu verbis explicato, hic ergo habet rationem materiæ, & rationem formæ, materiæ quidem, ut explicat conſenſum in traditionem, quomodò eſt determinabilis, & perfectibilis, forma vero, ut explicat alterius acceptationem, quomodò determinat, & perficit contractum.

*Triplex difficilis obiectio.*

66. Sed contra hanc rationem, & fundamentum illius eſt triplex difficilis obiectio. Prima, quia *Conc. Florent. Decreto de unione Armen. ſup. cit.* dicit conſenſum contrahentium per verba explicatos eſſe efficientem cauſam Matrimonij, ſed cauſa efficiens non poteſt coincidere cum materiali, aut formali, ut docet Philoſoph 2. *Phyſic.* Ergo, &c. ¶ Secunda. Idem reſpectu eiuſdem non poteſt habere rationem materiæ, & formæ, etiam ſecundùm diuerſas rationes, alias idem eſſet forma ſuæ formæ, & materia ſuæ materiæ, & ſic cauſa, & effectus in eodem genere cauſæ: Ergo non poteſt ſtare, quod verba unius comparata cum verbis alterius ſe habeant ut materia, & rurſus ut terminant illa, ſe habeant, ut forma. ¶ Tertia, quia non ſolum acceptatio determinat traditionem, ſed mutuò ſe determinant: Ergo malè hinc probamus, verba, ut explicant acceptationem ſe habere ut formam. Probatur antecedens, nam ſicut præcedere poteſt traditio ad acceptationem, & tunc acceptatio quaſi determinat traditionem, ita acceptatio ad traditionem, & tunc traditio determinabit illam, Ergo ad inuicem determinantur. Probatur antecedens, nam poſtulatio præcedit oblationem, aut traditionem, & tamen habet vim acceptationis ſine nouo conſenſu, & ſic *leg.* 1. §. *ſi quis ita, ff. de verb. oblig.* dicitur: *Si quis interroget, dabis? Et reſpondeat quid ni?* obligationem oriri.

*Solutio primæ.*

67. Reſpondetur ad primam, quod quando Concilium aſſerit mutuum conſenſum contrahentium eſſe cauſam Matrimonij, non loquitur de Matrimonio, ut cōtractus eſt, quomodò fundat rationem Sacramenti; ſed de illo ut eſt vinculum permanens, quod per contractum producitur, & communiter dicitur Matrimonium.

*Soluitur obiectio ſecunda.*

68. Ad ſecundam Reſpondetur, non eſſe incōueniens duas res materialiter ſumptas inuicem determinare ſe ipſas, & ſic habere rationem materiæ, & formæ ſecundùm diuerſas conſiderationes, ut conſtat in relatiuis, quæ ſe inuicem determinant, & determinantur; vnum quidem ut complet reſpectu alterius, determinat illud, & ſe habet ut forma, & rurſus iſtud, ut terminatur ad aliud, ſe habet ut materia, quæ per illud quaſi perficitur, & completur, & ſimiliter in numeris, quando binarius ſimul ponitur, utraque unitas determinat, & determinatur ab alia, quia non eſt in illo caſu maior ratio, quare una ſit ultima, & forma, & non alia. Denique in reliquis cauſis id ipſum reperitur, quod ſit cauſa, & effectus reſpectu eiuſdem in eodem genere cauſæ ſecundum diuerſas rationes, & ideo Ariſtot. 2. *de Anim. cap.* 4. inquit, quod anima eſt finis reſpectu potentiarum, & operationum eius, & tamen idem Philoſ. ibi, *cap.* 3. inquit unumquodq; eſſe propter ſuam operationem, ac proinde operatio animæ ſe habet ut finis reſpectu eius. Similiter in genere cauſæ efficientis calor piperis, aut vini perficit ſtomachum, & rurſus à calore ſtomachi perficitur & excitatur. Non ergo eſt inconueniens, quod idem reſpectu eiuſdem ſit materia, & forma, cauſa & effectus in eodem genere cauſæ, ſi ſecundum diuerſas rationes accipiatur, ut in præſenti reperitur. Vbi verba ſecūdum quod exprimunt traditionem ſe habent ut cauſa materialis, & ipſamet, ut exprimunt acceptationem, ut cauſa formalis, non quidem comparatione facta cum ſeipſis (per quod tacita obiectio ſoluitur) ſed cum alterius verbis, nimirum verba unius, ut explicant traditionem ſe habent ut materia reſpectu verborum alterius explicantium illius acceptationem, & hæc rurſus, ut ſui traditionem ſignificant ab alterius verbis complentur; ſecundum quod acceptationem denotant, in quo ſaluatur diſtinctio inter cauſam materialem, aut formalem, & effectum eius.

*Tertia obiectionis ſolutio.*

69. Ad tertiam reſpondetur non poſſe ſtare, quod acceptatio præcedat traditionem, non enim eſt acceptatio eius, quod nunquam offertur, aut datur, niſi impropriè, & in præparatione animi, ſi daretur, & tempore, quo daretur, quomodò expreſſio illius voluntatis haberet rationem acceptationis, non prius exiſtens, ſed ut perſeuerans moraliter poſt traditionem. Quare, quia lex prudenter iudicauit, eum, qui rogauit, altero ſtatim annuente, perſeuerare in illa prima voluntate admittendi, decernit petitionem vim acceptationis habere, & obligationem gignere, ſecundum quod cenſetur perſeuerare moraliter, & poſt traditionem, vel promiſſionem aduenire, ſic illam complere, & perficere.

*Id ipſum magis explicatur.*

70. Quod explicatur in caſu noſtræ aſſertionis, ſiquidem ut totus contractus Matrimonij perficiatur, ſufficit, ſi vir dicat fœminæ: *Accipio te in uxorem*, & fœmina viro. *Accipio te in maritum.* Tunc verba viri; v.g. ſignificant formaliter traditionem ſui reſpectu fœminæ, & virtualiter acceptationem traditionis fœminæ, reſpectu ſui: ſecundùm priorem rationem antecedunt verba fœminæ, & ſic ſe habent, ut materia illius. At verò ſecundùm poſteriorem ſubſequuntur moraliter, quatenus cenſetur perſeuerare moraliter illa voluntas acceptationis quia qui ſe tradit in virum fœminæ, vult illam tradi ſibi in uxorem, & è contra, ſed hæc voluntas, ut acceptatio eſt, ſuſpenditur, uſque dum detur expreſſa traditio alterius, & tunc ut forma illi applicatur, ut compleat, & determinet illam.

*Soluuntur primæ ſententiæ fundamenta.*

71. Reſtat nunc reſpondere ad ea, quæ pro duabus ſententijs, *numer.* 58. relatis adducta ſunt. Ad id ergo, quod prima ſententia adducit ex *Concil. Florentin.* omnes reſpondere tenentur: Quandoquidem multotiès Sacramentum ſolis verbis perficitur, & aliquando ſolis rebus, ut ſi quis peccatum oris præcisè commiſit, & per verba præcisè in confeſſione illud explicauit, vel è contra: ſi peccatum operis commiſit, & per ſola ſigna, & nutus ſuum dolorem in confeſſione expreſſit. In primo caſu datur Sacramentum cum ſolis verbis, & non rebus; in ſecundo cum ſolis rebus, & non verbis. Sed ſciendum eſt, quod verba poſſunt ſumi, ut verba ſunt, & ut res ſunt, ſeu ut ſigna exprimentia conceptum, & ut ſunt operationes humanæ: ſufficit ergo, quod Sacramentum conſtet verbis ut res ſunt, & ut verba ſunt, vel rebus, ut res ſunt (nimirum ut ſunt operationes humanæ) & ut verba ſunt, ut quando nutus, aut ſigna apponuntur ad exprimendum conceptum interiorem, quomodò habent rationem verborum ad intentum Concilii. Quare ſicut in caſu, quo quis peccauit peccato oris, quod in confeſſione pronuntiet, non ſumuntur verba, quatenùs verba ſunt, ſed quatenùs peccatum eſt, quomodò habet rationem rei, ſufficit, ut dicatur pœnitentiam verbis, & rebus conſiſtere: ita verba contrahentium, ut ſunt operationes humanæ, res dicuntur, & ut ſunt expreſſiones conceptuum, verba nuncupantur.

*Secunda ſententia fundamentum ſoluitur.*

72. Ad id, quod adducit ſecunda ſententia ex D. Thom. reſpondetur ex modo dictis, quod quando S. Doct. *ad* 2. dicit: quod actus coniugum ſunt materia Sacramenti, loquitur de actibus interioribus expreſſis per verba, ſecundùm quod ſunt actus humani, & ſic habent rationem rerum, quod munus præcipuè gerunt, quando explicant traditionem, ut dictum eſt.

## DVBIVM III.

### *An inter fideles baptizatos poßit ſeparari ratio contractus Matrimonij à ratione Sacramenti, & verum Matrimonium dari, quod non ſit Sacramentum?*

*Matrimonium infidelium minimè Sacramentum eſt.*

73. MEritò procedit dubium de Matrimonio celebrato inter baptizatos fideles, Matrimonium namq; infidelium non baptizatorum, vel etiam fidelium ante Baptiſmum, ut ſunt catechumeni, licet ſit validum Matrimonium, ita ut non poſſint alteri nubere, non tamen rationem Sacramenti habet, cum Baptiſmus ianua ſit omnium Sacramentorum, quæ proinde ſine illo nullo modo recipi poſſunt. Imò Matrimonium infidelium, licet ſit validum, non tamen ratum eſt, & indiſſolubile; ſed potius per conuerſionem alteriùs ad fidem poteſt diſſolui, quod in beneficium fidei ſtatutum eſt ab Eccleſia, *cap. fin.* 28. *q.* 1. *& cap. quantò, de diuort.* ut diximus *ſup. num.* 1. & latiùs *cap. ſeq.* dicemus. Quare dubium eſt. An inter fideles, vel etiam hæreticos baptizatos ita ratio Sacramenti ſit de ſubſtantia, & eſſentia Matrimonij, ut minimè poſſit inter baptizatos reperiri Matrimonium validum in ratione contractus, quod non ſit validum in ratione Sacramenti, & loquimur de Matrimonio inter præſentes celebrato. Quid autem dicendum ſit de Matrimonio contracto inter abſentes, per nuntium, epiſtolam, vel procuratorem dicemus *dub. ſeq.*

*Argumenta, quæ probant dari non poſſe inter fideles Matrimonium, quod non ſit Sacramentum.*

74. Et videtur non poſſe dari Matrimonium inter baptizatos, quod non ſit Sacramentum. Primò, quia *Concil. Florent. & Trident.* diffiniunt Matrimonia fidelium Sacramenta eſſe, quæ propoſitio indefinita eſt, & æquiualet vniuerſali, & idem eſt, ac ſi dicerent, omnia Matrimonia fidelium ſunt Sacramenta: Ergo nullum datur, quod Sacramentum non ſit. ¶ Secundò, quia ex inſtitutione Chriſti eleuantis contractum Matrimonij ad rationem Sacramenti, iſtæ duæ rationes inſeparabiliter ſunt connexæ: Ergo ſicut dari non poteſt Sacramentum Matrimonij, quod non ſit contractus, ita nec dari poteſt inter fideles contractus Matrimonij, qui non ſit Sacramentum. ¶ Tertiò, quia ſi ex intentione contrahentium poſſet ſeparari ratio Sacramenti à ratione Matrimonii, fieret inde, quod unus coniugum poſſet perficere Sacramentum, & non alter, ſi unus vellet illud celebrare tam ut contractum, quàm ut Sacramentum; alter verò ſolùm intenderet illud recipere ut contractum, non verò ut Sacramentum; hoc autem dici nequit, quia Matrimonium eſt unum ſimplex Sacramentum, quod vel in utroque, vel in nullo poteſt eſſe validum. ¶ Quartò, quia ſi validè poſſet unum ab altero ſeparari, id licitè poſſet fieri, ac proinde non peccaret, qui vellet ciuiliter contrahere, & non Sacramentum recipere. Imò hoc aliquando eſſet laudabilius, ut ſi quis eſſet cum conſcientia peccati mortalis, & abſque diſ-

poſitione

Google

poſitione conandi ad contritionem, & deberet connubium celebrare, hoc autem eſt contrà omnium ſententiam ſupponentium peccare mortaliter in tali caſu peccato ſacrilegij, quia materiam, & formam Sacramenti apponeret abſque intentione conficiendi Sacramentum.

*Sententia dicta explicatur, & Auctores pro illa adducuntur.*

75. Propter hæc argumenta ſunt plures, & grauiſſimi Auctores, qui aſſerant in Matrimonio recepto poſt Baptiſmum, ita inſeparabiliter connecti ex intentione Chriſti rationem Sacramenti rationi contractus Matrimonii, quod ſicut nihil faceret, qui intenderet recipere Sacramentum Matrimonij, abſque intentione celebrandi contractum: ita nihil faceret, qui contractum ciuilem Matrimonij vellet inire abſque intentione conficiendi illud in ratione Sacramenti, & ſic quòd maneret liber ad contrahendum cum alia, niſi fortè quis errore ductus, ignorantiâ, vel inaduertentiâ iudicaret, rationem Sacramenti vel non inueniri in Matrimonio, vel non eſſe connexam cum illo, ut inter hæreticos auferentes à ratione contractus Matrimonij rationem Sacramenti paſſim inuenitur, intenderet tamen ipſum Matrimonium contrahere, vel ſicut Eccleſia hoc facit, vel ſicut inter fideles exercetur, vel quantum requiritur, ut validum ſit Matrimonium, nam in tali caſu inquiunt, in ipſa voluntate recipiendi Matrimonium implicitè inueniri voluntatem illud conficiendi ut Sacramentum, & ideò ſecundùm utramque rationem eſſe validum. Ita Palao, *diſput.2. punct.2. num.5.* Ledeſm. 3. *p.q.42.art.1.dub.7.in ſolut.ad 1.&* 2. Sanchez, *lib.2.diſp.10. n.6.* Layman, *lib 5.tract.10. p.2.cap.2.nu.2.* Aueiſ.*quæſt.1.ſect.5.* N.Corocj. *tract.6.diſp.1.dub.ult.* Leand. *tractat.9.diſp.4.q.7.* Franciſ. B.Spei *diſp.4.num.4.* & plures alij ab iſtis relati.

*Aliud argumentum.*

77. Sed contrà eſt, quia contractus Matrimonij validus cenſendus eſt, ubi per legem non irritatur; at nullum datur ius diuinum, vel humanum irritans contractum Matrimonij initum abſque intentione Sacramenti, ſed potius in *cap. fin. de condition. appoſit.* conditiones turpes, & impoſſibiles à contractu Matrimonij reijciuntur: Ergo illa conditio recipiendi Matrimonium ſine receptione Sacramenti, ut turpis reijcitur per legem & habetur pro non adiecta: Ergo ſicut eſſet verus contractus ſine tali conditione, ita cum illa.

*Separari poteſt ratio Matrimonij à ratione Sacramenti.*

78. Reſpondeo igitur dicendum, rationem Matrimonij adhuc inter fideles ſeparabilem eſſe à ratione Sacramenti: & ideò ſi aliquis intenderet contractum ciuilem celebrare Matrimonij, & ex praua voluntate, ſimplicitate, aut errore nollet recipere illud ut Sacramentum eſt, tunc validum eſſet Matrimonium in ratione contractus, ac proinde non poſſet alteri nubere; non autem in ratione Sacramenti, & ideò nec tunc reciperet gratiam, neque ablato obice, ſeu fictione Sacramenti. Ita Baſil. *lib.1. cap.9. num.3.* Bonac. *q.2. punct.5. num.4.* Rebell. *2.p. lib. 2. q.5. concluſ.1.* Melchior Cano, *de loc. Theolog. lib.8. cap.5.* Dicaſtill. *diſput.2. dub.18.num.191.* Hurtad. *de Matrim.diſp.3.diffic.19.* Vaſquez *tom. 2. in 3.part.diſp.138. cap.5.* Dian.8 *p.tract.4.reſol.255.* Herinx, *diſp.2.nu.17.* N.Gabr. *diſp.2.nu.8.* Anton. *ſect.4.* Gonet. *diſp.2. num.52.* Caiet. *in opuſc. tract.12. de matr. q.1.* quatenus aſſerit Matrimonium per procuratorem contractum adhuc inter fideles non eſſe Sacramentum, proindeque ſeparari poſſe iſtas duas rationes in Matrimonijs Chriſtianorum.

*Ratio concluſionis.*

79. Ratio huius communis eſt, quia ſi quis intenderet contrahere Matrimonium cum intentione expreſſa non recipiendi illud ut Sacramentum, illud ut Sacramentum non reciperet, & tamen validum iniret contractum: Ergo ſtare poteſt Matrimonium validum in ratione contractus, quod non ſit validum in ratione Sacramenti. Maior ab omnibus admittitur, nam ut conſtat ex *Conc. Florent.* Sacramentum conficitur verbis, rebus, & intentione Miniſtri, & recipientis: proindeque abſque formali, vel virtuali intentione illius non poteſt validum recipere Sacramentum. Minor probatur: Tum, quia in tali caſu adeſt mutuus conſenſus utriuſque expreſſus per verba, vel per ſigna, adſuntque omnes conditiones, ut ſupponimus, ad talem contractum requiſitæ. Tum etiam, quia ratio contractus in Matrimonio eſt prior ratione Sacramenti, & iſta ſuper illam fundatur, quemadmodum ablutio phyſica eſt prior in Baptiſmo, quàm ipſa ut Sacramentum: Ergo ſicut poteſt dari ablutio ſine receptione Baptiſmi, ut ſi quis vellet ſe ablui, non intendendo recipere Sacramentum, ita vera ratio contractus in Matrimonio ſine ratione Sacramenti, quando defuit intentio ipſius contrahentis.

*Primum, & ſecundum contraria ſententia argumentum diſſoluuntur.*

80. Ad argumenta reſpondetur: Ad primum dicendum verum eſſe, omnia Matrimonia fidelium eſſe Sacramenta, quando cum intentione debita recipiuntur; ſecùs tamen ſi abſque illâ: ſicut omnis ablutio Baptiſmalis eſt Sacramentum, ſi tamen deficeret intentio Miniſtri, aut recipientis, maneret in ratione ablutionis, non in ratione Sacramenti. ¶ Ad ſecundum reſpondetur nullibi haberi aut ex Scriptura, aut ex Concilijs, aut ex Patribus ex intentione Chriſti inſeparabilem eſſe in Matrimonio rationem contractus à ratione Sacramenti; quin potius oppoſitum deducitur ex illis, ut conſtat ex dictis in argumentis *ſed contra*, & ex *Florentino* aſſerente, ſine intentione non poſſe recipi Sacramentum, cum tamen, ut iam probauimus, maneat tunc in ratione contractus. Neque eſt eadem ratio, quando quis non haberet intentionem celebrandi contractum, & intenderet recipere Matrimonij Sacramentum, tunc enim nihil faceret, & neque in ratione contractus eſſet validum tale Matrimonium, quia deficit intentio contrahendi, neque etiam in ratione Sacramenti, quod pro materia, & forma ſibi debitâ habet ipſum contractum, quo proindè non exiſtente, non poteſt illud conſiſtere.

*Soluitur tertium, & quartum eiuſdem ſententia argumentum.*

81. Ad tertium reſpondetur, quòd Matrimonium, quamuis ſit unum, & ſimplex Sacramentum formaliter, eſt dúplex virtualiter, & ſic poteſt ſaluari in uno contrahente habente debitam intentionem, & non in alio, qui tali intentione caret, dummodo uterque veram rationem contractus apponat. Et eſt ſimile, quia, ut diximus *num.52.* quamuis Matrimonium ſit unum, poteſt gratiam producere in coniuge bene diſpoſito; & non in alio per peccatum impedito: & ſimiliter, ut ſtatim dicemus, Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum contra-

ctum validum eſt Sacramentũ ex parte unius, & non ex parte alterius. ¶ Ad quartum reſpondetur peccare mortaliter eum, qui cum tali intentione Matrimonium iniret, quia materiam, & formam apponeret Sacramentalem, abſque intentione debita conficiendi Sacramentum, quod in omnibus Sacramentis ſacrilegium eſt, & ſi ipſe eſt in peccato, vel non contrahat Matrimonium, vel confiteatur, aut ad contritionem conetur, ſin minus peccaret mortaliter, ſiue cum intentione, ſiue abſque illa celebret Matrimonium.

*Matrimonium infidelium per Baptiſmum non fit Sacramentum.*

82. Sed nunc inquires primò. An aliquandò Matrimonium validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti, poſſit ad rationem Sacramenti tranſire, ut quando Matrimonium fuit inter infideles, an per Baptiſmum fiat Sacramentum? ¶ Reſpondetur negatiuè: Nec fieri poſſe, quod Matrimonium, quod non fuit Sacramentum, quando contractus celebratus eſt, poſtea fiat Sacramentum. Ita Diana, *reſol.* 253. Coninch. *diſp.* 24. *dub.* 2. *concl.* 7. *nu.* 25. Palao, *nu.* 14. Leand. *quaeſt.* 6. Baſil. *num.* 8. *ex* Durand. *in* 4. *diſt.* 26. *q.* 3. *n.* 14. Vaſq. Herinx, *n.* 19. Wiggers, *q.* 41. *n.* 25. N. Gabr. *n.* 6. Ant. *ſect.* 2. Gonet *n.* 59. N. Francil. *n.* 26. Et ratio eſt, quia Sacramentum fieri non poteſt, ubi non adeſt materia, & forma illius, ſed materia, & forma Matrimonij ſtat in ipſo contractu Matrimonij, & tunc fit mutua traditio utriuſque coniugis, in quo conſiſtit Matrimonium in ratione Sacramenti, ut diximus *n.* 46. Ergo ſicut poſt Baptiſmum de nouo non apponitur materia, & forma Matrimonij, quia non poteſt eſſe expreſſio traditionis, cum nullus ex coniugibus ſit Dominus ſui, ſed iam dominium in alterum tranſtulerit, non poteſt fieri de nouo contractus: Ergo non poteſt fieri de nouo Sacramentum.

*Ex parte unius poteſt eſſe Sacramentum, & non alterius.*

83. Secundò inquires; An Matrimonium ex diſpoſitione Pontificis contractum inter baptizatum, & non baptizatum, ſit ex parte ſaltem unius Sacramentum? ¶ Reſpondetur cum N. Cornejo, *diſput.* 1. *dub. vlt.* Sot. *in* 4. *diſt.* 22. *art.* 3. *in fine*, Bonacin. *quaeſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 3. Herinx *num.* 14. quod ex parte fidelis baptizati eſt verum Sacramentum, non autem ex parte alterius, quamuis ex parte utriuſque ſit verus contractus Matrimonij. Et ratio eſt, quia unus, qui caret Baptiſmo, incapax eſt recipiendi Sacramentum, baptizatus verò eſt iam capax illius per Baptiſmum: Cum ergo validè recipiatur Sacramentum in ſubiecto capaci, dicendum erit, quod ex parte baptizati erit verum Sacramentum, non verò ex parte alterius,

## D V B I V M IV.

### *Vtrum Matrimonium inter abſentes celebratum ſit verè Sacramentum?*

*Matrimonium inter abſentes celebratum validum eſt.*

84. SVpponimus in hoc dubio Matrimonium inter abſentes per Procuratorem, Nuntium, aut Epiſtolam celebratum, validum eſſe in ratione contractus, vt conſtat *cap. finali, de procuratorib. in* 6. *& leg. ſufficit, ff. de ſponſal.* doceetque Caietan. *in opuſc. tract.* 12. *de Matrimon. quaeſt.* 1. Palaus, *diſp.* 2. *punct.* 2. *num.* 7. Sanchez, *lib.* 2. *diſp.* 12. *num.* 3. *& diſp.* 11. *num.* 26. Baſil. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 7. *numer.* 1. Et ratio eſt, quia Chriſtus Dominus, quando Matrimonium eleuauit ad rationem Sacramenti, non immutauit contractus naturam; ſed de natura cuiuſlibet contractus eſt, quòd per procuratorem valeat exerceri: Ergo idem dicendum eſt de contractu Matrimonij inter fideles. Imò etiam poſt *Conc. Tridentin.* adhuc verum eſſe tenent Doctores citati, quia Concilium nihil immutauit circa contractum Matrimonii habitum inter abſentes, ſed ex parte formæ aliquas conditiones obſeruandas indixit, ut latè probat Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 11. *n.* 20.

*Laudabile eſt ipſum ratificare inter praeſentes.*

85. Quamuis laudabile ſit, & in conſcientia ſecuriùs, ut docent Sanchez, *loc. cit. num.* 31. Sot. *in* 4. *diſt.* 27. *quaeſt.* 1. *art.* 3. *verſ. Non prorſus*, *&* Trullench. *num.* 9. Villalobos *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 13. *difficul.* 9. quòd contrahentes per procuratorem, poſtea ipſimet Matrimonium ineant ad tollendos ſcrupulos: Tum, quia non eſt omninò certum, poſt Tridentinum, tale Matrimonium valere: Tum etiam, quia poſſet fieri, ut procurator aliquid ad ſubſtantiam contractus neceſſarium omitteret, vel quod ipſe mandans voluntatem retractaret: Tum denique, quia ut inquit, Sanch. *loc. cit. &* N. Cornej *tract.* 6. *diſp.* 1. *dub.* 5. *ad* 4. *inconueniens*, hoc eſt ſpeciale in hoc Sacramento, quod licet cætera Sacramenta repeti nequeant, eâdem manente materiâ, & formâ, benè tamen iſtud, quia contractus eſt, & more cæterorum contractuum poteſt ſæpius iterari. Quod intelligendum eſt, quia poteſt firmari contractus, qui fortè fuit nullus, per rati habitionem, vel per nouam ſolemnitatem illius abſque conditione, ſed abſolutè, & tunc non reiteratur Sacramentum, ſed quod inualidum fuit, validum efficitur. Si tamen conſtaret de validitate illius, nunquam poſſet reiterari, quia non poteſt vera dari traditio de nouo, nec nouus contractus celebratur. Sed pro euitandis his omnibus notandum eſt, quod docet Dian. 3 *p. tract* 4. *reſ.* 250. *ex* Rebell. *p.* 2. *lib.* 2. *q.* 5. *concl.* 2. *n.* 10. Quod quando contrahentes coniunguntur ad ſupplendas ſolemnitates Matrimonij, implicitè intendunt contrahere illud, ſiquidem rem, ut de iure licet, exercere volunt: & ſic non requiritur, quod ampliùs Matrimonium reiterent.

Suppoſito ergo quod Matrimonium inter abſentes validum ſit in ratione contractus (quidquid ſit de conditionibus ad hoc requiſitis, de quibus erit ſermo puncto ſequenti) quæritur: An ſit verum Sacramentum?

*Argumenta, quæ probant Matrimonium inter abſentes Sacramentum non eſſe.*

86. Videtur quod non. Primò, quia receptio Sacramenti eſt perſonalis paſſio, quæ interiùs fit per gratiæ infuſionem, & exteriùs per operationem recipientis: ſimiliter actio, qua Sacramentum perficitur, eſt perſonalis ipſius Miniſtri: Ergo in Sacramento Matrimonij, in quo contrahentes ſunt Miniſter, & ſubiectum Sacramenti, debet eſſe receptio, & illius operatio perſonalis: Ergo ſicut cætera Sacramenta, quia petunt paſſionem perſonalem recipientis, & actionem perſonalem Miniſtri, non poſſunt inter abſentes fieri, ſic nec Matrimonium. ¶ Secundò, quia etiam pœnitentia eſt per modum iudicij, quòd inter abſentes poteſt exerceri; & tamen, quæ eſt Sacramentum, non eſt validum Sacramentum, ſi per procuratorem, aut per epiſtolas fiat: Ergo ſimiliter quam-

uis

Digitized by Google

uis Matrimonium ſit per modum contractus, qui fieri poteſt inter abſentes, in ratione verò Sacramenti petit quòd inter præſentes exerceatur. ¶ Teniò, ideò hoſtia, quæ non eſt præſens, nequit conſecrari, quia in eius conſecratione apponitur pronomen *hoc*, quod exigit materiam præſentem, ſimiliter Sacramentum Pœnitentiæ nequit inter abſentes fieri, quia in eius forma apponitur pronomen *Te*, quod præſentem perſonam deſignat; ſed etiam in Matrimonio *Ego*, & *Te* inueniuntor, quæ præſentiam exigunt contrahentium, & ideò *in cap. licèt, de ſponſa duorum*, ponitur hæc forma Matrimonij: *Ego te accipio in meam: Ergò, &c.* ¶ Qoartò ex triplici incouenienti ex oppoſita ſententia ſecuto. Primum, quòd aliquis dormiens peccaret (quod eſt impoſſibile, cum peccatum exigat actum proprium voluntatis) ut quandò in peccatò erat dormiens, & procurator nomine illius Matrimonium contraheret, qoia tunc opponeret obicem gratiæ per Sacramentum recipiendæ. Secundum, quia ſic poſſet quis gratiam recipere etiam dormiens, ut in caſu poſito, quod in gratia exiſtens ſe ſomno traderet, & tunc nomine eius procurator Matrimonium iniret, quia ſi verum eſſet Sacramentum, illi gratiam conferret. Tertium, quod poſſet dari Sacramentum gratiam non conferens abſque obice recipientis: ut ſi quis Romæ exiſtens, nomine eius procurator Matriti cõtraheret, quia tunc tale Matrimoniũ non poſſet phyſicè gratiã cauſare in ſubiecto adeò diſtanti.

*Auctores huius ſententia.*

87. Hanc ſententiam tenent Cano, *lib. 2. de locis, cap. 5.* Vaſoll. *in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 1.* Victor. *in ſumm. num. 244.* Rebell. *concluſ. 2.* Durand. *in 4. diſt. 26. quæſt. 3. num. 11.* Enriq. *lib. 21. cap. 2. nu. 2. in comment litt. B.* Siluius *in 3. part.* D. Tho. *quæſt. 42. art. 1.* ſed inter omnes primatum tenet Caiet. *in opuſc. tract. 12. quæſt. 1.* ubi addit, quòd ſi poſteà coniuges in præſentiâ nutibus, aut verbis explicent ſuum conſenſum, Sacramentum efficitur. Addit etiam, quòd tale Matrimoniom inter abſentes eſt legitimum, ut Matrimonium infidelium, non tamen ratum, quod proinde poteſt faciliùs diſſolui mutuo conſenſu partium Apoſtolica auctorirate, quia non eſt Sacramentum.

*Triplex argumentum ſed contrà.*

88. Sed contrà eſt, quod *Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 1.* docet Mattimonium in lege Euangelica differre à connubijs veteris teſtamenti, in eo, quod gratiam cauſat, ſed Matrimonium ioter abſentes initum, eſt Matrimonium legis Euangelicæ: Ergò gratiam cauſat: Ergò eſt Sacramentum. ¶ Præterea quòd Eccleſia definiens Matrimonium eſſe Sacramentum, nullam facit mentionem, quod fiat inter præſentes: Ergo veriſimilius eſt ipſam decernere etiam inter abſentes contractum eſſe Sacramentum: aliàs id declararet, ne fideles ita faciliter per internuntium contraherent, & à Sacramenti fructibus priuarentur. ¶ Præterea, quia dictum Matrimonium eſt ratum, & indiſſolubile: Ergò eſt verum Sacramentum. Probatur conſequentia, quia *in cap. quantò, de diuort.* ideò Matrimonium Chriſtianorum dicitur ratum, & indiſſolubile, quia eſt Sacramentum, *& cap. final. 28. quæſt. 1.* Matrimonium infidelium dicitur legitimum, ſed non ratum, & indiſſolubile, quia non eſt Sacramentum.

*Matrimonium per procuratorem celebratum eſt Sacramentum.*

89. Reſpondeo igitur dicendum Matrimonium celebratum inter abſentes ſiue per Nuntium, ſiue per Procuratorem, ſiue per Epiſtolam eſſe verum Sacramentum gratiam conferens in eo inſtanti, in quo per procuratorem celebratur, non in ipſo, ſed in eo, cuius nomine Matrimonium initur. Ita Sot. *artic. 3.* Valent. *4. tom. diſp. 10. qu. 1. punct. 6. in ſolut. ad 4.* Sanchez, *diſp. 11. num. 27. & diſp. 12. num. 3.* Baſil. *num 3.* Bonacin. *qu. 2. punct. 5. num. 3.* Villalob. *diff. 9. nu. 3.* Trullench. *nu. 9.* Auerſa, *quæſt. 1. sect. 4.* Coninch, *diſp. 24. dub. 2. nu. 23.* Dian. *reſol. 250.* Dicaſtill. *tract. 10. diſp. 2. dub. 17. n. 184.* Palaus, *nu. 8.* Wiggers *n. 32.* Gonet *n. 25.* Herinx *nu. 15.* è noſtris Gabr. *n. 16.* N. Anton. *sect. 3* Cornejo, *dub. 5. diff. 2.* Franciſ. *diſp. 4. nu. 10.* Stephan. *num 40.* & alij.

*Duplex ratio concluſionis.*

90. Probatur primò, quia Chriſtus Dominus non immutauit naturam contractus Matrimonij, quando illud ad rationem Sacramenti eleuauit, ſed de natura contractus Matrimonij (ſicut & cæterorum contractuum) eſt, quòd poſſit per alios validè exerceri: Ergò Matrimonium adhuc per procuratorem celebratum ad rationem Sacramenti eleuauit. ¶ Secundò, quia in tali caſu datur materia, & forma huius Sacramenti, datur Miniſter, & debita intentio ad illud, adſuntque reliqua requiſita ad Matrimonium: Ergo eſt verum Sacramentum, quia hæc, & non amplius ad rationem Sacramenti requiruntur.

*Quæ ſit materia, & forma in illo caſu.*

91. Sed quæres forſan: Quæ ſit materia, & forma in Matrimonio, quod per procuratorem celebratur (?) ¶ Reſpondet Sanch. *diſp. 21. nu. 28. ex* Enriquez, *&* Ledeſm. verba procuratoris non intrare ad rationem materiæ, aut formæ Sacramenti, ſed ſe habere ad inſtar conditionis *ſine qua non*, quatenus per ea innóteſcunt conſenſus, & verba mandantis, ſed verius dicendum eſt cum Baſil. *nu. 6.* quod ſicut verba exprimentia conſenſum contrahentis intrant ad formam Matrimonij, ita etiam verba procuratoris, ut relata, non quidem ad exprimendum ſuum conſenſum, ſed ad exprimendum conſenſum, & verba mandantis intrant ad formam huius Sacramenti; & ſic non tanquam verba illius, ſed tanquam verba alterius.

*Non eſt Miniſter procurator, ſed inſtrumentum contrahentis.*

92. Ex quo deducitur, quòd procurator non eſt Miniſter huius Sacramenti, ſed inſtrumentum Miniſtri, Miniſter verò eſt ipſe mandans, ex cuius mandato contrahitur Matrimonium: ac proinde non peccare mortaliter procuratorem, etiamſi in peccato Matrimonium iniret; mandans verò peccaret mortaliter, ſi non eſſet in gratia, quandò ſcit veroſimiliter nomine eius procuratorem contracturum iuxta dicta *num. 10.* Ita Baſil. Sanchez, Cornejo, *loc. cit.* Bonacin. *n. 12. & 13.* Coninch, *dub. 2. n. 23.* Ledeſm. *q. 42. art. 1. dub. 7. ad 4.* Trull. *nu. 13.* Dicaſt. *diſp. 2. n. 183.*

*Non requiritur diuerſitas ſexus ad contrahendum per procuratorem.*

93. Deducitur etiam ex dictis non requiri diuerſitatem ſexuum in Matrimonio per procuratorem celebrato; ſed poſſe æquè inter perſonas eiuſdem ſexus iniri: & ſic fœmina nomine viri cum fœmina celebrare, aut vic nomine fœminæ cum viro Matrimonium inire, quia procurator in tali caſu ſolùm ſe habet, ut inſtrumentum contrahentis ad exprimendum eius conſenſum per verba ipſius procuratoris, quod æquè fieri poteſt per virum, vel per fœminam. Ita Sanch. *lib. 2. diſp. 11. n. 15.* Baſil. *lib. 1. cap. 10. n 6.* Ledeſm. *q. 42. art. 1. dub. 7.* Dian. *tract. 4. reſol. 250.* N. Gabr. *nu. 22.*

*Duplex argumentum contraria ſententia ſoluitur.*

94. Ad argumenta reſpondetur: Ad primum fatemur receptionem Sacramenti, & illius operationem debere eſſe perſonalem, ſed iuxta naturam

naturam Sacramenti: natura verò Matrimonij, quod eſt per modum contractus more cæterorum petit, quod inter abſentes poſſit celebrari, & ſolùm dicitur perſonalis, quatenùs in perſona illius, & nomine eius alter operatur, quod in reliquis Sacramentis, quæ non ſunt per modum contractus, non inuenitur. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd licèt iudicium fori exterioris poſſit fieri inter abſentes, quia in illo non eſt idem reus, teſtis, & accuſator, nec requiritur, quòd iudex præſentem diſpoſitionem rei cognoſcat: at pœnitentia, cum ſit iudicium fori exterioris, in quo ſunt idem reus, accuſator, & teſtis, & debet Sacerdos cognoſcere præſentem diſpoſitionem pœnitentis: propterea rectè ſtatutum eſt à Clemente VIII. & Paulo V. non poſſe confici hoc Sacramentum inter abſentes, quæ omnia in Matrimonio non reperiuntur.

*Duplex aliud argumentum eiuſdem ſententia ſoluitur.*

95. Ad tertium reſpondetur, eſſe diſparem rationem inter hoc Sacramentum, & alia, de quibus fit mentio in argumento, quòd in illis illa verba ſunt de eſſentia formæ Sacramenti, ut dictum eſt in ſuis tractatibus, in iſto verò non ita, ſed quæcumque ſufficientia ad explicandum conſenſum ſiue præſentis, ſiue abſentis: at verò in illo *cap. licèt* aſſignantur illa verba ut commodiora, & aptiora ad intentum. ¶ Ad quartum ex pluribus inconuenientibus compoſitum reſpondetur. Ad primum, nullum eſſe inconueniens, ſed ſicut qui in ſomno occidit puerum, quem præuiderat poſſe occidere, peccat ratione voluntatis, quam habuit in vigilia: ita qui antè ſomnum præuidit fore, ut tunc Matrimonium contraheretur, peccatum committit, ſiue tunc quandò de facto Matrimonium initur ratione voluntatis, quæ fuit cauſa illius, ut quidam volunt, ſiue quandò ſe tradidit ſomno, cum illo periculo ponendi obicem Sacramento tunc celebrando, ut volunt alij.

96. Secundum inconueniens nullum eſt, ut ſi quis antè ſomnum, vel amentiam Baptiſmum, aut confeſſionem peteret, gratiam reciperet, ſi aut in amentia abſolueretur, aut in ſomno baptizaretur: ita qui in vigilia voluit Matrimonium contrahere, & ad hoc dedit facultatem Miniſtro, poteſt in ſomno gratiam recipere, ſi tunc Matrimonium contrahatur. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod inſtrumenta diuinæ virtutis, ut docent NN. Complutenſ. *in Phyſic. diſp.* 12. *qu.* 2. *num.*59. operari poſſunt in diſtans, & ideò licèt procurator nomine mandantis Romæ contrahat, poteſt Sacramentum, ut inſtrumentum phyſicum Dei cauſare gratiam in mandante, etiam Matriti exiſtente.

## PVNCTVM IV.

### *Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut Procurator nomine alterius contrahat Matrimonium.*

*Quatuor conditiones requiſitæ ad Matrimonium per procuratorem.*

97. QVatuor ſunt conditiones præcipuè requiſitæ ad hoc, ut procurator nomine alterius celebret Matrimonium. Prima, quod habeat ad hoc ſpeciale mandatum, nec ſufficit ad hoc generalis commiſſio ad exercendum nomine eius omnia, quæ ad ipſum pertinent, ſed debet eſſe expreſſum mandatum de contrahendo Matrimonio pro illo. Cum enim Matrimonium ſit res grauiſſima pluribus circumſtantijs veſtita, plurima onera ſecum portans, & per totam vitam perdurans non venit in generali mandato, niſi ſpecialiter commendetur. Secunda, ut mandatum non ſolum ſit ſpeciale de Matrimonio contrahendo, ſed etiam cum determinata fœmina, *leg. Generali*, 34. *ff. de Ritu Nupt.* Tertia, ut mandatarius per ſe Matrimonium ineat, eligitur enim induſtriâ perſonæ, & ideò non poteſt ſubſtituere ad hoc vices ſuas, niſi ſpecialem, & expreſſam licentiam habeat à mandante. Tres has conditiones expreſsè poſuit Boniſacius VIII. *in cap. finali, de Procurator. in 6.* Quarta denique conditio, quod mandatarius non excedat fines mandati. Et ideò ſi illi poteſtas data ſit, ut cum tali dote, vel his conditionibus, aut illis Matrimonium ineat, aliter faciens, nihil facit, & Matrimonium nullum eſt, quia quæ à mandatario exercentur, excedendo ſuum mandatum, abſque poteſtate id agere cenſetur, *l. diligenter, ff. Mandati.* Ita Bona in. *q.* 2. *punct.* 5. *n.*8. Palaus, *diſp.*2. *punct.* 9 *nu.*2. Baſil. *lib.*2. *cap.*15. Sanch. *lib.*2. *diſp.*11. *à n.*3. Coninch, *diſp.*24. *dub.*9. *num.*67. Trullench. *lib.*7. *cap.*3. *dub.*7. ſufficit autem ſi ore tenus tale mandatum recipiat, nec requiritur ad hoc ſcriptura, *Conſtat ex leg.* 13. *tit.*5. *part.*3. & docet Sanch. *dict. diſp.*11. *num.*4. & 14. Angelus, *Matrimonium*, 2. *num.*19.

*Non debet reuocari mandatum.*

98. Vlterius requiritur, quod mandatum non ſit reuocatum. Si enim mandans illud reuocauit, antequam Matrimonium celebretur, nihil fit, Ad quam reuocationem non requiritur, quod reuocatio innoteſcat mandatario, aut ſponſæ. Habetur expreſsè *cap. finali, de Procurator. in* 6. ibi: *Si procurator, antequam contraxerit, à Domino fuerit reuocatus, contractum poſtmodum Matrimonium ab eodem, licèt tam ipſe, quam ea, cum qua contraxit, reuocationem huiuſmodi penitus ignorarent, nullius momenti exiſtit, cum illius conſenſus defuerit, ſine quo firmitatem habere nequit.* Quibus verbis ratio huius efficaciſſima ponitur, quia nimirum ad Matrimonium eſſentialiter requiritur conſenſus partis contrahentis; ſed reuocatione mandati ſecutâ, non adeſt conſenſus contrahentis; quandò nomine eius Matrimonium celebratur: Ergò nullum eſt tale Matrimonium. Ita Baſil. *n.*10. Sanch. *num.*6. Palaus, *num.*2. Bonacin. *num.*7. N. Gabr. *num.*21.

*Aliqua deducuntur.*

99. Ex quo tria deducuntur. Primum, quod ſi mandans reuocauit mandatum, & tempore, quo reuocatio durauit, fuit celebratum Matrimonium, etiamſi poſteà mandatum ratificet, & ad priſtinam redeat voluntatem, nullum perſiſtit Matrimonium, quia ab initio fuit nullum, & per ratificationem non conualeſcit contractus inualidus, Baſil. *num.*10. Secundum, quod licèt in alijs contractibus, in quibus ius poteſt ſupplere conſenſum partis, quamuis reuocatum fuerit mandatum, contractus valeat, ſi non innotuit reuocatio mandatario, *leg. ſi mandaſſem.* 15. *ff. Mandati, Clementin. unica, de Renunciat.* & *cap. in parte* 33. *de Reſcriptis.* Secus tamen accidit in Matrimonio, quòd ſtare non poteſt abſque conſenſu partium, quem conſenſum nunquam ius poteſt ſupplere, Coninch, *num.*68. Palaus, Sanch. & Baſil. *loc. cit.*

100. Ter-

*Sufficit reuocatio mentalis.*

100. Tertium, ſufficere ad talem reuocationem, quod tantum mentaliter fiat pro foro conſcientiæ, quamuis in foro externo non iudicetur reuocatum, niſi de reuocatione conſtet. Et ratio eſt, quia ſemper defuit conſenſus indiſpenſabiliter ad Matrimonium requiſitus. Sufficit etiam, ſi fiat reuocatio Epiſtolâ, verbo, aut etiam ipſo facto, quia voluntas non tantum verbis, ſed etiam factis demonſtratur. *l. final. §. illud ff. de diuort.* Vbi aſſignatur pro conjectura reuocationis tacitæ, quod tractet Matrimonium cum alis, quia ex tunc cenſetur retractare voluntatem contrahendi cum priori, cum impoſſibile ſit, quod aliquis velit conſequens, quin prius velit antecedens, *leg. Ad rem mobilem, ff. de Procurator.* Sed ad hoc conſequens, nimirum, quod vellet contrahere cum aliâ, requiritur antecedens de non contrahendo cum priori: Ergò qui habet illam volũtatem facto ipſo voluntatẽ reuocat priorem. Ita Sanch. *n.* 20. Baſil. *n.* 11. Trull. *n.* 8. Conineb, *n.* 69. quę omnia vera ſunt, etiamſi quando quis dedit mandatum procuratori iurauerit illud non reuocare, quod adhuc reuocatio tenet, & Matrimonium eſt nullum, quia ſemper ſaluatur non perſiſtere in priori voluntate. Peccabit tamen mortaliter, qui poſt iuramentum mandatum reuocauit, niſi iuſta cauſa extiterit reuocationis, quia tunc abſque peccato poteſt fieri reuocatio, eo quod, ſub illa conditione iuramentum factum cenſetur, niſi iuſta cauſa adſit reuocationis. Ita Baſil. *loc. cit. num.* 32. *&* 33. Coninch, *num.* 69. Sanch. *num.* 8. Palaus, *num.* 2.

*An ſi excedat procurator formam mandati, in aliquo caſu actum ab eo teneat?*

101. Sed nunc reſtant aliquæ difficultates. Prima. An ſi procurator excedat formam mandati, eo quod ſibi iniunctum eſt, ut iuxta formam Tridentini celebret Matrimonium, vel præmiſſis denuntiationibus, ſi abſque ipſis Matrimonium ineat, vel cum licentia, vel abſque licentia Epiſcopi, factum teneat, & validum ſit Matrimonium hoc modo ab ipſo celebratum? ¶ Reſpondetur affirmatiuè. Ita Bonacin. *numer.* 9. Reginald. *lib.* 31. *num.* 179. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 4. *q.* 18. Villalob. *tom.* 1. *tractat.* 13. *diff.* 9. *num.* 2. Diana, 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 150. Trullench, *num.* 14. Sanch. *num.* 18. Palaus, *num.* 4. Et ratio eſt, quia qui addit formam iuris communis in mandato, tantum intendit certiorem facere mandatarium, ut iuxta illam exequatur intentum, non autem vult nouam formam, aut conditionem inducere, ſine quâ non valeat mandatum, ſed Matrimonium abſque denuntiationibus præmiſſis validum eſt, quamuis illicitum, & contrà ius commune: Ergò etiam quando per procuratorem modo dicto celebratur.

*Non requiritur, quòd mandatum detur coram Parocho, & teſtibus.*

102. Secunda difficultas eſt. An mandatum debeat dari procuratori coram Parocho, & teſtibus ¶ Reſpondetur id non requiri, ſed ſufficere, ſi verbo, vel ſcripto tale mandatum dederit, ita ut poſſit de illo iuridicè conſtare, ut ſi poſteà negauerit ſe tale mandatum dediſſe, poſſit conueniri in ſoro exteriori, non tamen requiritur, quod coram Parocho, & teſtibus detur, quia hæc ſolemnitas ponitur à Tridentino, quando Matrimonium ipſum verè contrahitur, ſed quando mandatum datur procuratori non contrahitur Matrimonium, ſed quando procurator poſteà nomine mandantis illud celebrat: Ergò, &c. Ex quo ſequitur neceſſarium eſſe ad valorem Matrimonij, quod procurator coram Parocho, & teſtibus oſtendat ſe habere tale mandatum, & quod illud exequendo, celebret coram illis Matrimonium. Ita Bonac. *num.* 5. Diana, *reſol.* 250. Baſil. Trull. *nu.* 4. Villalub. *n.* 2. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 6. Conin. *loc. cit. num.* 78. *&* Sanch. *num.* 23.

*Obiectio in oppoſitum.*

103. Sed objicies, quod ſolemnitas requiſita ad actum, etiam eſt neceſſaria ad præbendam facultatem exequendi illum, ſed ad Matrimonium requiritur quod fiat coram Parocho, & teſtibus: Ergò etiam ad præbendam commiſſionem pro illo. Probatur maior *ex leg.* 39. *Tauri, hodie leg.* 13. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil.* Vbi diſponitur eadem ſolemnitas in mandato teſtamentum conficiendi, quæ in ipſo exigitur teſtamento. Reſpondetur negando maiorem, ad cuius probationem dicimus: Mandatum ad teſtandum non tam mandatum, quam teſtamentum cenſeri, eo quòd ſuccedit loco teſtamenti continentis inſtitutionem hęredis, ſubſtitutiones, meliorationes, &c. Et proptereà eandem ſolemnitatem petit mandatum, quàm ipſe actus exigit. Ita Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 11. *num.* 25. quod in præſenti non accidit.

*Quid ſi mandatum ex animo non fuit datum?*

104. Tertia difficultas eſt, ſi quando quis dedit mandatum procuratori fictè, & non ex animo id fecit, poſtea verò antequam celebratum ſit Matrimonium voluntatem mutauit, & ex animo ratificauit mandatum, an teneat Matrimonium per procuratorem celebratum? ¶ Negat Coninch, *diſp.* 24. *dub.* 9. *num.* 72. Palaus, *diſp.* 2 *punct.* 9. *numer.* 3. N. Gabr. *diſp.* 2. *num.* 23. quia dum mandauit nullus erat conſenſus in mandante, quem verba procuratoris poſſent exprimere, ſed neque etiam poſſent exprimere conſenſum, qui poſteà habetur, quia talia verba referuntur ad exprimendum conſenſum mandantis, quando mandauit: Ergò nullo modo ſufficiunt ad contractionem Matrimonij. Sed oppoſitum, & merito docent Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 11. *num.* 13. Trull. *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 12. aſſerentes, quod etiam ſi voluntatem non haberet, quando mandatum dedit, vel ſi habuit illam poſteà retractauit, ſi tamen tempore, quo celebratum fuit Matrimonium, in voluntate fuit contrahendi, tale Matrimonium eſt omninò validum, quia verba procuratoris ſolum ſunt ſigna conſenſus pro tunc in voluntate mandantis exiſtentis, & ſi conſenſum præteritum ſignificant, eſt quatenus tunc moraliter cenſetur eſſe præſens, quare licèt præteritus nullus fuerit, ſi tamen præſens phyſicè, vel moraliter extitit, factum tenet.

*Quid, ſi mandans in amentiam inciderit?*

105. Quarta difficultas. An quando aliquis ſui compos dedit mandatum, & poſteà in amentiam incidit, quando fuit celebratum Matrimonium per procuratorem, ſit validum? ¶ Reſpondetur affirmatiuè cum Conineb, *ſup. numer.* 70. Bonacin. *numer.* 13. Trullench. *numer.* 12. Sanch. *numer.* 12. contrà Baſil. *num.* 14. Et ratio eſt, quia quando prior conſenſus non reuocatur, ſemper manet in virtute, quemadmodum conſenſus in baptiſmo antè amentiam habitus ſufficit ad validè recipiendum illum, ſi fortè in amentiam incidat, qui petiuit.

*Obiectio contra reſolutionem.*

106. Sed objicit Baſilius, quod ſi ipſe mandans incidat in amentiam, etiamſi antè illam habuerit voluntatem contrahendi, non poterit in illa per

per ſe ipſum contrahere Matrimonium? Ergò neque per procuratorem, qui nomine eius agit. ¶ Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia verba amentis non ſunt humana, nec factum tempore amentiæ humano modo fieri cenſetur; quare cum verba eius referantur ad tempus præſens, quando per ſe ipſum celebrare intendit, nihil operantur. At verba procuratoris humano modo ſiunt, & referuntur ad exprimendum conſenſum mandantis moraliter, vel phyſicè pro tunc exiſtentem. Ex quo fit, quod ſi ipſe procurator in amentiam, vel in ebrietatem incideret, & illo tempore Matrimonium celebraret, nullum eſſet, quia non fuit per verba humana contractum.

*Quæ verba requiruntur ad hunc effectum.*

107. Sed inquires primò, quæ verba ſint neceſſaria, quando procurator pro abſente celebrat? ¶ Reſpondetur, quod iſta, vel æquiualentia debent ex parte utriuſque contrahentis apponi, & ſufficiunt: *Recipio te in uxorem nomine Franciſci.* Et rurſus fœmina: *Ego, te mediante, duco Franciſcum*, quia his verbis ſufficienter exprimitur conſenſus utriuſque contrahentis: & quod nomine alterius celebratur Matrimonium. Ita Bonacin. *num.* 11. Enriq. *cap.* 2. Trull. *ſup. num.* 11. Sanch. *num.* 16.

*Quomodò per epiſtolam contrahatur Matrimonium?*

108. Inquires ſecundò quomodò per Epiſtolas debeat Matrimonium celebrari? ¶ Reſpondetur ex Dian. *reſol.* 250. Villalob. *diff.* 10. *num.* 2. Enriq. *num.* 6. Coninch. *num.* 80. quod ſi vel unus ſcribat ad alterum ſe illi tradere in Matrimonium, & ex tunc acceptare eius traditionem, & alter reſcribat id ipſum, & Epiſtolas uterque coram Parocho, & teſtibus legat, ut Eccleſiæ conſtet de mutuo utriuſque conſenſu litteris ſignificato, vel ſi vir fœminæ ſcribit ſe illi in virum tradere, & ex tunc acceptare conſenſum eius pro eo tempore, quo illum præſtiterit, etiam ſi fœmina non reſcribat, ſed coram Parocho, & teſtibus litteras aperiat, eas acceptet, & conſenſum ſuum, id eſt, tam acceptationem, quàm traditionem ſui viro coram illis aperiat; ſtatim perficitur contractus Matrimonii.

## PVNCTVM V.

### *Qualiter ſit Matrimonium nullum reualidandum?*

*Quomodò ſiat nullum Matrimonium?*

109. EA, quæ dicenda ſunt in hoc puncto, ut bene inquit doctiſſimus Petrus de Ledeſma, 3. *p.* q 45. *art.* 3. *dub. ult.* grauiſſima ſunt, & ad praxim valdè neceſſaria, & prius in illo, quæ certa ſunt apud omnes, proponemus, deinde illa; de quibus eſt aliquod dubium inter Doctores. Primum certum eſt Matrimonium poſſe eſſe nullum, vel ob defectum conſenſus, quia nimirum vel fuit fictus, vel metu, aut errore extortus, vel ob impedimentum aliquod dirimens publicum, vel occultum, quod erat, quando Matrimonium fuit celebratum, vel quia initum eſt abſque præſentia Parochi, & teſtium in locis, in quibus viget Tridentinum.

110. Similiter certum eſt, quòd quocumque ex his modis Matrimonium fuerit inualidum, ut reualidetur, debent ſuppleri in integrum, quæ deſiderata ſunt, ut ſi fuit abſque Parocho, & teſtibus, debet coram illis reualidari. Si fuit cum impedimento dirimente, debet hoc vel per diſpenſationem, vel aliâ viâ tolli. Si fuit abſque conſenſu vero, & libero utriuſque partis, debet utraque pars conſenſum apponere, imò & per verba vel ſigna illum exterius ſignificare, quia cum Matrimonium ſit, & Sacramentum ſenſibile, & contractus humanus, non poteſt perfici niſi per ſigna exteriora conſenſus ſignificetur. Ita Baſil. *lib.* 4 *cap.* 24 *n.* 3. & 8. Palaus, *diſp.* 3. *punct.* 7. Conin. *diſp.* 24. *num.* 94. Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 2. *dub.* 9. *num.* 76. Bonac. *q.* 2. *punct.* 9. *num.* 3.

*Quando fuit impedimentum dirimens, ablato eo, apponatur conſenſus utriuſque.*

111. Certum eſt etiam apud Doctores, quòd ſi ratione impedimenti dirimentis fuit Matrimonium nullum, & poſteà impedimentum auferatur, ut reualidetur Matrimonium, debet de nouo poni ex parte utriuſque coniugis conſenſus, & aliquo ſigno externo explicari. Et ratio eſt, quia talis contractus ab initio fuit nullus, & nunc fit: Ergò adeſſe debent omnia, quæ ad illius perfectionem requiruntur, ſed ad contractum Matrimonij conſenſus utriuſque partis requiritur: Ergò, &c. Ita Ledeſm. *q.* 45. *art.* 3. *dub. ult.* & dicit eſſe ferè omnium Diſcipulorum D. Thom. docet etiam Conin. *diſp.* 20 *dub.* 10. *nu.* 90. Baſil. *num.* 2. Palaus, *numer.* 1. Dicaſt. *num.* 77. Bonacin. *numer.* 6.

*Quando publicum eſt impedimentum, debet reualidari Matrimonium coram Parocho, & teſtibus.*

112. Certum etiam eſt, quod ſi impedimentum dirimens eſſet publicum, vel quia multi illud ſciunt, vel quia ad forum contentioſum deductum, & de oppoſito non iudicatum eſt, vel quia probari poſſit duobus teſtibus omni exceptione maioribus, tale Matrimonium, ablato impedimento, reualidandum eſſe coram Parocho, & teſtibus, quia licet conſtet Eccleſiæ de illius celebratione, de eius valore non conſtat, & conſtare debet, quandò poteſt diſſolui ad petitionem unius partis, ut ſic minimè diſſolui debeat. Quarè eodem modo requiritur Parochi, & teſtium aſſiſtentia, ac ſi de nouo tale Matrimonium celebraretur, quia & finis, & intentio Tridentini exigentis illam, æquè in hoc caſu ſaluatur. Ita Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 37. *num.* 11. Coninch, *diſp.* 24. *dub.* 10. *num.* 84. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 6. Dicaſtill. *dub.* 11. *numer.* 99. Palaus, §. 3. *num.* 3.

*An qui fictè conſenſit, teneatur ad verè conſentiendum?*

113. His ſuppoſitis, reſtant nunc quatuor difficultates decidendæ. Prima. An qui fictè Matrimonium contraxit abſque conſenſu vero teneatur ex iuſtitia poſteà verum conſenſum apponere, & reliqua, quæ requiruntur ad Matrimonium reualidandum? ¶ Circà quam eſt duplex ſententia. Prima aſſerit, præciſo alio damno, ex vi ſolius contractus non teneri, quam tenet Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 11. *num.* 5. Hurtad. *diſp.* 3. *diff.* 9. *num.* 35. Villalob. *to.* 1. *tract.* 13 *diff.* 8. Gutierr. *de Matr. cap.* 46. *num.* 14. & probabilem vocat Palaus, *punct.* 7. §. 2. *num.* 2. Victor. *in ſumm. num.* 252. Et ratio illorum eſt, quia licet aliquis teneatur verè contrahere quando contrahit, non tamen poſteà, quia nec acceptauit, nec retinet conſenſum alterius, qui per ſe æquè liber ad reſiliendum eſt, ac ſi nullus contractus præceſſiſſet, & explicatur in eo, qui fictè profitetur, & non tenetur poſteà verè, & ex animo profiteri, ut inquiunt Soto, *lib.* 7. *de Iuſt. q.* 1 *art.* 2. Nauarr. *cap. ſtatuimus* 19. *q.* 3. *num.* 73. Enriq. *cap.* 11. *num.* 3.

*Sententia affirmatiua eligitur.*

114. Veriùs tamen dicendum eſt, eum, qui fictè contraxit, teneri ad reualidandum Matrimonium,

nium, niſi fictè contrahens, ſui ficti conſenſus, indicia probabilia præſtiterit, quia tunc uxor non eſt decepta, ſed potius cenſendum eſt, ſe velle decipi, ut inquiunt Palaus, *num.* 3 Sanch. *lib.* 4. *diſput.* 1 1. *num.* 8. Baſil. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 3. *&* 8. Vel etiam caſu, quo mulier ſe virginem finxit, quæ talis non erat, vel eſſet notabilis diſparitas inter utrumque, vel qui fictè contraxerat, iam cum alia ex animo Matrimonium inierat, vel ſi malus exitus ex tali Matrimonio timeatur, ut inquiunt Trull. *lib* 7. *cap.* 5. *dub.* 4. *n.* 20. Ledeſ. *art.* 4. *dub.* 1 5. *in hac difficultate.*

*Probatur ratione concluſio.*

1 1 5. Præciſis ergò his caſibus dicimus teneri ex iuſtitia ex animo contrahere eum, qui fictè Matrimonium celebrauit. Tum, quia iuſtitia præcipit unicuique ius ſuum obſeruari, ſed coniugi verè conſentienti, & verè ſe tradenti debetur alterius traditio, & conſenſus, & hoc non ſolum in ipſa celebratione contractus; ſed etiam pro toto tempore vitæ, quia pro toto illo appoſitus fuit conſenſus ex parte unius, ſub conditione appoſitionis ex parte alterius. Tum etiam, quia omnes fatentur, teneri fictum promiſſorem ratione damni illati ad verè contrahendum, ſed inſeparabile eſt à tali ficto contractu damnum, v. g. fœminæ illatum irreparabile, niſi per ipſam contractionem Matrimonij: Ergò, &c. Probatur minor, quia illa præter iacturam famæ, opinionis, & fortè virginitatis ex tali Matrimonio paſſam, tenetur vel Religionem ingredi, vel innupta permanere, cum ſemper Eccleſia iudicet verum fuiſſe conſenſum, niſi oppoſitum probetur. Ex quo patet differentia de illo, qui fictè profitetur, cum enim ex eo Religio nullum detrimentum patiatur, ut ſupponimus, non tenetur ad verè profitendum. Dictum in hac concluſione tenent. Ledeſ. Palaus, *punct.* 7. *num.* 1. Baſil. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. Trull. *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 20. Sot. *in* 4 *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. Auerſ. *q.* 3. *ſect.* 1.

*Secunda difficultas proponitur.*

1 16. Secunda difficultas eſt. An ſi unus vi, metu, aut fictione contraxit, & poſteà velit reualidare Matrimonium, debeat alterum certiorem facere de nullitate illius, ut uterque de nouo ex animo conſentiat? An verò ſufficiat, quod is, qui metu, fictione, aut vi conſenſum non appoſuit, illum modò de facto ponat ſine eo, quod alteram partem moneat, neque conſenſum illius aliquo modo ſollicitet?

1 17. Circà quod etiam eſt duplex ſententia. Prima aſſerit requiri ex parte utriuſque coniugis conſenſum de nouo appoſitum, & non ſolum ex parte illius, qui fictè, vel ex metu Matrimonium contraxit, ac proindè debere eum, qui finxit, partem innocentem de nullitate Matrimonij monere, ut ſuum aſſenſum de nouo præbeat, ſaltem eo modo, quo dicemus difficultate ſequenti. Ita Leſ. *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 16. Comitollus, *lib.* 1. *reſponſ. moral. q.* 1 20. Hurtad. *diſp.* 3. *diff.* 9. *num.* 3 1. Palacius, *in* 4. *diſt.* 27. *diſp.* 1. quos refert, & ſequitur Baſil. *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 3 Pal. *ſ.* 1. *n* 7. Quod probant. Primò, quia Matrimonium prius contractum nullum fuit: Ergò modò de facto celebratur: Ergò adeſſe debent omnia, quæ ad talem contractum requiruntur: Ergò conſenſus utriuſque contrahentis. ¶ Secundò, quia vel conſenſus eius, qui ex animo contraxit, modò moraliter non permanet, vel ſi permanet inſufficiens eſt ad conſtituendum Matrimonium, quia in principio fuit nullus, eo quod fuit acceptatio corporis verè non traditi, & traditio ſui verè non acceptata, ſed quod ab initio fuit nullum, tractu temporis non conualeſcit: Ergò iſte conſenſus ſemper eſt nullus, etiamſi moraliter permaneat.

*Sufficit, ſi fictè conſentiens verum de nouo conſenſum apponat.*

1 18. Secunda, & verior ſententia docet, quod ſi aliquis fictè conſenſit vel ex errore, vel ex malitia, vel ex metu, ſufficit, ſi ipſe nouum conſenſum apponat, etiam altero non conſentiente de nouo, ſed in priore voluntate perſeuerante, quam numquam retractauit, & ſic non requiritur coniugem certiorem facere de nullitate Matrimonij. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 47. *art.* 4. *ad* 2. ibi: *Ad ſecundum dicendum, quòd ex conſenſu libero illius, qui primò coactus eſt, non fit Matrimonium, niſi in quantum conſenſus præcedens in altero adhuc manet in ſuo vigore. Vndè ſi diſſentiret, non fieret Matrimonium.* Ergò perſeuerante in altero coniuge conſenſu priore, & ſufficit, ſi ex parte eius, qui ex animo non contraxit, verus conſenſus apponatur. Sanct. Doctorem ſequuntur Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 31. *num.* 9. Sot. *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 3. Bonac. *num.* 1. Coninch, *num.* 55. *&* 90. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 6. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 80. *& cap.* 46. *num.* 14. Trull. *num.* 2. Ex quibus aliqui dicunt non requiri, quòd exterius conſenſum exprimat, qui priùs fictè conſenſit, ſed ſufficit, ſi interiùs ex animo conſenſum apponat, ut Trull. Sanch. Bonac. Alij verò, quod ſuum conſenſum per ſigna, vel per verba explicet. Sed omnes in eo conueniunt, quod requiritur, ut moraliter perſeueret conſenſus eius, qui ex animo contraxit. Si enim illum retractauerit, vel ſi eo animo eſſet, ut ſi nullitatem Matrimonij ſciret, id non contraheret, vel ex odio, vel ex inimicitia, de prius contractu pœnituerit, tunc ex parte utriuſque debet de nouo conſenſus apponi, imo & exterius exprimi, quia iam non cenſetur conſenſus prior in ſuo vigore permanere, ad quod aliqui petunt, quod longum tempus non tranſierit a contractione Matrimonij, ut biennium, aut triennium. Alij verò, & melius dicunt ſufficere, quòd numquam priorem conſenſum retractauerit.

*Ratio concluſionis proponitur.*

1 19. Ratio verò concluſionis eſt, quia appoſito verò conſenſu ex parte eius, qui fictè contraxit, omnia adſunt, quæ ad validum Matrimonium requiruntur, nam ex parte alterius coniugis omnia requiſita inueniuntur, necnon, & ſufficiens conſenſus; ad valorem namque Matrimonij non requiritur actualis exiſtentia conſenſus utriuſque coniugis ſed moralis, at in præſenti conſenſus eius, qui ex animo contraxit, moraliter perſeuerat, ſiquidem fuit perpetuus, & per totam vitam, quamdiù ergò non retractatur, ſemper cenſetur manere in ſuo vigore, ut cum conſenſu alterius partis moraliter coniunctus, ex utroque verum conficiatur Matrimonium: Ergò non requiritur, quod de nouo conſenſum ponat, qui ex animo contraxit, ſed qui fictè ſolum, aut ex metu, & errore Matrimonium iniuit. ¶ Et confirmatur hoc, quia quandò profeſſio fuit nulla aliquo ex defectibus enumeratis, non requiritur, ut reualidetur, quod iterum acceptetur à Prælato, ſed quod fictè, aut ex metu profitens, verum conſenſum apponat, quia conſenſus Religionis medio Prælato præſtitus cenſetur moraliter

liter perſeuerare, ut ex utroque contractus profeſſionis perfectus exiſtat: Ergò ſimiliter philoſophandum eſt cum propoſitione in præſenti.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

120. Ex quo patet ad argumenta contraria. Ad primum dicimus ſufficere conſenſum utriuſque partis ad Matrimonium (quandò validè ſit) exiſtens, vel moraliter, vel phyſicè, & in præſenti cum phyſicâ exiſtentiâ unius coniungitur alterius exiſtentia moralis. ¶ Ad ſecundum dicimus, quòd acceptatio, & traditio ex parte innocentis ſemper fuit valida, quatenùs eſt ex parte ſua, & ſolum fuit nulla ex defectu alterius, quo proindè verum conſenſum apponente, iam undequaque valida redditur, non quia conualeſcat id, quod à principio erat nullum, ſed quia permanet moraliter ſecundum quod ſe tenet ex parte innocentis, & ſicut valida eſſet, ſi ab initio ex parte alterius verus conſenſus apponeretur, ita nunc moraliter perſeuerans, fit valida addito conſenſu vero ex parte alterius.

*An requiratur utrumque conſcium fieri nullitatis.*

121. Tertia difficultas eſt. An quandò Matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum dirimens vel ex parte alicuius coniugis, vel ex parte utriuſque, ſit neceſſarium, ut reualidetur, quòd ablato impedimento, uterque conſcius fiat de nullitate Matrimonij? ¶ Prima ſententia aſſerit eſſe neceſſarium utrumque coniugem certiorem fieri de nullitate Matrimonij, ut poſſint de nouo conſenſum ſuum præbere, quem neceſſarium eſſe in omnium ſententia diximus *n.* 112. Ita Palaus, *punct.* 7. §. 2. *n.* 3. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 36. *num.* 3. Baſil. *lib.* 4. *cap.* 25. *à num.* 2. Coninch, *à num.* 90. Quamuis Sanch. & Coninch. id limitent, niſi impedimentum fuerit ſolum ex parte unius, ut ſi uxor cum fratre viri rem habuiſſet, vel vir cum ſorore coniugis, quòd tunc non eſt neceſſarium conſciam fieri alteram partem, ſed ſufficere conſenſum illius extrahere modo, quo ſtatim dicemus. Quamuis hanc limitationem Baſil. non admittat, qui pro ſua ſententia adducit declarationem Clementis VIII. & etiam clauſulam *Bullæ Cruciatæ*, in qua commiſſario tribuitur facultas, ut diſpenſet cum iis, qui contraxerunt in gradu prohibito: *Altero impedimenti ignorante, priùs de nullitate conſenſus prioris certificato.* Et ratione id ipſum probatur, quia non reualidatur contractus nullus, niſi eum de nouo efficiendo. Ad hoc autem requiritur, quod nullitas utrique parti innoteſcat, aliàs qui neſcit nullitatem, non poteſt de nouo ſe tradere alteri, vel traditionem illius acceptare, quia hoc debet fieri ex animo contrahendi Matrimonium, quem non habet, qui neſcit eſſe poſſibile ſibi illud de nouo celebrare.

*Non requiritur utrumque ſcire impedimentum, niſi quandò ai, que damno fieri poteſt.*

122. Secunda, & verior ſententia dicit non eſſe neceſſarium facere certiorem eum, qui impedimentum ignorat, ſed ſufficere, ablato impedimento, ut ille, qui conſcius eſt, ab altero conſenſum accipiat, etiam ignorante nullitatem, modo, quo ſtatim dicemus. Ita Caietan. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 12. *q.* 2. Ledeſm. *art.* 3. *dub. ult.* Sot. *in* 4. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 3 *concluſ.* 3 Rodrig. 1. *tom. cap.* 220. *num.* 2. *in* 2. *editione*, Enriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 6. Dicaſt. *dub.* 10. *à num.* 88. Trullench, *num.* 9. & 10. Bonacin. *num.* 7. Quamuis hi tres ultimi Authores id verum eſſe dicant, quandò abſque periculo infamiæ, percuſſionis, ſcandali, aut diſſolutionis Matrimonij non poteſt alteram partem de nullitate illius certificare, quod attentâ conditione viri, & fœminæ colligendum eſt. Secluſo tamen hoc periculo (quod maximè currere ſolet, quandò ex parte unius impedimentum tantùm adfuit, maximè ex parte fœminæ) teneri certiorem facere alteram partem, ut ſic ex parte utriuſque conſenſus verus apponatur, quod libenter nos admittimus, non tanquam neceſſarium ſimpliciter, ſed tanquam melius, & ſecuriùs ad tollendos ſcrupulos nullitatis.

*Ratio concluſionis.*

123. Ratio noſtræ concluſionis eſt; quia ſublato impedimento, uterque coniux eſt habilis perſona ad contrahendum: Ergò ſi de facto conſentiat, & conſenſum ſuum aliquo ſigno exteriori ſignificet, ſufficiens erit ad Matrimonium reualidandum.

*Quibus verbis poſſit conſenſus alterius haberi.*

124. Sed inquires: Quibus verbis, aut quomodo fœmina, v.g. impedimenti conſcia (illo per diſpenſationem, aut quouis modo legitimè ablato) poterit conſenſum extrahere à viro ignorante nullitatem Matrimonij? ¶ Reſpondetur ſufficere ſi quandò eum benè diſpoſitum, & affectum vidit, his verbis conſenſum procuret: *Diligis me ita ut, ſi inter nos non fuiſſet Matrimonium; contraheres, vel ex nunc vis me in coniugem, ac ſi non fuiſſet hactenùs validum Matrimonium* ità Dicaſtill. *n.* 89. Sà, *verb. Matrimonium, num.* 3. Coninch, *num.* 89. Sanchez, *lib.* 2. *diſp.* 36. *num.* 6. vel ſi dicat *pro mea conſolatione, & maiori affectu vellem tecum de nouo contrahere, vel de nouo Matrimonium renouare.* Caietan. *q.* 2. Ledeſm. *q.* 45. *art.* 3. *dub. ult.* Vel ſi dicat: *Se ſcrupulis angi an validè Matrimonium fuerit contractum, & velle pro ſua conſolatione illud de nouo renouare*, Trull. *n.* 10.

*Quid faciendum, quandò non poteſt haberi conſenſus alterius partis?*

125. Sed quid faciendum eſſet, ſi ipſa nec dicat impedimentum, nec modo dicto poſſet conſenſum à marito ſine periculo alicuius damni ex dictis extrahere, vel poſt verba modò relata ipſe tacuerit? ¶ Reſpondetur ſufficere ſi copula maritali rem habeat cum illo. Ita Sot. *q.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 3. Caiet. *loc. cit.* Sanch. *num.* 9. Gutierr. *cap.* 42. *num.* 4. Rodrig. *num.* 2. Coninch, *num.* 86. Bonac. *quæſt.* 2. *punct.* 9. *n.* 7. qui dicit ex authoritate Doctorum hanc opinionem ſequentium eſſe probabilem, non tamen ex ratione ab ipſis adducta. Nos tamen ex utraque parte probabilem iudicamus, quæ valdè fauorabilis eſt ad plures ſcrupulos auferendos. Ratio igitur eſt, quia uterque videtur conſentire, ſi affectu maritali ſe cognoſcat: copula namque inter coniuges affectu maritali habita ſufficiens eſt ad exprimendum conſenſum Matrimonij, & ideò ante Tridentinum per illam ſponſalia de futuro, tranſibant in Matrimonium de præſenti. Nec valet, quòd ex errore maritus conſentit, quia cum non ſit error perſonæ, ſed conditionis, non vitiat valorem Matrimonij.

*Argumenta contraria ſententiæ ſoluuntur.*

126. Ex quo patet ad argumenta ſententiæ contrariæ, quòd in caſu dicto conſenſus coniugis ignari nullitatis ſufficiens eſt ad reualidandum Matrimonium, quia licèt præcedat ex errore nullitatis, non eſt error circa perſonam, ſed circa conditiones illius, ac proindè non vitiatur, ſed ſufficiens remanet ad validitatem Matrimonij. ¶ Ad ſecundum verò, quod adducitur ex declaratione Clementis VIII. & conceſſione Commiſſarij Cruciatæ, dicimus procedere, quan-

dò

dò commodè, & abſque periculo poteſt coniugem de nullitate monere. Non enim credibile eſt Summum Pontificem velle cum incommodis dictis *num.*122. obligare ad manifeſtationem impedimenti, ut benè ait Sanchez, *lib.*8. *diſp.* 34. *num.*61. Bonacin. *num.*7. *ex* Reginald. *lib.*31. *num.*220.

*An debeat reualidari Matrimonium coram Parocho, & teſtibus?*

127. Quarta difficultas eſt: An in caſu dicto de nullitate Matrimonij, vel ob impedimentum dirimens, vel ob defectum conſenſus unius, vel utriuſque requiratur ad reualidandum illud aſſiſtentia Parochi, & teſtium? ¶ Affirmat Baſil. *lib.*5. *cap.*6. referens Veracruz *in Appendice ad ſpeculum*, *dub.*10. *concl.*6. Comitol. *lib.*1. *reſponſ. moral. q.*120. qui adducit deciſionem de hac re Clementis VIII. quam etiam adducit Baſil. *loc. citat.* & quandò ex parte utriuſque contrahentis fuit impedimentum id ipſum docet Palacius *in* 4. *diſt.*27. *q.*1. *fol. mihi* 566. Matienc. *in l.*1. *tit.*1. *gloſſ.*1. *num.*3. *lib.*5. *nouæ Recopil.* Barth. de Ledeſm. *dub.*17. *fol.* 1275. quod probant primò, quia in diplomate Cruciatæ conceditur Commiſſario facultas diſpenſandi in Matrimonio nullo ob occultum impedimentum, ne poſteà coram Parocho, & teſtibus celebretur: ergò abſque diſpenſatione non poterit ſine illis celebrari. ¶ Secundò, quia in *Trident. ſeſſ.*24. *cap.*1. *de ref.* requiritur aſſiſtentia illorum, quandò Matrimonium contrahitur, ſed Matrimonium nunc de facto contrahitur, quandò impedimentum aufertur: ergò nunc debet poni aſſiſtentia Parochi, & teſtium, quia forma, & ſolemnitas interuenire debent, cum actus producitur in ſuo eſſe.

*Non requiritur Parochi, & teſtium aſſiſtentia.*

128. Verius tamen dicendum eſt non requiri talem aſſiſtentiam, quandò impedimentum eſt occultum, etiamſi ex parte utriuſque ſit impedimentum, ſed ablatò eo, poterunt coniuges clam mutuo conſenſo Matrimonium reualidare. Ita Caiet. Sot. Enriq. citati. Petrus de Ledeſm. 3. *p. quæſt.*45. *art.* 5. *concl.*2. *ante ult. dub.* Palaus, §. 3. *num.*2. Bonacin. *num.*4. Sanch. *lib.* 2. *diſp.*32. *num.*13. *& diſ.*37. *num.*3. Coninch, *num.*83. N. Franciſc. *diſp.*5. *num.*19. Herinx. *diſp.* 5. *n.*30. & aliqui ex his adducunt declarationem Pij V. & dicunt Prætorium Sacræ Pœnitentiariæ ea declaratione uti.

*Ratio concluſionis probatur.*

129. Probatur ratione, quia illud Matrimonium clandeſtinum à Tridentino annullatur, quod olim clandeſtinum reputabatur, & erat illicitum, atque ex eo inconuenientia ſequebantur, quibus obuiare intendit Concilium per ſuum decretum, ſed huiuſmodi non eſt Matrimonium, de quo loquimur: ergò hoc non fuit comprehenſum in decreto Concilij: & ideò tamquam caſus omiſſus in illa lege per regulas iuris communis debet dimetiri. Probatur minor, & quidem, quòd Matrimonium dictum olim illicitum non eſſet, id eſt apud omnes receptum. Quod non eſſet clandeſtinum conſtat, quia illud clandeſtinum reputat Eccleſia, quod in foro exteriori non poteſt probari, ſed Matrimonium anteà coram Parocho, & teſtibus celebratum etſi nullum ob impedimentum occultum, ab Eccleſia iudicatur validum, ipſa enim non iudicat de occultis, neque Parochum, & teſtes adducit ad probandum valorem Matrimonij, ſed celebrationem illius externam: & ideò clandeſtinum non dicitur; quod ab Eccleſia ſemper iudicaretur validum, nec ſimiliter ſequuntur inconuenientia, quæ intendit Concilium euitare, quia qui ſic celebrauit coram facie Eccleſiæ, non poteſt cum alia nubere.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

130. Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad primum, quòd aduerſus declarationem Clementis VIII. ſtat declaratio Pij V. pro noſtra ſententia. Præterquam quòd talis declaratio authentica non eſt, deinde quòd Pontifex ſecutus opinionem probabilem, & ſecuriorem declarauit ad maiorem ſecuritatem coram Parocho, & teſtibus debere reualidari Matrimonium, non tamquam aliquid neceſſarium, & eodem modo dicendum eſt ad conceſſionem factam Commiſſario Cruciatæ, quia multoties facultas conceditur ad diſpenſandum, quandò non eſt certum, talem diſpenſationem non requiri ob maiorem ſecuritatem. § Ad ſecundum reſpondetur, Concilium ſolùm velle aſſiſtentiam Parochi, & teſtium ad Matrimonium validum ſecundùm externam apparentiam, & iudicium Eccleſiæ, ut modò probauimus.

## CAPVT IV.

### *De indiſſolubilitate Matrimonij.*

*Caput hoc continet tria dubia, & quatuor puncta.*

Punct. I. *Quid ſit Matrimonium ratum? & quid conſummatum? num.*1.

Dub. I. *Vtrùm Matrimonium indiſſolubile ſit, & perpetuum ex ipſa natura rei, ſeu ex intrinſeca ratione illius? num.*11.

Dub. II. *Vtrùm repudium legitimæ uxoris licitum fuerit in lege Moyſis? An verò ſolùm permiſſum, quamuis eſſet peccatum? num.*24.

Punct. II. *Quomodò diſſoluatur Matrimonium infidelium per conuerſionem unius ad fidem? num.* 33.

Dub. III. *Vtrùm Matrimonium ratum, ſed non conſummatum poſſit diſpenſatione Summi Pontificis diſſolui? num.*53.

Punct. III. *Quomodò diſſolui poſſit Matrimonium ratum, non conſummatum per profeſſionem religioſam? num.*71.

Punct. IV. *De bimeſtri conceſſo coniugibus ad deliberandum de ingreſſu Religionis, num.*88.

## PVNCTVM I.

### *Quid ſit Matrimonium ratum? & quid conſummatum?*

*Quid ſit Matrimonium legitimum, & ratum?*

1. QVia paſſim in hoc capite de Matrimonio rato, & conſummato loquemur, & multoties quod uni dederimus, alteri denegabimus, libuit propterea de utroque diſſerere. Matrimonium in *legitimum*, *ratum*, *& conſummatum* diuiditur. *Legitimum* eſt, quod iuxta leges fuit contractum, ut inter infideles inuenitur, in quibus præcisè eſt contractus ciuilis legitimè celebratus, non tamen eſt Matrimonium ratum, & ideò diſſolui poteſt per ſuſceptionem Baptiſmi modo hoc capite dicendo. *Ratum* dicitur quod per Sacramentum Ba-

ptiſmi firmatur, uti inter Chriſtianos inuenitur, in quibus eſt Sacramentum, & per Baptiſmum fit ratum, & indiſſolubile, ut inquit Innocent. *in c. quantò, de diuort.* quamuis in duobus caſibus, nimirum per profeſſionem in Religione approbata, & per diſpenſationem Summi Pontificis, ut infra dicemus, poſſit diſſolui. Hic notandum eſt cum Baſil. *lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 2. non fieri ratum Matrimonium præcisè per fidei ſuſceptionem, ſed per ſuſceptionem Baptiſmi. Et ideò ſi uterque coniux fidem ſuſcipiat, & fiat cathecumenus, & alter antè Baptiſmum ab eo recedat, poterit alter, qui Baptiſmum recepit, cui voluerit nubere, quia Matrimonium fuit diſſolutum, ſicut è contra non deſinit eſſe ratum per hoc, quòd fides deſeratur. Ideoque Matrimonium eius, qui poſt Baptiſmum in hæreſim, vel Iudaiſmum labitur, ratum nihilominùs perſiſtit: & ſic alter in fide permanens non eſt liber ab eius vinculo.

*Quid ſit Matrimonium conſummatum?*

2. Matrimonium *conſummatum* dicitur, quod per copulam maritalem completur, quia tunc fiunt coniuges una caro, & ſic perfectè unionem Verbi cum humanitate, & Chriſti cum Eccleſia omninò inſeparabilem ſignificat. Diximus *per copulam maritalem*, nam per copulam habitam antè Matrimonium, quæ fornicaria fuit, non conſummatur Matrimonium ſubſequens, quamuis beneficio prolis, quæ non peccauit, conceditur *in cap. tanta, qui filij ſint legitimi*, ut filij procreati per copulam antecedentem Matrimonium, ipſo ſecuto legitimentur, Sanchez, *lib.* 2. *diſp.* 21. *n.* 13. Enriquez, *lib.* 11. *cap.* 8 *n.* 8. Palao, *diſp.* 3. *punct.* x. *num.* 1. Trull. *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 4.

*An ſufficiat penetratio abſque ſeminatione ad conſummandum Matrimonium?*

3. Sed inquires: An ſufficiat poſt Matrimonium penetratio vaſis fœminei per virile inſtrumentum ad hoc, ut Matrimonium ſit conſummatum, etiam ſi vir non ſeminauerit intra illud? ¶ Reſpondetur negatiuè in foro conſcientiæ, & ideò poterit uterque coniux ingredi Religionem, & per hoc Matrimonium diſſoluetur. Tametſi, ut inquit Sanch. *diſp.* 21. *num.* 8. in foro exteriori non credatur viro dicenti ſe non ſeminaſſe, quia id factum præſumitur ex eo, quòd frequenter contingit. Ratio aſſertionis eſt, quia Matrimonium conſummatur per copulam, quâ coniuges fiunt una caro, *cap.* 2. *de conuerſ. coniug.* quia tunc ſignificatur perfectè coniunctio Verbi cum humanitate, & Chriſti cum Eccleſia, ſed non fit una caro per ſolam penetrationem dictam, niſi detur effuſio ſeminis intra vas aptum ad generationem, ut habetur in *cap. lex* 27. *q.* 2. quia debet eſſe copula apta ad generationem illa, per quam coniuges fiunt una caro (inchoatiuè videlicèt, quia in una carne prolis adunantur) qualis non eſt illa, in qua vir ſemen non emittit intra vas fœmineum: & ideò ex copula habita abſque ſeminatione virili non reſultat affinitas, ut docent omnes, quia cum non fuerint una caro facti, conſanguinei unius non ſunt conſanguinei alterius: Ergò per illam Matrimonium non conſummatur. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 4. *ad* 2. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 11. *antè* §. 1. Sot. *in* 4. *diſt.* 27 *q.* 1. *art.* 4. *verſ. Cauſa dirimendi*, Sanch. *diſp.* 21. *num.* 8. Palaus, Trull. *n.* 1. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 5. *q.* 28. Enriq. *lib.* 11. *c.* 8. *n.* 8. & eſt communis, quamuis propter damnum factum fœminæ poſſit impediri, ne Religionem ingrediatur, ipſo tamen ingrediente, & in ea profitente, Matrimonium manet nullū.

*Sufficit ſemen viri recipi intra fœminam abſque penetratione ad intentum.*

4. Si verò è contra contingat ſemen à viro emiſſum intra vas naturale mulieris recipi, abſque eius penetratione, etiamſi hoc fiat arte Dæmonis, Matrimonium eſt conſummatum, quia ſufficiens eſt generationi, & per hoc fiunt coniuges una caro. Ita Sanch. *n.* 2. Palaus, Sot. Trullench, *num.* 7. *loc. cit.* & eſt communis. Licèt oppoſitum non improbabiliter teneant Baſil. *lib.* 9. *cap.* 20. *num.* 9. & *lib.* 7. *cap.* 33. *num.* x. Dian. 3. *p. tract.* 5. *reſol* 19. Leand. *quæſt* 30. quia inquiunt requiri coniunctionem corporum utriuſque coniugis, nedum ſeminis. Verius tamen eſt, quod diximus.

*Non requiritur ſeminatio fœminæ ad Matrimonium conſummandum.*

5. At verò ſi facta penetratione vaſis fœminei, vir ſeminauerit, etiamſi fœmina non, dicunt conſummari Matrimonium Palaus, *loc. cit.* Sanch. *num.* 11. Trull. *num.* 4. Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 12. *num.* 12. Leand. *q.* 29. Villalob. 2. *p. tract.* 13. *diff.* 13 *num.* 1. Enriq. *cap.* 15. *n.* 3. Baſil. *lib.* 9. *cap.* 20. *n.* 1. & oppoſitum dicit improbabile, ſed immeritò, cum illud probabile dicant Sanchez, Trullench, Palao, Diana, 3. *part. tractat.* 5. *reſol.* 19. Imò 4. *part. tractat.* 2. *reſol* 43 illud teneat & Silueſt. *verb. Matrimonium*, 8. *quæſt.* 15. Hurtad. *diſp.* 8. *diff.* 9. & *diſp.* 20. *diff.* 1. Durand. *in* 4. *diſt.* 41. *quæſt.* 1. *art.* 1 *n.* 7. & quod omnibus maius eſt D. Thom. *ead. diſt. quæſt.* 1. *art.* 1. *q.* 4. *ad* 2. his verbis: *Vir, & mulier efficiuntur una caro per commixtionem ſeminum. Vndè quantò quiſque alter clauſtra pudoris frangat, niſi mixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur affinitas.* Idem, & eiſdem verbis docet D. Bonauent. *in* 4. *diſt.* 41. *quæſt.* 1. Ex quo ſic conficitur argumentum. Per illam copulam, & non aliam conſummatur Matrimonium, per quam coniuges fiunt una caro, & reſultat affinitas cum conſanguineis, ſed etiam ſi vir clauſtrum pudoris penetret, niſi utriuſque ſeminis commixtio ſequatur, nec ſequitur affinitas, nec coniuges fiunt una caro: Ergò niſi fœminæ ſeminatio cum ſeminatione viri intra vas fœmineum coniungatur, non conſummatur Matrimonium.

*Probabile eſt requiri.*

*Obiectio D. Thom. & eius ſolutio.*

6. Sed objicies, quòd idem D. Thom. 3. *part. quæſt.* 31. *art.* 5. *ad* 3. & cum eo ferè omnes eius Diſcipuli docent, fœminæ ſemen ad generationem prolis non eſſe neceſſarium: Ergò ſeminante viro, etiamſi ipſa non ſeminet, conſummatur Matrimonium, quia hoc per copulam ſufficientem ad prolis generationem conſummatur. ¶ Reſpondetur, quòd licèt ad conſummationem Matrimonij copula apta ad procreationem requiratur, non tamen ſufficit, niſi ſanguis, ſeu ſemen unius cum alterius ſanguine, ſeu ſemine commiſceatur: undè enim affinitas reſultat, inde verificatur fieri utrumque unam carnem, quod ad conſummationem Matrimonij requiritur. ¶ Addimus, quòd licèt probabilior ſit D. Thomæ ſententia aſſerens ſemen mulieris non eſſe neceſſarium ad procreationem prolis; negari tamen non poteſt eſſe probabile oppoſitum, quod tenet Caietan. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 1 x. Sanchez, *loc. cit.* ex Suarez, 3. *p. quæſt.* 32. *art.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 1. & Abulenſ. *Parad.* 1 *cap.* 42. & *alij plures.* Vndè ex hac parte non eſt deneganda probabilitas huic ſententiæ.

7. Sed

*Si poſt bimeſtre vi, aut metu fœmina cognoſcatur, conſummatur Matrimonium.*

7. Sed inquires: An ſi fœmina vi, aut metu cognita eſſet à viro, Matrimonium eſſet conſummatum, ità ut neuter poſſet Religionem ingredi, altero renuente? ¶ Ad hoc dicimus primò, quòd ſi bimeſtre conceſſum coniugibus à Concilio tranſactum fuerit, tunc proculdubio manet per talem copulam Matrimonium conſummatum, ut non poſſet quit Religionem ingredi, abſque alterius conſenſu, nec per talem ingreſſum Matrimonium diſſolueretur, nec ſuper hoc poſſet Pontifex diſpenſare, quia iam habet vir ius ad conſummandum Matrimonium, & iniuſtè dicitur inuita, quæ debebat ſubjici viri beneplacito. Ita Sanchez, *diſput.* 22. *num.* 1. Palaus, *numer.* 3. Ledeſm. 3. *part. quæſt.* 61. *art.* 1. *fol.* 583. Leand. *quæſt.* 35. Trulleneb, *num.* 5. & eſt communis.

*Etiamſi ante bimeſtre per metum copula fiat Matrimonium conſummatur.*

8. Si tamen antè bimeſtre vir fœminam per violentiam cognoſceret, adhuc Matrimonium conſummaretur. Et ratio eſt, quia copula, ex qua reſultat affinitas, & per quam fiunt coniuges una caro, conſummat Matrimonium, ſed ex modò dicta copula affinitas reſultat, & unitas carnis, ut habetur *cap. debitum, de bigam. capit. diſcretionem, de eo, qui cognouit conſanguin.* Ergò per eam Matrimonium cunſummatur. Ita Trull. *loc. cit.* Palaus, *num.* 2. Leand. *quæſt.* 32. Sanchez, *num.* 4. Ledeſm. *ubi ſup.* Victor. *in ſum. de matrim. num.* 255. Enriq. *l.* 8. *num.* 10. Idem dicendum eſt, ſi per metum in virum conſtantem cadentem fœmina eſſet oppreſſa, peccaret tamen mortaliter vir, qui metu, aut vi copulam ab uxore antè bimeſtre extorqueret: eo quòd iniuſtè integritatem illius tolleret, & libertatem ad aſſumendum ſtatum perfectiorem. Ita Sot. Ledeſm. Sanch. & Trull. Imò id ipſum accideret, etiamſi ipſa diceret nolle ingredi Religionem, ſed velle uti ſua libertate pro illo bimeſtri, quia cum habeat ad hoc ius, & poſſet poſteà propoſitum mutare, illi fit iniuſtitia priuando eam tali libertate.

*Vir in tali caſu non poteſt Religionem ingredi.*

9. An verò poſſet in caſu dicto fœmina licitè Religionem ingredi, & in illa validè profiteri abſque diſſolutione vinculi Matrimonij? Vel etiam vir talem ſtatum aſſumere? ¶ Difficultas eſt inter Doctores non ex parte viri violenter fœminam cognoſcentis, ipſum enim non poſſe Religionem ingredi omnibus eſt notum, quia Matrimonium voluntariè conſummauit, nec ullam iniuriam accepit: & ſic idem eſt de illo iudicium ferendum, ac ſi mutuo conſenſu eſſet Matrimonium conſummatum. Similiter eſt certum, quòd ſi fœmina ex tali copula prolem generauit, poſſet impediri ab ingreſſu Religionis ob debitam educationem illius, & ob illius bonum, ſi tamen hoc aliundè poſſet ſupplere, idem dicendum eſt de illa, ac ſi per vim cognita eſſet, prole non ſecuta.

*Fœmina in caſu dicto poteſt, licet aliqui probabiliter oppoſitum teneant.*

10. Circà quod eſt duplex ſententia. Prima negans poſſe mulierem in tali caſu ingredi Religionem, inuito viro, quia poſt Matrimonium conſummatum non poſſunt coniuges ad Religionem tranſire, ſed per talem copulam, ut diximus, Matrimonium eſt conſummatum: Ergò, &c. Ita tenent Enriq. Sot. & alij plures citati à Sanch. ſtatim adducendo, necnon Baſil. *lib.* 9. *cap.* 20. *n.* 2. Leand. *quæſt.* 33. ¶ Secunda, & verior affirmat poſſe in tali caſu ad Religionem conuolare, quam tenet Sanch. *lib* 2. *diſp.* 22. *num.* 6. Ledeſm. *art.* 1. *fol.* 584. Rodrig. *tom.* 1 *ſumm.* 2. *edit. cap.* 239. *num.* 2. Palaus, *num.* 3. Trull. *num.* 6. Bonac. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *num.* 8. Villalob. *num.* 4. Et ratio eſt, quia nemo iniuſtè debet iurè ſuo ſpoliari, neminique fraus patrocinari debet, ſed antè illam copulam fœmina ius habebat ad ingrediendum Religionem. Ergò non amittit illud per iniuriam acceptam à marito, aliàs huic fraus patrocinaretur, cum poſſet uti illa violentia ad non ſeparandum ſe ab uxore. Vndè ſicut viro in hæreſim incidente, vel committente adulterium, poteſt mulier ſeparari ab eo quoad torum, & ſic ſeparata Religionem ingredi, manente Matrimonio quoad vinculum: ſimiliter propter hanc violentiam ipſi iniurioſam, quæ non minùs eſt contrà ius Matrimonij, poterit quoad torum ſeparari à marito, & Religionem ingredi. ¶ Oppoſitum autem argumentum ſolùm probat non poſſe ingredi, diſſoluto Matrimonio, quod nos concedimus, non tamen eo manente; ut ſupponimus, & eodem modo philoſophandum eſt in viro, ſi vi, aut metu inductus uxorem cognoſceret propter eandem, imò urgentiorem rationem, ſed quia in fœminis frequentius accidere ſolet, de illis locuti ſumus.

## DVBIVM I.

### *Vtrùm Matrimonium indiſſolubile ſit, & perpetuum ex ipſa natura rei, ſeu ex intrinſeca ratione illius?*

11. COnſtans, & certiſſimum eſt apud Catholicos, Matrimonium eſſe indiſſolubile, ſiue conſummatū ſit, ſiue non conſummatum, definitum *in cap. placuit.* 32. *quæſt.* 7. *in cap. fin. de condit. appoſit. in Conc. African. Can.* 70. *Mileuit. Can.* 17. *Agathenſ. Can.* 25. *& in Tridentin. ſeſſ.* 24. *Can.* 5. *& Can.* 7. & hoc ſemper eſt verum, ſeu loquendo de Matrimonio fidelium, ſiue infidelium. De omnibus enim, eo quòd fiat perpetua vincula, dicitur Geneſ. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo, in carne una.* Quod referens Chriſtus Dominus Matth. 19. inquit: *Quod ergò Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Ita explicauit *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *in princ. Matrimonij perpetuum, indiſſolubilemque nexum, primus humani generis parens, diuini ſpiritus inſtinctu pronunciauit, cum dixit, &c.* Et quamuis de Matrimonio conſummato aliqui hæc loca intelligant, ex eo quod dicit: *Erunt duo in carne una*, quod per conſummationem Matrimonij fieri ſupra vidimus. *Matrimonium etiam ſolummodò ratum eſt indiſſolubile.*

12. Cæterùm etiam de omni Matrimonio ante conſummationem debere intelligi, inde liquet, quia ante illa verba dixit *Adam. Propter hanc relinquet, &c.* & ita explicauit Tridentinum id eſſe ob indiſſolubilem nexum Matrimonij; indiſſolubilitati namque de præſenti adiecit de futuro *Erunt duo*: Prætereà Marc. 10. & Lucæ 16. *Qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Rom. 7. *Mulier viuente viro alligata eſt legi.* Et 1. ad Corinth. 7. *His autem, qui Matrimonio coniuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Do-* *Textibus Scripturæ probatur.*

*minus, uxorem à viro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, & vir uxorem non dimittat.* Quæ loca de omni Matrimonio valido intelliguntur, cum indefinitè loquantur, ſiue fuerit, ſiue non fuerit conſummatū. Ex quibus habemus, ex iure ad minùs poſitiuo, Dei, aut Chriſti Domini & ſic ex iure diuino omnes ſiue infideles, ſiue fideles obligante, debere eſſe Matrimonium perpetuum, & indiſſolubile, quæ omnia extrinſeca ſunt naturæ Matrimonij. Nunc quærimus: An ex iure naturali, ſeu ex ipſa natura Matrimonij talis perpetuitas illi competat?

*Argumenta, quæ probant ex natura non eſſe indiſſolubile.*

13. Et videtur quòd non. Primò, quòd D. Auguſt. *de bono coniug. c.7. 18. & 24.* Matrimonium dicit eſſe indiſſolubile, quia Sacramentum eſt, ſed eſſe Sacramentum non habet ex natura rei, ſed ex Chriſti inſtitutione: Ergò, &c. Qua ratione inter fideles ſit Matrimonium ratum, id eſt, indiſſolubile, quia inter illos eſt eleuatum ad rationem Sacramenti, ut diximus *num.1.* & ſic hanc indiſſolubilitatem inter infideles non habet: quapropter per conuerſionem unius ad fidem diſſoluitur, etiamſi conſummatum fuerit, ut *hoc cap* dicemus. ¶ Secundò: *Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, cap.1. de regul. iur.* undè omnes alij contractus, qui mutuo conſenſu perficiuntur, mutuo conſenſu diſſoluuntur: Ergò etiam Matrimonium diſſolueretur, niſi ius diuinum obſtaret, & conſequenter naturâ ſua non eſt indiſſolubile. Tertiò, id, quod poteſt aliquis in perpetuum, poteſt ad tempus, licet non econtra, ſed coniuges poſſunt ſibi corpora mutuò tradere in perpetuum: Ergò etiam ad tempus, & tunc poteſt Matrimonium diſſolui. ¶ Quartò, Matrimonium ratum diſſoluitur per profeſſionem religioſam, & per diſpenſationem Pontificiam; conſummatum diſſoluitur per conuerſionem unius ad fidem, & etiam per diſpenſationem diuinam: Ergò non eſt ex iure naturæ eius indiſſolubilitas.

*Varia authorum placita.*

14. Propter hæc, & alia argumenta mirum eſt, in quot placita Doctores abierunt (omiſſis hæreticis, qui Matrimonium eſſe indiſſolubile ullo modo, negabant, contra quos fusè & doctè Bellarm. & N. Dominic. *tom.5. ſect. 10. cap.23.*) Aliqui enim ex Iuriſtis cenſent ſolùm ex iure Pontificio eſſe indiſſolubile, *gloſſ. in cap. ex public. de conuerſ. coniugator.* & ſequitur Michael de Medina, *lib.5. cap.89.* ſed hoc eſt improbabile. Alij verò iure poſitiuo diuino tantùm eſſe indiſſolubile dicunt, Abulenſ. *1. Reg. cap.8. q.97. & q.103. & 112.* Hiſpalenſ. *diſput.27. quæſt.1. art.2.* Franciſ. *diſp.6. num.8.* Alij verò, quòd partim ex iure poſitiuo, partim ex iure naturali, ex ſe tamen præciſè indiſſolubilitatem non habere. Ita Sanch. *lib.2. diſp.13. num.7.* & plurimi, quos citat Coninch. *diſp.26. dub.2. n.11.* Perez, *diſp.20. ſect.20. n.4.* Trull. *lib.7. cap.4. dub.1 n.3.*

*Oppoſitum authoritatibus fulcitur.*

15. Sed contrà eſt, quod in *capit. fin. de condit. appoſit.* dicitur, quòd conditio de contrahendo ad tempus Matrimonium eſt ſubſtantiæ illius contraria, & ſic iſtud penitùs annullat, & loquitur de Matrimonio nondùm conſummato, quia loquitur de ipſa contractione ſub hac forma: *Duco te donec ditiorem inueniam*, & tunc non eſt Matrimonium conſummatum, ut conſtat: Ergò ex ipſa ſubſtantia, & naturâ Matrimonij talis perpetuitas exigitur. ¶ Præterea *Geneſ.2.* Deus inſtituit Matrimonium cum illius indiſſolubilitate, dicente Chriſto Domino Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*; ſed Matrimonium eſt tale ſecundum naturam ſuam, quale Deus in principio condidit, erit ergò ex natura ſua indiſſolubile. Maximè, quia in ſtatu innocentiæ non habuit homo aliud præceptum poſitiuum, ut omnes fatentur, niſi de non comedendo de ligno vetito, & ſic illa indiſſolubilitas non erit ex præcepto, ſed ex ipſa natura Matrimonij, & ideò *in c. unic. de voto, in 6.* dicitur à Deo eſſe inſtitutum, & accepiſſe indiſſolubilitatem Matrimonium in ſtatu innocentiæ. Et Chriſtus Dominus Math.19. & Marc.10. *Moyſes ob duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores, ab initio autem non fuit ſic.* Quæ omnia probant ex ipſa conditione Matrimonij, ac proindè ex natura ipſius eſſe indiſſolubile.

*Matrimonium ex natura ſua eſt indiſſolubile.*

16. Reſpondeo igitur dicendum, non ſolum iure poſitiuo diuino, ſed etiam iure naturali Matrimonium eſſe indiſſolubile. Ità D. Thom. *3. p. q.67. art.1. & 3 contr. gent. cap. 122. & in 4. diſt.33. q.2. art.1.* N. Cornej. *tract 6. diſp 6. dub. 1.* Baſil. *lib.1. cap.12. & 13.* Becan. *cap.47. q.1.* Dicaſt. *tract.10. diſp.2. dub.28.* Bonac. *q.2 punct. 11. in 2.* Bellarm. *lib. 1. de Matr. cap.12* Ledeſ. *3. p. q 67. art.1. concluſ.1.* Palaus, *diſp.3 p 2 n.6.* Auerſ. *q.2. ſect.4* Leand. *q.2.* N. Anton. *diſp 2. num.43.* Gonet. *diſ. 5. art.1.* Et probatur primò, quia indiſſolubilitas competit Matrimonio, ut amor ſit inter coniuges maior, ſollicitudoque circà res domeſticas, ſcientes perpetuò conuicturos, ut tollatur occaſio adulterandi, ne propter hoc ab illo reſiliant, ut pax foueatur inter conſanguineos, & affines. Quæ omnia cum ſint intrinſeca ipſi Matrimonio, & ex natura ſua petita, non poteſt non indiſſolubilitas eſſe illius naturæ propria.

*Duplex alia probatio concluſionis.*

17. Secundò, quia aliàs eſſet licita fornicatio, & vagus concubitus, ſi Matrimonium perpetuum non eſſet, nam poſſet quis ad tempus tradere alteri dominium ſui, & acceptare alterius traditionem, & poſtmodùm à contractu reſilire, poſſetque pro libito hanc dimittere, & illam ducere, & nunc cum unà, nunc cum aliâ, quæ omnia ſunt manifeſtè falſa. ¶ Tertiò à priori probatur concluſio ex ratione D. Thom. quia Matrimonium ordinatur ad bonum prolis per eius procreationem, & educationem, non ſolum ad tempus, ſed per totam vitam. Et ideò naturale eſt parentibus pro filijs Theſaurizare, & filios parentum hæredes inſtitui. Vndè ſicut bonum prolis commune eſt utrique coniugi, uterque debet per totam vitam illius educationi, & perfectioni incumbere, hoc tamen deficeret, ſi ad tempus ſolum conuiuerent, & eorum ſocietas perpetua non eſſet. Et ſi per accidens aliquando poſſet hoc bonum coniugis procurari, etiam diuortio ſecuto, ad id tamen non attendit lex naturalis, ſed ad ea, quæ per ſe, & ex natura ſua exiguntur.

*Obiectio contra rationem D. Thom.*

18. Sed objicies. Quod ſi ob bonum prolis non poteſt coniugium ſeparari, etiam ſolummodò ratum, eò quòd ad iſtud bonum ordinatur: Ergò non poteſt Pontifex diſpenſare, ut Matrimonium ratum diſſolueretur, ſicut diſpenſare non poteſt, ut quis concubinam habeat, quia hoc etiam eſt contrà bonum

num

num prolis; quod in copula carnali natura intendit.

*Solutio ex ſed in D. Thom.*

19. Reſpondet D. Thom. 3. *p. in addit. q.* 67. *art.* 2 *ad* 1. & 2. ſic: *Ad primum dicendum, quod in bono prolis ſecundum quod eſt de prima intentione naturæ intelligitur procreatio, & nutritio, & inſtructio, quouſque proles ad perfectam ætatem ducatur; ſed quod ei prouideatur in poſterum per hæreditatis, & aliorum bonorum dimiſsionem, videtur pertinere ad ſecundam legis naturæ intentionem. Habere autem concubinam eſt contrà bonum prolis quantum ad id, quod natura in eo, prima intentione intendit, ſcilicet quantum ad educationem, & inſtructionem, quæ requirit diurnam commanſionem parentum, quod non eſt in concubina, quæ ad tempus aſſumitur. Et ideò non eſt ſimile.* Quia ergò habere concubinam eſt contrà bonum prolis ſecundum primariam intentionem naturæ, nimirùm ſecundum debitam educationem, & inſtructionem, eſt indiſpenſabile per cauſas creatas. At verò dimiſſio uxoris eſt ſolum contrà bonum prolis ſecundum id, quod ſecundaria intentione natura intendit, nimirum, quòd in poſterum ei prouideatur de bonis, & hæreditate, ad quod requiritur uſque ad mortem indiuidua coniugum vitæ conſuetudo, ideò cadere poteſt ſub diſpenſatione. Quomodò verò ſtare poſſit, quòd uxoris dimiſſio ſit iure diuino vetita; & tamen vel diſpenſatione Pontificis; vel per profeſſionem Religioſam, vel per ſuſceptionem Baptiſmi in uno coniuge poſſit diſſolui, dubijs ſequentibus dicetur.

*Quomodò compatiatur, eſſe indiſſolubile, & diſpenſatione, diſſolui poſſe?*

20. Sed ut argumentis contrarijs ſatisfaciamus duo prænotare libuit ex D. Thom. *loc. cit. art.* 1. & 2. Primum. Non obſtare, quod dimiſſio uxoris ſit contrà ius naturale, vel quod ex natura rerum exigatur Matrimonij perpetuitas, quod hoc diſpenſari poſſit, vel à Deo, ut in antiquà lege accidit, permittente Deo libellum repudij, etiam poſt conſummationem Matrimonij, vel à Summo Pontifice in lege noua ante conſummationem illius, ſicut non tollit animam rationalem, & Angelum eſſe perpetuum ex natura ſua, quòd à Deo poſſint annihilari, non tollit votum caſtitatis eſſe perpetuum ex natura ſua, quod poſſit à Superiore diſpenſari. Imò etiamſi ſtatum conſtituat, ut in voto in Religioſa profeſſione emiſſo, quod diſpenſari poſſe à Summo Paſtore eſt valdè probabile. Ratio eſt, quam ponit Angelicus Præceptor, quod diſpenſatio in præceptis eſt, ſicut mutatio curſus naturalis rei, qui mutari poteſt per accidens, vel ab alia cauſa naturali ſuperueniente, quomodo non variatur curſus naturalis, qui eſt ſemper, ſed qui frequenter, vel à cauſa ſupernaturali, & ſic etiam mutatur curſus naturalis, qui eſt non ſolum frequenter, ſed ſemper, ut in ſtatione ſolis tempore Ioſuè, & reditu eius tempore Ezech. Quando ergò diſpenſatio eſt per cauſas inferiores, poteſt cadere in eis rebus, quæ ſunt ſolum de ſecundaria intentione naturæ, quomodo diximus eſſe perpetuitatem Matrimonij, ſed à Deo etiam diſpenſari poſſunt, quæ ſunt de primaria intentione naturæ.

*Duobus modis ſit Matrimonium indiſſolubile.*

21. Secundò ſupponendum ex eodem D. Thom. *art.* 1. *ad* 1. quòd Matrimonium poteſt bifariam fieri indiſſolubile. Primò auferendo ab eo omnem diſſolubilitatem tàm intrinſecam, quàm extrinſecam, nimirum licet ab intrinſeco indiſſolubile ſit, quia tamen ab extrinſeco ex diſpenſatione Dei olim erat diſſolubile per libellum repudij permiſſum Iudæis ob duritiam cordis eorum; per Chriſtum Dominum reductum fuit ad ſtatum, quem ab initio habuit, auferendo talem diſpenſationem, quando eleuauit Matrimonium ad rationem Sacramenti, & ſic ratum factum eſt, id eſt, indiſſolubile tam ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco. Ideò indiſſolubilitas etiam ab extrinſeco prouenit ei, ex eo, quod ſit Sacramentum, intrinſeca autem ex naturâ contractus. Familiare quippè eſt omnibus Sacramentis, quòd in eis aſſignauerit Chriſtus Dominus pro materia id, quod aptum erat ad ſignificandum, quod intendebat, ut ablutionem corporis ad ſignificandum ablutionem animæ, &c. Sic ad ſignificandam indiſſolubilem nexum, quem habet Chriſtus cum Eccleſia, quod ſit per Matrimonium, aſſignandus erat pro materia contractus ab intrinſeco indiſſolubilis, qui per eleuationem ad rationem Sacramenti, etiam ab extrinſeco indiſſolubilis permaneret.

*Datur latitudo magis, & minus in diſſolubilitate Matrimonij.*

22. Quamuis in hoc ſit latitudo, quod quando eſt dumtaxat legitimus, ut eſt inter infideles, quamuis non ſit diſſolubilis mutuo conſenſu, vel per libellum repudij, ſit tamen per alterius baptiſmum, quod in fauorem fidei conceſſum eſt à Deo, ut poſteà dicemus. Quando verò Matrimonium eſt ratum, tantummodò poſſit ab extrinſeco diſſolui in duobus tantum caſibus, ut eſt per diſpenſationem Pontificis, & profeſſionem Religioſam, quod etiam à Deo eſt conceſſum, ut poſteà probabimus. Quando verò fuerit legitimum, ratum, & conſummatum, nullo modo, niſi tantum à Deo poſſit diſſolui ex ſpeciali eius mandato, quod numquam ſcimus eſſe conceſſum, nec fortè concedendum, poſtquam eſt eleuatum ad rationem Sacramenti, ut ſic perfectiſſimum Sacramentum fidei ſit, indiſſolubilem unionem Dei cum humanitate, & Chriſtum cum Eccleſia ſignificans.

23. Ex his ad argumenta. Ad primum conſtat ex modò dictis. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, illud verum eſſe in alijs contractibus, qui ratione finis non petunt perpetuam vitæ conſuetudinem, ut eſt Matrimonium, quod ratione prolis, ad quam ordinatur, petit perpetuitatem. ¶ Ad tertium ſimiliter verum eſſe, quòd qui in perpetuum poteſt, ad tempus poſſit, niſi ipſa res perpetuitatem ratione finis efflagitet. ¶ Ad quartum conſtat ex dictis duobus numeris antecedentibus.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm repudium legitimæ uxoris licitum fuerit in lege Moyſis? An verò ſolum permiſſum, quamuis eſſet peccatum?*

*Lex repudij proponitur.*

24. IN veteri lege Moſaicâ permiſſum fuiſſe libellum repudij ex Scriptura conſtat, nam *Deuteron.* 24. his verbis modus repudiandi uxores, & cæremonias in tali repudio obſeruandas præcipiebatur: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam antè oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij:*



Digitized by Google

*& dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua, cumque egreſſa alteram maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta eſt, & abominabilis eſt facta coram Domino.* Ratio autem huius permiſſionis, inquit D. Thom. *q. 67. art. 3. in corp.* non erat propter maius bonum conſequendum, ſicut diſpenſatio de pluribus uxoribus habendis, ſed propter euitandum maius malum, nimirum uxoricidium, ad quod Iudæi erant proni propter corruptionem iraſcibilis, ſicut eis fuit permiſſum fœnerari extraneis, propter corruptionẽ concupiſcibilis, ne ſcilicet fratribus ſuis fœnerarentur.

*Cauſæ ad repudium inſufficientes.*

25. Cauſas autem, ob quas permiſſum erat tale repudium, non aſſignat ſacer textus, ſed ſolum dicit *propter aliquam fœditatem*. Ideò Ioſeph. *lib. 4. cap. 8.* ob quamcumque cauſam eſſe licitum arbitrabatur. Tertull. verò *lib. 4. contra Marcion.* dicit ſolum ob adulterium diuortium fuiſſe licitum, ſed hoc ſtare non poteſt, quia ob adulterium manifeſtum, potius lapidanda erat mulier, quam dimittenda, *Leuit. 20. &* Ioann. 8. & ſi ita eſſet non interrogarent Chriſtum Dominum Phariſæi, num eſſet licitum quacumque ex cauſa dimittere uxorem? cum non poſſent adeò ignoranter dubitare, vel imprudenter loqui; ſi ſolum ob adulterium eſſet diuortium permiſſum. Quare D. Thom. *q. 67. cit. art. 6. &* Lyran. *in Comment. ſup. 24. Deuter.* duas opiniones referunt, unam dicentem eſſe licitum diuortium ob fœditatem vel corporis, ut ob infirmitatem lepræ, vel epidemiæ; vel animæ, ut ob prauos mores, quibus proles poſſet malè educari, antecedentes Matrimonium: Aliam aſſerentem etiam propter has cauſas Matrimonio ſuperuenientes, & quæ bonum prolis impediebant, ut ſterilitas, aut occiſio filiorum, & his ſimiles.

*Renocata eſt talis licentia à Chriſto Domino.*

26. Sed talis licentia à Deo concesſa Iudæis, renocata eſt à Chriſto Domino vel in morte eius, in qua finita eſt lex Moyſis, vel in die Pentecoſtes, in qua promulgata eſt lex gratiæ, vel quod certius eſt Matt. 19. ubi dicitur mœchari, qui uxorem dimiſerit, & aliam duxerit, & etiam qui dimiſſam duxerit, quod pro lege Euangelica ſancitum eſſe docet D. Thom. *q. 67. art. 4. ad 4.* Et ex tunc eſſe prohibitum libellum repudij docet ius Canonicum in *cap. Gaudemus 8. de diuort.* & latè N. Dominic. *tom. 5. cap. 23.* Vnde quia locis citatis reduxit Chriſtus Dominus ad ſuum proprium ſtatum, & vigorem Matrimonium, non ſtatuendo nouam legem, ſed auferendo diſpenſationem, quæ circà indiſſolubilitatem Matrimonij fuerat à Deo conceſſa; relinquendo id in ſua indiſſolubilitate naturali. Iam illicitus eſt libellus repudij etiam infidelibus, qui proinde peccant, ſi uxores quacumque cauſa repudient. Et ideò quandò ad fidem conuertuntur, cum priori nubere iubentur, niſi fortè Matrimonium fuiſſet nullum, ſicut plura ſunt Matrimonia infidelium, quæ abſque legitima forma contrahuntur. Maximè ſi cum hac, vel illa fœmina ſolum ad tempus tacitè, vel expreſsè nupſerunt, quod iudicandum eſt, quando inter illos conſuetudo dimittendi uxores vigebat, quia cum apponerent conditionem contrariam ſubſtantiæ Matrimonij, erat nullum, ut habetur ex *cap. final. de condition. appoſit.*

*Status dubij proponitur.*

27. Quibus ſuppoſitis, præſens dubium inquirit. An dimittere uxores ita eſſet permiſſum Iudæis, ut hoc inter illos non eſſet peccatum, & poſſet dimiſſa alium ducere, eo quod ſolutum eſſet Matrimonium? An verò ſolum eis permitteretur, ut non punirentur tamquam tranſgreſſores legis naturalis, tametſi in tali dimiſſione peccarent, & duraret Matrimonium?

*Argumenta, quæ probant eſſe illicitum repudium.*

28. Et videtur inde fuiſſe peccatum, Matrimoniumque minimè diſſolutum. Primò, quia in verbis dictæ legis habetur mulierem repudiatam, ſi alteri nupſerit, eſſe abominabilem coram Domino, ſed ſi prius Matrimonium abſque peccato eſſet diſſolutum, non eſſet abominabilis mulier per hoc, quod alteri nuberet, maximè in illa lege, in qua vita cælebs, non ita vigebat: Ergò, &c. ¶ Secundò, quia in dicta lege prohibetur, ne vir ſemel dimiſſam reaſſumat: Ergò peccabit in ipſa dimiſſione, in cuius peccati pœnam prohibetur illi uxorem reaſſumere, aliàs non eſſet, cur non poſſet cum illa reconciliari. ¶ Tertiò, quia Chriſtus Dominus Math. 19. dicit Moyſem ob duritiam cordis Iudæorum permiſiſſe eis libellum repudij, ſed permiſſio non liberat à peccato, maximè ſi ob duritiam cordis conceditur talis permiſſio, ſicut non excuſabantur à peccato uſuræ per hoc, quod permitteretur extraneis fœnerari.

*Authoritatem oppoſitum.*

29. Sed contrà eſt, quod D. Chryſoſt. *Homil. 32.* in Matth. dicit: *A peccato abſtulit culpam Legiſlator, quando permiſit repudium.* Et etiam, *Quod ſicut Apoſtoli permiſerunt ſecundas nuptias in lege Euangelica, ſic in ſcripta Moyſes repudium permiſit:* ſed ſecundæ nuptiæ inter nos abſque peccato celebrantur: Ergò: Et D. Thom. 1. 2. *q.* 102. *art. 5. ad 3. in fine: In veteri lege dabatur libellus repudij, quod eſt contrà Sacramenti rationem;* non autem eſſet contrà rationem Sacramenti, niſi illud diſſolveret, quia repudium manente Matrimonio, ut in diuortijs, quæ inter nos fiunt, non eſt contrà rationem Sacramenti, aliàs in lege gratiæ non eſſent permiſſa. Quarè licet D. Thom. *in addit. q. 67. art. 3. & 4.* problematicè utramque partem defendat, huic videtur magis adhærere *loc. cit.*

*Repudium licitum erat in lege Moyſi.*

30. Reſpondeo igitur dicendum, in lege veteri licitum eſſe libellum repudij, per quod Matrimonium ſoluebatur, ac proindè poſſe mulierem repudiatam licitè, & validè alteri nubere. Ita Sanch. *lib. 10. diſp. 1. num. 7.* Coninch, *diſp. 16. dub. 1. num. 6.* D. Antonin. *3. p. tit. 14. cap. 10.* §. 3. Auerſ. *q. 2. ſect. 5.* Becan. *cap. 47. q. 2. num. 3.* Caiet. *Deuteron.* 24. Ledeſm. *3. p. q. 67. art. 3. concluſ. 1.* Baſil. *lib. 7. cap. 50.* Dicaſt. *tract. 10. diſp. 2. dub. 14. num. 517.* Abulenſ. *Matth. 19. à q. 47.* Wiggers. *qu.* 45. N. Dominic. *loc. cit.* Gonet. *art. 2.* Ratio eſt, quam adducit D. Thom. *art. 3.* ex *addit. q. 67.* quia numquam inuenitur Prophetas reprehendiſſe tale diuortium, nec de malitia eius populos monuiſſe, etiam ſi Iſaiæ præcipiatur *cap. 50. Annuncia populo meo ſcelera eorum.* Quin potius ab eis commendabatur. Malach. 2. *Cum odio habueris uxorem dimitte.* Sed ſi taliter eſſet permiſſum, ut eſſet peccatum, non eſt credibile Prophetas miſſos à Deo ad docendos populos neceſſaria ad ſalutem, numquam de tali peccato populos admonuiſſe, cum faciliter eius mali-

tiam

tium poſſent ignorare, quandò in lege Moyſis à Deo ex profeſſo erat ſignificatus libellus repudij. Et ideò videmus, quod uſuras reprehendebant Ezech. *cap.* 18. Dauid *Pſal.* 14. etiamſi eſſent permiſſæ, ut minùs malum, non tamquam licitæ.

*Alia ratione probatur.*

31. Secundò, quia lex Moyſis non puniebat mulieres dimiſſas, ſi alteri nuberent, quin potius Deuteron. 24. illis permittebat alteri nuberet: Ergò non erant adulteræ, aliàs eſſent per legem puniendæ: Ergò Matrimonium prius erat diſſolutum per libellum repudij, quia numquam mulieribus fuit permiſſum cum duobus viris nubere, ſicut viris duas ducere uxores. Et ideò Leuit. 21. Sacerdotibus præcipitur, ne ducant uxorem viduam, aut repudiatam, aut meretricem, ſed virginem. Ex quo oſtenditur, alijs id eſſe licitum, & conſequenter prius Matrimonium diſſolutum.

*Argumenta contraria diſſoluuntur.*

32. Ad argumenta reſpondetur. Ad primum ex D. Thom. *loc. cit. artic.* 4. *ad* 5. dici mulierem repudiatam, ſi alteri nubat, pollutam non ratione Matrimonij de nouo contracti, ſed vel quia coram viro priori, ac proindè coram Domino verè polluta iudicata eſt, & habita, ob cuius rationem eam repudiauit, vel quia immunditiâ legali polluta erat, ſicut qui tangeret leproſum, aut mortuum iudicabatur immundus. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, ex eodem D. Thom. *q.* 67. *art.* 5. legem prohibuiſſe, ne vir à ſe dimiſſam reaſſumeret, ad tollendam facilitatem repudiandi uxorem, ſciens ſe numquam, quamuis de facto pœniteret, poſſe ad eius ſocietatem redire, ut ſic maturius rem iſtam aggrederetur. ¶ Ad tertium ex eodem D. Thom. *art.* 3. *ad* 4. his verbis: *Ad quartum dicendum, quod quamuis duritia cordis non excuſaret à peccato, tamen permiſſio ex duritia facta excuſat, quædam enim prohibentur ſanis, quæ non prohibentur infirmis corporaliter, nec tamen infirmi peccant permiſſione ſibi facta utentes.*

## PVNCTVM II.

### *Quomodo diſſoluatur Matrimonium infidelium per conuerſionem unius ad fidem?*

*Validum eſt infidelium Matrimonium.*

33. CONſtans, & certum eſt apud omnes Doctores, validum eſſe Matrimonium inter infideles contractum, ſi fuerit legitimum, inquam, ſi iuxta leges celebratum fuerit, nullo interueniente impedimento dirimente. Habetur in *cap. de infidelibus, de conſanguinitate, cap. quantò, & cap. gaudemus, de diuort.* & docet D. Thom. 3. *p. q.* 59. *art.* 2. *in addit.* colligiturque ex D. Paulo 1. *ad Corinth.* 7. ubi monet ne infidelis ad fidem conuerſus, à ſuo coniuge diſcedat, ſi ipſa cum illo habitare velit iuxta inferius dicenda, non autem eſſet licita talis habitatio, ſi Matrimonium eſſet nullum. Et ratio eſt, quia Matrimonium non ſolùm eſt Sacramentum, ſed eſt contractus naturalis, & ciuilis, ſed apud infideles poteſt eſſe verus contractus, licèt non Sacramentum: Ergò Matrimonium inter illos erit validum in ratione contractus, quamuis non ſit Sacramentum. Quarè illorum Matrimonium ſiuè conſummatum fuerit, ſiuè non, nullo modo eſt diſſolubile, non quidem ex mutuo conſenſu, ut diximus, *num.* 12. neque etiam per repudium coniugis, quod apud ipſos non habere locum diximus, *num.* 26. nec per diſpenſationem Pontificis, cui ſubiecti non ſunt, nec deniquè per ſuorum Principum priuilegium, qui poteſtatem non habent ad diſſolutionem Matrimonij, quod iure naturæ, & diuino eſt indiſſolubile.

*Si uterque baptizatur Matrimonium non diſſoluitur.*

34. Similiter certum eſt, quod ſi uterque coniux ad fidem conuertatur, Matrimonium non diſſoluitur (quidquid ſit an eleuetur ad rationem Sacramenti, de quo diximus *cap. præced. num.* 84.) Non enim eſt ratio, quarè in præſenti caſu diſſoluatur, cum priuilegium diſſoluendi Matrimonium; quandò alter ad fidem conuertitur, hic locum non habeat, ut ex dicendis conſtabit, niſi poſteà ex authoritate Summi Pontificis, & diſpenſatione ab eo obtenta diſſoluatur, quod fieri poſſe, etiamſi Matrimonium conſummatum fuerit, meritò docet Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 17. *num.* 2. Nauarr. *lib.* 3. *Conſtitut. de conuerſ. infidel. Conſ.* 1. Nam qui poteſt maius, poteſt etiam minùs, ſed Pontifex poteſt præbere diſpenſationem ad diſſolutionem Matrimonij rati inter fideles, quod maius vinculum eſt Matrimonio conſummato inter infideles, ut in fine huius puncti dicemus. Ergò, &c.

*Verba D. Pauli de hac materia.*

35. Sed pro intelligentia eorum, quæ hoc puncto dicenda ſunt, præmittere libuit verba D. Pauli 1. *ad Corinth.* 7. In quibus omnia, quæ hic dicenda ſunt, continentur, verba autem ſunt iſta: *His autem, qui Matrimonio coniuncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus uxorem à viro non diſcedere* (ex quo patet iure diuino eſſe prohibitam diſſolutionem Matrimonij, imò etiam quòd vir à coniuge diſcedat, niſi iuſtâ interueniente cauſa diuortij.) *Quòd ſi diſceſſerit* (ecce, deſignat eſſe aliquando licitam, quoad torum ſeparationem, iuſtâ videlicet interueniente cauſa) *Manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem non dimittat.* (Hucuſque de Matrimonio inter fideles celebrato. Quid autem de illo, quod inter infideles habetur?) *Nam cæteris* (id eſt infidelibus) *Ego dico, non Dominus* (ut oſtendat non ex præcepto, ſed ex conſilio loqui) *Si quis frater uxorem habeat infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam.* Et infrà. *Quod ſi infidelis diſcedat, diſcedat, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi.*

*Datur occaſio, in qua Matrimonium infidelium diſſoluatur.*

36. Ex his ultimis verbis deducitur, poſſe dari caſum, in quo Matrimonium infidelium per conuerſionem alterius ad fidem diſſoluatur, ut explicant communiter Doctores, & Innocentius III. *in cap. quanto de Diuort. cap. Gaudemus, eod. tit.* Et ideò quod Matrimonium infidelium diſſoluatur per conuerſionem alterius ad fidem, non eſt ex priuilegio Pontificis, ſed ex priuilegio, & conceſſione Chriſti Domini in fauorem, & beneficium fidei conceſſis, & ab Apoſtolo his verbis explicatis. ¶ Sed objicies, quod in illis ultimis verbis ſolum aſſerit Apoſtolus, quod ſi infidelis diſcedat, non tenetur fidelis cum eo habitare, & ſic non eſſe ſubiectum huiuſmodi, ut eum ubicumque tenderit, ſequatur. ¶ Sed contra eſt. Tum quia Apoſtolus ponit differentiam inter ſeparationem fidelium ex iuſta cauſa, & infidelium propter conuerſionem ad fidem. Et de

*Objectio ex D. Paulo, ut explicatio verborum eius.*

pri-

Google

primò aſſerit, quod mulier maneat innupta, quandò vir diſcedit ab ea, quod non aſſerit, in ſecundo: Ergò quamuis ex diſceſſu coniugis fidelis non diſſoluatur matrimonium, niſi quoad torum, ex diſceſſu tamen infidelis denotat manere diſſolutum, quoad vinculum. Tum etiam, quia ſi ſolum loqueretur de ſeparatione coniugum, non eſſet diſpar ratio quoad hoc inter fidelem mulierem, & infidelem, quandò vir ab utraque diſcedit. Siquidem non tenetur mulier fidelis ſequi virum, qui ex voluntate ab ipſa ſeparatur, quamuis maneat ſubiecta quoad vinculum, ut non poſſit ad alias nuptias tranſire: Ergò mulier infidelis ad fidem conuerſa, ultrà hoc debet habere, quod poſſit diſcedere à viro, etiam quoad vinculum, ita ut illi numquam maneat ſubiecta, & ita intelligunt tum Pontifices, tum etiam communiter Doctores.

*In tribus caſibus Matrimonium infidelium per conuerſionem unius diſſoluitur.*

37. In tribus autem caſibus verificatur Matrimonium infidelium diſſolui per conuerſionem unius ad fidem. Primus. Si alter diſcedat, & nolit habitare cum fideli ex hoc præciſè, quia fidelis factus eſt. (Si enim ex alia cauſa iuſtâ ſeparetur, nimirum, quia coniux fidelis vel antè Baptiſmum, vel poſt illud commiſit adulterium, ex quo ius habebat ad legitimum diuortium, non ſequitur ex tali diſceſſu, quod Matrimonium diſſoluatur.) Secundus caſus, quandò infidelis in ſua infidelitate permanens, quamuis velit cum coniuge habitare, non autem abſque iniuria creatoris, id eſt abſque blaſphemijs in fidem Chriſti, vel contemnendo Religionem Chriſtianam, & verbis, aut factis illam exequendo, vel opera, aut cæremonias exercendo infidelitatis, quibus coniux ſcandalizetur, & ad infidelitatem inducatur. Tertius caſus, quandò licèt coniugem his modis à fide auertere non conetur, ad aliquod tamen peccatum mortale, quodcumque illud ſit, incitat, quæ definita ſunt, in *cap. uxor legitima* 28. *q.* 1. *cap. finali*, 28 *q.* 2. *cap. quanto de diuortijs, cap. gaudemus, eod. tit.* Et ratio decidendi eſt, quia in his caſibus non licet fideli cum infideli habitare. Alias non tenetur abſque ſua culpa vitam cælibem ducere, quia nimis graue eſſet iugum Chriſti Domini, ſi omnes ſuam fidem amplectentes, ad caſtitatem obſeruandam adſtringerentur, ipſo dicente Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum iſtud.* Ergò poteſt coniux fidelis ad alias nuptias tranſire, eritque proindè primum Matrimonium diſſolutum. Præterquam quod (ut inquit D. Thom. *q.* 59. *art.* 4. *in corp.*) *Qui moritur priori vitæ, non tenetur ad illa, ad quæ in priori vita tenebatur. Et indè eſt, quod ille, qui in vita ſæculari exiſtens aliqua vouit, non tenetur illa, quandò mundo moritur vitam religioſam aſſumens, perficere. Ille autem, qui ad Baptiſmum accedit regeneratur in Chriſto, & priori vitæ moritur, cum generatio unius ſit corruptio alterius, & ideò liberatur ab obligatione, quâ uxori tenebatur.*

*Objectio triplex.*

38 Sed objicies primò, quòd Matth. 19. dicitur: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet:* Ergò Matrimonium omnimodo eſt inſeparabile. ¶ Secundò, quod ibi *verſ* 9. dixit Chriſtus Dominus: *Qui dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ergò non poteſt uxor dimitti ob infidelitatem. ¶ Tertiò, quia per hoc, quod fidelis in infidelitatem hæreſis, aut alterius ſectæ labatur, non poteſt diſſolui Matrimonium ex parte eius, qui permanet in fide: Ergò nec è contrà per hoc, quod ab infidelitate ad fidè alter coniux conuertatur.

*Objectionum ſolutio.*

39. Ad primum reſpondetur, in caſu dicto non diſſolui ab homine Matrimonium, ſed à Deo concedente tale priuilegium in fauorem fidei publicatum è D. Paulo verbis ſuprà relatis. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, illis verbis loqui Chriſtum Dominum de Matrimonio inter fideles contracto, quod diſſolui non debet quoad torum, niſi ob fornicationem modo ſuo loco explicando. ¶ Ad tertium reſpondetur, Matrimonium contractum inter fideles eſſe Sacramentum, quo modo maiorem indiſſolubilitatem habet, ut diximus *n.* 22. Et ideò non mirum, quod diſſolui non poſſit ob infidelitatem alterius, at inter infideles Matrimonium non eſt ratum, nec Sacramentum, & ſic per fidem poteſt diſſolui.

*Prima quæſtio proponitur.*

40. Sed nunc quatuor quæſtiones reſtant decidendæ. Prima. An liceat uxori, v.g. ad fidem conuerſæ habitare cum viro, qui vult in infidelitate perſiſtere, ſi ille velit cum ea vitam agere, & abſque iniuria creatoris, & abſque pertractione ad peccatum? ¶ Circà quod ſupponimus fas eſſe uxori à viro diſcedere, etiamſi modo dicto ille voluerit cum ea habitare. Habetur *ex cap. ſi.* 28. *q.* 1. & docet D. Thom. *q.* 59. *art.* 3. N. Cornejo, *diſp.* 6. *dub.* 3. Et ratio eſt, quia ſicut per adulterium amittit ius adulter ad cohabitandum cum innocente, & poteſt ille quoad torum ſeparari, etiamſi alter pacificè velit commorari cum eo, ſic ratione perſeuerantiæ in infidelitate, quæ eſt adulterium ſpirituale, amittit infidelis ius ad cohabitandum cum fideli: Ergò ſicut in uno caſu licet diſceſſus quoad torum, etiam in alio. Imò id licere etiam per lapſum in infidelitatem unius coniugis fidelis docet D. Thom. 3. *part. q.* 59. *art.* 3. *in corp.* Cùm tamen eſſet tunc ſacramentum, & ſic magis inſeparabile.

*Objectio ex D. Paulo.*

41. Et ſi objiciantur verba D. Pauli *ſupr. num.* 35. adducta, quibus dicit, quòd ſi infidelis uxor velit cum viro fideli habitare, iſte non dimittat eam. ¶ Reſpondetur ipſum non intimare præceptum, ſed conſilio ad id monere: & ſic ſub illis verbis id dicit: *Cæterùm ego dico, non Dominus,* &c. Vt ibidem explicauimus. Quæſtio igitur eſt. An liceat uxori fideli cum viro infideli, qui pacificè velit habitare cum illâ, cum eo habitare?

*Diuerſitas temporum ad intentum proponitur.*

42. Reſpondetur id non licere hoc tempore: licèt olim licitum fuiſſet. Pro quo nota tria tempora poſſe diſtingui, ut aſſerunt D. Thom. 3. *part. quæſt.* 59. *art.* 3 *ad* 2 Dicaſt. *diſp.* 2. *dub.* 37. *num.* 455. Coninch, *diſp.* 26. *dub* 3. *num.* 56. Sanch. *lib.* 7. *diſput.* 73. *num.* 12. Primum ſexcentis annis prioribus Eccleſiæ primitiuæ, quandò infideles de facili conuertebantur, erant miracula maiora, maior feruor fidei, abundantior gratia: & ſic minus periculum, ut fideles ab infidelibus peruerterentur, & ſpes maior: ut fidelis coniux coniugem infidelem conuerteret, & tunc conſilium D. Pauli erat, ut ſi frater uxorem haberet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat eam quamuis liberum eſſet fideli ab infideli coniuge diſcedere, niſi fortè ratione ſcandali, & perturbationis pacis teneretur ad habitandum cum illâ. ¶ Secundum tempus erat duobus ſæculis ſequentibus, in quibus fidelibus coniugibus cum gentilibus (ſi abſque iniuriâ creato-

rio

Digitized by Google

ris cum illis volebant commorari) licebat viuere propter eandem rationem, & ne eſſet in Republicâ confuſio, infideleſque deterrerentur à ſuſceptione fidei ſcientes per hoc eſſe ſeparandos à ſuis coniugibus; non tamen licebat cum Iudæis, qui erant omninò obſtinati, niſi ab Epiſcopo requiſiti, ut conuerterentur, vellent conuerti. Si tamen tenuiſſent, non licebat cum illis viuere, ut decretum eſt in *Concil. Tolet. 4. cap. 25.* & habetur in *capit. Iudæi 28. quæſtion. 1.*

*Tertium tempus, pro quo non liceat fideli cum infideli habitare.*

43. Tertium erat reliquum tempus, in quo maius eſt periculum, ut peruertantur fideles; cum charitas refrigeſcat, tepeſcat fides, & de facili homines ad malum trahantur. Ideò nunc quamuis non extet expreſſum præceptum prohibens talem habitationem; nihilominus ex praxi, conſuetudine, & communi Doctorum placito non licet uxorem fidelem cum infideli cohabitare, ceſſauitque conſilium D. Pauli, quod cum eſſet humanum, poterat ad tempus ſolummodò urgere: imò etiam ſi eſſet præceptum: ſicut præceptum de non comedendo ſanguine, aut ſuffocato ab Apoſtolis impoſito, quod pro illo tempore erat opportunum, & iam neceſſitate, & fine legis ceſſante, ceſſauit. Et ideò tunc non licet coniugi fideli cum infideli viuere, niſi fortè ex tali ſeparatione immineat periculum mortis, aut magna iactura bonorum temporalium: quia præceptum humanum ſiuè ex lege, ſiuè ex conſuetudine inductum cum tanto periculo, non obligat, & niſi fortè, ut inquit D. Thom. *in 4. diſt. 39. quæſt. 1. artic. 3. & 3. part. quæſt. 59. artic. 3.* Eſſet probabilis ſpes conuerſionis coniugis infidelis, & non periculum peruerſionis coniugis fidelis, maximè in regionibus, ubi infideles conuerti incipiunt, & ſubiecti ſunt Principibus infidelibus, ut apud Indos Orientales, Iaponios, aut Mahometanos, quia de his idem dicendum erit, ac de illis, qui prioribus temporibus conuertebantur, quamuis cum maiori cautelâ propter minorem feruorem fidelium, & maiorem infidelium obſtinationem.

*Secunda quæſtio huius materiæ, & prima illius ſententia.*

44. Secunda quæſtio eſt. An quandò infidelis non vult conuerti, vult tamen pacificè cum coniuge fideli habitare abſque iniuria creatoris, non ſolum liceat fideli ſeparatio, quoad torum, ſed etiam quoad vinculum: ità ut poſſit viuente coniuge ad alias nuptias peruenire? ¶ In quo eſt duplex ſententia. Prima affirmatiua, quæ probat ex verbis Apoſtoli ſuprà relatis, quæ licet de receſſu phyſico ſolum videantur loqui, etiam de morali intelliguntur ab Eccleſia, quandò videlicet infidelis recedit, & non vult, ut licet, cum coniuge habitare; ſed hoc ipſo, quod non conuertatur; cum non liceat nunc; ut diximus, fideli coniugi habitare cum eo, iam diſceſſit: ità ut nolit abſque iniuria Dei, ut ambo commorentur: Ergò poterit fidelis ad nuptias alias tranſire. ¶ Præterea; quia ibi docet Apoſtolus coniugem fidelem ſubiectum infideli non manere, ſed ſi vinculum non diſſolueretur matrimonij, iam fidelis infideli eſſet ſubiectus. Ergò, &c.

45. Præterea: quia priuilegium illud conceſſum fuit in beneficium fidei, ne videlicet coniux conuerſa ad fidem cogeretur vitam cœlibem ducere, abſque ſua culpa, ſi ex unâ parte non liceret ipſi cum infideli habitare, quandò iſte non vult abſque iniuria creatoris viuere cum illo, & ex aliâ non poſſet ad alias nuptias tranſire. Sed hoc etiam currit his temporibus, quandò infidelis non vult conuerti, etiam ſi abſque iniuria creatoris velit cum fideli habitare: cum iſti non liceat habitare cum illo, & ſic cogeretur vitam cœlibem ducere, ex quo à ſuſceptione fidei plures deterrerentur. Vnde priuilegium Chriſti Domini (inquit hæc ſententia) non fuit mutatum: ſed eſt credibile extendi ad caſum præſentem. Ità Sot. *in 4. diſtinct. 39. quæſt. unic. art. 4. verſ. Eſt tamen hic.* Barthol. de Ledeſm. *de Matrimon. dub 56. poſt concluſ. 2.* Baſil. *libr. 9. cap. 4. num. 22.* Sanch. *diſput. 74. num. 9.* Henric. *libr. 11. capit. 8. num 4. in fine, & in comment. litter. S.* Rodrig. *tom. 1. 2. edition. capit. 230.* Dicaſtill. *numer. 460.* Diana *3. part. tract. 4. reſol. 252.* Bellarm. *lib. 1. de matr. cap. 12.* Conineh, *dub. 5.* Herinx. *diſp. 4. num. 23.* Francil. *diſp. 6. n. 23.*

*Secunda ſententia.*

46. Secunda ſententia eſt negatiua: quia Chriſtus non tribuit tale priuilegium, niſi in fauorem fidei in illis tribus caſibus, *num. 37.* adductis, quandò videlicet, vel coniux infidelis diſcedit, vel non vult habitare cum fideli abſque iniuria creatoris, vel cum ad aliquod peccatum inducit, ut ab Eccleſia eſt receptum, *capit. Quanto, cap. Gaudemus, de diuort.* Ergò extrà illos caſus, nec licitè, nec validè poterit fidelis coniux ad alias nuptias tranſire. ¶ Præterea: quia gratia non deſtruit naturam; ſed potius, illam perficit: Ergò fides contractum matrimonij, non diſſoluit, niſi in caſibus à Deo diſpenſatis, qui non ſunt alij ab Eccleſia aſſignati præter adductos. Ità D. Thom. *in 4. diſt. 39. quæſt. unic. art. 5. in corp. & in addit. quæſt. 59. artic. 5.* Valent. *4. part. diſput. 10. quæſt. 1. punct. 7.* Ledeſm. *3. part. quæſt. 59. artic 4. dub. 2. concluſ. unic.* Tolet. *in ſumm. libr. 7. cap. 7.* Rebell. *part. 2. libr. 3. quæſt. 10. num. 10.* Cornej. *diſp 6. dub. 3.* Palaus, *diſp. 3. punct. 2. n. 6.* Wiggers. *cap. 4. n. 6.* Gonet. *diſp. 5. art. 5.* N. Anton. *n. 75.*

*Vtraque ad concordiam reducitur.*

47. Vtraque ſententia eſt ſatis probabilis, & poſſet conciliari, ſi dicamus primam loqui in caſu, quò vigeat præceptum, de non habitando coniuge fideli cum infideli, etiam abſque iniuria Dei, volente cum eo viuere, & pro illis temporibus, & locis, ubi hoc non licet. Secunda verò, quandò licita fuit talis cohabitatio, vel pro locis, & temporibus, quibus prohibitum non ſit fideli cum infideli cohabitare, ut utriuſque fundamenta conſideranti patebit.

*Aliqua obſeruanda notantur.*

48. Sed benè aduertit Sanch. *à n. 12.* Dicaſt. *à n. 467.* Conineh. *n. 62.* Tam in unâ, quam in aliâ ſententia: quòd ſi fidelis velit ad alias nuptias tranſire; ſiuè quia hoc poſſit, quandò infidelis vult habitare cum illo abſque iniuria Dei, ſiue quia non vult habitare niſi cum iniuria creatoris, ſemper tamen in infidelitate perſeuerando. Neceſſaria eſt admonitio infidelis, & illius interrogatio, an velit ad fidem conuerti? Quia nouum matrimonium contrahi non poteſt, niſi ipſe nolit conuerti; & ſic neceſſe eſt eius voluntatem explorare; niſi aliundè conſtet de obſtinatione infidelis: quia tunc non eſt neceſſaria admonitio; & niſi adeò diſtet, ut commodè nequeat admoneri: quia ut res modò ſe habet, moraliter eſt certum nolle conuerti, & ſuos relinquere, ut ad fidelem coniu-

gem

gem perueniat. Et hinc fit Indos, aut Mahometanos, aut Iaponios apud nos conuerſos, poſſe ad nouas nuptias tranſire abſque admonitione coniugum, in ſuis regionibus commorantium. Si autem fidelis dubius eſt de voluntate coniugis, non poteſt cum alio nubere, uſque dum ſibi probabiliter conſtet illum nolle conuerti, & modo dicto cum eo habitare. Non autem requiritur Eccleſiæ declaratio ad hoc, ſed ſufficit prudentum iudicium. Benè verum eſt debere inducias concedere infideli ad deliberandum, ſi citrà fraudem eas petat. Et eſt ſanum conſilium, quamuis non neceſſarium adhibere teſtes, quandò monetur infidelis, & renuit conuerti, aut modo dicto cum coniuge habitare; ne poſteà vel conuerſus, vel ad ſanum iudicium rediens, reclamet dicens ſe admonitum non fuiſſe, & velit poſterius matrimonium diſſolui.

*Tertia quæſtio huius puncti.*

49. Tertia quæſtio eſt, quo tempore matrimonium diſſoluatur per conuerſionem infidelis ad fidem. ¶ Al qui dicunt, quod ſtatim ac monitus, renuit infidelis coniux conuerti. Alij, quod poſt tempora aſſignata à iudice Eccleſiaſtico: & ideò, quod tranſacto illo tempore, etiam ſi poſtmodùm velit infidelis conuerti ſecundùm primam ſententiam *ſup. num* 44. addu ctam. Vel cum coniuge fideli abſque iniuria creatoris habitare iuxtà ſecundam, *num*. 46. poſitam, non teneatur fidelis cum illo habitare: imò non poſſit abſque noua matrimonij celebratione: quia prius matrimonium iam fuit diſſolutum iuxtà illum verſiculum, quem *Gloſſa, in cap. quantò adducit*.

*Spernas ſpernentem, vel blaſphemare volentem:*
*Nam ſunt abſque morà ſic vincula rupta priora.*

Sed hoc intelligendum eſt: vel quia rupta ſunt vincula quoad habitationem: vel quia facultatem habet fidelis cum alio nubere, & ſic rumpere vinculum matrimonij prius contractum.

*Quandò diſſoluitur matrimonium per conuerſionem unius.*

50. Quare dicendum eſt matrimonium prius non diſſolui, niſi quandò fidelis ad alias nuptias peruenit, ita ut generatio unius ſit corruptio alterius & matrimonium nouum prioris diſſolutio. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt*. 39. *q. unic. art*. 5. *ad* 2. *& in addit. q*. 59. *art*. 5. *ad* 2. Ledeſ. *ibi, concl*. 5. Cornej. *dub*. 3. Sanch. *lib*. 7. *diſp*. 75. *n* 4 Dicaſt. *diſp*. 2. *dub*. 38. *n*. 484. Coninch, *n*. 63. Palaus, *n*. 5. Wiggers. *loc. cit*. N. Anton. *n*. 76. Franciſ. *n*. 24. N. Gabr. *diſp*. 2. *n*. 32. & ratio eſt: quia fides non deſtruit matrimonium, ſed perficit: ſicut gratia non deſtruit naturam, ſed eam perficit: ergò per hoc præcisè, quod alter fiat fidelis alio in ſuà infidelitate perſeuerante, contractus naturalis matrimonij non diſſoluitur. Quod etiam habetur *in capit. Gaudemus, de diuort*. ibi: *Quod ſi conuerſum ad fidem, & illa conuerſa ſequatur, antè quàm propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellitur*.

*Tria inferuntur ex dictis.*

51. Ex quo deducitur. Primò, quòd ſi antequàm uxor fidelis ad alias nuptias perueniat, vir ab infidelitate ad fidem conuertatur, poterit habitare cum eo, nec poterit alium ducere, etiamſi admonitus fuerit, & renuerit conuerti: fas tamen erit ipſi ab eo, quò ad torum recedere ob infidelitatem, à quâ admonitus noluit auerti: ſicut ſi de nouo fidelis ad infidelitatem rediret, licet coniugi ab eo quoad torum ſeparari. Secundò, quòd ſi ſemel uxor ad alias nuptias perueniat, etiamſi eius maritus moriatur, & prior maritus conuertatur ad fidem, non licet cum illo cohabitare, niſi celebrato nouo matrimonio, cum prius fuerit diſſolutum, & poterit alium ducere, ſi voluerit. Tertiò non diſſolui matrimonium per hoc, quod infidelis ad alias nuptias perueniat: & ideò, ſi poſteà conuertatur, debet ſecundam mulierem relinquere, & cum priori habitare, ſi ipſa velit, vel in vita cælibe permanere: quia hoc priuilegium conceſſum fuit in beneficium fidei; non in fauorem infidelis.

*An per profeſſionem dictum matrimonium diſſoluatur?*

52. Quarta, & ultima difficultas eſt. An diſſoluatur matrimonium per hoc, quod fidelis conuerſus in Religione profiteatur, ità ut ſi alter ad fidem conuertatur, non poſſit coniugem priorem repetere, ſed poſſit cum alio nubere? ¶ Reſpondetur diſſolui. Ità D. Bonauent. *in* 4. *diſt*. 39. *art*. 2. *quæſt*. 2. N. Cornej. *diſput*. 6. *dub*. 3. *in fine*, Sanch. *libr*. 7. *diſp*. 76. *num*. 6. Enriq. *lib*. 11. *cap*. 8. & ratio eſt: quia matrimonium ratum fidelium eſt vinculum fortius, quàm matrimonium conſummatum infidelium. Tum, quia eſt ſacramentum. Tum, quia, ut diximus *num. præc*. per matrimonium ratum fidelium matrimonium conſummatum infidelium diſſoluitur: Sed per profeſſionem religioſam matrimonium ratum fidelium diſſoluitur, ut dicemus, infr. Ergo etiam infidelium conſummatum, iuxtà illud: *Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te; & qui poteſt maius, poteſt minus*. Quarè iuxtà hanc ſententiam tenetur fidelis coniux ingredi volens religionem, ea obſeruare, quæ *num*. 48. diximus de illo, qui vellet ad alias nuptias tranſire. Imò etiamſi per profeſſionem religioſam non diſſolueretur matrimonium, ad ea obſeruanda teneretur, & fortiori ratione: quia ſi alter coniux conuerteretur, non poſſet uxorem profeſſam repetere, ut omnes docent, nec ad alias nuptias peruenire: ſicut poteſt ob adulterium alterius coniux innocens in religione profiteri, altero manente in ſæculo, abſque eo, quòd poſſit nouum Matrimonium inire. Qoid autem dicendum ſit de eo, qui vellet poſt conuerſionem ad Ordines ſacros peruenire? Negat Wiggers. N. Ant. *ſect*. 7. *n*. 81 qui cum Herinx & Franciſc. *loc. cit*. & Palao, *n*. 12. idem negant de profeſſione religioſa, ut videantur Authores citati.

## DVBIVM III.

*Vtrùm Matrimonium ratum, ſed non conſummatum poſſit diſpenſatione Pontificis diſſolui?*

*Matrimonium conſummatum non poteſt diſſolui authoritate Pontificis.*

53 QVæſtio grauiſſima eſt, & ad plures caſus in praxi occurrentes neceſſaria, in qua ſupponimus, Matrimonium conſummatum fidelium non poſſe authoritate Pontificis diſſolui, quod commune eſt apud omnes Catholicos, ita ut oppoſitum errorem in fide appellet Petrus de Ledeſm. *quæſt*. 67. *art*. 2. *concluſ*. 1. quia Matrimonium conſummatum perfectiſſimè ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, quæ omninò eſt inſeparabilis, quod à poſteriori colligitur, quia numquam in Eccleſia Summus Pontifex voluit, etiamſi grauiſſimis cauſis urgeretur, diſpenſationem ad diſſoluendum tale Matrimonium præſtare.

54. Sup-

*Debet dari grauis cauſa, ut poſſit Pontifex diſpenſare*

54. Supponimus etiam, quòd ſi ſemel Summus Pontifex poteſt diſpenſationem præbere, ut Matrimonium non conſummatum diſſoluatur, debet ad hoc grauis cauſa interuenire, non ſolùm ut id licitè faciat, ſed etiam ut validè, ita ut ſi abſque cauſa ſufficienti talem diſpenſationem præberet, Matrimonium non annullaretur, nec poſſet obtinens illam cum alia validè contrahere, ut (contra Enriquez, *lib. de matrimon. cap.* 8. *num.* 11. aſſerentem, quamuis non licitè, validè tamen poſſe ſine causâ talis diſpenſatio impertiri, quod probabile dicit Sanchez, *lib.* 2. *diſp.* 15. *n.* 5. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 2. *nu.* 7.) docent communiter Doctores, quia facultas conceſſa Summo Pontifici à Deo ad talem diſpenſationem impertiendam, non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, nec ut pro ſuo arbitratu utatur illâ, ſed prout expediens eſt ad utilitatem fidelium. Ita Auerſ. *quæſt.* 2. *ſect.* 6. *in fine.* Dicaſt. *diſp.* 2. *dub.* 29. *num.* 369. Sanch. *n.* 6. Hurtad. *diſp.* 14 *diff.* 3. *n.* 12. Dian. 8. *p. tract.* 1. *reſ.* 62.

*Quæ cauſæ ad hoc ſufficiant?*

55. Cauſæ autem ſufficientes ad talem diſpenſationem communiter aſſignantur à Doctoribus, quòd ſint, vel impotentia ſuperueniens (antecedens namque ipſo facto irritat Matrimonium) vel ſterilitas de nouó cognita, vel morbus contagioſus, vel notabilis disparitas conditionis, vel ſcandalum imminens, & malus exitus Matrimonij, vel denique, ut inquit Caietan. *tom.* 1. *opuſcul. tract.* 28. *quæſt. unic.* Iurgia, & diſſenſiones, quæ multum ex tali Matrimonio durari timentur, & minorem cauſam requiri ad diſſoluendum Matrimonium per procuratorem contractum docet ipſe Caietan. *tom.* 1. *tract.* 12. *q.* 1. eò quòd iudicat Sacramentum non eſſe tale Matrimonium, & ſic minus indiſſolubile, & Dian. *loc. cit.* refert Gregorium XIII. diſpenſaſſe cum Duce Albano (vulgò *de Alua de Tormes*) qui contraxerat primò Matrimonium de præſenti cum filiâ Ducis de Alcalà per procuratorem, ut ſecundò aliam duceret, quod poſteà conſummauit, ſed rem non ſic contigiſſe, ut refert Diana doctiſſimi viri à me cõſulti teſtantur. Quæritur ergo modo: An iuſtâ interueniente causâ, poſſit Summus Pontifex, & licitè, & validè talem diſpenſationem præbere?

*Argumenta probantia non poſſe Pontificem diſpenſare.*

56. Et videtur quòd non: Primò, quia Matrimonium tam iure diuino, quàm naturali eſt indiſſolubile. Iure quidem naturali, ut *ſup.* probauimus *num.* 16. & iure diuino, ut conſtat ex *Apoſt.* 1. *ad Corinth.* 7. *His autem, qui Matrimonio coniuncti ſunt; præcipio, non ego, ſed Dominus uxorem à viro non diſcedere.* Et Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Sed Pontifex non poteſt diſpenſare in his, quæ ſunt de iure diuino, aut naturali: Ergo, &c. ¶ Secundò, quia Matrimonium ratum, & conſummatum ſunt eiuſdem eſſentiæ, & rationis, & ſolùm differunt accidentaliter, ſed Summus Pontifex non poteſt diſpenſare, ut Matrimonium conſummatum diſſoluatur, quia ex naturâ ſuâ eſt indiſſolubile: Ergo neque etiam ut ratum. ¶ Tertiò, quia Matrimonium in ratione Sacramenti, hoc ipſo, quòd ſit inter baptizatos celebratum, eſt ratum, id eſt, indiſſolubile, in quó differt à Matrimonio infidelium, quod ſolùm eſt legitimum. Et ideò unum ex bonis Matrimonij ab Auguſtino enumeratis eſt, quod ſit Sacramentum, id eſt, indiſſolubile, ſed nòn minùs Matrimonium ſolummodò ratum eſt Sacramentum, quàm Matrimonium conſummatum: Ergò ſi hoc ob rationem Sacramenti eſt indiſſolubile authoritate Pontificis, etiam illud.

57. Quartò, quia ſi Summus Pontifex poſſet diſpenſare, ut Matrimonium ratum diſſolueretur, maximè quia ſupponit ut fundamentum actus humanos, & contractum naturalem, quos poteſt ipſe irritare; eò quòd ſunt ſub poteſtate illius, quemadmodùm licèt ex iure naturali, & diuino votum obligationem inducat, poteſt nihilominùs à Summo Pontifice diſpenſari, quia actus liberos, & humanos pro fundamento concernit, ſed ſi hęc ratio aliquid probaret, probaret etiam quod Princeps ſæcularis (qui non minorem habet poteſtatem circà contractus ciuiles; & profanos ſuorum ſubditorum, quàm Sum. Pontifex) poſſet diſpenſare ad diſſoluendum Matrimonium ratum; (& hoc maximè inter infideles, in quibus non eſt Sacramentum:) hoc autem eſt falſum, ut communiter ab omnibus aſſeritur: Ergo, &c. ¶ Quintò, quia quidquid Pontifex in totâ Eccleſiâ, poteſt Epiſcopus in ſuâ Diœceſi, niſi oppoſitum ſibi ſpecialiter prohibeatur, ſed Epiſcopus non poteſt præbere diſpenſationem ad diſſoluendum Matrimonium ratum in ſuâ Diœceſi: Ergo neque Pontifex in totâ Eccleſiâ.

*Authores huius ſententia.*

58. Propter hæc argumenta ſunt plures, & grauiſſimi Doctores hanc facultatem Pontifici denegantes, ut Scot. *in* 4. *diſt.* 31. *q.* 1. *verſ. Tertio*, D. Bonauent. *diſt.* 27. *q.* 2. *ar.* 3. Herinx, *diſp.* 4. *n.* 8. Dominicus Sot. *in* 4. *diſt.* 37. *q.* 1 *art.* 4. Vbi oppoſitum omninò improbabile vocat. Petrus Sot. *Lect.* 12. *de Mat.* Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Baſil. *lib.* 9. *c.* 3. *n.* 3. Palao, *diſp.* 3. *punct.* 2. §. 2. *n.* 3. Valent. 4. *tom. diſp.* 10. *q.* 1. *punct.* 7. Gonet. *diſp.* 5. *n.* 13. Ledeſ. 3. *p. q.* 67. *art.* 2. *dub.* 1. ubi omninò improbabilem dicit contrariam ſententiam. Texeda, *tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 1. *n.* 290. apud Dianam, 8. *p. tract.* 3. *reſol.* 97.

*Argumenta in oppoſitum.*

59. Sed contra eſt, quod ſæpè ſæpiùs Summi Pontifices diſpenſarunt, ut Matrimonium ratum diſſolueretur, ſed non eſt credendum, Pontifices erraſſe in materiâ adeò graui, & quæ maximè ad mores pertinet: Ergo dicendum eſt ad hoc poteſtatem habere. Minor eſt certa, quia in rebus pertinentibus ad mores, impium videtur aſſerere, Summos Pontifices errare, maximè quia quandò res eſt in dubio, ut hæc, de quâ agimus; debet iudicium ferri pro illis. Nec ſat eſt aſſerere, ipſos ſequentes opinionem probabilem, talem diſpenſationem conceſſiſſe, quia iam erraſſe fatendum eſſet, ſaltem ſpeculatiuè, tametſi practicè prudenter operati fuerint, & ſic errorem in re adeò graui, & ad mores ſpectanti Eccleſiæ incurrere.

*Pontifices qui circà hoc diſpenſarunt.*

60. Maior probatur, quia Nauarr. *c.* 22. *n.* 21. dicit Paulum III. & Pium IV. ſe petente, diſpenſaſſe. Et idem Nauarr. *in addit. ad Manual. c.* 28. *fol.* 45. refert Pium V. ter, vel quater de hoc diſpenſationem tribuiſſe, ut teſtatur Dian. 8. *p. tract.* 1. *reſ.* 67. Similiter Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 28. *quæſt. unic.* dicit Pontifices ſuo tempore ſæpè diſpenſationem ſuper hoc tribuiſſe, & Enriq. *de Matr. c.* 8. *n.* 11. dicit Gregorium XIII. diſpenſaſſe uno die cum undecim, & D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *c.* 21. §. 3. ut refert Leſ. *de iuſt. lib.* 2. *c.* 40. *n.* 146. affirmat ſe vidiſſe aliquas diſpenſationes factas à Martin. V. & Eugenio IV.

*Poteſt Matrimonium ratum diſpenſatione Pontificis diſſolui.*

61. Reſpondeo igitur dicendum, Summum Pontificem habere poteſtatem ad præbendam diſpenſationem, ut Matrimonium ratum diſſoluatur

non quidem ex poteſtate ordinariâ, quam habet ut Princeps ſupremus, ſed ex extraordinariâ poteſtate, & ſpeciali, quam habet ut Vicarius Chriſti, & ad hoc ſpecialiter conceſsâ propter bonum regimen Eccleſię, & pacem ſuorum ſubditorum. Ità Caiet. Leſ. Nauarr. Enriq. Diana, *locis cit.* & Sanch. *lib. 2. diſp.* 14. *num.* 2. ubi innumeros adducit. Auerſ. *q.* 8. *ſect.* 6. *fol.* 241. Medina, *l.* 5. *de Sacro. homin. contin. c.* 89. Trull. *l.* 7. *c.* 4. *dub.* 2. Coninch. *diſp.* 26. *dub.* 3. *n.* 33. Vazq. *1.2. diſp.* 105. *cap.* 7. Bonac. *q.* 2. *punct.* 11. *n.* 4. Rebell. *lib.* 2. *q.* 15. *n.* 4. Villaloh. *tract.* 13. *diffi.* 11. *n.* 2, Bellarm. *lib.* 2. *de Monachis. c.* 8. Dicaſt. *diſp.* 2. *dub.* 29. *n.* 366. N. Gabr. *diſp.* 2. *n.* 28. Anton. *n.* 46. Franciſ. *diſp.* 6. *n.* 25. Stephan. *diſp.* 8. *n.* 45. & in praxi probabiliorem vocat Becan. *cap.* 48. *qu.* 4. Cornej. *tract.* 6. *diſp.* 6. *dub.* 4. Leand. *diſp.* 5. *q.* 7.

*Extenſiones huius ſententiæ.*

62. Extendit hanc ſententiam Auerſa, ut non ſolùm Pontifex poſſit hanc diſpenſationem præbere in caſu particulari, ſed etiam pro totâ Eccleſiâ: ità quòd poſſit diſpenſare, ut quoties talis, vel talis cauſa occurrat, matrimonium ratum diſſoluatur (quemadmodùm inquit pro totâ Eccleſiâ diſpenſat, ut in caſu profeſſionis alterius coniugis dictum Matrimonium annulletur.) Extendit etiam Sanchez ad Matrimonium conſummatum infidelium, qui poſtmodùm baptizantur, dummodò poſt Baptiſmum non conſummauerint illud, ut poſſit diſpenſationem præbere ad hoc, ut tale Matrimonium diſſoluatur, quia Matrimonium hoc modo conſummatum, ſic ſe habet, ſicut Matrimonium ratum fidelium. Imò minorem habet indiſſolubilitatem, cùm per Baptiſmum non induat rationem Sacramenti iuxta dicta *t.* 3. *n.* 84. Extendit denique Medina, ut poſſit Pontifex diſpenſationem hanc concedere, etiam inuito altero coniuge: quemadmodùm, inquit, diſpenſat, ut per profeſſionem Matrimonium ratum diſſoluatur, altero coniuge renuente.

*Aliorum prima probatio.*

63. Aliqui probant concluſionem ex eo, quòd Pontifex poteſt diſpenſare, ut per profeſſionem Matrimonium ratum diſſoluatur: Ergò ſicut habet facultatem propter hanc cauſam ad talem diſpenſationem præbendam, etiam habebit illam propter alias grauiſſimas, ſi occurrant. ¶ Cæterùm hæc ratio nititur falſo fundamento, licèt probabili, quia profeſſio religioſa non ex iure Pontificio, ſed ex iure naturæ, vel ex iure diuino Matrimonium ratum diſſoluit, ut dicemus *dub. ſeq.* & ſic ſolùm probat hæc ratio probabilem eſſe iſtam opinionem, non tamen veram.

*Secunda probatio aliorum.*

64. Secundò: Alij probant ex eo, quòd Pontifex poteſt diſpenſare ſuper votum profeſſionis Religioſæ, quod eſt maius vinculum, quam vinculum Matrimonij rati, eò quòd per illud Matrimonium ratum diſſoluitur, & qui poteſt maiùs poteſt minùs. ¶ Sed hæc ratio eodem defectu laborat, ac præcedens, quia licèt ſit probabile, poſſe votum ſolemne Religionis à Pontifice diſſolui, probabiliùs tamen eſt oppoſitum, ut docent communiter Thomiſtæ, 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 11.

*Vera ratio concluſionis.*

65. Probatur ergò noſtra concluſio, quia Summus Pontifex pleniſſimam recepit à Deo poteſtatem ad omnia, quæ bono regimini fidelium neceſſaria ſunt, & ad commodum, & utilitatem ſuorum ſubditorum ſpectant, & quæ expedire iudicauerit ad pacem ipſorum obſeruandam, ſed ad hoc neceſſarium erat poteſtatem habere ad diſſoluenda Matrimonia rata, non conſummata ex cauſis ſupr. *nu.* 55. enumeratis: Ergò ità aſſerendum eſt, quod ex praxi tot doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum Pontificum, qui talem diſpenſationem præbuerunt, ut diximus *n.* 60. liquidò apparet. ¶ Confirmatur, quia Matrimonium ratum, non conſummatum ſolùm ſignificat unionem Chriſti cum animâ per gratiam, quæ diſſolubilis eſt per peccatum, non autem ſignificat unionem Verbi cum humanitate per Incarnationem, ut docet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 1. Hæc enim per Matrimonium cōſummatum ſignificatur, per quod fiunt coniuges una caro, & phyſicè uniuntur, ſicut Verbum cum humanitate. Et ideò ratio bigamiæ ſita eſt in eo, quòd Sacramentum coniunctionis Chriſti cum Eccleſiâ iteratur, & tamen per iterationem Matrimonij rati non incurritur, ut habetur in *cap. debitum, de bigamis non ordinan.* Ergò licèt non poſſit Summus Pontifex dare diſpenſationem ad diſſolutionem Matrimonij conſummati, benè tamen ad diſpenſationem Matrimonij rati, quòd ampliùs conſtabit ex ſolutione argomentorum.

*Confirmatio rationis.*

*Primi argumenti ſolutio.*

66. Ad primum ergò reſpondetur, quòd quantùm attinet ad hoc, quod ſit iure naturæ Matrimonium indiſſolubile, & nihilominùs diſſolui poſſit per diſpenſationem, diximus *n.* 21. Quantùm verò attinet ad hoc, quòd ſit iure diuino indiſſolubile, aliqui dicunt, & non improbabiliter textus illos adductos in argumento intelligi debere de Matrimonio conſummato, nam priùs dixerat Chriſtus Dominus: *Erunt duo in carne una*, quod in Matrimonio conſummato fieri diximus *n.* 3. & ità indixit: *Quod Deus coniunxit, &c.* Et ità intellexit hunc locum Alexander III. *in cap.* 7. *de conuerſ. coniugat.* ſed quia *ſup. n.* 12. diximus, Matrimonium etiam ratum eſſe iure diuino indiſſolubile, reſpondetur nō diſpenſari à Summo Pontifice diſſolutionem talis Matrimonij tamquàm ab homine, ſed tamquàm à vicegerente Dei, qui dedit Summo Paſtori hanc extraordinariam poteſtatem propter rationem datam, ſicut licèt obligatio voti ſit de iure diuino, tamen Summo Paſtori reliquit poteſtatem, non ut, manente voto, obligatio ſolueretur (quia hoc eſt de iure diuino abſolutè, ſuper quod non poteſt diſpenſare) ſed ut redderet nullum actum præcedentem, & obligationem ex illo ortam, quomodò habet poteſtatem diſſoluendi ea, quę ſunt de iure diuino, & pro ſubſtracto afferunt actus voluntatis, vel contractum humanum, qui poteſt ab eo, ut actus humanus eſt, dirimi, & conſequenter, ut eſt Matrimonium.

*Solutio ſecundi argumenti.*

67. Ad ſecundum reſpondetur ex D. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *in ſolut. arg.* quòd licèt Matrimonium ratum non differat eſſentialiter à conſummato, quia in ratione ſigni conueniunt, ſignificans unionem Chriſti cum Eccleſiâ, non propterea ſolùm accidentaliter differunt, ſed ſubſtantialiter, integraliter tamen: quia copula maritalis, licèt non ſit pars eſſentialis Matrimonij, eſt tamen integralis complens illud, & in ratione ſigni, & in ratione contractus: in ratione quidem ſigni, quia, ut docet D. Thom. *loc. cit. ad* 1. per Matrimonium ratum ſolùm ſignificatur unio Chriſti cum animâ per gratiam, quæ licèt ex parte eius indiſſolubilis ſit, ex parte animæ diſſolui poteſt per peccatum; ſed per Matrimonium conſummatum ſignificatur unio Chriſti cum Eccleſiâ

per

per incarnationem, quæ eſt omninò indiſſolubilis. Etiam in ratione contractus perficitur per eam, & intrà ſuam ſubſtantiam completur, quia, ut inquit D. Thom. ibi *in ſolut. ad 3.* ſicut contractus venditionis eſt imperfectus vſque ad traditionem rei venditæ, & poſſeſſionem eius, & tunc completur in ratione contractus, ſic contractus Matrimonij eſt quodammodò imperfectus uſque ad actualem poſſeſſionem, quæ habetur in actu ſecundo per conſummationem, cùm tamen anteà ſolùm eſſet traditio in actu primo abſque poſſeſſione corporum actuali.

*Tertium argumentũ ſoluitur.*

68. Ad tertium reſpondetur, quod, ut inquit D. Thom. *loc. cit. & 3. p. q. 61. art. 2. ad 3.* Matrimonium ratum non eſt omninò indiſſolubile, id eſt, excludendo diſſolubilitatem tàm intrinſecam, quàm extrinſecam modo dicto *num.* 21. Dicitur autem quod in ratione Sacramenti ſit ratum, id eſt, indiſſolubile, quia iam non poteſt nec mutuo cõſenſu; nec ex aliquâ cauſà à contrahentibus appoſitâ diſſolui, quod non habet Matrimonium legitimum infidelium, quod per fidem unius diſſoluitur. Et inde eſt, quòd unum ex bonis Matrimonij aſſignetur, quod ſit Sacramentum, quod iam non poteſt diſſolui, niſi à Deo, vel ab eius vicegerente per extraordinariam, & ſingularem ad hoc poteſtatem.

*Soluitur quartum argumentum.*

69. Ad quartum conſtat ex dictis poſſe Summum Pontificem diſpenſare in aliquibus, quę ſunt de iure diuino, & actus humanos concernunt, ut in voto, & ſimilibus, & hoc non poteſtate ordinariâ, quam habet ut Princeps Supremus, in quo conuenit cum alijs, ſed ut Vicarius Chriſti modo dicto, quam alij Principes non habent, ſpecialiter quandò Matrimonium eſt Sacramentum, circà quod nullam habent iuriſdictionem, & ſic cauſæ illius ad forum Eccleſiaſticum ſpectant.

*Quintum argumentum diſſoluitur.*

70. Ad ultimum dicimus, falſam eſſe illam regulam: *Quod poteſt Pontifex in totâ Eccleſiâ, poteſt in ſuâ Diœceſi Epiſcopus*, niſi ad hoc ſit inhibitus, quia ſufficit ſi hoc non ſibi concedatur ex iure, etiamſi ex illo non prohibeatur, ut non poſſit plura in ſuâ Diœceſi, quæ Pontifex in Eccleſiâ, ut probat latè, & eruditè Diana, 8. *p. tract. 3. reſol.* 97. & hoc maximè currit in præſenti caſu, quia cùm ſit res ardua, debet altiori ſuperiori reſeruari.

*Vide latiùs N. Gabr. diſp. 2. nu. 30.*

## PVNCTVM III.

### *Quomodò diſſolui poßit Matrimonium ratum, non conſummatum, per profeſſionem Religioſam.*

*Matrimonium conſummatum per profeſſionem non diſſoluitur.*

71. Loquimur in præſenti precisè de Matrimonio rato, nam conſummatum non diſſolui per profeſſionem alterius, imò nec profeſſionem utriuſque conſtans eſt apud omnes Catholicos, & deciditur in 6. *Synodo generali*, ut refertur *in cap. ſi quis coniugatus* 27. q. 7. & probat D. Thom. 3. *p. q.* 61. *art.* 1. quia non poteſt Deo offerri id, quod non eſt ſibi proprium, ſed alienum, ſed per Matrimonium eſt iam coniugati corpus alterius coniugis, cui tradidit poteſtatem, & poſſeſſionem: Ergò non poteſt Deo per votum ſolemne conſecrari. Vnde, ſi abſque conſenſu, aut culpâ alterius unus in Religione profiteretur, poteſt à coniuge repeti & tenetur exire, & cum illo cohabitare. Si tamen ex conſenſu coniugis id faceret, non poteſt repeti; manet tamen Matrimonium quoad vinculum. Et ideò manens in ſæculo, non poteſt cum alio nubere, & qui in Religione profitetur, ſi peccatum carnale committeret, præter malitiam fornicationis, & ſacrilegij, etiam adulterium committeret, in confeſſione fatendum. Et idem dicendum eſt, quandò ob adulterium unius alter abſque eius conſenſu in Religionem ingreditur.

*Obiectio in D. Thom. Soluitur illius, & illatio in eâ.*

72. Sed obijcies contrà rationem D. Thom. quòd etiam per Matrimonium ratum traditur corpus unius alteri, & iſte per acceptationem mutuam ius in illud acquirit, & tamen poteſt Deo conſecrari per votum ſolemne Religionis, & Matrimonium dirimi: Ergò ſimiliter quandò eſt conſummatum. ¶ Reſpondetur ex eodem D. Thom. *loc. cit. art. 2. ad 2.* ſic: *Ad ſecundum dicendũ, quòd antè carnalem copulam non eſt omninò tranſlatum corpus unius ſub poteſtate alterius, ſed ſub conditione, ſi intereà alter coniugum ad frugem melioris vitæ non conuolet, ſed per carnalem copulam completur dicta tranſlatio, quia tunc intrat uterque in corporalem poſſeſſionem ſibi traditæ poteſtatis.* Ex quo ſequitur, quòd ſi alter coniux vel iuſta interueniente cauſa diuortij, non requiſito altero in Religione profiteatur, vel ex conſenſu eius, quandò non adeſt cauſa diuortij perpetui, ſi poſteà cum coniuge rem carnalem habeat, peccaret quidem mortaliter, quia contrà votum operatur non tamen peccato fornicationis, quia cùm Matrimonium maneat quoad vinculum, non eſt acceſſus ad non ſuam, ſicut qui voto caſtitatis adſtrictus peteret debitum coniugi, ut diximus *tract. de Ord. c. 6. punct. 2. n.* 57.

*Matrimonium ratum diſſoluitur per profeſſionem religioſam.*

73. Certùm ſimiliter eſt, & receptiſſimum apud Catholicos per profeſſionem ſolemnem in Religione approbatâ dirimi Matrimonium ratum præcedens (de ſubſequenti non diſputamus modò de quo agemus, cùm de impedimento voti loquamur) id, quod definitum eſt in *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *Can.* 6. his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius coniugum non dirimi, anathema ſit.* Et olim iam definitum erat *in cap. deſponſatam* 27. *q.* 1. *cap. decreta legalia* 28. *q.* 2. *cap. ex parte, de conuerſione coniugatorum, & in Extrauaganti antiqua.* Ioann. XXII. *de voto*, & docet D. Thom. 3. *p. in addit. q.* 61. *art.* 2. *& in 4. diſt. 27. q. 1. ar. 3. q.* 2. & ibi uniuerſi Theologi, & in iuribus allegatis uniuerſi Iuriſtæ, & probant exempla plurimorum Sanctorum, qui poſt Matrimonium ratum ad Religionem conuolarunt, quæ ad longum referunt Ledel. 3. *p. q.* 61. *art.* 2. *&* Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 18. Et ratio eſt, quia recta ratio dictat, ut quis ad ſtatum perfectiorem poſſit tranſire, quandò id abſque iniuriâ alterius poteſt facere, ſed per hoc, quòd coniux tranſeat ad Religionem, ſtatumque perfectiorem ingreditur, ut conſtat, & abſque iniuriâ partis, nam nec datur proles, cuius educationi, & profectui incumbere debeat, & mulier alteri æquè benè nubere poteſt, cùm virgo, ut anteà, perſiſtat, nec ex hoc, quòd ex tali fine relinquatur, ullam ſubijt infamiam.

*Eadem referunt N. Gabr. diſp. 2. quæſt. 3. VVigers. c. 4. dub. 4. Gonet. diſp. 3. n. 63.*

*Quo iure diſſoluatur? Prima ſententia iure Pontificio.*

74. Sed nunc grauiſſima eſt quæſtio inter DD. Quo iure per profeſſionem religioſam Matrimonium ratum diſſoluatur? ¶ In quo eſt duplex ſententia probabilis. Prima aſſerit nec iure diuino, nec iure naturali, ſed tantùm ex diſpenſatione Pontificis, & conceſſione Eccleſiæ id ortum ducere, quia ex unâ parte non adeſt textus in ſcripturâ,

ſcripturâ, qui talem vim profeſſioni religioſæ concedat, & ex aliâ ex ipſâ naturâ profeſſionis non videtur Matrimonium diſſolui, cùm non ſit maior ratio, quare vinculum Matrimonij præcedens non impediat vinculum ſubſequens Religionis, ſed quod vinculum Religionis ſubſequens irritet vinculum priùs contractum Matrimonij. Huius ſententiæ patroni ſunt Ochagau. *quæſt.* 5. *num.* 8. Leſ. *de iuſt. cap.* 41. *dub.* 8. Auerſ. *q.* 2. *ſect.* 6. Enriq. Gandauo. *quolib.* 5. *q.* 35. Michael de Medin. *de Sacram. hom. cont. c.* 86. Ledeſ. 3. *p. q.* 61. *fol. mihi* 591. Palaus *diſp.* 3. *punct.* 2. §. 4. *n.* 5. ex Suarez, 3 *tom. de Relig. lib.* 9. *c.* 6. per totum, *&* Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. 3. *p. c.* 6. *à n.* 3. Tenet etiam Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 2. *dub.* 30. *n.* 384. ex Perexio, *diſp.* 20. *ſect.* 3. *n.* 7. Franciſc. B. Spei. *n.* 36.

*Secunda ſententia, quòd iure diuino.*

75. Secunda ſententia docet non ex iure Pontificio, nec ex ipſâ naturâ profeſſionis diſſolui Matrimonium ratum per illam, ſed ex conceſſione Christi, quæ licèt ex Scripturâ non habeatur, habetur ex traditione Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum, & ex omnium Doctorum conſenſu, talem conceſſionem per traditionem concedentium. Ità Baſil. *lib.* 9. *cap.* 5. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 19. *num.* 3. N. Cornejo, *diſp.* 6. *dub.* 2. Trull. *l.* 7. *c.* 4. *dub.* 2. *num.* 3. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 5. *q.* 11. Gonet. *n.* 66. *&* 67. & alij apud ipſos. ¶ Quod probant hoc diſcurſu, quia Matrimonium diſſolui per profeſſionem non habetur ex diſpenſatione, aut authoritate Pontificis, ſed nec ex ipsâ naturâ profeſſionis: Ergò ex iure diuino, & conceſſione Christi Domini. Conſequentia eſt legitima, quia conſtat talem profeſſionem dirimere Matrimonium, & hoc ex nullo alio capite præter enumerata poteſt prouenire.

*Probatur ratione*

76. Probatur maior, id non haberi ex iure Pontificio, quia nullum extat: ſi quod enim daretur, maximè *c.* 7. *&* *c.* 14. *de conuerſ. coniugat.* Ibi tamen hoc non conceditur, ſed ſupponitur, quia potiùs ex iure Pontificio habetur Matrimonium ratum ex iure diuino diſſolui per profeſſionem, quia in *c. expoſuit* 20. *eod. tit.* dicitur quoſdam Sanctos ex diuinâ reuelatione à Matrimonio ad Religionem conuolaſſe, *& cap. ex publico, eod. tit.* dicitur ex Sacrâ Scripturâ deduci ex causâ profeſſionis Matrimonium ratum dirimi, ibi: *Quòd dicitur in Euangelio non licere viro, niſi ob cauſam fornicationis uxorem ſuam dimittere, intelligendum eſſe, ſecundùm interpretationem ſacri eloquij de his, quorum Matrimonium carnali copula eſt conſummatum.*

*Minor rationis probatur.*

77. Minor videlicèt, quòd nec ex naturâ profeſſionis id ſequatur, probatur dupliciter. Primò, quia iam Matrimonium ratum eſſet ex naturâ ſuâ diſſolubile, ſi per cauſam naturalē poſſet diſſolui, ſicut proculdubiò eſſet diſſolubile, ſi ob fornicationem alterius diſſolueretur. ¶ Secundò, quia votum ſolemne emiſſum poſt Matrimonium eſt inualidum: Ergò non poteſt vinculum Matrimonij validè diſſoluere. Probatur antecedens, quia res ſemel tradita uni, non poteſt alteri tradi abſque eius conſenſu, ſed per Matrimonium ratum fit traditio corporis alteri coniugi: Ergò non poteſt validè tradi Deo per votum profeſſionis.

*Tertia ſententia, quod iure naturali.*

78. Tertia, & verior ſententia dicit, quod licèt ex iure diuino, & Pontificio aliquomodò habeatur, per profeſſionem Religioſam diſſolui Matrimonium ratum, id etiam habetur ex naturâ ſuâ, ità quod licèt ex diſpenſatione diuinâ, aut Pontificis, id non haberetur, ſufficiens eſſet ipſa profeſſio religioſa ex naturâ ſuâ ad diſſolutionem talis Matrimonij. Ità D. Thom. *in* 4 *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *& in addit. q.* 61. *art.* 2. Domin. Sot. *in* 4. *diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 4 Caiet. *in opuſc.* 27. *quæſt. q.* 24. Palud. *diſt. dicta, q.* 3. *art.* 3. Durand. *ibi, q.* 2. *n.* 9. Bellarm. *lib.* 2. *de Matrim. c.* 38. Ludouic. Lopez, 2. *p. inſtruct. de Matr. c.* 39. *fol.* 1053. Turrecrem. *cap.* Sunt qui dicant 27. *q.* 2. *art.* 2. *n.* 3. Barthol. de Ledeſm. 2. *p.* 4. *q.* 55. *art.* 2. N. Gabr. *diſp.* 2. *n.* 36.

79. Probatur duplici ratione ex D. Thom. *loc. cit.* adductâ. Prima, quia ſicut per Matrimonium conſummatum eſt inter coniuges vinculum carnale: Ità per Matrimonium ratum eſt inter illos tantummodò vinculum ſpirituale, & ciuile, quod ex mutuo conſenſu contrahitur, ſed per mortem carnalem diſſoluitur Matrimonium conſummatum, & vinculum carnale per illud inductum: Ergò per ingreſſum Religionis vinculum ſpirituale, & ciuile, quod per Matrimonium ratum contrahitur, diſſoluitur, eò quòd Religio eſt quędam mors ciuilis, & ſpiritualis, quâ aliquis ſæculo moriens, viuit Deo, ſecundùm illud ad *Coloſſ.* 3. *mortui eſtis, ſed vita veſtra abſcondita eſt in Chriſto.* ¶ Secunda, quia ratio naturalis dictat, licitum eſſe ab imperfecto ſtatu ad perfectiorem aſcendere, ſi abſque iniuriâ alterius id fieri poteſt, ſed per hoc, quod aliquis à Matrimonio rato ad Religionem conuolet, tranſit à ſtatu imperfecto ad perfectiorem abſque alterius iniuria, ut diximus *n.* 73. Ergò in contractu talis Matrimonij imbibitur huiuſcemodi conditio, niſi intereà alter coniugum ad frugem melioris vitę tranſeat: Ergò id licitè fieri poteſt: Ergò Matrimonium præcedens diſſoluitur, aliàs non liceret huiuſmodi tranſitus, quia per illum iniuria irrogaretur coniugi in ſæculo manenti, qui cogeretur vitam cælibem ducere.

*Duplici ratione probatur.*

80. Sed obijcies, quod ſi hæc ratio aliquid probat; probaret etiam, quod per Ordinis ſacri ſuſceptionem, aut certè Epiſcopatus, imò etiam per votum quodcumque ſimplex caſtitatis matrimonium ratum diſſolueretur, cuius oppoſitum habemus. *Extrauag. Antiqua, de Voto.* Ioann. XXII. & ex communi Doctorum ſententia aſſerentium nec per votum ſimplex caſtitatis ſuperueniens, nec per ſuſceptionem Ordinis ſacri, aut Epiſcopatus matrimonium ratum diſſolui. Probatur ſequela: quia in omnibus his caſibus fit tranſitus ad ſtatum perfectiorem.

*Obiectio contraria.*

81. Reſpondetur negando ſequelam: eò quòd Ordo Sacer, Epiſcopatus, aut votum ſimplex caſtitatis non eſt mors perfecta, ſpiritualis, & ciuilis ſicut eſt profeſſio Religionis, quia adhuc in ſæculo viuere poſſunt, poſſeſſiones habere, voluntatem, & dominium rerum, quod in religione non recipitur. Vnde non eſt incompoſſibilis ſtatus Ordinis Sacri, v. g. cum ſtatu matrimonij ex naturâ ſuâ: ſed præcisè ex institutione Eccleſiæ votum ſolemne caſtitatis huiuſmodi in Ordinibus annectentis, & ideò in primitiuâ Eccleſiâ ſimul cum matrimonio ſtatus Ordinis Sacri inueniebatur, & modò in Eccleſiâ Græcâ, ut diximus *Tract. de Ordin. c.* 6. *dub.* 1. *n.* 13. Status autem Religionis cùm ſit mors ſpiritualis perfecta, incompoſſibilis eſt cum ſtatu matrimonij.

*Reſponſio illius.*

82. Sed urgebis: quòd etiam ſtatus Religionis non eſt incompoſſibilis cum matrimonio etiam conſummato, & ideò ſi uterque coniux ex mutuo conſenſu poſt conſummationem, Religionem ingrederetur,

*Vrgetur præcedens obiectio.*

grederetur, vinculum matrimonij permaneret: ut apud omnes eſt notum. Similiter quandò ex conſenſu alterius, vel propter illius adulterium, alter Religionem ingrederetur, non diſſoluitur matrimonium: & ſic in ſæculo manens non poteſt alteri nubere.

*Diſſoluitur quod appoſitum eſt.*

83. Reſpondetur. Quòd quandò matrimonium contrahitur, illa implicita conditio reperitur, niſi ad ſtatum perfectiorem tranſeat, antè traditionem actualem ſui, & poſſeſſionem alterius. Iſtâ namque ſecutâ, cùm iam non ſit ſolùm vinculum ſpirituale, ſed carnale, non poteſt per mortem dumtaxat ſpiritualem diſſolui, ſed quãdò perſeuerat præcisè in ratione vinculi ſpiritualis. Quarè cùm per cõſummationem matrimonij ſint traditio, & poſſeſſio, ac proinde vinculum carnale, non eſt incompoſſibile, niſi cum morte carnali, quod ſecùs accidit in matrimonio rato, & non conſummato, ut dictum eſt.

*Soluuntur fundamenta ſecundæ ſententia.*

84. Ad argumenta ſecundæ ſententiæ *num.* 77. adducta reſpondetur. Ad primum, quòd ut diximus *num.* 21. *&* 22. non eſt contrà indiſſolubilitatem matrimonij, quòd ex cauſâ ſuperiori accidentaliter ſuperuenienti diſſoluatur, ut ibidem explicuimus. Profeſſio autem religioſa, ſicut eſt ſtatus perfectior, eſt cauſa ſuperior ſuperueniens matrimonio: & ideò non tollis, quòd ex naturâ ſuâ ſit indiſſolubile: maximè, quia ſub tacitâ conditione contrahitur, niſi ante conſummationem ad ſtatum perfectiorem tranſiero: & ideò eius indiſſolubilitas ſaluatur per hoc, quòd niſi ex illâ conditione non dirimatur. ¶ Ad ſecundum dicimus ex D. Thom. *q.* 61. *in* 3.*p. art.* 2. *ad* 2. Quòd per matrimonium ratum ſolùm fit traditio imperfecta, & non tranſlatio corporis unius ſub poteſtate alterius, imò nec abſoluta traditio, niſi ſub conditione iam dictâ: & ideo non tollitur, quòd per votum religionis coniugis corpus Deo cõſecretur.

*In quibus religionibus matrimonium ratum diſſoluatur.*

85. Habemus igitur, quòd per profeſſionem in religione approbatâ diſſoluitur matrimonium ratum, quòd verificatur de quacumque religione, non ſolùm clauſtrali, ſed etiam militari, in qua votum perfectæ caſtitatis emittitur; ut eſt in religione S. Iohannis. In reliquis autem Calatrauæ, Alcantaræ, D. Iacobi, &c. non ita: quia licèt in eis votum caſtitatis emittatur, non eſt abſolutę, ſed coniugalis. Ità Ledeſ. 3.*p.q.* 61. *art.* 2. *ad* 4. Sanch. *diſp.* 18.*n.* 8. Dicaſt. *diſp.* 2. *dub.* 32.*n* 401. Auerſ. *q.* 2. *ſect.* 6. Palaus, §. 4. *n* 1. Baſil. *lib.* 9.*c.* 7. Imò etiamſi dicti milites D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, ex conſenſu ſuorum ſuperiorum, vel ex ſuâ voluntate votum caſtitatis abſolutæ emitterent, cùm hoc non habeant ex ſuâ inſtitutione, & ſolemni profeſſione, matrimonium ratum non diſſoluerent. Ità Baſil. Palaus, *&* Auerſ. *loc. cit.* *Quamuis* Dominic. Sot. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 4. Sarmient. *lib. de Reddit. Eccleſ. part.* 4. *cap.* 1. affirment de omnibus his religionibus Militaribus nullâ demptâ matrimonium non diſſoluere. Certùm tamen eſt apud omnes per profeſſionem Monialium, aut Clericorum Ordinis Militaris ſub clauſurâ viuentium, diſſolui tale matrimonium. Ità Sanch. *num.* 7. Sot. *loc. cit.* Dicaſt. *n.* 400. Trull. *dub.* 3. *num.* 7.

*Non diſſoluitur per ingreſſum, ſed per profeſſionem.*

86. Non tamen diſſoluitur matrimonium prçcisè per ingreſſum religionis, ſed per profeſſionem ſolemnem in illâ, & ideò in ſæculo manens debet expectare, donec coniux profeſſionem emittat, ut poſſit ad alias nuptias peruenire. Nec in hoc ipſi irrogatur iniuria, cùm par ſit conditio coniugum quoad hoc, & idem ius habeat uterque, & non per quamcumque profeſſionem, ſed per profeſſionem ſolemnem, & ideò per vota ſimplicia emiſſa in Societate poſt biennium, & per vota ibidem emiſſa Coadiutorum formatorum: & in noſtrâ religione per vota ſimplicia Donatorum, matrimonium ratum non diſſoluitur. Tum: quia non ſunt vota perpetua ſaltem ex parte admittentis. & ſic rationabili cauſâ poſſunt à Superioribus dimitti, & ſuper illis diſpenſari. Tum etiam: quia *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *Can.* 6. Solùm per profeſſionem ſolemnem, matrimonium dirimi aſſerit. Ita N. Cornej. *pag.* 943. Auerſ. *quaſt.* 2. *ſect.* 6. Vazq. 1.2.*q.* 165. Sanch. *num.* 6. Enriq. *lib.* 11.*c.* 8.*n.* 7. Dicaſt *diſp.* 2. *dub.* 31. Trull. *dub.* 3. N. Gabr. *n.* 35. Anton. *ſect.* 3.

*Quid de mantelatis, quæ vulgò dicuntur Beatæ.*

87. Mantelatæ verò, quæ vulgò dicuntur Beatæ, aut Tertiariæ B. Mariæ de Monte Carmelo, S. Franciſci, S. Dominici, & S. Auguſtini, quæ habitum religionis in ſæculo aſſumunt, & quæ extrà clauſtra viuentes quædam vota faciunt, per illa matrimonium ratum non diſſoluunt. Ità Palaus, §. 4. *n.* 1. Sanch. *n.* 5. quia non ſolemniter profitentur. Per vota verò prædictarum Mantelatarum, quæ in communi viuunt, & ſolemniter profitentur, diſſoluitur dictum matrimonium. Ità Sanch. *n.* 4. Palaus, *n.* 1. Trull. *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 3. *n.* 8. Baſil. *lib.* 9. *cap.* 8. *n.* 2. Qui aſſerit ſic reſpondiſſe Paulum III. *&* Dicaſt. *diſp.* 2. *dub.* 32. *n.* 403. Refert ità declaraſſe Sixtum V. Quia ſub regulâ approbatâ profeſſionem ſolemnem emittunt: & ſic de hâc re non eſt ampliùs dubitandum. Sed notandum eſt ex tacitâ profeſſione in quâcumque religione matrimonium ratum non diſſolui; ſed requiri profeſſionem expreſſam ſecundum Trull. *c.* 4. *dub.* 2. *nu.* 4. Ex Zerola, *in praxi, par.* 1. *&* 2. *verb. Profeſſio*: Quia tacita, inquit, profeſſio æquiualet ſimplici profeſſioni. Vnde ſicut iſta non diſſoluit matrimonium ratum: neque illa.

## PVNCTVM IV.

### *De Bimeſtri conceſſo coniugibus ad deliberandum de ingreſſu religionis.*

*Datur in iure bimeſtre ad deliberandum de religionis ingreſſu.*

88. EX *cap. Ex publica* 7. *de Conuerſ. Coniugat.* Habemus bimeſtre concedi coniugibus ad deliberandum de ingreſſu religionis, intrà quod non tenentur debitum reddere petenti quo tranſacto tenentur, & hoc tempus conceſſum eſt, ut inquit D. Thom. 3.*p.q.* 61. *art.* 2. *ad* 2. propter tria. 1. *Vt interim poſſit deliberare de tranſeundo ad religionem.* 2. *Vt præparentur, quæ ſunt neceſſaria ad ſolemnitatem nuptiarum.* 3. *Ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpirauit dilatam.*

*Quatuor quæſtiones proponenda ſunt.*

89. Sed circà hoc ſunt quatuor quçſtiones breuiter decidendæ. Prima. An tempus iſtud conceſſum coniugibus ſit pro ingreſſu in religionem, an ad profeſſionem in illâ? ¶ Reſpondetur hoc tempus conceſſum eſſe ad deliberandum de ingreſſu, non autem ad profeſſionem: quia iuxtà *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 15. Non poteſt quis profiteri ante annum approbationis, ut, & ipſe religionem experiatur, & religio eum, cognoſcat: Ergò bimeſtrç conceſſum coniugibus non poteſt ad profeſſionem referri, ſed ad ingreſſum in religionem. Vnde in ſçculo manens expectare debet toto anno

*Prima.*

approbationis, antequàm poſſit nubere. Imò contingere poteſt, quòd per quadriennium: ut ſi ſponſa duodennis tranſeat ad religionem, cùm profiteri nequeat antè decimum ſextum annum expletum iuxtà *Trident. ſeſſ. 25. cap. 15.* Videantur Sanch. *lib. 2 diſp 24. q. 1. & 2.* Baſil. *lib. 9. cap. n. 2.* Palaus, *diſ 3. punct. 2. §. 5. n. 2.* Enriq. *lib. 22. de Matrim. cap. 3 num. 12.* Qui addunt, quod ſi ſponſus prætextu religionis profeſſionem differat, vagando de unâ in aliam religionem, poſſet, & deberet iudex Eccleſiaſticus compellere ipſum dato termino peremptorio, ut in unâ religione maneat, in quâ completo anno nouitiatus profiteatur, vel redeat ad coniugem.

*Secunda quæſtio proponitur.*

90. Secunda quæſtio eſt. An tranſacto bimeſtri dato ad deliberandum de religione poſſit aliquis ad religionem tranſire, ſi nondùm matrimonium conſummauerat, quantumcumque tempus intercedat? ¶ Reſpondetur, quòd abſque conſenſu coniugis non poteſt licitè religionem ingredi, poteſt tamen validè, & ideò ſi in religione profiteatur, matrimonium diſſoluitur. Quòd non poſſit licitè probatur: quia tranſacto bimeſtri, ſibi conceſſo tenetur reddere debitum cõiugi petenti: Ergò non poteſt religioſus fieri, quòd incompoſſibile eſt cum uſu matrimonij, niſi accepto conſenſu ab altero coniuge. Quod autem validè poſſit, probatur: quia Concil. Trid. in beneficium religionis abſolutè ſtatuit, diſſolui matrimonium, antequàm conſummatur, per profeſſionem illius. Vndè cum in dicto caſu conſummatum non ſit, ſemper verificatur diſſolui per profeſſionem religioſam: & bimeſtre conceſſum ab Eccleſiâ ad deliberandum, ſolùm eſt: ut ultrà illud non poſſit coniux in ſæculo manens debitum negare petenti, ſed uſque ad tale tempus neuter habeat ius petendi, & ſic poſſit denegari ſine iure petenti. Ità Cornejo *diſp. 6. dub. 2 §. Quo poſito.* Sanch. *n. 27.* Baſil. *num. 7.* Dicaſt. *dub. 33. n. 412.* Trull. *l. 7. c. 4. dub 6. num. 7.*

*Tertia quæſtio proponitur, & diſſoluitur.*

91. Tertia quæſtio eſt. An coniux, qui intentionem non habet, nec cogitationem de ingrediendo, vel non ingrediendo religionem, poſſit uti bimeſtri conceſſo à iure: ità ut intrà illud non teneatur reddere debitum, alteri coniugi petenti? ¶ Reſpondetur affirmatiuè: quia licèt nunc non habeat propoſitum, poteſt animum mutare, & ad meliorem frugem conuerti; & utitur iure ſuo non præcludendo aditum ad meliorem ſtatum per cõſummationem matrimonij. Præterquàm quòd illud bimeſtre non ſolùm ad deliberandùm de ingreſſu in religionem conceditur ab Eccleſiâ: ſed propter alias rationes, quas *n. 88.* Ex D. Thomâ adduximus. Ità Barth. de Ledeſ. *de Matr. dub. 75. concl. 3.* Enriq. *lib. 11. de matr. cap. 5. n. 7.* Sot. *in 4. diſt. 27. quæſt. 1 art 3.* Palaus, *num. 7.* Conin. *diſp. 26. dub. 4. num. 46.* Dicaſt. *diſp. 2. dub. 33. nu 410.* Trull. *num. 6.*

*Quarta quæſtio reſoluitur.*

92. Quarta quæſtio eſt. An licitè poſſit aliquis contrahere matrimonium eo animo, ut poſt contractum antè conſummationem, ad religionem conuolaret? ¶ Reſpondetur, quòd ſi abſque urgentiſſimâ causâ id faceret, peccaret mortaliter, hâc tamen interueniente non peccaret, ſed potiùs ad id aliquandò adſtringeretur. Prima pars probatur: quia matrimonij contractus eſt traditio perpetua ad uſum matrimonij: Ergò contrà illius facit naturam, qui eo animo iniret coniugium: maximè quia faceret alteri iniuriam, qui expectare teneretur, & abſque nuptijs alijs permanere, uſque ad profeſſionem religioſam, & ſi non profiteretur, viuere cogeretur cum eo, qui à religione diſcederet, quòd non parùm eſt indecorum. Ità Rodrig. *tom. 1. ſum. cap. 244. numer. 5.* Auerſ. *quæſt. 2. ſect. 6.* D. Antoni. *3. part. tit. 1. capit. 4. in fine*, Sanchez, *libr. 1. diſp. 46. numer. 13.* Dian. *3. part. tract. 4. reſol. 281.*

*Secunda pars reſolutionis probatur.*

93. Secuoda verò pars probatur in caſu, in quo aliquis ſub iuramento ſponſalia promiſiſſet: quia quamuis non teneretur ad illius adimpletionem, ut dictum eſt *cap. 2. n. 18.* At ſi commodè poteſt, & iuramentum implere abſque aliquo damno coniugis, & ad ſtatum perfectiorem tranſire, id facere tenetur. Et ſi fœminam defloraret, vel magna iactura famæ illius ob familiaritatem habitam immineret, vel fortè prolem ex eâ habuit, quam legitimare erat iuſtum; in his caſibus non ſolùm poterit, ſed tenebitur pro qualitate rerum. Caiet. *in ſumm. verb. Matrimonium*, Ledeſm. *3. par. quæſt. 53. articul. 1. dub. 1 concluſ. 2.* Baſil. *libr. 6. capit. 12. num. 5.*

## CAPVT V.

### *De unitate requiſitâ ad Matrimonium.*

DE hâc materiâ agunt aliqui, quandò de impedimento *ligaminis* diſſerunt. Alij verò hoc loco circà eſſentiam, & proprietates matrimonij, cuius una eſt *unitas* illius, ſeu quòd ſit unius viri cum unâ fœminâ, & unius fœminę cum uno viro, quos ſequi in hâc procedendi ſerie placuit: quia quantùm fieri poſſit, quę ſpectant ad impedimenta matrimonij, & latiùs ſunt pertractanda, prætermittere decreuimus, ne poſteà caput illud de impedimentis matrimonij longiùs protendatur.

Caput hoc continet tria puncta.

*Punct. I. Quo iure ſit prohibita uxorum multiplicitas? num. 1.*

*Punct. II. Fueritné aliquandò licita multiplicitas uxorum? Quibus? Et quando? num. 31.*

*Punct. III. Vtrùm matrimonium cum ſecundâ uxore mortua prima, licitum ſit, & verum Sacramentum? Et quæ certitudo mortis prioris coniugis ad hoc requiratur? num. 54.*

## PVNCTVM I.

### *Quo iure ſit probibita uxorum multiplicitas?*

*Nominum explicatio.*

1. VT Ea, quæ *hoc capit.* dicenda ſunt, innoteſcant, præmittendum eſt, quid ſit *Polygamia*? Quid *Monogamia*? Quid *Bigamia*? Quid *Biuina*, ſeu *Biuinatus*? Quia de his in illo ſæpiùs agemus. *Polygamia* igitur eſt coniugium unius viri cum pluribus uxoribus ſimul recentis. *Monogamia* eſt cum unâ tantum matrimonium. *Bigamia* eſt coniugium cum pluribus ſucceſſiuè: ità ut unâ mortuâ cum aliâ contrahatur. *Biuina* dicitur mulier

Google

lier cum pluribus viris ſimul contraheos, & eodem tempore retentis.

*Fœmina plures viros habere non poteſt.*

2. Et ut à communioribus incipiamus, ſupponendum eſt tamquàm ab omnibus admiſſum, biuinatum, ſeu coniugium unius fœminæ cum pluribus viris eſſe non ſolùm lege diuinâ, ſed etiam naturali prohibitum: irà ut ſuper hoc à nullo poſſit fieri diſpenſatio, imò nec à Deo diſpenſatum umquàm fuiſſe, quòd probat D. Thom. *in 4.diſt.33. quæſt.1. art.1. & in addit. quæſt.65. art. 1. ad 6.* D. Auguſtin. *libr. de bono coniug. cap.17. & libr. 3. de Doctr. Chriſt. cap.* 12. Conſtatque ex illo Pauli 1. *ad Corinth.* 7. *His autem, qui matrimonio coniuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus uxorem à viro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Si ergò à viro ſeparata, innupta debet permanere, & ei coniugium cum alio prohibetur, multò magis, quòd ſimul plures retineat, cum per hoc bonum prolis impediatur: cum commixtio ſeminum diuerſorum virorum generationem impediat, ut in meretricibus cernitur. Similiter eius educatio impeditur: quia nulli conſtaret, cuius eſſet filius, & ſic omnes ab eius educatione deſiſterent: aliaque potiori iure incommoda ſequerentur, ob quæ dicemos eſſe illicitum matrimonium viri cum pluribus uxoribus, & irritum matrimonium ſecundum.

*Pluralitas virorum eſt contrà prima legis naturæ præcepta.*

3. Quarè huiuſmodi matrimonium mulieris cum pluribus viris eſſe contrà prima legis naturæ præcepta, quamuis non contrà uniuerſaliſſima, de quibus infrà, rectè aſſerunt D. Thom. *loc. cit.* Cornejo, *tractat.6. diſp.* 1. *dub.* 4. Trull. *libr. 7. cap.9. dub.* 14.*num.*4. Dicaſtill. *diſput.* 2. *dub.*43. *num.*544. Sanchez, *libr. 7. diſp.*80. *num.* 15. Ledeſm. 3.*part. quæſt* 65. *artic.*2. *concluſ.*2. Wiggers, *q.41.c.1.dub.*5. N.Gabr.*diſp.1.q.*6.Gonet.*diſp.1.art.* 3. Et ratio eſt: quia id eſt contrà prima legis naturæ præcepta, quod eſt contrà primarium finem matrimonij: ſed huiuſmodi eſt tale matrimonium, cùm ſit contrà generationem, & prolis educationē, ad quam ex primariâ ſuâ inſtitutione inſtitutum fuit matrimonium Quarè licèt in lege antiqua diſpenſatum fuerit cum pluribus viris, ut plures ſimul haberent uxores, ut dicemus *punct. ſeq.* numquàm tamen legitur cum fœminis diſpenſatum eſſe, ut plures haberent viros. Non tamen propterea approbamus, quod dicunt Bellarm. & Cornejo citati. Videlicet non poſſe à Deo ſuper hoc diſpenſari: quia ut probant reliqui authores citati, nulla apparet in hoc repugnantia, ut poſſet Deus mulieri concedere, ut plures haberet viros: quia poſſet Deus, ut omnium ſupremus Dominus, ei in plura corpora virorum poteſtatem totalem præbere, ipſa ſolummodò partialem poteſtatem ſui ſingulis tribuendo, quomodò cum ſingulis validum maneret matrimonium. Qualiter autem poſſit Deus in his, quæ ſunt contrà legem naturæ primariam, vel ſecundariam diſpenſare? Dicemus *puncto ſeq.*

*Duplex obiectio contra dicta.*

4. Sed contrà ſuppoſitionem datam objicies. Primò: quòd in *capit. Gaudemus, de Diuort.* dicitur, quòd vir, & fœmina ad paria iudicantur: ſed aliquandò licuit uni viro pluralitas uxorum: ergò etiam uni uxori pluralitas virorum. ¶ Secundò: Potentior eſt una fœmina ad reddendum debitum pluribus viris, quam unus vir pluribus fœminis: Ergò minùs aduerſatur naturæ quod una fœmina cum pluribus viris contrahat, quàm quòd unus vir cum pluribus fœminis: & conſequenter ſi hoc ſolùm eſt contrà ſecundaria præcepta naturæ, ut dicemus, etiam illud.

*Solutio obiectionum.*

5. Reſpondetur ad primum: quòd licèt in lege Euangelicâ, in quâ prohibetur tàm fœminæ plures viros, quàm viro plures uxores habere, verificetur, quod dicto *cap. Gaudemus*, docet Innocentius III. At verò attentâ naturâ matrimonij non ità: nam per hoc, quod unus vir plures fœminas habeat, non impeditur finis primarius matrimonij, qui eſt prolis procreatio, & educatio: cùm conſtare poſſit de parente certo, & unus vir pluribus fœminis fœcundandis ſufficiat. Impeditur autem ſi una fœmina plures viros habeat, ut dictum eſt. ¶ Ad ſecundum reſpondetur ſolùm ex vi illius probari ad remedium concupiſcentiæ, quòd eſt ſecundarius finis matrimonij, minùs obſtare coniugium fœminæ cum pluribus viris, quàm viri cum pluribus fœminis; non verò reſpectu primarij.

*Omnino eſt illicita polygamia.*

6. Statuto iam eſſe prohibitum, & nullum matrimonium fœminæ cum ſecundo viro retento priori, etiam ut receptiſſimum apud omnes Catholicos, ſupponendum eſt polygamiam eſſe poſt legem Chriſti omnibus prohibitam, in quo omnes Catholici conueniunt (quidquid ſit an lege ſolâ Chriſti? An lege diuinâ antiquâ? An lege ipſa naturali?) quod eſt contrà errorem Lutheri, qui hoc eſſe illicitum negauit, & Anabaptiſtarum, & ſpurciſſimi Mahumeti, qui in ſuâ lege nefandâ plures habere uxores viris conceſſit. Sed contrà hos omnes, inquit *Concil. Tridentin. ſeſſion.* 24. *Canon.* 2. *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege diuinâ eſſe prohibitum. Anathema ſit.* Quærimus ergò quâ lege id prohibeatur?

*Iure poſitiuo humano eſt prohibita.*

7. Sit prima concluſio polygamiam, ſeu pluralitatem uxorum eſſe in primis lege poſitiuâ humanâ prohibitam. Quod habetur in *Concil. Nicæn. Canon.* 24. & 76. & *Tridentin. loc. citat. & capit.* 5. *de Doctrin. Matrimon. in Florent. de Sacrament. Matrimon. in Illiberit. capit.* 8. Similiter Innocentius III. *in capit. Gaudemus, de Diuort.* Siricius Papa *epiſtol.* 1. & habetur *in capit. Videtur nobis* 35. *quæſt.* 6. *capit. Cùm in captiuitate* 34. *quæſt.* 1. Alexander III. *capit. Licet, de ſponſa duorum*, & alijs pluribus iuribus paſſim ab authoribus allegatis: Imò etiam ex iure ciuili id habetur. *Nam in lege Nemo Iudæorum, C. de Iudæis.* Statuitur neminem intrà Romanum Imperium degentem, etiamſi Iudæus fuerit, poſſe habere plures uxores. Idem habetur *leg. Neminem, C. de inceſtis, & inutilibus nuptijs.*

*Aliqua iura, quæ videntur polygamiam adſtruere.*

8. Sed in oppoſitum ſunt aliquæ leges tàm ex iure ciuili, quàm Canonico. Nam Valentinianus Imperator Chriſtianus, ut cum Iuſtinâ nuberet, retentâ Seuerâ uxore ſuâ, legem tulit, ut cuicumque volenti liceret duas uxores habere legitimas; eamque in ſingulis ciuitatibus diuulgauit, ut refert Socrates *libr. 4. Hiſtor. capit.* 26. & Iulius Cæſar (ut inquit Suetonius, *in eius vitâ, capit.* 52.) legem tulit, ut liceret viris, quas poſſent uxores habere, liberorum procreandorum causâ. Et in *capit. Si qua mulier* 31. *quæſt.* 1. de viro, qui deprehendit uxorem, ſibi machinatam fuiſſe mortem, dicitur: *Poteſt ipſam uxorem dimittere, & ſi voluerit aliã ducere.* Et *c. uxor à viro* 31. *q.*7. idem dicitur de viro, qui deprehendit uxorem in adulterio, quòd poſſit eam dimittere, & aliam

ducere: quamuis uxor non poſſit alteri nubere. Et *cap. ſeq. quod propoſuiſti*, de viro, cui non poteſt uxor reddere debitum, dicitur: *Ille, qui ſe non poteſt continere, nubat magis.* Et alijs iuribus, quæ latè, & eruditè adducuntur, & diſſoluuntur à Baſil. Pont. *l.7.c.*52.

*Soluuntur iura allegata.*

9. Ad primum ex iuribus ciuilibus dicimus, Iulium Cęſarem & Valentinianum erraſſe in promulgatione talium legum, iſte amore concupiſcentiæ ergà Iuſtinam inductus, ille politico deſiderio, populum augeſcendi, quorum decreta per iura Canonica fuerunt reuocata. Imò legem Iulij Cæſaris non admiſiſſe Romanos teſtatur idem Suetonius: cùm ipſi crederent, nec propter ſterilitatem debere fidem coniugij diſſolui, ut teſtatur Valerius Maxim. *lib.2. de Memor. dict.* quem ad hoc adducit D. Thom. 3. *contrà Gent. cap.*124. Imò, & legem Valentiniani minimè ab eo, nec ab alio Principe Catholico fuiſſe latam, ex pluribus probat Baronius *tom.4. Annal. ſub anno Domini* 370. Et falſum hoc à Socrate illi fuiſſe impoſitum. Vndè concludit: *Ceſſet igitur de infami lege ſuſpicio, de duarum ſimul uxorum coniugio: ſileat aſſerta calumnia, atque euaneſcat in auras, qui ſummâ leuitate concinnatus, & ab aliquibus aſſertus error. Duxit quidem Valentinianus Iuſtinam, ſed poſt Seueræ prioris uxoris obitum.*

*Quæ ex iure Canonico adducuntur, explicantur.*

10. In capitibus autem: *Si qua mulier, & uxor à viro* ſermo eſt, quòd poſt obitum uxoris, poſſit vir alteri nubere; quòd uxori prohibetur, ut mortuo marito poſſit contrahere cum alio in pœnam ſui delicti, quamuis alij alias interpretationes adhibeant, hæc tamen colligitur ex ipſo textu. Nam in *cap. Si qua mulier, additur: Poteſt ipſe poſt mortem uxoris, ſi voluerit ducere*: ut in Decretalibus legitur. Et in pœnam uxoris dicitur: *Ipſa verò inſidiatrix pœnitentiæ ſubiecta abſque ſpe coniugij, maneat.* In *cap. Verò. Quod propoſuiſti*: caſus eſt de impotentiâ mulieris ad reddendum debitum, ut ſuo loco dicemus: quomodò matrimonium eſt nullum: & ſic licèt viro cum aliâ nubere.

*Lege Christi prohibita eſt pluralitas uxorum.*

11. Sit ſecunda concluſio: Lege diuinâ Chriſti Domini prohibita eſt polygamia: ità ut illicitum, & nullum ſit matrimonium cum ſecundâ uxore. Ità *Trident. Canon.* 2. Et in ſacris Canonibus ſuprà adductis habetur. Et Marci. 10. Luc. 16. Matth. 19. ubi ſecundum communem interpretationem Patrum, & Doctorum, Chriſtus Dominus docet, non licere dimittere uxorem, & aliam ducere, & qui ſic duxerint mœchari; ſi cum aliâ commiſceantur. Ex quo deducitur ſecundum vinculum nullum, & irritum eſſe, & ſi nullum eſt, & illicitum matrimonium cum duabus unâ dimiſſâ, multò magis utrâque retentâ. Et ideò Matth. 19. reducens Chriſtus Dominus matrimonium in ſuum primum ſtatum, cum quo à Deo inſtitutum eſt, inquit: *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori, & erunt duo in carne unâ.* Vbi, ut ponderat Innocentius III. *in cap. Gaudemus, de Diuort.* omnia in ſingulari appoſuit, ut monogamiam adſtrueret.

*Explicatur ſententia Caietani.*

12. Ex quo deducitur, quòd ſententia Caiet. 1. *Thim.* 3 explicans illa verba: *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* Et Marc. 10. *verſ.* 11. dicentis: *Hic apparet plenus litteræ ſenſus, quam ideò exactè explicauerint, ut intelligatur verùm eſſe, quod Theologi dicunt, ſcilicèt legem de unitate uxoris, nullibi in Canonicis libris eſſe ſcriptam*: Si intelligatur hoc ſenſu, quòd non eſt expreſſa in ſacrâ Scripturâ, verum continet: quia nullibi inuenitur expreſſè, non licere viro duas uxores habere. At verò ſi intelligatur quod, nec explicitè, nec implicitè: ità ut non deducatur ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, error eſt; cuius oppoſitum deciditur in *Concil. Nicæn. Canon.* 24. ibi: *Nemo debet duas uxores ducere, ſicut Deus ordinauit.* Et Innocentius III. *in cap. Gaudemus, de Diuort. & Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. At verè nullibi deciditur expreſſum eſſe in Scripturâ; quin potiùs oppoſitum docuit D. Thom. 3. *part. quæſt.* 65. *art.* 2. *in corp.* his verbis: *Lex autem de unitate uxoris non humanitus, ſed diuinitus inſtituta, nec unquàm verbo, aut litteris tradita, ſed cordi impreſſa: ſicut alia, quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent.*

*Lege diuinâ antiquâ fuit prohibita polygamia.*

13. Sit tertia concluſio: non ſolùm lege diuinâ Chriſti, & poſt Euangelium, ſed etiam lege Dei antiquâ, & antè illud, eſſe prohibitam polygamiam: ità ut nec Iudæi, neque Gentiles poſſent licitè, aut validè cum duabus contrahere matrimonium præciſà diſpenſatione diuinâ, de quâ *punct. ſeq.* Ità Sot. *in* 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 2. *art.* 2. Ledeſm. *art.* 2. Palaus, *diſp.* 3. *punct.* 1. *n.* 3. Cornej. *tract.* 8. *diſp.* 1. *dub.* 4. Leandr. *tract.* 9. *diſp.* 18. *quæſt.* 4. Sanch. *n.* 3. Baſil. *lib.* 7. *cap.* 49. *n.* 3. Auerſ. *quæſt.* 14. *ſect.* 1. Wiggers. *loc. cit.* Herinx, *diſp.* 4. *q.* 3. Quod probatur ex *cap. Gaudemus* 8. *de Diuort. ubi* Innocentius III. inquit: *Nec ulli unquàm licuit plures uxores habere, niſi cui eſt à diuinâ reuelatione conceſſum*: Ergò aliquo iure diuino ſaltem poſitiuo fuit talis polygamia prohibita; aliàs alicui liceret abſque diſpenſatione diuinâ. Vnde ibi dicitur infideles, ſi ad fidem conuertantur, teneri relinquere coniugem poſteriorem, & cum priori habitare. Et *Concil. Nicæn. Can.* 24. *Nemo debet* (inquit) *duas uxores habere, ſicut Deus ordinauit*: Ergò iam ex Dei ordinatione id erat prohibitum.

*Textus ex Scripturâ adducuntur.*

14. Quod etiam conſtat ex Geneſ. 2. Tum, illis verbis: *Erunt duo in carne unâ.* Quæ verba diuinum præceptum exprimere inquit *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. nam poſtquàm ea retulit, ait: *Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari, & coniungi Chriſtus Dominus apertius docuit: cùm poſtrema illa verba tamquàm à Deo prolata referens dixit: Itaque iam non ſunt duo, ſed una caro.* Tum etiam illis verbis: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne unâ.* Ex quibus verbis: Nicolaus I. *cap.* 5. & Innocentius III. *cap. Gaudemus citat.* probant ex Dei inſtitutione eſſe unitatem viri, & fœminæ ponderantes, quòd non dixit, adhærebit uxoribus, ſed uxori; nec dixit erunt tres, vel plures in carne unâ, ſed duo.

*Sententia contraria, & illius argumenta.*

15. Contrà hanc concluſionem tenet Durand. *in* 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *n.* 6. Palac. ibidem, *q.* 1. Caiet. 1. *ad Thimot.* 3. Marci. 10. & Matth. 10. & *c.* 16. *in Geneſ.* Abulenſ. 1. *Reg.* 8. *q.* 25. & 19. Matth. *q.* 30. Veracruz, 2. *part. Specul. art.* 15. *concl.* 1. & 2. quod probant. Tum: quia D. Auguſt. *lib.* 22. *contrà Fauſt. cap.* 47. & *lib. de bono coniug. cap. ultim.* inquit nullâ lege polygamiam prohibitam eſſe. Tum etiam: quia nulla conſuetudo præualet contrà ius diuinum, *cap. final. de conſuet.* & *docet* D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 3. *ad* 1. Sed Iacob excuſatur ducere quatuor uxores propter conſuetudinem, ut habetur *in cap. Obijciuntur* 32. *quæſt.* 4. ex D. Auguſt. *lib.* 22. *contrà Fauſt. c.* 47. & 48. quod etiam tenet D. Thom. 3. *par. quæſt.* 65. *art.* 1. Tum denique: quia ex Scripturà habetur viros Sanctos plures habuiſſe uxores, ut Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, &c. Et

tamen

tamen non conſtat de diſpenſatione Dei circà hoc illis impertitâ: ergò abſque eâ erat licitum : nullâ ergò diuinâ lege erat prohibitum.

*Soluuntur quæ oppoſita ſunt à contrariâ ſententiâ.*

16. Ad primum reſpondetur, D. Auguſt. loqui ſuppoſitâ diuinâ conceſſione de pluritate uxorum, quomodò, inquit, non manere polygamiam prohibitam. ¶ Similiter ſecundum argumētum ſoluendum eſt : quia ſolùm ſuppoſitâ diuinâ diſpenſatione, poterat conſuetudo licitum facere id, quod erat contrà ius diuinum, quare hâc ſeclusâ nullo modo poteſt per conſuetudinem introduci, ut pluralitas uxorum liceat, ut docet benè Sancb. *lib.* 7. *diſput.* 80. *n.* 10. Sot. *quæſt.* 1. *art.* 2. Dicaſtill. *diſp.* 2. *dub.* 42. *n.* 534. ¶ Ad tertium reſpondetur ex D. Thom. *quæſt.* 65. *art.* 2. *in corp.* quod talis diſpenſatio à Deo facta eſt per inſpirationem internam, quæ quidem principaliter Patribus ſanctis facta eſt, & per eorum exemplum ad alios deriuata eſt eo tempore, quo oportebat prædictum præceptum prætermitti; ut maior eſſet multiplicatio prolis, ad cultum Dei educandæ.

*Iure naturali prohibita eſt polygamia non per primaria eius præcepta.*

17. Sit quarta concluſio. Multiplicitas uxorum prohibita eſt per ius naturale, & per præcepta eius, non quidem quantum ad primum finem, quem natura intendit in matrimonio: ac proindè non contrà prima præcepta iuris naturæ; ſed quātùm ad finem ſecundarium : proindeque per ſecundaria legis naturæ præcepta. Hanc concluſionem ſtatuimus contrà duas oppoſitas ſententias, quas infrà referemus, alteram dicentem nullo modo eſſe iure naturæ polygamiam prohibitam, alteram non utcumque eſſe prohibitam iure naturæ, ſed per primaria illius præcepta, & tamquam contrariam fini primario matrimonij. Noſtra autem concluſio mediâ viâ incedit, quam tenet D. Thom. *in* 4. *quæſt.* 1. *art.* 1. & 2. & imò, quod correſpondet *in addit.* 3. *part. q.* 65. *art.* 1. & 2. Baſil. *n.* 3. Sancb *n.* 8. Becan. *cap.* 46. *q.* 2. *n.* 4. Cornej. *diſp.* 1. *dub.* 4. Trull. *n.* 3 Ferrar. 3. *contrà Gent. cap.* 124. Auerſ. Banacin. *q.* 3. *punct.* 10. Dicaſt. Palaus *n.* 4. Gonet. *loc. cit.*

*Explicatur aſſertio.*

18. Pro intelligentiâ autem utriuſque partis concluſionis notandum eſt naturæ ius nihil aliud eſſe, ut docet D. Thom. 3. *contrà Gent. cap.* 24. & 1. 2. *quæſt.* 34. *art.* 1. quam dictamen rectæ rationis circà ea, quæ agenda ſunt, aut fugienda : Et ideò præceptum iuris naturæ nihil aliud eſt, quam illud dictamen rationis dictans ea, quæ agenda ſunt, & quæ ad finem intentum ſunt conformia. Huiuſmodi autem præcepta in duplici differentia ſunt. Aliqua ſunt circà uniuerſalia, & immediatè ipſo lumine naturæ nota, ut quod malum eſt fugiendum, bonum faciendum, quod ſibi nemo vult, non velit alteri, &c. Et hæc præcepta dicuntur prima præcepta naturæ uniuerſaliſſima, circà quæ non poteſt cadere diſpenſatio, eo modo, quo *dub. ſeq.* dicemus. Alia ſunt particularia præcepta iuris naturæ, ut ſunt concluſiones, quæ ex illis uniuerſaliſſimis principijs deducuntur, quę etiam ſunt in duplici differentiâ. Alia, quæ faciliter, & ab omnibus deduci poſſunt : & ſic ſunt præcepta Decalogi abſolutè ſumpta. Alia, quæ pluribus intermedijs conſequentijs inferuntur, & proindè non ſunt omnibus nota, ut ſunt aliqua præcepta Decalogi, ſecundùm quod aliquibus circumſtantijs veſtiuntur: ut quòd non liceat mentiri, etiam ad ſaluandam vitam : quòd furtum non liceat, etiam ob elēemoſynam largiendam. Et in uniuerſum ea, quæ ſunt contrà primarium finem à naturâ intentum in aliquâ operatione, ſunt de præcepto primario naturæ, licèt non uniuerſaliſſimo. Ea verò, quæ talem finem difficilem reddunt, vel contrà finem ſunt ſecundarium naturæ, inter ſecundaria illius præcepta continentur.

*Fines in matrimonio intenti.*

19. Secundò ſupponendum eſt, quòd matrimonium ſecundùm rectam rationem contractum ad triplicem finem ordinatur, ut docet D. Thom. 3. *part. quæſt.* 65. *art.* 1. qui triplex finis triplici bono coniugij correſpondet. Primum bonum coniugij eſt. *Proles* : Et ideò matrimonium tamquàm ad finem primarium ad generationem, & educationem prolis ordinatur : ideoque quod contrà hunc finem fuerit eſt contrà primarium naturæ præceptum. Secundum bonum matrimonij eſt *fides coniugum* : & ideò ordinatur ad vitæ ſocietatem, & bonorum communicationem ſecundariâ intentione matrimonium. Tertium bonum eſt *Sacramentum* : Et ideò tertius finis eſt matrimonij ſignificatio unionis Chriſti cum Eccleſiâ, quibus quartus finis additur ob remedium concupiſcentiæ. Primus finis conuenit homini ſecundùm quòd conuenit cum reliquis animalibus, ut animal eſt. Secundus, & quartus conueniunt homini, ut homo eſt. Tertius verò conuenit homini, ut eſt Chriſtianus. Quod ergò contrà hos fines ultimos matrimonij fuerit, dicitur eſſe contrà ius naturæ ſecundum illius præcepta ſecundaria.

*Probatur eſſe iure naturali prohibitam.*

20. Probatur ergò, quòd ſit polygamia ex iure naturæ prohibita, & contrà dictamen rectæ rationis. Nam licèt contrà finem primarium illius non ſit abſolutè, eò quòd idem homo pluribus fœcundandis fœminis ſufficiat, & ad educandos filios ex illis, eſt tamen contrà alios. Nam vitæ ſocietas, quæ eſt inter virum, & fœminam, non eſt, quòd illa ſit ancilla, & inſeruiens, ſed particeps imperij in familiâ, ut docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 92. *art.* 3. Et ideò ex latere viri fuit producta, ut oſtendatur ipſam magis ut ſociam, & eiuſdem imperij participem fore habendam, quam ut ancillam; ſed principatus ſingularitatem requirit, ut inquit D. Auguſt. *lib. de bono coniug. cap.* 17. Ergò eſt contrà talem vitæ ſocietatem, quòd plures uxores admittantur. Prætereà rixæ, & diſſenſiones frequenter in familiâ ex huiuſmodi multiplicitate pullularent etiam inter fœminas modeſtas; cum zelotypiâ laboret fragilis fęminarum ſexus, & fieri nequeat, ut affectus viri non magis circà unam, quam circà aliam feratur. Quòd non per accidens contingeret ex malitiâ ipſarum, ut dixit Durandus, ſed per ſe attentâ naturâ rerum, imò per accidens fieret oppoſitum. Etiam eſt contrà bonum ſacramenti cùm ſignificare nequeat coniunctionem Chriſti cum Eccleſiâ, quę fuit unius cum unâ, ſi cum pluribus eſſet coniugium. Etiam contrà ultimum finem, qui eſt remedium concupiſcentiæ : cùm vir unus omnibus ad votum fœminis ſatisfacere non poſſet, & fortè eodem tempore plures debitum peterent : & ideò periculo incontinentiæ omnium nequiret obuiare.

*Non poteſt Summus Pontifex diſpenſare ſuper hoc.*

21. Ex quo deducitur, nec Eccleſiam, nec ſummum eius paſtorem poſſe diſpenſare ullo modo, ut quis plures uxores ducat: quia ipſe non poteſt diſpenſare in his, quæ ſunt iure diuino, & naturali præcepta : eius namque eſt diſpenſare, cuius eſt legem condere. Vndè ſicut lex naturæ ſolùm à Deo eſt condita, ſolùm ab authore naturæ eſt diſpenſabilis.

ſabilis. Ità D.Thom. *in 4. diſt. 33. quæſt. 1. art. 2. in corp.* Sot. *ibi, concl.* 4. Ledeſm. *art. 2. dub. 1. concl. 5. & dub. 4. concl. 1.* Dicaſt. *diſp. 2. dub. 42. n.* 533. Cornej. *tract. 6. diſp. 1. dub. 4.* Baſil. *n.* 3. Ferrar. *c.* 124. Becan. Trull. *c. 9. dub. 14. num.* 5. Sanch. *n.* 9. Bellar. *lib. 1. de matrim. cap. 11. propoſ.* 1.

*Probatur non eſſe contrà prima præcepta.*

22. Secunda pars aſſertionis, nimirùm non eſſe per primaria naturę pręcepta polygamiam prohibitam, probatur, quia tunc aliquid iure naturæ ſecundum eius primaria præcepta prohibetur, quãdò eſt contrà primarium finem in actione à naturâ intentum; ſed polygamia non eſt contrà finem primarium à naturâ intentum in matrimonio, cùm non ſit contrà prolis generationem, & educationem; quin potiùs huic fini ſuffragetur: quia unus vir pluribus fœcundandis fœminis ſufficit: & ſi una eſt ſterilis, prægnans, vel infirma, ad alias accedendo poteſt multiplicationi filiorum incumbere. Quapropter in lege Moyſis, ut dicemus *punct. ſequent.* quia populus Dei erat in numero pauciſſimus, conceſſum eſt illis plures habere uxores: ut filijs multiplicatis multitudo credentium augeretur.

*Duplex ſententia oppoſita.*

23. Sed contrà iſtam ſententiam, ut diximus, duplex ſententia extrema reperitur. Vna, quæ aſſerit polygamiam iure naturæ prohibitam non eſſe, quam docent authores *n.* 15. relati, qui dixerunt nullum ius diuinum, aut naturale eſſe, quod tale prohibeat. Secunda dicit multiplicitatem uxorum eſſe contrà ipſam eſſentiam matrimonij, & primariam intentionem illius: ac proindè non poſſe à Deo fieri, quòd eſſentia matrimonij permanente cum pluribus contrahatur: & ideò matrimonium verum non eſſe, etiamſi ex diſpenſatione Dei cum duabus celebretur. Ità Ledeſm. 3. *part. quæſt. 65. art. 1. concl. 2.* & alij citati à Sanch. *lib. 7. diſp. 8. num. 6.*

*Prima duplici argumento probatur.*

24. Prima ſententia probatur. Primò: quia, ut diximus, multiplicitas uxorum fini primario matrimonij eſt conducens, imò multoties neceſſaria, ut quandò fœmina eſt ſterilis, vel infirmitate laborat: ergò quamuis ſit contrà alios fines ſecundarios, ſemper eſt conformis matrimonij naturæ, cùm iuſta ratio exigat, ut finis ſecundarius etiam cum detrimento ſui, fini primario cedat. ¶ Secundò: quia mulier poteſt in totum cedere iuri ſuo, facultatem viro præbendo, ut in religionem ingrediatur: ergò etiam in partem, ei præbendo licentiam, ut cum alterâ nubat, quamuis ipſa à ſui debiti ſolutione multoties priuetur.

*Fit ſatis utrique.*

25. Reſpondetur ad primum ex D. Thom. *q. 65. cit. art. 2. in corp.* quòd cùm talis multiplicitas ſit ſolùm contrà legem naturæ, non quantum ad prima præcepta eius, ſed quantum ad concluſiones, quæ ex primis præceptis deriuantur, variari poteſt ſecundum diuerſas conditiones perſonarum, temporum, & aliarum circumſtantiarum: *Sed quia non eſt facilè determinare huiuſmodi varietates: ideò illi, ex cuius authoritate lex efficaciam habet, reſeruatur, ut licentiam præbeat legem prætermittendi in illis caſibus, ad quos legis efficacia ſe extendere non debet, & talis licentia diſpenſatio dicitur.* Itaque, licèt in aliquibus caſibus finis ſecundarius naturæ primario cedere debeat, tamen hoc determinare pertinet ad eum, qui legem naturæ ſtatuit, ut ex eius diſpenſatione fiat. ¶ Ad ſecundum reſpondetur uxorem poſſe cedere iuri ſuo in eo, quòd præcisè cedit in fauorem illius, non verò in eo, quod non præcisè in fauorem eius cedit, ſed à naturâ ipſâ rerum efflagitatur. Quarè poteſt ipſa præbere facultatem, ut vir religionem intret priuando ſe à ſolutione debiti coniugalis, quod eſt in fauorem eius præcisè; non verò, ut corpus ſuum alijs per matrimonium tradat, quod eſt contrà naturam matrimonij.

*Secunda ſententia ex quadruplici argumento probatur.*

26. Denique pro ſecundâ ſententiâ ſic arguitur. Primò, quia eſſentia matrimonij non poteſt abſque mutuâ traditione conſiſtere: ſed ſemel factâ traditione viri reſpectu fœminæ vir non poteſt alteri ſuum corpus tradere; quia ſecundum Apoſt. *1. ad Corinth. 7. Mulier poteſtatem non habet ſui corporis, ſed vir: ſimiliter nec vir poteſtatem habet ſui corporis, ſed mulier.* Ergò coniugium non erit verum poſt verum matrimonium: & ideò ſicut eſt contrà prima præcepta naturę mulierem habere duos viros: ità virum, habere duas uxores. ¶ Secundò: quia per matrimonium obligatur vir coniugi petenti debitum reddere; ſed multiplicitas uxorum eſt contrà iſtam obligationem, cùm non poſſit vir pluribus ſimul petentibus reddere debitum coniugale: Ergò eſt contrà ſubſtantiam matrimonij, & ſic per prima præcepta prohibitum. ¶ Tertiò: quia contrà primum naturæ præceptum eſt, ut quod tibi non vis, alteri velis: ſed vir non vellet uxorem alium ducere: Ergò eſt contrà naturæ primum præceptum, ipſum cum aliâ nubere. ¶ Quartò: quia id, quod habuit matrimonium in primâ ſui inſtitutione, ità videtur de eius eſſentiâ, ut ſine eo cõſiſtere nequeat: ſed in ſuâ primâ inſtitutione fuit unius cum unâ: Ergò eſſe non poteſt matrimonium cum pluribus.

*Primum ſoluitur argumentum.*

27. Ad primum reſpondetur verba Apoſtoli currere poſt legem Euangelicam, in quâ ſicut mulieri prohibetur multiplicitas virorum, & ideò in totum debet tradere corpus viro: ſic viro multiplicitas uxorum, & ſic in totum debet ſe tradere uxori: non verò attentâ naturâ matrimonij, ſecundum quam multiplicitas virorum eſt contrà eius primarium finem, ut diximus *n.* 3. non verò uxorum multiplicitas. Cùm ergò non ſit ex primario naturę fine, quod vir totaliter tradatur uxori, poterit ſaluâ naturâ matrimonij, alteri poteſtatem ſui corporis impertire.

*Secundum ex D. Thomâ ſoluitur.*

28. Ad ſecundum reſpondet D.Thom. 3. *p. q. 65. art. 1. ad 6. Ad ſeptimum dicendum: quòd vir per matrimonium nõ dat ſui corporis poteſtatem uxori quantùm ad omnia, ſed ſolùm quantùm ad illa, quæ matrimonium requirit: non autem requirit matrimonium, ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat, niſi quantùm ad id, ad quod matrimonium principaliter eſt inſtitutum, ſcilicèt ad bonum prolis: & hoc eſt quantùm ſufficit ad imprægnationem. Requirit autem hoc matrimonium in quantùm eſt ad remedium conſtitutum (quod eſt ſecundarius ipſius finis) ut quolibet tempore debitum petenti reddatur.*

*Tertium ex eodem D. Thomâ diſſoluitur.*

29. Ad tertium reſpondet D.Thom. *eod. loc.* ad 7. ſic: *Ad octauum dicendum: Quòd illud præceptum legis naturæ, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, debet intelligi eâdem proportione ſeruata. Non enim ſi Prælatus non vult ſibi reſiſti à ſubdito, ipſe ſubdito reſiſtere non debet: & ideò non oportet ex vi illius præcepti, quòd ſicut vir non vult, quòd uxor ſua habeat plures viros, vel alium virum, quòd ipſe non habeat aliam uxorem: quia unum virum habere plures uxores non eſt contrà prima præcepta legis naturæ, ſed unam uxorem habere plures viros eſt contrà prima præcepta legis naturæ.*

30. Ad quartum ſimiliter reſpondetur ex *eod.*

D.Thom.

*Quartum ex eodem* D.Thom. *ſolvitur.*

D. Thom. *ibi ad 6. Ad ſextum dicendum: quòd natura humana abſque omni defectu inſtituta eſt: & ideò non ſolùm ſunt indita ei illa ſine quibus matrimonij finis principalis eſſe non poteſt, ſed etiam illa, ſine quibus ſecundarius finis matrimonij ſine difficultate haberi non poſſet: & hoc modo homini in ipsâ ſui inſtitutione habere unam uxorem ſufficit.*

## PVNCTVM II.

### *Fueritnè aliquandò licita multiplicitas uxorum? Quibus? Et quomodò?*

*Licita fuit polygamia Hebræis.*

31. Licuiſſe olim populo Iudæorum habere plures uxores ſimul, ità ut hoc fuerit eis à Deo conceſſum ſiue per diſpenſationem rigoroſam, ſiue per conceſſionem ſuæ ſupremæ poteſtatis: & non ſolùm permiſſum, ut minùs malum, ſed ut licitum, & abſque peccato exercitum, communis fert Doctorum ſententia, quàm docuit D. Auguſt: *lib. 22. contr. Fauſt. c. 47. & lib. 3. de Doctr. Chriſt. c. 22.* D. Thom. *in 4. diſt. 33. q. 1. art. 2. & in addit. q. 65. art. 2.* & expreſſè aſſeritur ab Innocentio III. *in cap. Gaudemus de Diuort.* Ibi dicitur ex diuinâ diſpenſatione olim Abraham, Iſaac, Iacob, & reliquis polygamiam licuiſſe, & ſupponitur *Deuter. capit.* 21. ibi: *Si habuerit homo duas uxores unam dilectam, alteram odioſam*: & *cap.* 17. ubi Regibus plurimas ſine numero habere uxores prohibetur, in quo innuitur aliquas habere eſſe licitum, & alijs ſine numero, quas vellent, & poſſent ſuſtentare, & colligitur ex eo, quòd viri ſanctiſſimi, & amici Dei ab ipſo ſæpènumero collaudati ut Abraham; Iacob, Dauid, & alij habuerunt pluses uxores, & non eſt credibile ipſos, aut ex ignorantiâ præcepti diuini, & naturalis proceſſiſſe, aut cum malitiâ, & peccato operatos fuiſſe: Ergò ex diuinâ diſpenſatione id fecerunt: quia cùm ex præcepto Dei, & naturali eſſet polygamia prohibita, ut diximus *punct. præced.* niſi diuinâ interueniente diſpenſatione non poterant ſine peccato plures uxores habere.

*Non obſtat, quòd Salomon reprehendatur.*

32. Nec contra hoc obeſt: quòd Salomon 3. *Reg.* 11. reprehendatur, quòd tot uxores habuerit, aut quòd concubinæ, aliæ, præter uxorem dicerentur, quo videtur innui non eſſe proprias uxores: & ſic nec licitum matrimoniū cum illis. Nam Salomon non reprehenditur, quòd cum pluribus contraxerit; ſed vel quia plurimæ nimis erant contrà præceptum Dei *Deuter.* 17. præcipientis nè Reges plurimas ſine numero admitterent uxores: quia hoc faciendo per poteſtatem, quam habebant, alios multoties ab habendis mulieribus ſibi debitis defraudabant, & etiam ipſi ab attentione requiſitâ pro bono regimine Reipublicæ abſtraherentur amore fœminarum allecti, imò impedirentur à filiorum procreatione: quia nimia luxuries, & diſtractio inter diuerſas mulieres obſtat prolis generationi, quod in ipſo Salomone cernitur, qui cùm tot mulieres habuerit, unum ſolum Roboamum filium habuit, vel quia cum alienigenis contraxit, quod erat prohibitum à Deo.

*Non obſtat, quòd aliæ uxores dicantur concubinæ.*

33. Nec ſimiliter obeſt, quòd poſteriores concubinę dicerentur: nam etiam proprię uxores hoc nomine olim appellabantur, ut conſtat *Geneſ.* 25. *& 26. Iudicum* 19. ubi una uxor Leuitæ concubina eius dicitur. Igitur uxores frequenter dicebantur illæ mulieres, quæ non ſolùm ad filiorum generationem, ſed ad domus adminiſtrationem aſſumebantur, quæ, ſi vir Rex erat, dicebantur Reginæ, etiamſi poſt matrimonium cum aliâ aduenerint, ut conſtat ex libro *Eſther* 4. 5. & 6. ubi ipſa Eſther Regina dicitur, tametſi cum Aſſuero, qui plures alias habebat, contraxerit. *Et Cant.* 6. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ.* Ex quo patet non unam ſolummodò uxoris nomine gaudere, ſed omnes, quæ ad gubernationem, & adminiſtrationem domus erant aſſumptę, ut conſtat ex 2. *Paralip.* 11. Vbi de Roboam dicitur, ſine eo, quòd circà hoc reprehendatur: *Vxores decem & octo duxerat, concubinas autem ſexaginta.* Illæ autem dicebantur concubinæ, quæ ſolùm ad generationem prolis, non ad domus gubernationem, & dominium aſſumebantur, tametſi verę uxores eſſent, & filij earum legitimi?

*Facta fuit talis conceſſio primis Patriarchis.*

34. Huiuſmodi autem diſpenſatio (propriè, vel impropriè dicatur, de quo ſtatim) facta fuit primò primis Patriarchis, & populi Principibus, ut Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, & alijs, cum quibus Deus paſſim loquebatur, & ex eis ad alios fuit deriuatâ, ſiue exemplo, ſiue verbo, ſiue conſuetudine, quæ ſuppoſitâ diuinâ diſpenſatione factâ prioribus parentibus licitam polygamiam reddebat; nec erat neceſſarium, quod ſingulis in particulari hæc diſpenſatio intimaretur, quamuis per eam omnes à tali obligatione manerent immunes, & ſic 1. *Reg.* 1. Elcana duas vxores aliam Annam, aliam Phenennam duxiſſe commemoratur, quin ſuper hoc aut ipſe, aut alij reprehendantur à Prophetis, vel à Scriptoribus ſacris; ſi autem id omnibus non liceret, cùm eſſet res adeò apud omnes uſitata, non eſt credibile non fuiſſe aliquandò à Deo monitos de malitiâ illius, vel à Prophetis reprehenſos. Maneat ergò omnibus id fuiſſe licitum quia ratio, quare Prophetis fuit ità conceſſum, nimirùm ad multiplicationem filiorum, qui ad cultum, & fidem Dei educarentur, æquè currebat in omnibus: cùm ob paucitatem populi Iudaici conueniens eſſet, quòd pluribus gauderent uxoribus: ut ſic faciliùs fideles, & Dei cultores multiplicarentur, atque ità docet D. Auguſt. & D. Thom. *loc. cit.* & Innocent. III. *cap. Gaudemus, iam dicto.* Bellar. *lib. 1. c. 11. prop. 3. & 4.* Valent. *4 p. diſp. 10. q. 1. punct. 3.* Sanch. *l. 7. diſp. 80. à n. 12.* Baſil. *l. 7. c. 49. n. 5.* Auerſ. *q. 14. ſect. 2.* Becan. *c. 46. q. 2.* Wigers, *3. p. qu. 41. c. 1. dub. 5.* Herinx, *n. 28.*

*Obiectio, & ſolutio illius.*

35. Sed obijcies: quòd ex tribus bonis matrimonij, videlicèt, proles, fides, & Sacramentum potiora, & meliora ſunt fides, & Sacramentum, quam prolis generatio: ſed hæc duo poſteriora bona impediuntur per polygamiam, ut conſtat ex dictis *punct. præced.* Ergò non debuit Deus illam diſpenſare ſolo intuitu primi finis: cùm iuſta non videatur diſpenſatio, in quâ minùs bonum maiori anteponitur. ¶ Reſpondetur ex D. Thom. *in 4. diſt. 33. q. 1. art. 2. ad 5. & in addit. q. 65. art. 2. ad 5.* ibi: *Ad quintum dicendum: quod proles, ſecundum quòd eſt bonum matrimonij, includit fidem ad Deum ſeruandam: quia ſecundum quod proles expectatur ad cultum Dei educanda, ponitur matrimonij bonum: fides autem ad Deum ſeruanda eſt potior, quam fides uxori ſeruanda, quæ ponitur ut bonum matrimonij, & quam ſignificatio, quæ pertinet ad Sacramentum; quia ſignificatio ad fidei cognitionem ordinatur: & ideo non eſt inconueniens ſi propter bonum prolis aliquid detrahitur alijs duobus bonis.*

36. Hæc tamen diſpenſatio non fuit facta primis Patriarchis verbo, vel ſcripto, vt docet D. Thom.

*Hæc diſpenſatio facta fuit per internam inſpirationem.*

Thom. *loc. cit. in corp.* ſed per internam inſpirationem. Et ratio eſt, quia talis debet eſſe diſpenſatio, qualis fuerit lex : ſed lex de monogamiâ non fuit verbo, vel ſcripto tradita, ut conſtat ; quia antè Moyſem, quandò etiam talis lex vigebat (diſpenſatione non appoſita) non fuit aliquod præceptum ſcriptum : (cùm ipſe fuerit, qui prior legem Dei litteris exarauit) ſed cordibus impreſſum: ergo per internam Dei inſpirationem debuit obtineri illius diſpenſatio.

*Non ſufficiebat dictamen rationis.*

37. Nec propterea ad hoc ſufficiens erat dictamen rationis, niſi ſpecialis Dei diſpenſatio adeſſet: quia dictamen rationis potiùs ad oppoſitum ſecundùm ſe inclinabat, & ad ipſum non pertinebat iudicare, an hîc, & nunc, & cum his circumſtantijs deberet ſequi, quod ius naturale ſecundùm ſe præcipiebat, vel ab eo deſiſtere ? Quia, ut inquit D. Thom. *loc. cit.* ad eum, qui legem fert, pertinet hoc iudicium, ſi ſuperſtes fuerit : cùm ergo Deus, qui naturam condidit, & unitatem matrimonio addixit, ſemper ſit, & viuat, ad ipſum ſpectat decernere, quid in tali caſu, & cum ijs circumſtantijs eſſet faciendum ? Vnde rectè dixit Innocent. III. *in cap. Gaudemus de Diuort.* nemini umquam licuiſſe, niſi ex diuinâ diſpenſatione (quæ diſtincta à rationis dictamine) plures uxores habere.

*Obiectio contra nuper dicta.*

38. Sed objicies: quòd, ut diximus, talis debet eſſe diſpenſatio, qualis lex fuerit : ſed lex de monogamia primò parenti ſolùm per dictamen rationis fuit impoſita, quo Deus præcipiebat id, quod erat ex iure naturæ in matrimonio : quia tunc non habebat præceptum aliquod poſitiuum à Deo circà hoc impoſitum : (ſiquidem in paradiſo præter præceptum de non edendo ex ligno vetito, nullum aliud poſitiuum præceptum babuiſſe, omnes aſſerunt) ergo ſufficiens erat dictamen rationis ad talem diſpenſationem obtinendam, nullâ aliâ inſpiratione ſpeciali Dei ſuperueniente.

*Solutio præcedentis obiectionis.*

39. Reſpondetur cum Becan. *num. 7. & N. Cornej. diſp. 1. dub. 4. concluſ. 3. & 4.* quòd primo parenti non ſolùm fuit impoſita lex naturalis de unitate uxoris per dictamen rationis, ſed etiam per internam Dei inſpirationem ipſum illuminantem, ut cognoſceret, quod etiam tunc quandò videbatur multiplicitas uxorum magis neceſſaria ad propagationem generis humani, adhuc eſſet ſibi prohibita, & ſuis poſteris, quamdiu diſpenſationem Dei non obtinerent, & per ipſum ad alios talis cognitio deuenit, & ſemper in lege naturali fuit conſeruata : cùm non legatur ante diluuium (præter Lamech, qui de hoc fuit reprehenſus ab Hier. *in Epiſt. ad Gerunt.*) aliquem plures uxores habuiſſe: quia tunc voluit Deus obſeruari, quod natura rerum exigebat, ut exemplum eſſet omnibus, quòd non erat licita polygamia, niſi quandò ipſe ob altiſſimos fines diſpenſationem concedebat.

*Alia obiectio difficilis.*

40. Sed objicies, non potuiſſe Deum talem diſpenſationem impertiri, ſi multiplicitas uxorum eſt contra id, quod ius naturæ exigebat : Ius namque naturale inuariabile eſt, ut ex *Inſtitutâ* colligitur, *de iure naturali gentium, & ciuil. §. Sed naturalia*, & ex iure *Canon. diſt. 5. cap. Hæc quæ* : ergo non poteſt Deus diſpenſare, aut immutare id, quod eſt de iure naturali debitum.

41. Hæc obiectio petit, ut explicemus, quandò poteſt Deus diſpenſare in præceptis iuris naturæ, & etiam in præceptis Decalogi, aut alijs minùs naturæ lumine notis : circà quod aliqui dixerunt, Deum propriè, & rigoroſè diſpenſare poſſe circà ea, quæ ſunt de iure naturæ ſecundariò, ut ſunt omnia præcepta Decalogi, & reliqua omnia, quæ ex primis præceptis generalibus legis naturæ deducuntur, non verò circà ipſa prima præcepta, quæ eſſentialiter, & intrinſecè ſunt rationi conformes : ac proinde eſſentialiter includunt honeſtatem, & oppoſitum illis, deformitatem. Quare ſicut Deus non poteſt eſſentias rerum immutare : ita nec facere, quòd bonum facere non ſit bonum ; & malum operari non ſit malum, & quòd non ſit rationi conforme ; ut quod ſibi aliquis non vult, alteri nolit ; & oppoſitum ipſi diſſonum. Quare in his tantùm non poſſe diſpenſationem cadere dicunt ; benè autem in reliquis, & ratio illorum eſt : quia qui liberè ponit legem poteſt ſuper illam diſpenſare : ſed Deus legem naturæ condidit, & præcepta Decalogi inſtituit : ergo ſicut Legiſlator humanus poteſt diſpenſare in legibus à ſe latis; ſic Deus in his, quæ ſunt de iure naturæ.

*Aliqui dicunt poſſe Deum diſpenſare in præceptis Decalogi.*

*Confirmatur ex diuerſis inſtantijs.*

42. Confirmatur : quia Deus diſpenſauit cum Iſraelitis, ut bona Ægyptiorum ipſis inuitis tollerent, quod eſt contra ſeptimum præceptum Decalogi; quòd Abraham filium occideret; quod eſt contrà quintum : quòd Oſeas ad mulierem fornicariam accederet ; quod eſt contrà ſextum : & ut diximus *cap. præced.* diſpenſare poteſt, ſuper indiſſolubilitatem matrimonij ; licet ſit contra ius naturæ, & etiam vota, quorum obligatio eſt de iure naturæ : ergo in omnibus, quæ ſunt de iure naturæ poterit diſpenſare.

*Veriùs eſt dicendum non poſſe.*

43. Sed nos dicimus, nec in primarijs præceptis poſſe cadere diſpenſationem, (quod eſt omnibus notum) nec in alijs ſecundarijs, ut ſunt præcepta Decalogi, & alia, quæ per conſequentias ex prioribus, & generalibus præceptis deducuntur, ut eſt monogamiæ præceptum; & alia, quæ ad matrimonium ſpectant. Ita D. Thom. 1. 2. *qu.* 100. *art.* 8. *& in 4. diſt.* 33. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. *& in addit. q.* 65. *art.* 2. *ad* 2. quod etiam tenet N. Cornej. *diſp.* 3. *dub.* 4. *fol.* 858. N. Salmantic. *t.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 7. *dub.* 1. *n.* 13. Auerſ. *q.* 14. *ſect.* 2. Suarez, *lib.* 2. *de Relig. c.* 15. *n.* 2. *&* 26. *& c.* 14. *n.* 5. Baſil. *lib.* 8. *de Matr. c.* 2. *n.* 6. Dicaſt. *diſp.* 2. *dub.* 42. *à num.* 526.

*Probatur ratione, quod diximus.*

44. Et ratio eſt : quia tunc datur vera, & propria diſpenſatio, quandò lex obligat abſque mutatione circumſtantiarum cauſantium obligationem : ſi enim circumſtantiæ mutentur, ita ut iam obligationem legis caſſatam reddant, non datur tunc diſpenſatio, quæ eſt relaxatio legis, reſpectu eorum, qui ſub tali lege continentur : ſed Deus non poteſt facere, ut manentibus eiſdem circumſtantijs, quę ex lege naturę obligationem pariunt ab eâ aliquis eximatur : ergò non poteſt verè, & propriè diſpenſare. Probatur minor: quia ea, quæ ſunt de iure naturali, habent intrinſecam, & eſſentialem honeſtatem debitamq; decentiam per conformitatem ad rectam rationem: ergo niſi circumſtantias mutet, ita ut iam non ſit lege prohibitum, quod erat, non poterit oppoſitum honeſtare, & conſequenter, nec verè, & propriè diſpenſare in his, quæ ſunt de iure naturæ. Dicitur autem multoties diſpenſare, ut in polygamiâ, in indiſſolubilitate matrimonij, prout diſpenſatio impropriè idem eſt, ac conceſſio; & ideo Deus hoc vel illud concedit fieri, mutatâ materiâ, & ſic obligatione legis ablatâ, ut iam dicemus.

45. Pro

*Quomodo in Decalogi præceptis non poſſit cadere diſpenſatio.*

45. Pro quo notandum eſt ex D. Thom. 1. 2. q. 100. *art.* 8. aliqua eſſe ex iure naturæ in ſuâ materiâ omninò inuariabilia: ità ut nunquàm in ipſis poſſint apponi tales circumſtantiæ, quòd oppoſitum reddatur honeſtum, ut ſunt ea, quæ contra præcepta prima, & generalia naturæ tendunt, & ſimiliter aliqua peccata contrà Decalogi præcepta, quæ immediatè Deo contrariantur, ut odium Dei, Idolorum cultus, mendacium, quod veritati diuinæ eſt contrarium: hæc non poſſunt à Deo fieri licita: quia ipſis eſſentialis eſt illa diſſonantia cum æternâ regulâ diuinæ ſapientiæ, & bonitatis. Alia verò, nimirum homicidium, furtum, fornicatio etiam manentibus ſuis rationibus formalibus furti, homicidij, &c. licita fieri non poſſunt: & ſic non poteſt Deus facere, quod licitum ſit furtum, licitum homicidium, licita fornicatio: hæc enim in ſuâ intrinſecâ ratione deformitatem includunt, à quâ denudari non poſſunt.

*Poſſunt immutari materia, ut non obliget.*

46. Cæterùm poteſt Deus ità materias harum rerum immutare, ut iam non furtum, non homicidium, non fornicatio ſit, & hoc modo concedere, ut licitè fiant variatis circumſtantijs. Sit exemplum in eis, quæ pro contrariâ ſententiâ diximus: nam Deus tanquam Dominus vitæ, & mortis, & in pœnam peccati originalis, ſicut poteſt omnes occidere, potuit Abraham facultatem præbere, ut filium occideret, ut miniſter Dei, & tunc non erat homicidium: quia hoc ſolùm eſt occiſſio hominis propriâ authoritate facta. Similiter ut Dominus omnium potuit dominium rerum, quas habebant Ægyptij, ad Iſraelitas transferre: & ſic non erat ablatio rei alienæ, proindeque nec furtum. Denique ratione ſui ſupremi dominij potuit mulierem fornicariam, quæ propria non erat Oleæ ipſi facere propriam, & dominium corporis eius illi præbere; & ſic accedere ad illam non erat acceſſio ad non ſuam, proindeque nec fornicatio.

*Id ipſum proſequimur.*

47. Deindè quia votum eſt promiſſio facta Deo, poteſt ipſe, vel homo ex conceſſione eius, cedere iuri ſuo, & ſic obligationem voti relaxare: quia votum non perſeuerat: ſtante autem voto formaliter non poteſt facere, quòd non obliget: quia hoc eſt illi intrinſecum, & eſſentiale. Denique ſicut Reſpublica poteſt diſſoluere alios contractus validè celebratos, qui ab ipsâ fuerunt inſtituti: ità Deus author matrimonij contractum illius caſſare: & ſic annullare matrimonium, non tamen facere poteſt, ut matrimonio permanente diſſolui poſſit: & hoc modo poteſt polygamiam licitam facere: quia cum dominium omnium in ſe contineat, poteſt facere, ut vir, qui ex naturâ matrimonij integrè debebat tradi fœminæ, non niſi in partem traditionem ſui illi impertiatur; ut poſſit alijs tradi ſecundùm aliam partem, & ſic cum eis matrimonium celebrare.

*Soluitur ratio in contrarium adducta.*

48. Ex dictis patet ad ea, quæ pro oppoſitâ ſententiâ adducuntur in confirmatione, ad rationem verò ex D. Thom. 1. 2. q. 100. *cit. ad* 2. his verbis. *Ad ſecundum dicendum: quod ſicut Apoſt. dicit, 2. ad Thim. 2. Deus fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt. Negaret autem ſe ipſum, ſi ordinem ſuæ iuſtitiæ, auferret, cum ipſe ſit ſua iuſtitia: & ideò in hoc Deus diſpenſare non poteſt, ut homini liceat non ordinatè ſe habere ad Deum, vel non ſubdi ordini iuſtitiæ eius etiam in his, ſecundum quæ homines ad inuicem ordinantur.* Quare licèt homines, quorum leges ipſum ordinem iuſtitiæ non continent, poſſint in illis diſpenſare, ſecùs verò Deus reſpectu eorum, quæ ſunt de iure naturali, in quibus ipſe ordo iuſtitiæ eſſentialiter inuenitur.

*Duo de nouo inquiruntur.*

49. Nunc inquires primò. An diſpenſatio, vel conceſſio dicta de multiplicitate uxorum extenſa fuerit olim etiam ad Gentiles? An verò ſolùm intrà populum Hebraicum contineretur? ¶ Secundò. An modò poſt legem Chriſti duret, vel ablata fuerit, & quandò?

*Prima reſolutio quæſtionis.*

50. Ad primum reſpondent aliqui etiam Gentiles potuiſſe uti licitè illâ diſpenſatione, & ideò quòd validum, & licitum erat matrimonium apud illos cum pluribus uxoribus celebratum, quod probabile iudicat Sanch. *nu.* 13. *& tenet* Baſil. *lib.* 7. *cap.* 49. *nu.* 4. Rebell. *lib.* 3. *de Matr. q. ult. nu.* 8. Valen. 4. *p. diſp.* 10. *q.* 1. *punct.* 3. Bellar *lib.* 61. *de Matrim. cap.* 11. *prop.* 5. Herinx, Gonet *nu.* 73. & probatur ex D. Auguſt. *lib.* 22. *contra Fauſt. cap.* 44. & habetur *in cap. obijciuntur* 32. *quæſt.* 4. ubi aſſerit in locis, ubi Iacob duxit quatuor uxores, *Geneſis* 31. licitam fuiſſe conſuetudinem plures ducendi uxores, quæ conſuetudo (ſi ad illos diſpenſatio dicta non extenderetur) illicita eſſet: ſed in illa terrâ erant Gentiles, & ſic Laban idola colebat. Quod etiam ex *lib. Eſther* colligitur: ubi fœmina Sanctiſſima Eſther, & à Scriptura laudata, matrimonium cum Aſſuero Gentili celebrauit, qui alias iam habebat uxores; quod non faceret, ſi id apud Gentiles non liceret.

*Ad infideles non eſſe extenſam dictam diſpenſationem ſunt qui dicant.*

51. Alij verò aſſerunt talem conceſſionem ſolùm fuiſſe factam populo Iudaico, in quo ratio diſpenſationis inueniebatur, ut nimirum populus fidelis augeretur, & proles ad cultum Dei multiplicarentur, quæ ratio apud Gentiles non vigebat: & ideò quòd ipſi exemplo Iudæorum inducti, vel ex ignorantiâ iuris naturalis, & diuini, plures ducebant, licèt ex ſe hoc eſſet peccatum, & illicitum. Ità Sanch. *loc. cit.* N. Cornej. *concl.* 4. Dicaſt. *dub.* 43. *num.* 547. Soto *in* 4. *diſt.* 33. *q.* 1. *art.* 2. *verſ. Longe tamen* Enriq. *lib.* 12. *de Matr. cap.* 6. *num.* 2. *& lib.* 11. *cap.* 2. *nu.* 3. utraque ſententia eſt probabilis.

*Dicta diſpenſatio caſſata eſt à Chriſto Domino.*

52. Ad ſecundam quæſtionem dicimus dictam diſpenſationem omninò per Chriſtum fuiſſe ſublatam Matth. 19. Marc. 10. Luc. 16. ubi Chriſtus Dominus matrimonium, ad ſuam primariam inſtitutionem reduxit, & ad ſuum rigorem, quem ex lege Dei, & naturæ primitùs habebat. Quarè nunc nec licitè, nec validè poſt primum matrimonium poteſt matrimonium cum alia celebrari, quod etiam apud infideles, & extrà Eccleſiam inuenitur: & ideò ipſis polygamia eſt omninò illicita: & ſi ad baptiſmum perueniant, tenentur cum priori uxore viuere, & ab alijs ſeparari: quia dato legem Chriſti Domini extrà Eccleſiam infideles non obligare, hæc tamen non eſt lex ipſius Chriſti præcipiens unitatem uxoris, ſed matrimonium reformans, & ipſum reducens ad primum ſtatum, quo à Deo inſtitutum eſt, auferens diſpenſationem uſque tunc à Deo conceſſam. Vnde ſicut ius naturæ, & diuinum omnes obligat: ità monogamia, quæ eſt de iure diuino, & naturali. Ità definitum eſt in *Trident. ſeſſ.* 24. *Can.* 2. *& cap.* 1. *& in cap. Gaudemus de Diuort.* Docentque Ledeſm. 3. *p. q.* 65. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 5. Becan. *cap.* 46. *q.* 2. *nu.* 10. N. Cornej. *diſp.* 1. *dub.* 4. Sanch. *ſupr. nu.* 14. Soto *concl.* 3 Bellarm. *lib.* 1. *de Matr. cap.* 11. Auerſ. Baſil. *nu.* 5. N. Gabr. *nu.* 59. Herinx *nu.* 29.

*Obiectio, & ſolutio ex D. Th.*

53. Sed objicies, quòd ubi eſt eadem cauſa diſpenſandi, debet eadem diſpenſatio fieri: ſed modò eadem eſt cauſa diſpenſandi circà pluralitatem uxorum, quæ olim erat, nimirum multiplicatio populi fidelis ad cultum Dei; ergò videtur adhuc inter Chriſtianos talem diſpenſationem durare. ¶ Reſpondet D. Thom. *in addit. q.65.art.2. ad 4. Ad quartum dicendum: quòd veniente Chriſto fuit tempus plenitudinis gratiæ Chriſti, per quam cultus Dei in omnes gentes ſpirituali propagatione diffuſus eſt: & ideò non eſt eadem ratio diſpenſationis, quæ erat ante Chriſti aduentum, quando cultus Dei carnali propagatione multiplicabatur, & conſeruabatur.* Ratio autem, quare antè aduentum Chriſti cultus Dei carnali propagatione augebatur, nunc verò ſpirituali, hæc eſt: quia lex circumciſionis Abrahæ conceſſa, & poſteà lex Moyſis ſolùm ad populum Hebræum extendebatur, qui niſi carnaliter propagaretur, pauciſſimi eſſent fideles; lex autem Chriſti Domini ad omnes extenditur Iudæos, Barbaros, & Idololatras qui per baptiſmum poſſunt ad fidem Dei perduci.

## PVNCTVM III.

*Vtrum matrimonium cum ſecunda uxore, mortuâ primâ, licitum ſit, & verum Sacramentum? Et quæ certitudo mortis prioris coniugis ad hoc requiratur?*

*Secundum matrimonium licitũ eſt, & validum.*

54 MAtrimonium ſecundum, vel tertium, vel quartum, &c. vitâ functo priori marito licitum eſſe, & validum, fides Catholica tenet, & in *Concil. Nicæn. Can.8.* deciditur, & *Florent. in Armen inſt. & in c. aperiam 31.q.1. & cap. ſuper illa, cap. Secundum Apoſtolum, de ſecund. nupt.* quam docet D. Thom. *in 4.diſt.42.q.3 art.1. & in addit. q.63 art 1.* D. Auguſt. *lib. de Bono viduali, cap.12. lib. 16. de Ciuit cap. 34.* D. Chryſoſt. *Homil 10. in Epiſt. ad Epheſ.* D. Hieron. *in Apolog. ad Pamach. Non damno* (inquit) *bigamos, imò nec trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos.* Et *in Comment. ſuper cap.1. ad Titum* dicit librum Tertulliani de Monogamiâ, in quo damnat ſecundas nuptias, eſſe hæreticum.

*Probatur veritas Catholica.*

55. Et probatur ex illo *ad Rom.7. Quæ, ſub viro eſt mulier, alligata eſt: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Et *1. ad Corinth.7. Si dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult, nubat.* Vbi, ut notat Aug. *loc. cit. de Bono vid.* Non dixit: Si primus, aut ſecundus vir mortuus fuerit, ut licitas quaſcumque nuptias poſt mortem coniugis oſtendat. Et ratio eſt, quam ponit D. Thom. quia mortuo primo marito diſſolutum fuit vinculum matrimonij: ergò nullum eſt ligamen, aut impedimentum, ut poſſit mulier cum alio contrahere, & cum aliàs ad fines matrimonij multoties ſecundæ nuptiæ conducant: ut ſi prolem non habuit ex primo matrimonio, habeat ex ſecundo: ſi concupiſcentia inflammet, quæ per aſſiduitatem exercitij prioris connubij magis ad copulam inclinat, in remedium concupiſcentiæ erit conducens, & ad alia bona, ad quæ matrimonium eſt inſtitutum licitæ, & laudabiles erunt ſecundæ nuptiæ.

*Aliquæ obiectiones contrà Catholicam veritatem.*

56. Sed objiciunt aliqui hæretici oppoſitum ſentientes. Primò: quòd D. Chryſoſt. *Hom. 32. in* Matth. & refertur in *cap. hac ratione 31. q.1.* dicit ſecundas nuptias in veritate fornicationem eſſe: ſed fornicatio non eſt licita, nec actus validi matrimonij: ergò nec licitè, nec validè ſecundum matrimonium contrahitur. ¶ Secundò: quod D. Ambroſ. *in 1. ad Corinth. 7. in fine*, nuptias ſecundas bonum non eſſe aſſerit: ergò non ſunt licitæ: quia ſi licitæ eſſent, bonum opus, & honeſtum eſſet. ¶ Tertiò: quia ſecundas nuptias contrahentes ab Eccleſia reijciuntur à ſuſcipiendis Ordinibus, & irregularitatem incurrere docet totum *capit. de bigam.* Sed hoc, niſi illicitæ eſſent, non fieret: ergò. ¶ Quartò: quia eadem Eccleſia præcipit non benedici, qui ſecundum matrimonium celebrant. *Capit. vir, de ſecund. nupt.* ergò quia malum, & illicitum. ¶ Quintò: quia in iure ciuili multiplices pœnæ aſſignantur viduis ſecundum matrimonium celebrantibus, ut conſtat ex *leg. 1. C. de ſecundis nupt. Authentica de nuptijs, §. primæ, collect. 4. leg. ſupra mulier 4. C. ad Senat. Conſult.*

*Soluuntur ex D. Th. duæ obiectiones.*

57. Ad primum reſpondet D. Thom. *quæſt. 63. cit. art. 1. ad 1. Ad primum ergò dicendum: quod Chryſoſt. loquitur quantum ad cauſam, quæ aliquandò ſolet ad ſecundas nuptias incitare ſcilicèt concupiſcentiam, quæ etiam ad fornicationem incitat.* Poſſet etiam reſpondere homilias illas non eſſe Chryſoſtomi: cum plures errores contineant; ſed *Authoris operis imperfecti in* Matthæum, *quæ* Chryſoſtomo Falsò attribuuntur. Verus namque Chryſoſt. *homil. 20. ad Epheſ.* Secundas nuptias non poſſe damnari proclamat. ¶ Ad ſecundum etiam reſpondet D. Thom. ibi: *Ad ſecundum dicendum: quod ſecundum matrimonium dicitur non eſſe bonum: non quia non ſit licitum: ſed quia caret illo honore ſignificationis, qui eſt in primis nuptijs, ut ſit una unius: ſicut in Chriſto, & Eccleſia.* Vndè permiſſæ dicuntur ab Ambroſio ſecundæ nuptiæ, non ut malum, ſed ut minus bonum, comparatione facta cum prioribus: Abſolutè tamen de illis loquendo, eas laudat Ambr. *lib. de viduis poſt medium.*

*Tertia obiectio ſoluitur.*

58. Ad tertium reſpondet D. Thom. *in ſol. ad 4. Ad quartum dicendum: quòd irregularitas non ſemper inducitur propter culpam,* (ut conſtat in homicidio authoritate iudicis, quod abſque culpâ ob defectum lenitatis inducit irregularitatem: in deformitate corporis: & in noſtro caſu, cum quia primò contrahit cum corrupta, de quibus ſuo loco dicemus) *ſed propter defectum Sacramenti; & ideò ratio non eſt ad propoſitum.* Irregularitas ergò bigamiæ ob defectum ſignificationis perfectæ incurritur, cum aliquis cum duabus contrahit, vel etiamſi cum vnâ viduâ, vel ab alio cognitâ, quandò matrimonium conſummatur; quia tum non perfectè ſignificatur unio Chriſti cum Eccleſiâ, quæ eſt unius cum unâ.

*Quarta obiectio ſolutur, & ratio, quare benedicenda non ſunt ſecunda nuptia adducitur.*

59. Ad quartum reſpondet D. Thom. *diction. quæſt.63. artic.2. ad 2.* his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quod ſecundum matrimonium, quamuis in ſe conſideratum ſit perfectum Sacramentum, tamen conſideratum in ordine ad primum habet aliquid de defectu Sacramenti; quia non habet plenam ſignificationem, cum non ſit una unius; ſicut eſt in matrimonio Chriſti, & Eccleſiæ, & ratione huius defectus benedictio à ſecundis nuptijs ſubtrahitur. Sed hoc eſt intelligendum, quandò ſecundæ nuptiæ ſunt ſecundæ, & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contrahit cum viro, qui habuit aliam*

uxorem,

*uxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur; ſaluatur enim aliquo modò ſignificatio etiam in ordine ad primas nuptias; quia Chriſtus, etſi unam Eccleſiam ſponſam habeat; habet tamen plures perſonas deſponſatas in una Eccleſia; ſed anima non poteſt eſſe ſponſa alterius, quam Chriſti, quia aliàs cùm Dæmone fornicatur, nec eſt ibi matrimonium ſpirituale. Et propter hoc quandò mulier ſecundò nubit, nuptiæ non benedicuntur propter defectum Sacramenti.*

*Impugnatur ratio aliorum ad id probandum.*

60. Ex quo patet inſufficientem eſſe illam rationem, quâ aliqui, imò plures probant ſecondas nuptias non debere benedici: quia iam ſupponuntur benedicti ſponſi per primas, ne repetatur benedictio; & per repetitionem vileſcat: cum benedictio prima perſeueret. Tum: quia etiam vir, qui prius contraxerat, benedictionem recepit, & tamen docet: D. Thom. benedicendum eſſe, quandò cum virgine, vel non nuptâ contrahit: Tum etiam: quia Sacramenta omnia, quæ non imprimunt characterem, poſſunt repeti, & benedictio illorum reiterari, ut conſtat in alijs: ergò ſimiliter poſſet repeti in matrimonio, niſi ratio D. Thomæ obſtaret. Ex quo deducitur benedicendos non eſſe ſponſos, qui prius contraxerunt, quandò ſecundò nubunt, etiamſi in prioribus nuptijs benedicti non fuerint: quia etiam in hoc caſu ratio D. Thomæ de perfectâ ſignificatione in ſecundis nuptijs non inuenta, ſaluatur.

*Ius ciuile circà hoc correctum à iure canonico.*

61. Ad quintum dicendum eſt, ius ciuile correctum fuiſſe per ius canonicum in *cap. Super illa, cap. Secundum Apoſtolum, de ſecund. nupt.* obi dicitur: *Non debet legalis infamiæ ſuſtinere iacturam, quæ licèt poſt viri obitum intra tempus luctus, ſcilicèt unius anni ſpatium, nubat, conceſſâ enim ſibi utitur facultate*: ubi licèt de ſolâ pœnâ infamiæ loquatur, idem de alijs pœnis à iure ciuili ſtatutis cenſendum eſt, ut latè probat Sanchez *lib. 7. diſp. 87. num. 73.* Si quandò verò in iure canonico pœnæ aſſignantur aduerſus eos, qui ſecundas nuptias contrahunt, ut in *cap. de his 31. quæſt. 1.* & alijs, intelligendum eſt: non quia ſecundæ nuptiæ malæ ſint, ſed ob defectum incontinentiæ, & intemperantiæ, ratione cuius ad eos excitantur.

*Secundum matrimonium verè eſt Sacramentum.*

62. Sed inquires primò. An ſecundum matrimonium ſit verè Sacramentum gratiam conferens? ¶ Reſpondetur affirmatiuè, eſt de fide: nam in *Tridentin. ſeſſ. 24. Canon. 1.* deciditur matrimonium, quod verè matrimonium eſt inter fideles eſſe Sacramentum gratiam conferens: ſed ſecundum matrimonium, ut diximus, verum, & legitimum eſt matrimonium: ergò, &c. Similiter Eccleſia docet omnia Sacramenta, quæ non imprimant characterem, poſſe reiterari: ſed matrimonium non imprimit characterem: ergò poteſt iterari: ergò ſi repetitur, non ſolum in ratione matrimonij repetitur, ſed etiam in ratione Sacramenti. Denique: quia matrimonium ſecundum æquè eſt ratum, & indiſſolubile, ac primum: ſed matrimonium habet, quòd ſit ratum: quia eſt Sacramentum: ergò, &c. Et rationem tradit D. Thom. à priori, *quæſt. 63. articul. 2. in addit.* quia ubicumque inueniuntur ea omnia, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, datur verum Sacramentum: ſed in ſecundis nuptijs omnia, quæ ſunt de eſſentiâ matrimonij dantur: ergò ſunt verum Sacramentum. Minor probatur: quia ibi dantur perſonæ habiles, quæ ſunt materia remota, datur verus conſenſus expreſſus per verba, quæ ſunt materia proxima, & forma: & legitima intentio contrahentium, qui ſunt miniſtri. Ità N. Cornej. *diſp. 1. dub. 5. ſol. 866.* Sanchez *lib. 7. diſp. 81. nu. 2.* Becan. *cap. 46. quæſt. 1. nu. 5.* Auerſ. *ſect. 2.*

*Obiectio, & ſolutio illius.*

63. Sed dices. Matrimonium ſecundum non habet ſignificare unionem Chriſti cum Eccleſiâ, quæ eſt unius cum unâ, & defectu huius ſignificationis benedictiones Eccleſiæ non recipit, & contrahentes fiunt bigami, & irregulares ad ſuſcipiendos Ordines: ſed ſignificatio eſt de eſſentia Sacramenti; ergò ſecundo matrimonio defuit aliquid eſſentiale, ut ſit verum Sacramentum. ¶ Reſpondet D. Thom. *art. 2. cit. in ſol. ad 3. Ad tertium dicendum: quòd ſignificatio perfecta inuenitur in ſecundo matrimonio ſecundum ſe conſiderato, non autem ſi conſideretur in ordine ad præcedens matrimonium, & ſic habet defectum Sacramenti.* Et pro intelligentia illorum notandum eſt, quòd in unione Chriſti Domini cum Eccleſia, quam ſignificat matrimonium, & inuenitur, quòd ſit unius cum unâ, quòd eſt in eâ primum, & eſſentiale; & inuenitur, quod non fuerit cum aliâ, quod eſt quaſi accidentale. Matrimonium ergò ſecundum, ſi ſecundum ſe conſideretur, eſt unius cum unâ: unde in illo inuenitur id, quod eſſentiale eſt ad ſignificationem Sacramenti matrimonij; ſi autem in ordine ad præcedens conſideretur, deficit ei ſignificatio unionis Chriſti quoad accidentale: quia fuit cum alia, & ex hac parte, & ſecundum aliquid accidentale deficit à ratione Sacramenti.

*Sufficere probabilitatem ad nouū matrimonium de morte prioris viri aliqui aſſerunt.*

64. Inquires ſecundo. Quæ certitudo requiratur ex parte fœminæ, v.g. de morte viri ut poſſit cum alio matrimonium contrahere? ¶ Reſpondent Syluest. *Matrimonium* 8. *q.* 14. *dic.* 2. & 4. Barthol. de Ledeſm. *dub. 56. concl. 9.* Laym. *lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 3. nu. 2.* Dian. *3. part. tract. 4. reſol. 214.* & *probabile iudicat* Sanchez *lib. 2. diſp. 46. num. 5.* Sufficere probabilitatem moralem iudicio prudentum, & non requiri certitudinem. *Nam in cap. Cum per bellica nu. 34. quæſt. 2.* dicitur ſufficere exiſtimationem de morte coniugis, & *in cap. Quoniam, §. Porrò, verſ. Si autem, ut licitè non conſtet*, dicitur ſufficere, ut veriſimiliter mors coniugis iudicetur, quæ omnia aſſenſum ſolum probabilem oſtendunt. Et ratione probant: quia in rebus moralibus ſufficit probabilitas ad licitè, & prudenter operandum.

*Certitudo moralis requiritur.*

65. Verius tamen dicendum eſt, non ſufficere probabilitatem de morte alicuius coniugis: ut in conſcientia poſſit ſuperſtes cum alio contrahere: ſed requiri moralem certitudinem arbitrio prudentum. Ità Sanch. *num. 6.* Soto *in 4. diſt. 22. quæſt. unic. art. 5.* Valent. *tom. 4. diſp. 10. q. 2. punct. 2.* Villalb. *tom. 1. tract. 1. diffic. 25. num. 2.* Baſil. *lib. 7. cap. 53. num. 2.* Auerſ. *quæſt. 14. ſect. 3.* Trull. *lib. 7. cap. 9. dub. 14. num. 9.* Bonac. *quæſt. 3. punct. 10. num. 12.* Herinx *diſp. 4. num. 34.* Ideoque non ſufficere, quòd per multum tempus vir in longiſſimum diſceſſerit niſi certus nuntius de eius obitu habeatur. Colligitur ex *cap. Dominus, de ſecund. nupt.* & *cap. In præſentia, de ſponſalib.* ubi Clemens III. Ità ait: *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod quantocumque annorum numero ità remaneant, viuentibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè conuolare, nec permittas authoritate Eccleſiæ*



Digitized by Google

*contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

*Probatur ratione aſſertio.*

66. Quare textus in oppoſitum adducti, vel intelligendi ſunt de præſumptione, & veriſimilitudine moraliter certa babita per certum nuntium: vel dicendum, eſt correctos fuiſſe per iſtum Clement. III. Et ratio aſſertionis eſt: quia in rebus valdè grauibus, & ubi damna imminent ingentia non poteſt vir prudens duci probabili exiſtimatione abſque neceſſitate: quare in materiâ, aut formâ Sacramentorum, illorum maximè, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, non poteſt aliquis abſque neceſſitate uti opinione probabili, quandò imminet periculum damnationis; ſed ex tali matrimonio plura, & ingentia damna ſequuntur, ſi verè mortuus non eſſe coniux, qui defunctus credebator: ergò niſi urgens ad nouum matrimonium daretur neceſſitas, non poſſet mulier per ſolam notitiam probabilem ad alias nuptias conuolare.

*Non ſufficit probatio unius teſtis.*

67. Imo nec ſufficit dictum unius teſtis ad hoc: quia ſi in alijs rebus minoris ponderis unius teſtis dictum non ſufficit, multo minus in hac adeò graui, & periculoſa. Niſi mortuus fuiſſet vir in loco adeo diſtanti, ut non facilè aliæ probationes adhiberi poſſent, vel ſimul cum uno teſte aliæ coniecturæ, & adminicula adeſſent, de quibus *num. ſeq.* quia tunc ſufficeret dictum unius teſtis coniunctum cum alijs coniecturis. Et ratio eſt, quia quando probatio integra, & plena adhiberi nequit, ſatis eſt ſi plena per coniectoras fiat, *l. Non omnis, §. à Barbaris, ff. de re militari.* Ità Sanchez *num.* 12. Rodrig. *tom.* 1. *ſumm.* 2. *edit. cap.* 233. *num.* 2. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 18. *quæſt.* 1. Auerſ. *ſect.* 3 §. *Quartò verius*, Bonac. *num.* 1. Trull. *dub.* 14. *num.* 9. qui benè addunt, quod ſi ipſa mulier ſola mortuum coniugem viderit, & tamen id probare nequeat, ſufficit, ut in conſcientia poſſit cum alio contrahere, licèt in foro exteriori dictum illius non ſufficiat.

*Non ſufficit fama communis niſi alijs coniectur is adiuta.*

68. Denique non ſufficit fama communis teſtificans de morte viri, ut poſſit mulier tranſire ad alias nuptias: quia fama ex authore incerto multoties procedit, & aliquando ex fallacia, vel ſuſpicione ortum ducit. Si autem talis fama aliquibus adminiculis, & probabilibus coniecturis adiuuetur, ſufficiet ad licitè nouum contrahendum matrimoniom: quia fama, & teſtificatio, de auditu coniuncta cum alijs coniecturis facit rem ſatis moraliter certam. Ità Sanch. *num.* 5. Auerſ. §. *Tertio ulterius.* Enriq. *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 5. Bonacina *num.* 13. Baſil. *num.* 3. Trull. *nu.* 9. Leand. *quæſt.* 13. Herinx *num.* 36. Adminicula autem ſiuè coniecturæ ab his authoribus aſſignantur; nimirùm longitudo abſentiæ, & uniuerſalis fama illius loci, ubi coniux morabatur ſi mortuus fuit in loco diſtanti, & multum abeſt: ſi erat valde ſenex, vel æger, ſi in acie fuit, & non redijt aliquo tempore expectatus: ſi uxor accepit litteras eorum cum quibus vir militabat, &c.

*Si prior vir viuus appareat, ad illũ redire mulier tenetur.*

69. Tertiò inquires. An ſi poſt moralem certitudinem de morte viri mulier cum alio contrahat, & poſteà vir primus viuus appareat, debeat ad illum redire, & relinquere ſecundum? ¶ Reſpondetur affirmatiuè, & habetur in *ca. Si virgo* 34. *quæſt.* 2. *cap. Cùm per bellicam.* 34. *quæſt.* 1. *cap. Dominus, de ſecund. nupt.* ibi: *Si poſt hoc de prioris coniugis vita conſtiterit relictis adulterinis amplexibus ad priorem coniugem reuertatur.* Et ratio eſt, quam ibi Summus Pontifex aſſignat: quia videlicèt ſuperſtite viro priori ſecundum matrimonium fuit nullum, & adulterini amplexus, & copula poſt illud habita fornicaria, quamuis ob bonam fidem à peccato excuſentur.

*Quandò dubitat de morte viri, non poteſt petere debitum, poteſt tamen reddere.*

70. Vndè ex quo mulieri conſtet de vita prioris viri non poteſt petere, aut reddere debitum, ſi autem dubitauerit, ex quo ſub dubio eſt, non poteſt petere illud, quia periculo exponitur frangendi fidem priori; poteſt tamen reddere coniugi ſecundo petenti: quia ex quo non conſtat de nullitate matrimonij, ille ius habet ad tale ſibi debitum reddendum; & propter negationem illius frangendi fidem ipſi, periculo exponitur, qui credere non debet coniugi dubitanti, niſi ità probet, ut credere teneatur, vel ſaltem dubitare: Ità ut nequeat depoonere dubium. Ità Bonac. *nu.* 17. Sanc. *lib.* 2. *diſp.* 41. *nu.* 52. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 15. *nu.* 13. & *cap.* 6. *nu.* 7. & 8. Trull *nu.* 12. Baſil. *nu.* 7.

*An ſit validum matrimonium mala fide cõtractum ſi verè mortuus erat prior coniunx.*

71. Vltimò inquires. An ſi mulier mala fide ſecundum matrimonium contraxit, vel quia dubitans de morte viri non habebat certitudinem moralem mortis illius: vel quia iudicabat eſſe viuum, qui tamen verè mortuus erat, an nimirum tale matrimonium eſſet validum? Licitum namque non eſſe omnibus eſt notum. ſed mulier peccaret mortaliter per talis matrimonij contractionem, & quoties peteret, aut redderet debitum, uſque dum ſibi de morte prioris viri conſtaret.

*Aliqui putant eſſe nullum.*

72. Ad quæſtionem ergò Baſil. *nu.* 5. indicat tale matrimonium fuiſſe nullum: quod probat ex *cap. In præſentiâ, de ſponſ.* Vbi Summus Pontifex Inhabiles reddit perſonas coniugatas ad iterum contrahendum, donec certum nuntium de morte prioris coniugis habeant. Sed certè ibi vel textus ſolum vult illicitum eſſe matrimonium abſque tali certitudine morali babita; vel ſi loquitur de inhabilitate perſonarum ad validè contrahendum, eſt in caſu, quo prior vir viuus in veritate ſit, ut conſtat ex eius verbis *nu.* 65. allatis ex alia parte Syluest. *Matrim.* 8. *quæſt.* 13. *dict.* 5. Sot. *in* 4. *diſt.* 37. *quæſt. unic. art.* 5. *concl.* 3. Vega *lib.* 2. *ſumm. caſu* 282. quod probabile dicunt Sanchez, & Ledeſm. ſtatim citandi, dicunt eſſe nullum tale matrimonium ex defectu conſenſus ad illud requiſiti: quia cum impoſſibile iudicet ſibi tale matrimonium, non poteſt verum conſenſum apponere pro illo.

*Validum fuit ſi animo debito fuit contractum.*

73. Dicendum tamen eſt, quòd ſi mulier iudicabat adhuc in illo caſu ſe poſſe contrahere validè, vel ſub eâ conditione contraxit, ſi prior vir mortuus fuerit, vel intenderit facere totum, quod poteſt facere, & eo modo, quo poteſt, validum eſt matrimonium. Conſtat ex *cap. Dominus, de ſecund. nupt.* Et commune eſt in alijs impedimentis, quæ ſi quis iudicaret verè adeſſe, vel de hoc dubitaret, cum tamen non eſſent verè, ſi animo dicto contraheret, validum matrimonium efficeret: & ſic in caſu noſtro poſſet licitè petere, & reddere debitum, quandò de morte prioris viri conſtaret. Si tamen abſque dicto animo contraheret, cum verè non haberet animum contrahendi, nullum eſſet matrimonium: modo tamen à nobis explicato intentionem ſufficientem apponit pro contractu matrimonij, & alias perſonæ verè ſunt babiles, nullo ligamine impeditæ, adeſtque debita materia, & forma: & ideò non eſt, undè matrimonium non ſit validum. Ità Sanchez

lib. 2.

*lib.2.diſp.32.num.2.* Ledeſm. 3.*part.quæſt.55.art.9.dub.2.* Enriq. *lib.11.de Matrim.cap.11.nu.5.* Rodrig.*num.3.* Bonac.*nu.18.* Auerſ. 5.*Sextò ſi contingat*, Trull. *nu.11* Leand. *diſp.18.q.15. & 16.*

*An filij habiti in ſecundo matrimonio viuente priori coniuge ſint legitimi?*

74. Sed in calce huius puncti notandum eſt, quòd filij habiti ex ſecundo matrimonio bona fide contracto legitimi ſunt, ſi quandò copula fuit habita, bona fides perſeuerabat. At verò ſi ex parte alicuius defuit bona fides, vel tempore contractionis matrimonij vel tempore generationis, adhuc proles ut legitima eſt habenda ex parte ſuâ, reſpectu utriuſque parentis, ità quòd ſuccedere debeat in hæreditatem illorum. Ità Auerſ. *q.22.ſect.1.* Baſil. *lib.11.cap.8.nu.5.* cum alijs, quos ipſi citant. At verò ſi bona fides adfuit ex parte unius parentis, & ex parte alterius mala, parens, qui mala fide inijt matrimonium, iure legitimi parentis priuatur, ne ex ſuo delicto commodum reportet. Vndè quamuis regulariter mutua ſit ſucceſſio filiorum reſpectu parentum, & econtrà, ita ut in eiſdem caſibus, quibus filij ſuccedunt parentibus, poſſint parentes ſuccedere filijs; in hoc tamen caſu deficit, in quo proles ſuccedit parenti malæ fidei: at hic non ſuccedit proli, niſi eo modo, quo pater ſpurius poteſt filio ſuccedere. Ità Sanchez *lib.8.diſp.24.nu.46.* quamuis iudicet probabiliſſimum utrumque parentem cenſeri legitimum, & proli ſuccedere, ſicut alij legitimi parentes.

## CAPVT VI.

### *De cauſa efficienti Matrimonij, ſcilicèt de conſenſu.*

POſtquàm egimus de natura, & eſſentia matrimonij, nec non & de proprietatibus eius, nunc ad illius cauſam efficientem declarandam accedimus, quæ ſecundum Concil. Florent. eſt conſenſus utriuſque coniugis: & quia plura circa conſenſum matrimonij dicenda ſe offerunt, de illis in diuerſis capitibus agemus. Primò in hoc capite tractabimus de conſenſu in communi: in ſequenti de conſenſu conditionato: in alio de conſenſu clandeſtino: ac denique de conſenſu, vi, aut metu, aut errore extorto.

Caput hoc continet quatuor puncta.

*Punct. I. An verus, & mutuus conſenſus requiratur ad matrimonium: ita ut per nullam poteſtatem poſſit celebrari ſinè illo? num.1.*

*Punct. II. An conſenſus parentum reſpectu filiorum, vel dominorum reſpectu mancipiorum requiratur ad validè, & licitè contrahendum matrimonium? Et de pœnis impoſitis compellentibus ad illud, num.14.*

*Punct. III. An conſenſus pro matrimonio debeat ſignis aut verbis exprimi? num.38.*

*Punct. IV. De verbis, & ſignis, quibus conſenſus debet exprimi, & quomodo utriuſque conſenſus debeat ſimul apponi? num.53.*

## PVNCTVM I.

### *An verus, & mutuus conſenſus requiratur ad matrimonium, ita ut per nullam poteſtatem poſſit celebrari ſinè illo?*

*Tria, ad quæ conſenſus requiritur.*

1. TRia ſunt in matrimonio, ad quæ neceſſariò conſenſus verus, & mutuus utriuſque coniugis requiritur. Primum in eo repertum eſt, quod ſit contractus. Secundum, quòd ſit Sacramentum. Tertium, vinculum permanens, quod communiter dicitur matrimonium. Et quidem ad matrimonium abſolutè ſumptum requiſitum eſſe conſenſum definitum eſt in *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap.9. in Florent. in decreto fidei, 5. Septimum, & in cap. Sufficiat 27. quæſt. 2. cap. Tuæ fraternitati, de ſponſal. cap. Tua fraternitas, de ſponſa duorum.* Et tradit D. Thom. *in 4. diſt.27. q.1. art.2. q.1. & in addit. q.45. art.1.*

*Probatur requiri pro omnibus.*

2. Et probatur requiri ad matrimonium, ut contractus eſt, coniugum verum conſenſum: quia ad quemcumque contractum conſenſus contrahentium requiritur, ut habetur ex *leg. Labeo 2. ff. de verbor. ſignific.* Ergò ſimiliter ad matrimonium, ut habet rationem contractus: quia in hoc eſt eiuſdem rationis cum alijs. Specialiter autem probatur in contractu matrimonij: quia eſt mutua traditio corporum, & tranſlatio dominij unius in alterum; ità ut vir non habeat poteſtatem ſui, ſed mulier; nec mulier habeat ſui poteſtatem, ſed vir, ut inquit Apoſtolus: ſed quod erat unius, cuius habebat poteſtatem, non fit alterius, neque ad illius redigitur dominium, niſi ex traditione libera illius, qui poſſidet: Ergò ad traditionem matrimonij liber conſenſus contrahentium requiritur. Similiter etiam ad matrimonium, ut vinculum eſt, debet dari talis conſenſus: quia vinculum matrimonij eſt unio maritalis, & ſocialis corporum, & animorum, quæ non poteſt dari ſinè conſenſu voluntatis, & electione illius. Denique etiam ad rationem Sacramenti talem conſenſum exigi probatur. Tum: quia habet pro materia, & forma ipſum contractum: proindeque ſi ad rationem contractus exigitur conſenſus, etiam ad rationem Sacramenti. Tum etiam: quia Miniſter huius Sacramenti eſt ipſe contrahens medio conſenſu exterius explicato: ergò abſque illo non poteſt confici in ratione Sacramenti.

*Nec ab Eccleſiâ, nec à Republicâ poteſt fieri matrimonium ſinè conſenſu contrahentium.*

3. Imò ità indiſpenſabilis eſt conſenſus contrahentium ad matrimonium, ut neque ab Eccleſiâ, neque à Republicâ, neque à quacumque aliâ poteſtate poſſit ſuppleri. Et ideò neque Reſpublica, nec Eccleſia poteſt facere, ut inter duos matrimonium celebretur ipſis conſenſum non apponentibus, ſiuè in ratione contractus, ſiue in ratione vinculi, ſiuè in ratione Sacramenti conſideretur. Sic N. Cornej. *diſp.3. dub.1.* Sot. *in 4. diſt.29. q.1. art.4.* Auerſ. *q.3. ſect.1.* Becan. *cap.45. q.1. nu.5.* Palao *diſp.2. punct.5. nu.3.* Sanch *lib.2. diſp.27. à nu.2.* Wigers *q.45. cap.3.* Gonet. *diſp.4. art.1.* N. Ant. *diſp.3. ſect.2.* Et quod non poſſit in ratione contractus à Republicâ, vel Eccleſiâ fieri ſinè conſenſu partiũ, conſtat: quia contractus, qui poſſunt per Rempublicam fieri, poſſunt per illam diſſolui; ſed contractus matrimonij non poteſt diſſolui per aliquam poteſtatem creatam: ergò neque per illam poteſt perfici. Et ex eo etiam conſtat non poſſe fieri in ratione Sacramenti, quod eſſentialiter contractum ſupponit, & etiam habet pro materiâ, & formâ conſenſus contrahentium: & ideo ſinè illis per nullam poteſtatem poteſt fieri: quia nulla datur poteſtas ad immutandum materiam, & formam pro Sacramentis à Chriſto Domino aſſignatam.

*Nec etiam in ratione vinculi poteſt dari abſque conſenſu.*

4. Quòd autem in ratione vinculi non poſſit fieri à Republicâ, vel Eccleſiâ abſque conſenſu dicto contrahentium, probatur: quia vinculum matri-

matrimonij ſtare non poteſt abſque fine primario illius, vel eum magnâ difficultate illum aſſequendi: ſed conſenſu mutuo coniugum deficiente deficit finis primarius matrimonij, vel ſaltem difficillima redditur illius aſſecutio: Ergò, &c. Probatur minor: quia finis primarius matrimonij eſt generatio, & educatio prolis à parentibus factæ, quæ minimè abſque illorum conſenſu haberi poſſunt, vel ſaltem difficulter, & maximè educatio filiorum, quæ ex mutuo obſequio inter virum, & fœminam dependet.

*Quinque obiectiones appoſita.*

5. Sed obijcies primò: quòd in *Concil. Florent. loc. cit.* dicitur conſenſum contrahentium regulariter requiri ad matrimonium: Ergò non ſemper: ergò poterit vel ab Eccleſiâ, vel à Republicâ ſuppleri. ¶ Secundò: quia in *cap. is qui fidem, de ſponſ.* dicitur: quòd per copulam inter ſponſos habitam contrahitur matrimonium de præſenti, & non admittendam probationem diſſenſus à contrahentibus intentatam: Ergò ſi fortè tunc non adſit conſenſus inter illos, ad Eccleſia ſuppletur. ¶ Tertiò: quia in *cap. finali, de condit. appoſit.* dicitur validum eſſe matrimonium ſub conditione impoſſibili contractum, etiamſi talis conditio non purificetur, & tamen niſi ſub illa conditione non fuit appoſitus conſenſus contrahentium: Ergò ab Eccleſia perficitur abſque illo. ¶ Quartò: quia vrgente grauiſſimâ neceſſitate poteſt Eccleſia cogere aliquem, ut ad Epiſcopatum aſcendat, & tamen Epiſcopatus eſt quoddam ſpirituale matrimonium: ergò etiam ad illud poterit cogere abſque conſenſu partium. ¶ Quintò: quia Reſpublica poteſt tradere dominium aliarum rerum, etiam inuito Domino, extraneis: & ideò poteſt transferre dominium equi, domus, aut tritici ad alios abſque conſenſu proprij domini: ergò etiam dominium corporis unius poterit transferre ad alium abſque illius conſenſu. Maximè: quia teſte Ariſtor. *in polit.* plus eſt ciuis Reipublicæ, quam ſui ipſius: & conſequenter quod per ipſum fieri poteſt abſque conſenſu Reipublicæ, poterit à Republicâ fieri abſque conſenſu ipſius: & ideò ipſa poteſt perſonas ciuium in perpetuam ſeruitutem tradere, ſi ad bonum commune expediens fuerit ipſis nolentibus: ergò ſimiliter poterit in matrimonium tradere illos, urgentiſſimâ causâ interueniente abſque conſenſu illorum.

*Omnes ſupradictæ obiectiones ſoluuntur.*

6. Reſpondetur ad primum quòd Concilium loquitur de conſenſu formali, & expreſſo, qui regulariter adeſſe debet, quamuis aliquando virtualis ſufficiat, ut in caſu ſecundi argumenti, numquàm tamen abſque conſenſu formali, vel virtuali fieri poteſt. ¶ Ad ſecundum, & tertium dicimus; quòd Eccleſia in illis caſibus non ſupplet conſenſum à contrahentibus non appoſitum, ſed in foro exteriori iudicat adfuiſſe, & non admittendam probationem in oppoſitum. Si tamen verè non fuit coram Deo, matrimonium non eſſet validum. ¶ Ad quartum dicimus aliud eſſe, quòd Eccleſia habeat vim coactiuam ad matrimonium ſpirituale, vel carnale, vel ob neceſſitatem publicam, vel ob alias rationes, propter quas poſſit cogere ad celebrationem matrimonij, vel acceptationem Epiſcopatus: quia poteſt obligare, ut conſenſum apponant illi, qui ad hoc tenentur, vel ab Eccleſiâ compelluntur; aliud eſſe, quòd habeat poteſtatem, ut ſic dicamus, effectiuam, quâ poſſit facere matrimonium ſpirituale, vel carnale abſque conſenſu contrahentium: primum eſt verum, quod probat argumentum; non ſecundum. ¶ Ad quintum reſpondetur: quòd in his, quæ eſſentialiter voluntatem, & electionem ciuium non exigunt, poteſt Reſpublica dominium unius in alium transferre, & in talibus rebus eſt magis ciuis Reipublicæ, quàm ſui ipſius; in his autem, quæ eſſentialiter ſupponunt, vel includunt liberum conſenſum, & electionem voluntatis, ut de matrimonio probatum eſt, non ita accidit. Seruitus autem conſenſum voluntatis non prærequirit; imò potiùs eum coactione, & violentiâ fieri ſolet; neque id alijs, de quibus in argumentò fit mentio, & ideò nihil contra nos conuincit.

*Sententia aſſerens poſſe per diuinã potentiam.*

7. Sed inquires. An ſaltem per diuinam potentiam fieri poſſit, ut matrimonium abſque conſenſu contrahentium celebretur? ¶ Duplex eſt circà hoc ſententia. Prima affirmatiua, quam tenet Soto *in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. concl. 1.* Valent. *tom. 4. diſp. 10. q. 3. punct. 1.* Ledeſ. 3 *p. q. 45. art. 1. concl. 4.* Conin. *diſp. 24. dub. 5. nu. 49.* Auerſ. Palao *nu. 2.* Becan. *nu. 2.* Victor. *in Relect. de Matr. p. 1. num. 4.* Wiggers Herinx, Gonet *loc. cit.* Franc. B Spei *diſp. 2. nu. 9.* Imò aliqui ex his authoribus putant de facto id accidiſſe in matrimonio Adami cum Heua, qui abſque illorum conſenſu fuerunt à Deo in matrimonium copulati. Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, &c.* Sed hoc vltimum ſtare non poteſt: quia Deus matrimonium inſtituit eius naturâ obſeruatâ de cuius ratione exigitur conſenſus contrahentium. Quare ſolum dicitur à Deo factum tale coniugium: quia illos ad apponendum conſenſum mutuum internè mouit, vel hoc illis præcepit.

*Primũ propoſita ſententia argumentum.*

8. Hæc ſententia triplici argumento probatur. Primò: quia omnem cauſalitatem cauſæ efficientis creatæ poteſt Deus ſupplere, & per ſeipſũ immediatè efficere, quod media illâ faciendum erat: ſed conſenſus requiritur ad matrimonium, tamquàm cauſa efficiens illius, ut docet D. Tho. *in addit. q. 65. art. 1.* ergò poterit abſque illo à Deo fieri matrimonium. ¶ Confirmatur: quia etiam effectus ab actu voluntatis productus poteſt à Deo fieri abſque conſenſu voluntatis, ut patet in habitibus naturalibus, qui quamuis ab actibus voluntatis petebant produci, poſſunt à Deo infundi per accidens dormientibus, imò etiam terminus actionis vitalis, qui maiorem cõnexionem habet cum eâ, poteſt à Deo fieri ſinè illâ, ut conſtat in verbo mentis, & in pondere voluntatis; qui iuxta probabiliorem Thomiſtarum ſententiam, in viſione beatâ ſuppleutur à Deo gerente vicem illorum.

*Duo alia argumenta pro ſententia dicta.*

9. Secundò: quia Deus eſt magis Dominus corporum viri, & fœminæ, quàm ipſi: ſed ipſi poſſunt propter dominium quod habent ſuorum corporum, ſibi ad inuicem illud tradere: ergo multò magis Deus poterit abſque unius conſenſu, in alterum dominium transferre. ¶ Tertiò quia poteſt Deus dare dominium corporis fœminæ viro ipsâ nolente, ut eo licitè utatur in ordine ad vitæ conſuetudinem, & prolis generationem ad tempus, vel in perpetuum, quod tradidiſſe Prophetæ Oſeæ, quandò illi præcepit, ut accederet ad mulierem fornicariam, docet D. Thom. *1. 2. q. 100. art. 5. ad 2. 3. & 8. & 22. q. 154. art. 2. ad 2.* ergò poterit matrimonium facere abſque conſenſu unius, vel utriuſque partis.

*Nec per diuinam potentiã poteſt matrimoniũ ſinè conſenſu contrahi.*

10. Secunda tamen, & verior ſententia negat id fieri poſſe per virtutem diuinam. Sic N. Cornej. *tract.6.diſp.3.dub.*1. §. *Quæ res ſecundò*, Sanch. *lib.2.diſp.26.num.*5. Baſil. *lib.2.cap.*3. Labat *de matr. dub.*6. Et probatur: quia id, quod eſſentialiter ſupponit conſenſum voluntatis, à Deo fieri non poteſt abſque illo. Deus namque immutare non poteſt eſſentias rerum: quia in hoc inuoluitur contradictio; ſed vinculum matrimonij eſſentialiter ſupponit conſenſum voluntatis: quia eſt vinculum mutui amoris, ſicut vinculum religionis ortum ex voto ſupponit conſenſum vouentis: ergò ſicut Deus facere non poteſt, ut religioſus aliquis fiat abſque eius conſenſu: ità facere nequit, ut matrimonio copuletur. ¶ Secundò: quia vinculum nihil aliud eſt, quam relatio unionis amicabilis, & affectiuæ: ſed hæc habet pro fundamento conſenſum voluntatis, ſicut paternitas, & filiatio habent pro fundamento generationem: ergo ſicut Deus facere nequit, quòd paternitas, & filiatio detur generatione non ſuppoſitâ: ità facere non poteſt, quòd vinculum matrimonij detur conſenſu contrahentium non præcedente.

*Soluitur primũ argumentum oppoſitum.*

11. Ad argumenta in contrarium adducta reſpondetur. Ad primum, verum eſſe, quòd eà, quæ dependent à cauſâ efficienti creatâ poſſunt à Deo fieri ſinè illâ; illa tamen, quæ ſimul in genere cauſæ materialis, vel formalis à cauſâ creatâ dependent, non poſſunt à Deo fieri ſinè illâ, ut conſtat in intellectione, & volitione, & alijs actibus vitalibus, qui taliter à ſuo principio dependent in genere cauſæ efficientis, ut ſimul ab eo in genere cauſæ formalis dependentiam habeant: & ideò ſinè illo à Deo fieri nequeunt, quod ſimiliter accidit in præſenti: quia matrimonium, cum ſit vinculum unionis amicabilis, & mutuæ à conſenſu contrahentium, nedum in genere cauſæ efficientis dependet, verùm in genere cauſæ formalis tamquàm à proprio ſpecificatiuo: ſicut omnes termini vitalis ſpecificantur à principio vitali, & etiam in genere cauſæ materialis tamquàm à proprio fundamento, ut dictum eſt.

*Confirmationis ſolutio.*

12. Ad confirmationem fatendum eſt Deum poſſe producere per ſeipſum effectus, qui ex naturâ ſuâ à cauſâ vitali creatâ dependent, ut conſtat in habitibus acquiſitis tam intellectualibus, quàm moralibus; non tamen poteſt producere terminum operationis vitalis: & ideò per ſe non poteſt producere verbum mentis, aut pondus voluntatis, quia huiuſmodi termini non ſolùm effectiuè, ſed etiam formaliter à principio dependent: & ità ſe habet vinculum matrimonij reſpectu conſenſus voluntatis, ut dictum eſt, tametſi per ſe ipſum vicem verbi mentalis non producti, aut vicem ponderis voluntatis gerere poſſit.

*Secundũ, & tertium argumentũ diſſoluitur.*

13. Ad ſecundum reſpondetur: quòd ſicut Deus non poteſt producere actum voluntatis ſinè voluntate, etiamſi ſit magis Dominus illius, quàm ipſa voluntas: quia eſſentialiter petit talis actus à voluntate procedere: ità quamuis ſit magis Dominus corporum, quàm ipſi contrahentes, non poteſt vinculum matrimonij ſinè conſenſu illorum producere: quia tale vinculum eſſentialiter illum præſupponit. ¶ Ad tertium reſpondetur, negari non poſſe Deum, ut ſupremum Dominum facultatem concedere poſſe viro utendi corpore fœminæ ad tempus, vel in perpetuum, & concedere illi dominium eius non expectato fœminæ conſenſu. In tali autem caſu licèt acceſſus ad illam non eſſet peccatum, aut malum, quia non eſſet acceſſus ad non ſuam, non tamen propterea vir haberet matrimonium cum illa; quia hoc, cum ſit vinculum amoris mutui, petit eſſentialiter à mutuo conſenſu coniugum procedere: proindeque poteſt dari metaphyſicè caſus, in quo per diuinam potentiam eſſet licitus acceſſus ad mulierem extrà matrimonium, ut ſi Deus viro concederet dominium illius, ipſa nolente, in quo nulla repugnantia inuoluitur, quamuis ſecundùm legem Dei ordinariam non ſit dabilis caſus, in quo ſit licitus talis acceſſus extrà matrimonium. Ità Sanch. *lib.2. diſp.26.nu.*2. Salas *de legib.diſp.5.ſect.8.nu.*42. Soto *in 4.diſt.27.q.1.art.2.concl.*1

## PVNCTVM II.

### *An conſenſus parentum reſpectu filiorum, vel dominorum reſpectu mancipiorum requiratur ad validè, & licitè contrahendum matrimonium? Et de pœnis impoſitis compellentibus ad illud.*

*Matrimonium celebratum à filijs abſque cõſenſu parentum eſt validum.*

14 DE fide eſt matrimonium à filijs celebratum abſque conſenſu parentum eſſe validum, & indiſſolubile: ita ut neque à Magiſtratibus, neque à parentibus ipſis poſſit irritari. Sic definitum eſt in *Conc.Trid.ſeſſ.24.de Reform cap.*1. Et habetur in *cap. Cum virum de Regular.* Et *cap. Sufficiat.27.q.*2. Et colligitur ex Scriptura, in quâ pluſa coniugia filiorum referuntur abſque conſenſu parentum celebrata, & non propterea reprehenduntur ab illâ; quin potius plura laudantur, ut Tobiæ 7. ubi iunioris Tobiæ matrimonium refertur, inſcio parente celebratum. Similiter Iacob. *Geneſ.* 29.30. matrimonium cum Rachele, & Liâ contraxit non expectato parentum conſenſu. Idem habetur *Gen.*26. de Eſau, & alijs locis. Ità Cornej. *tract.6.diſp.3.dub.*1. Sanch. *lib.4.diſp.*22. N.Gabr. *diſp.3.q.*5. Franciſ. *num.*2. Bellar. *lib.1.cap.19. &* 20. ubi plura teſtimonia, & authoritates patrum adducit.

*Probatur dicta concluſio.*

15. Probatur non requiri conſenſum parentum ad valorem matrimonij filiorum, etiam illorum, qui ſunt ſub patriâ poteſtate: quia poſtquàm vir, aut fœmina uſum rationis adipiſcuntur, & plenam libertatem habent, ætatemque legitimam, habent plenum dominium ſuorum corporum & perſonalium actionum independenter à voluntate parentum: ergò abſque illâ poſſunt de ijs diſponere; quæ ad proprias perſonas ſpectant, proindeque matrimonium celebrare. ¶ Confirmatur a quia profeſſio in religione approbatâ eſt fortius vinculum, quam vinculum matrimonij, ſiquidem per illam matrimonium ratum diſſoluitur: ſed profeſſio religioſa validè poteſt fieri non expectatâ parentum voluntate, & multoties contrà illam: ergò ſimilitèr matrimonium.

*Triplex oppoſita obiectio.*

16. Sed obijcies primò: quòd Euariſtus Papa *in cap. Aliter* 30.q.5. inter alias conditiones ad legitimum matrimonium requiſitas enumerat conſenſum parentum, & aliter factum non coniugium, ſed adulterium, ſtuprum, aut fornicationem appellat. ¶ Secundò: quia *leg.2.ff.de rit.nupt.leg.in ſponſalibus, ff.de ſponſ.& leg.2.5.& 7. C.de nupt.* Et alijs pluribus iuribus exigitur parentum conſenſus

ad valorem matrimonij inter filioſfamilias celebrari. ¶ Tertiò: quia *Num.* 30. *verſ.* 4. parentes poſſunt irritare vota filiorum: ergò ſimiliter matrimonium contractum ab ipſis celebratum ſinè illorum conſenſu. Probatur conſequentia: nam ſi promiſſionem Deo factam à filijs poſſunt irritare parentes, multò magis promiſſionem factam hominibus.

*Obiectio prima diſſoluitur.*

17. Reſpondetur ad primum omiſſis varijs ſolutionibus, quæ illi textui ab authoribus adhibentur: quòd in eo dicitur illegitimum matrimonium abſque conſenſu parentum celebratum: non quia ſit inualidum; ſed quia eſt contrà legem, & bonos mores: & ideò illa conditio ſolùm apponitur ad licitè; & honeſtè celebrandum coniugium, & conſtat hoc ſenſu locutum fuiſſe Summum Pontificem: quia ibi etiam enumerat alias conditiones ad matrimonium legitimum, quæ proculdubiò ad valorem illius non requiruntur, ut quòd uxor dotetur, à paranymphis viro tradatur, quòd vterque biduo, vel triduò orationi vacent, & caſtitatem cuſtodiant. ¶ Et licèt dicatur adulterium, aut fornicatio matrimonium ſinè dicto conſenſu celebratum, non eſt, quia ſit in ſe formaliter tale, ſed in causâ, vel in principio: quia arguit inordinatā concupiſcentiam, maximè in fœminis abſque conſenſu parentum nubentibus. Et ideò in *cap. Honorantur* 32. *q.* 2. *dicitur Non eſſe virginalis pudoris maritum eligere non expectato parentum iudicio.*

*Duæ aliæ obiectiones enodantur.*

18. Ad ſecundum reſpondetur leges illas ciuiles loqui de matrimonio licitè, & honeſtè contracto, ad quod requirunt parentum conſenſum, ſi tamen ad valorem matrimonij illum petunt, correctæ ſunt per ius Canonicum locis à nobis adductis. ¶ Ad tertium reſpondetur Deum velle promiſſionem ſibi factam per votum pendere ex conſenſu parentum, & ſub illâ conditione emitti, *niſi parentibus oppoſitum videatur*; non ſic in promiſſione per matrimonium facta, cum ipſe dicat: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Præterquàm quòd licèt parentes poſſint irritare vota filiorum antè pubertatem emiſſa: & ſimiliter poſt pubertatem vota realia; vota verò perſonalia, quæ poſt pubertatem à filijs emittuntur, à parentibus irritari nequeunt, ut votum caſtitatis, votum religionis, &c. Promiſſio autem, & obligatio matrimonij eſt perſonalis; & ideò à parentibus irritari non poteſt, etiamſi abſque illorum conſenſu fiat.

*Peccāt ſaltem venialiter filij ſine conſenſu parentum contrahendo.*

19. Sed inquires primò. An peccent mortaliter filij, qui abſque conſenſu, & conſilio parentum; vel ipſis inuitis nubunt? ¶ Et quidem venialiter peccare nulli dubium eſt: quia in eo reuerentiam parentum offendunt, obedientiam debitam ipſis frangunt; pacem turbant, & plures diſſentiones tam cum parentibus, quam cum conſanguineis excitant, quod ad minus erit peccatum veniale, quamuis ab hoc excuſentur ab omnibus, & multò magis à mortali, ſi parentes retraherent filios à matrimonio digno, & utili, ſi alio indigno, & moleſto filios copulare vellent: ſi pater filium uxorem ducere ægram, imprudentem, &c. conaretur: ſi parentes negligerent, aut nimis differrent filios ad matrimonium trahere, ſi durè, ac moleſtè ipſos tractarent, &c. Similiter eſt certum apud omnes peccare mortaliter filios qui cum indignâ nuberent cum dedecore familiæ; vel grauia mala ex tali matrimonio ſequi timerent, ut ſcandala, periculа, inimicitias, bonorum amiſſionem, pernicioſas diſcordias, &c. Ità Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 23. *num.* 10. *&* 11. Gutier. *de Matr. cap.* 79. *num.* 20. Palao *diſp.* 2. *punct.* 12. *num.* 9. Sed difficultas eſt: (his præciſis) an peccent mortaliter filij per hoc præcisè, quod nubant abſque conſenſu parentum?

*Peccare mortaliter aliqui docent.*

20. Circà quod eſt triplex ſententia. Prima affirmatiua, quam tenet Ledeſm. 3. *p. q.* 47. *art.* 6. *dub.* 2. Baſil. *lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 26. Leand. *diſp.* 5. *qu.* 5. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 6. Rodrig. *tom.* 1. *ſumm. cap.* 14. *nu.* 2. Nauarr. *in ſumm. cap.* 14. *num.* 15 Rebell. *q.* 14. *ſect.* 1. Soto *in* 4. *diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 1. Bellar. *lib.* 1. *de Matr. cap.* 14. Et probatur primò: quia filij tenentur obedire parentibus in his, quæ ſunt licita, & honeſta, maximè ſi ſint ſub eorum tutelâ, & patriâ poteſtate: ergò peccant mortaliter, ſi rem tàm arduam, ut eſt onus perpetuum matrimonij, abſque eorum conſenſu aggrediantur. ¶ Secundò: quia parentum eſt liberis nuptias procurare: ergò liberi tenentur in hoc parentibus obedire. Probatur conſequentia: quia hæc ſunt correlatiua: ego teneor tui circà hoc curam habere: ergo tu teneris mihi in hoc obedire. ¶ Tertiò: quia ità fert conſuetudo omnium nationum, apud quas non eſt filiorum, maximè filiarum, dum ſunt ſub curâ parentum, quærere ſibi nuptias, ſed ipſorum parentum, & ideò in omni loco parentes grauiſſimè offenduntur, ſi filiæ, aut filij, ipſis inuitis contrahant matrimonium.

*Peccare mortaliter filios, qui inconſultis parentibus nubūt, alij aſſerunt.*

21. Secunda ſententia dicit filios teneri ſub mortali parentes circà hoc conſulere, ipſos monere, & conſilium eorū expectare, niſi aliàs timeant parentes fore impedituros matrimonium, quod filij ſibi vtile arbitrantur; non tamen teneri illorum voluntati acquieſcere, vel conſenſum expectare, ſed ſemel admonitis parentibus, poſſe ipſis inuitis, cui maluerint, nubere. Ità Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 23. *nu.* 10. cum alijs pluribus à ſe relatis, quem ſequitur Conin. *diſp.* 28. *dub.* 5. *&* N. Gabr. Et quidem non teneri ſub mortali expectare eorum conſenſum probatur rationibus, quas pro tertiâ ſententiâ adducemus. Quod verò teneantur illorum petere conſilium, ſic probatur: quia cum parentes teneantur in omnibus, præcipuè in ſtatu vitæ deligendo, filiorum utilitati incumbere, tantam rem, ut eſt matrimonium, abſque illorum conſilio aggredi, grauis eſt parentum contemptus, ac ſignum diffidentiæ. Præterquam quòd parentes melius cognoſcere poſſunt inconuenientia, damna, &c. Quæ ex tali matrimonio fortè oriri poſſunt; & econtra utilitates, & commoda, quæ ex alio filijs accreſcere valent: ergò ipſi tenentur conſulere parentes, ut circà hæc omnia moneantur.

*Non peccāt mortaliter, ſiue abſque conſenſu, ſiue abſque conſilio parētum nubant.*

22. Tertia nihilominus, & verior ſententia dicit filios non teneri aut ſequi parentum conſenſum, aut exquirere illorum conſilium, ſed poſſe abſque peccato mortali ipſis inconſultis contrahere. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *in corp.* ibi: *Non tenentur nec ſerui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſeruanda, vel aliquo alio huiuſmodi.* Et ratio illius, ut ſtatim videbimus, æquè probat non teneri filios parentum conſenſum, vel illorum conſilium expectare circà matrimonium. S. Doctorem ſequuntur Victor *tract. de Matr. nu.* 269. Palao *n.* 8. *&* 11 Couar. *lib.* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 3. *nu.* 1. Didacus de Narbona *lib. de ætate, &c. q.* 10. *nu.* 6. Auerſ. *q.* 3. *ſect.* 7. §. *Deinde* Dicaſt. *diſp.* 4. *dub.* 17. *nu.* 171. Hetinx *diſp.* 3. *nu.* 8.

23. Pro-

*Duplici ratione probatur concluſio.*

23. Probatur primò ratione D. Thomæ: quia ſecundùm ea, quæ pertinent ad naturam corporis, non tenetur homo homini obedire, ſed ſolùm Deo: quia in his omnes homines ſunt naturâ æquales, ut ſunt ea, quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem: ergo ſicut poſſunt filij inſcijs parentibus, de his, quæ pertinent ad ſuſtentationem corporis, ſibi prouidere: ità etiam in his, quæ pertinent ad prolis generationem, quòd fit per matrimonium, aliàs non eſſent omnes homines naturâ æquales circà hoc, quod intendit D. Thomas. ¶ Secundò: quia per matrimonium filius ſeruituti perpetuæ obligatur magna onera ſecum afferenti, quæ niſi ex voluntate ſuſcipiantur, difficillimè tolerari poſſent: ergò par eſt ipſum omninò eſſe liberum circà hoc, ac proindè non teneri alterius expectare conſenſum: conſilium verò parentum exquirere, quod ipſe non ſecuturus eſt, potius offendit parentum reuerentiam, & aliàs eſt ſuperfluum. Ad quid enim conſilium petit, qui iam ad unum eſt determinatus? Et ipſe cognoſcere poteſt prudenter, quæ circà talem materiam poſſunt occurrere, vel alios à parentibus conſulere, qui fortè melius, & prudentius circà talem materiam ipſum dirigant.

*Eſt valdè conueniens & decens, ut filij inconſultis parentibus nõ contrahant.*

24. Fatemur tamen eſſe valdè conueniens, decens, honeſtum, & decorum, ut filij ita parentibus obediant, illiſque reuerentiam exhibeant, ut abſque eorum conſenſu, vel conſilio minimè ſibi de nuptijs prouidere contendant, ad quod magis fœminæ tenentur, quæ minus cognoſcere poſſunt inconuenientia, & mala, quæ ex tali matrimonio ſibi poſſunt euenire: & honeſtas illarum exigit circà matrimonium contrahendum non ſe intromittere, ſed parentum voluntati in omnibus ſe tradere; quod, & non ampliùs probant argumenta in contrarium adducta: quia ſolum probant ex decentia, ex honeſtate, ex congruitate teneri filios abſque parentum conſenſu, aut conſilio non contrahere: ratione cuius honeſtatis, & decentiæ apud omnes nationes introductum eſt, ut ſit parentum munus filios de nuptijs prouidere, non ipſorum; & quia contrà hanc reuerentiam, decentiam, & honeſtatem filij operantur, ſi contrahant contra parentum voluntatem, ideò illi meritò offenduntur.

*Nõ tenetur filius ad matrimonium, quod pater promiſit.*

25. Ex quo deducitur filium non teneri cum eâ contrahere matrimonium, quod parentes promiſerunt, vel iubent. Etquidem ſi filij animum nubendi non habeant, ſed vel permanendi in ſtatu cælibatus, vel ad alium perfectiorem tranſeundi, non teneri in hoc ſequi voluntatem parentum apud omnes Doctores eſt receptiſſimum. Si tamen filius paratus ſit cum aliqua nubere adhuc non teneri cum illâ contrahere, cuius matrimonium pater promiſit, vel ipſi iubet. Tenet Sanch. *nu.* 3. Conin. *diſp.* 28. *dub.* 5. Leand. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. Perez *diſp.* 17. *ſect.* 16. *num.* 11. Enriq. *cap.* 13. *num.* 13. Dicaſt. *dub.* 16. *num.* 160. Ledeſm. *quæſt.* 43. *art.* 2. *ad finem* Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 8. N. Gabr. *num.* 40. Et conſtat ex verbis D. Thomæ *nu.* 22. adductis. Et probatur ijſdem rationibus, quibus *nu.* 23. uſi fuimus, quæ urgentius hanc concluſionem probant, ut conſideranti patebit.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

26. Sed objicies: quòd in *cap.* 1. *de deſponſ. impuber.* dicitur filios in hoc omninò debere obedire parentibus, quibus incumbit liberis procurare opportunas nuptias. ¶ Confirmatur: quia *leg.* 2. *C. de patrib. qui filios ſuos, & leg.* 7. *&* 8. *tit.* 17. *part.* 4. dicitur filium poſſe à parente in neceſſitate conſtituto vendi, & in ſeruitutem reduci: ergo quamuis matrimonium ſeruitus ſit quædam, parentes poteſtatem habebunt ad obligandos filios, quod contrahant, cum quâ ipſi eligunt. ¶ Reſpondetur textum illum loqui de debito honeſtatis, & decentiæ, non de debito obligationem grauem inducente. ¶ Ad confirmationem dicimus eſſe diſparem rationem inter ſeruitutem, & matrimonium. Tum: quia ſeruitus non eſt onus perpetuum, cum poſſit per redemptionem extingui. Tum etiam: quia non eſt vinculum mutui amoris, quod proindè liberè debeat induci, quæ omnia reperiuntur in matrimonio.

27. Inquires ſecundo. An parentes poſſint exhæredare filios, vel filias nubentes contrà illorum voluntatem? ¶ Circà hoc eſt varietas magna inter Doctores. Quam plurimi ſunt qui affirmant, ut Vega *lib.* 5. *ſumm. caſ.* 559. Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 179. Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 4. Rebell. 2. *part. de obligat. iuſt. lib.* 2. *ſect.* 14. *quæſt.* 2. *à nu.* 16. Baſil. *lib.* 2. *c.* 1. §. 3. quod probant pluribus legibus ex iure ciuili deductis, quas eſſe iuſtas, nec per ius Canonicum correctas contendunt. Et ideò rectè inquit Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 25. *n.* 1. *in fin.* & ex ipſo Leand. *tr.* 9. *diſp.* 6. *q.* 9. non peccare mortaliter parentes, qui filios contrahentes, ipſis inuitis, bonorum ſuorum hæreditate priuant: quia in hoc ſequuntur opinionem valdè probabilem. *Aliqui dicunt parentes poſſe exhæredare filios nubẽtes contra eorum voluntatem.*

28. Nihilominus dicendum eſt, omnes leges ciuiles, ſiuè communes, ſiuè particulares Regni Caſtellæ, Galliæ, aut Portugalliæ parentibus facultatem concedentes exhæredandi filios, qui nubunt contrà illorum voluntatem, vel eſſe iniuſtas, vel correctas, & reuocatas per ius Canonicum: quia ſunt contrà matrimonij libertatem. Ità Con. 2. *part. de Matrim. cap.* 3. §. 8. *num.* 5. Sanch. *num.* 3. Leand. *diſp.* 6. *q.* 8. Auerſ. *quæſt.* 3. *ſect.* 7. Vaſquez *diſp.* 4. *cap.* 2. *num.* 24. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 6. *diff.* 9. *num.* 35. Dicaſt. *dub.* 19. *num.* 184. Et colligitur ex *cap. Gemma, de ſponſal. & cap. unic. de deſponſ. impuber. in* 6. *in princip. & §. ult.* ubi plena libertas filijs relinquitur approbandi, & ratum habendi, quod parentes circà illorum matrimonium diſpoſuerint. *Oppoſitum eſt verum.* *quid de hoc ſtatutum per principes Belgij lege Auſ. in Tribonians belgico & breu N. Steph. nu. 32 Heunx nu. 9.*

29. Ex quibus prima ratio pro concluſione noſtrâ ſic formatur: quia ius Canonicum ſummam libertatem circà matrimonium requirit, & ne lædatur talis libertas omnem pœnam ſponſalibus apponere vetat, ut diximus *cap.* 1. *punct.* 8. *num.* 96. ne appoſitio talis pœnæ aliquantulum libertatem matrimonij diminuat; ſed exhæredatio grauiſſima pœna eſt libertati matrimonij maximè obſtãs, Ergò vel iniuſtæ, vel correctæ ſunt leges, quæ talem exhæredationem admittunt. ¶ Secundò: quia leges ad matrimonium pertinentes ad Eccleſiam ſpectant, non ad laicam poteſtatem. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *Canon.* 12. Ergò ſicut non poſſunt tales leges irritare matrimonium contrà voluntatem parentum contractum; ità non poſſunt prohibere, quòd ſine illorum voluntate fiant, vel propter hoc punire. quia conſtituere impedimenta dirimentia, vel merè prohibentia ſub culpâ, aut pœnâ, ad Eccleſiaſticam pertinet poteſtatem. An autem teneantur parentes dotare filias contrà eorum voluntatem nubentes, vel filijs alimenta præbere? Videantur Dicaſt. *tr.* 10. *diſ.* 4. *dub.* 15. Sanch. *diſp.* 24. *Duplici ratione concluſio probatur.*

*diſp.* 24. & 25. Palao *num.* 16.

*Matrimonium ſeruorum ſinè dominorũ conſenſu eſt validum.*

30. Hactenus de matrimonio filiorum egimus, veniamus ad ſeruorum matrimonium, & videamus, An ſeruus validè, aut licitè matrimonium contrahere poſſit, abſque domini voluntate? ¶ Reſpondetur affirmatiuè, & colligitur ex *cap.* 1. *de coniugio ſeruor.* ubi ſic habetur: *Nec inter ſeruos debent matrimonia ullatenus prohiberi; & ſi contradicentibus dominis, & inuitis contracta fuerint, nullâ ratione ſunt propter hoc diſſoluenda.* Et probat D.Thom. 3.*part.quaſt.*52.*art.*2. in addit. & in 4 *diſt.*36.*unic. art.* 2. quia ſeruus non ſubditur domino in his, quæ ſunt de iure naturali: ſed iuxtà appetitum naturæ eſt celebratiò matrimonij in ordine ad conſeruationem ſpeciei: ſicut cibi ſumptio in ordine ad conſeruationem indiuidui: ergò ſicut ſeruus non ſubditur domino, quin liberè poſſit comedere, & dormire, quæ ad neceſſitatem corporis pertinent, ſinè quibus natura conſeruari non poteſt: ità non ſubditur ei quantùm ad hoc, quòd non poſſit liberè matrimonium contrahere, etiam domino neſciente, aut contradicente.

*Duplex obiectio in oppoſitum.*

31. Sed obijcies primò: quòd nemo poteſt dare dominium alicuius rei uni, quod eſt alterius: ſed ſeruus eſt domini: ergò non poteſt ſui poteſtatem coniugi præbere ſine domini voluntate. ¶ Secundò: quia ſeruus ingredi religionem, ordines ſuſcipere ſinè domini conſenſu non poteſt; ergò neque etiam matrimonium celebrare: quia fauorabilior eſt obligatio, quà homo ſe diuinis obſequijs mancipat, quàm illa, per quam ſe uxori per matrimonium ſubijcit.

*Vtraque ſoluitur ex D. Th.*

32. Ad primum reſpondet D.Thom. *loc.cit.ad* 1. *Quod ſeruus eſt res domini quantùm ad ea, quæ naturalibus ſuperadduntur, ſed quantum ad naturalia omnes ſunt pares; unde in his, quæ ad actus naturales pertinent, ſeruus poteſt alteri inuito domino ſui corporis poteſtatem per matrimonium præbere.* ¶ Ad ſecundum reſpondet idem D.Thom. *loc.cit.ad* 5. *Quòd per Religionem, vel Ordinis ſuſceptionem aliquis obligatur diuinis obſequijs, quantum ad totum tempus: ſed vir tenetur debitum reddere uxori non ſemper, ſed congruis temporibus, & ideo non eſt ſimile, & præterea ille, qui intrat Religionem, vel ſuſcipit Ordinem, obligat ſe ad aliqua opera, quæ ſunt naturalibus ſuperaddita, in quibus dominus poteſtatem eius habet, & non in naturalibus, ad quæ obligat ſe per matrimonium.*

*Aliqua corollaria ex dictis.*

33. Ex quo deducunt communiter Doctores peccare mortaliter dominum, qui vel impedit matrimonium ſerui, vel ſeruũ ſupplicio afficit propter contractionem illius, vel ipſum poſt matrimonium, & etiam poſt ſponſalia vendit in longinquum, vel diſtrahit in terras remotas, quò illum ſequi coniux commodè non poſſit: vel ſi impediat moderatum uſum coniugis, vel conuenientem educationem prolis, & ideò docet D.Thom. *loc.cit.in ſolut. ad* 3. quòd ſi ſeruus ex conſenſu domini matrimonium contraxit, non poteſt illi aliquid præcipere tempore, quo uxor debitum eflagitat. Si verò abſque eius conſenſu nupſit, inſpiciendæ ſunt particulares circumſtantiæ occurrentes, ex quibus colligatur, An teneatur ſeruus obedire domino præcipienti aliquid tempore, quo uxor debitum petit? An verò uxori debitũ reddere.

*Nõ poſſunt parentes, aut domini filios, aut ſeruos cogere ad matrimoniũ.*

34. Sed nunc quæres. An vel parentes poſſint præcipere, vel cogere filios ad contractionem matrimonij, vel domini ſeruos, vel Principes vaſſallos? ¶ Reſpondetur per ſe minimè poſſe. Ità *Trid.ſeſſ.*24.*cap.*9. D.Thom. *in* 4.*diſt.*29.*quæſt.unic. art.*4. Sanchez *diſp.*2. *num.*4. Dicaſt. *dub.*15. Coninc. *diſp.*28.*dub.*5. Diximus: *Per ſe*, per accidens autem id efficere poſſunt in caſu, quo ad id iure naturæ tenerentur: vel quia filius, v.g. virginem deflorauit: vel quia ad conciliandam pacem communem tale matrimonium conducit, vel ad tollendas capitales inimicorum inimicitias; præcipuè ſi ille ducendi uxorem animum haberet: vel denique ſi tale matrimonium ſimpliciter eſſet neceſſarium ad ſuſtentandum patrem, aliàs inediâ laborantem: quia in his caſibus iuſtè coguntur filij, aut ſerui matrimonium contrahere, irrationabiliterque iudicantur inuiti, cum ad id teneantur. Ita præter Sanchez, & Dicaſtillo *loc. citat.* Perez *diſput.*17.*ſect.*18. Ledeſma *quæſt.*47.*artic.*6.*dub.*2. *concluſ.*2. Enriquez *lib.*11.*cap.*6 *numer.*6. Sed hoc eſt per accidens, ut diximus. Per ſe tamen non poſſunt parentes filios, aut domini ſeruos ad matrimonium compellere: eo quòd iſtud petit perpetuam vitæ ſocietatem mutuo amore conglutinatam: & ſic periculoſum eſt ad id compelli ex alieno imperio: rarò namque amamus ea, ad quæ ex alieno iudicio obligamur. Maximè quia ut inquit D. Thomas, matrimonium eſt quaſi quædam perpetua ſeruitus, à quâ ſumus liberi naturâ: & ideò ſolâ voluntate poſſumus illi ſubijci.

*Quas pœnas incurrant qui ad matrimonium compellunt.*

35. Vltimum inquires. Quas pœnas incurrant illi, qui cogunt ſuos ſubditos ad matrimonium contrahendum? ¶ Reſpondetur: quod domini temporales, & Magiſtratus habentes iuriſdictionem in foro exteriori cogentes iniuſtè ſuos ſubditos, vel quoſcumque alios ad matrimonium pœnam anathematis ipſo facto incurrunt. Ità *Trident. ſeſſ.*24.*cap.*9.*de reform.* ibi: *Præcipit ſancta Synodus ſub anathematis pœnâ, quam ipſo facto incurrant, ne quouis modo directè vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quominùs liberè matrimonium contrahant.* Et nomine anathematis intelligitur excommunicatio maior, ut contrà nonnullos oſtendunt Coninch, Sanchez *lib.*4. *diſp.*22. *nu.*8. Gutier. *cap.*79.*nu.*10.

*Quomodo decretum Cõcilij intelligatur.*

36. Diximus: *Iniuſtè cogentes* talem pœnam incurrere; ſi enim iuſtè ad id compellant, minimè talem excommunicationem incurrunt: quia tunc nulla datur culpa, & conſequenter non debet dari pœna, quæ ſinè culpâ non reperitur. Ità Perez *ſect.*17.*num.*4. Hurtad. *diſp.*6.*diff.*7.*num.*26. Diximus etiam: *Cogentes*: quia non comprehenduntur ſub illâ pœnâ illi, qui matrimonium iniuſtè impediunt, vel prohibent: quia Concilium ſolum de cogentibus loquitur, ſub quo nomine impedientes, aut prohibentes non comprehenduntur. Ità Enriq. *nu.*5. Bonac. *quæſt.*3.*punct.*8.*nu* 34. Palao *n.*5. Non requiritur autem quòd fiat talis coactio per vim, aut metum cadentem in virum conſtantem, ut incurratur huiuſmodi pœna, ſed ſat eſt ad hoc, quòd metus, aut coactio ſit ſufficiens ad peccatum mortale: quia Concilium non ſolum vult excludere coactionem per metum ſufficientem ad dirimendum matrimonium, ut eſt ille, qui cadit in virum conſtantem: ſed quemcumque alium tollentem omnimodam voluntatem contrahendi, ut eſt ille, per cuius incuſſionem peccatum mortale committitur. Ità Dicaſt. *diſp.*4. *dub.*14. *num.*146.

37. Hanc excommunicationem non incurrunt

nec

Digitized by Google

*Qui comprehendantur ſub illo.* nec patres, qui filios, nec domini, qui ſeruos ad matrimonium compellunt. Ità Sanch. *num.* 9. Enriq. Dicaſt, *num.* 141. *& dub.* 15. *num.* 155. Bonac. *nu.* 34. quia ſolum agit Concilium de ijs, qui habent iuriſdictionem in ſoro externo ſæculari, ut domini temporales, & Magiſtratus. Vndè neque etiam incurrerent talem pœnam Epiſcopi, qui ſuos ſubditos ad matrimonium compellerent; quia non ſunt domini temporales habentes iuriſdictionem in foro externo ſæculari. Ità Dicaſt. *dub.* 14. *cit. nu.* 141. Palao *n.* 5. N. Gabr. *nu.* 43. Imò neque comprehenduntur ſub hac pœnâ Imperatores, aut Reges: quia quamuis iuriſdictionem habeant in ſoro externo ſæculari, tamen exprimendi ſunt, ut comprehendantur ſub aliquâ pœnâ, ut *Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *de ref.* illos ad aliam pœnam exprimit. Ità Palao, N. Gabr. *&* Dicaſt. *loc. cit.*

## PVNCTVM III.

### *An conſenſus pro matrimonio debeat verbis, aut ſignis exprimi?*

*Error aliquorū circà quæſitū.* 38 ERror fuit Wiclepb, quem refert N. Waldenſ. *lib.* 4. *de Sacrament. cap.* 132. ſolum conſenſum internum eſſe neceſſarium ad matrimonium, ſinè eò quòd verbis, aut ſignis exprimatur, cui ex parte adhæſerunt aliqui ex Iuriſtis, ut Innocentius *in cap. Tuæ, de ſponſal. &* Cuiacius *in cap. Tuæ fraternitati, de ſponſal. & Matrim.* Et etiam Ricard. *in* 4. *diſtinct.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. Et probari poteſt aliquibus iuribus, quibus dicitur ſolum conſenſum deſiderari ad matrimonium. *Cap. Matrimonium. cap. Final. de ſponſ. duor. cap. Cum loco* 14. *de ſponſal. cap. Sufficiat* 27. *quæſt.* 2. § Secundò: quia promiſſio aliarum rerum purè mentalis obligat, etiamſi verbis non exprimatur: nam ſi quis habeat voluntatem donandi Petro centum, & Petrus accipiat illa, non furatur: nam furtum eſt acceptio rei alienæ inuito domino, quòd in præſenti non inuenitur: ergò erant ſua: ergò ex ſolâ promiſſione in mente conceptâ datur obligatio conferendi, quod promittitur: ergò ſimiliter poteſt dari contractus matrimonij.

*Aliorum placitum.* 39. Alij verò, quamuis manifeſtationem externam conſenſus ad matrimonij contractum requirant, eam tamen dicunt non eſſe neceſſariam tamquam aliquid eſſentiale matrimonij, ſinè quo non poſſit conſiſtere: ſed eſſe præcisè conditionem, ut conſenſus unius alteri manifeſtetur, vel ut in foro externo poſſit probari: ac proindè quòd ſi Deus vel per Angelum, vel alio modo viri conſenſum mulieri manifeſtaret, hoc ſufficeret ad matrimonium, etiamſi nullum ſignum exterius appareret. Conſequenterque aſſerunt per diuinam potentiam poſſe dari matrimonium per ſolos conſenſus contrahentium, etiamſi exterius non manifeſtentur. Ità Maior. *in* 4. *diſt.* 26. *q.* 1. *ad* 3. Et probabile iudicat Veracruz 1. *part. Spec. art.* 3. Et loquendo de matrimonio in ratione contractus Conin. *diſp.* 24. *dub.* 2. Et tam in ratione contractus, quàm Sacramenti, Auerſ. *q.* 3. *ſect.* 2. § *Secundo ergò.* Et probatur ex *cap. Tuæ fraternitati, de ſponſ.* ubi dicit Summus Pontifex: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris conſenſum: ſed neceſſaria ſunt quantum ad Eccleſiam verba conſenſum exprimentia de præſenti.* Ergò ſolùm ad Eccleſiæ notitiam manifeſtatio extrinſeca requiritur, non tamen ad ſubſtantiam matrimonij. Deindè ratione id ipſum probatur: quia manifeſtatio conſenſus exterius facta ſolùm requiritur, ut talis conſenſus alteri parti manifeſtetur, ut eum acceptare valeat: ergò ſi aliundè Deus faceret, ut in notitiam huiuſmodi conſenſus pars altera veniret, manifeſtatio exterior non eſſet neceſſaria.

*Vera doctrina circà propoſitā materiam.* 40. Nihilominus dicendum eſt neceſſarium eſſe ad matrimonium, quòd conſenſus interior verbis, aut ſignis manifeſtetur: & hoc non ut conditio præcisè, ſed tamquam aliquid eſſentiale ipſi matrimonio; proindeque fieri non poſſe per diuinam potentiam, ut matrimonium detur ſinè conſenſu exterius manifeſtato. Et quidem eſſe neceſſariam abſolutè ad matrimonium manifeſtationem extrinſecam, eſt de fide definitum in *Conc. Florent. in decreto* Eugenij. Et colligitur ex *cap. Licèt, de ſponſ. duor. cap. Sufficiat tit.* 27. *quæſt.* 2. *& cap. Cum apud, de ſponſal.* Et ex Scripturâ, in quâ obligatio unius alteri ſignis, aut verbis tribuitur. *Prouerb.* 6. *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus ſermonibus proprijs.*

*Prima pars cōcluſionis probatur.* 41. Ratione hæc pars concluſionis probatur: quia ſi matrimonium ſumatur in ratione Sacramenti, debet eſſe ſignum ſenſibile, quod eſt commune omnibus Sacramentis; ergò ad illud requiritur, quòd conſenſus interior ſignis exterioribus patefiat. Sed etiam ad illud, ut eſt contractus, hoc ipſum requiritur. Tum: quia contractus eſt conuentio humano modo facta; ſed humano modo non fit, niſi quod ſignis, aut verbis exprimitur ergò, &c. Tum etiam: quia ad contractum matrimonij requiritur acceptatio alterius partis, ſed hæc acceptare non poteſt alterius conſenſum, niſi ipſi manifeſtetur: ergò, &c. Tum denique quia per matrimonium fit tranſlatio dominij unius in alterum; tranſlatio autem dominij fieri non poteſt, per actum merè internum.

*Secunda pars cōcluſionis oſtēditur.* 42. Secundam vero partem concluſionis, nimirum hanc extrinſecam manifeſtationem eſſe matrimonio eſſentialem tenet N. Cornej. *tr.* 6. *diſp.* 4. *dub.* 1. Soto *in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 1. *art.* 3. *concl.* 1. Ledeſm. 3. *p. q.* 45. *art.* 2. *dub.* 1. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 30. *nu.* 3. Baſil. *lib.* 2. *cap.* 6. *nu.* 3. Dicaſt. *diſp.* 2. *dub.* 6. *nu.* 30. Villalob. *tr.* 12. *diff.* 5. *num.* 5. Trull. *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 1. *à nu.* 8. Hurtad *diſp.* 3. *diff.* 12. *num.* 46. N. Ant. *diſp.* 3. *ſect.* 8. Gonet. *diſp.* 4. *art.* 2. Et probatur; quia in ratione Sacramenti eſt de intrinſecâ ratione illius, quòd ſit ſignum ſenſibile, & conſequenter ex ſuppoſitione, quòd Deus hoc modo Sacramenta inſtituerit, facere non poteſt, quòd abſque manifeſtatione extrinſecâ Sacramentum iſtud reperiatur. Deindè ad rationem contractus eſſentialiter hoc requiri probatur; quia matrimonium eſt humanus contractus conſiſtens in mutuâ traditione, & acceptatione corporum ad uſum coniugalem: ſed in omnibus contractibus humanis, traditionibus, & acceptationibus conſenſus exteriùs explicatus eſt pars eſſentialis eorum: ergò ſimiliter in contractu matrimonij.

*Oppoſita argumenta ſoluuntur.* 43. Ad oppoſita verò pro duobus modis dicendi in contrarium adductis reſpondetur. In primis in illis textibus, in quibus ſolùm conſenſum deſiderari ad matrimonium aſſeritur, ly *ſolum* non excludit à concomitantibus; & quia in matrimonio ſigna, aut verba conſenſum concomitantur, dicendo conſenſum requiri intelligitur de

conſenſu

conſenſu exterius manifeſtato: quare ſolùm excludunt ea, quæ ad talem conſenſum matrimonij non requiruntur; quia intendunt non requiri, aut conſenſum parentum, aut copulam carnalem ad hoc, ut matrimonium verè contrahatur. ¶ Ad rationem dicimus falſo niti fundamento. Nunquam enim donatio purè mentalis poteſt obligationem generare. Ità D. Thom. *in 4. diſt. 15. quæſt. 5. art. 5. quæſt. 1. & 2. 2. quæſt. 82. art. 1.* quem ſequuntur Aragon. *ibi. art. 3 §. Dicò ſecundò,* Baſil. *num. 9.* Sanchez *lib. 1. diſp. 3.* Ledeſm. *concl. 5. in ſolut. ad 4.* Cornej. *diſp. 4. dub. 1.* N. Gabr. *diſput. 4. quæſt. 2. & 3.* Et ratio eſt; quia nec iure naturali, nec ciuili poteſt oriri obligatio ex ſolâ interiori promiſſione; ſiquidem utrumque petit acceptationem, ut promiſſio obliget, & reuocari nequeat: acceptari autem non poteſt donatio, niſi exterius manifeſtetur, ut dictum eſt: quare in caſu argumenti Petrus peccatum furti committeret formaliter: quia quoad ipſum erat acceptio rei alienæ inuito domino; quamuis materialiter non eſſet tale: quia reipſa dominus non erat inuitus. Sicut qui accederet ad mulierem ſuam, quam iudicabat non eſſe ſuam, formaliter committeret peccatum fornicationis, quamuis materialiter non eſſet tale: quia re ipſa non erat acceſſus ad non ſuam.

*Soluitur adductum pro ſecundo modo dicēdi.*

44. Ad id, quod pro ſecundo modo dicendi adducebamus reſpondetur: quòd in illo *cap. Tuæ fraternitati,* ſolum intendit Pontifex debere dari conſenſum expreſſum, ſiuè per ſigna, ſiue per verba. Quoad Eccleſiam verò per verba debere exprimi, non tanquàm ſimpliciter neceſſarium, ſed in ordine ad faciliorem probationem in foro exteriori: quia cum verba melius exprimant conſenſum, quam ſigna, faciliùs in foro Eccleſiæ probatur, quod per verba fuit manifeſtum. Ità explicat hunc textum Baſil. *capit. 7. numer. 30.* Sanchez *lib. 2. diſp. 31. num. 5.* Cornej. *fol. 928.* Et patet hunc eſſe ſenſum: nam Innocentius III. *in dict. cap.* Poſt relata verba ità ait: *Nam muti, atque ſurdi poſſunt ſinè verbis contrahere, ſi alijs ſignis exprimant ſuos conſenſus.* ¶ Ad rationem ibi adductam fatemur manifeſtationem requiri, ut innoteſcat conſenſus, ſed talis manifeſtatio cum ſit reſpectu contractus humani, & Sacramenti, non utcumque requiritur, ut conſenſus pateſiat: ſed tanquam pars eſſentialis: ſicut confeſſio in Sacramento Pœnitentiæ ſe habet ut manifeſtans intrinſecum dolorem, & tamen eſt pars eſſentialis illius.

*Non requiruntur ad matrimonium, quod conſenſus verbis manifeſtetur.*

45. Huiuſmodi autem manifeſtatio non requiritur ex neceſſitate Sacramenti, quòd verbis fiat, ſed ſufficit fieri ſigni. Ità D. Thom. *quæſt. 45. art. 2. ad 2.* Ledeſm. *ibi. §. Secundò* Sanch. *nu. 2.* & conſtat ex *cap. Cum apud 23. & cap. Tuæ 25. de ſponſal.* Vbi deciditur mutos, & ſurdos optimè poſſe matrimonium cõtrahere exprimendo ſignis ſuum conſenſum. Et ratio eſt: quia ad quemcumque contractum ſufficit, quòd conſenſus contrahentium ſignis, aut verbis exprimatur. Ex quo deducitur verum eſſe Sacramentum, quod inter impotentes loqui celebratur. Tum quia: ut ſuprà diximus, nullum datur matrimonium inter fideles (debitâ illorum intentione ſuppoſitâ) quod non ſit Sacramentum. Tum etiam: quia *in Concil. Florentin.* in decreto Eugenij, ſæpius citato dicitur. Ad Sacramentum matrimonij regulariter verba requiri: ergò non ſemper: ergò ſtat matrimonium in ratione Sacramenti, etiamſi conſenſus verbis non exprimatur. Tum denique; quia Chriſtus Dominus eleuando contractum matrimonij ad rationem Sacramenti, non immutauit naturam illius: ergò ſi in ratione contractus poteſt per ſigna perfici, etiam in ratione Sacramenti.

*Obiectiones aduerſus concluſionē & earum ſolutiones.*

46. Sed objiciunt Soto *in 4. diſt. 26. quæſt. vnic. §. Sed hic eſt dubium.* Magiſter Canus *lib. 8. de locis, c. 5. ad 3.* Aſſerentes mutorum matrimonium non eſſe Sacramentum, quòd in eodem Concil. Florentin. *in decreto de Sacrament.* dicitur: omnia Sacramenta tribus perfici, nimirum verbis, rebus, & miniſtro: ergò ubi verba non adſunt, Sacramentum non perficitur. Deindè; quia ſicut eſt miniſter Sacramenti in Baptiſmo, qui abluit, & in Pœnitentia qui abſoluit: ità in matrimonio ſunt ipſi contrahentes; ſed non poteſt quis abluere nutibus, aut ſignis, neque abſoluere niſi verbis: ergò ſimiliter non poteſt contrahere. ¶ Ad primum conſtat ex dictis *cap. 3. dub. 2. num. 73.* quomodo res accipi poſſunt in ratione verborum. Et verba in ratione rerum ſufficienter ad intentum Concilij. ¶ Ad ſecundum dicimus: quòd in Baptiſmo, aut Pœnitentiâ eſt iam determinata forma à Chriſto Domino appoſita per verba miniſtri. Cæterum in matrimonio, nulla aſſignatur forma determinata, ſed illa, quæ ſufficit ad exprimendum conſenſum, ſicut in alijs contractibus; quia verò conſenſus ſignis, aut verbis exprimi poteſt, unum, vel alterum apponi, ſufficiens eſt in hoc Sacramento.

*Valētes loqui nō validè cõtrahere nutibus putāt, qui aſſerāt.*

47. Diximus autem de mutis, ſeu non valentibus loqui. Modò reſtat difficultas. An valentes loqui validè poſſint per ſigna, aut nutus matrimonium inire? ¶ Circà quod eſt duplex ſententia. Prima negatiua, quam tenent plures authores, quos refert Sanch. *lib. 2. diſp. 31. nu. 2.* Et probabile iudicat Baſil. *lib. 2. cap. 7. nu. 5.* Et probatur quia in *cap. tuæ de ſponſal.* conſtituitur diſcrimen inter valentes, & non valentes loqui: & in valentibus loqui dicitur verba eſſe neceſſaria: ſed quod neceſſarium eſt in Iure Importat formam, quæ non poteſt ſuppleri per æquipollens. *leg. 1. §. Si quis ità, ff. de verb. obligat.* Ergò, &c. Probatur id ipſum ratione: quia in matrimonio ſpirituali, ut eſt electio Epiſcopi, verba neceſſaria ſunt ad valorem illius, ut conſtat ex *cap. Cum inter Canonicos, & cap. Presbyter de electione*: ergò ſimiliter in matrimonio carnali.

*Matrimonium ſemper eſt validū nutibus cõſenſum exprimendo.*

48. Secunda, & verior ſententia aſſerit matrimonium ſiuè inter mutos, ſiuè inter valentes loqui celebratum, validum eſſe, ſi ſignis, aut nutibus conſenſus exprimatur. Ità D. Thom. *in 4. diſtinct. 27. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 1. ad 2. & 3.* Soto *ibi art. 3. concl. 2.* Sanch. *nu. 5.* Cornej. *diſp. 4. dub. 2.* Auerſ. *quæſt. 3. ſect. 2.* Coninch *dub. 8. concl. 2.* Trull. *lib. 7. cap. 5. dub. 2. nu. 10.* Enriquez *lib. 11. cap. 2. nu. 6.* Palaus *diſp. 2. punct. 7. nu. 3.* Dicaſt. *dub. 13. num. 124.* Ledeſ. *art. 2. dub 2.* N. Anton. *ſect. 9.* Gabr. *diſp. 3. quæſt. 2.* Herinx *nu. 12.* Et ratio eſt: quia neque Chriſtus, neque Eccleſia immutauit naturam contractus, quandò matrimonium ad rationem Sacramenti eleuauit: ſed quilibet contractus perficitur per conſenſum expreſſum ſignis, verbis, aut nutibus, ut de omnibus contractibus docent communiter Doctores, & de contractu ſponſalium habetur expreſsè in *leg. final. ff. de ſponſal.* Ergò ad matrimonium ſufficit, quòd ſignis exprimatur conſenſus. Et ideò antè Tridentinum ſponſalia

ſalia

Digitized by Google

ſalia tranſibant in matrimonium per copulam, qui erat ſignum conſenſus, *cap. Is qui fidem, de ſponſal. & ſimiliter in cap. unic. §. fin. de deſponſ. impub. in 6.* dicitur ſufficere parentem nomine filiæ conſenſum exprimere ad matrimonium, ſi ipſa taceat; quia taciturnitas in tali caſu eſt ſignum conſenſus interioris; ergò ſufficit, quod conſenſus ſignis exprimatur, etiam in valentibus loqui.

*Obiectio ex D.Tho. & ſolutio.*

49. Sed objicies; quòd D. Thom. 3. *part. qu. 45. art. 2. in corp.* dicit expreſſionem per verba ſe habere in matrimonio, ſicut ablutio in Baptiſmo; ſed Baptiſmus validè fieri non poteſt abſque ablutione; ergò neque matrimonium abſque expreſſione per verba. ¶ Reſpondetur cum Ledeſ. ibi. *dub. 2. ad 3. argument.* quod nomine verborum intelligit D. Thom. ſigna quædam ſenſibilia; quia cum matrimonium ſit Sacramentum, debet per ſignum aliquòd ſenſibile perfici, ſicut in Baptiſmate eſt neceſſaria ablutio externa ſenſibilis. Non tamen petit, quod hoc ſignum ſenſibile ſit verbum dumtaxat, cum in *ſolut. ad 2. & 3.* ſufficere ſigna doceat.

*Oppoſitæ ſententiæ fundamenta ſoluuntur.*

50. Ad probationes oppoſitæ ſententiæ reſpondetur. Ad primam ex *cap. Tua*, deſumptam conſtat ex dictis *num.* 44. verba eſſe neceſſaria non ſimpliciter, ſed quoad probationem Eccleſiæ, & quoad iſtam non abſolutè, ſed ut facilior ſit, & clarior. Id autem, quod iure eſt neceſſarium, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ad melius, & facilius poteſt per æquipollens ſuppleri. ¶ Ad ſecundam conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia; quia primum decretum eſt in iure, non ſecundum.

*Peccentnè mortaliter qui ſignis utuntur.*

51. Sed inquires. An peccent mortaliter illi, qui potentes loqui, nutibus, aut ſignis exprimunt conſenſum in matrimonio? ¶ Aliqui dicunt in hoc caſu non peccare, niſi venialiter: quia licèt judicent præceptum adeſſe apponendi verba in matrimonio, qui loqui poſſunt, ut conſtat *ex cap. Tua, de ſponſal.* ubi verba neceſſaria eſſe deciditur, non quidem neceſſitate Sacramenti, ut diximus. Et ideò debet intelligi de neceſſitate præcepti: quia tamen dicunt: eſſe de re exigui momenti, cum ſignis, & verbis conſenſus æquè exprimatur, non inducit grauem obligationem. Ità Syluius *in 3. part. quæſt. 44. art. 2.* Ledeſm. *dub. 2. concl.* 3. Enriquez *cap. 2. in Gloſſ. litter.* M. Sanchez *lib. 2. diſp.* 30. *nu.* 10. Palacius *in 4. diſt. 27. dub.* 1. Coninch *num.* 66. Filliuc. *tom. 1. tract. 10. cap. 3. nu.* 82. Trull. *lib. 7. cap. 5. nu.* 10. ¶ Alij verò aſſerunt nec venialiter peccare in tali caſu; quia neque præceptum, neque textus urgens adducitur in oppoſitum. Ità Palaus *nu.* 5. Baſil. *num.* 14. Perez *diſp.* 15. *ſect.* 1. *nu.* 11. Dicaſt. *diſp. 2. dub.* 13. *nu.* 128. Leand. *diſp. 6. quæſt.* 22. N. Gabr. *nu.* 14.

*Qui ſentiant eſſe peccatum.*

52. Alij denique aſſerunt peccare mortaliter in tali caſu. Ità Rodrig. 1. *tom. ſumm. cap.* 216. *nu.* 5. Auerſ. *quæſt.* 3. *ſect.* 2. Cornej. §. *ult.* propter conſuetudinem Eccleſiæ, in quâ non admittitur, ut qui loqui poſſunt, nutibus utantur, & propter præceptum in *cap. Tua, de ſponſ.* poſitum, quod non eſſe de re leui, ſed maximè graui dicunt. Sed nos inter tot authorum placita aſſerimus, quòd ſi ſigna ſint dubia, ità ut ex illis æquiuocatio, aut dubitatio oriatur, erit peccatum mortale cum illis celebrare matrimonium: quia iure naturæ tenetur unuſquiſque in re tàm graui manifeſtare conſenſum ſuum clariori modo, quo poteſt, ut omnis ambiguitas tollatur, & occaſio litibus, aut contentionibus non detur. Vndè ſicut peccaret mortaliter, qui verbis æquiuocis uteretur in celebratione matrimonij: ità qui ſignis, aut nutibus ambiguis. Si tamen ſigna eſſent certa, & indubitata ad manifeſtandum conſenſum, tunc dicendum eſt; quod ſi in tali loco eſſet conſuetudo utendi nutibus, aut ſignis; vel eſſet iuſta cauſa non utendi verbis, non eſſet peccatum nec veniale; eſſet tamen peccatum veniale, ſi abſque iuſta causâ id efficeretur, ubi conſuetudo non vigeret, non tamen eſſet mortale: quia parum intereſt, quòd verbis, aut ſignis explicetur conſenſus, ſi tamen certa ſunt, & indubitata.

*Media via incedendum.*

## PVNCTVM IV.

*De verbis, & ſignis, quibus conſenſus debet exprimi. Et quomodò utriuſque coniugis conſenſus debeat ſimul apponi?*

*Quæ verba ſufficiant ad matrimonium?*

53. Diximus præcedenti puncto conſenſum debere manifeſtari nutibus, aut verbis. Reſtat nunc in particulari agere de nutibus, aut verbis, quibus id effici debeat. Et in primis ſtatuendum eſt ſufficere illa verba, quæ conſenſum de præſenti exprimunt, videlicet: *Accipio te in meam coniugem, in meam uxorem, in meum virum: trado me tibi in coniugem, in virum*, &c. Verba tamen illa, quæ de futuro conſenſum ſignificant, non ſufficiunt ad conficiendum matrimonium de præſenti, ut ſi diceret: *Accipiam te in meam coniugem; eris mea uxor, &c.* Ità *Concil. Florent. loc. ſæpius citat. & in capit. ultim. de ſponſal.* Traditque D. Thom. 3. *part. q. 45. art.* 3. Ledeſm. *ibi*, Cornej. *diſp. 4. dub.* 4. & eſt communis. Et ratio D. Thomæ eſt: quia verba in matrimonio, ſicut in alijs Sacramentis id faciunt, quod ſignificant: ſed verba de futuro ſignificant poteſtatem tradendam, aut conſenſum apponendum; non verò ſignificant poteſtatem traditam alteri coniugi, aut conſenſum ad hoc appoſitum; quia hoc fit per verba de præſenti: ergò ſolum per verba de præſenti, non verò de futuro poteſt matrimonium celebrari.

*Duplex obiectio.*

54. Sed objicies primò: quòd videtur non ſufficere verba de præſenti ad intentum; nam hæc ſunt verba de præſenti: *Volo te habere in uxorem; cupio eſſe maritus tuus.* Et tamen non ſufficiunt ad matrimonium de præſenti contrahendum, ſed ad ſummum ad ſponſalia, quæ ſunt matrimonium de futuro. Quemadmodum ſi quis diceret alteri: *Volo tibi vendere agrum meum.* Et alius reſponderet: *Volo emere agrum tuum*; non perficeretur contractus venditionis de præſenti. Nec ſi quis diceret: *Volo eſſe Religioſus*, ex tunc Religioſus fieret. ¶ Secundò ex alia parte videntur ſufficere verba de futuro; nam in *capit. Ex parte, de ſponſal.* dicitur; quòd hæc verba: *Tenebo te in uxorem*, ſufficiunt mulieri, cui dicuntur, ut uxor legitima habeatur, & tamen hæc ſunt verba de futuro. Similiter in *capit. Si quis 30. quæſt.* 5. dicitur: *Si quis iurauerit ſe aliquam habere in uxorem, illa ſit legitima uxor.*

*Quædam ſuppoſitio ad ſolutionem.*

55. Reſpondetur ad utramque obiectionem, ſupponendo ex Ledeſm. *quæſt. 45. art. 3. §. Ad huius*

*ius explicationem*; quod quædam verba ſunt de præſcuri omnino, & ſecundùm cadentiam Grammaticalem, & ſecundùm ſenſum, qui oritur ex omnibus dictionibus talis orationis, & de his non eſt dubium ſufficere ad matrimonium; ſicut inſufficientia eſſe verba de futuro utroque modo talia. Alia verò ſunt, quæ licèt ſecundum cadentiam Grammaticalem ſint de præſenti, ratione tvero alicuius additi fiunt de futuro, ut ſi diceretur *Contraho tecum pro anno ſequenti*; & econtrà alia, quæ ſunt de ſuturo, ſecundum cadentiam Grammaticalem, & ratione alicuius additi fiunt de præſenti, ut ſi dicatur. *Tenebo te in uxorem ex nunc, ex hoc tempore*. Alia denique ſunt verba, quæ licèt ſecundum cadentiam Grammaticalem ſint de præſenti, ſunt tamen ambigua ad præſens, & futurum, ut in hac propoſitione: *Cupio te eſſe meam*, quæ poteſt duplicem ſenſum habere. Primum. *Conſentio te habere in uxorem*, quorum ſenſus eſt de præſenti. Secundum. *Cupio te habere in uxorem*, quorum ſenſus eſt de futuro.

*Vtriuſque ob-ectionis ſolutio.*

56. Quibus ſuppoſitis. Reſpondetur ad primum; quod illa verba, licet ſecundum cadentiam Grammaticalem ſint de præſenti, ſecundum ſenſum ſunt ambigua. Et ideò ſtandum eſt intentioni contrahentium, de qua ſi dubitetur, iudicandum eſt ſecundum regulas communes circa verba dubia, de quibus ſtatim dicemus. ¶ Ad ſecundum reſpondetur; quòd in illo *capit. Ex parte*, additum fuit illis verbis. *Tenebo te in uxorem ex nunc ex hoc tempore*. Quapropter quæ erant de futuro, trahuntur, ut ſignificent de præſenti; & ideò ſufficiunt ad matrimonium celebrandum.

*Alia obiectio.*

57. Sed objicies; quod ſi quis diceret. *Ex nunc baptizabo te*, vel *vellem te ex nunc abſolvere*, non ſufficerent ad Baptiſmum, vel Pœnitentiam; ergo ſimiliter iſta. *Tenebo te in uxorem ex nunc*, non ſufficient ad matrimonium ¶ Reſpondetur negando conſequentiam, quia in alijs Sacramentis verba determinata requiruntur, in iſto verò quæcumque ſufficiunt, quæ exprimant conſenſum de præſeno, ſicut hæc relata efficiunt.

*Ad textum in oppoſitum adductum.*

58. Ad id, quod ex *cap. Si quis*, adducitur, reſpondetur: quod in caſu illius textus matrimonium fuit per verba de præſenti clandeſtinè celebratum, & ideò præcipitur, quòd habeatur ut propria uxor illa, de qua iuravit ſe habiturum in uxorem. Niſi fortè dicas, quòd in illo textu ſolum aſſeritur, quòd talis mulier ſit ſua uxor, id eſt, obligetur ad acceptandam eam in uxorem, quamuis de præſenti talis non ſit.

*Quid quando verba ſunt dubia?*

59. Quando vero ſunt verba dubia, & capacia utriuſque ſignificationis de præſenti, & de futuro: ſi de mente, & intentione contrahentium conſtiterit, illi ſtandum eſt: quia cum ſit de ratione matrimonij conſenſus, ſine quo fieri non poteſt, aptior regula interpretandi verba ex ſe ambigua erit contrahentium mens, quando de illâ conſtat. Si tamen non conſtet de mente contrahentium, accipienda ſunt verba, vt communiter uſurpantur: quia ſecundum communem modum cenſemur loqui, quandò non conſtat de oppoſito, ut ſi quis dicat: *Contraho tecum, uſque dum terra operiat oculos meos*, quæ ſecundum communem ſenſum, uſque ad mortem intelliguntur: & ideò ſunt ſufficientia ad conſenſum perpetuum in matrimonio exprimendum Similiter quando, licet verbum ex ſe inſufficiens ſit, ex aliquâ circumſtantiâ omninò determinatur, ut ſi Parochus interroget: *Vis accipere Mariam in coniugem?* Et iſte Hiſpanè reſpondeat: *Pues no?* Quod verbum, licet ambiguum ſit, ex circumſtantia tamen, & communi modo accipiendi iam determinatur. At vero ſi omnibus inſpectis dubia verba perſiſtant, in fauorem matrimonij iudicandum eſt, & ideo validum eſt cenſendum: quia fauor matrimonij multus eſt, & ideo in dubijs pro illo iudicandum eſt; *cap. Videtur. Qui matrim. accuſare poſſut, cap. licet 2. de teſtib.* Ità Baſil. *lib* 2. *cap.* 8. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 18. *num.* 5. Cornej. *diſp.* 4. *dub* 4. N. Stephan. *n.* 31.

*Quæ ſigna ſufficiant ad matrimonium?*

60. Sed nunc inquires. Quæ ſigna ſint ſufficientia ad expreſſionem conſenſus in matrimonio? ¶ Reſpondetur iuxtà modo dicta debere eſſe illa, quibus communiter utuntur homines ad ſignificandum ſuum conſenſum, & amorem. Quod ſi ambigua fuerint, neque ex adiunctis, aut circumſtantijs tollatur ambiguitas, iudicandum eſt iuxtà intentionem contrahentium, de quâ ſi non conſtiterit, in fauorem matrimonij iudicandum erit. Ità Baſil. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 2. Aueiſ. *quæſt.* 3. *ſect.* 2. Cornej. *diſp.* 4. *dub.* 4. 5. *Quæres tertio*; & ideo ubi conſuetudo eſt, quod per immiſſionem annuli in digitum ſignificetur conſenſus de præſenti, hoc ſufficit ad matrimonium: vel ſiquis interrogatus ſeriò caput inclinet, vel manum porrigat: quia qui tacet, conſentire videtur, ſi agatur de obligatione contrahendi, & aliquis concurrat actus poſitiuus, & publicus. Ità Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 22. *numer.* 6. Imo ſi vir manum fœminæ porrigat, & illa non retrahat, ſufficiens ſignum iudicatur, iuxtà Baſil. *numer.* 8. quamuis oppoſitum teneat Sanch. *loc. cit.*

*An taciturnitas ſit ſufficiens?*

61. Sed inquires. An taciturnitas ſit ſufficiens ſignum ad exprimendum conſenſum, ut ſi puella interrogaretur. An vellet de præſenti cum tali contrahere, & ipſa taceat? ¶ In quo certum eſt, quod taciturnitas puellæ coram patre, matre, pro illa tepromittentibus viro, ſufficiens eſt ad matrimonium. Ità habetur *in cap Vnic. de deſponſ. impuber.* Vbi licet ſermo ſit de ſponſalibus, omnes tamen etiam ad matrimonium extenduut, & eſt expreſſa D. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 3. & 3. *part. quæſt.* 45. *art.* 2. *ad* 3. Aueriſ. Sanch. *diſp.* 23. Cornej. § *Reſpondeo primò* Bonae. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 6. Couarruu. 2. *part. cap.* 4. *n.* 4. quia in tali caſu verba parentum reputantur, ac ſi eſſent propria puellæ, & quia ipſa tunc tenetur reſpondere, currit illa regula 4. *de Reg iur. in* 6. *Qui tacet, conſentire videtur.*

*Adhuc coram extraneis eſſe ſignum conſenſus aliqui dicunt.*

62. Sed adhùc ſi coram parentibus non eſſet, ſed coram extraneis, qui tamen pro illâ reſponderent, & ipſa taceret, ſufficiens eſſet ſignum conſenſus ad matrimonium taciturnitas iuxtà Baſil. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 7. Sot. *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 3. Ledeſ. *art.* 2. *dub.* 3. N. Gabr. *num.* 15. Et ratio illorum eſt, quia illa taciturnitas puellæ cum illis circumſtantijs temporis, & perſonæ reſpondentis pro eâ, ſufficiens videtur ſignum ſenſibile ad exprimendum eius conſenſum. Siquidem taciturnitas cum illis circumſtantijs æquivalet verbis affirmatiuis. Quare

illa

illa regula iuris: *Qui tacet nec conſentire, nec diſſentire videtur*, intelligenda eſt iuxtà hos authores, niſi aliqua circumſtantia detur, ratione cuius determinetur ad ſignificandum conſenſum: quia taciturnitas ex ſe indifferens eſt ad utrumque, niſi aliquà circumſtantià determinetur, hac tamen poſita currit alia regula iuris: *Qui tacet, conſentire videtur*. Oppoſitum huius probabilius tenet Sanch. Auerſ. Bonac. *locis cit. num* 8. Et alij apud ipſos aſſerentes ſolum coram parentibus reſpondentibus pro muliere ſufficere taciturnitatem illius ad exprimendum eius conſenſum, non verò coram extraneis. Videantur, quæ diximus *cap. 1. punct. 4. num. 45. huius tract.*

*An debeat eſſe ſimul conſenſus contrahentium.* 63. Vltimò inquires. An requiratur, quòd uterque contrahens ſimul conſenſum apponat ſimultate phyſicâ? ¶ Reſpondetur negatiuè. Ità D. Thom. *in 4. diſt. 29. quæſt. unic. art. 3.* Sanch. *num. 3.* Cornej. *diſp. 4. dub. 3.* N. Gabr. *num. 17.* Et ratio eſt: quia in reliquis omnibus contractibus ſimultas phyſica non requiritur in appoſitione conſenſus, utriuſque, *l. 1. §. 1. ff. de verb. oblig.* ſed per hoc, quòd matrimonium ad Sacramentum eleuetur natura contractus in illo non fuit immutata, ut ſæpius diximus: ergò non requiritur in eo, quod ſimul phyſicè utriuſque conſenſus apponatur. Requiritur tamen moralis ſimultas; quemadmodùm inter appoſitionem materiæ, & formæ in Baptiſmo, & Pœnitentia talis ſimultas exigitur: ſed maior dilatio temporis in iſto Sacramento ſufficit, ut talis ſimultas moralis cenſeatur. In quo variant authores. Aliqui dicunt ſufficere, quòd prior voluntas non retractetur, quodcumque tempus intercedat. Ità Maior. *in 4. diſt. 27. quæſt. 1.* Nauarr. *in ſum. cap. 22. num. 80.* quod verum eſſe, quandò matrimonium per procuratorem celebratur, docet Enriq. *lib. 11. de Matr. cap. 3. num. 6. in Comment. litter. G.* Alij dicunt poſſe ſeptennium intercedere, alij triennium, alij annum. Melius Ledeſm. *art. 3. dub. 2.* N. Cornej. Sanch. *num. 7. & 8.* id relinquendum docent prudentis arbitrio, qui attentis particularibus circumſtantijs, iudicare poterit, quæ mora ſit ſufficiens, vel efficiens ad intentum.

## CAPVT VII.

### *De conſenſu conditionato.*

POſtquàm de conſenſu in communi egimus, ad aliquos in particulari nunc deſcendimus agere, & de conditionato in præſenti capite, cuius notitia licet videatur non multùm neceſſaria: quia poſt Tridentinum matrimonium fit coràm Parocho, qui numquam permittet, quod matrimonium ſub conditione celebretur. Attamen ut natura matrimonij meliùs innoteſcat, & quod in illo dictum fuerit de conditionibus appoſitis, pro alijs contractibus deſeruiat: & ſi fortè aliquaodò caſu, vel induſtriâ fuerit ſub conditione initum, ſciatur, quid faciendum, vel iudicandum ſit in illo caſu, utiliſſimum eſt, ut de modis, quibus ſub conditione poteſt, vel non poteſt celebrari, agamus, & etiam: quia pro ſponſalibus, quæ ſæpiùs ſub conditione ſolent celebrari, non parùm conducent, quæ dicenda ſunt: quia illa, quæ in matrimonio vel admittuntur, vel rejiciuntur, etiam pro ſponſalibus. Et ideò D. Thom ea, quæ docet circà conditionem appoſitam in matrimonio, ſi fuerit poſſibilis, neceſſaria, intrinſeca, aut accidentalis, honeſta, vel inhoneſta *in 4. diſt. 27. quæſt. 2. art. 1. in corp. & in addit. quæſt. 47. art. 1.* eadem docet pro ſponſalibus *diſt. 29. quæſt. unic. art. 3. quæſt. 3. & in addit. quæſt. 43. art. 1. in corp.*

### Caput hoc continet ſex puncta, & tria dubia.

Punct. I. *De multiplicitate conditionum, quæ poſſunt matrimonio adiungi. Et de tempore, causâ, demonſtratione, & modo, ſub quibus ſolet matrimonium celebrari, num. 1.*

Punct. II. *De conditionibus univerſalibus, de intrinſecis, & de extrinſecis, ſed neceſſarijs, num 8.*

Punct. III. *Quid de conditionibus impoſſibilibus ſentiendum ſit? num. 21.*

Punct. IV. *Vtrùm matrimonium contractum inter perſonas impedimento dirimente irretitas validum ſit ſub hâc conditione.* Si Pontifex diſpenſauerit? *Et idem de ſponſalibus, num. 38.*

Punct. V. *De matrimonio ſub conditione honeſtâ, & contingenti celebrato, num. 15.*

Dub. I. *An matrimonium ſub conditione honeſta de futuro contractum impletà conditione fiat omninò perfectum, & abſolutum ſine nouo conſenſu expreſſo à contrahentibus appoſito? num. 61.*

Dub. II. *An poſt Tridentinum in locis, in quibus, eſt receptum, debeat coram Parocho, & teſtibus adimpleri conditio, vel illis conſtare de adimpletione, ut matrimonium conditionatum tranſeat in purum, & abſolutum? num. 77.*

Dub. III. *Vtrùm conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, aut bonis eius, ipſum vitiet, & irritum reddat? num. 85.*

Punct. VI. *De conditionibus turpibus non contrarijs ſubſtantiæ matrimonij, an illud reddant irritum? num. 101.*

## PVNCTVM I.

### *De multiplicitate conditionum, quæ poſſunt matrimonio adiungi; & de tempore, cauſa, demonſtratione, & modo, ſub quibus ſolet matrimonium celebrari.*

1. HÆc omnia in hoc puncto conjungimus: quia parùm habent difficultatis, & ideò breuiter per ſingula tranſibimus. Et in primis ſciendum eſt aliam eſſe conditionem impropriè ſumptam, ſeu in latiori acceptione, ut eſt conditio de præſenti hoc modo: Si quis dicat: *Accipio te in uxorem, ſi pater tuus viuit*: Vel de præterito: *Si mortuus eſt*, quæ propriè non eſt conditio, ſiquidem non ſuſpendit conſenſum, nec facit contractum conditionatum, ſed purum, & abſolutum, ità quòd ſi res ità ſit, ex tunc matrimonium ſit validum, ſin minùs nullum. Et quia de ratione conditionis eſt, quòd contractũ pro tunc ſuſpendat uſque ad rei euentum ideò talis non eſt propriè conditio, quæ non tollit, quo minùs ſtatim contractus perficiatur. Idem dicendum eſt de *Quid eſt conditio? Et quotuplex?*

conditione neceſſaria, etiam de impoſſibili, quæ cum oon ſuſpendant contractum, ut ſtatim dicemus, ſed cum pårum relinquant, minimè ſuot propriè, & rigoroſè tales. Alia eſt coodirio propria, & eſt illa, ratione cuius ſuſpenditur contractus; ut actus ſe habeat ad eſſe, & non eſſe: *leg. ſi ita ſtipulatus fuero, ff. de verb. oblig.* & ideò ſemper adjicitur contractui, ſub cuius exiſtentia & non alter eum celebrare volumus, *leg. 1. tit. 4. part. 4.* Quare ſolùm conditio de futuro contingenti eſt conditio rigoroſa, ut: *Contraho tecum, ſi naves ex India venerint*, & definitur, quòd *eſt oratio, quâ id omne, quod agitur in futurum euentum ſuſpenditur.* Irà Sanch. *lib. 5. diſp. 1.* Baſilius *lib. 3 cap. 1.* Ledeſm. 3. *part. quæſt. 47. art. 5.* Sot. *in 4. diſt. 29. quæſt. 2. art. 1.*

*Vnum præmittendum ad omnes conditiones.*

2. Sed circa omnes conditinnes præmittendum eſt, quòd io foro conſcientiæ ſtandum eſt inteotioni contraheotis. Er ideò ſi ipſe verè noo habet intentinoem contrahendi, niſi ſub coodirione impoſſibili, turpi, neceſſaria, &c. Etiamſi Eccleſia iudicet conttactum tenere ſtatim rejectis illis conditionibus; vel oon curando de illis modo ſtatim declarando: Verè tamen oon contrahit uſque ad eoentum rei, ſub cuius condirione contrahit: & ideò ſi dicit: *Volo tecum contrahere, ſi cras ſol oriatur:* uſque ad ortum ſolis ſuſpenditur contractus, & ſi dicat: *Contraho tecum, ſi digito cælum tetigeris*, numquam perficietur contractus: quia conditio numquam purificabitur. Et ratio eſt: quia abſque conſenſu ſtare non poteſt matrimonium, & ideò ſi conſenſus non dator, niſi ſub illa conditione, uſque ad euentum eius ſuſpenditur. Quare dicenda in hoc capite de conditionibus ſolùm pro foro externò deſeruiunt, & etiam quandò non conſtat de intentione contrahentis: quia in tali caſu etiam in foro conſcientiæ, iudicandum eſt, quod Eccleſia iudicat in foro exteriori. Solùm enim quandò eſt certum ſorum exterius inniti falsâ præſumptione, noo debet forum conſcientiæ conformari eum illo. Quandò verò oppoſitum non conſtat, iudicaodum eſt in foro ioterno, quod in externo iudicatur: quia quandò eſt præſumptio iuris, transfertur onus probandi in adoerſarium, *leg. generaliter, §. ſed ſi ita, ff. de fideicommiſſariis.* Ità Sanch. *lib. 1. diſp. 18. num. 6. & diſp. 5. num. 20. & lib. 5. diſp. 1. num. 4.* Coruej. *diſp. 3. dub. 5.* Sor. *in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 3. ad 2. & de iuſt. lib. 4. q. 5. art. 3.* Ledeſ. *dub. 2. concluſ. 2.* Dicaſt. *diſp. 5. dub. 1. num. 6.* Trull. *lib. 7. cap. 8. dub. 1. num. 4. & 5.*

*Quid ſit adiectio temporis, cauſæ, demonſtrationis, & modi?*

3. His ſic ſtatutis circa *conditionem* in generali, antequàm in particulari de aliquibus agamus, videamus quid ſit adiectio *temporis, cauſæ, demonſtrationis, aut modi*, & in quo differant à conditione, quæ adjicitur contractui. Tunc ergo aliquid adjicitur contractoi per modum temporis, quando tempus deſignatur, pro quo vult contractum valere, & non dico de aſſignatione temporis determinati pro duratione illius, ut ſi dicas: *Contraho tecum pro hoc anno:* quia cum hoc ſit contrà ſubſtantiam matrimonij, idem dicendum eſt de eo, ac de conditiooibus appoſitis contrà ſubſtantiam illius, ſed ut determinatio temporis, pro quo vult obligari, ut ſi dicat: *Contraho tecum hoc tempore, ut te poſt menſem habeam in uxorem*; & ſic tempus adiectum contractui illum ſuſpendit æquè, ac conditio contingens illi coniuncta: quia in utroque caſu non eſt conſenſus perfectus antè aduentum temporis, vel conditionis, ut ſi cum Maria contrahas in Quadrageſima, ut eam poſt Paſcha recipias in uxorem. Et ideò ſi quandò tempus impletur conſenſus reuocatus non fuerit: etiamſi de nouo non apponatur, ſtatim ut tempus aduenit, matrimonium perficitur. Ità Sanch. *libr. 5. diſp. 19.* Ledeſ. *quæſt. 47. art. 5. dub. 3.* Dicaſt. *diſp. 5. dub. 15.* Palaus, *diſp. 2. punct. 11. §. 2.* Auerſ. *quæſt. 5. ſect. 9.* Trull. *lib. 7. cap. 8. dub. 4.*

4. Tunc verò aliquid adjicitur contractui per modum cauſæ, quandò aſſignatur ut motiuum illius, & explicatur per *quia*, ut ſi dicas: *Contraho tecum, quia diues es, quia pulchra, quia virgo.* Tunc per modum demonſtrationis, quandò apponitur, ut opinionis & conceptus explicatio, & per relatiuum explicans qualitatem perſonæ, ut ſi dicas: *Contraho tecum, quæ diues, quæ pulchra, &c.* Et in utroque caſu, etiam ſi non exiſtat id, quod pro cauſâ apponitur aut demonſtratur, non vitiatur per ſe contractus matrimonij, nec ſuſpenditur uſque ad poſitionem illius, in quo differunt à conditione. Et ratio eſt: quia ſuppoſito, quod ut conditiones non apponantur niſi ut cauſæ, aut demonſtrationis: talis cauſa pulchritudinis, diuitiarum, &c. exiſtimata non eſt finis, nec obiectum conſenſus, ſed cauſa motiua, quæ licèt ſufficiat in alijs contractibus ad eos reſcindendos, non verò in matrimonio, in quo ſolus error perſonæ iure naturæ, & error conditionis iure poſitiuo illud irritabile, imò irritum reddit. Propterea diximus *per ſe* non vitiare errorem cauſæ, aut demonſtrationis, contractum: quia per accidens illum irritare poteſt, ut ſi ſit error circà perſonam, ut: *Contraho tecum, quæ es Ioanna*, cum eſſet Maria: vel circà conditionem libertatis, ut: *Contraho tecum, quæ es libera*, cum tamen libera non eſſet. Ità Auerſ. Dicaſt. *dub. 19. num. 222.* Trull. *dub. 4. num. 2.* Sanch. Ledeſ. Palaus §. 5. *num 2.*

*Cauſa, aut demonſtratio contractum non ſuſpendit.*

5. Denique adjicitur aliquid matrimonio, vel cuicumq; contractui tamquàm modus, & eſt tamquàm onus, quod illi imponitur. Et explicatur per *ut*, ut ſi dicat: *Contraho tecũ, ut honorem conferas, ut diuitias adipiſcar.* Si tamen modus fuerit de re licitâ, non ſuſpenditur matrimonium, ſed ſtatim perficitur, & remanet obligatio adimpletionis illius, ut ſi mulier dicat: *Contraho tecum, ut doceas*, ſtatim perficitur contractus, ſed teneris illam edocere. Si tamen conditio fuerit turpis, & inhoneſta, contractus perficitur, & obligatio minimè remanet, ſed rejicitur. Ratio autem, quare ſtatim perficiatur contractus, ſiuè alter habeat animum adimplendi conditionem, ſiue non, ea eſt: quia modus appoſitus contractui non eum ſuſpendit uſque ad executionem, ſed ſolùm imponit obligationem ſuo tempore adimplendam, ut habetur ex *leg. cum ab eo, ff. de contrah. emption.* ergò ſi alius admittat conſenſum, & animum non habet apponendi modum, vel poſteà eum non apponat, ſemper contractus iam factus perſiſtet. Ita Palaus, *numer.* 3. Auerſ. *quæſt. 5. ſect. 7. §. Vltimo.* Dicaſt. *diſp. 5. dub. 19. num. 227.* Villalob. 1. *part. tract. 3. diff. 36.* Ledeſ. *quæſt. 42. art. 5. concluſ. 3.* Sot. *in 4. diſt. 29. quæſt. 2. art. 1.* Perez *diſp. 16. ſect. 15. n. 14.* Sanch. *lib. 5. diſp.*

*Modus contractum non ſuſpendit.*

Digitized by Google

*diſp.* 19. Couarr. *lib.* 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 3. §. 1. *num.* 8. Coninch, *diſp.* 19. *dub.* 4. *concl.* 6. Trull. *num.* 3.

*An vitiet matrimonium, ſicut contrarius illius ſubſtantiæ?*

6. Quamuis diuiſi ſint hi authores. An in caſu, quo modus appoſitus eſſet contrarius ſubſtantiæ matrimonij, illud irritum redderet, ſicut de conditione illi contrariâ dicemus infra? Sit exemplum. Contrahit Petrus cum Ioannâ, ut venena ſterilitatem cauſantia procuret, ut corpus ſuum proſtituat, ut filios procreandos occidat, &c. Hic verò contraheret matrimonium? ¶ Sanc. Coninc. Couarru. Trull. *loc. cit.* id negant: quia ſic contrahens conſenſit in matrimonium ſub intentione, quod alter ſubeat obligationem matrimonio contrariam: ſed talis intentio matrimonium irritum reddit, cum non habeat animum verè contrahendi, qui intentionem habet oppoſitam contractui. Alij verò ut Sot. Ledeſm. Palao, Aucrſ. Dicaſt. Perez, Villalob. oppoſitum tenent: quia dicunt hanc eſſe differentiam inter conditionem, & modum: quòd conditio uſquè ad euentum ſuſpendit contractum; modus autem non ſuſpendit, ſed perfectum conſenſum ſupponit: ſemel autem iam matrimonio perfecto nequit diſſolui: ergò, &c. Probatur, quod modus iam conſenſum ſupponat: quia ſuo conſenſu vult una pars obligare alteram ad illud onus, quæ poterit admittere conſenſum, & obligationem excludere: ergò ad illam ſupponitur conſenſus ex parte utriuſque ſufficiens. Vterque modus dicendi eſt ſatis probabilis, ſed priori nos magis adhæremus.

*Multiplicitas conditionum.*

7. Iam ad conditiones varias matrimonio appoſitas deueniamus, quarum aliquæ ſunt uniuerſales, & generales omnibus contractibus, quæ, licet non exprimantur, illis ſemper inſunt, ut *Contraho tecum, ſi volueris, ſi vixerimus*, &c. Aliæ ſunt ipſi matrimonio omninò intrinſecæ, ut: *Contraho tecum ſi non ſis conſanguinea, ſi non ſit inter nos impedimentum dirimens.* Aliæ ſunt neceſſariæ, quamuis extrinſecæ, ut: *Contraho tecum ſi ſol occubuerit.* Aliæ impoſſibiles, ut: *Si digito cælum tetigeris.* Aliæ contingentes, & harum aliæ ſunt honeſtæ, ut: *Contraho tecum, ſi pater tuus voluerit.* Aliæ inhoneſtæ, & turpes, quarum aliæ ſunt inhoneſtæ, & contrariæ ſubſtantiæ matrimonij, ut: *Contraho tecum, ſi ſterilitatem procures.* Aliæ inhoneſtæ, ſed diſparatè ad matrimonium pertinentes, ut: *Contraho tecum, ſi ad furtum adiuueris.* De omnibus his hoc capite agemus.

## PVNCTVM II.

### *De conditionibus uniuerſalibus, de intrinſecis, & de extrinſecis, ſed neceſſarijs.*

*Numquam permittendum eſt matrimonio conditiones apponi.*

8. QVamuis permittere non debeant Parochi, ut matrimonium ſub aliqua conditione celebretur, quæcumque illa ſit, ut omnia dubia, & ſcrupuli in re tam graui prorsùs auferantur. Suppoſito autem, quòd aliquandò id fiat, ut certum apud omnes ſtatuendum eſt conditiones de præterito, aut de præſenti non ſuſpendere contractum, ſed ſtatim eum purum relinquere. Si conditio verè exiſtat, vel extiterit, erit validum matrimonium; ſi non, erit nullum, ut ſi dicat: *Contraho tecum, ſi virgo es, aut ſi pater tuus fuit Prætor:* quia iuxta illud proloquium Theologorum: *Quodlibet ex ſuppoſitione quod eſt, neceſſario eſt*; & aliud: *Ad præteritum non datur potentia*, conditio rei de præſenti, aut de præterito inter neceſſarias conditiones computatur. Quare ſicut iſtæ, ut dicemus, contractum purum relinquunt: ſic illa modo aſſignato.

*Quid de conditione neceſſariâ?*

9. Conditio tamen de futuro aliquo neceſſario, quæ dicitur conditio neceſſaria: alia eſt talis ab intrinſeco, ſeu ex naturâ rei, & in determinatione cauſarum: ut *Si Sol cràs oriatur: Si ſtellæ in cælo exiſtant.* Alia ab extrinſeco, & ex ſuppoſitione diuinæ prouidentiæ, ut: *Si Antichriſtus venturus eſt: Si iudicium futurum*, & ex his omnibus aliæ ſunt notæ contrahenti, & ut neceſſariæ habitæ, ut ſunt dictæ. Aliæ ipſi ignotæ, ut: *Si pulchra futura eſt*, vel ſi non ignotæ ſint, non tamen cognitæ, ut neceſſariæ. Ac denique aliquæ ex his habent determinatum tempus, pro quo fiunt, ut: *Si ſol cras oriatur.* Aliæ verò indeterminatum, ut: *Si pater tuus moriturus ſit. Si Antichriſtus venturus*, &c. Pro omnibus certum ſit, quòd ſi non accipiantur in vi conditionum, ſed ut determinationes, & deſignationes temporis, pro quo aliquis vult contractum valere, illum ſuſpendere uſque ad aduentum conditionis, ut ſi dicas: *Contraho tecum, ſi cras ſol oriatur*; id eſt, pro tempore, quo cràs ſol oriturus eſt: tunc non ut conditio, ſed ut determinatio temporis, pro quo vult contractum valere, aſſumitur: & ideo uſque ad illud ſuſpenditur; & ipſo tempore adueniente perficitur, ut de tempore dicebamus: Ità Sanch. *lib.* 5. *diſp.* 2. *num.* 6. Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *art.* 1. *poſt.* 2. *concluſ.* Cornej. *diſp.* 3. *dub.* 5. Dicaſt. *diſp.* 5. *dub.* 9. *num.* 123. Coninch, *diſp.* 29. *n.* 8. Trull. *libr.* 7. *dub.* 2. Auerſ. *quæſt.* 5. *ſect.* 3. Bonacin. *quæſt.* 2. *punct.* 10. *num.* 6.

*Si ſunt cognita ut neceſſaria, contractum ſuſpendunt.*

10. Similiter certum eſt huiuſmodi conditiones, licèt neceſſariæ ſint, ſi tamen ignotæ contrahentibus, vel ſaltem non ut neceſſariæ cognitæ, ſuſpendere contractum uſquè ad euentum illius, ut ſi dicas: *Contraho tecum, ſi Luna hoc anno eclipſetur:* quia quamdiu à contrahente, ut neceſſariæ non cognoſcuntur, reſpectu illius, ſe habent ut contingentes. Et ideò idem iudicium de illis ferendum eſt, ac de reliquis conditionibus contingentibus, quæ apud omnes contractum ſuſpendunt, non tamen ex tunc eum validum efficiunt. Ità omnes Doctores citati.

*Duplex modus dicendi.*

11. At verò reſpectu illarum, quæ cognitæ ſunt ut neceſſariæ eſt varietas opinionum. ¶ Primus modus dicendi eſt illorum, qui aſſerunt, quæcumque ſint neceſſariæ conditiones, ſuſpendere contractum uſquè ad illarum euentum. Ita tenet Angelus *verb. Matrimonium* 3. *impedim.* 3 Et alij Iuriſtæ, & probant ex *leg. hæres meus, ff. de condit. & demonſtr.* ubi dicitur legatum factum ſub conditione certò euentura quamuis firmum; non habere effectum uſque ad conditionis euentum. ¶ Secundus modus dicendi eſt, quod conditio ab intrinſeco neceſſaria non ſuſpendit contractum, ut ſtatim probabimus; bene tamen illa, quæ ab extrinſeco, & ex ſuppoſitione diuinæ prouidentiæ eſt talis, ut: *Si iudicium futurum: Si Antichriſtus futurus ſit.* Ità Enriq. *lib.* 11. *cap.* 12. *num.* 4. Et ratio eſt: quia talis conditio ab intrinſeco eſt contingens, & ſolùm

neceſſaria ex ſuppoſitione diuinæ determinationis; quæ tali modo neceſſaria ſunt, contractum ſuſpendunt; aliàs nulla conditio contingens illum ſuſpenderet, cum omnis illa ex ſuppoſitione diuinæ determinationis iam ſit neceſſaria.

*Tertius modus dicendi.*

12. Tertius modus dicendi eſt illorum, qui dicunt, quod conditiones illæ, quæ licèt certum euentum habeant, non tamen tempus determinatum pro illo, ſiuè ab intrinſeco, ſiuè ab extrinſeco, ſint neceſſariæ, ſuſpendunt conſenſum uſquè ad euentum conditionis, ut in iſtâ: *Contraho tecum, ſi pater tuus moriturus ſit, ſi Antichriſtus ſit aduenturus*: quia licèt certus ſit euentus; incertum eſt pro illo tempore euenturum. Ità Baſil. *lib.* 3. *cap.* 1. Enriq. *loc. cit.* Couarruu. 2. *part. cap.* 2. §. 2. *num.* 11. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 8. *quæſt.* 4. quibus adhærere videntur Dicaſt. *diſp.* 10. *dub.* 9. *num.* 129. Perez *diſp.* 16. *ſect.* 2 *num.* 11. & 12. quatenus dicunt, quòd ſi illi conditioni incertum tempus habenti addatur aliquid, quo tempus determinetur pro euentu, ſuſpendit contractum uſquè ad rei euentum, ut ſi dicas: *Contraho tecum, ſi pater tuus moriatur poſt menſem: Si Antichriſtus veniat hoc anno.* Sed hoc nihil eſt ad rem; nam hoc modo quoad ipſos contrahentes conditio eſt omninò contingens, quamuis aliàs de ſe neceſſaria: & ſic nil mirum, quòd contractum ſuſpendat. Et ſic idem iudicium ferendum eſt in hoc caſu, ac in illo, de quo diximus *n.* 10 quandò conditiones neceſſariæ incognitæ ſunt contrahentibus ut neceſſariæ.

*Conditiones neceſſaria contractum non ſuſpendunt.*

13. Dicendum eſt ergo primò: quòd conditiones omninò neceſſariæ ab intrinſeco non ſuſpendunt contractum, ſed eum purum, & abſolutum relinquunt, & habentur pro completis: ac proindè ſtatim, ac aliquis contrahit dicendo: *Contraho tecum, ſi ſol cràs oriatur*, contractus perficitur non expectato rei euentu. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt. unic. art.* 3. *quæſt.* 3. & *in addit. quæſt.* 47. *art.* 5. Sanch. *num.* 2. Cornej. Sot. *quæſt.* 2. *art.* 1 *poſt.* 2. *concluſ.* Dicaſt. *diſp* 5. *dub.* 9. *num.* 119. Baſil. Bonacin. *num* 5. Ledeſ. 3. *part. quæſt.* 47. *art.* 5. *dub.* 2. Lugo *de contract. diſp.* 22. *ſect.* 11. *num.* 33. Trull. *cap.* 8. *dub.* 2. *num.* 1. Auerſ. N. Anton. *ſect.* 3. Gabr. A.S.V. *diſp.* 3. *qu.* 10. Et ideò quandò quis apponit conditionem, quam certò ſcit eſſe euenturam, perindè eſt, ac ſi abſolutè, & ſimpliciter, & ſine conditione contraheret. Et colligitur ex *leg. ſi pupillus* 9. *ff. de Nouat.* & *leg. impoſſibilis* 7. *ff. de verb. obligat.* Et ratio D. Thomæ eſt: quia illa conditio determinata eſt in ſua cauſâ naturali, & ſua determinatione eſt præſens: & ſic habetur pro iam impletâ.

*Ad textum pro primo modo dicendi adductum.*

14. Ex quo ad textum pro primo modo dicendi adductum reſpondetur, intelligendum eſſe, quandò ille, qui tale legatum relinquit; exprimit ſuam intentionem, quâ non vult valere uſque ad euentum illius conditionis: quod nos fatemur in omnibus conditionibus, ut diximus *num.* 2. quando conſtat de intentione contrahentis nolentis conſenſum apponere, niſi ſub conditione adimpletionis. Nos verò, ut ibidem diximus, hoc capite agimus de conditione, quandò non conſtat expreſſè de intentione contrahentis.

*Etiam conditiones neceſſaria ex ſuppoſitione non ſuſpendunt.*

15. Dicendum eſt ſecundò: quòd etiam conditiones neceſſariæ ex ſuppoſitione diuinæ prouidentiæ, ſiuè tempus determinatum habeant pro ſui impletione, ſiue non, non ſuſpendunt contractum; ſed eum purum relinquunt non minus, ac ſi neceſſariæ eſſent ab intrinſeco: nam in iſtâ: *Contraho tecum, ſi iudicium futurum ſit, vel ſi pater tuus moriturus ſit*, reſpectu eius, qui certò hæc ſcit futura, ſe habent ut expreſſiones certitudinis ſuæ voluntatis, & perindè eſt, ac ſi diceretur: Quomodo eſt certum iudicium venturum, aut patrem tuum moriturum: ſic eſt certum me tecum contrahere. Et ideò ſicut aliæ conditiones neceſſariæ habentur ut impletæ, & iudicantur præſentes in determinatione cauſarum: ſic iſtæ in determinatione diuinæ prouidentiæ nobis notæ per fidem, & ſcripturas. Ità Sanchez *numer.* 3. Auerſ. Bonacin. *propoſ.* 1. Ledeſm. *concluſ.* 3. Cornej. *diſputat.* 3. *dub.* 5. Dicaſtill. *dub.* 19. Trull. *dub.* 2. N. Anton. *loc. cit.*

*Solutio fundamenti contrarij.*

16. Quòd autem ſit incertum, quòd contrahens viuat uſque ad rei euentum, nihil eſt contrà hoc: quia etiam eſt incertum reſpectu conditionis abſolutè neceſſariæ: quamuis enim certum ſit cràs ſolem oriturum; incertum tamen eſt te duraturum uſque ad ortum eius; & tamen concedunt Authores tertij modi dicendi, hanc conditionem neceſſariam non ſuſpendere contractum: igitur non indè colligendum eſt: ſed ex eo, quòd conditio cognita, ut neceſſaria iam habetur pro impletâ: quod in omnibus caſibus dictis inuenitur. Et id ipſum accideret, ſi omnes conditiones contingentes, quæ ſecundum prouidentiam Dei certæ ſunt, certò ſcirentur à nobis. Per quod patet ad id, quod pro ſecundo modo dicendi opponitur: quia ut diximus *num.* 10. non ſufficit, quod conditio certo euentura ſit, ſed quod à contrahentibus ſciatur. ¶ Sed objicies: quod *in inſtitut. de verb. oblig.* §. *Conditiones* dicitur: *Quæ per rerum naturam certa ſunt, non morantur obligationem, quamuis nobis incerta ſint.* ¶ Reſpondetur ibi loqui de conditione præſenti, vel præteritâ, quæ, quia reuerà extant, non retardant obligationem, quamuis ignotæ ſint, ut poſteà dicemus.

*Conditiones generales non ſuſpendunt.*

17. Conditio generalis eſt illa, quæ omnibus contractibus ineſt, ut *ſi vixerimus, ſi tu conſenſeris.* Hæc conditio non ſuſpendit contractum, ſed ex tunc eum purum relinquit, ſi ſumatur eo modo, quo ineſt contractibus: quia tales conditiones ſe habent, ac ſi non eſſent appoſitæ. Sanch. *lib.* 5. *diſp.* 1. *num.* 6. Cornej. *diſp.* 3. *dub.* 4. Trull. *cap.* 8. *dub.* 1. *num.* 6. Auerſ. *quæſt.* 5. *ſect.* 6. Diximus *ſi ſumantur eo modo, quo inſunt*; nam ſi aliter, ac inſunt, apponantur, contractum conditionatum reddunt, ut ſi dicas: *Contraho tecum, ſi manifeſtetur, aut probetur te conſenſum præbuiſſe*: quia ut ſic non eſt conditio generalis. Vndè *in leg. Si ità legatum* 48. *ff. de legatis* 1. dicitur eſſe conditionatum legatum ſub illâ conditione: *Si legatarius velit illud*, quod intelligitur, ſi exprimat ſuam voluntatem. Quare ſi antè talem expreſſionem moriatur non tranſit legatum ad hæredes. Ità Sanch. *loc. cit. num.* 8. & Auerſ. *ſect.* 6. *cit.*

*Quid de iſta: Si Deus velit.*

18. Ex quo deducitur quid dicendum ſit de iſtâ conditione: *Si Deus velit.* Dicimus, quod ſi hæc conditio ſumatur eo modo, quo ineſt omni-

omnibus contractibus matrimonium relinquit abſolutum; ſi aliter, ac ineſt, conditionatum. Pro quo nota duplicem eſſe in Deo voluntatem: aliam, quâ omnia, quæ fiunt, vult, aut permittit, & hæc eſt generalis. Proindè ſi dicatur: *Si Deus voluerit*, intellecto ſecundum hanc voluntatem, non ſuſpendit matrimonium, ſed id purum relinquit. Alia eſt voluntas approbationis, quâ ea, quæ honeſta ſunt, approbat, & ſibi placent, & hoc modo non ineſt omnibus contractibus, nec eſt conditio univerſalis: cum non omnia, quæ fiunt, aut contrahuntur, Deus approbet, & ideò ſuſpendit matrimonium, uſque dum ſciatur Deum approbare illud ſecundum regulas ab ipſo in Eccleſia aſſignatas. Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 5 *dub.* 2. *n.* 12. Cornej. *diſp* 3. *dub.* 4. Sanch. *lib.* 5. *diſp.* 1. *num.* 11.

*Conditiones intrinſeca non ſuſpendunt contractum.*

19. Similiter conditiones intrinſecæ ipſi contractui illum non ſuſpendunt, ſi eo modo, quo inſunt adjiciantur, ut ſi dicas: *Contraho tecum, ſi non es conſanguinea: vel ſi non ſit inter nos dirimens impedimentum:* quia cum iſtæ conditiones ita ſint intrinſecæ matrimonio, ut abſque illis conſiſtere non poſſit, etiamſi exprimantur, non addunt aliquid de nouo contractui, & ideò eum purum relinquunt.Ità Baſil. *libr.* 3. *cap.* 2. *num.* 10. Dicaſtill. *tract.* 10. *diſp.* 5. *dub.* 1. Sanchez *num.* 13. N. Franciſc. *diſp.* 2. *num.* 13. Sed intelligendum eſt de impedimentis dirimentibus. At verò ſi ſolum ſit impedimentum prohibens, quod ſolum ad licitè matrimonium celebrandum, non ad validè, obſtat: dicendum eſt conditionem de illo ſuſpendere contractum: quia aliquid de nouo intendit, qui talem conditionem apponit, nimirum, non ſolum contrahere, ſed abſque peccato id facere. Ita Auerſ. *quæſt.* 5. *ſect.* 6.

20. At verò ſi hæc conditio non apponatur eo modo, quo intrinſecè ineſt omni matrimonio, id conditionatum reddit, & ſuſpendit uſque ad conditionis euentum, ut ſi dicas: *Contraho tecum, ſi Eccleſiæ placuerit:* quia quamuis re ipſâ Eccleſia ſolum reprobet matrimonia cum impedimento dirimente contracta, attamen in illis verbis intenditur apponere conditionem, vel de non diſplicentia Eccleſiæ propter impedimentum præciſè impediens, de quo iam diximus contractum ſuſpendere: vel de approbatione Eccleſiæ, ſufficiente examine circà hoc præmiſſo, quomodo non eſt conditio intrinſeca matrimonio: Et ideò ſuſpendit illud, uſque dum ab Eccleſia examen ſufficiens circà hoc habeatur. Et ſimiliter ſi dicatur: *Contraho tecum, ſi conſtiterit, te non eſſe conſanguineã*, ſuſpenſus manet contractus, uſque dum conſtet tale impedimentum non adeſſe. Ità Trull. *cap.* 8. *dub.* 1. *num.* 8. Hurtad *diſp.* 7. *diff.* 1. *n.* 3. Coninch, *diſp.* 79. *dub.* 2. Dicaſt. *n.* 26. & alij plures.

## PVNCTVM III.

### *Quid de conditionibus impoſsibilibus ſentiendum ſit?*

*Quot modis ſint conditiones impoſſibiles?*

21. Conditiones impoſſibiles, quæ poſſunt adjici matrimonio, ſunt in multiplici differentia. Aliæ enim ſunt naturâ impoſſibiles, ut: *Contraho tecum, ſi digito cœlum tetigeris.* Aliæ ex iure impoſſibiles ſunt, ut: *Contraho tecum, ſi liceat tum conſanguineâ intrà quartum gradum contrahere.* Aliæ ſunt impoſſibiles de facto, ut ſi mulieri pauperi dicatur: *Contraho tecum, ſi dederis centum libras auri.* Aliæ ſunt impoſſibiles ex ſuppoſitione, ut ſi loquens cum muliere corrupta dicat: *Contraho tecum, ſi virgo es; vel contraho tecum, ſi pater tuus viuit*, qui mortuus iam erat. Aliæ ſunt de præſenti, aut de præterito, ut: *Contraho tecum, ſi cœlum manu tangis, aut tetigiſti.* Aliæ de futuro, ut in exemplis allatis.

*Debet ut impoſſibilis, cognoſci.*

22. Sed pro conditionibus de futuro ſciendum eſt, quòd ut conditio dicatur impoſſibilis, debet ut talis à contrahentibus cognoſci. Si tamen ipſi illam poſſibilem cenſeant, quæ verè impoſſibilis eſt, matrimonium nullum relinquitur: quia ex una parte cum iudicetur ut poſſibilis, non eſt de conditionibus impoſſibilibus, quæ à contractu rejiciuntur; ſed ſub illis contrahi cenſetur: & ideò ex ſe habent ſuſpendere contractum: ſicut quælibet alia conditio de futuro contingenti. Et cum appareat, impoſſibilem eſſe talem conditionem, non eſt expectandus euentus: quia impoſſibile expectare nemo tenetur: & ideò ſtatim ac cognoſcitur impoſſibilitas conditionis, ceſſat omnis obligatio, quæ iam ab initio nulla erat; ſed quia ignota ſuſpenſam obligationem habebat, ut ſi dicat: *Contraho tecum, ſi pater conſtruxerit*, qui poſteà cognoſcitur mortuus. Itaque non rejiciuntur à matrimonio, nec habentur pro non adiectis conditiones impoſſibiles, ſi ut tales non cognoſcantur: ſicut nec conditio turpis iudicata honeſta rejicitur ab eo. Cum tamen *Summus Pontifex* Gregorius IX. ut ſtatim dicemus, æquè rejiciat conditiones impoſſibiles, ac turpes à matrimonio, & dicat habendas eſſe pro non adiectis. Et ideò in legatis, in quibus conditiones impoſſibiles rejiciuntur, ut dicemus; ſi ut poſſibiles habeantur, ſuum effectum ſortiuntur, *leg. Seruo manumiſſo, ff. de condit. indebiti.* Ità Palaus, *diſput.* 2. *punct.* 11. §. 3. *numer.* 1. Baſil. *libr.* 3 *capit.* 3. *numer.* 3. Sanchez *libr.* 5. *diſputat.* 3. *numer.* 9. Couarruu. 4. *Decretal.* 2. *par. cap.* 3. §. 2. Cornej. *diſputat.* 3. *dub.* 6. Dicaſt. *diſp.* 5. *dub.* 13. *num.* 173. Trull. *lib.* 7. *cap.* 8. *dub.* 2. *num.* 3.

*Si ex animo apponatur, irritum reddit matrimonium.*

23. Similiter certum eſt, quòd ſi ſeriò conditio impoſſibilis apponatur, ita ut ſub eâ conſentire velit, vel non, non habetur pro non adiecta; ſed potius cenſendum eſt, eum non conſentire, niſi ſub tali conditione; quæ quia impoſſibilis omninò nullum reddit matrimonium, cuius tota ratio ex conſenſo contrahentium dependet, ſinè quo fieri non valet. Si tamen conſtet ex adiectis, & circumſtantijs eum ex ioco talem conditionem appoſuiſſe, non ſeriò, & ſic conſenſum abſolutum habere, matrimonium validum eſt in utroque foro: in foro quidem conſcientiæ: quia animum contrahendi habuit independenter à conditione, & etiam in foro externo, in quo talis conditio habetur pro non adiectâ, & nihil de ea curatur, ut iam dicemus. Si tamen dubium ſit, quo animo illam poſuit, an ex ioco, an ſeriò, nec ex circumſtantijs poſſit notitia capi: de aſſenſu, aut diſſenſu in utroque foro iudicandum eſt in fauorem matrimonij. In dubijs namque illi ſtan-



Digitized by Google

dum eſt, *capit. fin, de ſententiâ, & re iudicatâ.* Ità Auerſ. *quæſt. 5. ſect. 4.* Baſil. *cap. 4. numer. 2.* Sanchez *numer. 16.* Trull. *loc. cit.* Palaus, Cornej. *diſp. 3. dub. 6.* Qui optimè aduertunt, quòd ſiuè in hoc caſu, ſiuè in quocumque alio, in quo matrimonium ſub conditione impoſſibili contractum validum iudicatur; eo quòd conditio illa habeatur pro non adiecta teneantur coniuges de nouo inter ſe contrahere per conſenſum abſolutum: ut ſic omnis ambiguitas, & dubitatio de valore matrimonij auferatur.

*Difficultas præſens in quo conſiſtit.*

24. Quibus ſuppoſitis. Difficultas eſt in caſu, quo non conſtet de intentione contrahentium, an ſit ſtatim validum matrimonium ſub conditione impoſſibili contractum ab his, qui notitiam impoſſibilitatis habeant? Tota huius materiæ difficultas conſiſtit in explicatione textus *in cap. fin. de conditionibus appoſitis.* Vbi dicitur talem conditionem habendam eſſe pro non adiectâ: ac proindè ità valere matrimonium, ac ſi purè, & nudè abſque tali conditione initum fuiſſet. Verba Gregorij IX. hæc ſunt: *Conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debent propter fauorem eius, pro non adiectis haberi.* Sed quia maximam ingerit difficultatem, quomodò Eccleſia facere poſſit, quòd matrimonium, quod aliàs ex naturâ rei nullum eſſet, ſub conditione impoſſibili contractum, ut in reliquis contractibus cernitur, & ſtatim nos probabimus, validum ſit, & rejiciat ab eo conditionem à contrahente appoſitam, & iudicet de illo, ac ſi tali conditione non eſſet initum. Propter quod mirum eſt, quos explicationes huic textui adhibuerint Doctores. Plures refert Sanchez *libr. 5. diſputat. 3.* ubi latiſſimè de hac materia agit. Aliàs Baſil. *libr. 3. cap. 4. & 5.* Et omnes acceptat Auerſ. *quæſt. 5. ſect. 4.* & antè omnea, eas refert, & refutat plures Ledeſm. *3. part. quæſt. 47. art. 5.* Nos, omiſſis alijs duplicem explanationem eligimus, aliam ut probabilem, aliam ut probabiliorem.

*Prima explicatio textus.*

25. Prima explicatio textus, & ſententia circà quæſitum eſt, quam tenet Sanchez, N. Cornej. Vaſquez, *de reſtitut. cap. 7. dub. 10.* Palaus, Dicaſtill. *diſp. 5. dub. 13.* qui aſſerunt, Summum Pontificem nouum ius introducere, quo vult quòd conditio impoſſibilis matrimonio addita rejiciatur, & matrimonium validum iudicetur: non quia ipſe validum faciat, quòd ex ſe non erat; ſed quia præſumit eum, qui cum tali conditione contraxit, abſolutum adhibuiſſe conſenſum, & talem conditionem quaſi ioco adiectam fuiſſe: & hoc in fauorem matrimonij, cuius fauor multus eſt: quia cum ſit dubium ioco, an ſeriò talis conditio ſit adiecta: iudicandum eſt de illo, ac ſi talis conditio non eſſet impoſita. Et ſicut in tali caſu matrimonium eſſet validum: ità quandò conditio ei apponitur omninò rejicienda, validum relinquitur: Quemadmodum iure ciuili in fauorem ultimæ voluntatis conditiones impoſſibiles rejiciuntur à legatis: ità ut habeantur pro non adiectis, & quamdiù non conſtat de voluntate teſtatoris, idem dicendum eſt de illis, ac ſi purè, & abſolutè eſſent relicta nullâ adhibitâ conditione, *leg. Obtinuit, ff. de condition. & demonſtr. & in inſtitut. §. Impoſſibilis, de hæred. inſtituendis.*

*Quæ requirantur iuxta hanc ſententiam; ut conditio habeatur pro non adiectâ.*

26. Ad quod (dicunt hi Authores) neceſſarium eſt, quòd contrahentes notitiam habeant non ſolum impoſſibilitatis conditionis, ut diximus *num. 10.* Sed etiam determinationis huius iuris. Si tamen abſque illâ contrahant, potius cenſendum eſt inualidum matrimonium, & diſſenſum ad illud adfuiſſe: quandò verò illis conſtat, conſenſum, præſumitur, præſtitiſſe. Et ratio eſt: quia niſi notitiam habeant huius iuris rejicientis tales conditiones à matrimonio, præſumendum eſt, eos contractum celebraſſe, ut veſtitum conditione: & ideò ſicut alij contractus ſub conditione impoſſibili: quia cenſentur celebrari ſub tali conditione, nulli iudicentur, & irriti: ſic matrimonium in his, qui ignari ſunt iuris talem conditionem à matrimonio rejicientis. Qui tamen illius notitiam habent, cum ſciant ab Eccleſia rejici talem conditionem, præſumendum eſt velle contrahere abſque illâ, & ſic conſenſum abſolutum apponere: proindeque validè contrahere.

*Aliud, quod ex dictis deducitur.*

27. Ex quo deducunt neceſſarium eſſe, quòd utraque pars contrahens huius iuris notitiam habeat: unâ enim ignarâ illius, redditur nullum matrimonium: quia ex parte eius non præſumitur adfuiſſe conſenſus abſolutus, & verus: & cum ad matrimonium validum conſenſus mutuus ſit requiſitus, nullum relinquitur matrimonium in tali caſu. Vndè benè dicunt hi Authores iuxtà hunc modum dicendi, raro iudicandum eſſe in foro exteriori validum eſſe matrimonium ſub conditione impoſſibili contractum: cum ad hoc requiratur utramque partem notitiam habere iuris rejicientis, conditionem impoſſibilem ab hoc contractu, & raiò reperiatur caſus in quo ex parte utriuſque, maximà fœminæ, talis notitia detur.

*Modus explicandi textum probabilior.*

28. Verior tamen, & probabilior eſt modus explicandi hunc textum: ac proindè in hâc quæſtione dicendi, quem tenet Sot. *in 4. diſt. 29. quæſt 2. art. 2.* & probabilem dicit Cornej. *diſputat. 3. dub. 6.* & amplectitur Auerſ. *quæſt. 5. ſect. 4.* defenditque Ledeſm. *3. part. quæſt. 47. art. 5. §. His ergo.* Vbi dicit eſſe communem Thomiſtarum ſententiam, nimirum, Summum Pontificem non intendere matrimonium ſub conditione impoſſibili contractum ſtatim validum eſſe, aut præſumendum validum, nec hoc dicere potuiſſe, nec in hoc ſenſu rejiciendam eſſe conditionem impoſſibilem à tali contractu; ſed in fauorem matrimonij velle iudicari de illo, ac ſi talis conditio non eſſet addita: ità quòd ſi ex alijs coniecturis appareat, vel ſaltem probabiliter iudicetur, vel dubitetur, an conſenſus abſolutus adfuerit; iudicetur adfuiſſe, non curando de tali conditione appoſita. Quarè ſi adſint aliqua ſigna conſenſus, etſi non tanta, ut vincant præſumptionem diſſenſus, quæ ex poſitione impoſſibilis communiter iudicatur, ut iam dicemus, rejiciatur talis conditio, & iudicetur de matrimonio cum illis ſignis, ac ſi conditio non eſſet appoſita: quod eſt maximus fauor matrimonij.

*Quomodo ſit fauorabilis matrimonio?*

29. Explicatur hoc. Etenim in omnibus alijs contractibus (præterquàm in matrimonio, & ultimâ voluntate) conditio impoſſibilis appoſita, ità vitiat eos, ut irriti, & nulli iudicentur, qui ſub tali conditione ſunt celebrati, niſi quandò aliundè conſtat de mente contrahentium.

bentium. Ita habetur *leg. Impoſſibilis, ff. de verb. oblig. & in inſtit. § ſi impoſſibilis, de inutilib. ſtipul. & iure Regni, l. 3. tit. 4. part. 6.* Et ratio in illis apponitur: Tum, quia qui contrahit cum conditione aliquâ, ſub eâ conſentire cenſetur: ſed conſenſus ſub conditione impoſſibili nullus eſt: quia non eſt abſolutus, cum ſit ſub conditione: nec conditionatus, cum non ſuſpendat uſque ad euentum rei: quia nemo debet expectare euentum impoſſibilem. Tum etiam: quia ex naturâ rei, qui vult apponere conditionem impoſſibilem contractui, potius videtur habere diſſenſum: quando enim aliquid facere nolumus, ſolemus apponere impoſſibiles conditiones, quibus communiter præſumitur tali rei minimè aſſentire.

*Quod diximus, explicatur.*

30. Fauor ergò matrimonij, cui conſulere intendit Pontifex, ſtat in hoc: quòd cum in alijs contractibus, hoc ipſo quòd apponatur conditio impoſſibilis, iudicentur nulli, etiamſi dentur ſigna probabilia, aut indicia dubia de conſenſu abſoluto, dummodò certò de illo non conſtet: quia iudicatur de illis, ut ſtant ſub conditione; in matrimonio non ità, ſed illâ reiectâ, ſeu non attendendo ad eam, iudicandum eſt de matrimonio, ac ſi nudè abſque conditione eſſet celebratum. Et cum in dubijs ſemper fauendum ſit matrimonio, & iudicandum de valore illius: ideò niſi ex alijs indicijs conſtet de oppoſito diſſenſu; non attendendo ad conditionem impoſſibilem appoſitam, iudicandum eſt prudentum arbitrio, an validum ſit attentis circumſtantijs, & ſignis, inter quæ talis conditio non eſt computanda, nec curandum de illa. Non verò eſt dicendum, hoc ipſo, quòd conditio impoſſibilis fuerit appoſita, & non conſtet de oppoſito diſſenſu, præſumere Eccleſiam adeſſe conſenſum abſolutum, & matrimonium eſſe validum.

*Noſtra concluſio probatur.*

31. Hoc ultimum, in quo ab alia ſententia diſcedimus, probatur primò: quia vel propter decretum Eccleſiæ fit validum matrimonium, quod anteà non erat; vel ab ipſa præſumitur validum, quod iam erat. Non primum: quia Eccleſia non poteſt facere, ut matrimonium validum ſit, ſi ipſum ex ſe ſit nullum; quia cauſa totalis matrimonij eſt conſenſus, & ut diximus, *cap. 6. punct. 1. num. 3.* Eccleſia facere nequit, ut ubi conſenſus deſuit, matrimonium validum reddatur: nec ſecundum: quia potius ante decretum rejiciens conditionem impoſſibilem, matrimonium erat nullum, ſicut cæteri contractus, & propter eaſdem rationes, ut diximus *num. 28.* ¶ Secundò: quia Eccleſia præſumere non poteſt adeſſe conſenſum, niſi habeat motiuum prudens ad id iudicandum: ſemper enim præſumptio iuris innititur fundamento, & motiuo ſufficienti ad iudicandum id adeſſe, quod præſumitur: ſed ex conditione impoſſibili appoſita matrimonio potius datur fundamentum ad iudicandum adeſſe diſſenſum, quam aſſenſum: quia communiter quandò aliquid agere nolumus, conditionem impoſſibilem actui adjicimus: ergò niſi adſint coniecturæ conſenſus, non eſt iudicandum tale matrimonium fuiſſe validum.

*Solutio aduerſariorum, & illius ſolutio.*

32. Dicunt authores primæ ſententiæ, id verum eſſe reſpectu illius, qui notitiam decreti rejicientis conditionem impoſſibilem à matrimonio non habet; reſpectu verò illius, qui ſcit Eccleſiam decreuiſſe matrimonium ſub tali conditione contractum non valere, prudenter iudicatur eum velle abſolutè contrahere, hoc ipſo, quòd apponat conditionem, quam ſcit ab Eccleſiâ rejiciendam. ¶ Contrà eſt. Tum: quia, ut benè arguit Ledeſma, decretum Pontificis vim habet antecedenter ad ſcientiam contrahentium: hæc enim ſubſequitur ad illud; ergò independenter ab eâ iudicandum eſt pro valore matrimonij, cui fauere Pontifex intendit. Aliàs cum rarò de illo notitia certa habeatur à contrahentibus, maximè à mulieribus, ut fierent contrarij, fruſtrà eſſet appoſitum. Quis enim non videat vanam, & inutilem futuram legem illam, quæ in nullo caſu, moraliter loquendo, locum habere poteſt? Tum etiam: quia, ut bene inquit Baſil. *capit. 4. numer 8.* ex hoc, quòd ſciat aliquis talem conditionem reiici, vnde conſtat eum non ſeriò apponere illam, & ſic nolle conſentire abſolutè, vel ioco illam adijcere, & ſic velle præcisâ illâ conſentire? Quia cùm vtrumque poſſit, adhuc ſuppoſitâ notitiâ talis decreti, potiùs præſumendum erat eum loqui iuxta communem ſenſum, quo id, quod nolumus, ſub conditione impoſſibili promittimus, quam voluiſſe conſentire independenter à conditione.

*Obiectio in contrarium, & illius ſolutio.*

33. Sed objicies: quia ius Canonicum hoc decreto intendit fauere matrimonio, ſicut ius ciuile fauet ultimis voluntatibus, rejiciendo conditiones impoſſibiles à legatis, *leg. Obtinuit, ff. de condit. & demonſtr. & in inſtitut. §. Impoſſibilis, de hæred. inſtituend.* Sed ut conſtat ex his legibus conditio impoſſibilis rejicitur iure ciuili ab ultimis voluntatibus, ut ſtatim valere iudicentur, ac ſi talis conditio non eſſet appoſita, quamdiù non conſtet de voluntate teſtatoris: ergò ſimiliter in noſtro caſu. ¶ Reſpondetur; quòd licèt ius Canonicum fauorem matrimonij prætendat in excludendis conditionibus impoſſibilibus ab eo, ſicut ius Ciuile fauorem ultimæ voluntatis in excludendis eis à legatis; tamen diuerſimodè iuxta diuerſitatem naturarum; quibus talis fauor adjicitur. Vltimæ enim voluntates, cum ſint de rebus temporalibus, quarum dominium poteſt ob iuſtas cauſas transferre Reſpublica de uno in alium, etiam non ſtante conſenſu domini, ſupplere poteſt conſenſum illius, & fictione iuris eum præſumere, etiam ſi indicia ex alijs capitibus non adſint: & ſic facere poteſt, ut ipſo facto legatum teneat, reiecta conditione impoſſibili, ac ſi non eſſet appoſita: in matrimonio autem ſupplere non poteſt conſenſum contrahentium: & ſic ſi non adſint indicia, ex quibus prudenter iudicetur adfuiſſe, præſumere non poteſt adeſſe conſenſum, hoc ipſo, quòd ſub conditione impoſſibili contrahatur.

*Id dicendum de alijs conditionibus iure impoſſibilibus.*

34. Quod diximus de conditionibus ex natura rei impoſſibilibus, idem dicendum eſt de illis, quæ ex iure ſunt impoſſibiles, ſiue ex iure poſitiuo, ut: *Contraho tecum, ſi cum conſanguineâ contrahere poſſum.* Siuè ex iure naturali, ut: *Contraho tecum, ſi furtum licitum fuerit*: & ſic habendas eſſe pro non adiectis modo dicto cum proportione ad utramque ſententiam appoſitam: quia iſtæ abſolutè dicuntur impoſſibiles, eo quòd id poſſumus, quod iure poſſumus, *leg. Nepos proculo, ff. de verbor. ſignificat.* & ideò

à

à legatis rejiciuntur conditiones iure, & naturâ impoſſibiles, *leg. 1. ff. de condition. leg. Continuus, §. Cum quis, ff de verbor. obligat.* Ità Sanchez *libr. 5. diſput. 4. num. 7.* Cornej. *diſp. 3. dub. 4. fol. 918.* Couarruu. *2. par. Matr. cap. 3. §. 2. n. 7.* Trull. *lib. 7. cap. 8. dub. 2. n. 3.*

*Nimirũ, ſi ſint de præterito, vel de præſenti.*

35. Idem dicendum eſſe iudicant Authores proximè citati, & nos cum illis de conditionibus impoſſibilibus iure, vel naturâ, de præſenti, aut de præterito, ut *ſi digito cœlum tangis*, *aut tetigiſti*: quia conditio impoſſibilis non rejicitur à matrimonio, quia ad impoſſibile obliget, ſed quia impoſſibilis eſt, hoc verificatur, ſiue ſit de præſenti, aut de præterito: ergò, &c. ¶ Oppoſitum huius tenet Palaus *diſputat. 2. punct. 11. § 3. num. 5.* Baſil. *lib. 3. cap. 4. numer. 9.* Ledeſm. *quæſt. 45. art. 5. 5. Hoc poſito*, Rebell. *de obligat. iuſtit. lib. 2. quæſt. 10. ſect. 4. in fine.* Quòd probant. Tum: quia Pontifex loquitur de conditionibus, & cum decretum ſit correctiuum Iuris communis, ſtrictè eſt interpretandum; ſed conditio de præſenti, aut de præterito non eſt propriè conditio, ut diximus *num. 1.* Sed magis eſt demonſtratio, aut cauſa, de quibus egimus *num. 4.* Ergò, &c. Tum etiam: quia Pontifex æquè rejicit conditiones turpes, ac impoſſibiles, ut conſtat ex eius verbis *num. 24.* relatis: ſed conditiones turpes de præterito, aut de præſenti non rejiciuntur, aut habentur pro non adiectis, ut ſuo loco dicemus: ergò idem de impoſſibilibus. ¶ Reſpondetur ad primum, Pontificem non excludere conditionem impoſſibilem, quia conditio eſt, ſed quia impoſſibilis, quod æquè in præſentibus, atque in futuris reperitur. ¶ Ad ſecundum reſpondetur: quòd licet ſit eadem deciſio circà conditiones turpes, & impoſſibiles; non eſt eadem ratio decidendi: nam impoſſibiles rejiciuntur, quia impoſſibiles; turpes verò, quia incitant ad peccandum, quod de futuris verificatur, non de præſentibus, aut præteritis, ut conſtat.

*Non rejiciuntur conditiones per accidens impoſſibiles.*

36. Non tamen rejiciuntur à matrimonio conditiones illæ, quæ per accidens, vel ex ſuppoſitione ſunt impoſſibiles, ut: *Contraho tecum, ſi virgo es*; quæ tamen eſt corrupta: vel *ſi pater tuus viuit*; qui mortuus eſt. Et ideò reſpectu illius, qui ignorat impoſſibilitatem, ſuſpendunt conſenſum uſque ad notitiam, quâ poſitâ ceſſat obligatio apponendi eum; reſpectu verò illius, qui iam ſcit, ſtatim nullum redditur matrimonium. Ità Cornej. Palaus, Sot. *q. 2. art. 3. poſt. 3. concl.* Couarr. *num. 3.* Sanch. *num. 16.* Et ratio eſt: quia id dicitur poſſibile, quod moraliter eſſe poteſt, quamuis per accidens redditum ſit impoſſibile: ſed huiuſmodi ſunt conditiones, de quibus loquimur: ergò potius inter poſſibiles, quam inter impoſſibiles ſunt numerandæ.

*Nec conditiones impoſſibiles de facto.*

37. Denique conditiones impoſſibiles de facto, ut: *Contraho tecum, ſi mille libras auri dederis*, quandò ſcit eſſe pauperem, non rejiciuntur, nec habentur pro non adiectis; & ideo contractum ex tunc irritum reddunt. Ità Palaus, *n. 3.* Baſil. *cap. 3. n. 55.* Trull. *loc. cit.* Couarr. *4. Decret. 2. p. cap. 3. §. 2.* Et ratio eſt; quia illa, quæ poſſibilia ſunt, expectatâ hominum naturâ, etiamſi de facto reſpectu huius, vel illius impoſſibilia ſint, non tam impoſſibilia, quam difficilia dicuntur; ergò non ſunt rejicienda à contractu, à quo impoſſibiles conditiones rejiciuntur. Quod magis inſtatur; quia ius ciuile ſolum abjicit conditiones naturâ ipſa, & per ſe impoſſibiles ab ultimis voluntatibus; non vero illas, quæ reſpectu huius, vel illius impoſſibiles redduntur, ut in *inſtit. §. ſi impoſſibilis, de inutilib. ſtipulat.* & docet Molin. *lib. 2. de primog. cap. 12. n. 37.* Martin. de Ledeſ. *2. p. quarti. q. 45. art. 1.*

## PVNCTVM IV.

### *Utrùm matrimonium contractum inter perſonas impedimento dirimente irretitas validum ſit ſub hàc conditione:* Si Pontifex diſpenſauerit? *Et idem de ſponſalibus.*

*Aliqua ſuppponuntur.*

38. SVprà *cap. 2. n. 74.* egimus de hàc materia obiter tractantes de ſponſalibus. An ſponſalia inter habentes impedimentum celebrata, ſint valida ſub conditione, quod Pontifex diſpenſet? Et ibi diximus valere ut conditionata: Sed quia eadem ratio eſt in ſponſalibus, ac in matrimonio quoad hoc proportione ſeruata, ideo de utroque contractu hoc puncto agemus. Igitur matrimonium ſub illà conditione poteſt de præſenti, & de futuro celebrari: de præſenti, ut ſi dicas: *Contraho tecum ex nunc, ſi Pontifex diſpenſauerit*: de futuro dicendo: *Contraham tecum ſi Pontifex diſpenſauerit.* Vt autem locum habeat quæſtio, ſupponimus impedimentum, quod habent, eſſe ex illis, quæ frequenter, vel ſaltem difficulter ſolent à Pontifice diſpenſari; non verò de illis, vel quæ nequeunt ab eo diſpenſari, ut in primo gradu conſanguinitatis, vel numquàm ab eo diſpenſantur, niſi rariſſimè, & urgentiſſimâ causâ inter Principes: nam ſi impedimentum de iſtis fuerit, cenſenda eſt illa conditio impoſſibilis, quæ proindè rejicienda eſt à ſponſalibus, & matrimonio, ac iudicandum eſt de illis, ac ſi nudè, & abſque tali conditione eſſent celebrata: & cum matrimonium, aut ſponſalia nudè celebrata inter perſonas inhabiles nulla ſint: idem dicendum erit de matrimonio, aut ſponſalibus ſub illà conditione initis.

*Idem procedit, ſi cauſa requiratur.*

39. Idem dicendum eſt, ſi cauſa aliqua ad talem diſpenſationem requiratur, quæ tunc non adeſſet: quia non poſſent in tali caſu petere, aut uti diſpenſatione ſine graui culpâ: & conſequenter talis conditio ut inhoneſta rejicienda eſt, & contractus manet nullus, etiamſi ſub iuramento eſſet celebratus: quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis: & ſic obligare non poteſt ad petendam diſpenſationem ſine causâ, quod eſt iniuſtum, neque ad contrahendum ſine diſpenſatione, quod eſt illicitum, & inualidum. Ità Sanch. *lib. 5. diſp. 5. n. 2. & 3.* Baſil. *lib. 3. cap. 15. n. 5.* Auerſ. *quæſt. 5. ſect. 2.* & communiter. Quare præſens difficultas procedit, quando duæ perſonæ habentes impedimentum, de quo ſolet diſpenſari à Summo Paſtore, & cauſam, ratione cuius ſolet talem diſpenſationem impertiri: An ſi tales celebrent matrimonium, aut ſponſalia ſub conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, valeat contractus, ut non poſſint reſilire, ſiue ante diſpenſationem, ſiue poſt illam? An verò non?

*Eſſe nullum matrimonium ſub tali conditione contractum aliqui dicunt.*

40. Omiſſis varijs modis dicendi duplicem circà hoc ſententiam proferemus. Prima aſſerit matrimonium ſub illà conditione contractum

(idem

Digitized by Google

(idem cum proportione de ſponſalibus) eſſe omninò nullum, ac proinde licitum eſſe cuilibet parti ab eo recedere ſiue ante ſiue poſt diſpenſationem adeptam; niſi de nouo, illâ conſecutâ, celebretur, vel ratificetur, ac ſi tunc inciperet, & nihil factum eſſet anteà. Ità Enriq. *lib.* 12. *cap.* 10. *n.* 4. Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 2. Victor. *in ſum. de Matrim. n.* 258. Veracruz, *in ſpecul. art.* 19. Aueiſ *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *& quæſt* 8. *ſect.* 8. Barboſ. *in Collect. tom.* 2. *lib.* 4. *tit.* 5. *cap.* 5. *num.* 11. Lugo Cardinal. *de Sacrament. in gener. diſp.* 8. *ſect.* 6. *n.* 98. Et probabilem dicit Sanch. *num.* 5. Ledeſm. *quæſt* 47. *art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 2. Quod etiam nos aſſerimus.

41. Probatur primo: quia conditio impoſſibilis rejicitur à contractu matrimonij; & purua manet ſine illa: ac proinde quod ſine illa fuerit nullus ut eſt iſte, de quo loquimur, etiam erit cum illâ: ſed conditio hæc: *Si Pontifex diſpenſauerit*, iure cenſetur impoſſibilis, quia conditio à voluntate Principis dependens reputatur impoſſibilis, *leg. Continuus* 137. §. *Cum quis, ff. de verb. oblig. l. inter ſtipulantem* 38. *eod. tit.* ¶ Secundò quia melius eſt conformari legi communi prohibenti nuptias inter impeditos, quàm diſpenſationem obtinere: ſed per petitionem diſpenſationis obligatur quis ad recedendum à iure communi: ergò nullius erit momenti matrimonium ſub conditione illius celebratum. ¶ Tertiò: quia matrimonium abſque conſenſu de præſenti, & inter perſonas inhabiles, nullum eſt: ità ſe habet iſtud, de quo loquimur: nam ante diſpenſationem ſunt perſonæ inhabiles, poſt illam non habent conſenſum de præſenti: ergò, &c.

*Etiamſi iuramento firmetur.*

42. Quod etiam dicendum aſſerunt Victoria, & Soto, quamuis matrimonium, aut ſponſalia iurata fuerint. Ex qua ſententia deducitur, ut inquiunt Sanch. *loc. cit. n.* 30. Ledeſ. *cit. dub.* 2. Baſil. *lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 11. idem dicendum eſſe de impedimentis præcisè impedientibus: ita quod ſub conditione diſpenſationis illorum nullum ſit dictum matrimonium, aut ſponſalia: quia rationes æquè probant pro omnibus. Imò etiamſi impedimentum, ſolùm fuerit ab Epiſcopo diſpenſabile, idem dicendum eſſe iuxta hanc ſententiam tenet idem Sanch. *n.* 31. quia etiam nomine Principis accipitur: ut id, quod ex ſua voluntate dependet, impoſſibile dicatur. Et aliæ rationes currunt in hoc caſu, ut conſideranti patebit.

*Obligat in ratione contractus conditionati.*

43. Secunda, & probabilior ſententia dicit matrimonium ſub tali conditione contractum obligare in ratione contractus conditionati, & idem cum proportione dicendum eſt de ſponſalibus: ac proinde non licere contrahentibus ante, vel poſt obtentam diſpenſationem, altero inuito, reſilire. Ita Sanch. *n.* 12. *& diſp.* 8. *n.* 10. Bonacin. *diſp.* 2. *punct.* 10 *n.* 23. *& diſp.* 1. *punct.* 7. *n.* 9. *&* 10. Angelus *Matrimonium* 3. *imped.* 3. *n.* 4 Couarruu. 4. *Decretal.* 2. *p. cap.* 3. *num.* 9. Ledeſ. *art.* 5. *dub.* 2. *concluſ.* 3. Coninch, *diſp.* 29. *dub.* 2. Baſil. *num.* 6. Leand. *tract.* 9. *diſp.* 8. *quæſt* 15. Dicaſt. *diſp.* 5. *dub.* 7. *n.* 81. N. Gabr. *diſp.* 3. *n.* 107. Anton. *ſect.* 5. Probatur primo: quia talis conditio eſt honeſta, & nihil in ea contra legem ſit: quia lex non prohibet contrahere impeditos ſub illâ conditione, ſed abſolutè: ergò non eſt rejicienda: ergò contractum relinquit conditionatum: proindeque euentu conditionis ſecuto ſtatim matrimonium valebit, ſicut de alijs conditionibus honeſtjs infrà dicemus. ¶ Secundò: quia factum in tempore inhabili relatum ad tempus habile valet pro illo *Leg. Gallus, ff. de liber. & poſthum.* ergò quamuis matrimonium pro illo tempore, quo diſpenſatio non eſt obtenta, non valeat; tempore verò, quo adepta fuerit, valebit.

*Aliqua inſtantia adducuntur.*

44. Et hoc pluribus inſtantijs declaratur. Etenim votum Epiſcopi tranſeundi ad religionem eſt validum, ſi ſub hac conditione fiat: *Si Pontifex diſpenſauerit*, ut tenet Sanch. *loc. cit.* Similiter quandò eſt lis circa beneficium, poſſunt licitè contendentes paciſci de penſione ſoluendâ ſub conditione: *Si Pontifex diſpenſauerit*, & obligationem induere, quamuis ſine tali conditione eſſet ſimoniacus contractus. Deinde valet legatum, vel maioratus ſub hac conditione inſtitutus, ut legatarius, vel in maioratu ſuccedens, ducat conſanguineam, præcedente Pontificis diſpenſatione, ut tenet Baſil. *num.* 10. Sanch. *num.* 19. Molin. *lib.* 2. *de Primogen. cap.* 13. *à num.* 8. Denique ſi fidelis cum infideli contrahat matrimonium ſub conditione, quod ipſe ad fidem conuertatur, valet in ratione contractus conditionati, & illo ad fidem conuerſo, fit matrimonium abſolutum, *leg.* 4. *tit.* 4 *part.* 4. & docet Sot. *in* 4. *diſt.* 39. *quæſt. unic. art.* 1. *ad* 2 *&* Ledeſ. *art.* 1. *fol.* 259. Ergò ſimiliter in caſu noſtro.

*Non inducitur impedimentum publicæ iuſtitiæ.*

45. Sed ſciendum eſt, quòd tàm in caſu noſtræ concluſionis, quandò ſponſalia, aut matrimonium inter perſonas impeditas celebrantur, quam in caſu proximè adducto de fideli cum infideli contrahente ſub conditione, quòd fidem complectatur, non inducitur impedimentum publicæ honeſtatis, quamdiù euentus conditionis non ſequitur: eo quòd non ſunt valida abſolutè defectu conſenſus, ſed dumtaxat conditionata, & per conditionata ſponſalia non inducitur impedimentum publicæ iuſtitiæ, *cap.* 1. *de ſponſal. in* 6. Sed impletâ conditione, ſine nouo conſenſu fiunt valida abſolutè, & inducunt impedimentum publicæ honeſtatis. Ità Sanch. *num.* 22. *&* 23. Ledeſ. *art.* 5. *dub.* 2. *concluſ.* 1. *&* 3. Ex quo infert, & benè Sanch. *num* 38. *ex* Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad finem*, Barthol. de Ledeſm. *dub.* 25. *concluſ.* 6. Non licere nec in his ſponſalibus, nec in alijs (& idem de matrimonio conditionato) inter ſponſos amplexos, & oſcula antè adimplêtam conditionem, benè tamen illâ ſecuta: eo quòd verè ſponſalia non ſint abſoluta: & ſolùm in abſolutis, & veris, quæ præambula ſunt ad matrimonium, tales actus inter ſponſos ſunt liciti. Videantur dicta *ſup. cap.* 2. *num.* 74.

*Soluuntur argumenta contraria.*

46. Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad primum dicendum, quòd ea, quæ ex voluntate Principis dependent, dicuntur impoſſibilia, quandò Princeps ea concedere non ſolet; ſecùs tamen ſi ſoleat, ut dicitur *leg. apud Iulianum*, §. *Conſtat, ff. de legat.* 1. ¶ Ad ſecundum dicendum melius eſſe conformari iuri communi, quandò non eſt aliqua obligatio licitè contracta recedendi ab eo, ut inuenitur in noſtro caſu. ¶ Ad tertium dicendum: quòd licèt tempore matrimonij ſub conditione dicta celebrati, perſonę ſint inhabiles, tamen referuntur ad tempus futurum, pro quo ſunt habiles, & tunc datur præſens conſenſus moraliter, ſeu virtualiter permanens, quamdiù oppoſitus non retractatur.

47. Ex

*Quoddam corollarium ex dictis.*

47. Ex quo inferendum eſt : quòd ſi aliquis ſequens opinionem probabilem *num.* 40. adductam, vellet poſt obtentam diſpenſationem recedere à ſponſalibus, vel matrimonio, & in uniuerſum, quandò ſponſalibus celebratis abſolutè adeſt iuſta cauſa reſiliendi, etiam ſinè culpà alterius partis, ut ſi ſponſa deformata fuiſſet, vel violentià corrupta, quæ virgo erat, non tenetur reſiliens ſoluere expenſas vel ſumptibus communibus factas, vel ab alià partium parte adhibitas in adipiſcendâ diſpenſatione, vel alijs rebus pro matrimonio procurandis : quia qui iure utitur ſuo, is non videtur dolo facere. *Regul. Nullus* 55. *de Regul. iur.* Nec poteſt alter conqueri iuſtè, cum ipſe poſſet etiam recedere, ſine ſolutione expenſarum : & ſic remaneat contractus utrimque æqualis. Et etiam quia non tenetur ratione rei acceptæ, aut iniuſtæ acceptionis, ut conſtat, nec ratione contractus facti, quia nullum datur ius obligans ad ſoluendas tales expenſas, quandò quis iuſtè reſilit à ſponſalibus. Ità Ledeſm. *art.* 1. *dub.* 2. Sanch. *numer.* 33. qui *n* 34. optimè docet, quòd ille, qui cauſam præbuit iuſtè reſiliendi alteri parti culpabiliter, tenetur ſoluere expenſas ab eâ factas, ſi cauſa fuit talis conditionis, ut coactus & non liberè faciat cum reſilit: ut ſponſa, quæ fornicata eſt, ratione cuius cogitur ſpõſus ad reſiliendum, ne indignam cum dedecore recipiat ; quod ſecùs dicendum eſt, quandò ſponſus fornicatur : quia licèt poſſit ſponſa reſilire, id tamen liberè facit, cum non cogatur propter hoc, cum indigno, aut dedecore ſui contrahere.

*Quid ſi non expreſsè apponatur ta lis conditio?*

48 Sed inquires. An matrimonium, vel ſponſalia inter impeditos contracta, non appoſità expreſſè conditione dictà : *Si Pontifex diſpenſauerit*, ſint valida, ſuppoſito, quod diximus in concluſione noſtra? ¶ In hoc eſt duplex ſententia. Prima, quam tenet Sot. *art.* 1. *verſ. Reuerà fateor*, & probabilem dicit Sanch. *num.* 25. Aſſerit valere eo modo, quo diximus, quandò expreſsè ponitur, & quandò talia ſponſalia, aut matrimonium fuerunt iurata, tenet Tabiena *verb. Sponſalia*, q. 8. *num.* 9 Armill. *ibi num.* 11. Idem in maioratu, aut legato relicto ſub conditione, ut conſanguineæ nubat, tenet Molin. *lib.* 2. *de Primogen. cap.* 8. Quia verba generalia reſtringenda ſunt, ut intelligantur de extremis habilibus, *leg. ut gradatim*, §. 1. *ff. de Munerib. & honor.* Et conſequenter in tali caſu intelligendum eſt, contrahentes ſub tali conditione celebrare coniugium, ſub quà poſſunt, etiamſi non exprimatur. Et ratio eſt : quia promittens conſanguineæ matrimonium, ſupponit diſpenſationem præmittendam : cum hæc conditio inſit contractui ; ita ut abſque illà fieri non poſſit : ergò etiamſi non exprimatur, validum conditionatè relinquitur: ſicut ſi celebretur abſque expreſſâ conditione, ſi alter conſentiat : quia hæc ineſt contractui, & ſemper ſubintelligitur.

*Inualidum relinquitur matrimonium, quandò non apponitur talis conditio expreſsè.*

49. Probabilius tamen dicendum eſt non valere tale matrimonium, aut ſponſalia; ſed cenſendum eſſe de illis, ac ſi purè abſque omni conditione celebrata fuiſſent, & cum matrimonium, aut ſponſalia inter impeditos ſint nulla; ita ea, de quibus loquimur ; Ita Sanch. *n.* 26. Ledeſ. *art.* 1. *dub.* 2. *ad* 4 Baſil. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 7. Aliàs numquam haberet locum diſpoſitio Pontificis in *Clement. unic. de Conſanguinit.* imponens pœnam excommunicationis cum conſanguineis contrahentibus, ſi tacita illa conditio ſemper ſubintelligeretur : quia contrahere cum conſanguineà ſub conditione : *Si Pontifex diſpenſauerit*, non eſt prohibitum ſub illà pœnà, ut docent Sanch. Ledeſ Baſil. *cit.* Vt ergò tale decretum aliquem effectum habeat, intelligendum eſt de contrahentibus ſine expreſſione talis conditionis: proindeque illicitum, & inualidum erit tale matrimonium. Et idem dicendum eſt de legato, aut maioratu cum conditione, ut mulier nubat cum conſanguineo, non expreſſà conditione diſpenſationis adipiſcendæ : & ſic iudicandum eſt de illo, ac ſi purè, & nudè, & abſque ulla conditione eſſet legatum relictum, aut inſtitutus maioratus.

*Soluitur ratio contrariæ ſententiæ.*

50. Ratio autem oppoſitæ ſententiæ ſolùm probat in conditionibus, quæ ita ex naturà ſuà inſunt contractui, ut abſque illis ab intrinſeco, & ex naturà rei eſſet nullus, ut eſt illa: *Si tu conſenſeris*, non verò de illis, quæ non ab intrinſeco, & ex naturà rei, ſed ab extrinſeco : & ex iure poſitiuo matrimonium irritum reddunt : hæc enim niſi exprimantur, non cenſetur contrahens cum illis celebrare, ſed nudè, & abſolutè, & ſimpliciter.

## PVNCTVM V.

### *De matrimonio ſub conditione honeſtâ, & contingenti celebrato.*

*Quoddam ſuppoſitum ut certum.*

51. SVpponimus mortaliter delinquere omnes, qui ſub conditione, etiam honeſta, de futuro contingenti contrahunt, & Parochum, aut teſtes aſſiſtentes tali matrimonio, ut benè ait Auerſ. *q.* 5. *ſect.* 1. *in fin.* Tum : quia qui Sacramenta ſub conditione conficeret abſque neceſſitate, peccaret, & cum ſit in re adeò graui, mortaliter. Atqui non poteſt iuſta cauſa adeſſe, ut matrimonium ſub conditione celebretur, cum non habeat effectum antè adimpletionem conditionis, & poſſet reſcindi antè illam, & ideò ſicut expectandus eſt conditionis euentus : ſic curandum eſt de conditionis impletione, antè matrimonij celebrationem. Tum etiam quia ex matrimonio ſub conditione celebrato pluribus litibus, & perplexitatibus aditus aperitur : ergò ut iſtæ euitentur, non debent ſub tali conditione coniuges matrimonium inire, ſed vel ſponſalia, vel expectare conditionis euentum. Nunc verò de illius valore ſermo inſtituitur, & quod dictum fuerit de eo, proportione ſeruatâ, ſentiendum eſt de ſponſalibus ſub conditione celebratis.

*Quid de conditione de præſenti, aut præterito?*

52. Matrimonium ergò ſub conditione, de præſenti, aut de præterito celebratum, ut: *Contraho tecum, ſi virgo es. Contraho tecum, ſi pater tuus fuit dux*, non ſuſpenditur : ſed ſtatim eſt validum, aut nullum. Si verè res ità ſit, aut fuerit, erit validum; ſin minùs erit nullum. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 29. *q. unic. art.* 3. *q.* 3. *& in addit. quæſt.* 47. *art.* 5. Quem communiter Doctores ſequuntur Sanch. *lib.* 5. *diſp.* 6. *num.* 1. Dicaſt. *diſp.* 5. *dub.* 3. *n.* 20. Cornej. *diſp.* 3. *dub.* 7. *in princ.* Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. Et ratio eſt : quia quandò conditio eſt de re vere

cair

exiſtente, nihil deeſt ad ſubſtantiam matrimonij: adeſt enim mutuus conſenſus expreſſus non dependens ab aliquo futuro. Si tamen res non ita ſit, minimè poteſt matrimonium valere, cuius totus valor à conſenſu dependet, qui ſi præſtitus ſit ſub conditione de præſenti, illa non exiſtente, non poteſt habere valorem. An verò debeant contrahentes notitiam conditionis iam exiſtentis habere? Ad licitum uſum matrimonij non eſt dubium id requiri: ad valorem autem illius an hoc ſit requiſitum, dicemus *infr. num.* 55.

*Conditio de futuro contingenti, ſuſpendit matrimonium.*

53. Conditio de futuro aliquo contingente, ut: *Contraho tecum, ſi dederis talem dotem*, non efficit ſtatim matrimonium, ſed id ſuſpendit uſque ad euentum conditionis: quia uſque tunc non habet animum contrahens tradendi poteſtatem ſui corporis alteri. Ita D. Tho. *loc. cit.* habeturque expreſsè *in cap. De illis, cap. Super eo, de condition. apposit. & iure Regni, leg.* 3. *tit.* 4. *p.* 4. Ea enim eſt natura conditionis, ut ſuſpendat valorem contractus ſub tali conditione initi, *leg. ſi ſtipulatus, ff. de verb. obligat.* Sed notat benè Sanch. *numer.* 3. hoc verum eſſe de conditionibus, antè contractum Matrimonij vel in ipſo contractu appoſitis, non verò de illis, quæ poſt ipſum à contrahentibus vellent apponi. Nam hoc eſt diſcrimen inter iſtum, & reliquos contractus: quod cum iſti ex mutuo conſenſu contrahentium poſſint reſcindi, etiam poſtquam contractus celebrati ſunt, poſſunt ipſi contrahentes conditiones aſſignare, ſub quibus, & non aliter teneantur ſtare illis: matrimonium verò cum ſemel perfectum ob eius indiſſolubilitatem ex mutuo conſenſu non dependeat, iam non eſt in illorum voluntate aliquam conditionem pro illius valore apponere.

*Tenentur expectare euentum conditionis.*

54. Semel ſub conditione celebrato matrimonio, nulla pars poteſt reſilire, aliâ inuitâ, uſque ad conditionis euentum, ſicut de ſponſalibus diximus, iuſtâ non interueniente cauſâ, quia ſicut ex contractu abſoluto ſequitur abſoluta obligatio, & in re: ſic ex conditionato obligatio in ſpe, hoc eſt, in euentum conditionis: Ita Sanch. *num.* 8. Molin, *tom.* 2. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 285. *concluſ.* 4. Auerſ. Victor. *relect. de Matrim. part.* 1. *punct.* 2. *num.* 9. Couarruu. 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 3. *numer.* 6. Ledeſm. 3. *part. quæſt.* 47. *art.* 1. *dub.* 7. *fol.* 245. Non tamen licet, coniuges copulam habere antè euentum conditionis: quia tunc non eſt verum, & abſolutum matrimonium, niſi à conditione velint recedere. Si autem antè euentum conditionis, vel ipſi reuocent conſenſum, aut aliquis eorum, vel cum alio nubat, ſtatim matrimonium fit nullum. Licitè autem id facere non poſſunt, niſi ex iuſtâ cauſâ. Illæ verò cauſæ, quæ ſufficiunt ad reſiliendum à ſponſalibus, de quibus egimus *toto cap.* 2. etiam ad reſiliendum ab iſto matrimonio ſufficientes eſſe docet Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. § 3. in fine.

*Non requiritur ſciri à contrahentibus impletionem conditionis.*

55. Quandò conditio, ſub quâ initum fuit matrimonium, impletur, ſtatim matrimonium perficitur, etiamſi talis impletio à contrahentibus non ſciatur. Idem eſt de matrimonio ſub conditione de præſenti, aut de præterito celebrato, quòd ipſâ exiſtente, etiamſi ignoretur à contrahentibus, ſtatim matrimonium perficitur. Ita contrà Conineh, *diſput* 29. *dub.* 1. *numer.* 9. Perezium *diſput.* 6. *num* 3. Tenent communiter Doctores, ut Auerſ. Trulleneh *lib.* 7. *cap.* 8. *dub.* 1. *nu.* 7. Hurtad. *diſp.* 7. *diff.* 3. *numer.* 7. Dicaſt. *tr.* 10. *diſp.* 3. *numer.* 19. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 11. § 1. *numer.* 3. Imò etiamſi contrahentes iudicent, conditionem talem non exiſtere. Sanch. *lib.* 5. *diſput.* 7. *numer.* 2. & 3. Sot. *quæſt.* 2. *art.* 1. Et ratio eſt. Tum: quia qui contrahit ſub illa conditione, non alligat ſuum conſenſum notitiæ, ſed rei; niſi fortè expreſsè paciſcatur de notitiâ rei, ut ſi dicat: *Contraho tecum, ſi mihi conſtet patrem tuum viuere.* Tum etiam: quia ad valorem matrimonij ſufficit verus, & firmus conſenſus de præſenti expreſſus: in præſenti datur verus, & firmus conſenſus de præſenti expreſſus ſub illa conditione: hac ergò impletâ, etiamſi de eius adimpletione non conſtet, validum eſt matrimonium. Tum denique: quia in alijs contractibus conditionatis impletâ conditione, ſtatim perficitur contractus, etiamſi euentus rei ignoretur. *In inſtitut.* § *Conditio, de verb. oblig. & leg. cum ad præſens* 30. *ff. ſi certum petatur.* Ergò etiam in contractu matrimonij: quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

*Quomodo intelligatur: Contraho tecum ſi pater tuus conſentiat?*

56. Sed inquires. Quid dicendum ſit de iſta conditione? *Contraho tecum, ſi pater tuus conſentit de præſenti, aut ſi conſentiat de futuro, aut ſi ei placuerit de præterito*, quandò cenſeatur impletâ conditio, ut matrimonium valeat? ¶ Reſpondetur, quòd ſi conditio ſit de præſenti, & patri tunc placeat, ſtatim perficitur matrimonium. Si autem tunc dormiens eſſet, vel non cogitaret de hoc negotio, & ſtatim, ut aduerteret, gratum illud haberet: hoc ſufficeret, ut ſtatim matrimonium perficeretur. Ita Sot. *loc. proximè cit.* Sanch. *numer.* 4. Et ratio eſt: quia illa ratihabitio ſignum eſt virtualis complacentiæ patris, aut ſaltem non diſplicuiſſe illi tale matrimonium: & ſenſus illius conditionis (niſi aliud conſtet de intentione contrahentium) eſt, ſi pater non fuerit diſſenſus, & poſteà gratum habeat: animus enim apponentium dictam conditionem eſt, ne pater ægrè ferat tale matrimonium. Si verò tunc diſpliceat vel diſplicuerit, etiamſi poſteà illi placeat, ſi conditio fuit de præſenti, aut de præterito, nullum redditur matrimonium. Sanch. & Sot. *cit.* quia iam non datur id, quod per conditionem intenditur. At verò ſi conditio fuit de præterito, & patri aliquandò placuit, & aliquandò diſplicuit, ſtandum eſt ultimæ voluntati: quia animus contrahentium eſt, ne patrem offendant, contrahendo contrà eius voluntatem, ad quod attenditur ſecundùm id, quod patri ultimò inest. Sanch. *loc. cit. num.* 6.

*Quid, ſi fuerit conditio de futuro?*

57. Si verò conditio fuit de futuro: *Si patri placebit*, aut placuerit, ſi priùs diſſentiat, & poſteà conſentiat. Aliqui putant apud. Sanch. *numer.* 8. Adhuc matrimonium tenere. Melius tamen dicendum eſt cum ipſo, *numer.* 9. Et Dicaſt. *diſp.* 52. *dub.* 3. *num.* 22. & *toto dub.* 5. Coninc, *diſp.* 26. *dub.* 2. Perez *diſp.* 16. *ſect.* 11. Roſell. *Matrimonium.* 5. *num.* 4 Sot. *in* 4. *diſp.* 29. *quæſt.* 2. *art.* 3. matrimonium minimè valere: quia ſermo ſimpliciter prolatus de primâ vice intelligendus eſt, *leg. boues*, § *Hoc ſermone ff. de verb. ſignif.* Et ratio eſt: quia hoc ipſo, quòd pater primâ vice diſſentiat, deficit conditio pro matrimonio appoſita: & ideò contrahentes poſſunt ab illo recedere:

ergò extincta eſt obligatio illius hoc ipſo, quòd pater prima vice diſſentiat: ergò etiamſi poſteà conſentiat, obligatio non conſurgit: quia obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit, *leg. cum ex cauſa, C. de Remiſſ. pignor.*

*Quid ſi taceat pater?*

55. Sed rogabis, quid dicendum ſit in caſu, quo pater conſcius matrimonij celebrati ſub conditione de futuro, *ſi ipſe conſentiat*, ipſe nec conſentiat, nec diſſentiat, ſed taceat? Et quidem, ſi ſigna dederit, vel ex alijs circumſtantijs conſtiterit ipſum aſſenſum præbere, vel diſſenſum, ſecundum hoc iudicandum eſt, ut matrimonium validum, vel inualidum cenſeatur. Si tamen hæc non fuerint, aliqui dicunt tunc matrimonium non valere. Ita Angel. *Matrimon. 3. impedim. 3. num. 3.* Dicaſt. *diſp. 5. num. 37.* Ledeſ. *art. 5. dub. 7.* Et probant primò: quia conditio debet in ſpecificâ forma impleri, *leg. qui hæredi, & leg. Manius, ff. de condition. & demonſtrat.* ergò ſi conditio ſuit de conſenſu patris non ſufficit taciturnitas illius ad intentum. ¶ Secundò: quia *qui tacet, nec conſentire, nec diſſentire videtur de Regul. iur. in 6.* ¶ Tertiò: quia factum non præſumitur, niſi probetur *cap. Cum in iure de offic. deleg.* ſed conſenſus patris eſt quid factum: ergo niſi probetur, non eſt præſumendus: & hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

*Sufficit taciturnitas patris.*

59. Probabilior tamen eſt ſecunda ſententia, quæ dicit ſufficere in tali caſu taciturnitatem patris, ut conditio dicta cenſeatur adimpleta. Hanc tenet Sanch. *num. 12.* Bonacin *quæſt. 2. punct. 10. num. 20.* Enriq *lib. 11. cap. 12. num. 5.* N. Cornej. *diſp. 3. dub 7.* Leand. *tract 9. diſp. 8. quæſt. 11.* Sylueſt. *Matr. 3. quæſt. 4. dict. 4.* Veracruz, *1. part. ſpecul. art. 9.* Et ratio eſt: quia animus apponentium illam conditionem eſt, ne pater ægrè ferat matrimonium, aut contradicat illi: ſed hoc ipſo, quod pater taceat, non contradicit matrimonio, nec ægrè ferre illud cenſetur: ergò, &c. Niſi fortè conditio ſub hac formulâ eſſet appoſita: *Contraho tecum, ſi pater dicat ſe conſentire*: nam in tali caſu, ſine expreſſo conſenſu poſitiuo patris matrimonium non ſtatet. Si tamen conditio ſic ponatur. *Contraho tecum, ſi pater tuus conſentiat*, intelligitur, ſi non contradicat. Vnde ſi pater tunc mortuus eſſet, validum eſſet matrimonium ſtatim, ſiue ipſi contrahentes de morte patris certi eſſent, ſiue non. Si enim hoc ſciebant, illa conditio eſſet impoſſibilis, & ut talis à matrimonio reijcienda, ut diximus *punct. 3.* Et ſic maneret purum, ac ſi nullâ conditione eſſet contractum. Si autem non ſciebant, etiam erit validum: quia intentum apponentium eam illud erat, ne parentem offenderent, & contrà illius voluntatem contraherent. Ita Enriq. *loc. cit. num. 18.* Sanch. *num. 19.*

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

60. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ, reſpondetur. Ad primum dicendum: quod conditio in ſpecificâ formâ apponenda eſt iuxtà animum contrahentium, qui, ut diximus, in præſenti ſolum eſt, ne pater diſſentiat, aut ægrè ferat. ¶ Ad ſecundum fatemur eum, qui tacet, nec conſentire, nec diſſentire. Cæterum, hoc ipſo, quòd pater non diſſentiat, impletur, quod per conditionem intenditur. ¶ Ad tertium dicendum: quod in præſenti non præſumitur conſenſus; ſed diſſenſum non adeſſe, quod ſufficit ad intentum.

## DVBIVM I.

*An matrimonium ſub conditione honeſta de futuro contractum, impletâ conditione, fiat omninò perfectum, & abſolutum ſine nouo conſenſu expreſſo à contrahentibus appoſito?*

*Tutius eſt abſolutè contrahere, qui ſub conditione contraxerunt.*

61. SVpponimus in omnium opinione eſſe tutius, & conſulendum; quòd qui ſub conditione propoſitâ contraxerunt, eâ impletâ, nouum conſenſum exterius expreſſum de præſenti apponant; ut ſic omnis ſcrupulus, & dubietas in materiâ tam graui eliminetur. Quamuis negari non poſſit non peccare mortaliter eum, qui hoc omitteret, cum conformari poſſet cum ſententiâ ſatis probabili, quam adducemus, aſſerente per adimpletionem conditionis fieri ſtatim matrimonium perfectum. Et quod dictum fuerit in hoc dubio de matrimonio contracto inter duos ſub conditione, v.g. *Contraho tecum, ſi cras dederis mille aureos, aut ſi pater conſentiat*, Idem dicendum eſt de matrimonio contracto inter conſanguineos ſub conditione: *Si Pontifex diſpenſauerit.* Nam licèt aliqui intendant diuerſitatem aſſignare inter duos caſus propoſitos, & dicant in primo non eſſe neceſſarium apponere nouum conſenſum, conditione impletâ, benè tamen in ſecundo, ut Sylueſt. *Matr. 2. nu. 13.* Roſell. *Matr. 5. nu. 14.* Victor. Coronej. & Valent. *infr. cit.* Cæterùm, ut rectè probat Sanch. *lib. 5. diſp. 8. num. 10.* Conin. *diſp. 29. dub. 1.* Auerſ. *q. 5. ſect. 1.* Dicaſt. *diſp. 5. dub. 7.* rationes, quæ in uno caſu militant, corruunt etiam in alio. Et ideò iuxtà dicta *punct. præced.* quæ dicta fuerint in uno caſu, etiam de alio intelligenda ſunt.

*Secundum, quod ad quæſtionem ſupponitur.*

62. Supponimus ſecundò: quod in opinione illorum, qui aſſerunt matrimonium ſub conditione dictâ, adhuc impletâ conditione, non eſſe verum, perfectum, & abſolutum: ſi quis eâ impletâ contraheret cum aliâ fœminâ abſolutè, licèt grauiſſimè peccaret, fidem præcedentis promiſſionis frangendo; verum tamen eſſet matrimonium cum ſecundâ, & cum primâ, viuente ſecundâ, non poſſet ampliùs nubere: quia iuxtà hanc opinionem matrimonium primum non eſt perfectum, & abſolutum, niſi nouo conſenſu expreſſo firmetur, ſed ſolum obligat per modum ſponſalium, quæ per ſubſequens matrimonium corruunt: & ideò nullum relinquitur primum matrimonium, & validum ſecundum. In opinione autem dicentiū per adimpletionem conditionis ipſo facto fieri matrimonium purum, & abſolutum, ſi quis poſt euentum illius, etiam nouo conſenſu non ſecuto, matrimonium cum aliâ contraheret, hoc eſſet omninò nullum, ut ex ſe conſtat, quod omnes Doctores concedunt, & addit Sanch. *ſup. numer. 6.* non eſſe neceſſarium ipſis contrahentibus conſtare de adimpletione conditionis, ſed ipſo euentu ſecuto, ſtatim fieri purum matrimonium, & conſequenter quodcumque aliud ſubſequens erit nullum.

*Tertium, quod præmittitur.*

63. Supponimus denique, primum conſenſum antè euentum conditionis retractatum non fuiſſe, ſed ſemper moraliter perſiſtere. Si namque retractatus eſſet, non eſt quæſtioni locus:



Digitized by Google

nam ſicut concedens procuratori facultatem, ut nomine illius cum fœminâ matrimonium celebret, ſi antè celebrationem matrimonij ſuum conſenſum reuocaret, matrimonium poſteà à procuratore initum eſſet nullum: quia ad matrimonium ſemper, & eſſentialiter requiritur conſenſus præſens contrahentis formaliter, vel virtualiter: ita accidit in caſu noſtro: quia per retractationem prioris voluntatis, nec formaliter, vel virtualiter, remanet conſenſus præcedens. Difficultas ergo procedit. An ſi duo contrahant de præſenti ſub conditione honeſtâ de futuro, ut: *Contraho tecum, ſi pater tuus voluerit*, hâc impletâ conditione, & non retractata voluntate, antè euentum illius matrimonium ſtatim fiat purum, & perfectum ſine nouo conſenſu appoſito? An verò requiratur, quòd nouus conſenſus exterius explicitus ponatur ad intentum.

*Argumenta, quæ probant nouum conſenſum requiri.*

64. Videtur requiri nouus conſenſus. Primò: quia prior ille conſenſus non fuit ab initio ſufficiens antè conditionis euentum: & ideò ſi antè euentum conditionis contraheret cum aliâ, verum eſſet hoc ſecundum matrimonium, & conſequenter inſufficiens conſenſus prior ad matrimonium conſtituendum: ſed per conditionis euentum non ponitur nouus conſenſus, nec antiquus perficitur: quia iam tranſijt, & eſt interior animæ actus, qui per rem purè exteriorem non perficitur: Ergò conditione ſecutâ, remanet inſufficiens: nouus ergò requiritur quòd apponatur. ¶ Secundò: quia ad matrimonium requiritur conſenſus de præſenti purus, & abſolutus: eo enim modo eſt matrimonium, quo fuerit conſenſus: quia ex iſto tota ratio illius dependet, in caſu autem noſtro non datur conſenſus purus, & abſolutus de præſenti, ſed tantùm conditionatus: Ergò impletâ conditione, nouus conſenſus abſolutus debet apponi. ¶ Tertiò: quia cætera Sacramenta à futuro euentu pendere non poſſunt, ſed ſtatim, aut nulla, aut valida eſſe debent, ut in Baptiſmo, ſi quis diceret: *Baptizo te, ſi cras pœnitueris*: in Confeſſione: *Abſoluo te, ſi cras reſtitueris*, nec Baptiſmus, nec abſolutio valerent, etiam impletâ conditione, niſi noua ablutio, aut abſolutio de præſenti detur: ergò ſimiliter in matrimonio.

*Duo alia argumenta.*

65. Quartò: quia D.Thom. *in 4.diſt.29.qu.unic. art 3. qu.3 & in addit. q.47. artic.5.* ita ait: *Aut eſt contingens* (videlicet conditio) *ut datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, & tunc idem eſt iudicium de tali conſenſu, ſicut de conſenſu, qui eſt per verba de futuro, unde hoc non facit matrimonium.* Vbi D.Thom. non ſolum negat matrimonium ſub conditione contingenti de futuro eſſe verum matrimonium, ſed aſſerit ſe habere, ſicut illud, quod per verba de futuro celebratur. Et ideò *in cap. Per tuas, de condit. appoſit.* dicitur talem contractum ſponſalia conſtituere: ergò adimpletâ conditione, ſine nouo conſenſu non tranſit in matrimonium verum. Patet conſequentia: quia ſponſalia conditionalia non fiunt matrimonium per hoc, quod adimpleatur conditio, niſi nouus conſenſus expreſſus per verba de præſenti apponatur. ¶ Quintò: quia Vrbanus VIII. *in cap. Super eò 5. de condit. appoſit.* duo dicit. Primum, non eſſe verum conſenſum, quando quis matrimonio aſſentitur ſub conditione de futuro contingenti. Secundum, quòd ſi quis cum fœmina contraxerit ſub conditione, *ſi pater conſenſerit*, non eſt cogendus ad contrahendum, uſque dum pater conſentiat: ergò econtra, quandò conſenſerit pater, cogendus erit ad contrahendum: ergò adhuc, impletâ conditione, matrimonium non erat perfectus contractus: quia ſi hoc eſſet, ad quid cogeretur ad contrahendum?

*Auctores huius ſententiæ.*

66. Hæc ſunt argumenta, quæ pro iſta ſententia probabiliſſima ſolent adduci, & inter Auctores illam tenentes paſſim D.Thom. numeratur locis ſuprà adductis, cuius verba ideò adduximus, ut videatur minimè illam tenere, ut conſtabit ex ſolutione argumenti ex eius verbis deducti. Hanc ergò ſententiam tenet Dominic.Sot. *in 4.diſt.29.qu.1. art.1. concl.3.* Ledeſm. *3.p. qu.47.art.5. dub 7. concl.2.* Barth. de Ledeſ. *dub.25. de Matrim. concl.5.* Enriq. *lib.11. cap.12. num.3.* Baſil. *libr 3. cap.13. & 14.* Dian. *3 p.tract.4.reſol.192.* Villalob. *tract.13.diff.33.n.5.* Suar. *tom 3. de Relig. lib.6. cap.12. à num.18.* Leand. *diſp.8.qu.12.* Trull. *libr.7 cap.8.dub.1.* Wiggers *cap.3.dub.3.* Gonet. *diſp.4.nu.114.* N. Cornej *tract.6.diſp.3.dub.7.* quamuis hic auctor, ibi, §. *Secundò nota*, dicat, quòd ſi quis expreſsè, aut aliquo ſigno declaret ſe velle, ut adueniente conditione matrimonium ſtatim fiat, & ex nunc pro tunc de præſenti in illud conſentire dicat, & in tali conſenſu perſeueret uſque ad aduentum conditionis, ipſâ ſecutâ, ſine nouo conſenſu matrimonium perfectum erit, quapropter pro noſtra ſententia eum adducemus.

*Non requiritur nouus conſenſus, conditione impleta.*

67. Secunda ergò, & verior ſententia dicit quod ſi contrahentes animum expreſſum habeant contrahendi de præſenti cum illa conditione, *ſi pater conſentiat*, his verbis: *Contraho tecum, ſi pater tuus conſentiat*, licèt antè conditionis euentum ſit matrimonium imperfectum, & inualidum; illa tamen ſecuta, validum, & perfectum redditur, etiamſi de nouo conſenſus expreſſus non apponatur, dummodò præcedens perſeueret, & antè euentum conditionis non retractetur. Ita Rebell. *lib 2.q.18 n 44.* è noſtris Gabr. *diſp.3.qu.10.* Anton. *ſect.4.* Cornej. *loc. cit.* Franciſc. *num.19.* &c. caſu quo expreſsè paciſcantur contrahentes modo dicto. Vnde malè pro contraria ſententia ab aliquibus adducitur Auerſ. *q.5. ſect.1. §. Admittendum tamen*, Perez, *diſp.16. ſect.13 num.5.* Lugo Card. *de Pæn. diſp 13. ſect.5 n.111.* Hurtad. *diſp.7. diff.3. num.10.* Filliuc. *com.1. tract.10. p.1. cap.4. num.10.* Laym. *tract.10. p.2. cap.7. num.2.* Sanch. *numer.5.* Bonacin. *qu.2 punct.10. numer.20* Con nc. *concluſ.3. & 5.* Dicaſtill. *diſput.5. dub.6. num 69.* Palaus *diſp.2 punct.11. §.2. num.5.* Herinx *diſp.3. qu.5.* & valdè probabilem dicit Ledeſm. *dub.2 concl.1.*

*Aliorum probationes.*

68. Aliqui probant noſtram concluſionem hoc duplici exemplo. Primum: ſi aliquis de præſenti velit cum fœmina contrahere ſub conditione, quòd ipſa conſenſum ſuum apponat, etiamſi fœmina, per annum differat conſenſum ſuum præbere; ipſa tamen conſenſum apponente, ſtatim perficitur matrimonium; etiamſi vir nouum conſenſum ſuum non apponat: ergo ſimiliter ſi vir dicat: Contraho tecum, ſi pater tuus velit, voluntate patris ſecutâ, ſtatim

matrimonium perficitur ſine nouo conſenſu appoſito. Secundum, quando matrimonium celebratur per procuratorem ſufficit, quòd mandans conſenſum præbeat, ſuppoſito, quod procurator ſuum munus obeat, & alter conſenſum ſuum exprimat, quibus poſitis ſtatim perficitur matrimonium ſine nouo conſenſu mandantis.

69. Cæterum hæc vim non habent: nam conditiones duplici exemplo adducto poſitę ſunt conditiones generales, vel intrinſecæ, quæ inſunt matrimonio; matrimonio quidem inter pręſentes ineſt conditio, quòd alter conſentiat: & matrimonio per procuratorem facto ineſt conditio, quòd ipſe ſuum munus obeat, & alter mutuò conſentiat. De conditionibus autem generalibus, & intrinſecis iam diximus *punct.* 2. non ſuſpendere contractum, ſed eum purum relinquere, quamuis non perficiantur, uſque dum illæ apponantur: non quia conditiones ſint; ſed quia partes ſunt eſſentiales, & intrinſecè contractus, ſine quibus haberi nequit. Nos verò nunc loquimur de conditionibus particularibus extrinſecis de futuris accidentalibus, & honeſtis matrimonio adiectis.

*Probatio concluſionis.* 70. Probatur ergò concluſio hac ratione: quia cæteri contractus conditionales, impletâ conditione, abſque nouo conſenſu purificantur, & perficiuntur, *leg. Hæc venditio* 7. *ff. de contrah. emption.* ibi: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. Et leg. potior.* 11. *ff. qui potior.* ibi: *Cum ſemel conditio extitit, perinde habetur, ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet.* Ex quibus tale argumentum conficimus. Chriſtus Dominus eleuando contractum matrimonij ad rationem Sacramenti non immutauit naturam illius: Sed de natura contractus conditionalis eſt, quòd impletâ conditione purus, & abſolutus reddatur non minùs, ac ſi abſque ulla conditione fuiſſet initus: ergò matrimonium ſub conditione celebratum, ipsâ ſecutâ, ſtatim purum redditur, & abſolutum ſine nouo conſenſu.

*Eamdem probationem proſequimur.* 71. Et quidem eadem ratio currit in hoc, & in reliquis contractibus. Ideò namque in reliquis, poſita conditione, ſtatim fit contractus abſolutus: quia conſenſus per verba de præſenti præſtitus, quamuis ſub conditione de futuro, eſt verè conſenſus de præſenti, quamuis conditionatus dependens ab euentu conditionis quoad effectum: & quandò conditio euenit, eſt conſenſus de præſenti ſaltem virtualis, quem ſignificat ipſe euentus rei ſuppoſita declaratione contrahentium, quâ expreſſerunt formaliter, vel virtualiter ſe de præſenti voluiſſe contrahere dependenter modo dicto à conditione: ſed hoc ipſum in matrimonio reperitur: ergò, &c. ¶ Et certè cum tota ratio matrimonij ex ipſo conſenſu expreſſo contrahentium dependeat, non apparet, quomodo contrahentes, qui exprimunt ſe de præſenti velle contrahere, dummodo conditio impleatur, ipſa conditione ſecutâ, non cenſeantur ſtatim nudè, & abſolutè contrahere, ſicut in alijs contractibus cernitur. ¶. Quod ſic inſtatur in contractu ſponſalitio. Etenim ſicut ad matrimonium requiritur conſenſus purus de præſenti: ſic ad ſponſalia conſenſus purus de matrimonio futuro: ſed ſponſalia conditionata per adimpletionem conditionis ſine nouo conſenſu fiunt pura, & abſoluta: & ſic ex tunc inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, ut habetur *cap. Vnica, de ſponſal. in* 6. Ergò ſimiliter matrimonium conditionatum, impleta conditione, fit purum, nullo alio poſito nouo conſenſu.

*Reſpondetur ad argumenta.* 72. Ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum dicimus conſenſum illum ab initio fuiſſe ſufficientem, ſuppoſita conditione: & ſic euentus conditionis non facit nouum conſenſum; ſed id apponit, quòd conſenſus ille voluit apponi, ut ſuum effectum ſortiatur. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod adimpleta conditione conſenſus redditur purus, & abſolutus: quia ita redditur, ac ſi conditio non adeſſet, & quamdiu non retractatur, conſenſus præcedens virtualiter permanet: & ſic datur conſenſus præſens, & abſolutus ſufficiens ad matrimonium. ¶ Ad tertium reſpondetur hoc eſſe proprium Sacramenti Matrimonij, quòd ſe habet per modum contractus, & naturam cæterorum contractuum ſequatur, quorum proprium eſt, quòd quando fuerint conditionati, ſine nouo conſenſu fiant abſoluti.

*Quartum argumentum ſoluitur.* 73. Ad quartum reſpondetur ſenſum verborum D. Thomæ eſſe; non eſſe verum matrimonium, cōtractum ſub conditione, donec conditio impleatur: & ideò poteſt homo cum alia contrahere, pendente conditione; ſed ſe habere adinſtar obligationis ſponſalium in eo, quod ſicut ſponſalia, à futuro conſenſu matrimonij quaſi dependent, vel ad id ordinantur: ſic matrimonium conditionatum à futurâ conditionis adimpletione dependet: hâc tamen ſecutâ, iam eſt contractus purus, & abſolutus. Et eodem modo eſt explicandus ille textus in *cap. per tuas*, in hoc argumento adductus, in quo tale matrimonium ſponſalia conſtituere dicitur: quod intelligendum non eſt, quòd faciat contractum ſponſalium, ſed quòd habeat cum eo proportionem datam. Etenim diuerſimodè contraheret, qui diceret: *Contraham tecum, ſi dotem mihi dederis*; ac ille qui diceret: *Contraho nunc tecum, ſi dotem mihi dederis*: primo modo contractum ſponſalium celebraret: & ſic ſecundò modò non hunc, ſed contractum matrimonij, conditionatum tamen iniret; ſed quia à conditione dependens futurâ, cum ſponſalibus nonnullam ſimilitudinem habet.

*Explicatur amplius.* 74. Quod magis explicatur ex eo, quòd illa verba. *Contraho tecum, ſi cras mihi dotem dederis*, poſſunt duplicem ſenſum habere. Primum: quia poſſunt ſecundum mentem proferentis non de præſenti, ſed de futuro, conſenſum ſignificare, quod ex modo loquendi, & circumſtantijs poteſt venari: ſicut nos communi modo loquendi ſolemus verbum de præſenti ad ſignificandum id, quod de futuro erit, uti, ſic: *Si habuero decem ſuffragia, ſum Canonicus: ſi ſcires linguam Latinam, confero tibi Ordines*: quæ verba ex communi uſu, ex modo loquendi, & alijs circumſtantijs ſolum ſignificant id, quod futurum eſt. Et hoc modo ſi quis intenderet hæc verba proferre; *Contraho tecum, ſi dotem dederis*, non apponeret conſenſum de præſenti, ſed idem eſſet, ac diceret: *Contraham tecum, ſi dotem dederis*, unde ſolum eſt contractus ſponſalium. Si autem animum firmum haberet ex tunc contrahendi matrimonium, dependenter tamen à futura conditione, apponeret conſenſum de præſenti conditionatum,

qui

qui conditione ſecuta perfectus redderetur, & purus: ac proinde ſine nouo conſenſu ſufficiens ad matrimoninm.

*Quinti argumenti ſolutio.*

75. Ad quiotum dicendum in illo *cap. Super eo*, ſolum dici, quòd non obligetur ad contrahendum, qui ſub conditione nupſit, ſi pater conſentiat uſque ad euentum conditionis, quod veriſſimum eſt, & nos non negamus; cæterum non dicitur, quòd conditione ſecuta obligetur ad contrahendum: quemadmodum ſi ſub conditione vendidiſti domum Petro, non es cogendus eam vendere abſolutè ante aduentum conditionis: & non ſequitur te cogendum eſſe ad venditionem conditione ſecuta: quia in omnium opinione venditio ſub conditione facta, perficitur conditione ſecutâ, *leg. Hæc venditio, ff. de contrah. empt.*

*Secundò ad eumdem textum.*

76. Vel ſecundò die in illo textu conſultum eſſe Vrbanum III. An vir, qui ſub conditione conſenſus patris contraxit, cogendus ſit ad conſummandum matrimonium antè patris conſenſum; & ideò ibi in principio dicitur: *Super eo verò, quod poſtulaſti: utrum ille, qui in quamdam mulierem conſenſit, ſi pater eius ſuum præſtaret aſſenſum, ſit ad conſummandum matrimonium compellendus, &c.* Quare cum reſpondeat Pontifex talem compellendum non eſſe antè patris conſenſum ad contrahendum, per *contrahere* intelligit *conſummare* iuxtâ illam regulam in *cap. Qualiter, & quandò, de accuſatione, in fine. Iuxtà formam iudicij, ſententiæ quoque forma dictetur.* Vnde potiùs eſt hic textus pro nobis; quàm contrà nos; nam ſi benè arguitur iuxtà aduerſarios, non eſt cogendus contrahere niſi conditione ſecutâ: ergò illâ ſecutâ cogendus eſt. Et per matrimonium contrahere intelligit Summus Pontifex *conſummare*; quia de hoc fuit interrogatus, cum nemo conſummare matrimonium compellendus ſit, niſi matrimoniom abſolutum, & purum fuerit contractum, ſequitur, quòd poſt conditionis euentum, nullo alio conſenſu adhibito matrimonium fiat purum, abſolutum, & perfectum.

## D V B I V M II.

*An poſt Tridentinum in locis, in quibus eſt receptum, debeat coram Parocho, & teſtibus adimpleri conditio, vel illis conſtare de adimpletione: ut matrimonium conditionatum transeat in purum, & abſolutum?*

*Aliqua certa ſupponuntur.*

77. Certum eſt in hac quæſtione, quòd in opinione illorum, qui aſſerunt, quòd matrimonium conditionatum adhuc impleta conditione non eſt validum, ſine nouo conſenſu exterius expreſſo, requiritur aſſiſtentia Parochi, & teſtium nouo conſenſu appoſito, poſt impletam conditionem: quia in eorum ſententiâ tale matrimonium adhuc impletâ conditione ſolùm habet vim ſponſalium, & aſſiſtentia Parochi, & teſtium non pro ſponſalibus, ſed pro matrimonio requiritur. Ita Sanchez *libr. 5. diſputat. 8. num. 20.* Enriq. *libr. 11. cap. 12. numer. 3.* Similiter eſt certum in opinione aſſerentiom ſtatim perfici matrimonium conditionatum conditione adimpletâ, ſi coram Parocho, & teſtibus adimpleatur conditio, non amplius requiri adhuc poſt Tridentini diſpoſitionem: quia in tali caſu cum Parochus, & teſtes præſentes fueriot matrimonio ſub cooditione celebrato, ſi poſteà conditionis adimpletioni aſſiſtant, aſſiſtunt omnibus requiſitis ad matrimonium iuxtâ hanc ſententiam. Ita idem Sanch. *numer. 22.* Conin. *diſp. 29. dub. 1. num. 15.* Dicaſtil. *diſp. 5. dub. 10. num. 126.* Rodrig. *tom. 1. ſumm. 2. edit. cap. 219. num. 19.*

*Idipſum proſequimur.*

78. Imò ſufficit, ſi Parocho, & teſtibus conſtet de adimpletione conditionis ab ipſis contrahentibus teſtificatæ, etiamſi illi non aſſiſtant. Sanch. *ſup. n.* 24. Ledeſ. 3. *p. q. 47. ar. 1. dub. 7. concl.* 3. Auerſ. *q. 5. ſect. 1.* & ratio eſt. Tum quia ſi ſufficit, ut conſenſus contrahentium ipſis manifeſtetur per verba ipſorum contrahentium, cur non ſufficiet, ſi manifeſtetur Parocho, & teſtibus adimpletio conditionis per teſtificationem ipſorum contrahentium? Tum etiam: quia per talem teſtificationem exprimunt ſe abſolutè, & ſimpliciter velle contrahere: ita, quòd ſi vera non eſſet talis adimpletio, conditioni cedere cenſerentur, & abſque illa matrimonium inire: quemadmodum per copulam carnalem, habitam poſt matrimonium conditionatum, ante euentum conditionis, cenſentur coniuges velle contrahere ſine illâ, ut dicemus. Dubium ergò præſens procedit. An in opinione aſſerentium, poſt impletam conditionem fieri ſtatim matrimonium perfectum, hoc verificetur, poſt Tridentinum, tametſi Parochus, & teſtes nec aſſiſtant conditionis adimpletioni, nec ipſis conſtet de illâ, vel antequam talem notitiam recipiant? Circà, quod eſt duplex ſententia, utraque ſatis probabilis.

*Prima ſententia, & illius Patroni.*

79. Prima aſſerit ſtatim perfici matrimonium, ac conditio impletur, etiamſi Parochus, aut teſtes tali adimpletioni non aſſiſtant, aut ipſis non innoteſcat. Hanc ut probabilem defendit Sanch. *num. 24.* Filliuc. *tractat. 10. part. 1. cap. 4. numer. 146.* Rodrig. 1. *tom. in ſum. in 2. edit. cap. 219. concluſ. 18. num. 9.* Dicaſtil. *diſp. 10. dub. 10.* ubi utramque ſententiam problematicè tuetur, licèt huic magis adhæreat. Ex quo infert Sanch. *num. 25.* quòd ſi adhuc pendente conditione copula inter coniuges habeatur, in utroque foro matrimonium manet perfectum: in foro quidem externo, quia præſumit Eccleſia per copulam coniuges receſſiſſe à conditione, *capit. Per tuas, de condition. appoſit.* Et etiam in foro conſcientiæ: quia iam fuit ſeruata forma Tridentini, quandò matrimonium fuit ſub conditione celebratum, & ſecutâ copulâ iudicandum eſt de illo, ac ſi conditio fuiſſet impleta, cui adimpletioni iuxta hanc ſententiam Parochi, & teſtium aſſiſtentia non requiritur.

*Argumenta primæ ſententiæ.*

80. Probatur ergò hæc ſententia. Primò: quia mens Concilij præcipientis, ſeu inſtituentis prò ſolemnitate matrimonij, Parochi, & teſtium aſſiſtentiam non eſt, ut illi de toto integro matrimonio teſtificari poſſint, ſed ſolum de conſenſu de præſenti expreſſo per ſigna, aut verba, etiamſi ex aliquo præſuppoſito dependeat ipſis ignoto; ergò ſimiliter ſufficit; ſi aſſiſtant matrimonio ſub conditione contracto, etiamſi ipſis adimpletio conditionis ooa innoteſcat,

Probatur antecedens triplici exemplo. Primò: quia quandò aſſiſtūt matrimonio inter cōſanguineos celebrato, non requiritur, quòd ipſis conſtet de diſpenſatione obtentâ, quamuis hæc ad valorem matrimonij debeat præſupponi. Secundò: quia, quandò aſſiſtunt matrimonio per procuratorem celebrato, non requiritur, quòd illis facultas à mandante conceſſa manifeſtetur, quamuis hæc ſit omninò prærequiſita ad valorem matrimonij. Tertiò: quandò aſſiſtunt matrimonio inter puberes celebrato, non eſt neceſſarium ipſos de pubertate certificari, quamuis hæc ad valorem matrimonij ſit omninò requiſita. ¶ Secundò arguitur: quia per hoc, quòd Parochus, & teſtes matrimonio conditionato per conſenſum de præſenti aſſiſtant, ſaluatur mens, & intentum Concilij, etiamſi de euentu conditionis illis non conſtet: ergò, &c. Probatur antecedens: quia ideò Concilium petit Parochi, & teſtium aſſiſtentiam, ne ille, qui cum unâ contraxit occultè, poſſet ad alias nuptias tranſire: ſed per dictam aſſiſtentiam hoc ſaluatur; ſiquidem iam non permittet Eccleſia ad alias nuptias tranſire illos, qui coràm Eccleſiâ ſub conditione contraxerunt, donec ab ipſâ examinetur, an impleta fuerit conditio, vel an antè euentum conditionis ab eâ receſſerint. Ergò, &c.

*Secunda ſententia quam elegimus.*

81. Secunda tamen, & verior ſententia dicit omninò neceſſarium eſſe poſt Tridentinum, & in locis ubi eſt admiſſum, Parochum, & teſtes aſſiſtere conditionis adimpletioni, vel renuntiationi illius, aut ſaltem quòd illis conſtet de tali impletione, aut renuntiatione, ſaltem per teſtificationem ipſorum contrahentium. Hæc eſt ſententia communis. Ita Ledeſm. *dub.7. concluſ.*2. Conin. *n.*15. Auerſ. §. *Potius ergò*, Bonacin. *qu.*2. *punct.* 10. *num.*12. Palaus, *diſp.*2. *punct.* 11. §. 2. *num.* 11. Trull. *lib.*7. *cap.* 8. *dub.*1. *num.*9. Rebell. *lib.*2. *qu.* 10 Gutier. *de Matr. cap.*81. *num.* 7. Hurtad. *diſp.*7. *diff.*8. *nu.*20. Perez *diſp.* 16. *ſect.* 14. *nu.*4. N.Gabr. *diſp.*3. *num.*110.

*Ratio concluſionis.*

82. Ratio eſt: quia Parochus, & teſtes debent vero, & completo matrimonio aſſiſtere ſecundùm omnia, quæ ex parte contractus requiruntur quoad ſubſtantiam, ut ſit verum, & completum matrimonium, ut eſt apud omnes inconcuſſum: ſed ſi aſſiſterent matrimonio ſub conditione celebrato, & euentum conditionis ignorarent, matrimonio perfecto, imò nec verò non aſſiſterent: ergò requiritur præter aſſiſtentiam dicto matrimonio, ipſos certos fieri, de conditionis adimpletione. Probatur minor, in quâ eſt difficultas: quia matrimonium ſub conditione celebratum non eſt verum, nedum perfectum matrimonium antè conditionis euentum, ſed inchoatum, & imperfectum, minimèque indiſſolubile: & idcò poſſunt antè adimpletionem conditionis, coniuges contrahere cum alijs, ex mutuo conſenſu licitè, abſque illo validè.

*Primi argumenti ſolutio.*

83. Ex quo apparet differentia inter iſtum caſum, & illos, de quibus in priori argumento pro contraria ſententia fit mentio. Tum: quia illæ conditiones, ut pubertas, diſpenſatio obtenta, facultas procuratoris ſunt conditiones ex parte perſonæ contrahentis requiſitæ: non autem ſolemnitas, & forma ex parte ipſius contractus poſtulatæ: & ſic licèt ignorent Parochus & teſtes illas, ſemper verificatur illos aſſiſtere matrimonio perfecto, quantum ad omnia, quæ ex parte contractus quoad ſubſtantiam ſunt requiſita; quod non accidit in noſtro caſu: ſiquidem conditionis adimpletio ſubſtantiæ matrimonij requiritur, ex parte ipſius contractus, ut ſit verus abſolutus, & purus. Tum etiam: quia quandò matrimonio aſſiſtunt inter conſanguineos, aut puberes celebrato, ſi à parte rei detur diſpenſatio, & pubertas, vero, perfecto, & abſoluto matrimonio aſſiſtunt, etiamſi ipſis non conſtet de diſpenſatione, aut pubertate. At verò quandò matrimonio ſub conditione inito aſſiſtunt, verò matrimonio, abſoluto, & puro non aſſiſtunt: quia tunc matrimonium conditionatum non eſt tale: Ergò debet ipſis conditionis euentus innoteſcere, ratione cuius ſit verum, & perfectum matrimonium: ut ſic matrimonio vero, & perfecto aſſiſtere verificetur.

84. Per quod patet ad primum argumentum, imò ad ſecundum: quia quamuis ille ſit finis Eccleſiæ, qui videtur aliquomodo ſaluari modo in argumento aſſignato; decretum tamen eius eſt, ut vero matrimonio, & abſolutè tali Parochus, & teſtes aſſiſtant, tanquam ſolemnitas omninò eſſentialis. Vnde non ſufficit, quòd finis Concilij aliquomodo ſaluetur, niſi cum ſolemnitate ab ipſo aſſignata, ut patet: quia alijs vijs poterat ſaluari finis Concilij ſine aſſiſtentia proprij Parochi, ut ſi viginti teſtes adeſſent, & tamen verum non eſſet matrimonium: quia non ſaluaretur ſolemnitas à *Concil. Trid.* aſſignata. *Reliquorum enervatio.*

## DVBIVM III.

### *Vtrùm conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, aut bonis eius ipſum vitiet & irritum reddat?*

85. Videtur quòd non. Primò: ſi quis contraheret cum intentione non obſeruandi fidem, aut non coeundi, aut procurandi venena ſterilitatis, aut prolem non ſuſcipiendi, non propterea eſſet irritum matrimonium, ut apud omnes eſt inconcuſſum: ergò etiamſi hoc in pactum deduceret, ſeu ſub conditione illorum contraheret. ¶ Secundò: id, quod deſtruit ſubſtantiam rei, quandocumque adueniat, deſtruit illam: nimirum, id, quod deſtruit hominis eſſentiam, ſemper ac homini adueniat, illam deſtruet: ſed iſtæ conditiones, ſi poſt matrimonium adueniant, non deſtruunt matrimonium: ergo nec illud irritum reddent, ſi addantur in ipſo contractu. Sicut econtrà eſt contrà ſubſtantiam contractus ſocietatis, ne damnum, & lucrum ſit commune, talis conditio illum deſtruit, ſi adijciatur ſiue in ipſa celebratione contractus, ſiue poſteà: ergò ſi conditiones dictæ aduenientes matrimonio iam celebrato illud non deſtruunt, nec etiam deſtruent ipſum ſi adijciantur in illius contractione. ¶ Tertio: quia in alijs contractibus conditio, quæ eſt contrà illorum ſubſtantiam, addita ipſa contractui, non irritat illum: ergo nec in matrimonio. Probatur antecedens. Primo, quia conditio retinendi proprietatem eſt contrà ſubſtantiam profeſſionis; & tamen *in cap. fin. Qui Clerici, vel vouent.* habetur pro validâ profeſſio *Argumenta probantia conditionem contrariam bonis matrimonij non irritare illud.*

facta

facta eum conditione manendi in domo cum omni ſubſtantiâ propriâ. Secundò, de ratione donationis causâ mortis eſt, ut quotieſcumque donantem pœnituerit, poſſit reuocari, *leg. ſi alienam* 13. *§. Marcellus*, *& leg. mortis causâ* 17. *ff. de Mortis cauſ. donat.* & tamen ſi in donatione adijciatur conditio, ut irreuocabilis ſit, donatio; & conditio ſuſtinentur, *leg. ubi ita donatur* 27. *ff. eod. tit.* Tertiò, quia de ratione Ordinis Sacri eſt votum caſtitatis, & tamen in *cap. Diaconi* 28. qui ſe ordinauit ſub conditione ducendi uxorem, non eſſe arcendum à miniſterio Ordinis, cauetor.

*Irritare ex textibus probatur.*

86. Sed contrà eſt: quòd *in cap. final. de condition. appoſit.* Gregorius IX. ita ait: *Si conditiones contrà ſubſtantiam coniugij inſerantur*, putà, *ſi alter dicat alteri: Contraho tecum, ſi generationem prolis euites, vel donec inueniam aliam honore, & facultatibus ditiorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque ſit fauorabilis, caret effectu.* Idem habetur *cap. Solet* 32. *q.* 2. *& iure Regni* 15. *tit.* 4. *p.* 4. In textu ergò adducto, ut benè ibi inquit *Gloſſa*, tres conditiones aſſignantur irritantes matrimonium, quia ſunt contrà tria bona illius. Prima conditio: *Si generationem prolis euites.* Contrà bonum prolis. Secunda: *Donec inueniam aliam ditiorem.* &c. eſt contrà bonum Sacramenti, quod facit matrimonium indiſſolubile, & perpetuum. Tertia: *Si pro quæſtu adulterandam te tradas*, eſt contrà bonum fidei: ergò conditiones contrà ſubſtantiam matrimonij, & bona illius id prorſus annullant.

*Concluſio proponitur, & probatur.*

87. Reſpondeo igitur dicendum conditiones, quæ ſunt contrà ſubſtantiam matrimonij, aut bona eius, adiectas matrimonio, id irritum reddere. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt. unic. art.* 3. *quæſt.* 3. *& in addit. quæſt.* 47. *art.* 5. Sanch. *lib.* 5. *diſp.* 9. *nu.* 3. Bonacin. *q.* 2. *punct.* 10. *num.* 8. *&* 9. *&* Conínc. *diſp.* 29. *dub.* 338. Auerſ. *quæſt.* 5. *ſect.* 5. Ledeſ. *quæſt.* 47. *art.* 5. *dub.* 4. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 11. *§.* 4. *num.* 3. Baſil. *lib.* 3. *cap.* 9. Cornej *tr.* 6. *diſp.* 3. *dub.* 8. Dicaſt. *tract.* 10. *diſp.* 5. *dub.* 11. Perez *diſp.* 16. *ſect.* 5. Trull. *lib.* 7. *cap.* 8. *dub.* 2. *num.* 4. N. Gabr. *nu.* 104. Et eſt communis, & hoc non ſolum, quia iure poſitiuo cautum eſt, ſed ex natura rei id ſequitur. Vnde benè inquit Sanch. Palao, Dicaſt. Ledeſ. & N. Anton. *ſect.* 8. Gregorium IX. Non ſtatuiſſe ius nouum, ſed id, quòd erat ex iure naturæ, declaraſſe. Et probatur concluſio: quia ſine propriâ ſubſtantiâ nihil conſiſtere poteſt: ſed matrimonij ſubſtantia conſiſtit in conſenſu in coniugalem ſocietatem, in quo tacitè omnia bona matrimonij includuntur: nimirum, *indiſſolubilitas* quæ eſt bonum *Sacramenti*, *fidis* obſeruanda *prolesque* ſuſcipienda, ſaltem in poteſtate, & in aptitudine: ergò qui contrà ſubſtantiam matrimonij, aut illius bona conditionem apponit, cui alligat ſuum conſenſum, planè conuincitur, ſe nolle verum matrimonium celebrare. Sed hoc intelligendum eſt, ut benè inquit Sanch. *numer.* 5. Si matrimonio proprio adijciatur, non ſi alieno, ut ſi contrahas cum Maria ſub conditione, quòd ipſa procuret ſterilitatem ſororis: quia tunc ſaluatur ſubſtantia matrimonij, & talis conditio ut turpis reijcitur, & manet matrimonium validum, ac ſi non eſſet adiecta.

*Deducitur primò.*

88. Ex quo deducitur primò: quòd ſi quis contrahat ſub hâc conditione. *Contraho tecum, ut utiquè prolem euites, ſi te adulterandam tradideris*, matrimonium erit nullum: quia licèt non ſit de ſubſtantiâ matrimonij, aut quod non adulteretur, aut quod proles ſuſcipiatur: eſt tamen ut ad hoc non ſe obliget: Sanch. *numer.* 9. *&* 11. Baſil. *à num.* 11. Palaus *num.* 8. Ledeſ *ad* 7. Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 1. N. Anton. *num.* 309. Similiter eſt dicendum de conditionibus his: *Si prolem mutiles, feces eam, manſam reddas.* De iſta verò conditione: *Si prolem abijcias, & alijs alendam exponas.* Palaus *num.* 4. Barthol. de Ledeſ. *dub.* 25. *concluſ.* 4. Dicunt: quod ſi ſenſus fuerit illius, ut proprio lacte prolem non ſuſtentet, non irritatur matrimonium. Si vero ſit ſenſus, ſi illam à ſe abijciat, & alijs ſuſtentandam exponat, matrimonium irritum redditur. Verius tamen dicendum eſt cum Baſil. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 3. Sanch. *num.* 13. Bonacin. *num.* 11. Dicaſt. *dub.* 12. *num.* 168. Ledeſ *ſupr. ad.* 5. *ſolut.* 2. in utroque ſenſu non irritare matrimonium: quia non eſt omninò contrà prolis bonum: quia cum parentes exponant prolem alijs alendam, non omnem curam deponunt circà eam.

*Secundum, quod deducitur.*

89. Secundo deducitur: quod ſi unus ex contrahentibus dictam conditionem apponat; alter vero vel taceat, vel contradicat, adhuc maneret irritum matrimonium. Ita Sanch. *diſp.* 13. *num.* 5. Palaus *num.* 9. Ledeſ. *dub.* 5. circà *ſolut. ad* 8 *fol.* 239. Vbi oppoſitum dicit omnino improbabile, quamuis Sanch. id probabile iudicet, *loc. cit.* Ratio huius aſſerti eſt: quia ad matrimonium requiritur mutuus conſenſus contrahentium in verum matrimonium: ſed hoc ipſo, quod unus ſuum conſenſum alliget conditioni contrà ſubſtantiam matrimonij non habet conſenſum in verum matrimonium: ergo abſolutè matrimonium manet nullum.

*Tertium, quod inſertar.*

90. Tertio deducitur, quid dicendum, ſit circà illam quæſtionem. An dicta conditio ſponſalibus adiecta irritet talem contractum? Non dicimus quod ſi conditio hæc adimplenda fuerit antè matrimonium, ut ſi dicas: *Contraho tecum, ſi copiam tui corporis modò amico feceris*, quia ſic non irritat ſponſalia: nam ſicut ipſe poteſt validè contrahere ſponſalia ſub conditione, ut ſui corporis ſibi copiam faciat, ſic ut alteri; quia tunc matrimonij fides non ſoluitur. Si autem conditio talia eſſet poſt matrimonium implenda, ut: *Contraho tecum, ſi poſt matrimonium copiam alijs tui corporis facias*; vel quamuis implenda ſit antè matrimonium, poſt ipſum etiam conſeruatur effectus eius, ut: *Contraho tecum ſi nunc potionem, quà ſterilis efficiaris procures.* In utroque caſu nulla fiunt ſponſalia eo quod iſta ſunt diſpoſitio ad matrimonium: & ideo quod eſt contrà ſubſtantiam matrimonij illud irritans, etiam eſt contrà ſponſalia modo dicto. Dicaſtil. *diſputat.* 5. *numer.* 205. Sanch. *diſput.* 14. *numer.* 3 Perez *diſputat.* 2. *ſect.* 2. *num.* 701. Ledeſm. *dub.* 6. *fol* 240. Angel. *verb. Sponſalia*, *num.* 18. Eſtque expreſſa mens D. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 1. *& in addit. quæſt.* 43. *art.* 1.

*Primi, & ſecundi argumenti ſolutio.*

91. Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad primum dicendum, aliud eſſe non habere animum implendi id, ad quod aliquis per matrimonium obligatur; aliud non habere animum ſe

obligandi. Primum non eſt contrà ſubſtantiam matrimonij ; eſt tamen ſecundum : & qui in pactum deducit aliquid contrà ſubſtantiam matrimonij, verè non habet animum ſe obligandi ad verum matrimonium : & ideò id irritum reddit. Quemadmodùm *ſi quis* voueret aliquid animo non adimplendi, maneret voto adſtrictus ; non verò ſi animum non ſe obligandi haberet : quia iam aliquid contrà ſubſtantiam voti intenderet : & ſic id irritum redderet. ¶ Ad ſecundum reſpondetur hoc eſſe diſcrimen inter iſtum, & alios contractus : hi enim mutuo conſenſu diſſolui poſſunt, & ſic tam in fieri, quàm in conſeruari dependent ab eo : & ſic quoties contrà illorum ſubſtantiam additur conditio à contrahentibus ſiue in fieri contractus, ſiue poſtquam eſt iam perfectus, eos omninò irritos facit. At matrimonium cum ſit indiſſolubile vinculum ſolum in fieri dependet à contrahentium conſenſu : & ideò ſi quandò fiunt, apponantur conditiones contrà illius ſubſtantiam, id faciunt nullum. At in facto eſſe non dependet à contrahentium voluntate : quare licèt ab ipſis paciſcatur de conditione contrà eius naturam, non propterea redditur nullum. Sicut impedimentum dirimens antè contractionem adueniens, matrimonium irritat ; ſi poſteà accedat, non id diſſoluit propter eamdem rationem : quia ſolùm in fieri petit, quòd ſit inter perſonas non impeditas : non verò in facto eſſe.

*Tertij argumenti eneruatio.*

92. Ad tertium negandum eſt antecedens : & ad primam probationem dicimus : quòd in *cap. Illo finali*, ſermo eſt de illo, qui profiteretur conſeruando ſuam ſubſtantiam quoad uſum, non quoad dominium. Primum non eſt contrà ſubſtantiam profeſſionis : benè tamen ſecundum. ¶ Ad ſecundum dicimus ſemper conditionem contrà ſubſtantiam contractus vitiare illum : ſed ſunt aliqui contractus talis naturæ, quòd appoſitâ conditione illos vitiante tranſeunt in alios : cum enim ſint iure humano inuenti, una adiecta, aut detracta conditio eos facit alios, quandò verba ad id aptari poſſunt, & conſtat de mente contrahentium, qui volunt ſe obligare, quantum poſſunt. Et datur alius contractus, in quem appoſitâ tali conditione poſſit fieri tranſlatio : ſic accipiendus eſt textus *leg. ubi ita donantur :* nam conditio irreuocationis repugnat donationi causâ mortis, & fit tranſlatio ad donationem inter viuos, quæ ei ſimilis eſt, in quo contractu dicta requiſita reperiuntur. Videatur Couarru. *in Rubric. de teſtam. 2. part. num. 12. & 13.* ¶ Ad tertiam probationem reſpondetur, votum caſtitatis non eſſe de ſubſtantia Ordinis : quia, ut diximus *tract. de Ord* eſt iure poſitiuo illi adiunctum. Vnde conditio aſſignata *in cap. Diaconi.* Non eſt contrà eius ſubſtantiam.

*Quid de conditionibus honeſtis contrarijs matrimonio?*

93. Sed nunc quæres. An conditiones honeſtæ, & licitæ, quæ ſunt contrà ſubſtantiam matrimonij, id irritum reddant : Vt ſi quis dicat : *Contraho tecum, ſi nunquam nos cognoſcamus, ſi votum caſtitatis emiſerimus, ſi antè, vel poſt conſummationem in Religione profiteamur.* ¶ Circà quod eſt duplex ſententia, utraque ſatis probabilis, ut inquiunt Sanch. & Sot. *infra cit.*

*Prima ſententia, & illius fundamentum.*

prima aſſerit Summum Pontificem ſolùm decreuiſſe *in cap. final. de conditionib.* nullum reddere matrimonium conditiones, quæ ſunt contrà illius uſum, & exercitium, ſi illicitæ ſint, & inhoneſtæ, & ideò omnia exempla ab ipſo adducta ſunt huius generis. Si verò honeſtæ ſint ; & laudabiles, ut ſunt modo recenſitæ, & aliæ ſimiles, dicit minimè matrimonium ſoluere. Ita Coninc. *diſp. 24. dub. 4. numer.* 43. Hurtad. *diſp. 7. diff. 9. num.* 33. Bonac. *quæſt. 2. punct. 10. numer. 13. &* 14. Palaus *num. 6.* Rebell. *lib. 7. quæſt.* 10. *sect.* 3. *num.* 19. Dicaſtil. *tract.* 10. *diſp. 5. dub. 12. numer.* 554. Abulenſ. *in cap.* 30. *Numer. quæſt.* 32. Vaſq. *diſp. 195. cap. 6. num. 63.* Baſil. *numer. 6.* Perez *diſp. 3. sect. 6. numer. 7. & diſp. 16. sect. 7. numer. 4.* N. Gabr. *num.* 112. Anton. *sect.* 8. Et probant ſic : quia ſi antè matrimonium mutuo ſe voto adſtringerent caſtitatis coniuges, obligarentur ad non petendum ; nec reddendum debitum : ſimiliter ſi voto ſe religionis obligarent, & tamen verum matrimonium inirent, (ut in B. Virgine antè celebrationem matrimonij cum Ioſeph factum fuiſſe piè creditur ;) ergò ſimiliter ſi contraherent ſub conditione ſe numquàm cognoſcendi, &c. Et hoc inſtatur : quia ſi poſt ipſum matrimonium ſe mutuò obligarent ad caſtimoniam perpetuam, vel ad ingreſſum in religionem, matrimonium non ſolueretur : ergò ſimiliter ſi antè matrimonium id facerent.

94. Secundò : quia conditiones dictæ, ſi honeſtæ ſint, non ſunt contrà ſubſtantiam matrimonij : id ergò non irritant. Probat antecedens Palaus : quia matrimonium ſolùm includit obligationem reddendi debitum, quoties iuſtè fuerit petitum ; at ex ſuppoſitione dictæ conditionis non iuſtè petitur : ergò non eſt contrà illius ſubſtantiam, quod dicta conditio apponatur. Probat ſecundò Baſilius : quia id eſt contrà matrimonium, quod fuerit contrà fidem illius poſitiuè & contrariè ponendo aliquid contrà illud, ut ſi *prolem occidas, ſi venenum ſterilitatis procures ;* non autem quod præcisè eſt contrà eum negatiuè, ut ſi nunquàm copulemur : & ideò poſteà poteſt licitè apponi, quod non fieret, ſi eſſet matrimonij ſubſtantiæ aduerſum. Probat tertiò Dicaſtillo. Et N. Gabr. quia ſubſtantia matrimonij ſita eſt in iure radicali ad petendum debitum, & obligatione radicali ad reddendum : ſed ſeruatâ hac radicali obligatione poteſt proximum ius impediri per obligationem non petendi aut non reddendi debitum : quia hæc ſolùm opponitur proximæ facultati, non radicali : in quâ ſubſtantia matrimonij conſiſtit.

*Secunda ſententia authoritatibus probatur.*

95. Verior tamen eſt ſecunda ſententia, quæ dicit etiam has conditiones, ſi in pactum deducantur, matrimonium ipſum annullare, & ideò Gregorius IX. *in dicto cap.* indiſtinctè pro omnibus conditionibus oppoſitis matrimonij ſubſtantiæ, dixit matrimonium irritare, & ſi exempla adduxit de inhoneſtis conditionibus, non tamen ait eas, quia inhoneſtæ irritum reddere matrimonium, ſed quia illi contrariæ : proindeque omnes ſiue honeſtas, ſiue inhoneſtas comprehendit. Ideoque D. Thom. *in 4. diſt. 29. quæſt. unic. art. 3. quæſt. 3. & in addit quæſt. 47. art. 5.* de omnibus dixit irritare matrimonium, ſi ſint contrà illius ſubſtantiam, aut bona. Et clarius *in 4. diſt. 28. quæſt. unic. art. 4. ad 3. & in addit. quæſt. 48. art. 5. ad 3.* cum ſibi propoſuiſſet hoc argumentum. *Si mulier dicat viro : conſentio in te, dum tamen non cognoſcas me, non eſt conſenſus matrimonialis : quia*

aliquid

*aliquid eſt ibi contrà ſubſtantiam prædicti conſenſus; ſed non eſſet, niſi dictus conſenſus eſſet in carnalem copulam:* ergò, &c. Reſpondet. *Ad tertium dicendum: quòd illa conditio explicita non ſolùm actum, ſed etiam poteſtati contrariatur copulæ carnalis: & ideò eſt contraria matrimonio;* ergò illud irritat; quia aduerſarij in eo nituntur, quod conditio honeſta, & ſi primo aſpectu videatur matrimonio contraria: verè non eſt contrà ſubſtantiam illius, ut Vaſq. Baſil. Palaus, Rebell. Perez, & Dicaſtill. Sanctum Doctorem ſequuntur Sanch. *lib.* 5. *diſp.* 10. *num.* 2. Trull. *num.* 6. Cornej. *diſp.* 3. *dub.* 8. *concluſ.* 2. Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 2. *art.* 3. Couartu. 4. *Decret.* 2. *part. cap.* 3. § 1. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 4. Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *num.* 9. Gutierr. *cap.* 82. *num.* 11. Ledeſ. *art.* 5. *dub.* 1. *ad* 1. & 2. & 3.

*Ratione probatur concluſio.*

96. Et probatur primò: quia licèt non ſit de eſſentia matrimonij ut quis intendat copulam, aut prolem, eſt tamen, ut non obligetur ad eam non intendendam: ergò per talem conditionem in pactum deductâ ſoluitur ſubſtantia matrimonij, ſine qua ipſum ſtare non poteſt. Antecedens probatur: quia eius ſubſtantia ſtat in illa facultate petendi, aut reddendi debitum coniugale: ſed per dictam obligationem ſoluitur talis poteſtas. Quod ſic magis explicatur: nam obligatio matrimonij conſiſtit in mutuo iure petendi debitum, & mutuâ obligatione illud reddendi: ſed per conditionem deductam in pactum ſe mutuò non cognoſcendi oritur deobligatio reddendi, imo obligatio ad non reddendum, & priuatio iuris non petendi, imò obligatio ad non petendum: ergò talis conditio inuoluit contraria ſubſtantiæ matrimonij. ¶ Secundò: quia obligatio vitandi prolem contraria eſt ſubſtantiæ matrimonij ſecundùm communem ſententiam: ſed obligatio ſe non cognoſcendi eſt virtualis obligatio ad vitandam prolem: ergò per illam apponitur aliquid contrarium ſubſtantiæ matrimonij, ac bonis eius.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

97. Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad primum: quòd votum caſtitatis, aut propoſitum ſeruandi illam, & animus ſe numquam copulandi non eſt contrà ſubſtantiam matrimonij, dummodò non addatur ut conditio illius, & in pactum deducatur: quia tunc ſolùm ex religione obligatur ad eius obſeruationem non ex iuſtitiâ: & ſic non ſoluit obligationem ex iuſtitia, quæ ex matrimonio oritur: qualiter adfuiſſe credendum eſt in SS. Virgine, & Ioſepho, qui quamuis in celebratione matrimonij talem conditionem non appoſuerint, mutuò conuenerunt ex voto, aut propoſito ad nunquam ſe coniungendos. Si autem talis conditio, aut obligatio poſt matrimonium contractum apponantur, id ſoluere nequeunt, ſicut diximus de impedimentis dirimentibus, quæ ſi antecedant matrimonium, id faciunt irritum, non verò ſi ſequantur, propter indiſſolubilitatem matrimonij.

*Secundum argumentum ſoluitur.*

98. Ad ſecundum negandum eſt antecedens, & ad primam probationem ex Palao dicimus, quòd matrimonium ex ſua eſſentia præbet ius in ſua celebratione ad petendum, & reddendum debitum coniugale iuſtè, quamuis aliquandò poſt contractum tale ius amittatur, vel per renuntiationem partis, aut per adulterium, &c. Et ſic non ſtat cum eius ſubſtantia, quòd abſque tali iure, & facultate celebretur. ¶ Ad ſecundum ex Baſil. dicimus: quòd ut aliquid ſit contrà ſubſtantiam matrimonij, ſufficit eſſe contrà illius finem priuatiuè, etiamſi poſitiuè, & contrariè illi non opponatur: & ideò impotentia naturalis ad copulam eſt in omnium ſententiâ contrà naturam matrimonij, illudque proinde irritat, & tamen ſolum negatiuè, aut priuatiuè eſt contra finem matrimonij. Similiter ſi coniuges paciſcerentur de non procuranda educatione prolis, etiam eſſet contrà finem matrimonij, proindeque contrà eius ſubſtantiam, & irritum talis conuentio matrimonium redderet: & tamen tunc ſolum apponeretur aliquid negatiuè oppoſitum fini matrimonij. Imò potius aliquid poſitiuè contrarium matrimonio, tam in hoc ultimo caſu, quam in eo, de quo loquimur, apponeretur. Siquidem obligatio ad non petendum, vel reddendum debitum, vel obligatio ad non procurandam educationem prolis, quæ ex tali conditione, & pacto conſurgeret, contraria eſt poſitiuè obligationi de educanda prole, & obligationi reddendi debitum aut iuri illud petendi, quod in matrimonio reperitur.

*Ad tertiam illius probationem.*

99. Ad tertiam probationem *ex* Dicaſt. & Gabr. dicimus: quòd ſi illud argumentum aliquid probaret, probaret etiam, quòd non diſſolueretur ex naturâ rei matrimonium, etiamſi conditio appoſita contra illius bona, aut ſubſtantiam, eſſet inhoneſta, quod eſt contrà decretum Greg. IX. ſupra adductum, & ipſos auctores, & alios. Probatur ſic: quia in hac conditione inhoneſtâ: *Contraho tecum, ſi copiam alijs tui corporis facias*, ſolùm ponitur obligatio proxima ad proſtitutionem, ſeruata obligatione radicali ad ſeruandam fidem matrimonij. Similiter in iſta: *Contraho tecum, ſi generationem prolis euitare procures*, non tollitur obligatio radicalis ad non euitandam eam, & tamen per has, & ſimiles conditiones ſoluitur matrimonium: ideoque contrà illius ſubſtantiam cenſentur: ergò quamuis per hanc: *Contraho tecum, ſi nunquam me cognoſcas*, ſolùm obligatio proxima ad copulam auferatur manente radicali, irritum redditur matrimonium.

*Corollarium ex dictis.*

100. Quare in omnibus his caſibus ſufficit, quod in matrimonij celebratione, aliquid contrarium proprietati ipſius matrimonij, incompoſſibile cum illâ adijciatur, ut contrà ſubſtantiam illius agi dicatur: bona namque matrimonij ſolùm ſunt illius proprietates, & quod fuerit immediatè contrà illa dicitur mediatè contrà ſubſtantiam matrimonij, ſiue fuerit conditio honeſta, ſiue inhoneſta. Imò ſemper inhoneſta erit, quamuis aliàs eſſet bona: nam apponere matrimonio id, quod eſt contrà illius ſubſtantiam, quamuis aliàs ſit bonum, eſt malum: ſicut eſt inhoneſtum apponere aliquid contrarium materiæ proximæ, vel remotæ cæterorum Sacramentorum. Quemadmodùm carentia omnis peccati, ac proinde doloris de illo bonum eſt; accedere autem ad pœnitentiam ſine illis malum eſt: quia eſt priuatiuè oppoſitum eius materiæ: ergò ſimiliter quamuis ſit bonum, & laudabile caſtitas, abſtinentia ab omni carnali copula profeſſio in religione; hæc tamen ut conditiones apponere matrimonio eſt quid inhoneſtum, & peccatum quia eſt contrà illius ſubſtantiam: ſi ergò conditiones inhoneſtæ contrà bonum matrimonij,

ipſi

ipſi appoſitæ illud irritant, etiam omnes enumeratæ, quæ inhoneſtæ ſunt, quandò matrimonio adijciuntur. Ex dictis facilè colligi poteſt an & quomodo conſenſus in copulam ſit de eſſentiâ matrimonii: interim videri poterunt. N. Cornej. *diſp*.3 *dub*. 3. N.Gabr. *qu*.3. Wiggers *qu*.45. *dub*.2. Gonet *diſp*.4.*art*.6. &c.

## PVNCTVM VI.

### *De conditionibus turpibus non contrarijs matrimonio, an illud reddant inane,*

*Quid ſentiendum de conditionibus turpibus?*

101. Circa hoc punctum breuiter diſcorremus: quia quæ dicta ſunt ſupra *punct*. 3. de conditionibus impoſſibilibus, eadem dicenda ſunt de conditionibus inhoneſtis matrimonio non contrarijs, ut, *Contraho tecum, ſi patrem occideris: ſi ad furta me adiuues, &c.* Nam in *cap. Final. de condition. appoſit.* æquè reijciuntur à matrimonio conditiones inhoneſtæ ac impoſſibiles, & habentur pro non adiectis: igitur idem iudicium de illis, ac de impoſſibilibus ferendum docent rectè Lugo Cardin. *tract. de contract. in gener. diſp*.20. *ſect*. 13. *num*. 369. Dicaſtil. *diſput*. 5. *dub*.14. *numer*.184. Sanch. *lib*.5. *diſp*.15. Quare quæ *punct*. 3. diximus de conditionibus impoſſibilibus, proportione ſeruata, intelligenda ſunt de turpibus, quòd nimirum reijciantur à matrimonio, & ab ultimis voluntatibus: ita quod legatum relictum ſub conditione turpi valeat, ac ſi abſque illa eſſet relictum. In alijs autem contractibus, cùm nec impoſſibiles, nec turpes reijciantur, ut ibidem diximus, & ampliùs infrà dicemus, diverſimodè philoſophandum eſt; nam contractus ſub conditione impoſſibili ipſo facto eſt nullus, cùm nemo teneatur impoſſibilia expectare; at ſub conditione turpi celebratus ſuſpenditur uſque ad euentum conditionis, & illâ ſecutâ, obligatio conſurgit, ſed ante eius aduentum minimè: quia unuſquiſque contrahentium poteſt licitè reſilire, imò debet, ne ad turpe & illicitum alium & ſe prouocet, per prauæ conditionis euentum.

*Explicatur vera ſententia.*

102. Dico ergò, quòd ſi ſerio, & ex animo aliquis ſub conditione turpi promiſit, & illi ſuum conſenſum alligauit, in foro conſcientiæ ſuſpenditur matrimonium, uſque ad conditionis euentum: & ſi hoc conſtet in foro exteriori ſimiliter in eo, non ſtatim cenſendum eſt perfici, ſed ſuſpendi: & econtrà ſi abſolutum animum habuit contrahendi, & ex ioco talem conditionem appoſuit, non eſt dubium in utroque foro validum matrimonium ſtatim exiſtere. Si autem dubius ſit, quo animo eam appoſuit in foro interiori ſtandum eſt præſumptioni Eccleſiæ, de quâ ſtatim, ſecondum quod in initio huius capitis diximus. Ità Auerſ. *quæſt*.5.*ſect*.5. Dicaſt.*diſp*. 5. *dub*.14. *num*. 182. Lugo *de contract. diſp*. 22. *ſect*.13. *num*.368. Valent.*diſp*.10.*quæſt*.3.*punct*.3. Sanch. *libr*. 5. *diſput*.15. *num*.1. N. Gabr. *qu*. 9. Anton.*ſect*.8.

*Id ipſum proſequitur.*

103. Igitur in foro Eccleſiæ præſumitur, talem conditionem (quandò non conſtat de oppoſito animo) ioco fuiſſe appoſitam, & noluiſſe conſenſum ſuum illi alligari, ſed abſolutè contrahere de præſenti, proindèque reijciendam eſſe à contractu matrimonij eo modo, quo diximus *punct*.3. de conditione impoſſibili. Ita Gregorius IX. *in cap. Fin. de condition. appoſit.* & habetur *leg. fin. tit*.4.*p*. 4. Et docet D. Thom. *quæſt*.47. *art*. 5. & *in* 4. *diſt*.29. *quæſt. unic. art*.3. *quæſt*.3. Et ratio huius præſumptionis eſt: quia conditio turpis adiecta matrimonio incitat ad peccandum, ut: *Contraho tecum, ſi Petrum occidas.* Ergò habetur pro impoſſibili: id enim poſſumus, quòd iure poſſumus, *leg. nepos Proculo, ff. de verb. oblig.* ergò ſicut impoſſibiles conditiones à matrimonio reijciuntur, & habentur pro non adiectis; ita turpes, & inhoneſtæ. Sic Dicaſt. *ſupr. numer*.186. Sanch. *numer*.4. Enriq. *libr*.11. *de Matr. cap*.12. Perez, *diſp*. 16. *ſect*.9. *numer*. 3. Sed hoc intelligendum eſt de conditionibus futuris, non de illis, quæ ſunt de præterito, aut de præſenti, ut: *Contraho tecum, ſi inimica es patri: Contraho tecum, ſi furtum tale feciſti.* Hæc enim non reijciuntur, nec contractum ſuſpendunt; ſed ſi in re exiſtant, aut extiterint ſtatim fit matrimonium, ſi non, ſtatim eſt nullum. Et ratio eſt: quia huiuſmodi conditiones verè non ſunt tales, nec contractum ſuſpendunt, nec ad peccatum incitant. Vnde non ſunt comprehenſæ à Gregorio IX. *in cap. fin.* inter conditiones turpes reijciendas à matrimonio. Ita D. Thom. *loc. cit.* Sanch. *num* 5. Ledel. *quæſt*.47.*art*. 5. *dub. ult. fol*.262. Leſſ. *lib* 2. *de iuſt. cap*.18. *num*. 122. Auerſ. *quæſt*.5.*ſect*.5. Palaus *diſp*.2.*punct*.11. §.4. *num*.1. Bonacin. *quæſt*.2. *punct*.10. *num*.19. Dicaſt. *loco cit. num*.187.

104. Sed nunc grauiſſimum eſt dubium, quia multoties accidere ſolet. An conditiones impoſſibiles, & inhoneſtæ, de quibus *punct*.3. & *hoc punct.* egimus, quæ videlicet non ſunt contrariæ matrimonio, reijciendæ ſint à ſponſalibus, ut ſi promittas fœminæ matrimonium ſub eâ conditione, ut tibi ſui corporis copiam ſtatim faciat, & aliæ ſimiles? ¶ Et quidem, ſi animus tuus eſt alligandi tuam promiſſionem illi conditioni, non eſt dubium te non teneri in foro conſcientiæ, niſi illâ ſecutâ, & in foro exteriori, ſi de hoc conſtet, ut diximus circa matrimonium. Quare dubium eſt, quandò de tali animo non conſtat, an in foro exteriori, (& proinde in foro conſcientiæ, quòd conformandum eſt cum præſumptione fori exterioris, quandò non conſtat de oppoſito) reijciendæ ſint tales conditiones, & iudicandum ſit, ſponſalia fuiſſe abſoluta, & pura, ac ſi abſque illis fuiſſent contracta? ¶ In quo eſt duplex ſententia. *An conditiones inhoneſtæ à ſponſalibus reijciantur?*

105. Prima aſſerit, conditiones impoſſibiles, ac turpes reijciendas non eſſe à ſponſalibus. Hanc tenet Rebell. *lib*.2. *quæſt*.10. *ſect*.5. *Et apud* Bonacin. *numer*.27. Perez, §. 28. *fol*.95. N. Gabr. *quæſt*. 12. *diſp* 4. Eamque probabilem iudicat Dicaſtil. *dub*. 18. *numer*. 211. In eamque inclinat Sanch. *diſp*.17. *num*.2. dicens, urgentiſſimas eſſe illius rationes, maximamque vim habere, & Ledeſm. *art*. 5. *in fine*. Refert quoſdam doctiſſimos Theologos Academiæ Salmantinæ, qui eam ut veram tenuerunt. Et probatur primò: quia *in cap. final.* allegato *de condit. appoſit.* ſolùm dicitur, turpes, aut impoſſibiles conditiones reijciendas eſſe à matrimonio, non verò dicitur reijciendas eſſe à ſponſalibus: ſed quæ decernuntur circa matrimonium, non ſunt extendenda ad ſponſalia, *Prima ſententia, & illius fundamenta.*

niſi

niſi exprimantur. Et ideò decretum Concilij Trident. irritans matrimonium clandeſtioum communiter ad ſponſalia non extendiſſe aſſeritur à Doctoribus, ut diximus *cap. 1. de ſponſal.* ¶ Secundò: quia lex illa Gregorij IX. *cap. fin.* iam dicto eſt correctiua iuris commuois, cum ex oatura rei, & ex iure commuoi io omnibus contractibus tales conditiones non reijciantur, ſed potiùs iudicatur contrahentem velle ſuum conſenſum illis alligari: ſed lex correctiua iuris communis ad ſimiles caſus non eſt trahenda: ergò non eſt extendenda ad ſponſalia. Negari non poteſt hanc npinionem eſſe ſatis probabilem.

*Secunda ſententia, qua verius, dicit reijciendas eſſe.*

106. Communis tamen, & vera ſeotentia dicit, ſimiles conditiones tam impoſſibiles, quàm turpes reijciendas eſſe à ſponſalibus modo, quo diximus *hoc punct. & punct. 3.* reijci à matrimonio. Et ideò ſi quis contrahat ſponſalia cum Maria ſub conditione, ut ſibi copiam faciat ſui corporis, & non conſtet de intentione, quâ vult ſuum conſenſum huic conditioni alligari, iudicandum eſt in utroque foro eum abſolutè ſpooſalia contraxiſſe, ac ſi talis conditio non eſſet appoſita. Ita D. Thom. *in 4. diſt. 27. q. 2. art. 1. & in addit. q. 43. art. 1.* Ledeſm. *art. 5. in fin.* Dicaſt. *diſp. 5. nu. 206. & 211.* Sancb *lib. 5. diſp. 17. nu. 2.* Bonacin. *nu. 27.* N. Cornej. *diſp. 4. dub. ultim.* Habeturque expreſsè iure *Regn. leg. final. tit. 4. part. 4.* ubi poſtquam enumerauit conditiones impoſſibiles, & turpes matrimonio non cootrarias, dicit: *A tales condiciones como eſtas de ſuſodichas en eſta ley, ò otras ſomejantes, non valen nada, maguer las pongan, non ſe deſtorvan por ellas las deſpoſajas, nin los caſamientos, maguer non ſe puedan cumplir.* Et ratio eſt: quia cum ſpooſalia ſint via ad matrimooium, idem fauor eſt pro illis, ac pro iſto: & cum matrimooij ſint initium, quod de illo diſpoſitum fuerit, etiam de iſtis ceoſetur diſpoſitum *leg. orat. ff. de ſponſal.* Quæ ratio quamuis, ut benè inquit Sanch. oon nimis urgeat nudè ſumpta, benè tamen adiuncta cum communi Doctorum ſententia, quæ legem illam Gregor. IX. *in capit. fin. de condit. appoſit.* ad ſponſalia extendit.

*Soluuntur fundamenta contraria.*

107. Ad primum pro contraria ſenteotia dicimus: illa, quæ diſpoſita ſunt pro matrimonio, cenſeri diſpoſita pro ſponſalibus, ſi eadem ratio, & finis diſpoſitionis inueniatur. Finis autem, & ratio diſpoſitioois Tridentini circà matrimonia clandeſtina non currit io ſpooſalibus, ut ex ſe conſtat, & ſuo loco diximus; at ratio, & finis diſpoſitioois reijcientis conditiones turpes à matrimonio, currit etiam in ſpooſalibus: quia etiam ad peccatum incitarent, ſi illis adijcerentur. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod quandò lex correctiua non eſt in pœnam, vel odium appoſita, ſed ut explicatiua voluntatis, trahi poteſt ad caſus ſimiles, ut eſt illa, de quâ loquimur.

## CAPVT VIII.

### *De conſenſu clandeſtino.*

### Caput hoc continet 8 puncta.

*Punct. I. De multiplicitate matrimonij clandeſtini, illius prohibitione, & irritatione, num. 1.*

*Punct. II. Vtrùm ita ſit neceſſaria Parochi, & teſtium aſſiſtentia, ut in nullo caſu poſt Tridentinum validum ſit matrimonium ſine illa? num. 11.*

*Punct. III. Quis debet eſſe Parochus, cuius præſentia requiritur ad valorem matrimonij? num. 23.*

*Punct. IV. De qualitatibus, quæ debent eſſe in Parocho, ut poſſit matrimonio aſſiſtere, num. 39.*

*Punct. V. Quæ aſſiſtentia Parochi, & teſtium requiratur ad matrimonium? num. 57.*

*Punct. VI. De denuntiationibus, ſeu proclamationibus, quæ antecedere debent ad matrimonium, & de benedictionibus quæ vulgò dicuntur,* velaciones, *quæ debent ad illud ſubſequi, num. 71.*

*Punct. VII. Qui poſſint diſpenſare, ut matrimonium contrahatur abſque denuntiationibus? Et de cauſis ad hoc requiſitis, num. 81.*

*Punct. VIII. Qui teneantur ex vi denuntiationum impedimenta deferre? Et quomodò ſe gerere debeat Parochus, vel Ordinarius, quandò impedimentum aliquod opponitur? num 95.*

## PVNCTVM I.

### *De multiplicitate matrimonij clandeſtini, illius prohibitione, & irritatione.*

*Species matrimonij clandeſtini.*

1. VArias ſpecies matrimonij clandeſtini excogitarunt antiqui. Cæterum duas tantum adeſſe docet optimè Sanch. *lib. 3. diſp. 1. n. 3.* Dicaſt. *diſp. 3. dub. 1. nu. 1.* Palaus, *diſp. 2. punct. 13. §. 1. n. 1.* Enriq. *lib. 11. cap. 5. num. 1.* Rodr. *tom. 1. ſum. 2. edit cap. 217. nu. 1.* Quia nimirum illud dicitur *clandeſtinum, quod clàm, in occulto, & ſecretè* perficitur, & non coram facie Eccleſiæ, quod fieri poteſt, vel quia non ſit coràm teſtibus competentibus, ut poſſit Eccleſia de illo certificari: vel quia licèt coram illis fiat, ſit abſqoe denuntiationibus: quia tunc aliquo modo eſt occultum, cum non fuerit iuridicè promulgatum, & publicum. Inter has duas ſpecies claodeſtini duplex intercedit diſcrimen. Primum, quod clandeſtioum primo modo propriè, abſolutè, & ſimpliciter eſt tale, ſecundo autem modo impropriè, & ſecundum quid. Secundum, quod matrimonium clandeſtinum primo modo ſumptum poſt Tridentinum eſt irritum, & nullum; at vero quòd ſecundo modo eſt clandeſtiuum, ſolùm eſt prohibitum, cum tamen ſit validum.

*Quod matrimonium propriè dicatur clandeſtinum?*

2. Matrimonium ergò, quòd propriè eſt clandeſtinum, illud nimirum, quod coràm Parocho, & teſtibus noo ſit, numquam fuit irritum, & inualidum in Eccleſia antè Tridentinum. Id, quod ipſum Concilium grauiſſimè docet *Seſſion. 24. capit. 1.* in principio, & habetur in *cap. 2. de clandeſtin. deſponſat.* Docetque rectè Caietan. *tom. 1. opuſcul. tract. 12. de Matrimon. quæſt. 2.* Auerſ. *quæſt. 6. ſect. 1. fol. 219.* Coninc. *diſput. 27. dub. 1. num. 4.* Palaus *§. 2. num. 3.* N. Gabr. *diſp. 3. qu. 7.* Goner. *diſp. 4. art. 3.* Et denique D. Thom. *in 4. diſput. 28. quæſt. unic. art. 3. & in addit. quæſt. 45. art. 5.* quod probat S. Doctor: quia quoties concurruot eſſeotialia, etiamſi ſolemnitas deficiat, verum conficitur Sacramentum, ut in alijs Sacramentis videre eſt: ſed ad matrimonium quod eſſentiale eſt, eſt conſenſus utriuſque coniugis de præſenti exteriùs expreſſus: hoc ergò adſtante, etiamſi ſolemnitas ad probationem, & ooti-

tiam

tiam Eccleſiæ requiſita deficiat, validum, & ratum ſit matrimonium. Fuit tamen illicitum, & mortaliter delinquebant, qui olim matrimonium clàm inibant: & modò ubi Tridentinum non eſt receptum, ut docet S. Doctor. *loc. citat. ad 3.* ibi: *Prohibentur autem clandeſtina matrimonia propter pericula, quæ inde euenire ſolent: quia frequenter in talibus eſt aliqua fraus in alterâ parte, frequenter ad alia coniugia tranſeunt, dum pœnitent de illis, quæ ſubitò facta ſunt, & multa alia mala inde accidunt, & ſpeciem turpitudinis præter hoc habent. Et Trident. ſeſſ. 24. cap. 1.* poſtquam dixit illa irrita non fuiſſe in Eccleſia, addit: *Nihilominus Sancta Dei Eccleſia illa ſemper deteſtata eſt, & prohibuit*, ut conſtat ex *cap. fin. de clandeſt. deſponſ.*

*An ſint iure naturæ illicita matrimonia clandeſtina?*

3. An verò huiuſmodi matrimonia illicita ſint iure naturæ, vel ſolum iure poſitiuo Eccleſiaſtico? Diſſidium eſt apud Doctores, ut inde colligant. An matrimonia clandeſtina, quæ apud infideles contrahuntur, qui præcepto Eccleſiæ non ſubiacent, mala & peccaminoſa ſint, vel non? ¶ Aliqui aſſerunt ex natura rei eſſe illicita, & praua, proindéque peccare infideles ex contrahentes propter inconuenientia ex D. Thoma relata, quæ ex ipſo matrimonio clam celebrato, independenter ab Eccleſiæ prohibitione ſequuntur. Et ideò dixit S. Doctor, *Speciem turpitudinis præter hoc habent.* Ita Sanch. *diſp. 3. nu. 8.* Palacios *in 4. diſt. 18. diſput. 3. in princip.* Veracruz *1. part. Speculi. art. 10. concl. 2.* Trull. *lib. 7. cap. 6. dub. 1. num. 3.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. cap. 5. num. 167.*

4. Alij verò rectiùs dicunt, iure naturæ minimè eſſe mala, ſed Eccleſiaſtico, & poſitiuo: & ideo mala eſſe, quia prohibita: quia quamuis ex tali contractu plura inconuenientia ſequantur, id non habent ratione contractus, ſed ex prauo hominum affectu, & malitiâ, quod non ſufficit, ut in ſe contractus malus ſit, quamuis ſpeciem mali videatur habere, ut dixit D. Thom. quemadmodum ludus, & aſportatio armorum nocturna plura incommoda, & damna ſolent parturire, propter quæ ſpeciem habent turpitudinis, non tamen ex ſe, ſed ex prauo hominum uſu. Ita Caietan. *quæſt. 2.* Palaus *§. 2. numer. 1.* Conincb. *concl. 1.* Auerſ. Dicaſt. *num. 10.* Sot. *in 4. diſt. 28. quæſt. 1. artic. 2. concl. 1.* Barth. de Ledeſm. *dub. 21. de Matrim. fol. 1325. nu. 4.* N. Anton. *diſp. 4. ſect. 1.* N. Gabr. *n. 55.* Franciſ. *diſp. 5.*

*Decretum irritationum illorum.*

5. Verùmtamen quia prohibitiones Eccleſiæ circà matrimonia clandeſtina ab aliquibus ob malitiam eorum non attendebantur: & grauia peccata, & incommoda paſſim ſequebantur in Eccleſia: præcipuè quòd clam contrahens cum unâ, poſteà palam in foro Eccleſiæ cum aliâ contrahebat: & ſic viuebant cum illâ, deſertâ propriâ uxore in perpetuo concubinatu, optimè *Concilium Trident.* irritauit, & annullauit dicta matrimonia, *Seſſion. 24. capit. 1.* his verbis: *Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarij licentiâ, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit: & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.*

*Tam directè, quàm indirectè matrimonium clandeſtinum irritatur.*

6. Ex quo decreto deducitur Concilium tam directè, quàm indirectè matrimonium clandeſtinum in ratione contractus irritare: indirectè quidem reddendo perſonas inhabiles ad ſic contrahendum, & directè ipſum contractum nullum, & irritum reddens, quamuis matrimonium in ratione Sacramenti ſolum indirectè irritauerit, deſtruendo ſcilicet contractum, ſine quo ſubſiſtere non poteſt. Ita Suarez *tom. 3. de Sacrament. diſputat. 2. ſect. 6.* Sanchez, *libr. 3. diſput. 4. num. 4. & 5.* Auerſ. *ſect. 2. fol. 331.* Enriquez *libr. 5. cap. 5. numer. 3. & 4.* Trullench. *numer. 4.* Palao *§. 2. numer. 2.* N. Gabr. *nu. 58.* Quòd autem Eccleſia potuerit triplici modo dicto, matrimonium irritare, videlicet in ratione contractus, indirectè reddendo perſonas inhabiles, & directè ipſum contractum faciendo inanem, & nullum, & in ratione Sacramenti indirectè deſtruendo fundamentum illius, ſuo ordine probabitur.

*Probatur id fieri poſſe ab Eccleſia.*

7. Et in primis potuiſſe perſonas inhabiles ad ſic contrahendum reddere, probatur: quia in his, quæ ad bonum ſpirituale ſpectant, quale eſt matrimonium, fideles ſubduntur Eccleſiæ, ut membra ſuo capiti: Ergò quandò ipſa iudicauerit eſſe expediens ad bonum ſpirituale illorum, poteſt eos inhabiles reddere ad certum modum contrahendi. Quemadmodum Reſpublica prodigos, & minores ad ciuiles contractus reddit inhabiles, & mulieres coniugatas ſine virorum conſenſu; & quemadmodum ipſa Eccleſia conſanguineos, & cognatos inhabilitat ad inter ſe contrahendum. *Tot. tit. de conſanguin. & affinit. & tot. tit. de cognat. ſpirit.*

8. Quòd autem poſſit etiam directè ipſos contractus annullare, nimirum impediendo ne mutuus conſenſus clandeſtinus, ſit ſufficiens ad transferendum dominium corporis inter coniuges: ſicut lex ciuilis irritat donationem pupilli abſque voluntate tutoris, impediendo ne eius voluntas ſit ſufficiens ad transferendum dominium, ſic probatur: quia plures contractus hoc modo Eccleſia irritauit: ergò etiàm potuit contractum matrimonij. Antecedens probatur: nam profeſſionem antè annum nouitiatus, & antè decimumſextum expletum *Tridentin. ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 15.* irritauit. Simoniacam commutationem beneficiorum, *Cap. Cum olim, cap. Quæſitum, de rerum permutatione* annullauit. Et ſimiliter ius ciuile, contractum minorum, ſine auctoritate curatorum, & alienationem maioratus. ¶ Denique quod indirectè potuerit irritare matrimonium in ratione Sacramenti, probatur: quia ſublato priori, tollitur poſterius, quod ab ipſo dependet, ſublato fundamento, ruit ædificium: ſed contractus eſt quid prius in matrimonio ad rationem Sacramenti, & fundamentum illius: ergò eo ſublato, indirectè tollitur matrimonium in ratione Sacramenti.

*Triplex obiectio proponitur.*

9. Sed obijcies primò: quòd matrimonium, ut contractus naturalis ſolo conſenſu, etiam clandeſtino eſt validum iure naturæ: ſed Eccleſia ius naturæ alterare nequit, ergo, &c. ¶ Secundò: quia Eccleſia non poteſt variare materiam, & formam Sacramentorum, & facere, quod ſit de illorum ſubſtantia, quod non erat, & quod non ſit materia apta, quæ erat: non enim

poteſt

poteſt facere, quòd aqua naturalis non ſit materia Baptiſmi, aùt quòd ſit alius liquor præter illam: ſed conſenſus clandeſtinus erat materia, & forma ſufficiens ad matrimonium: & èconträ aſſiſtentia Parochi, & teſtium non erat de illius ſubſtantiâ: ergò non poteſt facere, quòd ille non ſit apta materia, & quòd iſta ſit de ſubſtantia matrimonij. ¶ Tertiò: quia ſolemnitas extrinſeca contractus non eſt de eius eſſentia, ac proindè eius defectus contractum non annullat: ſed aſſiſtentia Parochi, & teſtium ſolum eſt ſolemnitas extrinſeca matrimonij, ut poſſit in foro Eccleſiæ probari: Ergò ſinè illâ erit validum. Maior probatur. In cæteris contractibus, in quibus ſolemnitas requiſita ad probationem in foro exteriori, non facit eos irritos, ſi non detur: & ideò in alienatione rerum Eccleſiæ, in teſtamentis, &c. carentia ſolemnitatis à iure requiſita, non vitiat tales contractus in foro conſcientiæ ſecundùm probabiliſſimam, & communem ſententiam, ſed eos annullandos, & irritandos facit in foro exteriori.

*Obiectiones propoſitæ ſoluuntur.*

10. Ad primam obiectionem reſpondetur diſtinguendo maiorem. Contractus naturalis ſolo conſenſu clandeſtino eſt validus iure naturæ, quandò conſenſus eſt legitimus, nec irritatus ab habente poteſtatem conceditur: aliter negatur. Conſenſus autem clandeſtinus matrimonij irritatus ab Eccleſia, quæ circà hoc habet poteſtatem. ¶ Ad ſecundam dicendum: quòd quandò materia, & forma ſunt aliqua res naturalis, ut aqua, panis, vinum, &c. non eſt in poteſtate Eccleſiæ eas immutare adhùc materialiter: quia iam ſunt determinatæ à Chriſto Domino, quandò verò ſunt contractus humanus, poteſt materialiter eas immutare, non verò formaliter: id eſt, non poteſt facere, quòd alia ſit materia huius Sacramenti præter contractum humanum; poteſt tamen facere, quòd talis, vel talis conſenſus, & non alius ad contractum ſufficiat iuxtà dicta *tract. de Ordin. capit 2. punct. 1 numer. 7.* ¶ Ad tertiam diſtinguenda eſt minor. Hæc ſolemnitas eſt extrinſeca contractui coniugali quoad eſſentiam, concedimus: quoad formale illius, ſeu quoad hoc, quod eſt eſſe legitimum, & ſufficientem ad traditionem corporum, ſuppoſitâ Eccleſiæ determinatione, negamus: nam ſic ſolemnitas eſt intrinſeca, & eſſentialis. Et licèt in alijs contractibus, qui diſſolui poſſunt, poſſet fieri, quòd in foro exteriori irritetur contractus, qui in foro conſcientiæ erat validus, hoc in matrimonio, quòd eſt contractus omninò indiſſolubilis, fieri nequit: & ſic quod in foro Eccleſiæ eſt nullum, etiam in foro conſcientiæ.

## PVNCTVM II.

*Vtrùm ità ſit neceſſaria Parochi, & teſtium aſſiſtentia, ut in nullo caſu poſt Tridentinum validum ſit matrimonium ſine illâ?*

*Infidelium matrimonia clandeſtina valida ſunt.*

11. CErtum eſt infideles, etiam qui habitant loca Chriſtianorum, vel illos, qui in terris commorantur ſubiectis quoad temporalia dominio Eccleſiæ, poſſe validè contrahere abſque ſolemnitate aſſiſtentiæ Parochi; & teſtium: nam hæc lex Concilij talem aſſiſtentiam præcipiens eſt lex merè Eccleſiaſtica, cui ſubditi non ſunt infideles. Sanchez, *lib. 3. diſp. 17. num. 8.* Palaus, *diſp. 2. punct. 13. §. 8. num. 6.* Dicaſt. *diſp. 3. dub. 4. num. 22.* Similiter in illis Regnis, Prouincijs, aut Ciuitatibus, in quibus Concilium non eſt promulgatum, vel ſi ſit promulgatum, non eſt quoad hanc partem receptum, ut in aliquibus Galliæ locis, & Poloniæ, &c. non eſt neceſſaria ad valorem matrimonij dicta ſolemnitas, quamuis grauiter deliquant fideles contrahentes ſinè illâ. Tum: quia ipſum Concilium aſſerit tale decretum non obligare, niſi poſt triginta dies à publicatione in propria Parochia. Tum etiam: quia lex non recepta, ſaltem quandò decem anni iam tranſierunt à ſui publicatione, non obligat. Ledeſm. *quæſt. 45. artic. 1. punct. 3. dub. ultim.* Rodriguez, *1. tom. Summ. 2. edit. cap. 219. numer. 2.* Bonacina, *quæſt. 2. punct. 7. num. 1.* Perez, *diſput 39. ſect. 4. num. 1.* Dicaſt. *diſp 3. num. 21.* Sanchez, *diſp. 18. numer. 1.* Baſil. *libr. 5. capit. 7. numer. 1.* Auerſa, *quæſt. 6 ſect. 2.*

*In caſu neceſſitatis poſſe ſine Parocho contrahi, aliqui dicunt.*

12. Apud fideles autem, & in quorum locis eſt promulgatum, & receptum dictum decretum Concilij, aliqui dicunt dari caſum, in quo abſquè Parocho, & teſtibus ſit validum matrimonium, uti eſſet in caſu, quo Parochus non poſſet adeſſe, & inſtaret mortis periculum, & neceſſarium eſſet viro cum concubinâ nubere. Tum, ad vitandum ſpirituale animæ periculum, quòd ex nimio affectu ad illam immineret. Tum, ad legitimandam prolem. Tum etiam, ad fœminæ honori conſulendum. Ità tenet, ut probabile Veracruz, *appendice ad Specul. dub. 5. ſolut. 2. ad obiect. poſt. 7. concluſ.* Vega, *lib. 3. ſumm. caſu 361.* Soto, *in 4. diſtinct. 22. quæſt. 1. artic. 2.* Capua. *lib 2. deciſion capit. 85. num 8.* Iacob. *de Graff. lib 2. deciſion. cap. 86. num. 9. apud* Dianam, *3. part. tract. 4. reſolut. 234.* fauere videtur Leand. *diſp 7. quæſt. 7.* Vocans oppoſitam, quam ipſe tenet, probabiliorem, in quo indigitat hanc eſſe probabilem. Probatur primò; quia leges poſitiuæ, & humanæ non obligant in magna neceſſitate, admittunt epikeiam, ut in ieiunio, recitatione Officij Diuini, maximè ſi conſultus ſuperior in hoc caſu, & cum his circunſtantijs, proculdubiò reſponderet tunc legem non obligare: hæc autem lex Tridentini eſt humana; & ſi Pontifex conſuleretur, quid faciendum eſſet in caſu dicto? Proculdubiò reſponderet tunc non currere: Ergò, &c. ¶ Secundò: quia Tridentinum inhærendo veſtigijs Concilij Lateranenſis irritauit illa matrimonia clandeſtina, quæ ab ipſo fuerant prohibita: ſed nunquam in Eccleſia fuit prohibitum matrimonium clandeſtinum in caſu neceſſitatis: ergò nec à *Tridentino* irritatum.

*Vera in hoc puncto ſententia.*

13. Ceterum omninò tenendum eſt, quòd in nullo caſu quantumuis magnæ neceſſitatis validum erit inter fideles matrimonium abſquè ſolemnitate à Tridentino requiſitâ, celebratum in locis, in quibus eſt receptum: quemadmodum inter conſanguineos nunquam erit validum matrimonium quantumuis urgens neceſſitas occurrat celebrandi illud abſque diſpenſatione Pontificis. Ità communiter Doctores, Sanchez,

Sanchex, *diſput.*17. *num.*4. Palaus, §. 8. *num.* 9. Cornejo, *diſput.*7. *dub.*39. *fol.*1019. Conioch, *diſp.*27. *dub.*1. *num.*13. Enriq. *lib.*11. *cap.* 3. *num.* 3. & 8. Ledeſm. *art.* 5. *fol.* 192. *col.*1. Dicaſtill. *num* 26. Baſil. *cap.*6. *num.*2. N. Gabr. *num* 63. Franciſc. *num.*16. Herinx. *diſp.*5. *num.*6. Wiggers, *quæſt.*50. *num.*42. Diana, 5. *part. tract* 3. *reſol.*39. & 3. *part. tract.*14. *reſol.*234. ubi in fine bene aduertit cum Sarmiento, *libr.*1. *ſelect. cap.* 16. *numer.* 7. Enriq. *libr.* 3. *capit.* 12. *numer* 8. Cenedo. *quæſt.*30. *n.*16. & 18. Layman, *libr.*5. *part.*2. *cap* 4. *numer.*11. in dicto caſu poſſe Parochum abſque diſpenſatione denuntiationes omittere. Quod etiam tenet Auerſa, *quæſt.* 6. *ſect.* 2.

*Concluſionis rationes proponuntur.*

14. Probatur ergò concluſio primò: quia quamuis neceſſitas excuſet à lege præceptiua, non tamen poteſt facere habiles aliàs inhabiles, nec ratum facere, quod erat irritum: atqui decretum Concilij omninò inhabiles facit ad contrahendum abſque Parocho, & teſtibus fideles, & talem contractum omoinò irritum reddit: ergò quamtumuis neceſſitas urgeat, non poterit validè celebrari matrimonium, ſine hac ſolemnitate. ¶ Secundò: quia quandò in iurè habetur aliter fieri non poſſe, vel quandò traditur decretum annullans, inducitur forma rei ſubſtantialis, & cum nihil ſinè formà eſſe poſſit, non poterit res ſinè illo, quod in tali decreto ponitur, ſubſiſtere: ſed in præſenti traditur decretum annullans matrimonium ſinè ſolemnitate dicta, & aliter fieri non poſſe decernitur: ergò, &c.

15. Quarè ad argumenta reſpondetur. Ad primum ſolum eſſe verum in lege dumtaxat præceptiua, & inducente ſolemnitatem extrinſecam, non ubi ſolemnitas ſubſtantialis, & materiæ inhabilitas aſſignatur. Quarè Pontifex, ſi de hoc caſu conſuleretur, niſi nouum ius vellet introducere, ſic proculdubiò reſponderet. ¶ Ad ſecundum dicimus Tridentinum omnia illa matrimonia irritare, quæ quantum ad modum deteſtata ſunt ſemper ab Eccleſia, quamuis aliquandò ob neceſſitatem (quia tunc tantum erat lex præceptiua, aut prohibitiua) eſſent licita. Modò verò quia per legem irritatiuam, & materiam inhabilitantem prohibentur, non relinquitur locus, ut in aliquo caſu abſque tali ſolemnitate ſint valida: & ideò ibi dicitur, quòd ſint omninò inhabiles, id eſt, in omni euentu, ſinè ullâ exceptione, ſinè remedio, ut benè ponderat Sanchex, & meritò: quia ſi ſemel in aliquo caſu aditus pateret ad oppoſitum, paſſim extenderetur ad alios: & minus inconueniens eſt, quòd in caſu particulari hic, vel ille detrimentum patiatur ex rigore, & uniuerſalitate huius legis, quàm quòd ipſa patiatur exceptiones, quarum ratione infringatur, & plura alia incommoda in Eccleſia reſultent.

*Quid agendũ in hoc caſu conſule. N. Steph. diſp. 8. num.*38.

*Aliqua corollaria.*

16. Ex quo deducitur primò: quòd etiam ſi matrimonium publicè celebretur ſcientibus, & præſentibus pluribus teſtibus, etiam totâ vicinia, aut ciuitate, ſi proprius Parochus non aſſiſtat, matrimonium erit nullum: quia Tridentinum ſtatuit formam ſubſtantialem pro contrahendo matrimonio, forma autem debet apponi ſpecificè, & propriè, & non ſuppleri per æquipollens. Ità Sanchex, *num.*7. Enriq. *n.*5. Baſil. *num.*17. Palaus, §.8. *num* 2. ¶ Sequitur ſecundò, quòd ignorantia invincibilis in hac parte non excuſat. Et ideò ſi duo fideles in locis, in quibus hoc decretum eſt acceptatum, ignorantes rigorem illius in tali caſu putarent ſe poſſe abſque Parocho coram teſtibus, vel abſque illis coram Parocho contrahere, & ſic matrimonium inirent, nihil facerent: quia quamuis ignorantia excuſet à culpâ contrà legem præcipientem, aut prohibentem, non à nullitate, quæ contrahitur defectu ſolemnitatis contrà legem irritantem: nec per ignorantiam ponitur, quòd abſtulit inhabilitas, & nec actum nullum poteſt ignorantia reddere validum, *capit.*1. *de conceſſ. Præbendæ in* 6. Et ideò ignorantia ſolemnitatis ad profeſſionẽ requiſitæ, ut quòd ſit poſt annum nouitiatus, poſt decimumſextum ætatis annum expletum, non poteſt eam facere validam, ſi abſque tali ſolemnitate fiat. ità Sanchez, *num.*10. Palao, *num.*7. Perez, *diſp.*39. *ſect* 3. Coninch, *num.*13. Enriq. *num* 8. Baſil. *num* 18. Ledeſm. *artic.* 5. *fol.* 196. Dicaſtill. *diſp.*3. *dub.*5. *num.*31. Auerſ. N. Anton. *num.*131. Franciſ. *num.*28.

*Aliqua notatu digna proponuntur.*

17. Sed inquires. An in oppidis, in quibus haberi nequit Parochus, nec in locis proximis adiri, validum ſit matrimonium coram teſtibus ſinè Parocho celebratum? ¶ Reſpondet Coninch, *numer.*11. ſic [in oppidis, aut pagis, ubi nullus Paſtor, aut vicem eius obtinens haberi, aut in proximis locis adiri poteſt, validè ſinè eo matrimonium contrahitur, ut declarauit Clemens VIII.] [Quod tali authori ſic atteſtanti (inquit Dicaſtill. *diſp.*3. *dub.*4. *numer.*28.) credi poteſt,] & Laym. *cap.*4. *num.*7. ità inquit, [*ſi in aliqua ciuitate decretum Tridentini promulgatum fuerit, modò tamen expulſis Sacerdotibus abſint proprij Paſtores, validè ſicut prius coram prædicante, vel ſinè prædicante matrimonia contrahi poterunt. Cum enim in his locis tali rerum ſtatu, decretum Tridentini ſeruari non poſſit, non eſt exiſtimandum libertatem matrimonij validè contrahendi impeditam eſſe, ſicuti* Cardinalis Bellarmin: *reſpondet apud* Chapeauille, *capit.*6. *quæſt.* 15.] Hactenus ille. Eadem ferè habet Tannerus, *diſput.*8. *de Matrimon. quæſt.*3. *dub.*6. *numer.*122. Quam doctrinam approbat Dicaſtill. *dub.* 10. *num.*82. Quo ſenſu intelligendus eſt Veracruz, & Vega, *ſupr. num.*12. *citati*. Quæ probabilis eſt. Tum, propter authoritatem horum Doctorum. Tum, propter declarationem, aut diſpenſationem Clementis VIII. Si enim in illis locis nequit haberi Parochus, vel non eſt, ibi non eſt verè Parochia, nec promulgatio Tridentini, quamuis facta fuerit, durat: quia deſtructâ Parochia, aut Diœceſi, cenſetur promulgatio deſtructa, quoad vigorem, quæ ſuprà illam fundatur: & cum Tridentinum ſolùm obliget ſuppoſitâ promulgatione, & eâ durante, ſimul cum Parochia, ſequitur in hoc caſu non vigère.

*Quid de matrim clandeſt: in Holland. Friſiâ &c. Conſule. P. Loth. tr.*3. *art.*7. & *N. Steph. n.*36.

*Quid de peregrinis dicendum.*

18. Secundò inquires. An peregrini, in quorum locis non fuit promulgatum, aut receptum Tridentinum, tranſeuntes per loca ubi eſt promulgatum, & acceptum, poſſint in illis iuxtà morem ſuæ patriæ contrahere: ac proindè ſinè Parocho, & teſtibus? Etiamſi ibi

tran-

tranſeunter ſolum exiſtant, & animum permanendi non habeant: ſi enim hunc habeant, & domicilium contrahant in illis locis, non eſt dubium debere contrahere iuxtà modum illorum, & conſequenter coràm Parocho, & teſtibus. ¶ Reſpondetur ad quæſitum dictos peregrinos, etiamſi tranſeunter dumtaxat in locis, ubi Tridentinum obligat, commorentur, invalidè contrahere matrimonium, niſi coràm Parocho, & teſtibus celebretur. Et ratio eſt: quia licèt peregrini non adſtringerentur legibus locorum, per quæ tranſeunt (de quo nihil modo: quia pertinet ad alium tractatum de legibus, quamuis latiſſimè in præſenti Sanchez, *hoc lib.* 3. *diſp.* 18. *&* Baſil. *lib.* 5. *cap.* 8. *de* hoc agant) certiſſimum eſt ipſos teneri legibus, & conſuetudinibus locorum, per quæ tranſeunt quòad contractus, & ſolemnitates illorum; nam ratione contractus quilibet forum ſortitur in loco contractus, & cenſetur celebrare iuxtà ſtatuta loci, in quò invenitur. Quarè ſi dubium, circà talem contractum oriatur, iudicandum eſt iuxtà leges, & conſuetudines loci, in quo celebratus eſt. *Capit. fin. de Foro compet. leg. ſi fundus* 6. *ff. de euictionib.* Ità Sanchez, *num.* 26. Ledeſm. *artic.* 5. *punct.* 3. *fol.* 197. Baſil. *cap.* 9. *num.* 1. Bonacin. *quæſt.* 2. *punct.* 7. *num.* 5. N. Cornejo, *diſp.* 7. *dub.* 39. Coninch, *diſp.* 28 *dub.* 1. Hurtado, *diſp.* 5. *diff.* 4. *numer.* 14. Palaus, §. 8. *num.* 5. Dicaſtill. *dub.* 6. *num.* 38. Et apud ipſum Regnal. *lib.* 31. *numer.* 176. Perez, *diſp.* 39. *ſect.* 3. *num.* 4. Auerſa, *quæſt.* 6. *ſect.* 2.

*Quid de illis dicendum, in quorum loco obligat Tridentinum, ſi perueniant ad alia?*

19. Ex hoc deducitur incolas illius loci, in quo Tridentinum obligat, ſi tranſeant ad loca, ubi non eſt promulgatum, aut receptum, etiamſi ibi domicilium non contrahant, ſed tranſeuntèr exiſtant, poſſe validè contrahere matrimonium abſque Parocho, & teſtibus, quamuis in hoc peccarent mortalitèr propter ius commune prohibens matrimonia clandeſtina, quæ non fiunt coràm Eccleſia iuxtà dicta *n.* 2. de his latè P. Loth. *tract.* 3. *art.* 8 Dicaſt. *n.* 37. Reginal. Auerſ. Coninch, Perez, *ſupr. citat.* Sanchez, *num.* 28. Baſil. *num.* 2. Palaus, *num.* 3. Ledeſm. *fol.* 198. Bonacin. *num.* 2. Enriquez, *cap.* 8. *num.* 8. Rebell. 2. *part. lib* 2. *quæſt.* 7. *ſect.* 3. *n.* 15. N. Cornejo, quem ſequit. Stephan. *num* 37. Et ratio eſt eadem: quia quòad ſolemnitatem contractus ſtandum eſt legibus, in quibus celebratur: & hic magis viget illud carmen: *Si fueris Romæ, Romano viuito more, ſi fueris alibi, viuito ſicùt ibi.* Præterquàm quod peregrini à ſuo domicilio abſentes non tenentur legibus propriæ patriæ, ſed poſſunt ſe conformare ſtatutis, & legibus locorum, per quæ tranſeunt. *Cap.* 2. *de conſtit. in* 6. *& cap. illa diſt.* 12. *ex* D Auguſtin *&* D. Ambroſ. Qui monent, ut conſuetudinibus, & legibus eorum, ad quos quis diuertit, ſe conformet, quamuis ſint leges communes quæ obſeruantur in ſua patria, ſed ibi conſuetudine fuerunt abrogatæ.

*Extenſio aliquorum.*

20. Quod diximus *num. præced.* extendunt Sanchez, *ſupr. num.* 29 Baſil. *num.* 4. Bonacina, *num.* 2. Enriq. *num.* 8. Auerſa, *loc. cit.* §. *penult. & ult.* Coninch, *num.* 14. Reginal. *num.* 176. Dicaſt. *num.* 42. Perez, *num* 5. *&* Diana, 3 *part. tract.* 6. *reſol.* 28. Loth. §. 6. Vt intelligatur, etiamſi eo fine ad ea loca diuertant, ut poſſint abſque Parocho, & teſtibus matrimonium celebrare: quia qui utitur iure ſuo, non videtur dolo malo facere. *Leg. Nullus* 5. *de Reg. iur.* ibi: *Nullus videtur dolo facere qui iure ſuo utitur*: ſed qui tranſit ad loca, ubi Tridentinum non obligat, iure ſuo utitur: ergò dolo malo non operatur: & ſic factum eius tenebit, quemadmodum, qui tranſit in locum, ubi non obligat ieiunium, aut obſeruatio diei feſti, ad quæ in ſuo loco obligabatur, utitur iure ſuo, & ſic, ab obligationibus proprij territorij eximitur.

*Quid in hac parte ſentiendum?*

21. Hæc veriſſima ſunt per ſe, & ſtando iuri communi. Cæterum quia Dian, 6. *part. tract.* 7. *reſol.* 29. poſtquam dixit ſe hanc ſententiam ſemper tenuiſſe, oppoſitæ adhæret inixus cuidam reſponſioni Cardinalium, quam affert Zipæus, *in conſult. Canonic. lib.* 4. *tit. de ſponſal. & Matrim. conſul.* 6. quam ad inſtantiam ipſius Zipæi dederunt *anno* 1628. dicentes matrimonium, de quo loquimur, eſſe invalidum, & quamuis poſt illam teneat doctrinam traditam Perez, *diſp.* 39. *ſect.* 3. *num.* 5. proptèr plura, quæ occurrere poſſent in illo caſu, ratione quorum ita Congregatio decerneret, quæ non ſemper occurrunt. Et quia, ut inquit Dicaſt. *diſp.* 3. *dub* 6. *num.* 42. Deciſionibus Cardinalium ſæpè opponuntur Doctores, imò deciſiones ipſæ ſibi ſunt contrariæ frequenter: attamen quia hic ultimus Author adducit aliam reſolutionem Cardinalium aſſerentium, non validè contrahere ſic tranſeuntes, & Vrbanus VIII. ſuo Breui Pontificio ad inſtantiam Archiepiſcopi Colonienſis *anno* 1627. *die* 14. Auguſti illam confirmauit; nam cum Eminentiſſimi huic interrogationi: *Si ſolo animo abſquè Parocho, & teſtibus contrahendi ſe transferant habitationem non mutantes*, ita reſponderent, non eſſe legitimum *matrimonium inter ſic contrahentes cum fraude. Hanc reſolutionem* (inquit Pontifex illo Breui) *huiuſmodi authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium approbamus, & confirmamus.* Ideò ait Dicaſtill. *quem ſequuntur* N. Cornejo, Franciſc. & Steph. *loc. cit.* huic reſolutioni, quæ tam Pontificis eſt, ſtandum eſſe, & concludit, & nos cum illo [*Res itaque tam eſt valdè periculoſa, & tale matrimonium, rebus ut nunc valde dubium, aut invalidum (probabilitèr ſaltem,) ut ſic maneat porta ad reſiliendum, niſi reualidetur legitimè, aut ad iudicandum contrà illud.* Niſi mauis dicere in dicto caſu fraudem, aut dolum non adeſſe, quia utitur iure ſuo ſecundum leges ſuprà adductas, qui eo animo ad alium locum tranſijt, ubi Tridentinum non obligat.

*Quid de captiuis dicendum?*

22. Vltimò inquires. An fideles, qui apud infideles captiui ſunt, poſſint abſquè Parocho, & teſtibus contrahere, quamuis ad eas regiones ducti ſint poſt publicationem, & receptionem in ſuâ Parochiâ decreti Concilij, nec animum habeant in huiuſmodi locis permanendi? ¶ Reſpondetur affirmatiuè. Tum: quia contractus, ut diximus, debent celebrari iuxtà conſuetudinem locorum, in quibus inueniuntur contrahentes. Tum etiam: quia Concilium, ut obligare incipiat, petit publicationem in propria Parochia, in quà matrimonium celebratur, quæ conditio deficit in præſenti. ¶ Idem proptèr eaſdem rationes dicendum eſt de matrimonio contracto per mercatores Chriſtianos, qui ibi per modum hoſpitij reperiuntur, quamuis ſint in-

colæ illorum locorum, inquibus obligat Tridentinum. Ità Sanchez, *num.* 35. Bonacio. *num.* 3. Palacius, *in* 4. *diſt.*29. *diſp.*1. *verſ. Iam vero iſtis explicatis*, Baſil. *num.*4. Cornejo, *diſp.*7. *dub.*39. *fol.*1019. Rebell. *ſect* 3. *num.*18. Hurtado, *diſſ.*5. *num.*18 Perez, *ſect.*6. *num.*4. Dicaſt. *num.*45. N. Anton. *ſect.*5. N. Gabr. *num.*64. Loth. *artic.*9. Quod intelligendum eſt, ſi fraus non interueniat iuxtà dicta duobus numeris præcedentibus.

## PVNCTVM III.

### *Quis debeat eſſe Parochus, cuius præſentia requiritur ad valorem matrimonij?*

*Debet Parochus eſſe proprius.*

23. IN primis ſupponendum eſt, quod ad valorem matrimonij requiritur aſſiſtentia Parochi proprij ſaltem alicuius contrahentium ( vel alterius Sacerdotis de eius licentia ) ità quod ſi Parochus proprius non fuerit, erit nullum matrìmonium: quemadmodum ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur, quòd ſit proprius Paſtor, vel alius à ſuo Paſtore iuriſdictionem habens. Quod manifeſtè conſtat ex *Concil. Triden. ſeſ.*24. *cap.*1. quo loco licèt in decreto annullante clandeſtinum matrimonium non aſſignetur niſi aſſiſtentia Parochi: tamen ex antecedentibus, & conſequentibus colligitur, ipſum loqui de Parocho proprio: cum dicat denuntiationes à proprio Parocho faciendas, benedicendos eſſe à proprio Parocho coniuges, Parochum proprium licentiam alteri Sacerdoti poſsè præbere ad aſſiſtendum matrimonio: ergò ſimilitèr quandò dicit matrimonium eſſe nullum abſquè aſſiſtentiâ Parochi, de proprio debet intelligi. Ità Ledeſm 3 *part. quæſt* 45. *art.* 5. *punct.*3. *dub.*3. *concluſ.*1. Enriq. *lib.*11. *cap.*3. *num* 2. Sanchez, *lib* 3. *diſp.*19. *num.* 2. Auerſa, *quæſt.*6. *ſect.*3. Trull. *lib.*7. *cap.*5. *dub* 2. *num.*1. & communitèr Doctores.

*Sufficit eſſe unius coniugis proprium.*

24. Ad hoc autem ſufficit, ſi ſit Parochus unius coniugis vel fœminæ, vel viri; non autem requiritur, quòd ſit utriuſque, aut quòd Parochus viri, & Parochus fœminæ, ſi diuerſus ſit, matrimonio aſſiſtant. Tum: quia in Concilio ſola aſſiſtentia unius Parochi requiritur, & non eſt maior ratio, quare unus, & non alter poſſit aſſiſtere: & ſic uterque ſeorſim poteſt: Tū etiam: quia matrimoniū eſt contractus indiuiduus, qui ab uno ſinè alio perfici non poteſt: ergò hoc ipſo, quòd unus ſit Parochus ad iungendum unum erit ad iungendum alium: cui enim aliqua iuriſdictio conceditur, conceduntur ea, ſinè quibus iuriſdictio conſiſtere non poteſt. *Cap. præterea de offic. Iudicis delegat.* & ideò quamuis Parochus unius noo ſit alterius Parochus ad alia Sacramenta impertienda bene tamen ad aſſiſtendum matrimonio ratione connexionis: eo quòd matrimonium conſiſtere non poteſt niſi inter duos, & uterque cenſetur una perſona, & unus contractus ſit inter illos: & ſic Parochus unius eſt quòad hoc Parochus alterius. Bonacin. *quæſt.*2. *punct.*8. *n.*7. Dicaſt. *diſp.*3. *dub.*8. *n.*52 qui citat Perez, *diſp.*20. *num* 5 Tenet etiam Trull. *ſup loc. cit. n.*2. Ledeſ. *concluſ.*2. Sanchez, *num.*4. qui citat Enriq. *num.*2. Rodrig. 1. *tom. ſum.*2. *edit. capit.* 219. *num.*3. Tenet etiam Palaus, *diſp.*2. *punct.*13 §.9. *num.*1. Coninch, *diſp.*27. *dub* 2. *num.*19. Baſil. *lib.*5. *cap.*16. *n.*2. Auerſa, *quæſt.*6. *ſect.*3. N. Anton. *ſect.*6. Et ſic declarauit Congregatio Cardinalium, ut teſtantur plures ex his Authoribus.

*Non eſt proprius Parochus originis.*

25. Proprius autem Parochus ad aſſiſtentiam matrimonij, non eſt originis, ſed domicilij, aut habitationis. Ideòque ſi quis natus in unâ Parochiâ, habitet in aliâ, non poterit Parochus originis aſſiſtere matrimonio, ut validè fiat. Et ratio eſt; quia Concilium proprium Parochum exigit ad intentum: & ideò ille debet eſſe, qui eſt Paſtor Parochiæ contrahentis; Parochia autem, aut Diœceſis alicuius illa dicitur, ubi habet domicilium habitationis, non verò originis. Quarè ſi lex non exprimat, nomine domicilij, Diœceſis, aut Parochiæ non venit domicilium originis, & ideò quandò ius voluit ſufficere Paſtorem originis ad aliquod Sacramentum, illud explicuit, ut in *c. cum nullus de temp. ordinan. in* 6. ubi in ordine ad conferendos Ordines ſuperior aſſignatur ille, qui fuerit originis, aut domicilij. Ità Sanch. *lib.*3. *diſp* 23. *numer.*7. ubi plures refert Dicaſt. *num.*47. Baſil. *cap.*13. *num.*2. Trullench, *num.*4. Villab. 1 *part. tract.*23. *diſſ* 18. *num.*3.

*An requiratur domicilium ut Parochus proprius dicatur.*

26. Sed inquires. An ut dicatur proprius Parochus ad intentum, debeat quis habere domicilium cum animo perpetuo manendi in illâ Parochiâ, cuius eſt Paſtor. ¶ In quo ſupponimus, quòd ſi aliquis in ciuitate domicilium habet, & per breue tempus alio tendit animo ſtatim redeundi, ut ſi ad villam eat vel ob recreationem, vel ob culturam ruris, non poteſt coràm Parocho illius loci, ad quem tendit, contrahere. Colligitur ex *cap.*15. *qui de ſepultur. in* 6. Et ratio eſt: quia in tali caſu non dicitur domicilium, aut habitationem habere in tali loco: & ſic non erit ſuus Parochus Paſtor illius; & ex oppoſito plura incommoda ſequerentur, ſi quilibet ſugiendo à proprij domicilij Parocho, contraheret coràm illo, quem eligeret. Ità Sanchez, Palao, Dicaſt. Trull. Auerſa, *loc cit.* & ſæpius declaratum fuit in *Rotâ Romana*, teſte Riccio. *deciſ.*244. Menoch. *lib.*4. *conſilt.*394. *num.*53 *fol* 361. apud Bonacin. *quæſt.*2. *punct.*8. *num.*3.

*Objectio, & ſolutio illius.*

27. Sed objicit Baſil. *lib.*5. *cap.*15. §.11. ( ubi docet eſſe proprium Parochum ad intentum illum per cuius locum quis breuitèr pertranſit, aut hoſpes commoratur ) quia ille eſt proprius Parochus ad ſolemnizandum matrimonium, qui in *cap. omnis utriuſque ſexus de Pœnitent. & remiſſion.* dicitur proprius Sacerdos ad audiendas confeſſiones: ſed Sacerdos illius loci, per quem aliquis, peregrinatur, vel ad quem tendit animo recreationis, vel rurandi, vel per cuius locum pertranſit, & breui tempore moratur, poteſt illi abſolutionem, & alia Sacramenta impertiri, ergò etiam poterit, illius matrimonio aſſiſtere. Minor probatur *ex conceſſ.* Eugenij IV. *relata in compendio priuilegiorum Mendicantium verbo. Abſolutio* 1. *quòad ſeculares* 5. ¶ Reſpondetur: quod cum alia Sacramenta ſint magis neceſſaria, & ex eorum receptione à dicto Parocho nullum inconueniens ſequatur, ſed potius expediens ſit ſaluti fidelium: ideò in alijs Sacramentis præter Ordinem, & Tonſuram conceſſit Eugen. IV. poſſe peregrinos, & hoſpites à Paſtoribus illius

loci

Digitized by Google

loci ea recipere, quod in matrimonio nec conceſſum eſt, nec erat congruum, ut concederetur propter dicta.

*Quid, ſi habens in loco domicilium ad alium permeat?*

28. Quarè dubium eſt. An quandò quis habet in ſuo loco domiciliũ, & ad aliud ſe transfert animo ibi manendi non ſolum ad breue tempus, ſed per maiorem partem anni, & poſteà ſe transferendi ad ſuum domicilium, poſſit à Parocho illius loci coniungi, ſicut poteſt alia Sacramenta recipere prætèr Ordinem, qui ob ſuam propriam rationem petit à Paſtore proprij domicilij concedi, ut ſcholaſtici Academiam frequentantes, ut ibi ſtudeant, & poſteà ad ſuam patriam redeant, mercenarij in domo heri commorantes, ſolicitatores in Curiâ exiſtentes, milites in loco exiſtentes, ubi duraturum bellum iudicant, & qui causâ peſtis, aut belli aliò tranſeunt animo redeundi, illis ceſſantibus? ¶ In quo eſt duplex ſententia utraque ſatis probabilis, ut inquiunt Sanchez, *libr.3. diſp.23. num.13.* Palaus, *num.8. in fine.*

*Prima ſententia, & illius fundamentum*

29. Prima aſſerit non ſufficere, ut quis habeat animum ad tempus manendi in illo loco, niſi animum habeat ibi figendi domicilium, & perpetuò manendi, ut Parochus illius loci matrimonio eius aſſiſtere valeat, ſicùt requiritur ad valorem illius. Refert innumeros pro hac ſententiâ Sanchez, *diſp.23. cit. num.11.* Eam tenet Enriq. *num.3* Rodrig *num 6.* Segura, *2. part. Directør. iudic. cap.5. num.48.* Ledeſ. *poſt dub.4. §. Dico tertiò.* Et probatur: quia qui alicubi habitat, causâ alicuius negotij peragendi eſt Parochianus loci, in quo habet proprium domicilium, ut omnes concedunt: ergò non efficitur Parochianus illius loci, in quo ad tempus habitat: ergò Parochus illius loci non eſt Parochus ſuus ad intentum. Hæc ſecunda conſequentia conſtat ex prima, quæ probatur: quia aliàs haberet duplicem Parochiam habitationis, quod eſt falſum: quia licèt aliquandò poſſit aliquis duplicem habere Parochiam habitationis, ut ſtatim dicemus, tamen ad id requiritur, ut in utraque æqualitèr ſe collocet, ut habetur *cap. 5. qui, de ſepultur. in 6.*

*Secunda, & verior ſententia.*

30. Verior tamen eſt ſecunda ſententia, quæ dicit eum, qui animo ad tempus ibi manendi in aliquo loco commoratur, poſſe à Parocho illius loci coniungi, quod verum eſſe fatetur, etiamſi per breuiſſimum tempus ibi incipiat eſſe, ſi tamen habeat animum manendi per maiorem anni partem in tali loco, ut in exemplis *num. 28.* adductis. Sic Dicaſt. *diſp.3 dub.8. num.47.* Trull. *cap.5. dub.2. n.6* Bonacin. *num.2. & 5.* Sanchez, *n.12.* Qui pluſquam triginta authores refert pro hac parte: Palaus, *n 9.* Gutierr. *cap 63. conclus 3.* Coninch, *n 18.* Baſil *c.13 n.4.* Burghaber. *cent.3. caſu 39* Quare ſicut poteſt recipere cætera Sacramenta: & ſepeliri per Parochum illius loci: ſic poteſt matrimonio coniungi. Et colligitur *ex cap. in noſtra, de ſepulturis*, ubi non requiritur, ut ſit Parochianus, animus perpetuò ibi manendi; ſed quod ibi inhabitet, quòd ſaluatur, etiamſi ad tempus dum taxat velit ibi perſiſtere, *cap. fin. de Paroch.* ubi qui ob bellum ad aliam Parochiam confugerint, dicuntur illius Parochiani.

*Probatur ratione eiuſdem.*

31. Ratione probatur: quia per ſolam habitationem alicubi non per modum viatoris, ſed conductâ domo, vel officinâ contrahitur quaſi domicilium, ità ut ibi poſſit conuenire de alibi geſtis, forumque externum ſortiri, *leg.2. C. Vbi de crimin. agi oport. & leg.2. in princip. C. Vbi Senatores:* Sed habitatio conſtituens quaſi domicilium ſufficit ad conſtituendum Parochianum, *cap. in noſtra, & cap. fin. cit.* & ideò ibi debet ſepeliri, niſi alius locus ab ipſo deſignetur, & Sacramenta alia ſumere: ergò ibi poteſt coniungi per illius loci Parochũ. ¶ Ad argumentum dicimus, quod prò illo tempore, quo quis alibi commoratur, non eſt Parochianus alterius loci in ordine ad Sacramenta, vel ſepulturam, niſi illius, in quo inhabitat. Si autem vellet à prioris domicilij Parocho coniungi, vel Sacramenta, aut ſepulturam accipere, poterit ſe conformare priori ſententiæ probabili, vel quam maluerit ex duabus eligere.

*Quid ſi æqualitèr in duobus locis habeat domicilium?*

32. Quandò verò aliquis æqualitèr, vel ferè æqualitèr (non mathematicè, ſed moralitèr) in duobus locis inhabitat: in hyeme videlicèt in uno, & in æſtate in alio, utriuſque loci Parochianus eſt, & poteſt à Parocho utriuſque loci coniungi, confiteri, & alia Sacramenta recipere: uterque enim eſt verè ſuus Parochus. *Cap. 2. de ſepultur. in 6 leg. aſſumptio, §. Viru, & leg. eius, qui manumiſit, §. Celſus, ff. Ad municipalem de incolis.* Sed non eſt maior ratio, quare ab uno, & non ab alio debeat coniungi: ergò poterit ab utroque. Sic Baſil. *num.1.* Sanchez, *diſp.24. n 5.* Dicaſtill. *num.43.* Perez, *diſp 20. num.2.* Trullench, *num.7.* Bonacin. *num.5.* Coninch, *num.18.* Enriq *libr. 6. capit.2. num.2.* Quod ſi aliquis in unâ Parochia domicilium habens, duos Parochos illius Parochiæ habeat, poterit à quolibet ex illis, etiam inuito alio, Sacramenta recipere, & matrimonio coniungi, quia uterque eſt verè Parochus ſuus, & unus non debet alterius licentiam expectare: cum par in parem non habeat imperium. *Cap. Innotuit de electiõn.* Sanchez, Enriq. Baſil. Bonacin. Coninch, *loc. cit.*

*Extrà ſuam Parochiam poteſt Parochus aſſiſtere matrimonio.*

33. Parochus extrà ſuam Parochiam exiſtens, vel etiam extrà Diœceſim, validè poteſt ſuorum ſubditorum matrimonio intereſſe. Ità Auerſa, *quæſt 6. ſect.3.* Bonacin. *n. 14.* Leand. *tract.9. diſp.7. quæſt.15.* Laym. *tract.20. cap.5. numer.6.* Dicaſt. *num.56 & 59.* Coninch, *diſp 22. num.22.* Palaus, *num 3.* Trull. *num.2.* Sanchez, *diſp.19. n.1.* Enriq. *lib.11. cap.3. n.2.* N. Anton. *ſect 6.* Et ratio eſt: quia vel aſſiſtere matrimonio eſt actus iuriſdictionis, vel non, ſed tantum ad authoritatem illi præſtandam, utroque modo poterit Parochus extrà ſuum territorium id facere, nam ſi ſolùm requiritur ad authoritatem, & fidem faciendam, ut teſtis principalis, quod eſt veriùs, ſemper Parochus eſt perſona publica, verèque Parochus illius coniugis, & Concilium ſolum petit præſentiã Parochi, quæ ſemper datur, etiamſi in alieno territorio matrimonium celebretur. Si autem talis aſſiſtentia eſt actus iuriſdictionis, adhùc poteſt extrà ſuam Parochiam illam exercere: quia non eſt iuriſdictio contentioſa cum cauſæ cognitione, quæ iudicem pro tribunali ſedentem petat; ſed voluntaria, quæ in ſolos ſubditos volentes exercetur: hæc autem iuriſdictio voluntaria, extrà proprium territorium poteſt exerceri, & ideò poteſt ſuas oues abſoluere, Euchariſtiam conferre extrà illud.

*Quoddam corollarium ex dictis.*

34. Ex quo deducitur non peccare mortalitèr Parochum, qui extrà ſuam Parochiam ſuos

ſubditos coniungeret, ſicut ſi illos abſolueret, aut Euchariſtiam illis conferret: nullum enim datur ius id prohibens, & cum aliàs nullam exerceat iuriſdictionem (ſaltem contentioſam) ſed ſolùm præbeat authoritatem, ut perſona publica, alienus Parochus non poteſt iure offendi. Ità Sanchez, *ſup. num.* 17. Trull. *num.* 2. Palaus, *n.* 3. Coninch, *num.* 22. Gutierr. *cap* 62. *num.* 6. Dicaſt. *diſp.* 3. *n.* 61. *&* Leand. cum alijs à ſecitat. *diſp.* 7. *quæſt.* 26. ¶ Et ſi obijcias contrà dicta hoc duplici numero. Primò: quod Tridentinum petit Parochum ad matrimonium aſſiſtere, ut perſonam publicam; ſed talis non eſt extrà ſuam Parochiam, & territorium. *Leg.* 3. *ff. de offic. Præſid.* ergò inualidè matrimonio aſſiſtet extrà illam. ¶ Secundò: quia etiam videtur quòd illicitè: quia Epiſcopus peccaret, ſi extrà ſuam Diœceſim Ordines conferret, ut conſtat ex *Trident. ſeſ.* 6. *cap.* 5. *de Reſor.* ergò etiam Parochus, ſi extrà ſuam Parochiam matrimonio aſſiſteret.

*Vtriuſque obiectionis ſolutio.*

35. Reſpondetur ad primum non eſſe perſonam publicam extrà ſuam Parochiam, aut territorium Parochum, iudicem, aut quemlibet alium, quoàd iuriſdictionem contentioſam, quâ conſtituitur iudex exterior, de quo erat ſermo in illa *leg* 3 benè tamen quoad iuriſdictionem voluntariam, vel quoàd authoritatem ſuo miniſterio præbendam, cum ſemper ad hoc ſit Parochus, & Paſtor illius ouis, & ſic gerat vicem perſonæ publicæ reſpectu illius. ¶ Ad ſecundum: quòd cum Ordines debeant ab Epiſcopo conferri celebrante diuina officia, induto Pontificalibus: & ideò cum quodam quaſi ſtrepitu iudiciario, non mirum ſi extrà ſuam Diœceſim non poſſit eos conferre: & quia hoc non eſt neceſſarium ad conferendam Tonſuram, diximus *tract. de Ordin. cap.* 1 *punct.* 5. *n.* 75. Poſſe extrà illam, eam conferre: talis autem ſtrepitus ad aſſiſtendum matrimonio ut perſona publica non requiritur. Quapropter non poteſt Parochua denuntiationes facere, aut ſolemnem benedictionem coniugibus, extrà ſuam Parochiam impertiri: quia hæc ſolemnem ſtrepitum requirunt, qui prohibitus eſt in alieno territorio. Imò nec aſſiſtere matrimonio io loco publico cum ſtrepitu, & concurſu, aut invito, & repugnante proprio Parocho illius territorij, ut benè notauit Auerſa, *quæſt.* 7. *ſect.* 5. §. *Maius autem.*

*Quis ſit Parochus vagorum? Et qui vagi dicantur?*

36. Sed quæres modò. Quis dicatur proprius Parochus vagorum, ut poſſit eorum matrimonijs intereſſe? ¶ Dicuntur vagi, qui nullibi certum habent domicilium, ſed de uno in alium locum vagantur. *Leg. eius, qui manumiſit* 27. §. *fin. ff. ad Municip.* Etiam dicuntur vagi, qui deſerentes proprium domiciliũ nauigant, vel iter agunt quærentes, ubi ſe colligant: quia tales ſinè domicilio ſunt, & ſic vagi nuncupantur, ut *ex ead. leg.* conſtat. Similiter eſt vagus, qui deſerens prius domicilium aliò tendit, ut in eo loco ſe collocet, quamdiù iter agit: qoia quandò eſt in viâ, non habet domicilium: priùs enim facto, & animo deſeruit, & poſteriùs ſolùm animo, non animo, & facto, ſeu babitationem, acquiſiuit, quod requiritur, ut domicilium acquiratur ut diximua *tract. de Ord. c.* 4. *n.* 48. Similiter eſt vagus, qui deſertâ priori Parochiâ nondum ſtatuit, ad quam migraturus ſit, ſi quærens domum interim in aliquâ hoſpitetur; quia qui eſt alicubi ut hoſpes, non cenſetur ibi habitare, *leg.* 1. §. *Hæc autem, ff. de His, qui deiecerunt.* Et hic priorem Parochiam amiſit non acquiſitâ altâ: Quibus ſuppoſitis.

37. Dicendum eſt quemcumque Parochum poſſe vagorum matrimonio intereſſe, & Pœnitentiam, aliaque Sacramenta impertiri, quæ poteſt ſuis ſubditis: quia cum non habeant Parochum determinatum, omnes ſunt illorum Paſtores, quandò illis ſubduntur, quoad receptionem Sacramentorum: & etiam quia legibus illorum locorum adſtringuntur, in quibus inueniuntur: & ideò ubique forum ſortiuntur, & poſſunt, pro delictis alibi geſtis in illo loco puniri. Tenet Sanchez, *diſp.* 25. *n.* 11. Enriq. *n.* 3. Trull *dub.* 2. *n.* 8. Bonacina, *n.* 6. Baſil. *cap.* 14. *n.* 5. Coninch, *n.* 20. Ledeſ. *quæſt.* 45 *art.* 5. *punct.* 3. *fol.* 193. Dicaſt. *loco ſupra cit. n.* 52. Palaus, *diſp.* 2 *punct.* 13 § 9. *n.* 11. Imò ſi alter coniugum fuerit incola, alter vagus, poſſunt coram quocumque Parocbo coniungi: quia ut diximus *n.* 24. ad valorem mattimonij ſufficit Paroebus proprius alterius contrabentis. Trull. Sanch. Dicaſt. Palao, *loc. cit.* & poteſt quilibet Parochus licentiam præbere cuilibet Sacerdoti, ut tali matrimonio aſſiſtat loco illius: quia utrumq; eſt munus proprij Parocbi, vel quod ipſe aſſiſtat, vel quod licentiam alteri Sacerdoti præbeat ad aſſiſtendũ, ut conſtat ex *Trid ſeſ.* 24. *c.* 2.

*Quid debeat facere Parochus vagorum matrimonio aſſiſtens?*

38. Sed non poteſt Parochus, aut alius ex licentia illius vagorum matrimonio intereſſe, niſi præmiſsâ diligenti inquiſitione, & ab Epiſcopo illius Diœceſis obtentâ licentiâ, ut habetur expreſsè in Trident. *ſeſ.* 24. *cap.* 1. Quod etiam aſſerendum eſt extenſione quâdam, & identitate rationis, de alienigenis alibi fixum domicilium habentibus. Coninch, *n.* 20. Sanchez, *n.* 8 Baſil. *n* 3. Quia eadem ratio currit in illis, cum ignotâ ſint, & poſſunt eſſe vincti matrimonio in alio loco niſi fortè eâ ætate illùc venerint, qoà incapaces eſſent contrahendi in alio loco: quia tunc ceſſat ratio, & finis Concilij. Similitèr non intelligitur hoc de omnibus vagis, ſed de illis, qui de uno in alium locum vagantur abſque ſedibus certis. Illi verò, qui in eodem loco vagi ſunt, quia certam non habent Parocbiam, licèt verè vagi ſint, ut diximus, in hoc Concilij decreto non comprehenduntur, quia iam ſunt in illo loco cogniti: & ſic præmiſſis denuntiationibus, poſſunt à quolibet Parocho coniungi. Peccat mortaliter Parochus, vel alius, qui de eius licentia matrimonio vagorum certam ſedem non habentium matrimonio aſſiſtit abſquè licentiâ Epiſcopi, & præmiſsà diligenti inquiſitione: quia violat Tridentini præceptum in re grauiſſimà. Baſil. *num.* 8. Sanchez, *num.* 16. Palao, *num.* 11. Validum tamen remanet matrimonium. Tum: quia ad eſſentiam matrimonij ſola Parochi, & duorum teſtium aſſiſtentia requiritur. Tum etiam: quia ad eundem finem exigit *Concilium ſeſ.* 24. *cap.* 7. diligentem inquiſitionem, & Ordinarij licentiam pro matrimonio vagorum, ad quem *Cap.* 1. petit, quod pro omnibus denuntiationes præmittantur; ſed ſi omittantur denuntiationes, validum remanet matrimonium: ergò etiamſi diligentia, aut licentia non adhibeatur in caſu noſtro, remanet validum. Baſil. *numer.* 8. Sanchez, *num.* 17. Enriq. *num.* 3. Ledeſ. *circà* 3. *punct. fol.* 193.



Digitized by Google

## PVNCTVM IV.

*De qualitatibus, quæ debent eſſe in Parocho, ut poſſit matrimonio aſſiſtere.*

*Quomodò Parochus eſſe poſſit, & non Sacerdos?*

39. TRia ſunt in hoc puncto diſcutienda. Primum. An debeat eſſe Sacerdos Parochus matrimonio aſſiſtens? Secundum. An poſſit excommunicatus, irregularis, ſuſpenſus, &c. Validè, & licitè matrimonio aſſiſtere? Tertium. An Parochus non habens verum titulum, ſed communiter iudicatur habere illum, poſſit validè aſſiſtere matrimonio? Et circà primum ſupponendum eſt, poſſe Parochum eſſe, & verum titulum talis habere, quin ſit Sacerdos: nam in *Cap. Licet, Canon. de elect. in 6.* poteſt poſt collatum beneficium per annum eſſe abſque Sacerdotij Ordine, quamuis debeat ordinari Sacerdos intrà illum. Et in *cap. Cum ex eo, de election. in 6.* poteſt ex licentia Epiſcopi cauſâ ſtudiorum per ſeptennium non ordinari. Quæritur ergò. An in illo tempore poſſit validè aſſiſtere matrimonio? Et ſtatim videbimus, an licitè?

*Parochus non Sacerdos poteſt aſſiſtere matrimonio.*

40. Licèt ſit probabilis opinio plurimorum Doctorum, quos ad ſocietatem refert Sanchez, *lib. 3. diſp. 20. num. 2.* negatiuè ad quæſitum reſpondentium. Verior tamen, & probabilior eſt ſententia, quæ dicit validum eſſe matrimonium, cui aſſiſtit Parochus non Sacerdos. Et idem eſt de Epiſcopo, vel eius Vicario, qui nomine Parochi quoad hoc munus à nobis comprehenduntur. Quam tenent ipſe Sanchez, *ibi, n. 3.* Palaus, *diſp. 2. punct. 13. §. 10. n. 2.* Auerſa, *quæſt. 6. ſect. 5.* Coninch, *diſp. 27. dub. 2. num. 21* Baſil. *lib. 5. c. 17. n. 1.* qui affert deciſionem Dominorum Cardinalium Sacræ Congregationis prò hac parte. Bonacin *quæſt. 2. punct. 8. num. 16.* Enriquez, *lib. 11. cap. 3. num. 5. & lib. 14. cap. 6. num. 3.* Villalob. *tract. 13. diff. 21. num. 2.* Ledeſm. *quæſt. 45. art. 5. punct. 3 dub. 3. concluſ. 3.* Dicaſt. *diſp. 3. dub. 9. num. 65.* Trull. *lib. 7. capit. 5. dub. 2. num. 14.* N. Gabr. *num. 70. diſp. 3.* Anton. *ſect. 7.* Franciſc. *num. 92.* Goner, *num 56.* Herinx, *num. 13* Leand. *tract. 9. diſp. 7. quæſt. 22* qui citat Suarez, *de excom. diſp. 11. ſect. 2. num. 17.* Sa, *verb. Matrimon num. 1.* Gutierr. *cap. 62. num. 16.* Ochagauia, *tract. 3. quæſt. 9. n. 3.* Fillioc. Hurtad. & Barboſ.

*Rationibus probatur.*

41. Et probatur primò: quia cum ſæpè *Concil. ſeſſ. 24 cap. 1.* memoriam Parochi faciat, qui matrimonio aſſiſtere debet, nunquàm eum Sacerdotem debere eſſe dixit: ergò non eſt qualitas in eo requiſita ad intentũ; ſi enim eſſet in re adeò graui ad matrimonij valorẽ requiſita, nunquam eam Concilium omitteret. ¶ Secundò: quia decretum Concilij exigens Parochi aſſiſtentiam eſt correctiuum iuris communis: ergò eius verba non ſunt amplianda, ſed reſtringenda: ergò cum non aſſignet pro qualitate Parochi, quòd ſit Sacerdos, non debet dici hoc eſſe ad valorem matrimonij requiſitum. ¶ Tertiò: quia ad intentum, & finem Concilij non requiritur in Parocho Sacerdotium, ſiquidem aſſiſtendo matrimonio non exercet actum Ordinis; ſed præcisè requiritur eius præſentia, ut Eccleſiæ conſtet de matrimonio, quòd æquè fieri poteſt, ſi illi aſſiſtat Parochus non Sacerdos.

*Obiectio ex Concilio, & reſponſio illius.*

42. Sed obijcies cum Authoribus contrariæ ſententiæ: quòd in decreto Concilij habetur: *Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote.* Vbi *ly alio* ſimile repetit: dictio enim *Aliud* eſt repetitiua ſimilium, argumento ex *leg. Quidam vulgatus ff. de reb. dub.* Ergò cum dicat Concilium alium Sacerdotem de licentia Parochi poſſe aſſiſtere, denotat Parochum debere eſſe Sacerdotem. ¶ Reſpondetur: quòd licèt ly *Aliud*, vel *alius* aliquandò repetat ſimilia, aliquandò verò tàm in ſacris literis, quàm in iure diſſimilia: & ideò ex ſubiectâ materiâ venandum eſt quandò unum, & quandò aliud, ut conſtat Matth. 18. Marci. 15. Lucæ 21. Vbi dicitur: *Ducebantur alij duo nequam: Crucifixi ſunt cum eo alij duo latrones.* Vbi ly *alij* ſimile non repetit. Quod etiam colligitur ex *cap. Nouatianus 7. quæſt. 1. & cap. Apoſtolica, diſt. 54.*

43. Addimus ad hoc: quòd licèt *alius* ſimile repeteret in caſu noſtro, hoc fieret: quia frequenter, & regulariter Parochus eſt Sacerdos; non quia hoc ſit neceſſarium ſimpliciter: & ideò in *cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſion.* dicitur neminem poſſe confiteri alieno, ſinè licentiâ proprij Sacerdotis; & tamen communiter tenent Doctores Parochum, & Epiſcopum, non Sacerdotem, poſſe hanc licentiam præbere. Et *cap. Nuper, de ſentent. excomm.* abſolutio ab excommunicatione non reſeruatâ committitur proprio Sacerdoti; & tamen Parochus non Sacerdos poteſt eam impertiri.

*Aſſiſtens de licentia Parochi debet eſſe Sacerdos.*

44. Imò etiam Parochus non Sacerdos poteſt alteri, qui non ſit Parochus licentiam aſſiſtendi matrimonio præbere, etiamſi ipſe iuxtà ſententiam probabilem, non poſſet matrimonio aſſiſtere: quemadmodum poteſt Parochus non Sacerdos licentiam alteri dare, ut ſuas oues abſoluat, ut alia Sacramenta adminiſtret illis; quod tamen ipſe per ſe ipſum facere non poteſt. Ità Dicaſtill. *num. 68.* Baſil. *num. 4.* Sanchez, *num. 7. &* Leand. *quæſt. 24.* Ille verò, cui Parochus, ſiuè Sacerdos, ſiuè non, committit licentiam aſſiſtendi matrimonio, debet eſſe Sacerdos, quia expreſsè habetur in Trident. ibi: *Vel alius Sacerdos de illius licentia.* Et verba propriè, & iuxtà communem ſenſum ſunt accipienda, Palaus, *num. 5.* Sanchez, *num. 10.* Leand. *diſp. 7. quæſt. 24.* Bonacin. *num. 16.* Trull. *n. 14.* Qui benè notant non requiri, ut ſit approbatus, vel ad confeſſiones expoſitus: quia id à Concil. non petitur.

*Licitè poteſt Parochus non Sacerdos matrimonio aſſiſtere.*

45. Sed difficultas eſt. An licitè Parochus non Sacerdos poſſit matrimonio aſſiſtere? ¶ Peccare mortaliter in tali caſu tenet Ledeſm. *dub. 3. concluſ. 3.* Et apud Leandrum, Sanctius, *in Select. diſp. 24. num. 13. & 14.* Vel quia ſponſos debet benedicere illis verbis: *Ego vos coniungo in nomine, &c.* quòd eſt proprium munus Sacerdotis: vel quia eſſet cauſa, quòd ſponſi uterentur opinione probabili circà valorem matrimonij, quòd fieri non poteſt licitè: ſiquidèm circà materiam, aut formam, aut alia, ad valorem Sacramentorum requiſita, non poteſt aliquis uti opinione probabili: quia exponeret ſe periculo Sacramentum non conficiendi: eſt autem probabile, ut iam diximus, requiri, quòd Parochus ſit Sacerdos, ad valorem matrimonij: ergo non Sacerdos non poterit licitè illi aſſiſtere. ¶ Verius tamen dicendum eſt non



Digitized by Google

peccare ullo modo, etiamſi abſque neceſſitate id faciat. Ità Palaus, *num.*4. Sanchez, *diſput.*20. *num.*4. Baſil. *num.*4. Auerſa, *quæſt.*6. *ſection* 5. §. *Neque verò*, Leand. *quæſt.*23. Dicaſtill. *num.*67. N. Gabr. Anton. Franciſc. *loc.cit.* Eo quòd benedictio, quæ inter Miſſarum ſolemnia non fit, & vulgò dicitur: *Velaciones*, ſed priuatim illis verbis: *Ego vos*, &c. à non Sacerdote poteſt impertiri: nec exponit matrimonium periculo nullitatis: quia in re pendente ex iure poſitiuo, quandò adeſt probabilis opinio, Eccleſia ſupplet defectum, ſi adſit, & facit valere matrimonium ſic celebratum: quemadmodum ſi adſit error communis, & titulus coloratus in Parocho, poteſt validè aſſiſtere matrimonio, ut iam diximus, ſupplente Eccleſia, quod illi deficit, ut ſit verus Parochus. *Argument. ex leg. Barbarius Philipus*, *ff. de lege Prætoris.* Ità docet Auerſa, *citat.* Bonacin. *numer.*26. Sanchez, *n.*4. Quidquid ſit in alijs Sacramentis, imò etiam in ipſo matrimonio in his, quæ pendent ex iure diuino, an poſſit aliquis uti materia probabili, quandò ex ſpeciali Eccleſiæ præcepto, vel conſuetudine hoc non prohibetur? Quod fieri poſſe licitè docet Palaus, *loc. citat. & tract.* 1. *de conſcient. diſp.*2. *punct.* 5. *Nec non* Sanchez, *ſupr. n.*4. *ex* Salon. 2. 2. *quæſt.*63. *art.*4. *controverſ.*2 *in ſolut. ad* 3.

*An Parochus excommunicatus validè aſſiſtat matrimonio?*

46. Secundum, quod hoc puncto examinandum propoſuimus eſt. An Parochus excommunicatus (& loquimur de non tolerato, ut publicus percuſſor Clerici, vel publicè denuntiatus, qui vitandus dicitur, nam de tolerato, ſeu non vitando non eſt dubium validè matrimonio aſſiſtere: nam iuxtà *Concil. Conſtantienſe.* Et iuxtà *Extrauagantem ad euitandam* Martini V. actus iuriſdictionis facti per tales valent, peccant tamen eos ſinè neceſſitate exercendo modo infrà dicendo de non tolerato) vel irregularis, vel ſuſpenſus, qui non eſt in iudicio, Parochiali beneficio priuatus, ac omninò depoſitus, poſſit validè aſſiſtere matrimonio? ¶ Reſpondetur affirmatiuè. Ità Ledeſ. *punct.*3. *dub.*3. Bonacin. *n.*18. & 21. qui affert declarationem Cardinalium pro hac parte. Palaus, *n.*6. & apud ipſum Gutierr. *num.*232. Zeuall. *practicar. quæſt.* 604. *num.* 65. Tenet etiam Sanchez, *diſp.*21. *num.*4. Coninch, *n.*24. Enriq. *n.*4. & 5. Auerſa, Dian. 3. *part. tract.* 4. *reſol.*233. Dicaſt. *dub.*10. *n.*19. Baſil. *n.*6. Trull. *num.*12. Leand. *diſp.*7. *quæſt.*25. N. Gabr. *num.*71. Anton. *num* 144. Et ratio eſt. Tum: quia hoc ipſo, quòd beneficio non ſit priuatus, verè Parochus eſt: at Concilium ſolùm aſſiſtentiam Parochi requirit. Tum etiam, quia aſſiſtentia Parochi requiritur, ut teſtis qualificatus, qui teſtificari poſſit de contracto matrimonio, non verò ut iuriſdictionem exercens: & ſic ſi inuitus matrimonio aſſiſtat validum redditur, ut hoc capite dicemus, cum tamen iuriſdictio inuoluntariè non poſſit exerceri. ¶ Ex quo deducit Baſil. *num.* 10. *ex* Suarez, *de excommun. diſp.* 11. *ſect.* 2. *n.* 17. non fieri irregularem Parochum excommunicatum matrimonio aſſiſtentem: quia hæc non eſt adminiſtratio Sacramenti, nec uſus Ordinis: & ideò à Parocho non ordinato fieri poteſt, ut iam diximus. Sed quamuis deberet eſſe ordinatus, ut debet eſſe is, qui de illius licentia matrimonio aſſiſtit, adhùc neuter irregularitatem incurreret, ſi excommunicatus aſſiſteret matrimonio: quia non exercet actum Ordinis: ſed ordinatio eſt in illo quædam qualitas ad maiorem fidem requiſita.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

47. Sed obijcies: quòd excommunicatus non toleratus non poteſt eſſe teſtis, nec eius valet teſtimonium, *capit. Veniens* 2. *de teſtib. & atteſt. capit. Decernimus, de ſentent. excommunic. in* 6. Ergò cum debeat ut teſtis aſſiſtere matrimonio, non poterit excommunicatus non toleratus illi aſſiſtere. ¶ Reſpondetur primò: quòd licèt excommunicatus vitandus non poſſit communiter, & regulariter eſſe teſtis, poteſt tamen in caſibus, in quibus poſſunt eſſe teſtes infames: at in fauorem matrimonij infames poſſunt eſſe teſtes illius, ut iam diximus. ¶ Secundò: quia licèt excommunicatus repellatur, ut ſit teſtis: ſi tamen non repellitur, valet eius teſtimonium, *capit. Pia* 1. *de exception. in* 6. ¶ Tertiò: quia Parochus propriè non aſſiſtit ut teſtis, ſed ut notitiam accipiat, & poſſit poſteà de matrimonio teſtificari: & ideò ad ſummum non debet eſſe excommunicatus, quandò teſtimonium poſteà dederit.

*An peccet mortaliter aſſiſtens matrimonio? Duplex ſententia.*

48. An verò peccet mortaliter Parochus excommunicatus non toleratus matrimonio aſſiſtens: Dubium eſt inter Doctores. Aliquibus aſſerentibus ipſum mortaliter delinquere: quia in re graui, & ſacrà, contrà Eccleſiæ prohibitionem communicat cum alijs. Ità Coninch, *num.*24. Baſil. *num.*11. qui citat Couarruu. Niſi adſit grauis neceſſitas, ut in articulo mortis, vel aliâ inſtante graui neceſſitate, quia tunc non peccabit. Idem Baſil. *n.*12. *ex* Suarez, *de Cenſur. diſp.* 11. *ſect.* 1. *num.* 24. ¶ Alij verò negant in tali caſu peccare mortaliter: quia cum ſit ſuum munus, communicat cum alijs in re neceſſaria ad aliorum utilitatem requiſita, quæ non eſt exercitium Ordinis, nec Sacramenti adminiſtratio. Ità Sanchez, *diſputat.*21. *numer.*8. Dian. *reſolut.* 223. Dicaſtill. *num.*78. Villalob. *tom.*1. *tract.*13. *diff.*18. *num.*7. Leand. *diſp.*7. *quæſt.*27. ex Hurtad. *diſp.* 5. *diff.*3. *num.*17. N. Gabr. Anton. *num.*148. quorum aliqui dicunt nec venialiter peccare in tali caſu.

*Etiam qui prohibitus eſt aſſiſtere matrimonio validè aſſiſtit.*

49. Ex dictis deducitur: quòd ſi Parochus ob crimen, vel imperitiam priuatus eſſet ab Epiſcopo aſſiſtere matrimonio, & alia Sacramenta adminiſtrare, validè nihilominus matrimonio aſſiſteret: quia talis prohibitio actum reddit illicitum, non inualidum: eo quòd Parochi qualitatem relinquit, ut ſupponimus, quam Tridentinum expoſtulat ad matrimonij valorem. Ità Bonacin. *n.*19. & 21. Palaus, *n.*7. Coninch, *num.*28. Auerſ. *ſect.*5. §. *Concedendum*, Enriquez, *libr.*11. *capit.*3. *num.*4. Sanchez, *num.* 11. Baſil. *numer.* 13. ubi affert ad hoc declarationem Congregationis Sacræ, quam etiam refert Dicaſtill. *dub.*10. *num.*70. Peccat tamen mortaliter: quia frangit iuſtum præceptum ſui ſuperioris in re graui.

*An poſſit alteri aſſiſtendi licentiam præbere?*

50. Sed grauis difficultas eſt. An Parochus excommunicatus vitandus, vel ſuſpenſus poſſit licentiam præbere alteri Sacerdoti, vel excommunicato, vel non excommunicato, aut ſuſpenſo, validè aſſiſtendi matrimonio? ¶ In quo eſt duplex ſententia ſatis probabilis. Prima negatiua, quam tenet Coninch, *ſup. num.*25.

Laym.

Laym. *lib.5. tract.10. part.2. cap.4. num.5.* Ledeſ. *dub.* 4. Dicaſtill. *numer.*75. qui citat Gutierr. *num.*89. Soto, *in 4 diſt.*18. *quæſt.*4.*art.*3. Syluest. *Confeſſ.*2. Suarez, *diſp.*14. *ſect.*1.*num.*7. *& de pœnit. tom.*4. *diſp.*27. *ſect.*1.*num* 5. quia conceſſio licentiæ eſt actus iuriſdictionis, & dominij, *cap. Audiuimus* 24. *quæſt.*1. quem non poteſt exercere, qui eſt excommunicatus.

*Affirmatiua ſententia diligitur.*

51. Secunda eſt affirmatiua, quæ eſt probabilior. Et ratio eſt: quia ex unâ parte Parochus habet à Concilio facultatem præbendi hanc licentiam alteri; & ex aliâ non requiritur in eo, qui ex eius licentia aſſiſtere debet, præter qualitatem Sacerdotij: his ergò exiſtentibus omnia requiſita à Concilio reperiuntur. Nec talis licentiæ conceſſio eſt actus iuriſdictionis, ſed dominij, & poteſtatis, ſicut ſuorum bonorum communicatio, quam fieri poſſe ab excommunicato nemo dubitat, vel ad ſummum eſt ſubſtitutio teſtis qualificati, cui conceſſum eſt à Concilio, ut alium ſuo loco poſſit ſubſtituere, quod ab excommunicato poteſt fieri. Ità Trull. *lib 7. cap.5. dub.2. num.*13. Bonacin. *num.*22. Dian. *reſol.*233. Baſil. *num.*14. *& apud ipſum* Zebalh. *quæſt.*604. *num.*120. Gutierr. *cap.*62. *num.*24. Tenet etiam Sanchez, *diſp.*21. *num.*8. Palaus, *ſupr. numer.*8. Enriq. *num.* 5. *& libr.*13. *cap.* 1. *num.*13. Leand. *quæſt.*26. N. Anton. *num.*146.

*Dupliciter poteſt Parochus eſſe abſque vero titulo.*

52. Tertium, quod propoſuimus hoc loco inueſtigandum eſt. An ille, qui verus Parochus non eſt, habetur tamen ut talis communitèr, poſſit validè aſſiſtere matrimonio? Quod bifariàm poteſt accidere. Primò, ſi abſque vero titulo à ſuperiore legitimo collato intruſus eſſet. Secundò, ſi verum titulum habeat à ſuperiore legitimo conceſſum: ſed vel reuocatus eſſet occultè, vel à iure priuatus eſſet illo, vel quandò eum accepit, eſſet inhabilis ad eum: quia erat excommunicatus, vel alio impedimento irretitus. In omni autem caſu requiritur error communis, quo iudicatur verum eſſe Parochum; & non ſufficit huius, vel illius ignorantia: & error non debet eſſe ſupinus, craſſus, ſed probabilis, in quo omnes Doctores conueniunt. Et quod dictum fuerit de Parocho validè matrimonio aſſiſtente, vel non, in his caſibus cum proportionè dicendum eſt de miniſtro pœnitentiæ, aut aliorum Sacramentorum, quandò error eſt circà ea, quæ ſunt de iure poſitiuo, ſi tamen error eſſet circà ea, quæ ſunt de iure diuino, & naturali, nihil conducit, ut validè fiant, quæ abſquè tali qualitate eſſent invalida, ut ſi Parochus eſſet mulier, quæ ut vir communitèr habebatur: ſi non eſſet Sacerdos, qui putabatur talis in ordine ad abſolutionem impertiendam.

*Titulus coloratus cum errore communi ſufficit, ut validè aſſiſtat.*

53. Dicimus ergo: quod ſi Parochus à legitimo ſuperiore obtinuit beneficium Parochiale, invalidè tamen: quia excommunicatus, vel irregularis erat, vel validè, poſteà tamen fuit priuatus, illo titulo vel per ſententiam iudicis, vel à iure, ſed nondum ſpoliatus tali beneficio, & ſit error communis, quo verus Parochus putatur: tam matrimonium, cui aſſiſtit, quam alia facta per ipſum, ut abſolutio, vel extrema unctio. &c. Sunt valida, adeſt enim titulus coloratus, & error communis. Idem dicendum eſt de alijs Iudicibus, & officialibus, qui iuriſdictionem à iurè, vel ab homine recipiunt, *leg. barbarius Philipus, ff. de offic. Prætor. cap. infamis* 3. *quæſt.*7. Et ratio eſt: quia ius propter vitanda plurima incommoda, & grauiſſima inconuenientia, quæ oriuntur ex nullitate actuum, conceſſit poteſtatem inhabili, qui per errorem communem illam habere iudicatur. Ità Dicaſt. *num.* 87. Palaus, §.10. *num.*10. Sanchez, *lib.*3. *diſp.*22. *à n* 5. Coninch, *num.*26. Baſil. *cap.*19. per totum, Bonacin. *à num.* 24. Enriq. *num.*4. Trullench, *loc. cit. num.*10. Leand. *diſp* 7. *quæſt* 29. N. Gabr. Anton. *num.* 151. Et alij ab his citati. Quod verum eſt, etiamſi contrahentibus conſtet de nullitate tituli: eo quod particularis notitia errorem communem non aufert, ratione cuius ius conceſſit miniſtro iuriſdictionem; ſicut econtrà error particularis non ſufficit, ut Parochus eam recipiat, ſi communitèr non habetur, ut talis. Ità Sanchez, Palaus, Dicaſt. Bonacin. Trull. Baſil. *ſuprà citati.*

*Quid, ſi abſque titulo ſit intruſus?*

54. At verò quandò titulum à ſuperiore legitimo Parochus non accepit, ſed abſquè titulo colorato intruſus eſt, difficultas eſt: an ſint geſta per ipſum valida, & conſequenter matrimonium, cui aſſiſtit? Partem affirmatiuam tenent Baſil. *lib.*5. *cap.*20. *à num.*2. qui plures textus, & authores pro hac parte adducit. Sequitur eum Leand. *quæſt.* 30. *&* 2. *part. tract.*5. *diſp.*11. *quæſt.* 102. Et probabilem dicit Palao, *hic n.*9. aſſerentes ſufficere populi errorem communem ad iuriſdictionem concedendam. Et ratio eſt eadem: quia ob euitanda damna communia ius concedit, talem facultatem non habenti illam, quandò error eſt communis, & titulus inualidè à ſuperiore acceptus: ergo etiam quandò talis titulus deficit, talem iuriſdictionem ob errorem communem concedit, quod pluribus exemplis illuſtrat Baſil. *loc. citat.* quæ ſatis probabilem hanc ſententiam relinquunt. ¶ Verior tamen, & communior eſt ſententia negans: quia ſolus error communis cum titulo colorato talem iuriſdictionem, vel poteſtatem non habenti, vel inhabili impertitur, quam ſequitur Sanchez, *num* 49. *&* 50. Palaus, *n.*9. Coninch, *num.*26. Bonacina, *num.*25. Trullench, *capit.* 5. *dub.* 2. *numer.* 10. Plures textus, & Authores videri poterunt apud Sanchez, *loc citat.* prò hac parte.

*Qui poſſint de iure ordinario matrimonio aſſiſtere?*

55. In calce huius puncti placuit breuiter proponere, qui poſſint præter Parochum aſſiſtere matrimonio? Et quæ licentia, & quomodò conceſſa, in eo, qui nomine eius aſſiſtit? Et in primis tenendum eſt Epiſcopum, & Archiepiſcopū in ſuis Diœceſibus eſſe Ordinarios ad hoc munus comparatione ſuorum ſubditorum, ſed Archiepiſcopus non reſpectu ſuffraganeorum, niſi quandò actu viſitat eos, *cap. Paſtoralis, de offic. Ordin.* Deindè Cardinalis reſpectu Eccleſiæ ſui tituli. Etiam omnes Legati Pontificis in Prouincia ſuæ legationis. Etiam Capitulum. Sede vacante, ſeu eius Vicarius. Similiter Abbas Eccleſiæ nulli Epiſcopo ſubditæ, *Cap. Ioannes. de teſtament.* Deniquè omnes illi, qui iuriſdictionem habent quaſi Epiſcopalem comparatione ſuorum ſubditorum. Legatur Sanch. *libr.* 3. *tota diſput.*28. Palaus, *diſput.*2. *punct.*13. §. 11. Coninch, *diſputat.* 27. *dub.*2. *à num.* 17.

Enri-

Enriquez, *libr.9. capit.3. à num.13.* Idem dicendum eſt de Vicario Generali Epiſcopi, ſeu Prouiſore: eo quòd talis Vicarius Generalis unum Tribunal cum Epiſcopo, unamque iuriſdictionem conſtituat, *Capit. Romana, de appellation. in 6. & cap.2. de conſuetud. eodem lib.* Coninch, *num.17.* Sanchez, *diſp.29. num.18.* Palaus, *ſup. n.3.* Baſil. *lib.5. cap.11. n.1.* N.Gabr. *num.72.* quidquid alij in oppoſitum reclament.

*Quomodò ſit concedenda licentia alteri aſſiſtendi matrimonio?*

56. Non requiritur, quod Parochus, vel Ordinarius alio Sacerdoti præbens licentiam aſſiſtendi matrimonio, eam ſcripto conferat; ſed ſufficit, ſi oretenus, nec quòd in particulari ad hoc munus concedat, ſed ſi generaliter ad omnia munia Parochi exercenda illi conferat, vel ad omnia Sacramenta ſuis ſubditis conferenda: Concilium enim ſolum licentiam exigit, non verò quod ſcriptis, vel in particulari concedatur. Sanchez, *diſput.35. num.10.* Baſil. *capit.29. num.12. & in princip.* Palaus, §. 12. *numer.5.* Sufficit etiam talis licentia, quamuis ſit metu, aut dolo extorta: quia per eam nil conceditur Sacerdoti, quod in eius dominium tranſeat, ſed ſolum ut aſſiſtat matrimonio tamquam teſtis qualificatus, qui poſſit Eccleſiæ teſtificari de matrimonio. Coninch, *num.37.* Sanchez, *diſp.39. num.13 & 14.* N.Gabr. *n.77.* Sufficit etiam tacita licentia de præſenti, quam cenſetur concedere Parochus, videns Sacerdotem ſe diſponentem ad aſſiſtendum matrimonio, nec prohibentem: non verò ſufficit tacita licentia de futuro, ſeu ratihabitio, ſiquidem matrimonium fieri debet, vel præſente Parocho, vel alio, qui ab ipſo licentiam habeat, non qui habiturus eſt. Sanchez, *diſp.35. n.20.* Palaus, *n.4.* Baſil. *n.1.* Coninch, *dub 3. n 31.* Semper tamen debet Sacerdos notitiam habere de licentia ſibi conceſſà, ut poſſit validè matrimonio aſſiſtere: eſt enim quoddam priuilegium, & quaſi quædam donatio, quæ non prodeſt, niſi acceptetur, nec acceptari poteſt, niſi ſciatur. Argumentum textus *Capit. Si tibi abſenti, de Præbendis in 6. & cap.1. de conceſſione Præbendæ in 6.*

## PVNCTVM V.

### *Quæ aſſiſtentia Parochi, & teſtium requiratur ad matrimonium?*

*Quomodò Parochus, & teſtes debeant aſſiſtere matrimonio?*

57. PRæter Aſſiſtentiam Parochi requirit *Concilium Trident. ſeſſ.24. cap.1.* duorum, vel trium teſtium præſentiam ad valorem matrimonij, qui diuerſi debent eſſe ab ipſo Parocho: & ideò nullum erit matrimonium coram Parocho, & unu teſte contractum, ſed ad minus debent eſſe duo, qui ſimul cum Parocho ſimultate phyſica, & reali tàm temporis, quàm loci aſſiſtere debent eſſentialibus matrimonij, id eſt, utriuſq; coniugis expreſſioni conſenſus: quarè ſi unus unius coniugis expreſſioni interſit, alter alterius coniugis, nihil fiet. Vel ſi teſtes hoc tempore, & Parochus illo coniugum conſenſui expreſſo adfuerit, irritum erit matrimonium: nam Concilium Parochi, & duorum teſtium aſſiſtentiam requirit ad eius valorem, & ly, & eſt copulatiuum: & ſic ſimultatem omnium depoſcit, ut poſſint conteſtes fieri de matrimonio, ſi neceſſitas poſtulauerit. Ità Sanchez, *diſp.41. numer.3.* Auerſa, *quæſt 6. ſect.5.* Bonacina, *num 41.* Trullench, *lib.7. cap.6. dub.5. num.1.*

*Videtur, quòd teſtes debent eſſe omni exceptione maiores.*

58. Sed quæres. An dicti teſtes debeant eſſe omni exceptione maiores? Dicuntur autem teſtes omni exceptione maiores illi, quibus non poſſit apponi exceptio in iudicio: quia vel ſunt ætate prouecti, nimirum iam pubertatem nacti, famâ, & probitate conſpicui, vel non ſunt infames, excommunicati, propinqui, vel aliàs ſuſpecti, & videtur tales teſtes ad matrimonium requiri. Tum: quia in *Capit.1. de Conſanguinit.* admonuit Pontifex in cauſis matrimonialibus teſtes debere eſſe circumſpectos, & omni exceptione maiores. Tum etiam: quia in alijs rebus grauibus tales qualitates in teſtibus requiruntur, *capit. Epiphanium 5. quæſt.6. & leg. ſciant cuncti. C. de Probation.* Sed matrimonium eſt res ardua, & grauiſſima: ergo, &c.

*Minimè aliæ qualitates in teſtibus requiruntur.*

59. Nihilominùs dicendum eſt non requiri, quod ſint teſtes omni exceptione maiores, ſed quicumque ſint ſufficere ad valorem matrimonij: & ideò infantes antè pubertatem, ſi ſint iudicij compotes, & intelligant, quid agatur, infames, excommunicati, fœminæ, conſanguinei, imò etiam ipſi parentes, familiares, ſerui, ac etiam infideles, poſſunt ut teſtes aſſiſtere matrimonio. Ità Sanchez, *diſp 45. num 5.* cum multis Auerſa, *5. Communis tamen*, Palaus, *punct.13. §.13. n.3.* Dicaſt. *diſp 3. dub.18. n.157.* Coninch, *diſp 27. dub.4. num 41.* Trull. *cap.6. dub.5. num.2.* Bonacina, *quæſt.2. punct.8. num.43.* Laym. *lib.5. tract.10. part.2. cap.4. n 6.* N.Gabr. *num 78.* Anton. *n.175.* Franciſ. *n.104.* Imò non requiritur, quòd ſint vocati, aut ad matrimonium adducti, ſed ſufficit, ſi aſſiſtant etiã dolo tracti, aut vi detenti, vel caſu tranſeuntes, ſi tamen verè quod agitur, percipiant: Tenent Trull Sanch. Bonacin. Conin. & N.Gabr. de quo infrà erit ſermo. Probatur ergò concluſio primò: quia Concilium nullas qualitates in teſtibus requirit, & non prætermitteret eas, ſi ad valorem matrimonij eſſent neceſſariæ; ſed ſolùm dicit duos teſtes debere adeſſe: ergò non requiruntur tales qualitates: quia cum hi decretum correctiuum iuris communis, non eſt extendendũ, ultrà id, quod expreſsè continet. ¶ Secundò: quia ſi tales qualitates in teſtibus requirerentur ad valorem matrimonij, paſſim illis opponeretur exceptio in iudicio, ex quo daretur occaſio pluribus dubijs, & litibus contrà valorem matrimonij, cum maximis perturbationibus, & periculis, quæ ut euitarentur, noluit Concilium illas qualitates requiri in teſtibus, ad valorem matrimonij.

*Soluitur argumentum contrarium.*

60. Ad contrarium argumentum reſpondetur. Et in primis ad text. in *cap.1. de conſanguinit. et.* dicimus, ibi eſſe ſermonem in caſu, quo agatur cauſa contrà matrimonium, ad illud diſſoluendum, tunc enim fatemur, teſtes debere eſſe omni exceptione maiores: quia deſtruere matrimoniũ eſt res odioſa tam parentibus, quàm Eccleſiæ, ad quam proindè teſtes qualificari undequaque requiruntur. ¶ Ad ſecundum dicimus. quod hęc lex ſpecialis eſt in fauorem matrimonij, ut quicumque teſtes ſufficiant ad euitanda plura damna, & pericula. Quarè ſicùt antè Tridentinũ erat validũ matrimonium nullo præſente teſte contractum,

Digitized by Google

tractum: ſic poſt illud erit validum quibuſcumque teſtibus præſentibus: quia ſolùm teſtes ipſum depoſcit adeſſe, nihil ampliùs adiungens. Addimus ad hoc, quòd etiam in alijs rebus ſufficiunt quicumque teſtes, ex partium conſenſu adducti, ut inquit Sanchez, *num.* 5. Palaus, & Auerſ. *cit.* Quod maximè currit (inquiunt hi authores) quandò præter priuatos teſtes interuenit publicus miniſter ſupplens eorum defectum, ut in præſenti accidit.

*Debent eſſe moraliter præſentes.*

61. Tàm Parochus, quàm teſtes debent intereſſe matrimonio non ſolum phyſicè præſentiâ corporali, ſed moralitèr, & ſic cum aduertentiâ, & uſu rationis, ut intelligant, quid agatur, & de hoc teſtificari poſſint. Quarè amentes, furioſi, ebrij, dormientes, & alij rationis uſu carentes, inepti ſunt ad hoc munus, etiamſi phyſicè aſſiſtant. Ità Ledeſ. *quæſt.* 45. *art.* 5. *dub.* 2. *concluſ.* 1. Auerſa, *ſect.* 6. Baſil. *lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 8. Sanchez, *diſp.* 39. *n.* 1. & 41. *n.* 2. Trull. *c.* 6 *dub.* 5. *n.* 1. Palau. *diſp.* 2. *punct.* 13. §. 8. *n.* 11. Coninch, *diſp.* 24. *n.* 44. Dicaſt *diſp.* 3 *dub.* 19. *n.* 158 Bonacin. *n.* 42. Gonet, N. Anton. *n* 176. Addunt Sanch. illâ *diſp* 39. *n.* 2. Baſil. & Trull. *loc. cit.* ſufficere ſi uno ſenſu, id quod agitur percipiant, ut ſi multitudine preſſi videre non poſſent ſponſos, ſed eos audirent conſenſum exprimentes; vel è contrà ob ſtrepitum multitudinis eos audire non poſſent, ſi tamen ad ſigna conſenſus aduerterent: quia tàm ſignis, quam verbis conſenſus exprimi poteſt. Ex quo patet cæcos benè tamen audientes, vel ſurdos viſu gaudentes, poſſe ut teſtes matrimonio intereſſe.

*Probatur ratione.*

62. Concluſio propoſita probatur *ex leg. coram Titio, ff. de verb. ſignif. ubi ſic dicitur: coram Titio aliquid facere iuſſus non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat. Itaque ſi furioſus, aut infans ſit, aut dormiat non videtur coràm eo feciſſe.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur: Concilium petit ad valorem matrimonij, quod fiat coram Parocho, & teſtibus: ſed ſi moralitèr non interſint cum aduertentiâ, & uſu rationis, coram illis fieri non dicitur, ut conſtat ex textu allegato: ergò, &c. Deindè Concilium petit Parochi, & teſtium præſentiam, ut ſint teſtes oculati, qui coràm Eccleſia teſtimonium proferre valeant; ſi neceſſitas poſtulauerit, ſed ad hoc requiritur moralis præſentia iam dicta: ergò, &c.

*Requiritur actualis Parochi attentio.*

63. Ex quo deducimus (contrà Enriq *lib.* 11. *cap.* 3. *n* 1. *in Comment. litter. F.* aſſerentem ſufficere virtualem attentionem Parochi, & teſtium ad valorem matrimonij, etiamſi tunc mente diſtracti non attendant ad id, quod agitur, ſicuti in Miſsâ, & alijs Sacramentis ſufficiens eſt talis attentio Quod probabile reputat Trullench. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 4. *num.* 2. Quatenùs oppoſitum ſolùm dicit probabilius) requiri actualem attentionem Parochi, & teſtium: ideò ſi mente diſtracti ſint, ita ut non attendant ad id, quod agitur, nihil fiet: nam Parochus, & alij aſſiſtentes debent eſſe teſtes ex certâ notitiâ, ad quod actualis aduertentia requiritur ad id, quod agitur: ſicùt Sacerdos debet eſſe peccatorum iudex in Pœnitentiâ, & ſic non ſufficit virtualis attentio ad confeſſionem peccatorum ſed actualis. Quidquid ſit in alijs Sacramentis, de quibus diximus *tom.* 1. *tract.* 1. Sanchez, *n.* 5. Auerſ. *quæſt.* 6. *ſect.* 6. Dicaſt. *n.* 160. Trullench, *loc. cit.* Leand. *diſp.* 7. *quæſt.* 37. N. Gabr. *num.* 80.

*Non ſufficere tranſeunter aſſiſtere docent aliqui.*

64. Sed inquires primò. An ſufficiat, quod Parochus, vel teſtes caſu, & tranſeunter interſint matrimonio ſinè eo, quod ad hoc ſint vocati, vel aducti: vel ſi Parocho Miſſarum ſolemnia, vel diuinum officium celebrante, coram eo coniuges conſenſum exprimerent, ità ut verè ipſe actum perciperet, hoc ſufficeret ad valorem matrimonij? Partem negatiuam probabilem dicit Ledeſ. *concluſ.* 1. *in fine*, quam tenet Bonacina, *num.* 20. & 46. Leand. *quæſt.* 38. qui *citat.* Rebell. 2. *part. in fine lib.* 4. *paginâ ſib* 394. Et mordicùs defendet Baſil. *lib.* 5. *cap.* 21. *n* 4. ubi ex Farinacio tres adducit Cardinalium declarationes pro hac parte: & ſic inquit hoc eſſe indubitatum. Et ratione videtur probari: quia qui tranſeunt, vel caſu adſunt, moraliter non dicuntur præſentes, ergo requiritur, ut moraliter aſſiſtant, quod Parochus, & teſtes ſint vocati, & ad hoc munus adducti.

*Verius eſt ſufficere.*

65. Probabilior autem eſt ſententia affirmans, quam tenet Sanchez, *num.* 9. & 11. & *diſp.* 41. *n.* 7. Auerſ §. *Quod ſi Parocho.* Et apud ipſum Reginal. *lib.* 31. *num* 182. Trull. *loc. cit. ſupra num.* 3. Dicaſt. *n.* 165. Ledeſ. *loc. cit. punct.* 3. *dub.* 2. *ad fin. fol.* 190, *colum.* 2. N. Gabr. *n.* 65. Qui omnes aſſerunt non requiri Parochum, aut teſtes vocatos eſſe, ſed etiamſi caſu, & tranſeuntèr aſſiſtant matrimonio, validum eſſe, dummodò quòd agitur, percipiant: ſic enim teſtificari poſſunt de matrimonio, quod eſt intentum Concilij, ſic moraliter præſentes ad talem teſtificationem iudicantur. Quis enim negabit ſufficientem teſtem eſſe homicidij, qui caſu tranſiens vidit hominem iugulari? Quarè optimè *leg.* 11. *ff. de teſtib.* dicitur: *Ad fidem rei geſtæ faciendam, etiam non rogatus teſtis intelligitur.* Declarationes autem Cardinalium intelliguntur, dum ità tranſeuntèr, & caſu, inueniuntur, ut Parochus, & teſtes non plenè percipiant, quod agitur. Legatur N. Gabr.

*Sufficit, ſi vi aut dolo præſentes ſint.*

66. Secundò inquires. An ſi Parochus (idem cum proportione tenendum eſt de teſtibus: & ſic de Parocho loquimur, in quo eſt maior difficultas) vi, dolo, aut metu coactus eſſet intereſſe matrimonio, validum eſſet tale coniugium? ¶ Reſpondetur affirmatiuè. Ità Ledeſ. *dub.* 1. *diff.* 1. *concluſ.* 2. *fol.* 189. Auerſa, §. *Sed certum.* Baſil. *n.* 5. Trull. *n.* 3. Palaus, §. 13 *n.* 1. & §. 8. *n.* 11. Et apud ipſum Zeball. *pract qq. quæſt.* 604. *n.* 70. Gutierr. *cap.* 60. *n.* 10. Rebell, 2. *part. lib.* 2. *quæſt.* 8. *num* 4. Bonacin. *n.* 45. Sanchez, *diſp.* 41. *num.* 7. & *diſp.* 39. *num.* 9. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 9. Coninch, *diſp.* 27. *n.* 44. Dicaſt. *diſp.* 3. *dub.* 19. *n.* 167. Qui ferè omnes adducunt declarationem Cardinalium, qui cum habeant à Summo Pontifice poteſtatem declarandi Tridentinum, poſt tot illorum declarationes nō relinquitur dubium in hac parte, ut inquit Ledeſ. *loc. cit.* & ratio eſt: quia ſic cenſetur Parochus præſens morali præſentiâ, & poteſt de matrimonio teſtificari coram facie Eccleſiæ: ad hoc enim non requiritur, quòd voluntariè aſſiſtat: & ideò in *l. coram Titio cit. n.* 62. *ff. de verb. & rer. ſignif.* poſt verba ibi adducta additur: *Scire autem, non etiam velle debet: nam etiam eo invito rectè fit.* Idem habetur *leg* 11. *ff. de teſtib.* ¶ Sed obijcies: quòd in *leg.* 1. *in fine, ff. de authoritate tutor.* dicitur: *Tutor ſi inuitus retentus ſit per vim, non valet, quod agitur, nec enim præſentia*

corporis

*corporis ſufficit ad authoritatem.* ¶ Reſpondetur ſermonem eſſe de contractu pupilli, ad cuius valorem authoritas, & conſenſus tutoris requiritur, qui eſt in tali contractu miniſter, quod non accidit in præſenti.

*Etiamſi affectet ſe non attendere.*

67. Sed quid dicendum ſit, ſi Parochus (idem eſt de teſtibus) vi, aut dolo coactus intereſſet matrimonio, affectet, ſe nõ intelligere, quod agitur, oculos, & aures claudens? Tunc non valere matrimonium inquit Sanchez, *lib. 3. diſp. 39. num. 6.* quem ſequitur Bonacin. *num. 20.* Trull. *num. 3.* quia nec præſens dicitur moraliter: nec de matrimonio teſtificari poteſt. ¶ Veriùs tamen dicendum eſt cum Baſil. *cap. 29. numer. 12.* Ledeſm. *in ſumm. capit. 7. de Matrim. concluſ. 7.* Leand. *diſp. 7. quæſt. 40.* Validum eſſe tale matrimonium: Tum propter declarationem Cardinalium, quam ex Farinacio, adducit Baſilius, quæ ita ait: *Et quid ſi Parochus adfuiſſet, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, vel audiuit, utrùm tale matrimonium ſit nullum? Sacra Congregatio reſpondit matrimonium non valere, ſi non intellexiſſet, niſi ipſe Parochus affectaſſet non intelligere.* Tum etiam: quia eo ipſo quòd Parochus affectet non intelligere, admonitus primò velle matrimonium contrahere virum, & fœminam præſentes, ignorare non poteſt conſenſum contrahentium, & ſic poteſt eſſe illius teſtis apud Eccleſiam, per quod patet ad oppoſitum fundamentum.

*Erit peccatũ mortale vi, aut dolo Parochum adducere.*

68. Sed difficultas eſt. An peccent mortalitèr contrahentes coram Parocho vi, aut dolo detento, vel tranſeuntèr, & caſu aſſiſtente matrimonio? ¶ Reſpondetur, quòd niſi urgens neceſſitas adſit, peccant mortalitèr coniuges ſic coram Parocho contrahentes. Tum: quia Sacramenta debent recipi authoritate, & approbatione Eccleſiæ, quæ in præſenti deficiunt. Tum etiam ratione irreuerentiæ, & iniuriæ illatæ, tum Eccleſiæ, & Sacramento, tum ipſi Parocho, qui ut perſona publica matrimonio aſſiſtit. Ità Ledeſm. *ſup. dub. 2 §. in expoſitionem, fol. 189. col. 2.* Palaus, *diſp. 2. punct. 13. §. 8. num. 11.* Sanchez, *diſp. 39. num. 12.* Coninch, *diſp. 27. n 45.* Dicaſt. *diſp. 3. dub. 19. num. 168.* Auerſa, § *At ut matrimonium.* Vbi dicit in aliquibus Diœceſibus, latam eſſe excommunicationem ab Epiſcopo, aduerſus contrahentes coram Parocho, vi aut dolo detento, aut caſu tranſeunte. Quamuis ipſe, & Sanchez, dicant peccatum eſſe veniale contrahere coram teſtibus ſic præſentibus. Idem dicit Gutierr. *cap. 69. numer. 13.* quod non eſſe firmum inquit Palaus, *loc. cit.* quia tam ipſi, quàm Parochus nomine Eccleſiæ matrimonio aſſiſtunt, licèt non æquè principaliter. ¶ Si verò neceſſitas urgens contrahendi interueniret, & nollet Parochus aſſiſtere, nec poſſet adiri Superior, à quo compelleretur, aliquo artificio poteſt ad hoc licitè perduci ipſo nolente, dummodò contrahentes vim perſonæ non faciant: quia ad hoc ex officio tenetur. Auerſa, §. *Tenetur,* Coninch, *dub 4. in fine,* Trullench, *numer. 1.* Palaus, *num. 51.* Sed etiam per vim poſſe detineri, & adduci, ſi aliter fieri non poſſit, ut ſuam vexationem redimant contrahentes, aſſerit Dicaſt. *dub. 19. num. 169.*

69. Præter dicta tenetur Parochus ex præcepto *Trident. ſeſ. 24. cap. 1.* Tria facere. Primò interrogare contrahentes, ſi velint ſe mutuò coniungere. Secundò eos benedicere dicendo: *Ego vos coniungo in nomine Patris,* &c. Vel alijs verbis iuxtà conſuetudinem loci. Tertiò poſt contractionem matrimonij totum factum in libro deſcribere, quæ omnia etſi omittat, validum remanet matrimonium; quia nec eius verba ſe habent ut forma, aut materia, nec ipſe eſt illius Sacramenti miniſter, nec aliquod ex his in decreto annullante matrimonium, à Tridentino requiritur. Sed eſt difficultas. An peccet mortalitèr Parochus, qui aliquod ex his omittit? Et incipiendo ab ultimo certum eſt ipſum peccare mortalitèr, ſi omittat in libro factum ſcribere: quia præcepto Concilij contrauenit in re grauiſſimâ, requiſitâ, ad aſſumendum authenticum teſtimonium, ſi aliqua lis oriatur. Ità Auerſa, *quæſt. 6. ſect. 7. §. ult.*

*Debet interrogare, benedicere, & in libro factum deſcribere.*

*Non peccat grauiter Parochus benedictionem, aut interrogationẽ omittens.*

70. Etiam peccare mortalitèr Parochum omittentem benedictionem à *Tridentino* præceptam, vel aliam ſimilem docuit Auerſa, *quæſt. 6. ſect. 7. §. obligat tamen.* Et apud Dian. *infr. citand.* Rebell. *part. 2. lib. 2. quæſt. 7. ſect. 2. num. 4.* Cenedo, *in qq. Canonic. quæſt. 30 n. 38.* Zenard. *1. par. de Sacram. cap. 10. quæſt. 77.* quia Concilium id ſub præcepto iubet: *Præcipit Sancta Synodus,* &c. Et quia Sacramenta debent aliquo ritu Eccleſiaſtico perfici ſuperaddito illorum ſubſtantiæ, & non eſt alius in præſenti præter benedictionem Sacerdotis. ¶ At Baſil. *cap. 21. num. 2.* Sanchez, *lib. 3. diſp. 38. num. 75.* Coninch, *n. 45.* Bonacin. *num. 39.* aliàs *num 42.* Palaus, *num. 12.* Diana, *3 part. tract. 4. reſol. 256.* ubi citat Gutierr. *cap. 69. num. 16.* Villalob. *tom. 1. tract. 13. diff 6. num. 3.* Dicunt non eſſe mortale, ſed veniale: quia licèt ſit præceptum Tridentini, non eſt de hoc ſolùm, ſed de pluribus alijs, quæ ibi præcipit Sancta Synodus, & hanc omittere ceremoniam non eſt res adeò grauis, ut mortale iudicetur omiſſio illius. ¶ Omiſſio autem interrogationis non eſt res adeò grauis, ut ſit peccatum mortale, maximè ſi ipſi coniuges non interrogati à Parocho, conſenſum mutuò exprimant. Sic tenet Auerſa *cit.* Baſil. *num. 3.* Sanch. *num. 9.* Coninch, *dub. 8. num. 44.*

## PVNCTVM VI.

*De denunciationibus, ſeù proclamationibus quæ antecedere debent matrimonium, & de benedictionibus, quæ vulgò dicuntur* velationes, *quæ debent ad illud ſubſequi.*

*Vltrà requiruntur denũtiationes, & velationes non ad valorem matrimonij.*

71. VLtrà neceſſaria ad valorem matrimonij hactenus recenſita: dantur alia, quæ ex neceſſitate præcepti requiruntur: alia quidem antecedentia, ut ſunt denuntiationes à Parocho faciendæ, quæ deſeruiunt, ut populus ſciat inter tales perſonas de matrimonio tractari, ut ſic poſſit impedimenta, ſi quæ occurrant, detegere. De hoc fuit olim præceptum in *Concil. Lateranen. ſub* Innocentio III. *capit. 5. & refertur in capit. cum inhibitio, de clandeſt. deſponſ.* Sed quia vel conſuetudine, vel malitiâ penè corruerat talis obſeruantia, Concilium Tri-

dentinum

Digitized by Google

dentinum Lateranenſis veſtigijs inhærendo, illud renouauit *ſeſſ.24. cap.1.* modo infrà adducendum. Similiter de benedictionibus ab Eccleſiâ ſolemniter adhibendis extat decretum in *cap.40. quæſt.3.* à Tridentino dicto loco renouatum, quæ deſeruiunt, ut in matrimonio coniuges feliciter procedant ab Eccleſiâ benedicti. Sed neque denuntiationes, vel velationes, ad valorem matrimonij requiruntur, ut eſt omnibus notum, & ideò probationes, & Authores pro hac parte prætermittimus.

*Denuntiationes in propria Parochia debent fieri.*

72. Igitur circà denuntiationes faciendas hæc habet *Tridentina Synodus: præcipit, ut impoſterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtiuis, in Eccleſiâ, inter Miſſarum ſolemnia, publicè denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum.* Et ex eo, quòd Concilium dicat à proprio Parocho (vel ab alio ex eius licentiâ, ut communiter Doctores interpretantur, & ut benè ait Auerſ. *quæſt.7. ſect.1. §. debent*, non requiritur eſſe Sacerdotem, qui ex licentiâ Parochi tales denuntiationes promulget, ſed quilibet alius id facere poteſt) colligunt communiter Doctores tales proclamationes in propria Parochia fieri debere, ubi ſunt iam coniuges noti: & ſic impedimentum, ſi adſit, poteſt faciliùs patere. At verò ſi uxor unius ſit Parochiæ, & vir alterius, in utraque debent fieri. Tum: quia ſic in propriâ Parochia ſingulorum fieri verificatur. Tum etiam: quia finis Tridentini eſt, quòd detegantur impedimenta, ſi quæ inter illos reperiuntur, ad quod requiritur, quòd notitia matrimonij in cuiuſlibet Parochia fiat: ut ſic ad omnes notos utriuſque coniugis perueniat. Ità Ledeſm. *3. part. quæſt.45. art.5. punct.3.* Palaus *diſp.2. punct.13. §.3. num.2.* Enriq. *lib.11. cap.7. num.1.* Auerſ. *quæſt.7. ſect.1. §. Debentque*, Sanchez *lib.3. diſp.6. num.4.* Coninc. *diſp.27. dub.5. num.46.* Trull. *lib.7. cap.6. dub.8. num.6.* Leand. *diſp.7. q.48.* Baſil. *lib.5. cap.30. num.4.* Adeſtque declaratio Cardinalium apud Segur *2. par. Director. cap.16. num.19.* & apud Farinac. Niſi fortè tam propinquæ ſint utriuſque Parochiæ, ut in alterutrâ factæ denuntiationes ſufficiant ad impedimenta manifeſtanda, ut benè aduertit Dicaſt. *diſp.3. dub.25. num.218.*

*Denuntiationes debent fieri in locis in quibus coniuges diutius ſunt commorati.*

73. Sed difficultas eſt. An denuntiationes illorum, qui breui tempore in aliquo loco commorantur, debeant fieri in Parochiâ, in cuius Parochi præſentiâ matrimonium contrahunt, vel in illâ, in quâ diutius vixerunt? Ad quod reſpondetur debere fieri in illâ, vel in illis, in quibus diutius commorati ſunt ſponſi: eo quòd fiunt, ut impedimenta detegantur: & ſic in illo loco fieri debent, in quo ſunt magis noti contrahentes, in quo diutius vixere, & principaliorem larem habuerunt; non in quo breui tempore commorantes vix cognoſcuntur. Ità Sanch. *num.6.* Dicaſt. *diſ.3. dub.25. num.218.* Coninc. *num.50.* Bonac. *quæſt.2. punct.6. num.11.* Dian. *3. part. tract.4. reſol.253.* atque ita declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur Segura *cap.16. num.19.* ¶ Quamuis Baſil. *num.5.* de hac declaratione dubitet: & ideò aſſerit debere fieri huiuſmodi declamationes in Parochia, in quâ coniuges de præſenti inhabitant, & coram cuius Parocho poteſt legitimè contrahi matrimonium. Quem ſequitur Leand. *diſp.7. quæſt.49.* quia Concilium à proprio Parocho fieri dicit, & proprius Parochus eſt ille, in cuius præſentia poteſt legitimè contrahi matrimonium; & ſic in eius Parochia fieri debent. At Auerſ. *§. Debent vero.* Seruandam eſſe conſuetudinem locorum, & Prælatorũ inſtructionem, de hac materia affirmat.

*Modus faciendi denuntiationes.*

74. Deindè denuntiationes debere fieri in Eccleſia tribus continuis feſtiuis diebus, & inter Miſſarum ſolemnia inquit Concilium. Tum ob maiorem reuerentiam Sacramenti. Tum etiam: quia illis diebus, locis, & temporibus, maior concurſus Parochianorum inuenitur, qui hoc modo facilè poſſunt de matrimonio, quod contrahi intenditur, certificari. Cæterùm quia hic finis principaliter intentus à Concilio optimè ſaluatur, etiamſi hæc publicatio fiat extra Eccleſiam in loco competenti, ubi magnus populi concurſus inuenitur, vel ſi non fiat inter Miſſarum ſolemnia, ſed vel in concione, vel alia functione Eccleſiaſtica, ad quam plures concurrunt hoc modo licitè fit. Vel denique feriatis diebus fieri poteſt, in quibus magnus concurſus populi reperiatur. His modis poſſe licitè fieri denuntiationes optimè docent Trull. *num.7.* Palaus, *num.4.* Sanch. *n.9.* Dicaſt. *n.219.* Auerſ. Villalob. *tract.13. diſp.24. n.4.* Dian. *reſol.236.* Gutierr. *cap.56. n.8.* Hurtad. *diſſ.8. n.59.* Laym. *tract.10. 2. part. cap.4. num.10.* quos tres ultimos adducit Palaus, *loc. cit.*

*Poſſunt tribus continuis diebus feſtiuis fieri.*

75. Sed non approbamus, quod inquiunt Dian. *dict. reſol.* Auerſ. Baſil. *num.8.* Sanch. *num.8.* nimirum, non poſſe fieri tribus continuis diebus feſtiuis, ut in tribus diebus Paſchatis; ſed debere unum, vel duos feriatos dies interponi, ut poſſint Parochiani impedimentum, ſi adfuerit, reuelare: imò quòd poſt ultimam admonitionem debent aliquot dies intercedere antè contractionem matrimonij. Oppoſitum enim ex Concilio deducitur, quod ſolum exigit fieri diebus tribus continuis feſtiuis, quibus denuntiationibus finitis, docet ſtatim poſſe procedi ad celebrationem matrimonij: undè tribus diebus Paſchatis poſſe ſine peccato fieri docet Trull. *n.6.* Leand. *diſp.7. quæſt.52. ex* Hurtad. Reginald. *&* Moure. Rectè tamen dicunt idem Dian. *&* Auerſ. *loc. cit.* nec non Trull. *n.5. &* Villalob *ſup. n.3. &* Coninch, *n.47.* Bonac. *n.13.* Leand. *quæſt.46.* quòd etiamſi tres denuntiationes non fiant continuis tribus diebus feſtiuis, ſed aliquis dies feſtus interponatur inter unam, & aliam proclamationem, ſufficienter ſatisfit intento Concilij, dummodò plures inter unam, & aliam non intercedant. Verumtamen ſi poſt denuntiationes factas matrimonium per multum tempus differatur, denuntiationes debent repeti: quia poſſet ſuperuenire impedimentum ex affinitate, ut docet Baſil. *n.10.* quem ſequitur Leand. *quæſt.55.* qui Cardinalium declarationem referunt, quà aſſeritur quod ſi, ad quatuor menſes matrimonium differatur, denuntiationes debent repeti.

*Cum neceſſitate poſſunt licitè denuntiationes omitti.*

76. An verò ſit peccatum mortale dictas prætermittere denuntiationes? Et quidem ſi iuſta cauſa interfuerit expediens bono communi vel particulari, nec ſit facilis ad ſuperiorem recurſus, qui ſuper hoc diſpenſandi habet facultatem, poteſt abſque illis, & abſq; peccato contrahentium, vel Parochi, & teſtium, matrimonium celebrari: quia leges Eccleſiaſticæ non cenſentur cum eo rigore obligare. Ità Palaus, *num.5.* & apud ipſum Gutierr. *cap.57. num.5.* Sot. *in 4. diſt.27. quæſt.1. art.2. concl.3.* Tenet etiam Coninch, *n.52.* Sanch.

*diſp.*10.*num.*27. N. Anton.*ſect* 10. Franciſ. *diſp.*5. *num.*61. Sed benè aduertunt Baſil. *nu.* 10. *in fine*, Dicaſt. *num.*224. Diana *reſol.*251. *ex* Laym. *cap.*4. *nu.*11. in tali caſu debere eas facere antè conſummationem matrimonij, ne impedimentum fortaſsè ſubeat, & copula ſit fornicaria, aliaque incommoda ſequantur, de quo rurſus *punct. ſeq.*

*Peccatũ eſt graue dictas denuntiationes ſine cauſa prætermittere.*

77. Quandò verò non interuenit iuſta cauſa eas prætermittendi, adhuc non eſſe graue peccatum eas prætermittere, ſi per alias diligentias Parochus ſcire procurauerit, an ſit impedimentum inter coniugés, docent Soto *diſt.*28. *quæſt.*1. *art.*2. *ad* 1. Ledeſm. *punct.*1. *dub.*3. *& punct.*3. *dub.*1. Ochagau. *tract.* 3. *quæſt.*3. *num.*2. Ludou. de S Iuan. *quæſt.*2. *de Matrim. art.*1. *dub.*3. *pagin.*878. qui citat Salced. *&* Segur. pro hac parte, & apud Leand. Machado, *lib.*4. *part.*2. *tract.*2. *docum.*17. *nu.*3. quia dicunt leuem eſſe materiam illas prætermittere, quandò per alias diligentias conſtare poteſt nullum inter contrahentes ſubeſſe impedimentum. ¶ Verius tamen dicendum eſt peccatum eſſe mortale eas prætermittere: proindeque peccare mortaliter contrahentes, & Parochum, ac teſtes matrimonio aſſiſtentes illis non præmiſſis, ſi illis conſtet omiſſas eſſe: quia tam Tridentinum, quàm Lateranenſe Concilium ſeriò, & grauiter præcipiunt tales denuntiationes præmitti: & ideò dicitur clandeſtinum matrimonium, quod ſit abſque illis, quod ſemper Eccleſia fuit deteſtata, & in *Concilio Lateranenſi* grauiter puniuntur Parochi aſſiſtentes matrimonio abſque illis celebrato. Ità Baſil *num.* 3. Diana *reſol.* 251. Trull. *num.* 3. Bonac. *num.*7. Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 5. *num.*6. Palaus *nu.* 4. Coninc. *dub.* 5. *concl.* 3. Leand. *diſp.*7. *quæſt.* 46 Auerſ. *quæſt.*7 *ſect.*1. Dicaſt. *diſp.* 3 *dub.* 25. N. Ant. *num.* 187.

*Leue peccatum eſt unam prætermittere.*

78. An verò ſit peccatum mortale unam, vel alteram prætermittere denuntiationem? Affirmatiuè reſpondet Auerſ. Palaus, Coninc. Baſil. *loc. cit.* quos ſequitur Leand. *quæſt.* 47. Perez *diſp.* 43. *ſect.* 1. *nu.*7. N. Franc. *nu.* 60. quem refert, & ſequitur Dicaſt. *loc. cit.* cum alijs ab ipſis citatis: quia unius omiſſio materia leuis non eſt, ut conſtat ex fine, ad quem omnes ordinãtur: & fieri poteſt aliquem ultimam expectare denuntiationem, quia ſcit tres præmittendas eſſe, ut impedimentum apponat. ¶ Probabilius tamen dicendum eſt, quòd ſi moraliter ſit certum impedimentum non adeſſe; non erit graue delictum aliquam prætermittere denuntiationem, cum hæc in caſu dicto leuis materia videatur. Ità Sanch. *num.*7. Trull. *num.*4. Rebell. *q.*7. *num.*10. Ledeſm. *in ſumm. cap.*7. *concl.*5. *&* 3. *part. quæſt.*45. *art.*5. *punct.*3. *dub.*1. *concl.*3. Villalob. *tom.*1. *tract.*13. *diſp.*24. *n.* 3. Dian. *reſol.*236. N. Anton. *nu.*189.

*Quãdo velationes ſunt adhibendæ?*

79. Benedictiones autem ſolemnes (vulgò *Velationes*) ſolùm in primis nuptijs ſunt adhibendæ, *cap. Vir* 3. *de ſecund. nupt.* propter rationem quam *cap.* 5. *punct.* 3. *num.*59. ex dict. tradidimus. Conſuetudo autem obtinuit, ut ſi aliquis ex contrahentibus non eſſet viduus, vel ſi uterque viduus eſſet; non tamen in primis nuptijs benedictionem recepiſſet, in ſecundis nuptijs benedicatur, Enriq. *lib.*11. *cap.*2. *num.* 3. Sanch. *lib.*7. *diſp.*82. *nu.*11. Coninch *diſp.*27. *dub.*8. *nu.*72. Palaus *diſp.*2. *punct.* 13. §. 5. *num.*9. Huiuſmodi autem velationes iure nouo *Trident. ſeſſ.*24. *cap.*10. Tantum ſunt probibitæ à primâ die Aduentus uſque ad diem Epiphaniæ incluſiuè, & à feria quarta Cinerum uſque ad octauam Paſchæ incluſiuè. Alijs verò temporibus anni, in quibus iure antiquo probibitæ erant, modo fieri poſſunt.

*Quod peccatum ſit illas omittere?*

80. Non verò eſt peccatum mortale eas prætermittere, ſi abſque ſcandalo, & contẽptu id fiat. Tum 1 quia Concilium ſolùm monendo, & per modum conſilij ad eas hortatur. Tum etiam: quia ſunt quoddam Sacramentale, quod non apparet magni momenti. Tum denique 3. quia in *cap. Noſtrates.* 30. *q.*5. cum Nicolaus Papa inter alia, quæ debent in matrimonio reperiri, velationes numeraſſet, dicit èas prætermittere peccatum non eſſe. Ità Palaus *num.*8. Sanchez *lib.* 3. *diſp.*12. *nu.*7. *& lib.* 7. *diſp.* 82. *nu.*6. Dicaſt. *diſp.* 3 *dub.* 31. *nu.* 334. Trull. *lib.*7. *cap.*6. *dub.*12. *num.*2. Coninch *dub.*8, *in princ.* Diana *reſol.*240. Villalob. *tract.*13. §. 5. *nu.*8. qui omnes non eſſe peccatum mortale matrimonium conſummare antè illas dicunt: Quamuis peccatum non eſſet antè illas debitum negare: quia plures, & graues Doctores tenent eſſe peccatum veniale conſummare matrimonium illis non præmiſſis. Addit tamen Villalob. *loc. cit.* non poſſe Epiſcopum ſub pœnâ excommunicationis præcipere, quòd matrimonium non conſummetur antè prædictas velationes, & quòd ſi illam impoſuerit, non obligabit, quod idem Sanch. *lib.* 3. *diſp.*12. *nu.* 10. quamuis Trull. *nu.*6. *&* Enriq. *cap.*5. *nu.*7. dicant eſſe in Salmantina Diœceſi excommunicationem latam contrà eos, qui antè benedictionem Eccleſiæ ſub aliquo loco, vel tecto iugiter ſimul commorantur.

## PVNCTVM VII.

### *Qui poſſint diſpenſare, ut matrimonium contrahatur abſque denuntiationibus? Et de cauſis ad hoc requiſitis.*

*Ordinarius diſpenſare poteſt in denuntiationibus.*

81 IN Denuntiationibus diſpenſari, fieri poteſt dupliciter: uno modo, ſi diſpenſatio fiat de non præmittendo eas ad contractionem matrimonij, ſed poſt illam antè conſummationem: alio modo omninò relinquendo eas ſiuè omnes, ſiuè aliquas. Vtroque modo diſpenſatio committitur Ordinario à *Trident. ſeſſ.*24. *cap.*1. Vbi in omnium ſententia Epiſcopus, nomine Ordinarij accipitur, proprius contrahentium. Si tamen unus ex illis ad unam Diœceſim pertineat, & alius ad aliam, à quolibet Epiſcopo illorum, poteſt diſpenſari: Et ideò ſi diſpenſatio à ſuo Epiſcopo obtinetur à viro, poteſt licitè contrahere abſque denuntiationibus etiam in aliâ Diœceſi propria mulieris, inconſulto proprio Epiſcopo illius; quia Concilium arbitrio Ordinarij hoc negotium relinquit, non Ordinariorum: & cum matrimonium ſit unum, & indiuiduum, qui eſt Ordinarius unius coniugis in ordine ad illud, etiam eſt alterius ob connexionem utriuſque in ordine ad idem Sacramentum; ſecundum ea, quæ diximus *nu.*24. Ità Trull. *lib.*7. *cap.*8. *dub.*9. *num.* 3. Sanch. *lib.* 3 *diſp.*7. *nu.*7. Coninc. *diſp.*27. *dub.*6. *nu.* 54. Dicaſt. *diſp.* 3. *dub.*27. *nu.* 257. Reginald. *lib.* 31. *nu.*231.

*Qui poſſint diſpenſare in denuntiationibus?*

82. Præter Epiſcopum etiam nomine Ordinarij veniunt omnes Abbates, vel Priores iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, nulli Diœceſano ſubiecti: omnes enim ſunt Ordinarij ſuorum

rum ſubditorum. Ità Enriq. *lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 5. Sanch. *num.* 4. Rodrig. *tom.* 1. *cap.* 217. *num.* 4. *in* 2. *edit.* Auerſ. *quæſt.* 7. *ſect.* 2. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 13. §. 4. *num.* 2. Trull. *cap.* 6. *dub.* 8. *num.* 2. Gutier. *cap.* 59. *num.* 9. Dicaſt. *dub.* 26. *num.* 150. Quidquid in oppoſitum reclamet Baſil. *lib.* 5. *cap.* 31. *nu.* 3. & Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 237. Et addunt Palan, Rodrig. & Gutierr. Magiſtrum Scholæ Salmantinæ poſſe cum Scholaſticis in ſuâ matriculâ reſcriptis in denuntiationibus ad matrimonium, ſicut Epiſcopus cum ſuis Diœceſanis diſpenſare. Et idem Sanchez. Dicaſt. aſſerunt Vicarios, ſeu Priores Ordinis Sancti Ioannis, quales ſunt in Hiſpaniâ, hanc poteſtatem reſpectu ſuorum ſubditorum habere: quia ſunt Ordinarij Eccleſiarum ſubditarum ſuis Vicariaris. Denique Vicarius Generalis Epiſcopi, cui ab ipſo non eſt limitata quoad hoc poteſtas, ex vi ſui officij poteſt modo dicto diſpenſare quia eſt Ordinarius, & unum facit tribunal cum Epiſcopo. Ità Auerſ. *loc. cit.* Dicaſt. *num.* 249. Palao *num.* 2. Sanchez *num.* 10. Gutierrez *num.* 11. Coninch *num.* 55. Trull. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 8. *num.* 2. Hurtad. *diſp.* 5. *diff.* 19. *num.* 63. & apud Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 238. Riccius *in prax. tom.* 1. *reſol.* 226. *num.* 2. Barbol. *par.* 2. *allegat.* 32. *citat. num.* 29. Quamuis ipſe Diana, ibi, cum Baſil. *lib.* 5. *cap.* 31. oppoſitum ſentiat, pro quorum ſententia adducit Enriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 5. declarationem Cardinalium ſolo Epiſcopo hanc facultatem concedentium, de quâ dubitat Leand. *diſp.* 7. *quæſt.* 57. Et adhuc illa ſtante probabilem dicit noſtram ſententiam: nomine enim Epiſcopi, aut Ordinarij non excluditur eius Vicarius, qui eſt una perſona cum illo, *cap. Romana, de appellation. in* 6.

*Parochus poteſt neceſſitate urgente, ſi non ſit recurſus ad Epiſcopum.*

83. Sed difficultas eſt. An iuſtâ, & vrgenti causâ interueniente, purà, ſi eſſet probabilis ſuſpicio, quòd malitiosè impedimentum aliquod matrimonio apponeretur, ſi denuntiationes fierent, poſſet Parochus diſpenſare, ut denuntiationes aliquæ, vel omnes omitterentur inconſulto proprio Ordinario loci? Et eſt quæſtio, quandò ad Epiſcopum pateret aditus; ſi enim non poſſet recurſus fieri ad illum, & eſſet periculum in morâ celebrationis matrimonij, alicuius damni grauis priuatiui, vel poſitiui contrahentium, non eſt difficultas poſſe Parochum abſque denuntiationibus, & abſque Epiſcopi licentia matrimonio aſſiſtere; quod non eſſet diſpenſare, ſed uti prudenti epikeia, quòd in tali caſu lex Eccleſiaſtica non obligaret, ut eſt apud omnes inconcuſſum. Quare quæſtio eſt, quandò poſſet ab Epiſcopo faciliter diſpenſatio obtineri. Et ſimiliter in tali caſu eſt certum non poſſe Parochum diſpenſare, ut abſque denuntiationibus matrimonium conſummetur: quia circà hoc eſt expreſſum Concilij præceptum hoc iudicio Ordinarij relinquentis, ut ſtatim videbimus. Sed eſt difficultas in ordine ad contractionem matrimonij.

*Aliqui dicunt poſſe Parochum diſpenſare.*

84. Circà quod eſt duplex ſententia. Prima dicit. quòd in caſu dicto probabilis ſuſpicionis, quòd aliquis opponeret malitiosè impedimẽtum, poſſet parochus in denuntiationibus diſpenſare, ſeu potiùs omittere illas. Ità Veracruz *in Append. ad Specul. dub.* 1. Ledeſm. 3. *par.* q. 45. *art.* 5. *circ.* 3. *punct. fol.* 185. quam dicit tenere plures expoſitores D. Thomæ, & Iuriſtas Viuald. *in Candel. aur. par.* 1. *num.* 243. Dicaſt. *dub.* 26. *num.* 262. & 264. Vega *lib.* 6. *ſum. caſ.* 112. & ſolùm ex conſilio petendam eſſe diſpenſationem Ordinarij ſignificat Angel. *verb. Clandeſtinum, num.* 1. Tabiena, *verb. Matrim.* 2. q. 10. *num.* 11. Fauetque Medina (apud Sanch. infr. citand.) *lib.* 1. *ſumm. cap.* 16. §. 13. *fol.* 231. & verba *Concilij* videntur huic ſententiæ opitulari, quod dict. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. ità ait: *Quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes: tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur.* Vbi nulla fit mentio Ordinarij, aut diſpenſationis illius ad talem celebrationem. Et ſtatim addit: *Deindè antè illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, faciliùs detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Synodus relinquit.* Vbi ad conſummationem Ordinarij iudicium petitur de prætermiſſione denuntiationum, non ad contractionem matrimonij.

*Alia ſententia negans.*

85. Secunda ſententia aſſerit tam ad conſummationem matrimonij, quàm ad contractionem neceſſariam eſſe diſpenſationem Ordinarij: qui proinde punire poteſt Parochum etiam in caſu dicto abſque eius licentia matrimonio aſſiſtentem: quia arbitrium & iudicium Ordinarij ad hoc munus requiſitum cadit ſuprà omnia præcedentia. Et quia Sancta Synodus ſequens veſtigia *Concilij Lateranenſis* denuntiationes fieri præcepit: at in *Concilio Lateranenſi* Parochus prohibetur etiam interueniente iuſtâ causâ, ſuper hoc diſpenſare. Ac denique, quia adeſt circà hoc declaratio Sacræ Congregationis apud Farinac. *fol. mihi* 269. & ideò inter acta Mediolanenſia, *tit. de ſponſal. cap.* 4. dicitur: *Eas autem denuntiationes nec ullâ quidem ex parte remittere Parochis liceat, niſi Epiſcopi conceſſu, idque cauſis iure permiſſis.* Ità Baſil. *num.* 2. Palaus *num.* 3. Enriq. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 5. Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 7. *num.* 17. Auerſ. *quæſt.* 7. *ſect.* 2. Coninc. *dub.* 5. *num.* 53. Trullench. *num.* 4. Machad. *lib.* 4. *p.* 2. *tract.* 12. *docum.* 18.

*Quid iuxta priorem ſententiam ſequatur.*

86. Vtraque ſententia eſt ſatis probabilis. Sed notandum eſt, quod iuxtà priorem, licet in ea non ſit mentio niſi de cauſa ſuſpicionis, malitioſè impediendi Matrimonium, cæterum idem iudicium eſt ferendum, quandò hæc cauſa adeſt, atque quandò cæteræ infrà referendæ, ratione quarum poteſt Epiſcopus in denuntiationibus diſpenſare. quia Concilium ſolum adducit illam cauſam, ut exemplum præcipuum. Et ideò quamuis Ipſum hanc ſolam cauſam enumerauerit, fatentur communiter Doctores poſſe Epiſcopum diſpenſare ex alijs cauſis. Ità Sanchez *diſputat.* 9. Baſil. *libr.* 5. *capit.* 32. Palaus *num.* 7. Auerſ. *loc. cit.* Coninch *dub.* 6. *num.* 57. Enriquez *libr.* 11. *capit.* 16. Leand. *diſputat.* 7. *quæſt.* 61. Trullench. *dub.* 10. *numer.* 2. N. Anton. *ſect.* 13. Quare idem dicendum eſt in noſtro caſu: & ſic Ledeſma & Decaſtillo de omni cauſa iuſtâ interueniente loquuntur. Et Medina ait, non poſſe Epiſcopum punire Parochum. iuſtâ interueniente cauſa, denuntiationes omittentem, abſque illius licentia.

*Qui poſſunt diſpenſare, poſſunt alijs licentiam præbere.*

87. Illi, qui iure ordinario poſſunt in denuntiationibus diſpenſare, poſſunt etiam hanc poteſtatem alijs delegare, vel particulariter ad unum caſum, vel uniuerſaliter. ad omnes: nam *Concilium*, v. g. Epiſcopis hanc poteſtatem con-

cedens, non illis ut perſonæ ſunt particulares, ſed quatenùs ſunt Ordinarij eam dedit. Id autem, quòd de iure ordinario alicui competit, poteſt alteri delegare, niſi eligatur induſtria perſonæ, *cap. fin. de offic. delegat.* Quod in præſenti non accidit. Tunc enim eligitur induſtria perſonæ, quandò committitur alicui in particulari, & determinatæ perſonæ, quod hic non inuenitur: cum talis diſpenſatio omnibus Ordinarijs præſentibus, & futuris committatur. Ita Palaus *loc. cit. num.* 4. Sanchez *lib.* 3. *diſput.* 7. *numer.* 18. Coninch *num.* 55. Gutierr. *cap.* 56. *numer.* 13. Baſil. *lib.* 6. *cap.* 31. *num.* 8. Auerſ. *quæſt.* 7 *ſect.* 2. 5. *Superior vero*, Dicaſtillo *diſp.* 3. *dub.* 26. *num.* 254. Leand. *quæſt.* 58. referens Hurtad. *diſput.* 5. *dub.* 19. *num.* 64. & addunt Sanchez, Palao, Auerſ. Gutierr. Dicaſt. & Coninch, poſſe Vicarium Epiſcopi, hanc facultatem delegare: nam licèt non poſſit alium Vicarium conſtituere, *cap. Clericos, de offic. Vicar.* poteſt vnam, vel alteram cauſam delegare.

*Debet adeſſe iuſta cauſa diſpenſandi.*

88. Epiſcopus autem (& idem de alijs) non poteſt diſpenſare niſi iuſtà cauſa interueniente. Quare ſi omnes denuntiationes abſque iuſtà cauſa committeret, mortaliter delinqueret: abuteretur enim poteſtate ſibi conceſſa Palaus *numer.* 5. Sanchez *diſput.* 8 *num.* 2. Trullen. *cap* 6. *dub.* 9. *numer.* 5. Coninch *diſp.* 27. *dub.* 6. Bonacina *q.* 2. *punct.* 6. *num.* 7. Non tamen requiritur iudicialis cognitio cauſæ, ſed ſufficit, ſi prudenter, & maturè eam adeſſe cognoſcat: ſiquidem Concilium illius arbitrio, & prudentiæ remittit, quod eſt eius conſcientiæ, & iudicio cognitionem cauſæ concedere: & ſic non requiritur, quòd per citationem, & examinationem teſtium cum iuramento, & coram notario cognitio, & inueſtigatio fiat. Ità Trullen. Palao, Bonacina *ſupr.* Auerſ. 5. *Vtraque vero*, Baſil. *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 3. Dicaſt. *num.* 283. Villalob. *tract.* 13 *diſſ.* 25. *num.* 2. qui benè addit cum Baſil. & Sanchez *num.* 6. poſſe Epiſcopum extrà territorium ſuum concedere hanc diſpenſationem: quia hoc pertinet ad iuriſdictionem voluntariam, nec requirit iudicialem informationem, aut ſtrepitum.

*Quæ cauſæ ſint ſufficientes?*

89. Cauſæ verò ſufficientes, ut Epiſcopus talem impertiatur diſpenſationem, aliquæ ſufficiunt, ut poſtponantur ad matrimonium; antecedant verò ad conſummationem illius. Aliæ ut omninò omittantur. Ab Auctoribus tales cauſæ aſſignari ſolent, vel ad omnimodam diſpenſationem, vel ad hoc, ut poſtponantur ad contractionem matrimonij. ¶ Prima eſt ſuſpicio probabilis malitioſi impedimenti: hæc eſt ſufficiens, ut poſtponantur; aliquando talis erit ſuſpicio, ut ſemper timeatur, quòd matrimonij progreſſus impediatur malitioſè ab aliquibus, & tunc erit ſufficiens, ut omninò omittantur proclamationes. ¶ Secunda eſt coniugum infamia, ſi diu exiſtimati eſſent coniuges, & poſteà eos contrahere viderent: hæc eſt ſufficiens ad omnimodam diſpenſationem. ¶ Tertia, diſparitas conditionis, ætatis, diuitiarum, vel ſi duo ſenes contraherent, eſt ſufficiens ad omninò diſpenſandum ratione pudoris, quo ſuffunderentur denuntiationibus factis. ¶ Quarta, ratione periculi proprij, & alieni, ut ſi ſcandalum eſſet, niſi ſtatim contrahatur: ſi concubinarij, qui eſſent in periculo, ut commiſcerentur, ſi meretrix contrahere vellet, & timeretur, quod vel maritus deſiſteret à matrimonio, vel illa, ſi diu differretur: hæc etiam ſufficit ad omnimodam diſpenſationem.

*Aliæ cauſæ enumerantur.*

90. Quinta, legitimatio prolis in mortis periculo, & ſecuritas moriendi in bono ſtatu: hæc ad poſtponendum denuntiationes ſolùm eſt ſufficiẽs. ¶ Sexta, fauor in bonum Eccleſiæ cedens, qualis cenſetur, quandò pro Magnatibus talis diſpenſatio conceditur: & ideò in omnibus petitio illorum cenſetur ſufficiens ratio ad omninò tollendas denuntiationes, & quia ſunt notiores: & ſic minus periculum, ut inter illos ſubſit impedimentum. ¶ Septima, ſi inſtet tempus, in quo nuptiarum ſolemnitas prohibetur, ſi ſit neceſſitas contrahendi, expeditque ex conſilio Concilij Tridentini, ut præmittantur ad conſummationem benedictiones nuptiales: hæc ad omninò diſpẽſandum. ¶ Denique particularis commoditas, & conuenientia vel communis, vel particularis contrahentium. Et ex hac plures poſſunt recenſeri, à quibus ſuperſedemur enumerandis. Videantur Sanch. *lib.* 3. *diſput.* 9. Auerſ. Baſil. Trull. *dub.* 10. *num.* 5. Palaus *num.* 8. Coninch, Dicaſt. N. Anton. *locus cit.* Sot. *in* 4. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 2. *poſt* 3. *concluſ.* Sed notant hi Auctores, quòd quotieſcumque talis diſpenſatio detur, vel ad poſtponendas denuntiationes, vel ad omnino omittendas, diligens inquiſitio adhibenda eſt ab Ordinario, an detur aliquod impedimẽtum, niſi aliàs non ſubeſſe omnibus ſit notum.

*Non omnes cauſæ neceſſitatem Prælato imponunt diſpẽſandi.*

91. Sed non omnes ex his cauſis neceſſitatem & obligationem imponunt Superiori, ad diſpenſationem impertiendam, quamuis omnes ad talem diſpenſationem ſufficiant. Aliquandò enim ſufficiens cauſa eſt diſpenſandi, cum tamen id liberaliter, & gratioſè fiat, ut ſi parum, ac leuiter bono communi, aut particulari conducat. Hæc enim leuis commoditas abundanter penſatur, per rigidam obſeruationem legis communis, & conuenientius eſt legem Eccleſiaſticam obſeruari, quam leui illi conuenientiæ, & commoditati conſulere. Argument. ex *cap. Expoſtulaſt. de Cleric. excomm.* Vbi inquit Pontifex: *Niſi fortè cum eis miſericorditer fuerit diſpenſatum.* Si diſpenſatum eſt: ergò ex iuſtà cauſa, & tamen factum eſt miſericorditer; non ergò ſemper ex neceſſitate id fieri debet. Idem ex *cap. Licèt Canon. de electio. in* 6. Si tamen grauis eſſet cauſa multum bono communi, aut particulari conducens, tenetur Prælatus diſpenſationem dare; ſi ſecùs fecerit, peccabit mortaliter, quia Superior ex officio tenetur bono communi, & ſpeciali ſubditorum prouidere. Ita Auerſ. *quæſt.* 7. *ſection.* 2. *fol. mihi* 362. Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 30. *num.* 6. Baſil. *num.* 6. Palaus 5. 5. *num.* 1. Coninch *num.* 56. Trull. *num.* 11. Dicaſt. *num.* 279. & 280.

*Si nolit Superior diſpenſare in graui neceſſitate, poſſunt contrahentes denuntiationes prætermittere.*

92. Si tamen Ordinarius deneget diſpenſationem, quandò grauis interuenit cauſa, maximè bono communi, aut particulari conducens, poſſunt contrahentes ſine denuntiationibus matrimoniũ celebrare, & nec ipſi nec parochus aut teſtes aſſiſtentes matrimonio peccabunt: quia leges Eccleſiaſticæ cum graui damno communi, vel particulari non obligant. Et idem dicendum eſt, ſi non poſſit Prælatus adiri, & ſit periculum in morâ, Palaus, Trull. Dicaſt. Sanc. Conin. Auerſ. *loc. cit.* & Sot. *concl.* 3. Gutierr. *de Matr. cap.* 57. *nu.* 6. Enriq. *lib.* 11. *c.* 5. *nu.* 5. Quod in omnibus caſibus ſupradictis verificatur, præterquam in tertio, ſexto & ſeptimo, quæ leuem conuenientiam afferunt, niſi

ex

ex aliquibus circumſtantijs grauem inferre videantur.

*Nõ eſſe peccatum matrimonium conſummare non præmiſſis denũtiationibus aliqui dicunt.*

93. An verò ſit læthale peccatum matrimonium conſummare, vel quandò malitiosè omiſſæ ſunt denuntiationes, vel quandò diſpenſatum eſt, ut ſinè illis contrahatur, eis præmiſſis antè conſummationem? Diximus aliquid *num. 76.* huc nos remittentes. Duplex eſt circà hoc ſententia. Prima eſt negatiua, quandò certiſſimum eſt non ſubeſſe impedimentum, quam ut probabilem defendit Rodrig. *in ſumm. cap. 222. num. 1.* Et probabilem dicit Dicaſt. *dub. 25. num. 223.* & tenet Ledeſm. 3. *part. quæſt. 45. art. 5. punct. 3. dub. 1. ſol. 186.* & Barthol. de Ledeſm. *de Matrimon. dub. 22. fin.* Lopez 1. *part. inſtruct. cap. 87. §. Cæterum.* Primò: quia quamuis peccauerint abſque denuntiationibus contrahendo: ipſo tamen facto matrimonio, non delinquunt illud conſummando: quia re ſuâ utuntur: quemadmodum aliquis peccabit omittens ſolemnitates aſſignatas in lege pro contractu ciuili; ſi verò poſt contractum re ſuâ utatur, reus culpæ non erit. Secundò: quia ad hoc præcipiuntur denuntiationes præmitti, ne fortè adſit impedimentum dirimens, & in conſummatione matrimonij, ſe exponant periculo fornicationis: ergò ſi certum fuerit nõ ſubeſſe impedimentum ceſſabit præceptum: quia ceſſante fine legis in particulari ceſſat obligatio legis in particulari: ſicut ceſſante fine legis in communi, ceſſat in communi. Et quòd ceſſante fine talis legis in particulari, ceſſet obligatio legis in particulari docet Granad. 1. 2. *contr. 2. tract. 3. part. 1. diſp. 15. ſect. 2.* Hurtad. 2. 2. *tom. 1. diſp. 74. ſection. 3. §. 26.* quos ref. & ſeq. Diana 1. *part. tract. 10. reſol. 28.* & 5. *part. tract. 14. reſol. 96.* pluribus adductis; ſibi tamen contrarius, 1. *part. tract. 8. reſol. 75. in ſolut. argumenti.* ¶ At verò Enriquez *lib. 11. cap. 16. num. 1.* quem refert, & ſeq. Auerſ. *quæſt. 7. ſect. 2.* docet, quòd ſolùm in primâ vice coniuges peccabunt mortaliter debitum petendo, aut reddendo, non verò in alijs: quia Concilium ſolum prohibet conſummari matrimonium denuntiationibus prætermiſſis; illo verò per primam copulam conſummato, iam non erunt peccata aliæ ſubſequentes: ſicut peccabit quis bis in die ieiunij comedendo; ſemel verò fracto ieiunio, poſt ſecundam commeſtionem, peccatum non erit aliam, & aliam repetere.

*Verius tamen eſt eſſe graue delictum.*

94. Verior tamen, & communior eſt ſententia affirmans eſſe peccatum mortale matrimonium conſummare, vel poſtquàm contractum eſt malitiosè omittendo denuntiationes, vel cum diſpenſatione illarum, ſi non fuit omnimoda, ſed ſolùm ad poſtponendum eas matrimonio, & toties peccare coniuges, quoties, ſe commiſcuerint ſiuè petendo, ſiuè redendo debitum, niſi nouam diſpenſationem ad hoc obtineant. Ità Palaus *ſupr. num. 7.* & citat Gutierr. *cap. 58. num. 1.* & 2. Sanchez *lib. 3. diſp. 11. num. 5.* Dicaſt. *num. 224.* Leand. *diſp. 7. quæſt. 69.* & 70. Baſil. *lib. 10. cap. 4. num. 2.* Bonacina *quæſt. 2. punct. 6. numer. 8.* Conincb *num. 58.* N. Anton. *ſect. 12.* Et ratio eſt: quia Concilium præcipit poſt contractum matrimonium denuntiationes fieri antè illius conſummationem, tum ad detegendum impedimentum, quod fortè adfuerit, tum ad euitandum periculum fornicationis, ſi matrimonium eſſet nullum ob latens impedimentum: quæ lex cum ſit probibitiua, ſemper obligat, & quoties frangitur, toties grauiter (cum ſit de materia grauiſſima) delinquitur: quemadmodum toties peccatur, contra legem de non edendâ carne ſeriâ ſextâ, quoties illa comeditur: quòd ſecùs accidit in præcepto ieiunij, quod cum ſit poſitiuum, ſemel eo fracto, non eſt nouum peccatum nouam comeſtionem repetere. ¶ Et quòd finis huius legis in particulari deficiat, quandò aliàs conſtat euidenter, non ſubeſſe impedimentum, non tollit eius obligationem etiam in caſu particulari: quia lex prohibens actum ob periculum, vel damnum ex eo ſequutum, per ſe attendit ad id, quod moraliter, & expectato hominum more contingit, etiamſi in tali caſu per accidens non inueniatur: quia præſtat in omnibus vniformitatem ſeruari, quod etiam lex intendit. Sed de hoc redibit ſermo *tract. de Legibus.* Interim videatur, Diana 1. *part. tract. 10. reſol. 28.* vbi ferè triginta Authores refert aſſerentes non ceſſare obligationem legis in particulari, quandò in particulari ceſſat finis illius. Licèt ipſe oppoſitum ſequatur.

## PVNCTVM VIII.

*Qui teneantur ex vi denuntiationum impedimenta deferre? Et quomodò ſe debeat gerere Parochus, aut Ordinarius, quandò impedimentum aliquod opponitur?*

*Tenentur impedimenta detegere, qui ea ſciũt.*

95 QVandò impedimentum eſt publicum, ſiuè dirimens ſit, ſiue ſolùm impediens, non eſt dubium teneri de illo teſtificari eum, qui ſcit ipſum: maximè ſi per teſtes poſſit id probare; nec excuſari ex eo, quòd alij id fortaſsè opponent; quia ſub tali prætextu omnes excuſarentur, & non impediretur illicitum, vel irritum matrimonium; niſi iam ſciat aliquos de tali impedimento coram Superiore depoſuiſſe. Imò etiamſi occultum fuerit, quamuis ortum ex delicto, vel infamatorium; ut eſſet affinitas orta ex copula fœminæ cum fratre viri, vel aliquod aliud; ſiuè eſſet impedimentum dirimens, ſiuè impediens, & illicitum reddens matrimonium, ut votum caſtitatis, aut Religionis, vel ſponſalia contracta cum alia perſona, tenetur ſub mortali illud detegere quicumque conſcius illius fuerit, ſi ipſum iuridicè per teſtes probare poteſt: nam per denuntiationes fit quaſi iuridica informatio, in quâ iudex iuſtè, & iuridicè interrogat: & ſic tenetur illius præcepto obedire, quandò abſque magno damno proprio, aut ſcandalo facere poteſt (ſi enim magnum damnum, aut ſcandalum ex tali delatione timeatur, nec in hoc, nec in reliquis caſibus, de quibus loquemur hoc puncto ad talem delationem tenetur.) Ità Trull. *lib. 7. cap. 6. dub. 11. num. 2.* Palaus *diſp. 2. punct. 13. §. 6. num. 1.* Baſil. *lib. 5. cap. 34. num. 3.* Auerſ. *quæſt. 7. ſect. 4.* Dicaſt. *diſp. 3. dub. 28. nu. 287.* & eſt communis.

*Præmittenda eſt correctio fraterna.*

96. Difficultas verò eſt, quandò conſcius impedimenti occulti, illud per teſtes in iudicio probare non poſſet, an tunc teneatur id opponere? Circà quod omnes ſupponunt tam in hoc caſu, quam in præcedenti præmittendam eſſe admonitionem fraternam (maximè ſi impedimentum fue-

rit infamatorium) iuxtà leges fraternæ correctionis, quandò ſpes eſt probabilis, quòd proficiet; & ut non ſit talis, ſpes non eſt ſatis, quòd ſemel facta correctio non proſit, ſed debet repeti quamdiu prudentum arbitrio fructus ſperatur, ut tradit D. Thom. 2.2. *quæſt.* 33. *art.* 8. *ad* 1. Quod intelligendum eſt, niſi ſit periculum in mora: quia videlicet priùs, matrimonium contrahatur, uti in alijs delictis, de quibus facienda eſt denuntiatio, contingit: ut ſi fur denunciandus ſit periculum, quòd fugiat, aut rem allatam conſumat. Præmiſsà ergò hac admonitione fraternà modo dicto. Dubium eſt. An teneatur quis occultum delictum detegere, quod probare non poteſt, quamuis ipſe ſit conſcius illius?

*Tenetur impedimentũ deferre, qui ſcit, etiamſi illud probare nõ poſſit.*

97. Circà quod eſt duplex ſententia. Prima eſt negatiua, quam ſequitur Baſil. *nu.* 6. Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 221. Maior. *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 3. *Supplementum*, Gabrielis *diſt.* 28 *q.* 2. *art.* 3. Sà *verb. Matrim. num.* 23. quia in alijs rebus nemo obligatus eſt denuntiare, quod probare non poteſt, ut docent Nauarr. *de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 1. *in* 2. *edit. num.* 358. & cum alijs Gutierr. *lib.* 1. *Canon. qq. cap.* 11. *num.* 21. ne ut impoſtor, & calumniator habeatur: ergò ſimiliter in præſenti. ¶ Verior tamen eſt ſententia affirmatiua, quam tenet Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 13. *num.* 2. Dicaſt. *num.* 290. Coninch *diſp.* 27. *dub.* 7. *num.* 61. Leand. *diſp.* 7. *quæſt.* 88. Trull. *num.* 3. Perez *diſp.* 43. *sect.* 6. *num.* 8. Auerſ. *quæſt.* 7. *sect.* 5. § 1. Palaus *num.* 5. qui citat Couarr. 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 6 §. 10. *num.* 21. Hurtad. *diſp.* 5. *diff.* 21. *num.* 75. N. Gabr. *diſ.* 3. *qu.* 8 *num.* 32. Niſi in caſu, quo ſciat obtentam eſſe in foro conſcientiæ diſpenſationem occulti impedimenti, ſi enim impedimentum eſſet publicum, aut deductum ad forum exterius, in tali caſu etiamſi adepta eſſet in foro conſcientiæ diſpenſatio, & hoc notum eſſet ſcienti impedimentum, non excuſaretur ab obligatione illud deferendi. Idem etiam aſſerendum eſt cum proportione in caſibus ſequentibus, in quibus dicemus ſcientem impedimentum tenere illud detegere.

*Rationibus aſſertio probatur.*

98. Probatur ergò concluſio. Primò: quia ut inquit D. Thom. 2.2. *quæſt.* 70. *art.* 1. *ad* 2. tenetur quiſque manifeſtare peccatum occultum inferens damnum tertio, quando Prælatus interrogat legitimè, ut hic inuenitur: ubi & ſuperior per denuntiationes interrogat legitimè, & matrimonium cum impedimento dirimente, aut impediente contractum eſt officioſum, & ipſis contrahentibus, & ipſi Sacramento, cui fit iniuria, ſi illegitimè contrahatur. Secundò: quia reuelanti impedimentum in hoc caſu non incumbit onus probandi, ſed ad Parochum, vel Prælatum ſpectat, quid faciendum ſit, prouidere. Tertiò: quia licèt in alijs rebus, in quibus agitur de punitione rei, vel de ſpoliatione poſſeſſoris, non ſufficiat unius teſtimonium ad faciendam fidem, benè tamen in præſenti, ubi agitur de euitando peccato, & animæ periculo, ne impediti contrahant contrà Eccleſiæ præceptum.

*Etiamſi in ſecreto naturali illud ſciertt.*

99. Et hoc verum eſt, licèt ſub ſecreto naturali extrà ſigillum confeſſionis illud ſciat, etiamſi iurauerit ſe numquam manifeſtaturum. Tum: quia ut inquit D. Thom. 2.2. *cit. quæſt.* 70. *art.* 1. *ad* 2. ſecretum naturale non obligat, & conſequenter iuramentum illi adhærens, quandò imminet damnum commune, aut particulare tertiæ perſonæ. At per hoc, quòd matrimonium cum impedimento dirimente contrahatur, imminet damnum commune, cum ex illo plura incommoda ſequantur, tum coniugibus ipſis, tum filijs ex eis ortis, qui illegitimi erunt, tum conſanguineis, & alijs, inter quos iurgia, & diſſentiones orirentur, ſi poſteà detecto impedimento matrimonium diſſoluatur: & ſi ſit impediens, imminet damnum animæ ſponſis contrahentibus, & fortè tertiæ perſonæ, ſi cum illà ſponſalia anteà contraxiſſent. Tum etiam: quia hic non agitur de damno, aut punitione alicuius, ſed de peccato vitando, & eripiendo contrahente à morte ſpirituali ſibi imminenti. Et ideò hæc lex de impedimento detegendo, quæ reſpicit vitam animæ, legi eſt præferenda de obſeruando naturali ſecreto: proindeque illicitum erit illud in tali caſu obſeruare, & cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis, ad hoc obligare non poterit. Ità Auerſ. *quæſt.* 7. *sect.* 4. §. *Tenetur detegere*, Trull. *nu.* 3. Leand. *quæſt.* 87. Sanchez *nu.* 5. qui citat Palud. *in* 4. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 5. & alios, qui licèt non omnes in caſu iuramenti expreſsè loquantur, ex eorum doctrina deducitur.

*Quid, ſi ex auditu ſciat?*

100. Qui ex auditu aliquod impedimentum ſcierit, ſi à perſonà fide dignà, & omni exceptione maiori illud acceperit, & ipſa coram Prælato illud non oppoſuerit, ad denuntiandum illud tenetur: quia noticia habita ex auditu à fide dignis vera notitia eſt, ex quà poterit Prælatus perſonam citare, eiuſque teſtimonium audire (ſi fortè fuerit ſuperſtes) vel ad alia inquirenda pro notitià plenà capiendà moueri. Si autem perſona à quà audiuit, non fuerit fide digna, vel conſcius impedimenti non recordetur, à quo audierit, non tenetur illud deferre: quia talis denuntiatio nullius eſt utilitatis. Quod maximè procedit, quandò impedimentum eſt infamatorium: quia tunc illud denuntiare non poterit; poterit tamen, quandò nullum eſt periculum infamiæ, & fortè ex tali denuntiatione, adhibità diligentià Prælati, veritas innoteſcet. Ità Dicaſt. *nu* 300. Sanch. *nu* 7 Trull. *nu.* 4. Coninc. *nu.* 26. Gutierr. *num.* 7. Rodrig. *cap.* 217. *nu.* 1. *& de Ord. iudicial. cap.* 4. *concl* 10 *nu.* 12. Leand. *quæſt.* 84. Palaus §. 6. *nu.* 3. Baſil. *nu.* 1. N. Anton. *sect.* 14.

*Vide N. Gabr. diſ. 5. § 7.*

*An contrahentes teneantur impedimentum detegere.*

101. Sed inquires primò. An ipſi contrahentes, vel aliquis eorum conſcius impedimenti occulti, teneatur illud propalare, etiamſi infamatorium ſit? ¶ Reſpondetur affirmatiuè, præcipuè ſi à ſuperiori de hoc interrogetur, ſi non deſiſtere velit à matrimonio; aliàs iniuſtè ſe ingeret contractui, quem celebrare nequit. Et ratio eſt: quia quoties animæ periculum imminet, poteſt à reo iuramentum exigi, licèt iudex nihil probauerit: ergò etiam in præſenti: ergò tenetur obedire detegendo impedimentum occultum: quia iudici interroganti legitimè reus obedire tenetur, Trull. *num.* 5. Leand. *quæſt.* 83. Dicaſt. *num.* 302. Auerſ. *quæſt.* 7. *sect.* 5. Palaus *nu.* 6. Sanch. *diſp.* 14. *num.* 2. Suar. *lib.* 5. *de legib. cap.* 9. Enriq. *lib.* 10. *de Sacram. Ord. cap.* 18. *num.* 2. *in Comm. lit. D.* Coninc. *num.* 63. Baſil. *cap.* 33. *num.* 5.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

102. Sed obijcies: quòd iudex inquirere nequit, non præcedente infamià, *c. Qualiter, & quandò* 2. *de accuſat.* Ergò non tenetur interrogatus fateri, ſiquidem iudici iuridicè non interroganti nemo tenetur obedire. ¶ Reſpondetur, quòd quan-



Digitized by Google

dò inquiſitio ſit contrà iam promotum, vel poſſeſſorem, ut deponatur, vel contrà reum, ut puniatur, nequit iudex, infamiâ non præcedente, interrogare; at verò quandò inquiſitio ſit contrà promouendum, vel contrà illum, qui iniuſtè vult poſſidere, vel ad id, quod non poteſt, ſe intromittere, non requiritur infamia, ſed debet iudex ex officio inquirere, ſi adſint vitia, aut impedimenta, quæ illum incapacem ad contractum, vel dignitatem reddant, *cap. Cum nobis, de election.*

*Quid facere debet Parochus, cui impedimentum manifeſtatur?*

103. Secundò inquires, quomodò ſe debeat gerere Parochus, cui aliquod impedimentum reuelatum eſt? § Reſpondetur: quòd debet impedire matrimonium, vel non aſſiſtendo illi, ſi ipſe fuerit unicus, qui poteſt coniungere contrahentes, vel alijs vijs ipſum remouendo, *cap. final. de clandeſt. deſp.* Sed non poteſt de impedimento cognoſcere, an ſit verum? An rectè probatum? &c. Eo quòd ad talem inquiſitionem iuriſdictio iudicialis requiritur, quam Parochus non habet. Rem ergò deferre debet ad Ordinarium, ut de illâ cognoſcat: cognitio namque impedimentorum matrimonij pertinet ad Epiſcopum, *cap. 1. de conſang.* Ità communiter Doctores. Ex quo infertur, quòd ſi Parochus extrà confeſſionem ſciat aliquod impedimentum occultum, tenetur impedire matrimonium, & illud opponere coram Epiſcopo, ut de illo iudicet: ſicut quilibet alius ad hoc tenetur, & ipſe maximè, cui incumbit ſalutem ſuarum ouium procurare, & cuius teſtimonium maioris ponderis eſt, & fortè ſufficiens ad matrimonium impediendum. Ità Sanch. *diſp. 15. num. 3.* Palaus *§. 7. nu. 4.* Dicaſt. *dub. 29 à nu 306. & 310.* Baſil. *cap. 35. nu. 5.* Lugo Card. *de Sacram. in gener. diſp. 8. nu. 205.* Et addunt Sanchez Palaus, & Baſil. quòd ſi ipſe Ordinarius ex propriâ ſcientiâ impedimentum ſciat, non poteſt publicè petenti matrimonium denegare: quia cum ſit iudex, non poteſt eſſe teſtis. *Argumento ex cap. Ex tenore, de temp. ordinand.* Vbi dicitur, quòd irregulari publicè petenti Ordines, non poteſt Epiſcopus eum repellere, ſi ipſi tantum nota ſit irregularitas.

*Poteſt Epiſcopus, qui ſcit impedimentû impedire matrimonium.*

104. Veriùs tamen dicendum eſt cum Dicaſt. *nu. 312.* Trull. *nu. 6.* Conine. *dub. 7. concl. 5.* Auerſ. *ſect. 5. §. At Prælatus* Leand. *quæſt. 90.* qui refert Hurtad. *diſſ. 21. num. 77.* poſſe, & teneri Ordinarium, qui ſolus impedimentum nouit etiam occultum, matrimonium impedire, ſiuè publicè, ſiuè ſecretò petatur. Tum: quia in iudicio, in quo non agitur de alterius præiudicio, ſed eſt maximè fauorabile parti, benè poteſt iudex uti ſuâ priuatâ ſcientiâ. Tum etiam: quia poteſt ipſe deferre illud ad Nuntium, vel ad alium Superiorem, & ſe habere ut teſtis coram illo, ut ſuarum ouium conſulat utilitati: ſicut in ſimili docent plures Doctores debere facere eum iudicem, qui nouit occultè aliquem innocentem, ſed ſecundum probata nocentem, qui aſſerunt in tali caſu debere remittere cauſam ad ſuperiorem, ut ibi ſit teſtis. Tum denique: quia hoc negotium ſuo Vicario remittere poteſt, ut iudicet, coram quo ipſe teſtificetur. Nec obſtat, quòd ſit iudex conſtitutus ab ipſo Epiſcopo, ſicut non obſtat, quòd Princeps ſupremus in re graui, velit teſtificari, coram iudicibus à ſe conſtitutis.

*Quæ probatio impedimenti appoſiti ſufficiat.*

105. Vltimò inquires. Quandò Epiſcopus iudicare debet eſſe verum, & ſolidum impedimentum apud ſe delatum, ut volentes contrahere matrimonium ab eo repellat? Aliqui dicunt eſſe neceſſariam ad hoc probationem, vel per duos teſtes, vel per confeſſionem partis, ſicut in alijs iudicijs. Aliter enim dicunt priuandos non eſſe iure ſuo, qui intendunt contrahere matrimonium. Ità Baſil. *cap. 34. num. 8. & 9. & cap. 36. num. 2.* & alij apud ipſum. Et quandò præceſſerunt ſponſalia iurata, tenet Palud. *in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 3. nu. 27.* & plures Iuriſtæ *ſuper cap. Præterea 12. de ſponſ.* ubi expreſsè id videtur haberi. Quod probatur: quia ex unâ parte, niſi matrimonium ſequatur in tali caſu, eſt certum periurium; & ex alia parte incertum impedimentum, dum planè non probatur, & non ſunt certa pro incertis relinquenda.

*Vnus teſtis fide dignus ſufficit.*

106. Veriùs tamen dicendum eſt: quòd ſiuè ſponſalia iurata præceſſerint, ſiue non, ſufficit unus teſtis fide dignus, omni exceptione maior de impedimento ex certâ ſcientiâ teſtificans, ut matrimonium impediatur. Ità Auerſ. *§. Attamen,* Sanchez *lib. 1. diſp. 71. nu. 1.* Trull. Dicaſt. *nu. 292.* Conineb *nu. 76.* N. Gabr. *diſ. 5. q. 7. nu. 73.* Et quidem ſi iurata non præcedant ſponſalia, conſtat ex *cap. Præterea 12. de ſponſ. & cap. Super eo 22. de teſtib.* Et ex ipſa ratione: quia pluris intereſt, ne fiat matrimonium nullum, aut cum peccato, quam quòd à matrimonio repellantur illicitè, vel inualidè contrahere volentes: & minor probatio requiritur ad vitandum periculum animæ, quàm ad reum puniendum, ut multoties diximus. Quare licèt in alijs iudicijs duorum teſtium depoſitio requiratur, non ità in præſenti. Et propter eandem rationem idem aſſerendum eſt, quandò ſponſalia iurata præceſſerunt: quia talis promiſſio iurata facta eſt ſub conditione, niſi appareat aliquod impedimentum, quod creditur adeſſe, quandò per unum teſtem fide dignum teſtificatur. Et in *cap. illo præterea,* adducto pro contrariâ ſententiâ ſolùm eſt ſermo, quandò teſtis fide dignus non fuerit.

*Debet eſſe teſtis iuratus & ex certâ ſcientia deponens.*

107. Sed notant Authores citati requiri, quod teſtis ſub iuramento ſuum deponat teſtimonium, ut credatur: eo quòd licèt agatur de vitando peccato, etiam agitur de præiudicio tertij: & quandò agitur de tertij præiudicio, niſi iuranti nemini creditur. Et etiam requiritur, ut deponat ſe ex certâ ſcientiâ ſcire, & non ſolum ex auditu, niſi impedimentum, quod opponit, ſit conſanguinitatis: quia tunc, ſi de conſanguinitate deponat, certum gradum aſſignans, illi creditur, ſi ſub iuramento affirmet, ſe audiuiſſe à duobus ſuis maioribus fide dignis, *ca. Licèt ex quadam 47. de teſtib.* Videantur quæ diximus *cap. 2. punct. 7. à nu. 108.* agentes de diſſolutione ſponſalium.

## CAPVT IX.

### *De conſenſu, vi, & metu extorto.*

### Caput hoc continet unúm dubium, & quatuor puncta.

*Dub. Vnic. Vtrùm matrimonium ex metu graui contractum ſit iure naturæ irritum, vel ſolum iure Eccleſiaſtico? num. 1.*

*Punct. I. De conditionibus ad metum grauem dirimentem matrimonium requiſitis, num. 18.*

*Punct. II. De matrimonio ex metu leui contracto, & ex metu reuerentiali, & ex precibus importunis, nu. 29.*

*Punct. III. De metu à cauſa naturali incuſſo, & à cauſa liberâ, ſed non ad extorquendum matrimonium,*

*vel ſi ad hoc ſit incuſſum, iuſtè tamen illatum, an dirimat matrimonium? num. 39.*

*Punct. IV. Vtrùm matrimonium metu graui contractum confirmetur iuramento, aut copula ſequenti animo maritali habitâ? num. 55.*

## DVBIVM VNICVM.

### *Vtrùm matrimonium ex metu graui contractum ſit iure naturæ irritum, vel ſolùm iure Eccleſiaſtico?*

*Quid ſit, & quotuplex metus.*

1. **M**Etus à Theologis definitur: *Quòd eſt paſſio, quâ refugimus malum futurum, cui reſiſtere non poſſumus.* Ità N. N. Salmant. *1. 2. q. 6. art. 6. in Comment. litteræ, num. 1 ſed* D. Thom. *hic, quæſt. 47. art. 1. & in 4. diſt. 29. quæſt. vnic. art. 1.* aſſerit apud Iuriſtas ità definiri: *Metus eſt inſtantis, vel futuri periculi cauſa, mentis trepidatio.* Ità habet Vlpian. *leg. 10 ff. de eo, quod metus cauſa*: & eſt in duplici differentiâ: alius, qui dicitur cadens in virum conſtantem, id eſt, potens virum fortem mouere, ad quod plures conditiones requiruntur, de quibus agemus *puncto ſeq.* alius cadens in virum inconſtantem, ille nimirum, cui tales conditiones deficiunt: & rurſus uterque poteſt eſſe vel à cauſa liberâ incuſſus, ut ſi frater mortem minaretur ſorori, niſi nuberet cum amico. Et talis metus poteſt à cauſa liberà incuti, vel ad extorquendum matrimonium, ut in caſu dicto, vel non ad extorquendum illud, ſed aliquid aliud. Alius eſt incuſſus à cauſâ neceſſariâ, ut vel ab inſtante morte, à naufragio, à peſte, &c. Et qui à causâ liberâ incutitur, poteſt iuſtè, vel iniuſtè inferri, de quibus omnibus hoc capite dicemus. Nunc ſolùm loquimur de metu graui cadente in virum conſtantem in caſu à causâ liberâ iniuſtè ad extorquendum conſenſum matrimonij, an hic ipſo facto illud irritum reddat? Et quo iure?

*Iure Eccleſiaſtico eſt irritum & quare?*

2. In quo tamquam certum ſtatuendum eſt iure poſitiuo, & Eccleſiaſtico nullum eſſe tale matrimonium, habetur *in cap. Cum locum, cap. Conſultationi tuæ, cap. Veniens 2. de ſponſal. cap. Significauit de eo, qui duxit*, & alijs iuribus. Et quidem congruenter ità fuit ab Eccleſiâ decretum: quia licèt iure naturali tale matrimonium eſſet validum, erat tamen illicitum: cum matrimonium ſit vinculum mutui amoris indiſſolubile, & perpetuum ad mutuam vitæ conſuetudinem ordinatum, & perfectam prolis generationem, & educationem reſpiciens, quibus omnibus maximè opponitur, quòd ex metu graui fiat. Rectè ergo Eccleſia ſtatuit fore nullum, cum poſſet id iure efficere, ſicut de alijs impedimentis dirimentibus ab ipsâ inductis; quorum unus eſt *timor*, ut ſuo loco dicemus. Id etiam quâ ratione eſt Sacramentum, exigebat: quia ſignificat Chriſti cum Eccleſiâ coniunctionem, quæ liberâ fuit. Et quâ ratione contractus: quia licèt alij non dirimantur à iure ipſo facto, quandò ex metu graui fiunt, at decernit eſſe irritandos, & annullandos: quia cum ſint diſſolubiles, poſſunt poſt contractionem annullare, at matrimonium cum indiſſolubile ſit, ſi ante contractionem irritum non redderetur, non poſſet ampliùs dirimi. Vndè ſicut profeſſio religioſa, quia petit liberam traditionem religioni, quandò metu graui fit, irritatur ab Eccleſiâ, *cap. Perlatum de his, quæ vi*: Sic matrimonium propter eandem rationem. Ità D. Thom. *in 4. diſt. 29. quæſt. 1. art. 3. & in addit. quæſt. 47. art. 3.* Ledeſ. *ibi*, Soto *in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 3.* N. Cornej. *diſp. 7. dub. 25.* N. N. Salmant. *1. 2. quæſt. 6 art. 6. in comment. litteræ*, Sanc. *lib. 4. diſp. 12.* Auerſ. *quæſt. 4. ſect. 2.* Coninc. *diſp. 28. dub. 1.* Becan. *cap. 45. quæſt. 2.* Baſil. *lib. 4. cap. 14.* N. Ant. *diſp. 5. ſect. 2.* N Gabr. *diſ. 3. q. 9.*

*In utroque foro eſt nullum, etiàmſi verus conſenſus apponatur.*

3. Quod non ſolùm eſt verum in foro exteriori, ſed etiam in foro conſcientiæ, ut aſſerunt dicti Authores. Et ideò textus allegati affirmant poſſe cum aliâ contrahere, qui ſic ex metu cum unâ nupſit. Quod etiam verum eſt non ſolùm quandò quis metu coactus verbis finxit ſe velle contrahere, cum tamen animum contrahendi non haberet: ſed etiamſi conſenſum in matrimonium præſtaret, volens quantum eſt ex ſe matrimonium inire, ſiuè ſciret nullum fore tale matrimonium, ſiuè hoc ignoraret. Nam Eccleſia talia decreta conſtituens non ſupponit ipſum mentiri, & verba animo non conformare: quia ut inquit D. Tho. *loc. cit.* Eccleſia non præſumit peccatum, quandò non adeſt illius fundamentum. Et etiam quia ſi verum conſenſum non apponeret, iam ex hoc capite eſſet nullum matrimonium, & ſic nil de nouo decerneret. Vult ergò conſenſum tali metu extortum inſufficientem eſſe ad matrimonium validum, quemadmodum voluit conſenſum clandeſtinum non eſſe ad matrimonium materiam, aut formam ſufficientem. Dubium ergò eſt. An non ſolùm iure Eccleſiaſtico, ſed etiam iure naturæ, ac proinde inter infideles irritum ſit tale matrimonium?

*Argumenta probantia iure naturæ eſſe nullum.*

4. Et videtur eſſe iure naturæ nullum: quia in capitibus *num. 2.* adductis Pontifices non ſtatuunt nouum ius, ſed quod anteà erat, declarant. Et ideò dicunt irrita eſſe matrimonia, quæ metu facta fuere antè talia decreta; ſed antè illa non erant irrita ex iure Eccleſiaſtico: quia tale ius inductum fuit per dicta capita: ergo erant iure naturæ, quod videtur innuere Pontifex aſſignans pro ratione talis nullitatis defectum ipſius conſenſus, *cap. cum locum cit.* ibi: *Quod cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit, neceſſe eſt, ut ubi aſſenſus cuiuſquam requiritur, coactionis materia repellatur.* ¶ Secundò: quia D. Thom. *quæſt. 47. art. 3.* abſolutè, & ſimpliciter dicit eſſe nullum matrimonium metu graui initum, quod non in ius poſitiuum reducit, ſed in naturam ipſius matrimonij, quod petit eſſe perpetuum, & indiſſolubile, & nihil violentum perpetuum; & ideò ex naturâ ſuâ petit, quòd ſpontaneè, & liberè fiat: ¶ Tertiò, cæteri contractus metu graui initi inualidi ſunt iure naturæ: ergò etiam matrimonium. Conſtat conſequentia: quia ut inquit D. Thom. *loc cit.* maior ad matrimonium, quàm ad alios contractus libertas requiritur. Antecedens probatur: quia qui per metum grauem, alium ad contrahendum adegit, tenetur illi reſtituere acquiſitum per talem contractum, ut eſt apud omnes receptum, & habetur *leg. 28. tit. 11. part. 3.* ergò non habet illorum dominium, dominiũ namque eſt poteſtas utendi re libito: ergò contractus non fuit validus, cuius natura eſt dominium rei, quæ venditur, v. g. in alium transferre. ¶ Quartò: quia matrimonium ex naturâ ſuâ eſt vinculum mutui amoris perpetuum, ad educationem, & procreationem prolis ordinatum, indiuiduam, & amicabilem ſocietatem exigens, quæ omnia

per

per metum tolluntur : ergo ex iure naturæ eſt nullum, quod per metum grauem contrahitur.

*Authores huius ſententia.*

5. Ità tenent grauiſſimi Authores aſſerentes ius Canonicum ſolùm declaraſſe irrita eſſe matrimonia, quæ ex iure naturæ ità erant : proindeque etiam matrimonia infidelium ex metu graui contracta eſſe nulla. Ità Baſil. *lib.*4. *cap.*14. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 33. qui citat Molina *tom.* 2. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 326 *in ſolut.* 2. *argum. tenet* Barthol. de Ledeſm. *dub.* 23. *de Matrim. concluſ.* 3. Veracruz 1. *part. ſpecul. art.* 8. *concluſ.* 1. Villalob. *tract.* 13. *diff.* 37. *nu.* 8. Leand. *diſp.* 56. *quæſt.* 20. Becan. *quæſt.* 2. *num.* 4.

*Argumentum ſed contra.*

6. Sed contrà eſt : quòd ad omnes contractus ex naturâ rei ſufficit, quòd detur titulus, nimirum, traditio rei pro re, & conſenſus voluntatius : ſed hic datur titulus, ſcilicet traditio corporum mutua, & conſenſus ſimpliciter voluntarius; nam quod metu graui fit, abſolutè, & ſimpliciter eſt voluntarium, ut docet D. Thom. *in addit. quæſt.* 47. *art.* 3. & 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 6. ex Ariſtot. quamuis mixtum ex inuoluntario ſecundùm quid : & ideò ad alios contractus validos reddendos ſufficit ex naturâ rei, quamuis ſint irritandi, & annullandi : Ergò ſimiliter ſufficit ad Matrimonium ratum, & validum efficiendum.

*Iure naturæ non eſt irritū matrimonium metu contractum.*

7. Reſpondeo igitur dicendum : quod Matrimonium ex metu graui factum validum eſt iure naturæ, & ſolum ex iure Eccleſiaſtico eſt nullum : quemadmodum matrimonium clandeſtinum ex natura rei nullum non eſt, & tamen ex determinatione Eccleſiæ eſt irritum : Eccleſia namque, quæ decreuit inhabiles eſſe ad contrahendum, qui volunt clandeſtinè coniungi, & eorum conſenſum eſſe ad hoc inſufficientem : Ita etiam metu coactos facit inhabiles ad tale Matrimonium, & conſenſum ſic extortum inſufficientem facit ad illud. Quare inter infideles, quos Eccleſiæ præcepta non obligant, ſicut eſt validum, Matrimonium clandeſtinum in ratione contractus : ſic etiam Matrimonium metu graui initum. Ita communiter Thomiſtæ, tam Dominicani : ut Ledeſm. 3. *p.* q. 47. *art.* 3. *concluſ.* 5. *fol.* 212. *colum.* 2. Candidus *de Matrim. diſquiſit.* 28. *art.* 7. Soto *in* 4. *diſt.* 29. *q.* 3. *art.* 5. §. *qui ergò.* Gonet *diſp.* 4. *num.* 77. Monteſinos *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 8. *nu.* 132. quam N. N. Diſcalceati ut : Salmanticenſes 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 6. *num.* 14. Gabriel à S. Vinc. *diſp.* 3. *num* 89. Philippus 1. 2. *diſp.* 9. *dub.* 4. Anton. *num* 237. idem tenet N. doctiſſimus Cornejo *diſp.* 7. *dub.* 26. & ex, extran. Wiggers 3. *part. quæſt.* 45. *dub.* 5. Sanch. *num.* 2. Aueri. Valent. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. *punct.* 2. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 5. Bonacina *quæſt.* 3. *punct.* 8. *num.* 8. Perez *diſp.* 57. *ſect.* 5. *num.* 2. Dicaſt. *diſp.* 4. *dub.* 6. *num.* 62. Palaus *tract.* 2. *de peccatis, diſp.* 1. *punct.* 8. *num.* 4. Trull. *lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 8.

*Probatur ratione cōcluſio.*

8. Ratio eſt : quia ſi ex iure naturæ irritum eſſet tale matrimonium, vel eſſet ratione Sacramenti, vel ratione contractus, vel ratione talis contractus, & Sacramenti, vel ratione libertatis, quam exigit, vel denique ratione iniuriæ, quam parti, quæ vim patitur, irrogat : nullo ex his capitibus : ergò, &c. Probatur maior quoad primam partem. Siquidem alia Sacramenta etiam metu graui recepta, vel facta valida ſunt, ut ſiquis ex metu verè, & ex animo abſolueret, vel baptizaretur, vel baptizaret, validum eſſet Sacramentum, ut de Baptiſmo definitur *cap. Maioris de Baptiſmo, & cap. de Iudæis, diſt.* 45. Quòd non ex ratione contractus probatur : quia cæteri contractus iure naturæ non ſunt irriti, imò nec iure poſitiuo, ſed irritandi : ergò ex ratione contractus minimè erit nullum. Nec etiam ex eo quòd talis ſit : quia cum ſit ſimpliciter voluntarium, quod ex metu graui fit, ſufficiens eſt ad transferendum dominium. Nec ex hoc fines matrimonij tolluntur, quamuis non nihil impediantur, & ſic prohibitum ſit iure naturæ, & iure Eccleſiaſtico iuſtè annullatum. Nec hoc pugnat cum illius perpetuitate : quia licèt coactio, in quâ aliquis merè paſſiuè ſe gerit, & dicitur violentia, pugnet cum perpetuitate, & tunc verificetur nihil violentum perpetuum, non verò coactio, in qua quis actiuè ſe gerit, & per concurſum ſimpliciter voluntarium concurrit, maximè quia poſſet euadere ſuum damnum verbis dumtaxat conſentiendo, & non apponendo conſenſum ex animo : & ideò ſi illum apponit, non eſt omninò ad contractionem coactus.

*Proſequitur probatio concluſionis.*

9. Nec deinde eſt irritum ratione libertatis, quam requirit. Tum : quia etiam iuramentum libertatem requirit, & tamen extortum metu graui obligat, *cap. Verum, cap. Si verò de iureiur.* tum etiam : quia non minus obſtat libertati dolus, quàm metus : & tamen matrimonium, cui dolus cauſam dedit, non eſt irritum iure naturæ, ut ſi contraheres cum ignobili, vel paupere, quam nobilem, vel diuitem iudicabas, validum eſt matrimonium, quamuis non nihil minuatur libertas illius. Tum denique quia ſi talis metus proueniat à cauſâ neceſſariâ, ut à tempeſtate, vel ab ægritudine, non irritaret matrimonium, ut omnes concedunt : ergò nec quandò metus à cauſâ liberâ incutitur : quia quòd ſit libera, vel neceſſaria cauſa cogens, non tollit, quòd ſi una relinquat libertatem ad matrimonium, non alia. Idem eſt de cauſâ liberâ inferente metum iuſtè, quæ non tollit libertatem ad matrimonium requiſitam, ut hoc capite decemus : & tamen non minùs cogit, qui flagella, aut mortem iuſtè minatur, ac ſi iniuſtè talem metum incuteret.

*Concluditur probatio concluſionis.*

10. Denique non ratione iniuriæ illatæ per violentiam, quæ aliter non poteſt reſarciri, niſi reducatur uxor v. g. ad ſtatum priorem à vinculo matrimonij abſoluta, quod cum fieri non poſſit iam contractu celebrato propter ſuam indiſſolubilitatem, ſequitur eum ex naturâ rei annullari, ne validè fiat : quod eſt argumentum D. Thom. Cæterum hoc argumentum ſolùm congruenter probat debere tale matrimonium ab Eccleſiâ irritari, & iuſtè hoc factum fuiſſe ab illâ, quod intendit D. Thom. loco in argumento ſecundo adducto : cum ibi ſupponat iam ab Eccleſiâ hoc decretum fuiſſe, ut conſtat ex argumento ſed contrà, ubi textum ex *cap. Cum locum,* adducit : & ſic ſolùm intendit illo artic. iure poſitiuo eſſe nullum, & probare illâ ratione rectè id factum ab Eccleſiâ : quia eſt conforme cum his, quæ ius naturæ depoſcit prohibens tale matrimonium, non tamen probat iure naturæ eſſe irritum : quia ut rectè probat Ledeſ. *diſſ.* 1. *in ſol. ad* 4. *arg.* multæ ſunt iniuriæ, quæ reſarciri non poſſunt ſaltem in eodem genere bonorum, ut ſiquis per metū grauem ſuſcipiat Baptiſmum, grauiſſima iniuriâ afficitur : cum Baptiſmus

ptiſmus inducat vinculum perpetuum, ſicut inducit matrimonium, & tamen illa iniuria non poteſt reſarciri. Similiter ſi quis promittat futuras nuptias virgini, & corrumpat illam, & poſteà de præſenti contrahat cum alia, non poteſt in eodem genere illam iniuriam reſarcire: ſimiliter in præſenti.

*Soluuntur argumenta contraria.*

11. Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad primum ex Dicaſt. Sanch. & alijs, quòd licèt antè talia decreta non fuiſſent alia ſcripta tale matrimonium irritantia, habetur tamen ex traditione tot Doctorum, & Pontifices in his decretis oſtendunt iam more, & uſu id receptum fuiſſe olim, & fortaſsè ſcriptum eſt, licèt talia ſcripta perierint, quod alijs exemplis illuſtrat Sanch. *loc. cit.* ¶ Ad ſecundum ex D. Thom. conſtat ex dictis *nu.* 10. ¶ Ad tertium negatur antecedens, ad cuius probationem dicimus cogentem alium ad contrahendum, rei, de quâ fit contractus, dominium acquirere, ut planè concedunt Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 8. *nu.* 5. *&* 11. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *nu.* 44. Palaus *de peccatis, nu.* 1. Sed tale ius eſſe nimis infirmum: cum illam teneatur reſtituere ei, qui vim fuit perpeſſus, quæ obligatio non tollit dominium hoc ſiquidem non petit, quòd poſſit pro libito uti re ſuâ, cum dominus maioratus illius dominium habeat, quin poſſit illud alienare: ſed ſicut tu, qui promiſiſti domum Petro, habes dominium illius cum onere, eam Petro elargiendi: ità ille poſſidet, ſed reſtituere tenetur: ¶ Ad quartum dicimus ſolùm probare eſſe iure naturæ prohibitum matrimonium, & æquum, ut iure poſitiuo irritetur: quia ob eius indiſſolubilitatem non poteſt ab eo, poſtquàm ratum fuit, annullari: quemadmodum alij contractus ex metu facti, qui licèt iure naturali ſint prohibiti, non irritantur iure poſitiuo, quia poſſunt poſteà per ſententiam iudicis annullari. Cæterum cum adſit conſenſus ſimpliciter ſufficiens ad transferendum dominium corporis, & ad alios fines, & functiones matrimonij, licèt ægrè, & difficulter, id validum iure naturæ relinquunt.

*An peccet, qui metu graui conſentit in matrimonium.*

12. Sed inquires primò. An peccet mortaliter, qui metu graui coactus matrimonium contrahit? Non dubitamus peccare mortaliter eum, qui talem vim infert, & peccato iniuſtitiæ: quia per iniuriam extorquet ab alio rem difficilem, uti eſt matrimonium, & peccato ſacrilegij contrà reuerentiam debitam Sacramento, & incurrit (ſi ſit Magiſtratus) excommunicationem latam à *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 9. modo dicto *cap.* 6. *num.* 35. Ipſe verò contrahens, ſi verba materialiter proferret abſque vero conſenſu in matrimonium, ſolùm peccaret peccato veniali mendacij (niſi amphybologiâ uteretur, & mente haberet hanc conditionem, *ſi teneor*) quia tunc nec Sacramento irrogat iniuriam, quia materiam, aut formam pro illo non apponit, nec alteri facit iniuſtitiam, cum non teneatur in tali caſu per verum conſenſum illi correſpondere. Similiter non eſt dubium, quandò ipſe vel neſcit, vel non aduertit, matrimonium metu contractum eſſe nullum: quia tunc etſi verum ſenſum apponat, non peccat, quia excuſatur ex ignorantiâ inuincibili. Difficultas verò eſt, quandò vim patiens ſcit tale matrimonium eſſe nullum, & tamen verbis mentem conformat verum conſenſum apponendo, quòd fieri poſſe omnes fatentur: quia ipſe vult, quantùm eſt de ſe, vel fortè ſub conditione tacita, *ſi poteſt.*

*Duplex ſententia proponitur.*

13. Circà quòd eſt duplex ſententia. Prima, quam ſequitur Ledeſm. *quæſt.* 44. *art.* 3. *dub.* 2. aſſerens eſſe peccatum mortale propter hoc argumentum: qui materiam, & formam Sacramenti applicat materiæ, vel formæ incapaci illud nullum faciens, peccat peccato ſacrilegij contrà ipſum Sacramentum: ſicut Sacerdos imperriens abſolutionem peccatori, quem ſcit eſſe indiſpoſitum, peccat: quia formam applicat materiæ ineptæ, & Sacramentum facit nullum: ſed qui conſenſum verum in caſu dicto cum verbis apponit, ſic ſe habet: ergò. ¶ Communior tamen ſententia negat (etiamſi iuramento tale matrimonium confirmet: quia iuramentum ſequitur conditionem contractus, cui adhæret, & quia tunc verum habet conſenſum, de quo iuramentum teſtificat) aliàs teneretur potiùs pati mortem, quàm matrimonium contrahere, quod videtur duriſſimum, & oppoſitum ab omnibus ſupponitur, quandò dicunt poſſe dari matrimonium contractum per metum cadentem in virum conſtantem, non autem eſſet metus cadens in virum conſtantem, ſi per illum peccaret: quia ut docet D. Thom. *quæſt.* 47. *art.* 2. *in corp.* non eſt talis, quandò maius malum eligitur ad euitandum minus, ut ſi peccatum amplectatur ad euadendam mortem. Ità tenet Palaus *de matrimon diſp.* 2. *punct.* 12. *num.* 3. Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 16. *num.* 6. Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 25. Trull. *dub.* 11. *num.* 6. Bonac. *num.* 30. Auerſ. *ſect.* 2. *§. ille vero*, Baſil. *lib.* 4 *cap.* 16.

*Vera ſententia ratione probatur.*

14. Et ratio eſt (per quam ſoluitur argumentum Ledeſm.) quia ipſe contrahens non facit matrimonium irritum, ſed contractum ab Eccleſiâ irritatum iam apponit. Et ideò ipſa Eccleſia contractum reddit nullum tali metu factum, & conſequenter Sacramentum ſuper illum fundatum, & de reliquo non prohibet aliquem conari ad illum, periculo mortis imminente. Ex quo fit, quòd contrahens nec apponat veram materiam, aut formam pro Sacramento: quia conſenſus in contractum à iure nullum non eſt apta materia, aut forma pro Sacramento matrimonij.

*Matrimonium in tali caſu irritū eſt ex utraque parte.*

15. Secundò inquires. An qui metum incuſſit alteri, vel particeps fuit illius, teneatur poſteà validè contrahere, ſi pars, quæ ex metu contraxit, poſtulauerit? Supponit quæſtio matrimonium fuiſſe irritum, non ſolùm ex parte coacti, ſed etiam ex parte cogentis, ut docet D. Thom. *quæſt.* 47. *art.* 4. quia matrimonium eſt contractus perfectus, qui claudicare non poteſt: & ſic exigit mutuum conſenſum validum utriuſque coniugis, proindeque altero validè non contrahente, utrimque corruit matrimonium. Supponit etiam, quòd ſi alter coniux, qui non ex metu contraxit, non fuit particeps coactionis: quia nimirum, ab alio tertio incuſſus eſt metus, ipſo neſciente, non tenetur ad validè contrahendum, etiam parte coactâ id poſtulante, niſi aliundè graue damnum poſt matrimonium intuliſſet, ratione cuius teneretur.

*Non teneri poſteà contrahere, qui coegit, docēt aliqui.*

16. Sed adhuc non teneri ad matrimonium contrahendum poſtulante parte coactâ, altera, quæ vel coegit, vel particeps fuit coactionis, niſi ex alio damno illato per accidens teneretur. Sed ad ſummum poſſe à iudice ad hoc adſtringi, tenet Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 15. *num.* 5. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 13. *diff.* 37. *num.* 3. Gaſpar Hurtad. *diſput.* 6. *diff.* 4.

Palaus

Palatis *de Matrim.diſp.2.punct.12.nu.2.* Oebag. *tr.3.de Matrim. quæſt.*30. Dian. *3.part. tract.4. reſol.*229. Gutierr. *cap.* 76. *num.* 17. & probabile dicit Trull. *cap 6.dub.*51.*nu.*5.*&* Bonac.*nu.*33.& probatur ratione: quia vel tenetur ratione delicti, & coactionis, & in pœnam illius, aut ratione iniuriæ illatæ in ipſa coactione, aut ratione contractus initi; non ex hoc ultimo capite: quia ex contractu nullo, qualis hic fuit, nulla obligatio conſurgit; non ex ſecundo capite: quia non cenſetur tanta illa iniuria, ut non poſſit aliundè compenſari, & debeat, neceſſariò per matrimonium reſarciri; nec denique ex primo capite quia obligatio proxima ad pœnam, exigit ſententiam iudicis, antè quam nemo tenetur ad pœnam.

*Tenetur, qui coegit verè cõtrahere ſi coactus poſtulauerit.*

17. Nihilominus dicendum eſt teneri cogentem, vel participem coactionis, nullo alio damno ſecuto, ſed præcisè ratione coactionis validè contrahere, ſi pars coacta poſtulauerit, & congruo tempore expectare prudentum arbitrio, an qui metum perpeſſus fuit, velit matrimonium inire. Ità Baſil. *cap.*15.*nu.*3. Auerl. *quæſt.*4.*ſect.*2.Enriq. *lib.*11.*c.*11.*n.*5.Coninc.*diſp.*28.*dub.*1.*n.*7. Leand. *diſp.*16.*q.*31.Nauarr.*cap.*22.*n.*51.N.Gabr.*nu.*96. Trull.*&* Bonac.*loc.cit.* Et ratio eſt: quia licèt non ratione delicti, & in pœnam illius teneatur, tenetur ratione iniuriæ illatæ, quam in eadem ſpecie, cum poſſit, tenetur reſarcire; alias commodum ex ſuo delicto reportaret, ad quod non requiritur ſententia iudicis, cum non teneatur in pœnam criminis, ſed ratione obligationis naturalis. Et colligitur *ex cap.*1.*de eo, qui duxit*, & ex eo, quod accidit in alijs contractibus, quibus tenetur ſtare, qui metum intulit, ſi coactus velit propter eandē rationem textus, ne commodū ex ſuo delicto reportet.

## PVNCTVM I.

### *De conditionibus ad metum grauem dirimentem matrimonium requiſitis.*

*Debet eſſe de graui malo ſibi, vel propinquis imminenti.*

18 IDem eſt in præſenti metus grauis, ac metus cadens in virum conſtantem: utrobique enim eædem conditiones requiruntur, & maximè ſi inſtè incutiatur. Igitur prima conditio ad metum cadentem in virum conſtantem eſt, quòd malum, quod timetur, graue ſit, *leg. metum, ff. de eo quod metus cauſa.* Non enim eſt conſtantis viri ex leuibus incommodis moueri: quod verum eſt, ſiuè hoc malum immineat illi in ſuâ propriâ perſonâ, ſiuè in perſonâ uxoris, quæ eſt una caro cum illo, ſiuè filiorum, parentum, aut cæterorum aſcendentium, vel deſcendentium, fratrum, conſanguineorum, vel affinium, non ex fornicatione talium, ſed ex legitimo matrimonio uſque ad quartum gradum: iſti enim omnes maximè coniuncti ſunt, & eorum mala, ut propria, iudicantur. Et idem dicendum eſt de amicis arctiſſimâ amicitiâ coniunctis: quia amicus eſt alter ego, & quod illi imminet, mihi imminere iudicatur, Sanchez cum multis, *lib.*4.*tot. diſp.*4. Auerſ.*quæſt.*4.*ſect.*3. Palaus *de peccat. tract.*2. *diſp.*1.*punct.*7.*nu.*12. Baſil.*lib.*4.*cap.*3.*nu.*4.è NN. Cornej. *diſp.*4.*dub.*25. Salmant. t.2.*quæſt.*6. *art.*6. *nu.*3. N.Gabr. *diſp.*3.*quæſt* 9. Ant.*ſect.*1.

*Alia cõditiones ad metũ grauem requiſita.*

19. Secunda requiritur, ut quis non leuiter credat ſibi malum imminere; ſed probabiliter, & rationabiliter D. Thom. *hic. quæſt.*47. *art.*2. nam vir conſtans non niſi ex forti, & probabili æſtimatione mouetur, in quo differt ab inconſtanti, qui leuibus coniecturis ſibi malum imminere timet. Prou. 28. *Fugit impius, nemine perſequente.* ¶ Tertia, ut metum incutiens potens ſit minas executioni mandare: quia non eſt viri fortis, & conſtantis minis cuiuſcumque terreri, ut ſi ſenex, aut debilis viro iuueni, & forti minas incutiat, erit inconſtans, ſi tali metu moueatur, *leg. Famoſi, ff. ad leg. Iul. maieſt.* Non autem requiritur ad hoc, quòd minas de facto poſſit exequi, ſed quòd timens rationabiliter exiſtimet poſſe. ¶ Quartâ, ut metum incutiens minas exequi ſolitus ſit vel in eodem genere mali, vel in alio ſimili; & quòd non ſit homo, qui facilè minas iactat, & faciliùs ab executione deſiſtit. ¶ Quinta, & vltima, ut non poſſit timens facilè occurrere malis imminentibus vel per ſe, vel per ſuperiorem, vel per amicos: inconſtantis enim eſt ea metuere mala, quæ faciliter poteſt euitare. Has quinque conditiones pro metu graui cadente in virum conſtantem aſſignant communiter Doctores N. Salmant. t.2.*qu.*6.*art.*6.*num.*2. Cornej.*diſp.*7.*dub.*25. Dicaſt. *diſp.*4. *dub.*2.*num.*10. Palaus *punct.*7. Auerſ. *quæſt.*4.*ſect.*3. Sanch. *lib.*4.*diſp.*1.*per totam.* Nunc reſtat triplex difficultas decidenda.

*Quod malum cenſeatur graue?*

20. Prima eſt: quod malum cenſeatur graue ad hoc, ut timor illius in virum conſtantem cadere poſſit? Et quidem metus mortis grauis apud omnes cenſetur, *cap. Cum dilectus, de his, quæ vi, &* *leg.*7.*tit.*33.*part.*7. Idem de mutilatione, de corporis cruciatibus, de flagellis, deinde metus ſeruitutis, ut ſi libero incutiatur timor eum reducendi in ſeruitutem, *leg. Iſti quidem, ff. de eo, quòd metus cauſa ſit.* ¶ Similiter grauis exilij timor: eſt enim graue malum. Rurſus metus carceris, *leg. Timorem, leg. Qui in carcerem, ff. de eo, quòd metus cauſa ſit*, quod intelligitur de carcere diurno, & vinculis atrocibus, Sanchez *diſp.*5.*nu.*9. Sot. *in* 4. *diſt.* 29.*quæſt. unic* Veracruz 1.*part. Specul. art.* 8. *concl.* 2. Auerſ. Quamuis Baſil. *lib.*4.*cap.*4.*nu.*3. intelligat de quouis carcere, etiam priuato, etiamſi præſtita fidei iuſſione in aliquo loco manere cogatur ex Farinac. 1.*part. prax crimin. quæſt.*5.*nu.*17.*&* *quæſt.*35. per totam. ¶ Timor etiam amiſſionis ſtatus grauis cenſetur, D. Thom. *art.*2.*ad* 2. *leg. Iſti quidem ercat. ff. de eo, quòd metus cauſa ſit.* ¶ Idem dicendum eſt de timore ſtupri vel in viro, vel in fœminâ ſiuè virgine, ſiuè corruptâ honeſtæ famæ, imò etiamſi inhoneſtæ fuerit, ſemper grauis timor iudicatur ſtuprum aut vis imminens, ſiuè propter iniuriam, ſiuè propter animæ periculum, D. Thom. *art.*2. *ad* 2. & expreſsè *leg. Iſti quidem, ff. de eo, quod metus cauſa ſit.* ¶ Quòd ſit malum graue in omnibus ſupradictis caſibus ferè omnes cõueniunt. Videantur Auerſ. *q.*4.*ſect.*3.§. *Videndum*, Palaus *punct.*7. Sanch. *lib.*4 *diſp.*5. Baſil. *cap.*4. Dicaſt. *diſp.*4.*dub.*1.*nu.*9.*&* *dub.*2.*nu.*51. Cornej. *diſp.*7.*dub.*27.

*Timor infamia eſt grauis.*

21. Sed circà metum trium malorum eſt inter illos diſſidium, an cadat in virum conſtantem, ut timor infamiæ, timor excommunicationis, timor amiſſionis bonorum. Dicendum eſt igitur primò, quòd timor infamiæ, ſiuè iuris, ut ſi alicui, qui graue delictum commiſit in occulto, minaretur alius, ſe eum proditurum; ſiuè facti, ut timor verborum infamantium, vel impoſturæ delicti, eſt timor grauis virum conſtantem terrere potens. *leg. citat. iſti quidem, ff. de eo, quod metus*

*metus cauſa ſit.* Probatur: quia famæ amiſſio magni patrimonij iacturæ comparatur, *Prou.* 22. *Melius eſt bonum nomen quam diuitiæ, multæ,* & etiam ipſi morti æquiparatur, *leg. Iuſta, ff. de Manumiſſis.* Sed timor mortis eſt grauis, & etiam iacturæ patrimonij, ut ſtatim dicemus: ergò etiam amiſſionis famæ. Ità Soto *art.* 2. Veracruz *concl.* 2. Auerſ. 5. *Præter hæc* Sanch. *nu.* 14. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 9. *nu.* 9. Palaus *nu.* 3. Baſil. *nu.* 5. Dicaſt. *dub.* 2. *nu.* 14. Bonac. *quæſt.* 3. *punct.* 8. *nu.* 6. N. Ant. *diſp.* 5. *ſect.* 1.

*Obiectio, & ſolutio illius.* 22. Sed obijcies: quod D. Thom. 3. *p. qu.* 47. *art.* 2. *ad* 3. aſſerit metum infamiæ non cadere in conſtantem virum. Et *leg. Nec timorem* 7. *ff. de eo, quod metus cauſa ſit*, dicitur: *Nec timorem infamiæ hoc edicto contineri Pedius dixit.* ¶ Reſpondetur D. Thom. loqui de timore infamiæ, cui facilè occurri poteſt, ut conſtat ex eius verbis. Et lex loquitur de infamia leui, & parui momenti: nos verò loquimur de timore grauis infamiæ, & cui difficulter poteſt reſiſti.

*Timor excommunicationis grauis eſt.* 23. Dicendum eſt ſecundò: quia timor excommunicationis iuſtè ferendæ non eſt cadens in virum conſtantem, ut dicemus de alijs malis, quorum timor iuſtè incutitur: at ſi iniuſtè immineat excommunicatio, timor illius grauis eſt, potens mouere conſtantem virum: quia nil ita formidandum eſt, quam ab Eccleſia ſeparari, *cap. Nihil* 11. *quæſt.* 3. Et quia non eſt leuis pœna viuere inter homines, & ab illorum conſortio ſeparari, *leg. Hi qui Sanctam, C. de Apoſtatis.* Et quia excommunicatio aliquam infamiæ notam ſecum affert, maximè apud illos, qui ignorant iniuſtè fuiſſe fulminatam: & ſic ſemper eſt timenda: tum nulla maior pœna à iure Canonico poſſit inferri, *cap. Corripiantur* 24. *quæſt.* 2. Ità Dicaſt. *num.* 17. Bonac *nu.* 6. Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 25. Sanchez *num.* 17. Palud. *in* 4. *diſt.* 29. *diſp.* 1 *fol.* 656. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 9. *nu.* 4. Palaus *ſup. num.* 4. Baſil *num.* 7. N. Ant. *num.* 223.

*Obiectio, & illius ſolutio.* 24. Sed obijcies: quòd ſi iniuſtè lata fuerit excommunicatio, non ligat hominem, nec verum effectum habet: ergò non eſt conſtantis viri eam timere. ¶ Reſpondetur: quòd licet in conſcientiâ, & coram Deo non liget, benè tamen in foro exteriori: & ſic cogit ratione ſcandali, ut abſtineat homo à Diuinis Officijs, Sacramentis, & fidelium communicatione, quod eſt graue malum.

*Timor amiſſionis bonorum grauis eſt.* 25. Dicendum eſt tertiò: quòd timor amiſſionis omnium bonorum, vel maioris partis, vel certæ rei magnæ, & notabilis, quamuis non ſit maior pars bonorum, eſt timor grauis: quia iure optimo talis amiſſio virum conſtantem terrere poteſt, quod tenet Sanch. *nu.* 11. Soto *quæſt.* 1. *art.* 2. Baſil. *nu.* 10. Cornej. *ſupr.* Cordu. *in ſumm. quæſt.* 161. *part.* 2. Couarr. 4. *Decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 4. *nu.* 18. Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 3. N. Gabr. *num.* 84. Ant. *nu.* 223.

*Non debet eligi maius malum ut ſit timor viri fortis.* 26. Secunda difficultas eſt. An ſufficiat ad metum viri conſtantis, quod malum imminens, graue in ſe ſit abſolutè, & ſimpliciter? An verò requiratur, quòd ſit minus malum, quam id, quod ad euitandum eum aſſumitur, ut quandò quis timet mortem, quæ in ſe graue malum eſt, & eligit peccatum, quod eſt maius malum ad euadendam illam, an tunc operetur ex metu viri conſtanſtantis? ¶ Reſpondetur negatiuè: & ſic ſi matrimonium cum peccato contraheret morte imminente, non irritaretur ex vi huius capitis: quia vir conſtans ſemper ſequitur rationis dictamen: ſed dictamen rationis ſemper docet quodlibet malum ſubeundum, ut peccatum euitetur: ergò non agit ex timore viri conſtantis, qui metu mortis coactus, ſuccumbit alicui peccato. Ità D. Thom. 3. *qu.* 47. *art.* 2. *& ad* 4. *& in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 2. *& ibi.* Soto paulò poſt princip. Baſil. *cap.* 3. *num.* 13. *in fin.* Pal. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *diſp.* 1. *fol.* 655. *in verſ. Vtraque* Veracruz *art.* 8. paulò poſt princ. Villald. 1. *part. Candelab. de Matrim. nu.* 59. Valent. 3. *p. diſp.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 2. Aliqui temperant, niſi malum, quod eligitur, ſit peccatum veniale, ſed non conſequenter loquuntur; quia etiam peccatum veniale maius malum eſt ipſa morte.

27. Oppoſitum noſtræ concluſionis docuit Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 2. *nu.* 3. Dicaſt. *diſp.* 3. *dub.* 5. *nu.* 8. Ledeſm. 3. *p. q.* 47. *art.* 2. *fin. &* 3. *in ſolut. ad* 4. Perez *diſp.* 17. *ſect.* 2. *nu.* 3. Enriquez *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 3. Coninc. *diſp.* 28. *dub.* 2. *num.* 28. aſſerentes: quòd licèt ex parte ſubiecti metum patientis, ſit requiſitum quòd minùs malum eligat, ut dicatur metus cadens in virum perfectum ad hunc effectum, ut fortiter agat, culpæque ſit immunis, non autem in ordine ad contractus vel matrimonij, vel alios quoſcumque: nam ut matrimonium metu initum ſit nullum, & cæteri contractus annullandi, ſufficere dicunt, quòd ex parte obiecti malum imminens ſit graue, quamuis comparatiuè ad id, quod eligitur, ſit minus. Ideoque aiunt matrimonium metu initum, & conſummatum, in quo peccatum inuenitur, fore irritum, & nullum, ſi eodem metu conſummatum fuit: quia ad irritandum contractum non attendunt leges, quòd conſtanter, vel inconſtanter actum ſit; ſed an ſit timor de obiecto graui ex ſe potente ad pungendum, & impellendum grauiter voluntatem. Ex quo ſequitur poſſe aliquem inconſtanter agere, ſeu per metum cadentem in virum conſtantem, ut qui peccaret, ne comburatur viuus. Quod quidem probabiliter eſt dictum, ut aſſerit Soto pro noſtra parte citatus. *Aliqui oppoſitum cenſent.*

28. Tertia difficultas eſt. An timor grauis mali ſufficiens ad dirimendum matrimonium debeat abſolutè conſiderari, ità ut idem malum ſit graue, vel leue reſpectu omnium perſonarum, vel magis comparatiuè: ità ut idem malum, quod eſt graue reſpectu unius, ſit reſpectu alterius leue; & è contrà quod eſt leue iſti, ſit per reſpectum ad illum graue? ¶ Reſpondetur affirmatiuè. Vnde metus mali, qui eſt viri conſtantis, reſpectu aliquorum ex ſe fragilium, reſpectu fortiorum non erit: & ſic minoris mali metus ſufficit ad hoc in fœminâ, quàm in viro, cum fœminæ ſuaptè naturâ ſint valdè imbecilles. Vndè reſpectu fœminæ dicitur metus viri conſtantis ille, qui non eſt leuis, & vanus, ſed qui fœminam conſtantem deterrere poteſt: & penſandum eſt, quid fœmina conſtans tunc merueret recta ratione inducta. Ità Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 25. Palaus *num.* 50. Veracruz *par.* 7. *concl.* Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 3 Sanch. *diſp.* 3. *nu.* 2. *&* 4. Enriq. *nu.* 3 *in Comment. liter.* D. Soto *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 2. N. Gabr. *nu.* 84. Ant. *nu.* 227. Wiggers *cap.* 3. *dub.* 4. Qui benè addunt idem dicendum eſſe inter viros, ut minoris mali metus ſufficiat in ſenibus, pueris, imbecillibus, quàm in iuuene, forti, & robuſto. Argument. *ex leg.* 3. *ff. Ex quibus cauſis maiores.* Quod arbitrio iudicis in foro exteriori, & Confeſſarij in foro conſcientiæ relinquendum eſt. *Malum eſt graue reſpectiuè.*

PVNC-

## PVNCTVM II.

*De matrimonio ex metu leui contracto, & ex metu reuerentiali, & precibus importunis.*

*Metum leuem dirimere matrimonium, aliqui autumant.*

29. MEtus leuis coincidit cum metu viri inconſtantis, & ille dicitur, cui defuerint conditiones ſuprà pro metu viri conſtantis requiſitæ. De hoc ergò quærimus. An dirimat matrimonium? ¶ Duplex ſententia reperitur. Prima aſſerit, quòd ſi talis metus dederit cauſam matrimonio, ità ut abſque illo non fieret, quod cum illo fit, id irritum reddit in foro conſcientiæ, quamuis in foro exteriori non habeatur cura de illo: & ſic pro valore matrimonij iudicetur. Sic tenet Couarruu. 2. *part. Matrim. cap.* 3. §. 6. *num.* 4. Rodrig. *tom.* 2. *ſumm. cap.* 8. *num.* 10. Et apud Cornejo, Veracrux 1. *part. Specul. art.* 8. *concluſ.* 7. Alios citat Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 4. Plurimos Sanchez, *lib.* 4. *diſp.* 17. *n.* 4. Vbi hanc ſententiam probabilem dicit, maximè in ſententiâ illorum, qui tenent, metum grauem iure naturæ irritare matrimonium. Idem habet Palaus *de peccat. diſp.* 1. *punct.* 12. *num.* 1. Et probatur primò: quia etiam metus leuis minuit libertatem ad matrimonium requiſitam, & multoties tantùm, quantùm metus grauis: ſiquidem tantùm operatur metus leuis in homine timido, & inconſtanti, quantùm grauis in forti. ¶ Secundò: quia hæc eſt regula generalis: quòd ille metus, qui ſufficit ad hoc, ut reliquos contractus irritandos faciat, ſufficit ad irritum faciendum matrimonium: ſed metus leuis eſt huius conditionis, & ſic alij contractus in foro conſcientiæ ſunt irritandi, ſi illis metus leuis cauſam dedit: tenetur que reſtituere, quotquot propter illos, metum incutiens recepit.

*Metus ſimpliciter leuis non dirimit matrimonium.*

30. Veriùs tamen dicendum eſt: quòd ſi metus, omnibus inſpectis circumſtantijs, leuis ſit, matrimonium irritum non reddit, etiamſi cauſa illius fuerit. Siquidem in iure metus leuis pro nihilo reputatur, *leg. Nec timorem* 7. *ff. de eo, quod metus cauſa fit*, ibi: *Metus vani hominis non eſt expectandus, ſed is, qui in conſtantiſſimum cadit.* Ità Candid. *diſp.* 28. *art.* 8. *dub.* 3. Bonac. *quæſt.* 3. *punct.* 8. *num.* 8. Palaus, *num.* 1. Baſil. *libr.* 4. *cap.* 18. *num.* 1. Sanchez, *num.* 3. Rebell. *libr.* 2. *quæſt.* 11. *ſect.* 1. *concluſ.* 3. Ledeſm. *quæſt.* 47. *art.* 3 *dub.* 1. *poſt* 2. *concluſ.* Trull. *lib.* 7. *cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 9. Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 4. N. Cornejo *diſp.* 7. *dub.* 25. Leand. *diſp.* 17. *quæſt.* 23. Et ratio eſt: quia nec iure naturæ, nec iure Eccleſiaſtico eſt nullum matrimonium tali metu contractum: non quidem iure naturæ: quia, ut ſuprà probauimus, nec metus grauis iure naturæ irritat matrimonium, imò dato, metum grauem iure naturę irritare matrimonium; non ità eſt ſentiendum de leui, qui ſicut facillimo modo concipitur, facillimo modo depelli poteſt: & ſic leuiter tantummodò lædit amorē inter coniuges requiſitū, & cum illo compatitur, ſicut leuis offenſa cum tali amore coniungitur. Et quòd iure Eccleſiaſtico non dirimat matrimonium conſtat: quia omnia, quæ de hâc materiâ tractant, loquuntur de metu graui, & meritò: nam virum prudentem parua iactura bonorum, aut famæ, &c. mouere non debet ad rem tàm arduam aggrediendam. Aliàs ſi iura huiuſmodi matrimonia metu leuj contracta irritarent, paſſim dubietates, & lites circà matrimonia conſurgerent: ſiquidem metum leuem obijcere, ex pluribus capitibus poſſet unuſquiſque, facillimo negotio.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

31. Ad argumenta dicimus. Ad primum: quòd licèt metus leuis lædat aliquantulùm libertatem, lædit tamen irrationabiliter, de quo non eſt curandum. Quarè licèt aliquandò tantùm operetur in puſillanime, quantùm metus grauis in forti: hoc non eſt per ſe, & ex parte illius, ſed per accidens ratione vitij ſubiecti; niſi aliquandò in tali loco cum tali perſonâ, & talibus circumſtantijs metus leuis incutiatur, ut iam grauis reſpectu illius cenſendus ſit iuxta dicta *num.* 28. Et tunc irritabit matrimonium. ¶ Ad ſecundum: quòd licèt metus, qui alios contractus irritandos facit in foro exteriori irritum reddat matrimonium in utroque foro, ille verò, qui ſolùm in foro conſcientię cæteros annullandos facit, nullo modo irritat matrimonium: ità eſt metus leuis, qui propter iniuſtitiam, quam irrogat parti, præbet illi ius, ut in foro conſcientiæ habeat actionem contrà metum inferentem, & hic tenetur accepta reſtituere, ut docent Cornejo, *loc. cit.* Palaus, *n.* 2. Sanchez, *lib.* 4. *diſp.* 9. *n.* 4. & alij apud ipſos. Cæterùm in foro externo non admittitur talis metus obiectio, ut conſtat ex *leg. Nec timorem citat.* ne pluribus litibus aditus pateſiat, & ex eâdem ratione non irritatur matrimonium tali metu contractum in nullo foro, ne paſſim diſſolui poſſet, quòd ex naturâ ſuâ eſt indiſſolubile.

*Reſpectu quorum ſit timor reuerentialis?*

32. Sed inquires primò. An metus reuerentialis ſit inter graues numerandus, & irritet matrimonium? An potiùs tamquàm leuis ſit cenſendus ad hunc effectum? Sed priùs ſciendum eſt, reſpectu quorum metus reuerentialis habeatur? Ad quod dicimus, talem metum cadere in uxore reſpectu viri, in filio reſpectu patris, & etiam reſpectu matris, & etiam in genero reſpectu ſoceri, qui ut pater habetur, in filiâ minori reſpectu fratris maioris, & etiam reſpectu ſororis maioris, in fratre reſpectu fratris maioris, in pupillo reſpectu tutoris, in Clerico reſpectu Epiſcopi, in ſubdito reſpectu Magiſtratus. Ità Baſil. *lib.* 4. *c.* 5. *num.* 2. Sanchez, *diſp.* 6. *num.* 4. Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 5. Dicaſt. *diſp.* 4. *dub.* x.

*Aliquis metus reuerentialis matrimonium non irritat.*

33. Sed ut confuſio in hâc parte opinionum lucem accipiat, notandum eſt dupliciter poſſe metum reuerentialem conſiderari. Primò pro pudore, reuerentiâ, & verecundiâ, quæ in filijs reſpectu parentum, in uxore reſpectu viri reperitur ad denegandum, quod illis ſciunt placere, ſed abſque periculo, vel timore alterius mali, vel abſque eo, quòd minati eſſent ab ipſis, vel opprobrijs, verberibus, vel alijs incommodis affecti: ſi enim hæc metui reuerentiali adiungantur, etiamſi per ſe ſola inſufficientia eſſent ad contractum matrimonij, vel quemlibet alium irritandum, adiuncta tamen reuerentiali metui, nulli dubium eſt ſufficere ad talem effectum. His ergò præciſis, quandò parens, vel Superior eſt talis conditionis, ut non niſi leuiter offenderetur ex eo, quòd ei obedientia denegaretur, tàm matrimonium, quàm reliqui contractus validi ſunt ex tali metu reuerentiali contracti. Imò talis metus impropriè diceretur: hic namque debet eſſe timor alicuius mali imminentis, & in tali caſu non imminet malum aliquod præter ipſum pudorem, & verecundiam, quæ in

denegatione beneuolentiæ parentum inuenitur. Et ſi talis ſufficeret ad contractum irritandum, quidquid filius faceret poſtulatus à patre, uxor à marito, ſubditus à Prælato, nullum eſſet, qui occupati pudore,& reuerentiâ facere dicerentur. Et hæc eſt communis Doctorum ſententia. Sanchez *num.*7. Palaus,*diſput.*1.*punct.*7.*num.*1. Becan.*cap.* 45.*quæſt.*2.*num.*9. Enriquez, *lib.*11.*cap.*9.*num* 5. Auerſ.*ſect.*5. Dicaſt. Bonacin.*num.*6. Leſſ.*libr.*2. *cap.*17.*dub.*6.*num.*35. N. Gabr. *num.*92. Anton. *num.*223. Nec diſſentit Baſil.*infr. citand.* cum alijs ab ipſo adductis: quia loquuntur de ſecundo modo metus reuerentialis iam explicando.

*Verus reuerentialis metus irritat matrimonium.*

34. Alio modo eſt metus reuerentialis propriè dictus, & definitur, quòd eſt: *Futuri mali exæſtimatio, quod nobis ab his metuimus, in quorum legitimâ poteſtate ſumus, & quos cultu, & honore dignamur.* Vndè ad talem metum requiritur, quòd adſit imminentis mali timor, quod ſequeretur, ſi patri, vel ſuperiori reuerentia non præſtaretur, & conſiſtit in eo, quod eſt habere ipſum parentem, v. g. ſibi infenſum, ſuperciliosum, toruè aſpicientem, nec placidè loquentem, etiamſi verba opprobrioſa non dicat, vel ictus, aut verbera non minetur: undè ut hæc euitet, eligit filius etiam contrà ſuam voluntatem facere, quod patri ſibi videretur placere. Quæ indignatio patris, ſi fuerit ad multum temporis, graue malum eſt: nam licèt eam in alijs parui pendamus, in patre, vel ſuperiore grauiſſimè ferimus. Huiuſmodi autem metus reuerentialis, & timor talis indignationis diuturnæ ſufficit ad irritandum matrimonium: quia eſt timor grauis mali, quod non poteſt facilè euitari, poteſt rationabiliter quemquam mouere. Ità Baſil. Dicaſt. *num.*25. Auerſ. Leſſ. & Palaus, N. Antun. Gabr. *loc.cit.* Leand. *diſp.*16.*quæſt.*14. qui citat alios. Nec oppoſitum tenet Sanchez cum Doctoribus ab ipſo adductis, ſed expreſsè eſt pro iſtâ ſententiâ, ut videre eſt, *libr.*4. *diſp.*6. *num.*14. in medio.

*Aliqui dicunt ſufficere preces importunas ad irritandum matrimonium.*

35. Inquires ſecundò. An preces, vel blanditiæ importunæ (illæ dicuntur importunæ, quæ inſtantiſſimæ, & ſæpiùs repetitæ, & inculcatæ ſunt, *libr.*1. C. *de petition. bonor.*) ſufficiant ad irritandum matrimonium, reliquoſque contractus? ¶ Duplex eſt ſententia (omiſſis alijs dicendi modis) Prima aſſerit, ſolas preces importunas per ſe, à quocumque fiant, ſufficere ad ingerendum grauem metum propter moleſtiam, quam ſecum afferunt. Ità Baſil. *libr.*4.*cap.*5.*num.*17. cum pluribus relatis, Leand. *quæſt.*15. qui alios refert, & latè, atque erudité probat pluribus adductis Authoribus Sanchez *libr.*4. *diſp.*7. *num.*4. licèt ipſe probabiliorem iudicet oppoſitam. ¶ Et probatur primò ex illo Lucæ 11. *Propter improbitatem tamen eius* (vel ſecundum Syriacam interpretationem, *propter importunitatem*) *ſurget, & dabit illi.* Vbi quod amicus dare nolebat, precibus importunis coactus dedit. Et Iudic.16. Fortiſſimum Sampſonem preces uxoris importunæ quaſi coegerunt, ut euitaret moleſtiam illarum ad manifeſtandum ſecretum, quod aliàs numquàm detegeret. ¶ Secundò: quia adeò grauem moleſtiam afferunt preces inſtantiſſimæ, ut mouere debeant virum conſtantem, & ipſum flectere ad id, quod nollet, faciendum. Si enim timor grauis cruciatus corporis ad id ſufficiens iudicatur, quantò magis animæ cruciatus per preces inſtantes inductus, ut ab illis liberetur. Idem de blanditijs dicendum eſt, quæ non ſunt minùs potentes ad alliciendum animum conſtantem.

*Impugnatur ſententia allata.*

36. Sed certè ſi hæc ſententia vera eſſet, ſequeretur, quòd ſi quis precibus amici aliquid faceret, factum non teneret: ſi ſuperior, vel Princeps, qui rogari, & inſtari volunt, aliquid precibus inclinati facerent, irritum eſſet: ſi puella precibus amaſij acquieſcens cum illo nuberet, nullum eſſet matrimonium, & ſic in alijs caſibus, quæ omnia falſa communiter iudicantur. Licèt enim preces plurimum poſſint animum flectere ad faciendum, vel tribuendum aliquid, maximè ſi hoc ſit eius inclinationi conforme, quod voluit Chriſtus Dominus in illâ parabolâ adductâ, Lucæ 11. ad nos exhortandum, ut Deum inſtantiſſimis precibus exoremus, ſi ab eo beneficia conſequi volumus. Cæterùm non ità cogunt, ſi ſint ab inferioribus, vel æqualibus repetitæ, ut non poſſint faciliter reſiſti: & ſic inconſtanter operabitur, qui quod ſibi infeſtum iudicat, precibus his moleſtatus efficit. Quarè communiter Doctores Sampſonem inconſtantiæ notâ inurunt, quod precibus, aut blanditijs unius muliereulæ inclinatus, ei contrà dictamen rationis, ſuam fortitudinem manifeſtauerit.

*Preces importunæ à ſuperiore repetitæ ſufficiunt, & non aliæ.*

37. Dicendum itaque eſt, preces importunas, (& idem de blanditijs) non ſufficere ad irritandum matrimonium per ſe ſolas, ſi ab æqualibus, vel ab inferioribus fuerint repetitæ, ut probant, quæ modò diximus, ſi tamen fuerint adiunctę, vel timore alicuius mali imminentis, vel reuerentiali metu, id eſt, ſi ab eo fuerint factæ, reſpectu cuius metus reuerētialis habetur iuxta dicta *num.* 32. irritum eſſe matrimonium, ut ſi à parentibus, v.g. reſpectu filij, vel filiæ nimis tales petitiones frequentarentur, ut nuberet cum tali, vel tali, tale matrimonium eſſet nullum, & idem de quocumque contractu ab uxore facto ex precibus repetitis mariti, vel à ſubdito ex precibus ſuperioris, aut Principis &c. Erunt irritandi, ſicut quilibet alius contractus ex metu graui initus. Ita Palaus *de peccat.diſp.*1.*punct.*7.*num.*7. Couarr. 2.*part.de ſponſal. cap.*3. §.6.*in fine*, Bonacin. *num.*6. Veracruz *poſt* 7. *concluſ. dub.*2. Dicaſt. *num.* 28. Hurtad. *diſp.*6. *diff.*1. Sanch. *diſput.* 7. *nu.* 7. cum pluribus ab ipſo relatis.

*Ex textibus, & ratione concluſio probatur.*

38. Et probatur, tales preces à ſuperiore frequentatas ſufficientes eſſe ad diſſoluendum matrimonium, ab inferiori celebratum *ex regul.* 4. *ff. de Regul. iur.* ibi: *Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris, vel domini, & cap. Puellæ* 20. *quæſt.* 1. ubi irritatur profeſſio ex patris imperio, & repetito rogatu facta. Et ratio eſt: quia negare ſe precibus repetitis à perſonâ, cui reuerentia & obſequium debetur, grauiſſimum ac duriſſimum eſt: quia ſemper eum infenſum habiturum, ſemperque torvum ac ſuperciliosum meritò timebit: & ſic numquàm talis denegatio immunis erit ab impendentis mali timore: ergo tales preces ſecum afferunt metum ſufficientem ad mouendum virum conſtantem, & conſequenter ad dirimendum matrimonium ſufficiunt.

PVNC-

## PVNCTVM III.

*De metu à cauſâ naturali incuſſo, & à cauſâ liberâ ſed non ad extorquendum matrimonium, vel ſi ad hoc ſit incuſſus iuſtè tamen illatus: an dirimat matrimonium?*

*An metus grauis non reſpectu determinatæ perſonæ matrimonium dirimat?*

39. HActenùs actum eſt de metu graui, vel leui iniuſtè incuſſo, ſed ad extorquendum matrimonium ordinato: nunc de ijs, quæ proponuntur in titulo acturi ſumus. Et priùs unum, quod intactum eſt circà metum grauem iniuſtum, libuit breuiter exponere. An nimirùm ſi metus non eſſet incuſſus in ordine ad matrimonium cum determinatâ perſonâ, ſed cum indeterminatâ: vel quià eſſet incuſſus ad contrahendum in genere eum, qui non eſſet ad hoc determinatus, vel ſi eſſet determinatus ad matrimonium, cogeretur ad contrahendum cum aliquâ filiâ Petri, v.g. qui plures haberet, vel cum aliquâ ex tali ciuitate, vel ex tali genere, relinquendo illius libertati, ut eligeret ex his, quam vellet: an talis metus, ſi grauis, & iniuſtus eſſet, matrimonium dirimeret? Sunt aliqui Authores grauiſſimi negantes, inter quos Candidus *diſquiſ.* 28. *art* 8. *dub.* 19. Azor. *part.* 1. *libr.* 1. *cap.* 11. *dub.* 11. & alij relati à Sanch. & Dian. infrà adducendi, innixi: quia in hoc perfecta libertas ad matrimonium requiſita ſeruatur, ſi in voluntate contrahentis ſit eligere unam ex pluribus, licèt ad eligendam aliquam ex illis cogatur: quemadmodùm licèt electio determinatæ perſonæ metu facta, ſit nulla, *cap.* 3. *de election. in* 6. valet quandò non eſt determinatæ perſonæ, ſed alicuius ex genere.

*Omninò irritat talis metus coniugium.*

40. Dicendum nihilominùs eſt, tale matrimonium eſſe irritum: quia matrimonium abſolutè debet eſſe liberum omninò, ſed licèt in illo caſu, quòd ſit cum hâc, vel illâ ſit liberum; abſolutè, & ſecundùm ſe matrimonium non eſt omninò voluntarium, & ideò finis, ob quem iura irritauere matrimonia metu facta, æquè ſaluatur in iſto caſu: quia etiam in illo malus exitus matrimonij meritò timeretur. In caſu autem electionis adducto, vel non eſſet valida, quandò metu cogeretur aliquis ad aliquem ex duobus eligendum: quia licèt ad hoc poſſit à lege, vel à iure determinari, non tamen ab extrinſeco cogi: & ſic propter iniuſtitiam metus illati nulla redditur electio, ut plures non improbabiliter volunt, vel ſi eſſet valida, eſſet: quia electio poteſt à lege reſtringi ad duos, vel tres, non ità matrimonium. Sic Palaus *de peccat. diſp.* 1. *punct.* 9. *num.* 9. Dicaſt. *diſp.* 4. *dub.* 3. *num.* 88. Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 12. *num.* 20. referens Couarr. 4. *Decretal.* 2. *par. cap.* 3. §. 5. *num.* 8. Baſil. *libr.* 4. *cap.* 14. *num.* 14. qui citat Rebell. *part.* 2. *libr.* 2. *quæſt.* 10. *ſect.* 5. *num.* 11. Dian. 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 33. referens Salaſ. 1. 2. *tract.* 13. *diſp.* 3. *ſect.* 3. *num.* 27.

*Metus à cauſâ naturali incuſſus non irritat matrimonium.*

41. Nunc circà quæſitum in titulo tria nobis inueſtiganda ſunt. Primum an metus à cauſâ naturali incuſſus, ut à ferâ minante mortem, à tempeſtate, ægritudine, morbo, bello, peſte, &c. irritet matrimonium? ¶ Reſpondetur negatiuè: ſed ſicut votum tali metu factum, vel profeſſio ſimiliter illo metu facta ſunt valida: ſic valet matrimonium illud. Vndè ſi quis metu mortis, vel alterius cauſæ neceſſariæ, vel timore inferni cum concubinâ nuberet, ut animæ ſaluti conſuleret, validum eſſet tale matrimonium: & ſic ſimiliter ſi medicus eùm moriturum diceret ob abundantiam humorum, niſi per matrimonium cum muliere miſceretur, & ob euadendam mortem matrimonium cum aliquâ celebraret, eſt communis Doctorum ſententia, quam tenent Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 4 Cornejo, *diſp.* 7. *dub.* 25. Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 3. Baſil. *cap.* 19. *num.* 3. Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 8. *à num* 16. Candid. *dub.* 4. Couarr. 2. *par. de Matrim. cap* 3. §. 4. *num.* 16. N. Gabr. *diſp.* 3. *num.* 86. Anton. *diſp.* 5 *ſect.* 2. quia in tali caſu non impellitur ab alio ad matrimonium, cùm nullus ſit, qui illud exigat: & ſic talis metus dicitur ſpontè aſſumi à ſe ipſo, cùm non ab alio ad hoc obligetur, ſed ex ſuâ voluntate eligat, ut medium matrimonium ad euadendum periculum, quod timet: & ſic nec iure naturæ, nec iure Eccleſiaſtico eſt irritum tale matrimonium.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

42. Et ſi objicias: quod metus ex quâcumque causâ inferatur, libertatem diminuit, nec enim minùs cogitur, qui à ferâ, vel tempeſtate minatur, quàm qui ab homine: ſed iura irritant matrimonium metu initum propter libertatem omnimodam, quàm petit: ergò etiam quandò à cauſâ naturali incutitur, irritum reddit matrimonium. ¶ Reſpondetur: quòd licèt utrobique libertas minuatur, & quod ex metu ſit etiam à cauſâ naturali incuſſo inuoluntariè quodammodò fiat, tametſi abſolutè voluntariè: quia eſt mixtus talis actus ex voluntario, & inuoluntario, quamuis ſimpliciter ſit voluntarius, ut docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 6. Et patet exemplo eius, qui tempeſtate compulſus merces proijcit in mare: at Eccleſia irritans matrimonium ex metu factum, non ſolùm attendit ad inuoluntareitatem, quam ſecum affert, ſed magis ad iniuſtitiam, quam coniuges metum patientes accipiunt: & quia ex tali matrimonio mali exitus frequenter ſperantur, quod non euenit: ſi à cauſâ neceſſariâ incutiatur timor: quia nec iſta aliquam iniuſtitiam irrogat, nec ex matrimonio, quod tali metu ſit, malus exitus ità frequenter accidit.

*Metus grauis iuſtè incuſſus non irritat matrimonium.*

43. Secundò nobis declarandum eſt. An metus grauis à cauſâ liberâ incuſſus, ſed iuſtè, matrimonium irritet. Vt quandò quis alteri minatur malum, quod iuſtè poteſt incutere. ¶ Reſpondetur: quòd ſiue hoc fiat publicâ authoritate, ſiue priuatâ: ſiue metus ad extorquendum matrimonium incutiatur, ſiue non, ſiue ſit ex malis, quæ à iure petunt malefactorem obligari ad nuptias, ut ſi ſtupratori incuteretur metus mortis, niſi eum virgine deflorata nuberet, ſiue ſit de illis, quæ non ſecum afferunt talem obligationem, ut pœnam, ſemper matrimonium cum tali metu factum valebit. Ità Baſil. *num.* 7. Conínc. *diſp.* 28. *dub.* 1. *concl.* 4. Sanch. *libr.* 4 *diſp.* 13. *num* 3. Ledeſ. 3. *part. quæſt.* 47. *art.* 3. *dub.* 1. Enriq. *libr.* 11. *cap.* 9. N. Cornejo, *dub.* 25. Trull. *libr.* 7. *cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 10. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 40. Palaus *punct.* 10. *num.* 3. Candid. *dub.* 21. Dicaſt. *num.* 72. N. Gabr. *num.* 88. Anton. 231.

*Probatur concluſio quoad omnes partes.*

44. Et ratio eſt: quia tunc non extorquetur conſenſus iniuſtè, nec per iniuriam, quia ordo iuſtitiæ petit, ut cogatur, & is, qui cogitur, non eſt rationabiliter inuitus, quia iure cogitur: & ſic ipſe ſibi metum infert, *cap.* 1. & 2. *de Adulter. cap. Ex lit-*

*teris 2. de ſponſal. cap. Si mulier de eo, quod metus cauſâ fit*, ibi: *Tunc ſibi metum ipſa infert.* Et non cenſetur ab extrinſeco cogi, cùm hoc oriatur ex naturâ ipſius delicti. & ſic à ſe ipſo, qui voluntariè delictum perpetrauit, cogi dicitur. Et quidem ſi talis metus publicâ authoritate incutiatur, non eſt dubium, matrimonium valere, ut qui ſponſalia promiſit, & à iudice cogitur ea implere, qui ſub ſpe matrimonij virginem defloraiuit, & qui ſimpliciter eam cognouit, & non poteſt dotare, cùm *ex cap. 1. & 2. de Adulter.* teneatur eam ducere, vel dotare, ſententiâ iudicis præcedente, & alijs caſibus, in quibus iura ſupponunt valere talia matrimonia. Similiter quandò ex priuatâ authoritate ad id cogitur, ad quod ex iuſtitiâ tenetur, ut ſi iuueni deprehenſo cum puellâ pater minaretur, ſe eum apud iudicem accuſaturum, niſi illam duceret: quia per talem metum non infertur iniuria, ſed cogitur ad id, ad quod tenetur, & iura ſolùm metum iniuſtè incuſſum irritare dicunt matrimonium. Imò ſi ex tali culpâ ad matrimonium non teneretur, validum eſſet matrimonium ſub tali metu contractum, ut ſi latroni minaretur aliquis, vel homicidæ ſe eum accuſaturum coram iudice, niſi filiam ducat: quia propriè metus ad matrimonium non incutitur, ſed ut medium offertur ad euadendum malum, quod iuſtè inferri poteſt, nec in hoc accuſator procedit iniuſtè, cùm ei optionem det, vel ut matrimonium eligat, vel ut malo, quod iuſtè poteſt ei inferri, ſe ſubijciat.

*Aliquorum caſuum particularium reſolutio infertur.*

45. Ex quo plures caſus veniunt decidendi. Si quis enim damnatus ad mortem ob homicidium eligeret vel ſponte ſuâ, vel oblatione iudicis, aut petitione partis nubere cum filiâ, aut uxore defuncti, ut euaderet illud malum, validum eſſet matrimonium: quia ex iuſtâ iudicis ſententiâ fit compenſatio pœnæ, & ipſe aſſumit ſibi talem compenſationem, tamquàm medium ut à morte liberetur Caud. *dub.* 6. Baſil. *cap.* 19. *num.* 10. Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 4. Similiter ſi quis capite plectendus, eligeret nubere cum meretrice ex conſuetudine terræ, vel ex conceſſione iudicis, etiamſi aliàs mortem non effugeret, niſi nubendo cùm illâ, dummodò non eſſet ei incuſſus timor mortis ad matrimonium extorquendum, ſed in pœnam alterius delicti, validè contraheret: quia tunc etiam datur conpenſatio pœnæ, ut loco mortis matrimonium eligatur. Dian. 3. *part. tract.* 4. *reſolut.* 28. Coninc. *num.* 10. Dicaſt. *num.* 93. Perez *diſp.* 17. *ſect.* 9. *num.* 4. Sanch. *diſp.* 13. *num.* 3. Baſil. & Cornejo *loc. cit.* Imò etiam ſi talis mortis timor iniuſtè eſſet incuſſus vel à iudice, vel ab alio particulari, ſed non ad extorquendum matrimonium, validum relinqueretur: quia etiam tunc matrimonium ab ipſo eligitur, ut medium ad euadendum periculum. Dicaſt. *num.* 94. Sanch. *num.* 11. Coninc. *num.* 10. Baſil. *num.* 2. Perez *num.* 5.

*Si conſanguinei virginis ex metu obligent ſtupratorem illius ad matrimonium, nullum relinquitur.*

46. Sed inquires primò. An ſi parentes, vel conſanguinei virginis deprehenderent ſtupratorem illius cum eâ, & illi minas mortis incuterent: ipſe verò promitteret ſe eam ducturum, ut liberaretur à tali periculo, & de facto duceret, tale matrimonium eſſet validum? ¶ Reſpondetur: quòd vel conſanguinei metum mortis incutiunt ad extorquendum matrimonium à iuuene, vel non niſi iracundiâ ducti ad vendicandum ſe de illo. Si illo priori modo mortem incutere minentur, erit inualidum matrimonium. Habetur expreſsè, *cap. veniens 2. de ſponſal.* ubi dicitur nullum eſſe matrimonium à iuuene contractum, quem pater cum filiâ deprehendit, & ſub timore mortis cum illâ nubere coëgit. Et ratio eſt: quia parentes, aut conſanguinei non poſſunt iuſtè mortem inferre virginis ſtupratori propriâ authoritate: & ſic timor mortis in tali caſu iniuſtè eſſet incuſſus, & cùm eſſet ad extorquendum matrimonium illatus, illud irritum redderet: imò etiamſi iuuenis probabiliter ſuſpicaretur, eos ex animo extorquendi matrimonium mortem inferre velle, eſſet nullum tale matrimonium, ut inquiunt Trull. & Cornej. infr. citand. *ex cap. Nec timorem 2. ff. de eo, quod metus cauſa fit.* Et ratio eſt: quia ſuſpicio metus inferendi, eſt timor cadens in virum conſtantem, *leg. nouiſſimè, ff. quod falſo tutore.*

*Si non ad extorquendum, matrimonium metus inferatur, validum eſt.*

47. At ſi mors ſecundo modo à parentibus inferri intendatur, & iuuenis illis promittat matrimonium, ut ab eâ liberetur, validum erit: quia tunc à nemine requiſitur, ſi à voluntate eligit matrimonium, ut periculum euadat, & quaſi in compenſationem pœnæ delicti, quæ licèt iniuſtè à parentibus propriâ authoritate inferatur, non tamen ad extorquendum matrimonium, quod requiritur, ut metus grauis irritet illud. Dictum in duplici hoc numero tenent N. Cornejo *diſp.* 7. *dub.* 25. Trull. *lib* 7. *cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 12. Baſil. *libr.* 4. *cap.* 19. *num.* 10. Coninc. *diſp.* 28. *dub.* 1. Candid. *diſpu.* 28. *art.* 8. *dub.* 6. Dian. *reſol.* 228. Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 4. Dicaſt *diſp.* 4. *dub.* 7. *num.* 72. Bonac. *quæſt.* 3. *punct.* 8. *numer.* 22. Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 12. *num.* 14.

*Si iudex ex metu obliget ad nubendum cum filiâ reum, aliqui dicunt inualidum fieri.*

48. Secundò inquires. An ſi iudex iniuſtè delinquentem damnaret ad mortem, & liberare eum promitteret, ſi filiam ducat, & ille ex metu mortis nuberet cum illâ, quam aliàs nollet habere uxorem, valeret tale matrimonium? ¶ Negatiuè reſpondent Dian. *reſol.* 228. & 4. *part. tract.* 7. *reſol.* 223. N. Cornej. *cit. dub.* 25. Baſil. *num.* 13. qui citat Rebell. *quæſt.* 15. *ſect.* 2. *num.* 14. & 15. Et ratio eſt: quia tunc abutitur iudex poteſtate ſuâ, & iniuſtè incutit timorem: quia non fit compenſatio delicti, ratione cuius iuſtè poſſet ei optionem matrimonij, vel mortis dare, in quo eſt diſcrimen inter iſtum caſum, & illum, quem diximus *num.* 45. quandò ei promitteret indemnitatem, ſi cum filiâ, aut uxore defuncti, quem occidit, nuberet: quia tunc iuſtè daretur, compenſatio facta per iudicem.

*Verius eſt oppoſitum.*

49. Verior tamen eſt ſententia affirmatiua, quam tenent Sanchez *num.* 10. Dicaſt. *dub.* 10. *num.* 109. Coninc. *numer.* 10. Auerſ. §. *Rurſus*, Candid. *dub.* 6. Trull. *libr.* 7. *num.* 12. Quia non incutitur illi metus ad extorquendum conſenſum matrimonij, ſed offertur ei modus ad excutiendum metum, & euadendum periculum ex alio capite ſibi impendens: & ſic non cogitur ad matrimonium, ſed ſuâ voluntate illud eligit, ut ſe à periculo liberet, ut in caſu dicto, *num.* 45. quo ei offertur libertas, ſi cum meretrice nuberet, & ille ex ſuâ voluntate eligeret tale matrimonium, ut medium ad mortem effugiendam.

*Quid ſi iudex iniuſtè cogat ſecundum rem iuſtè autem ſecundum allegata?*

50. Tertiò inquires. An ſi iudex iuſtè ſecundum allegata, & probata aliquem cogeret ad matrimonium: qui re ipsâ, & coràm Deo ad id non teneretur, tale matrimonium eſſet validum? Vt ſi cogeret iuuenem cum puella nubere, cum qua ſponſalia contraxit, quam ipſe ſcit cum alio fornicatam,

catam, ſed id probare noo poteſt: & ſic iudex iuxtà allegata, & probata compelleret eum ad adimplenda ſponſalia. Reſpondent Sanch. *diſp.* 13. *num.* 8. Trull. *libr.* 7. *num.* 10. *in medio.* Bonacin. *num.* 14. Dicaſtill. *dub.* 10. *num.* 107. adhuc eſſe validum matrimonium: quia huiuſmodi coactio iuridica eſt à iure approbata: ergò credi non poteſt ius dirimere tále matrimonium. Ex quo ſequitur, quòd ſi iudex iniuſtè ſecundum allegata cogeret, etſi iuſtè ſecundum rem id faceret, eſſet nullum matrimonium.

*Inualidum eſt in tali caſu coniugium.*

51. Sed dicendum eſt in tali caſu matrimonium non valere: quia licèt iudex ex parte ſuâ iuſtè procedat, ſed ex parte patientis iniuſtè, & iura irritantia matrimonium ad iniuſtitiam contrahentis attendum. Vnde illa coactio verè eſt ab extrinſeco, ſiquidem contrahens à ſeipſo non compellatur, cùm iniuſtè compellatur. Et illa ſententia in falsâ præſumptione ſundatur: qua deficiente robur habere non poteſt: & ideò præualere debet veritas ex parte patientis falſæ præſumptioni iudicis. Sic Baſil. *num.* 11. Dian. 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 33. *in fine*, Auerſ. *sect.* 5. § *ult.* & probabilem dicit Dicaſt. *loc. cit. num.* 100. Vnde ſi è contrà iudex iniuſtè ſecundùm allegata procèdat, iuſtè verò ſecundùm rem, validum relinquitur matrimonium: quia qui iuſtè re ipsâ cogitur, à ſe ipſo vim pati cenſetur.

*Metus iniuſtè incuſſus à causâ liberâ non ad extorquendum matrimonium, id non irritat.*

52. Si autem metus iniuſtè incutiatur à causâ liberâ ſed non ad extorquendum matrimonium, ſed ad alios fines, ut ſi aliquis, ut vindicaretur, mortem inferre vellet iuueni, & ille vel ab aggreſſore requiſitus, vel ſponte ſuâ promitteret nubere cum filiâ, aut ſorore illius, ut à morte liberaretur matrimonium eſſet validum. Ità Candid. *dub.* 5. Bonacin. *num.* 16. Sanch. *libr.* 4. *diſp.* 12. *num.* 3. Coninc. *num.* 9. Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 3. §. *Hinc primò.* Trull. *num.* 12. Enriq. *libr.* 11. *cap.* 9. *num.* 2. Auerſ. Baſil. & N. Gabr. *num.* 87. Anton. Cornej. *loc. cit.* & eſt communis: tum quia talis metus non eſt cauſa, ſed occaſio matrimonij: & ſic ab ipſius patientis voluntate oritur, & eligitur ad euadendum malum, quod timetur. Tum etiã: quia talis metus per accidens ſe habet reſpectu matrimonij, nec ab aggreſſore per ſe cauſatur, ſed ſponte liberâ aſſumitur à patiente in ordine ad hunc effectum. Ex quo deducitur, quòd ſi in carcere intruſus etiam iniuſtè, in captiuitate detentus offerat ſponte ſuâ, vel requiſitus à iudice, vel ſe detinente, nubere cum muliere vel extraneâ, vel filiâ, aut ſorore eius, ut ab illâ moleſtiâ liberetur, validum eſſet matrimonium. Similiter ſi morte damnatus ob delictum, vel iniuſtè, & à iudice ei offeratur vita, ſi nubat cum tali muliere, etiam erit validum tale matrimonium. Ac tandem ſi Princeps obſeſſus, vel ſponte ſuâ, vel ab obſidente requiſitus offerat matrimonium cum filiâ, aut ſorore obſeſſoris, ut liberetur ab obſidione, etiamſi iniuſtè tale malum patiatur: validum erit tale coniugium.

*Quid ſi medicus nolit ægrotum mederi, niſi cum filiâ nubat?*

53. Sed difficultas eſt: An ſi medicus nollet ægrotum mederi, niſi cum filiâ ſuâ, aut ſorore nubat: valebit tale matrimonium? Reſpondent affirmatiuè Dicaſtill. *num.* 95. Bonacin. *num.* 23. Sanch. *libr.* 4. *diſp.* 12. *num.* 15. Trull. *cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 12. Candid. *dub.* 6. Sor. *art.* 3. §. *Hinc primò colligitur*: quia talis metus mortis non incutitur à medico, ſed ab infirmitate, & ipſe ſponte eligit illud medium, quod proponitur à medico, tamquàm ſtipendium ſui operis.

*Cum diſtinctione caſus reſoluitur.*

54. Sed cum diſtinctione eſt in hâc parte loquendum: Nam vel medicus recuſat ex alio fine ægrotum curare, & ipſe ægrotus ad mouendum eum offert tale matrimonium, tunc erit validum propter ea, quæ multoties diximus. Si tamen talem curationem recuſet ad extorquendum matrimonium, tunc videndum eſt; an medicus teneatur: quia non eſt alius, & neceſſitas urget, tunc inualidum erit matrimonium: nam licèt timor oriatur ex morte, medicus denegans curationem in tali caſu neceſſariam, metum grauem incutit, ſaltem ob denegationem ipſius curationis neceſſariæ. Sicut qui in caſu extremæ neceſſitatis denegaret ſubſidium neceſſarium ad conſeruandam vitam periclitanti, niſi nuberet cum ſuâ filiâ, aut ſorore: vel qui immerſus in aqua auxilium ab alio poſtularet potente ſibi impendere, & ille nollet; niſi nuberet cum ſorore, eſſet metus grauis mali incuſſus iniuſtè ab eo: & ſic matrimonium eſſet nullum. Ità Auerſ. *sect.* 4. §. *Adnotari etiam*, Baſil. *libr.* 4. *cap.* 19. *num.* 15. Coninc. *num.* 11. & 12. Rebell. *quæſt.* 11. *sect.* 2. *num.* 16. Si tamen opera medici non eſſet ſimpliciter neceſſaria, quia alius eſſet, qui poſſet ægrotum mederi, ſed ægrotus ex ſuâ voluntate illi promitteret tale Matrimonium ad mouendum eum, credimus cum primâ ſententiâ tale Matrimonium eſſe validum.

## PVNCTVM IV.

*Vtrùm Matrimonium metu graui contractum confirmetur iuramento, aut copulâ ſequenti, animo maritali habitâ?*

*Per copulam animo fornicario, aut violentiâ factam non confirmatur matrimonium.*

55. IN hoc puncto ſupponimus per copulam habitam animo fornicario ad explendam libidinem matrimonium metu contractum non firmari: quia eatenùs per copulam ſecutam firmaretur, quatenùs ità eſſet ſignum interni conſenſus, at ſi animo fornicario habeatur, non poteſt dari conſenſus coniugalis, cuius ſit ſignum, ſinè quo ratum eſſe nequit matrimonium. In foro autem exteriori ſemper iudicatur animo maritali fuiſſe factam: quia ius non præſumit adeſſe peccatum, quod planè datur, quandò animo fornicario perficitur. Et ideò antè Tridentinum per copulam ſecutam ad ſponſalia fiebat matrimonium de præſenti: quia illa eſt ſufficiens ſignum conſenſus, & Eccleſia non preſumebat adeſſe conſenſum in peccatum, ſed in ipſam copulam modo, quo licitè fieri poterat, nimirùm ex animo coniugali, quomodò erat inter coniuges, & ſic licita. Similiter eſt certum, quòd ſi talis copula per violentiam extorqueatur, relinquitur nullum matrimonium in utroque foro: quia ſemper ſignificat conſenſum coactum, imò nullum: & ſic inſufficiens eſt ad reualidandum matrimonium.

*Quid ſi ſponſa conſentiat, vel per metum in maritalem copulam?*

56. Quarè duplex difficultas remanet in hâc parte. Prima. An ſi liberè, & ſpontaneè ſponſa conſentit habere cum coniuge copulam, qui metu

ab eâ extorſit matrimonium, hoc ipſo firmetur, & validum relinquatur? Secunda. An ſi talis copula per metum extorqueatur, matrimonium ratificet, & quod nullum erat, validum efficiat? Et ut ſit locus quæſtioni, ſupponimus vim, & metum ad matrimonium incuſſum non eſſe publicum, ſed ſecretum: ſi enim publicus eſſet, deberet reualidari coràm Parocho, & teſtibus; ut de matrimonio quolibet impedimento dirimente publico nullo diximus *capit.* 3. *numer.* 112. at ſi impedimentum eſſet ſecretum, ut ibidem *numer.* 128. diximus, non requiritur, ut reualidetur præſentiâ teſtium, & Parochi, & ideò in hoc caſu procedunt duæ dictæ difficultates.

*Si animo maritali copula habeatur, ratificatur matrimonium.*

57. Et circà primam ſit concluſio: quòd quandò coniux ſcit nullum fuiſſe matrimonium metu graui contractum, & poſteà haberet ſpontaneè copulam cum coniuge, animo maritali, id eſt, habendi eum ut coniugem, hoc ipſo ratificatur matrimonium, & validum redditur. Hæc eſt communis ſententia, quam tenent D.Thom. *in* 4. *diſtinct.* 29. *quæſt. unic. artic.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. Sanch. *libr.* 4. *diſput.* 18. *num.* 1. Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 6. Leand. *diſput.* 16. *quæſt.* 24. Diaſtill. *diſp.* 4. *dub.* 12. *num.* 124. Trull. *libr.* 7. *cap.* 7. *dub.* 2. *num.* 2. N. Cornejo, *diſp.* 2. *dub.* 25. Coninc. *diſp.* 28. *dub.* 4. *num.* 41. N. Gabr. *diſp.* 3. *numer.* 94. Anton. *ſect.* 5. contrà Gonet. *diſp.* 4. *numer.* 98. Baſil. *cap.* 14. *num.* 12. Et habetur in *cap.* 2. *de eo, qui duxit, cap. Inſuper* 4. *Qui matrimonium accuſare poſſunt*. Et ratio eſt: quia ſufficit, ſi detur ſignum conſenſus de nouo habiti ex parte eius, qui metum paſſus eſt ad hoc, ut matrimonium reualidetur, nec oportet, quòd ex parte alterius detur de nouo conſenſus, dummodò priorem non retractauerit, ut diximus *capit.* 3. *punct.* 5. *num.* 117. At copula animo maritali habita liberè, & ſpontaneè, ut ibi probauimus, eſt ſignum ſufficiens conſenſus de nouo habiti in coniuge, qui coactus fuit: ergò, &c. Diximus, quandò ſcit matrimonium fuiſſe nullum: quia, ut *loc. citat.* diximus, ut detur de nouo conſenſus ſufficiens ad matrimonium nullum ratificandum, requiritur eſſe conſcium nullitatis, qui illum appoſiturus eſt: quia nihil magis aduerſatur conſenſui, quàm error, *leg. ſi per errorem*, *ff. de iuriſdictione.*

*Etiam per alia ſigna conſenſus liberi reualidatur matrimonium.*

58. Addunt Auerſ. *loc. citat.* Et Sanch. *num.* 12. Et Syluest. *matrim.* 11. *quæſt.* 8. *diſput.* 13. ſufficere alia ſigna ad ratificandum dictum matrimonium, ut ſi affectu maritali ſponſi inuicem amplexati ſe fuerint, ceſſante iam timore, & causâ eius. Similiter ſi tali affectu, *coniuges* ſe appellauerint, ſi ſponte dona ſponſalitia recipiat: etiam diuturna cohabitatio adhuc non ſecutâ copulâ, datâ tamen opportunitate recedendi, ſufficit ad ratificandum matrimonium nullum, *cap. ad id*, *de ſponſal.* in his, qui ſunt nullitatis conſcij, cum his conditionibus. Prima: quòd talis habitatio ſit diuturna, nimirùm, vel per annum, & dimidium, ut videtur indicare ille textus, vel quod veriùs eſt prudentis arbitrio conſiderantis tempus, habitationis locum, & fugiendi, quam habebat, opportunitatem: quia cùm tempus per legem non definiatur, prudentis arbitrio eſt relinquendum, Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *artic.* 3. *concluſ.* 2. Auerſ. *quæſt.* 4. *ſect.* 6. Sanchez, *num.* 6. Secunda, ſi habitatio fuerit ſpontanea, & metus ceſſauerit, ac cauſa eius: iſto namque, vel illius causâ perſeuerante non iudicatur adeſſe conſenſum liberum ad matrimonium requiſitum. Tertia, ſi verè conſenſus adfuerit ſaltem virtualis, qui in ipſa liberâ habitatione inueniri cenſetur, niſi animum oppoſitum habuerit; ſi enim talis conſenſus defuerit, quamuis in foro exteriori iudicetur validum matrimonium: quia præſumitur adeſſe, non tamen in foro conſcientiæ. Sicut è contrà ſi talis conſenſus formalis adſit, non requiritur in foro conſcientiæ diuturna habitatio, ſed ſtatim, ac datur, matrimonium perficitur.

*Aliqui dicunt matrimonium confirmari per copulam metu extortam.*

59. Circà ſecundam difficultatem eſt duplex ſententia. Prima aſſerit, matrimonium metu graui contractum per copulam etiam metu graui extortam ratificari, & validum effici. Ità Sot. *art.* 3. *verſ. In contrarium autem*, Auerſ. 5. *Et quidem*, Barthol. de Ledeſ. *de Matrimon. dub.* 23. *ad fin.* Vega, *libr.* 2. *Sum. caſu.* 513. Et probabilem dicunt Petr. de Ledeſ. Sanchez, Enriq. Coninc. infr. citandi. Et probatur primò: quia vel talis copula fuit licita, vel illicita: ſi primum, ergò validum matrimonium: quia extrà illud copula licita haberi non poteſt: ſi ſecundum, ergò matrimonium non fuit contractum ex metu cadente in virum conſtantem: ac proinde non fuit irritum: ſiquidem, ut diximus *numer.* 26. vir conſtans non debet eligere peccatum, ut effugiat mortem: & ſic ſi vult acquieſcere copulæ peccaminoſæ, ut mortem effugiat: ergò per metum viri conſtantis non operatur. ¶ Secundò: quia Eccleſia irritauit matrimonia metu contracta in fauorem patientis propter iniuſtitiam, quæ illi irrogatur: ergò non irritauit illa, quandò talis cogitur ad conſummandum matrimonium, aliàs cogeretur vel mori, vel peccare, quod cedit in eius præiudicium, & quod conceditur in alicuius gratiam, in illius diſpendium non eſt retorquendum. ¶ Tertiò: quia quilibet poteſt cedere iuri ſuo: ergò morte minatus, niſi contrahat, & conſummet matrimonium, poteſt cedere legi in eius fauorem latæ irritanti matrimonium ex metu celebratum, & animo maritali copulam habere, ut ſic, & mortem, & peccatum excuſet.

*Verius eſt matrimonium metu conſummatum eſſe nullum.*

60. Secunda, & verior ſententia dicit, non ratificari tale matrimonium, nec validum effici, quandò metu graui conſummatur. Ità Coninc. *numer.* 42. Sanch. *numer.* 15. Baſil. *numer.* 12. Enriquez, *libr.* 11. *capit.* 9. *numer.* 7. Ledeſ. 3. *part. quæſt.* 47. *art.* 3. *dub. penult.* Leand. *quæſt.* 25. Gutier. *numer.* 41. Diaſtill. *numer.* 130. Troll. *num.* 1. Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 8. *num.* 24. Valent. *tom.* 4. *diſput.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 2. Syluest. *verb. Matrimon.* 8. *quæſt.* 11. *dub.* 3. Rebell. *libr.* 2. *quæſt.* 9. *num.* 20. N. Gabr. Anton. Cornejo, *loc. citat.* qui refert D. Antonio. 3. *part. tit.* 1. *capit.* 12. *ad finem.* Et probatur primò: quia talis copula non eſt ſufficiens ſignum conſenſus: ergò non ſufficit ad matrimonium validum efficiendum. Probatur antecedens: quia fictio non poteſt pluſquam veritas operari, *leg. Filio, quem pater, ff. de liber. & poſthum.* Sed conſenſus

ſenſus per veiba expreſſos non facit matrimonium, quaudò eſt ex metu: ergò, nec fictus, & præſumptus per copulam faciet illud. ¶ Secundò: quia Eccleſia inhabilitat contrahentes, & eius conſenſus, quamdiù metus durat: ſed in dato caſu metus durat, imò augetur, cùm non ſolùm cogatur coniux ad conrrahendum, ſed ad conſummandum: ergò etiam tunc eſt inhabilis tàm ipſe, quàm eius conſenſus ad validum efficiendum tale matrimonium, ut in matrimonio clandeſtinè contracto, & conſummato cernitur. ¶ Tertiò: quia iura Eccleſiaſtica irritantia matrimonium attendunt bonum publicum, & euitare inconuenientia, & malos exitus in Republicâ exortos ex tali coactione, & metu: ergò extenduntur ad caſum, quo ex metu matrimonium conſummatur. Patet conſequentia: quia aliàs Eccleſia oon ſufficienter adhiberet remedium coactionibus, aliiſque malis ex eis prouenientibus: quia qui poteſt cogere ad matrimonium, etiam ad conſummationem faciliter poſſet metum incutere.

*Debet potiùs mortem eligere, quam matrimonium conſummare.*

61. Ex quo inferunt Cornejo, Coninc. Sanchez, Dicaſtill. & alij ex Authoribus citatis, eum, qui metu mortis cogitur ad conſummandum matrimonium, debere potiùs ipſam mortem eligere, quàm talem copulam: quia cùm per eam oon fiat matrimonium, nec ſit acceſſus ad ſuam coniugem, ſemper eſt graue peccatum fornicationis: niſi ignoraret, tale matrimonium metu contractum eſſe nullum, & iudicaret, talem copulam eſſe maritalem: quia tunc ratione ignorantiæ inuincibilis excuſaretur: & niſi vellet ſe conformare primæ opinioni in caſu, quo coactio non eſſet publica, & ſic ad reualidandum matrimonium non requireretur Parochi, & teſtium aſſiſtentia. Sed ſecundùm noſtram ſententiam per ſe ſemper eſſet peccatum mortale amplecti talem copulam ad effugiendam mortem, ſicut eſſet, qui conſummaret ex metu matrimonium clandeſtinè contractum, vel eum conſanguineâ etiam coràm facie Eccleſiæ ſinè diſpenſatione, ſiquidem utrobique ſunt inhabiles ad contrahendum coniuges: & ſic commixtio inter illos inter fornicarias annumeratur.

*Soluuntur contraria ſententia argumenta.*

62. Ad primum argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur: quòd in tali caſu datur in metum patiente duplex conſenſus, alius in matrimonium, alius in copulam: primus, per quem eligit matrimonium, ut mortem euadat, eſt ex metu viri conſtantis: & ideò id irritum reddit, quia non conſentit in peccatum, ut mortem effugiat. Secundus verò, quo amplectitur culpam, ut à morte liberetur, eſt viri inconſtantis; ideoque compatitur, quòd matrimonium ſit irritum, & illicita conſummatio eius. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd Eccleſia non ſolùm irritat matrimonium ob gratiam patientis metum, ſed ob bonum publicum, & ut euitaret mala, quæ ex talibus coactionibus oriantur, ſicut irritauit matrimonia clandeſtina. Vnde quamuis aliquandò cedat in præiudicium particularis, meliùs eſt, quod conſulatur bono communi: & ſic quòd omninò irrita reddantur talia matrimonia, etiam conſummata, aliàs, ut dicebamus in tertiâ ratione, oon ſufficienter Eccleſia pro talibus inconuenientibus de remedio ſufficienti prouideret. ¶ Ad tertium reſpondetur, neminem poſſe cedere iuri, vel fauori in gratiam, & bonum commune conceſſo, ut eſt commune apud Doctores, & eſtò poſſet cedere, quandò ſpontaneè ad id impellitur: ſecùs verò quandò per metum ad hoc cogitur: quia ſi iura matrimonia ex metu contracta irritant, etiam ceſſionem talis fauoris, metu factam annullant.

*Minimè firmatur iuramento matrimonium metu contractũ.*

63. Sed inquires. Quid dicendum ſit, quandò matrimonium metu contractum iuramento firmatur, vel iurando ſe ex tunc validum habere tale matrimonium, vel poſteà ſe illud ratum habiturum? ¶ Reſpondetur adhuc non firmari, nec ratificari matrimonium per tale iuramentum, ſicut in alijs contractibus nullis probabilius eſt iuramento non firmari: & eſtò alij firmarentur, non matrimonium, quod Eccleſia vult omni libertate contrahi, & ſic inhabiles reddit coactos ad contrahendum, & niſi etiam in tali caſu matrimonium annullaret, nil prorſus efficeret, cùm faciliter poſſet cogens metu compellere patientem, ut iuramento matrimonium firmaret. Et ideò ſicut matrimonium hanc conditionem imbibit, quòd liberè prorſus fiat: ſic iuramentum illi adhærens ſub illâ conditione cenſetur emiſſum: quia ſemper iuramentum ſequitur naturam contractus, cui coniungitur, *leg. fin.* C. *de non numer. pecun.* Quapropter *in capit. 2. de eo, qui duxit in matrimon.* dicitur nullum matrimonium adhuc iuratum, ſi ex metu contractum fuerit, quod verum eſt, ſiue metus incutiatur ad ſolùm extorquendum matrimonium, ſiuè etiam ad extorquendum iuramentum: ſemper enim cadit ſuper contractum nullum, & ſequitur naturam illius. Ità Coninc. *num.* 40. Sanchez, *libr.* 4. *diſputat.* 20. *numer.* 12. Bonacin. *num.* 26. Ledeſma, *art.* 3. *difficul.* 2. Auerſ. *quæſt.* 4. *ſection.* 6. Leand. *quæſtion.* 26. Cornejo, *diſp.* 7. *dub.* 25. Trullenc. *cap.* 7. *dub.* 2. *numer.* 3. Rebell. *libr.* 2. *quæſt.* 55. *ſect.* 2. *num.* 18. Dicaſt. *num.* 132. N. Anton. *ſect.* 5. *contrà* Wiggers. N. Gabr. *num.* 95. *&c.*

*Non obligat tale iuramentum, etiam relaxatione non obtenta.*

64. Sed rogabis. An licèt tale iuramentum matrimonium ex metu contractum non firmet, ſaltem obliget ad eius adimpletionem, niſi obtineatur illius relaxatio? ¶ Reſpondetur negatiuè: quia quandò contractus ob publicam utilitatem prohibetur, iuramentum ſuper illud cadens obligationem non parit, ut diximus *capit.* 1. *numer.* 65. Et etiam quia contractus conditionem ſequitur: undè ſicut matrimonium liberum omninò conſenſum efflagitat: ità iuramentum ſub conditione illius cenſetur emiſſum. Præterquàm quod vel tale iuramentum cadit ſuprà matrimonium de præſenti: *Vt iuro te modò ducere in uxorem.* Et tunc ſicut matrimonium eſt nullum de præſenti, nullum etiam erit iuramentum cadens ſuprà illud, nec in futurum inducet obligationem: quia, ut inquit D. Thom. 2.2. *quæſt.* 89. *art.* 9. iuramentum aſſertorium nullam obligationem generat in futurum. Si autem tale iuramentum cadat ſuprà matrimonium de futuro: *Vt iuro te poſteà habiturum in coniugem,*

*ingem*, ſolùm habebit vim ſponſalium: & ſponſalia metu graui contracta, etiam iurata nullam obligationem inducere diximus *cap.* 1. *numer.* 64. Hanc concluſionem tenent Sot. *in* 4. *diſtinct.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 3. *verſ. Alia verò*, Enriquez, *num.* 6. Vega, *libr.* 2. *caſu* 514. Auerſ. Sanchez, *num.* 15. & 17. Dicaſtill. *num.* 137. Trullenc. *num.* 3. Bonacin. *numer.* 21. Ledeſm. *circà* 3. *argum.* Leand. *quæſt.* 27. N. Anton. & alij ab ipſis relati.

## CAPVT X.

### *De conſenſu ex errore appoſito.*

NIHIL Magis opponitur conſenſui voluntatis, quàm error in intellectu: quia ſecundum commune phyloſophorum proloquium: *Nihil volitum, quin præcognitum*, undè cùm in præſenti agamus de oppoſitis conſenſui ad matrimonium requiſito, meritò de errore ſermonem inſtituimur. Error differt ab ignorantiâ, ut inquit D. Thom. *in addit. quæſt.* 51. *artic.* 1. *ad* 1. in eo, quod ignorantia non importat actum cognitionis; error verò dicit iudicium peruerſum de aliquo: in hoc autem, quod eſt voluntarium impedire æquo paſſu currunt. Error eſt in triplici differentiâ, vel *perſonæ*, vel *qualitatis illius*, vel *conditionis*, ſeu *ſeruitutis*. De his omnibus erroribus agemur in præſenò, per quod impedimentum *erroris*, & impedimentum *conditionis* manebit explicatum.

---

Caput hoc continet duplex dubium, & duplex ſimiliter punctum.

*Dub. I. An error circà perſonam, ex naturâ rei dirimat matrimonium? num.* 1.

*Dub. II. An error circà qualitates, ſeu circà quæcumque accidentia contrahentis, irritet matrimonium? num.* 9.

*Punct. I. Quo iure error conditionis, ſeu ſeruitutis dirimat matrimonium, & quomodò? num.* 19.

*Punct. II. An quandò per matrimonium ſeruus conſequitur libertatem validum ſit, ſi contrahatur cum ignorantiâ talis ſeruitutis? num.* 33.

## DVBIVM I.

### *An error circà perſonam ex naturâ rei dirimat matrimonium?*

*Iure Eccleſiaſtico error circà perſonam dirimit matrimonium*

1. SVpponimus in præſenti, quòd ſaltem iure poſitiuo error circà perſonam (quod fit quandò quis iudicans contrahere cum Mariâ, contrahit cum aliâ, quæ loco illius ſe offert) dirimit matrimonium, ut habetur in *capit. unic.* 25. *quæſt.* 1. *capit. Tua nos, de ſponſal.* Eſtque apud omnes certiſſimum, niſi contraheret cum unâ, actualiter intenderet cum quacumque fœminâ contrahere: quia tunc, licèt iudicaret ſe contrahere, cum Mariâ, ſi tamen illo actuali animo contraheret cum aliâ, teneret matrimonium, ut benè aduertit Dicaſtill. *diſp.* 7. *dub.* 5. *num.* 56. Coninc. *diſp.* 31. *dub.* 1. *numer.* 5. Non autem ſufficeret animus habitualis cum quacumque contrahendi: id eſt, quòd ità eſſet affectus, quòd ſi noſceret non eſſe Mariam, quacumque ſibi præſente, cum illâ contraheret: quia illa habitualis voluntas ſeu ſolùm ſub conditione, ponenda voluntas, nihil operatur, ut poſteà dicemus. Et niſi error eſſet ſolùm circà nomen, non verò circà ſubſtantiam, ut ſi iudicaret ſe contrahere cum tali muliere, quam iudicat vocari Ioannam, cum tamen Paula vocetur: quia nihil facit error nominum, cum de corpore conſtat, *leg. In venditionibus; ff. de contrah. emption.* Quæritur ergò. An error circà perſonam iure naturæ matrimonium dirimat.

*Argumenta, quæ probant iure natura non dirimi tale matrimonium.*

2. Et videtur, quòd non. Primò: quia Geneſ. 29. Iacob validè contraxit cum Lyâ, quam Rachelem iudicabat, & erat error circà perſonam. Et *Geneſ.* 27. valida fuit benedictio, quam ipſe Iacob à patre recepit, qui iudicabat eſſe ſuum primogenitum Eſau. ¶ Secundò: quia alia Sacramenta impertita cum errore perſonæ valent, ut ſi Sacerdos abſolueret, baptizaret, ungeret, &c. Petrum, quem iudicabat Ioannem: ergò etiam matrimonium. ¶ Tertiò: quia alij contractus facti cum errore perſonæ etiam ſunt validi, ut ſi quis venderet equum Petro, quem iudicabat Ioannem: ergò etiam contractus matrimonij.

*Contrariū ex textibus colligitur.*

3. Sed contrà eſt, quod in textibus allegatis irritantibus matrimonium, ex errore perſonæ contractum, reducitur in ipſam naturam matrimonij, quòd petit conſenſum voluntatis, cui maximè error contrariatur.

*Iure naturæ eſt nullum matrimonium cum errore perſonæ contractum.*

4. Reſpondeo igitur dicendum errorem circà perſonam ex naturâ rei dirimere matrimonium: ac proindè non ſolùm inter Chriſtianos eſſe nullum, ſed etiam inter infideles, qui legibus naturæ tenentur: & Eccleſiam non poſſe circà hoc diſpenſare. Sic tenent communiter Doctores. D. Thom. *in* 4. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. *artic.* 1. & *in addit. quæſt* 61. *art.* 1. Auerſ. *quæſt.* 12. *ſect.* 1. Coninc. *diſp.* 31. *dub.* 1. *numer.* 9. Sanchez, *libr.* 7. *diſp.* 18. *numer.* 21. Baſil. *libr.* 4. *cap.* 20. *num.* 3. & 7. Bonacin. *quæſt.* 3 *punct.* 2. *numer.* 2. Palaus, *diſp.* 4. *punct.* 4. *numer.* 3. Candid. *diſq.* 28. *art.* 4. *dub.* 2. Sot. *in* 4. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *concluſ.* 1. Trull. *libr.* 7. *cap.* 9. *dub.* 3. *numer.* 3. Dicaſtill. *diſput.* 7. *dub.* 4. *numer.* 56. Gonet. *diſp.* 9. *numer.* 3. Wiggerr, *quæſt.* 50. *cap.* 5. E. NN. Bacho, *quem ſeq.* Stephan. *numer.* 60. Cornejo, *diſput.* 7. *dub.* 6. Gabr. *diſput.* 6. *numer.* 36. Anton. *diſput.* 7. *ſect.* 4. Franciſc. *diſput.* 7. *num.* 17. &c. & probatur ratione D. Thom. quia abſque conſenſu fieri non poteſt matrimonium; ſed qui intendit contrahere cum Bertâ, non conſentit contrahere cum Ioannâ: ergò ex ipsâ naturâ coniugij nullum tale matrimonium relinquitur. ¶ Confirmatur: quia perſonæ contrahentium ſunt ipſum obiectum primarium, & eſſentiale matrimonij: ergò conſenſus, qui eſt circà unam, non eſt circà aliam ex defectu ſui obiecti primarij: & ſic ex naturâ rei erit nullum tale matrimonium.

5. Quæ-

*Etiamſi error ſit vincibilis.*

5. Quæres primò. An concluſio non ſolùm locum habeat, quandò quis prudenter errat circà perſonam, ſed etiam quandò error eſt vincibilis craſſiſſimus, aut fatuus? ¶ Reſpondetur affirmatiuè: quia hic non agitur de committendâ culpâ, à quâ non excuſat talis error, ſed de contrahendo matrimonio, quòd verùm requirit conſenſum circà perſonam, quo proindè deficiente ex quocumque capite non valet. Ità Auerſ. *cit. ſect.* 1. *fol.* 498. Coninc. *num.* 9. Trull. *loc. citat. num.* 5. Sanch. *num.* 7. N Gabr.

*Etiam error concomitans matrimonium dirimit.*

6. Quæres ſecundò. An non ſolùm error antecedens, ſeu dans cauſam contractui, ut eſt ille, quo quis contrahit cum Mariâ, paratus non contrahere cum Ioannâ, quæ ſibi præſentatur loco Mariæ, ſed ſi ſciret eſſe Ioannam, non contraheret cum eâ: ſed etiam error incidens, ſeu concomitans, & non dans cauſam contractui, ut ſi quis contraheret per errorem cum Mariâ quæ ei offertur, diſpoſitus tamen contrahere cum eâ, ſi illam agnouiſſet, talis error concomitans dirimat iure naturæ matrimonium? ¶ Reſpondetur etiam affirmatiuè. Ità Sanch. *num.* 6. Coninc. *num.* 5. & 9. Auerſ. 5. *Non ſolum.* Gabr. à S. V. Franciſ. *loc. cit.* Cornejo *dub.* 7. qui refert Rebell. *de imped. m. libr.* 3. *quæſt.* 2. *concluſ.* 2. Bonacin. *num.* 4. Dicaſt. *num.* 56. Trull. *num.* 4. Gonet. *num.* 5. Et ratio eſt: quia per hoc non habet actualem conſenſum contrahendi cum eâ, cum quâ ex errore contrahit, ſed ad ſummum habitualem, nec de facto habet, ſed haberet, ſi eam cognoſceret: ſed ad matrimonium requiritur actualis conſenſus in perſonam, & abſolutus: ergò.

*Duplex obiectio, & ſolutio illius.*

7. Sed obijcies primò: quod ſolus error qui reddit actum inuoluntarium, id eſt, voluntati contrarium, irritat matrimonium, non eſt talis, de quo loquimur, cùm ſit valdè conſonus voluntati tunc exiſtenti: ergò non irritat matrimonium. ¶ Secundò: quia conſenſus actualis interpretatiuus apud omnes eſt ſufficiens ad matrimonium: talis datur in præſenti, cùm ſit ità affectus, ut ſi ſciret eſſe Ioannam, cum illâ contraheret, & poſteà quàm ſcit, ſibi complacet de facto: quod eſt indicium conſenſum interpretatiuum adfuiſſe. ¶ Reſpondetur ad primum ex D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 8. quòd licèt talis error non faciat actum inuoluntarium poſitiuè, facit tamen non voluntarium negatiuè, id eſt, quod non detur actualiter talis conſenſus, qui requiritur ad valorem matrimonij. ¶ Ad ſecundum negamus dari in tali caſu conſenſum interpretatiuum, cum omnia illa non denotent extitiſſe verum conſenſum, ſed quod adfuiſſet, ſi ſciretur, quod ignorabatur.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

8. Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad primum dicimus, quod quantùm attinet ad matrimonium Iacob cum Lyâ, tale matrimonium non fuit validum in principio, ratione erroris perſonæ, ſed poſteaquàm Iacob de errore fuit certificatus, ſciens, & volens contraxit cum eâ: & ſic fuit validum. Ità D. Thom. *quæſt.* 51. *art.* 1. *ad* 4. Ad id, quod de benedictione ipſius Iacob dicitur, vel dicendum cum Abulenſ. *quæſt.* 7. *in cap.* 27. *Geneſ.* Iſaac habuiſſe animum benedicendi filium præſentem, quicumque ille fuerit: vel meliùs cum D. Auguſt. *libr.* 16. *de Ciuit. cap.* 37. circà finem, talem benedictionem fuiſſe validam: quia cognitâ veritate, Iſaac ex diuino inſtinctu, confirmauit illam, & ratificauit. ¶ Ad ſecundum dicimus, quòd in alijs Sacramentis ſolùm intendit Miniſter ea impertiri perſonæ præſenti, quæcumque illa ſit; non verò dirigit ſuam intentionem ad hanc perſonam determinatam, ſi autem ad illam dirigeret, & non eſſet illa, irritum eſſet Sacramentum: cæterùm alia id non petunt, & ideò non rectè operabitur Sacerdos, ſi modò dicto in perſonam determinatam ſuam intentionem dirigeret. At in matrimonio, quod petit indiuiduam vitæ conſuetudinem, & ſocietatem, intentio contrahentis ſemper dirigitur in determinatam perſonam (niſi aliud conſtet de eius expreſsâ voluntate) undè eſt magna diuerſitas ad intentum. ¶ Ad tertium dicimus: quòd etiam error circà ſubſtantiam, in alijs contractibus irritat eos, ut docet D. Thom. *hic, quæſt.* 51. *art.* 2. *ad* 7. Vt in exemplo adducto ab Angelico Doctore eius, qui venderet aſinum, pro equo: quia in illis res tradita eſt de ſubſtantiâ contractus cùm ſit rei, vel pecuniæ pro ſe commutatio: perſona verò contrahens per accidens ſe habet ad illos: undè in illis error circà perſonam eſt error in accidentibus; in matrimonio autem perſonæ contrahentes pertinent ad ſubſtantiam, & eſſentiam contractus: & ideò non eſt ſimile.

## DVBIVM II.

### *An error circà qualitates, ſeu quæcumque accidentia perſonæ contrahentis irritet matrimonium?*

*Error qualitatis concomitans non dirimit matrimonium.*

9. CErtùm eſt in præſenti, quod ſi error ſit concomitans, ſeu non dans cauſam contractui circà qualitatem perſonæ non irritat matrimonium, ut ſi quis contraheret cum paupere, quam iudicabat diuitem, cùm corrupta, quam virginem exiſtimabat, cùm ignobili, quam pro nobili habebat, non motus ex his qualitatibus, ſed aliundè, validum eſſet matrimonium, in quo omnes conueniunt: quia voluntarium ad matrimonium requiſitum minimè in tali caſu vitiatur. Similiter eſt certùm, quòd ſi aliquis formaliter, vel virtualiter vellet contrahere ſub illâ conditione, quòd eſſet virgo, nobilis, aut diues, eâ deficiente eſſet nullum matrimonium, ut diximus de matrimonijs contractis ſub conditione de præſenti, *cap.* 7. *num.* 52. Ità Baſil. *libr.* 4. *cap.* 21. *num.* 5. Auerſ. *quæſt.* 12. *ſect.* 1. *fol.* 500. Sanch. *libr.* 7. *diſp.* 18. *num.* 21. Coninc. *diſp.* 31. *dub.* 1. *num.* 6. Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *num.* 6. Palaus, *diſp.* 4. *punct.* 4. *num.* 5. Trull. *libr.* 7. *cap.* 9. *dub.* 3. *num.* 8. Dicaſtill. *diſp.* 7. *dub.* 5. *numer.* 58. N. Gabr. *numer.* 43. Anton. *ſect.* 6.

*Non eſt conſenſus virtualis ſub conditione quem Baſilius intendit.*

10. Sed per conſenſum virtualem contrahendi ſub illâ conditione non eſt accipiendus ille conſenſus, quo quis habens apprehenſam in mente talem qualitatem, quam iudicat adeſſe in perſonâ, conſentit contrahere cum illâ, paratus non contrahere, ſi talis qualitas defuiſſet, ut non ità benè inquit Baſilius, *loc. citat. num.* 7. citans pluſes Authores, inter quos Sanchez, & Coninc. qui longè ſunt à tali ſententiâ, ut iam videbimus. Nec ratio illius conuincit, quâ ità probat eſſe virtualiter conſenſum ſub conditione in tali caſu: quia actus indiuiſibilis, uti eſt conſen-

ſus

ſus matrimonij, tendit in illud obiectum cognitum tali circuoiſtantia veſtitum: ergò illà deficiente actus corruit, ſiquidem deficiente aliquâ ratione obiecti, indiuiſibilis actus tendeos ad illud, deficit.

*Impugnatur ratio illius, & in quo conſiſtat conſenſus virtualis, explicatur.*

11. Sed non conſiderauit tantus vir, quòd actus, qui eſt indiuiſibilis ſecundum ſubſtantiam, poteſt eſſe diuiſibilis, ſi ſecundum ſubſtantiam, & accidentia conſideretur: & quòd ignoratâ circumſtantiâ, ac proindè deficiente actu ſecundum quod reſpiciebat illam, poteſt manere ſecundum ſubſtantiam, quatenùs tendit ad obiectum primarium, & ſubſtantiale, ſicut in reliquis actibus moralibus cernitur, qui deficere poſſunt quoad accidentale permanente eorum ſubſtantiâ, ut reſpicit obiectum ſubſtantiale. ¶ Quarè conſenſus virtualis, qui dicitur à Sanchez, Coninch. & alijs ſufficere ad faciendum matrimonium conditionatum de præſenti, ille eſt, qui permanet virtualiter, poſtquàm expreſsè, & formaliter eſt habitus antecedenter, & non eſt retractatus, ut ſi quis expreſsè haberet animum antecedenter ad matrimonium ſe numquàm conſentire, nec velle contrahere niſi cum nubili, virgine, &c. nec retractaret illum: & poſteà iudicans talem eſſe virginem, aut nobilem, cum illâ contraheret tali diſpoſitione affectus, ut ſi ſciret oppoſitum, non contraheret, cenſetur velle virtualiter ſub tali conditione contrahere, ac proindè erit nullum tale matrimonium ea deficiente. Quod ergò in præſenti quæritur eſt. An qui contraheret cum corruptâ aut ignobili, quam iudicabat virginem, aut nobilem, paratus non contrahere, ſi oppoſitum ſciret, quomodò dicitur habere errorem antecedentem, ſeu dantem cauſam contractui, validè contraheret, quandò nec formaliter, nec virtualiter modo dicto vult ſub tali conditione contrahere?

*Argumenta, quæ probant nullum eſſe matrimonium cum errore qualitatis contractum.*

12. Et videtur tale matrimonium eſſe nullum. Primò: quia ſecundum Ariſtot. 3. *Æthicor. capit.* 1. error cuiuſcumque circumſtantiæ reddit actum inuoluntarium: ſed actus inuoluntarius eſt inſufficiens ad matrimonium: ergò, &c. ¶ Secundò: quia voluntas ſequitur apprehenſionem intellectus: ergò id vult, & non aliud, quod ille apprehendit: ſed intellectus apprehendit fœminam virginem, aut nobilem: ergò cum illà, & non cum corruptà, aut ignobili vult contrahere. ¶ Tertiò: quia contractus, cui dolus cauſam dedit, vel eſt irritus iure naturæ, vel authoritate iudicis irritandus: ſed matrimonium propter eius indiſſolubilitatem non poteſt irritari poſteà: ergò ab initio irritum fuit, quandò dolus fuit illius cauſa. ¶ Quartò: quia ſi quis daret eleëmoſynam diuiti, qui ſe pauperem fingebat, talis eleēmoſyna eſſet nulla: & ſic teneretur, qui accepit, tribuenti reſtituere, & ſolùm erat error circà qualitatem perſonæ, & tamen quia inuoluntarium actum reddebat, remanet cum tali errore nullus: cùm ergò ad matrimonium non minor voluntareitas requiratur, ſequitur fore nullum, ſi error qualitatis det cauſam contractui. Citant plures pro hâc parte Sanchez, Cornejo, & Palaus infrà adducendi, ſeu in meliùs dicamus, eoſdem omnes. Tenet eam Baſil. *libr.* 4. *cap.* 21. *num.* 7. qui citat plures pro illà, ſed malè aliquos, *ut ſupr. num.* 21. diximus.

*Oppoſitum habetur ex iure.*

13. Sed contrà eſt, quod in *cap. Cùm in Apoſtolicâ, de ſponſal.* dicitur, matrimonium non irritari ex mendacio, & ſubreptione ad id inducentibus: mendacium autem, & ſubreptio dolum, & errorem induunt, habetur etiam iure regni, *libr.* 10. *cum ſequentibus, tit.* 3. *par.* 4.

*Error alicuius qualitatis quæcumque illa ſit, non irritat matrimonium.*

14. Reſpondeo igitur dicendum, quòd error circà qualitatem perſonæ, quæcumque illa ſit, etiam dans cauſam matrimonio: ità ut ſine illo non celebraretur, illud non irritum reddit. Ità D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 30. *quæſt.* 1. *art.* 2. & *in addit. quæſt.* 51. *art.* 2. *in corp.* Candid. *diſq.* 28. *art.* 4. *dub.* 3. Coninc. *numer.* 11. Auerſ. *quæſt.* 12. *ſect.* 1. Sanchez, *libr.* 7. *diſp.* 18. *num.* 18. Cornejo, *diſp.* 7. *dub.* 7. Bonacin. *num.* 5. Palaus, *num.* 3. Trull. *cap.* 9. *dub.* 3. Diaſtill. *num* 63. Leſſ. *libr.* 2. *de virt. Card. cap.* 17. *dub.* 5. Wiggers, *quæſt.* 50. *cap.* 5. N. Gabr. *num.* 43. Gonet *num.* 6. & N. Stephan. *num.* 60. *citans* Vrban. *tract.* 3. *cap.* 5. Et probatur ratione. Primò: quia qui non errat circà perſonam, ſed circà qualitatem illius, habet conſenſum ſimpliciter voluntarium circà ſubſtantiam matrimonij, quamuis ſecundum quid inuoluntarium circà accidentalia illius: ſed ad valorem matrimonij ſufficit conſenſus ſimpliciter voluntarius circà ſubſtantiam eius: ergò, &c. Ideoque error illius qualitatis ſolùm eſt cauſa motiua matrimonij, non illius obiectum primarium: ad ſubſtantiam namque matrimonij pertinent, ut obiectum primariū ſint, ipſæ perſonæ contrahentes: quia dicit indiuiduam vitæ conſuetudinem, undè ſi non ſit error circà perſonam, non eſt circà obiectum eius ſubſtantiale, ſed circà motiuum, & cauſam eius, quod eſt aliquid accidentale. ¶ Secundò à poſteriori probatur: quia aliàs paſſim vitiarentur matrimonia, paſſim lites, & tumultus exorirentur circà illa: qui enim contraheret cum infectâ, cuius qualitatem neſciebat? cum corruptâ, cum ignobili, cum paupere? Paſſim diceret, & verè diceret multoties, ſe numquàm contracturum, ſi talia ſciuiſſet. Quæ ergò matrimonia eſſent valida? Quæ non diſſoluerentur?

*Niſi quandò error qualitatis redundat in perſonam.*

15. Sed dictum in hâc concluſione intelligendum eſt cum Authoribus relatis, niſi error qualitatis perſonæ redundet in ipſam perſonam; quia iam tunc eſſet perſonæ error, & nullum matrimonium. Sed quandò error qualitatis in perſonam redundauit? Accipe breuem regulam ex D. Thom. *in* 4. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 5. Et *in addit. quæſt.* 51. *art.* 2. *ad* 5. Quandò quis ſub certâ qualitate perſonæ non communi, ſed particulari, concipit indiuiduam perſonam, cum quâ hîc, & nunc vult contrahere, & poſteà offeratur ei alia non habens illam qualitatem, tunc error qualitatis redundat in perſonam, irritumque reddit matrimonium; ut ſi fœmina habens in mente primogenitum Regis, vult cum illo contrahere, & offeratur alius, qui non eſt Regis primogenitus, error talis qualitatis redundat in perſonam. Et ratio eſt: quia conſentit in perſonam, quam ſibi in mente proponit: talis eſt perſona primogeniti Regis, non alia: ergò cum illâ ſolùm vult contrahere.

*Quomodò intelligatur errorem qualitatis in perſonam non redundare?*

16. Quandò verò quis independenter à qualitate concipit certam perſonam, & poſteà decipitur, putans talem perſonam eſſe filium Regis, ſi non ſit: tunc talis error non redundat in perſonam, nec irritat matrimonium: quia intendit ſimpliciter contrahere cum perſonâ, quam cognoſcit, licèt ad hoc moueatur ex tali qualitate,

quam

*Ex his patet iudicium circà caſum allatũ.* N.Gabr. *num.* 45 & *alium ex* Caramuele à Franciſ. *nu.* 27.

quam falsò apprehendit. Vndè ſi antecedenter ad cognitionem qualitatis detur cognitio perſonæ, cum perſonâ vult contrahere, & qualitatem habet ut motiuum. Si autem antecedenter ad cognitionem perſonæ, & voluntatem contrahendi cum illâ apprehendit qualitatem perſonalem, & indiuiduam, & ex eâ mouetur ad contrahendum cum illâ, ſi verè non detur in eâ, quæ ſe offert, error qualitatis refunditur in perſonam, ut in exemplo appoſito. Videantur Diecaſtill. *dub.* 5. *num.* 60. & 70. Coninc. *num.* 12. Cornejo, *dub.* 7. *in fin.* Sanchez, *libr.* 7. *diſput.* 18. *numer.* 23. & 25. Bonacin. *numer.* 6. Trull. *dub.* 3. *numer.* 9. N. Anton. *num.* 341.

*Non requiritur determinata qualitas perſonæ determinatæ.*

17. Sed non approbamus, quod inquit Sanch. Diecaſtill. Coninc. *loc. citat.* quòd ſi qualitas dicta non ſit in indiuiduo determinatè propria alicuius perſonæ, non redundat in perſonam: & ſic ſi fœmina putaret ſe contrahere cum filio Regis, ſi dantur plures filij Regis, vel unius Regis, vel diuerſorum, non eſt qualitas unius perſonæ, cuius error redundet in perſonam, niſi velit contrahere cum primogenito, v. g. Regis Hiſpaniæ, quæ eſt qualitas determinatæ perſonæ. Et ideò ſi alius offeratur, qui non ſit filius Regis, validum inquiunt eſſe matrimonium. Hoc igitur non approbamus eſt enim expreſsè contrà D. Thom. loc. proximè adduct. ubi dicit: *Si autem directè intendit conſentire in filium Regis, quicumque ſit ille: tunc ſi alius præſentetur ei, quam filius Regis, eſt error perſonæ, & impeditur matrimonium.* Quarè meliùs dixit Auerſ. *quæſt.* 12. *ſect.* 1. *fol.* 500. quòd etiamſi qualitas ſit indiuidui vagi propria ex certo numero perſonarum, ut ſi cum filio Regis vult contrahere, etiamſi plures habeat filios, talis qualitas redundat in perſonam: & ſic ſi offeratur ei, qui non eſt filius Regis, irritum erit matrimonium: ſicut erit nullum in ſententiâ Sanch. ſi intenderet contrahere cum aliquo ex filijs Petri, & offeratur alius, qui non ſit filius Petri, quià iam perſonam ex illo numero determinar.

*Soluuntur argumenta contraria.*

18. Ad argumenta pro contrariâ ſententiâ adducta reſpondetur. Ad primum ex Ariſtotele fatendum eſt, circumſtantiam ignoratam reddere actum inuoluntarium, ſecundùm quod tendebat ad talem circumſtantiam, non ſecundùm ſubſtantiam ſuam; ſicut in eo, qui occidit patrem iudicans inimicum, eſt inuoluntarius actus in ratione parricidij, non ſecundùm ſubſtantiam homicidij: ad matrimonium ſufficit actus ſecundùm ſubſtantiam voluntarius. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, & concedendo illam de apprehenſione obiecti, ſecundùm quod omnibus modis deſeruit ad actum voluntarium, id eſt, tam apprehendendo illum ſecundùm ſubſtantiam, quam ſecundùm accidentia; non verò de apprehenſione obiecti ſecundùm ſubſtantiam, & ut deſeruit voluntario ſimpliciter, & ſecundùm ſubſtantiam. Ad matrimonium autem, ſicut id, quod pertinet ſubſtantialiter, ſunt perſonæ contrahentes: ità intellectus apprehendens in matrimonio ſubſtantialia, id cognoſcit, & voluntas id ſimpliciter vult, alia apprehendit, ut undequaque concurrentia, id eſt, ut omnibus modis voluntarium actum efficiant. ¶ Ad tertium reſpondetur, non omnem errorem dantem cauſam alijs contractibus eos irritos, aut irritandos facere, ſed illum, qui eſt circà ſubſtantiam illorum ut diximus *num.* 8. niſi in aliquibus, in quibus propter eorum particulares rationes diſpoſitione iuris id decernitur. In matrimonio autem nec à iure, nec à naturâ datur lex dirimens in caſu, de quo loquimur, ut probatum eſt, licèt detur in ſponſalibus: quandò datur error circà qualitatem: quia minùs requiritur ad diſſoluenda ea, quàm ad irritandum matrimonium, ut ſuo loco diximus. ¶ Ad quartum reſpondetur, non eſſe veram eleēmoſynam in re, quandò datur diuiti, qui fingitur pauper, licèt ex parte affectus dantis ſit actus talis virtutis, & hoc non ſolùm propter errorem qualitatis præcisè; ſed quia illa qualitas, videlicèt, quod ſit pauper reipsâ, qui recipit, pertinet ad ſubſtantiam eleēmoſynæ, cuius munus eſt ſubleuare alienam miſeriam veram, non fictitiam, aut ſimulatam: & ſic ex parte dantis erit meritum virtutis propter eius affectum, & ex parte recipientis obligatio reſtituendi acceptum propter eius dolum.

## PVNCTVM I.

### *Quo iure error conditionis, ſeu ſeruitutis dirimat matrimonium? Et quomodò?*

19. PLura circà matrimonium ſeruorum diximus *cap.* 6. *punct.* 2. *num.* 30. Nunc ea dumtaxat attingemus, quæ pertinent ad errorem conditionis, ſeu ſeruitutis, qui error eſt unum ex impedimentis matrimonij. Et dicitur, *conditio* error ſeruitutis nomine communi ſumpto pro hâc particulari conditione. Sed claritatis gratiâ notandum eſt ſeruos eſſe in duplici differentiâ. Quidam propriè dicuntur ſerui, qui, & *mancipia* dicuntur, & ſunt illi, in quos patronus plenam habet poteſtatem, ut eos vendere poſſit, quò voluerit tranſmittere, & in quibus ſibi placuerit operibus occupare, & de his procedit præſens difficultas. Alij dicuntur, *adſcriptitij*: eò quòd adſcripti ſunt glebæ, ſeu agro, quem tenentur colere in commodum domini ſui, & ea ſolùm deducere, quæ ad vitæ neceſſaria fuerint, quorum filij *Originarij* nuncupantur: qui exceptâ hâc obligatione, quæ in ipſis eſt perpetua, ſunt liberi, nec poſſunt vendi à domino, nec ipſum ſequuntur, ſed agrum ad quemcumque perueniat, de his non agimus; quia abſolutè ſunt liberi: & ideò error huiuſmodi ſeruitutis non dirimit matrimonium. Ità Coninc. *diſp.* 31. *dub.* 2. *num.* 21. Palaus, *diſp.* 4. *punct.* 5. §. 1. *numer.* 10. Sanch. *libr.* 7. *diſp.* 19. *numer.* 1. & 9. Gutierr. *cap.* 90. *num.* 10. Trull. *libr.* 7. *cap.* 9. *dub.* 4. *in princ. cap.* N. Gabr. *diſp.* 6. *num.* 46.

*Quot modis ſerui dicantur*

20. Supponimus, quod ſi liber, aut ingenuus ſciat fœminam, cum quâ contrahit, eſſe ancillam, vel fœmina libera ſciat virum eſſe ſeruum, matrimonium non vitiatur. Et ratio eſt: quia leges, quæ dirimunt matrimonium liberi cum ſeruâ, inſcio illo ſeruitutis dirimunt illud, & propter deceptionem, & iniuriam, quàm liber patitur, & propter præſumptionem inuoluntarij conſenſus, qui præſumitur adeſſe cum tali errore. At quandò liber ſcit ſeruitutem fœminæ, nullam deceptionem aut iniuriam patitur: quia ſcienti, & volenti nulla fit iniuria, nec adeſt conſenſus inuoluntarius,

*Si ſeruitus cognoſcatur à contrahente matrimonium non dirimitur.*

ſed

ſed potiùs voluntarius, quo vult cedere iuri ſuo, & cum illâ inæqualitate contrahere: ergò validum relinquitur matrimonium. Ità N. Cornejo *diſp.* 7. *dub.* 8. Auerſ. *quæſt.* 12. *ſect.* 2. Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 3. *num.* 7. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 6. *num.* 78. Palaus, *num.* 9. Sanch. *num.* 13. Trull. *num.* 6. Et habetur expreſsè *in cap.* 2. *de coniug. ſeruor. cap. Si quis liber.* 29. *quæſt.* 2. *& iure Regni, leg.* 1. *tit.* 1. *part.* 4. Vndè quamuis *in leg. cum ancillis*, C. *de Inceſtis nupt.* oppoſitum decernatur, dicendum eſt vel loqui illum textum de matrimonio liberi cum ancillâ ignoratâ ſeruitute, vel correctum fuiſſe per ius Canonicum, cui ſtandum eſt: quia ad ipſum pertinet leges circà matrimonia ſtatuere. Imò nec peccaret mortaliter in illo caſu, liber cum ancillâ contrahens quia non datur lex, quæ id prohibeat: incurreret autem irregularitatem. Argumento *cap. Si quis viduam, diſt.* 34. ubi contrahens cum viduâ, aut ancillâ, aut meretrice, aut infami irregularis efficitur: proindeque etiamſi ancilla ſit virgo, talis irregularitas incurritur quia aliquid addit textus, quandò nubenti cum viduâ vel ancillâ hanc irregularitatem imponit.

*Si ſit error ſeruitutis, datur impedimentum quandò errans ſit deterioris conditionis.*

21. Dicendum eſt itaque: quòd ſi contrahens cum errore ſeruitutis fiat deterioris conditionis, & in tali matrimonio detrimentum patiatur, & inæqualitatem, matrimonium eſt nullum, ut ſi ingenuus cum ancillâ contrahat inſcius ancillatus, vel cum ſeruo libera ignara ſeruitutis. Si verò contrahens per errorem ſit æqualis, vel melioris conditionis, talis error non vitiat matrimonium, ut ſi ſeruus iudicans ſe contrahere cum ancillâ, illa eſſet libera, vel ſi ſeruus cum ſeruâ contraheret eam liberam exiſtimans. Prima pars principalis huius concluſionis, nimirùm, quòd ſi liber cum ancillâ contrahat, aut libera cum ſeruo exiſtimans libertate potiri, irritum ſit matrimonium, habetur expreſsè *cap.* 2. 3. *& ult. de coniug. ſeruor. cap. Si quis ingenuus* 29. *quæſt.* 2. *& iure Regni, leg.* 11. *tit.* 2. *part.* 4. Tenetque D. Thom. *in* 4. *diſt.* 30. *quæſt. unic. art.* 1. *& in addit. quæſt.* 52. *art.* 1. Eſtque inter Doctores tàm Theologos, quàm Iuriſtas communis, quos ſuperfluum erit recenſere. Ratio D. Thom. eſt: quia expedit in contractu matrimonij æqualitatem ſeruare, niſi ipſi contrahentes cedant iuri ſuo: ſed in caſu noſtro non ſeruaretur æqualitas in matrimonio, ſed maxima inæqualitas: quia liber plenam poteſtatem ſui, tradat alteri; non ità ſeruus, vel ancilla, ſiquidem ratione ſeruitutis impeditur ſæpè, ne coniugi debitum petenti reddat: quia aſſiſtit in domo domini, eius obſequijs mancipatus: in terras longinquas poteſt mitti aut vendi, & ſic prolis educationi incumbere nequit, nec coniugis obſequijs inſeruire.

*Etiamſi error non det cauſam matrimonio, ſed ſit concomitans.*

22. Quod verùm eſt, etiamſi ignorantia, aut error non ſolùm fuerit antecedens, ſeu dans cauſam contractui, ſed etiam incidens, & concomitans: & ità eſſet affectus erga ancillam, ut etiamſi conſcius eſſet ſeruitutis, eam duceret, propter rationem datam hoc *cap. num.* 6. quia etiam tunc non adeſt actualis conſenſus liber, & voluntarius cedendi iuri ſuo niſi fortè actualiter haberet animum contrahendi cum eâ, etiamſi eſſet ancilla. Ità Candid. *diſqu.* 28. *art.* 3. *dub.* 2. Bonacin. *num.* 5. Trull. *dub.* 2. *num.* 4. Enriquez, *libr.* 11. *cap.* 10. *num.* 4. Sot. *in* 4. *diſt.* 35. *quæſt. unic. art.* 2. Cornejo, *diſp.* 7. *dub.* 8. qui citat D. Antonin. 3. *part. tit.* 11. *cap.* 3. Quomodò autem poſtquàm conſtiterit de ſeruitute, ſi velint contrahentes, poſſint reualidare matrimonium, diximus *cap.* 3. *punct.* 5. *à num.* 514. agentes de matrimonio inualido ratione alicuius impedimenti dirimentis, quomodò reualidetur? Et quæ conditiones ad hoc requirantur?

*Probatur ſecunda pars concluſionis.*

23. Secunda verò pars concluſionis, nimirùm quòd ſi ſeruus cum ancillâ iudicans eam liberam, vel cum liberâ iudicans eam ſeruam contrahat, validum eſt matrimonium, probatur: quia Eccleſia irritans talia matrimonia attendit ad inæqualitatem, & iniuriam, quam patitur liber contrahens cum ancillâ, abſque ceſſione voluntariâ ſui iuris, ut fit, quandò cum errore ſeruitutis contrahit liber matrimonium cum ancillâ, ſed hoc inconueniens ceſſat, quandò ipſe ſit melioris conditionis, ut quandò contrahit cum liberâ, quam iudicabat ancillam, & etiam quandò non fit deterioris conditionis, ut quandò ſeruus contrahit cum ancillâ, quam iudicabat liberam: quia tunc datur ſtatus æqualitas, nec maiorem obligationem ipſe ſubit, quam altera pars, & ſic illi non fit iniuria. Et quamuis, ſi error non eſſet, non contraheret, talis error eſt circà qualitatem, non circà ſubſtantiam: & ſic non irritat matrimonium: & proptereà iura ſuprà adducta ſolùm matrimonium liberi cum ancillâ cum errore ſeruitutis, nullum eſſe determinant. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 36. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 1. *& in addit. quæſt.* 51. *art.* 1. *ad* 1. Candid. *dub.* 1. Auerſ. *ſect.* 2. Bonacin. *num.* 1. Sanch. *num.* 23. Coninc. *num.* 24. Dicaſtill. *dub.* 8. *num.* 89. Trull. *num.* 5.

*Iure naturæ irritari talem errorem matrimonium eſt probabile.*

24. Sed rogabis primò. An non ſolùm iure Eccleſiaſtico ſit nullum matrimonium ancillæ cum libero inſcio ſeruitutis, ſed etiam iure naturæ? Proindeque non ſolùm inter fideles, ſed etiam inter infideles vitietur? ¶ Duplex eſt ſententia utraque ſatis probabilis. Prima affirmatiua, quam tenet Palac. *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. unic.* Sylueſt. *verb. Matrim.* 3. *quæſt.* 1. Et probabilem dicit Palaus *diſp.* 4. *punct.* 5. §. 1. *numer.* 2. & refert inclinare in illam Laym. *libr.* 5. *Sum. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. etiam probabilem iudicat Herinx, *diſp.* 6. *num.* 41. *&* Sanch. *num.* 15. & plures refert pro eâ, & Dicaſtill. *num.* 82. non ſolùm probabilem appellat, ſed parùm abeſſe dicit, ut eam amplectatur. Et probatur primò ex D. Thom. qui in 4. *diſt.* 36. *quæſt. unic. art.* 2. *corp.* & in addit. *quæſt.* 51. *art.* 2. *in corp.* dicit errorem perſonæ, & ſeruitutis eſſe eorum, quæ ſunt de ſubſtantiâ matrimonij, & quòd ſicut error perſonæ impedit illud: ſic error ſeruitutis: ſed error circà ſubſtantiam matrimonij irritat illud ex iure naturæ: & ideò errorem perſonæ irritare matrimonium diximus *dub.* 1. *huius capitis*: ergò ſimiliter error ſeruitutis. Et *ead. diſt. & quæſt. art.* 1. *& in addit. quæſt.* 51. *art.* 1. Comparat errorem ſeruitutis errori impotentiæ naturalis, & dicit, quod ſicut illa dirimit matrimonium: ſic iſte: ſed impotentia naturalis (ſaltem incognita) irritat matrimonium iure naturæ: ergò etiam error ſeruitutis. ¶ Secundò: quia talis error contrariatur bonis matrimonij: ergò independenter à iure poſitiuo illud vitiat. Probatur antecedens nam contrariatur ſociabili cohabitationi, cùm ſeruus in domo patroni aſſiſtere debeat, eum ſequi à quo poteſt tranſmitti, & vendi in regiones longinquas, & etiam bono prolis, cùm non poſſit eam alere: quia

omnia

omnia Domino acquirit, nec poteſt ſanctè educare, cùm non ſit in eius poteſtate: etiam bono fidei: quia non poteſt liberè reddere debitum, niſi cùm vacauerit, & expeditus ſit à domini obſequijs.

*Probabilius eſt non irritare iure naturæ.*

25. Nihilominùs dicendum eſt, iure naturæ non eſſe irritum tale matrimonium, quamvis ſit valdè conforme ipſi iuri naturę, quòd ab Eccleſiâ irritatum fuerit. Ita D.Thom. *loc.prox. cit.art.* 1. *ad* 3. Sanch. *num.* 16. Palaus, *num.* 3. Auerſ. *ſect.* 2 Coninch, *num.* 22. Candid. *art.* 6. *dub.*6. citans Sot. *art.*2. §. *Dubium autem eſt*, Perez, *diſp.* 23. *ſect.*1.*num.*2. Trull. *num.*2. Baſil.*lib.*7.*cap.*43. *num.*2. Dicaſt. *num.*82. Wiggers. *num.*5. Gonet. *diſp.*9. *num* 7. N.Gabr.*num.*49. Anton.Franciſc. & N.Cornejo *diſp.*7. *dub.*8. *fol.* 964. citans Rebell. *lib.* 3. *quæſt.*3. *n.*13. Et eſt communis. Ratio eſt: quia non irritatur tale matrimonium ratione deceptionis, vel iniuriæ: quia talis deceptio, aut iniuria non eſt circa ſubſtantialia matrimonij, ſed circa qualitatem accidentalem, ſeruatâ ſubſtantia rei: hæc enim in matrimonio conſiſtit in mutua traditione corporum quoad uſum coniugalem, quæ in præſenti datur; & licèt non ſit omninò plena ex parte ſerui, eſt tamen ſufficiens ad ſubſtantiam matrimonij, quæ ſolùm dicit obligationem reddendi debitum, vel quandò non eſt legitimè impeditus, vel per alium; qui ſpectato ſtatu cuiuslibet commodè haberi poteſt. Nec eſt irritum tale matrimonium: quia eſt bonis eius contrarium; aliàs etiam eſſet nullum, ſi conſcius eſſet ſeruitutis, vel coniugium inter ſeruum & ancillam celebratum, quod nemo dixit: quia etiam eodem modo imò maiori, eſt bonis matrimonij contrarium.

*Argumenta contrariæ ſententiæ ſoluuntur.*

26. Ad primum argumentum ex D. Thom. deſumptum dicimus. S.Doctorem in priori loco non ponere omnimodam paritatem inter errorem perſonæ, & ſeruitutis, ſed aliquam, quæ ſtat in hoc: quòd ſicut error perſonæ impedit voluntarium conſenſum circa perſonam: ſic error ſeruitutis circa ſeruitutem; ſed cum hoc diſcrimine: quòd error circa perſonam impedit voluntarium conſenſum circa ſubſtantiam matrimonij; error verò ſeruitutis circa qualitatem, qui error, quia etiam non nihil bonis matrimonij contrariſtur, quæ ſuo modo ad ſubſtantiam matrimonij ſpectant, etiam ſecundùm quid eſt contrà ſubſtantiam matrimonij, quod non ſufficit ad irritandum illud. ¶ In ſecundo autem loco etiam non ponit omnimodam paritatem inter impotentiam naturalem, & ſeruitutem, ſed aliquam: quia nimirùm ſicut impotentia impedit uſum matrimonij: ſic ſeruitus, ſed illa ſemper, & omninò; hæc aliquandò, & ſecundùm quid. ¶ Ad ſecundum dicimus ſolùm probare rectè ab Eccleſia, & conformiter ad ea, quæ rerum natura exigit, irritatum fuiſſe tale matrimonium, non tamen fore irritum iure naturæ; aliàs etiam eſſe coniugium ſerui cum ancillâ: ſed in utroque caſu validum eſt matrimonium: quia licet aliquomodo deroget talis conditio, aut error bonis matrimonij, non ſimpliciter, & abſolutè; quia quamuis difficulter, poſſunt obſeruari bona matrimonij, quoad ſubſtantiam.

*Errorem vincibilem non irritare matrimonium, aliqui aſſerunt.*

27. Secundò inquires. An ſi error ſit vincibilis, & craſſiſſimus ſeruitutis, irritum reddat matrimonium iure Eccleſiaſtico. Negatiuè reſpondent Sot. *quæſt.*1. *art* 2. Barth.de Ledeſ.*de Matr.dub.*35. *concluſ.*1. Rodrig. *in Sum.* 2.*edit.cap.*213. *n.*3 Villalob. 1.*part.tract.*14.*diff.*6.*n.*4. & probabile dicit Trull.*infr.citand.* & Sanch *n.*20. qui citat Vegam, Ludouic. Lopez, & alios pro hâc parte. Et probatur: quia Eccleſia irritat talia matrimonia propter deceptionem, & iniuriam liberi contrahentis; hæc non datur, cum ſit error valdè craſſus, & adeo vincibilis: & ſic ſua culpa vult decipi, & iniuriam pati. ¶ Confirmatur: quia talis ignorantia, æquiparatur ſcientiæ, vel ſaltem leui timori, cum quibus matrimonium non irritatur.

*Verior eſt irritare illud, etiamſi craſſiſſimus ſit error.*

28. Sed conformiter ad ea, quæ diximus hoc *cap.num.*5. dicendum eſt irritare talem errorem matrimonium propter rationem ibi dictam. Nam qualiſcumque ignorantia tollit voluntarium, vel ſaltem facit actum non voluntarium, & conſequenter tollit conſenſum directum, & formalem, & actualem animum cedendi iuri ſuo: matrimonium autem, cum ſit onus grauiſſimum, petit ex liberâ, & actuali voluntate procedere, & ex animo cedendi rei, adeo difficili: & ſic relinquitus inualidum. ¶ Sed dices, Quæ procedunt ex ignorantiâ craſſâ, & vincibili, procedunt ex voluntario interpretatiuo, & indirecto: & ſic non excuſant à culpâ, quæ petit ſaltem interpretatiuum voluntarium: hoc in præſenti datur, quia cum poſſit abjicere errorem, & non faciat, rectè interpretamur illum velle actualiter cum illâ conditione contrahere: ſed ad valorem matrimonij ſufficit, ſi adſit voluntarium interpretatiuum: ergo, &c. ¶ Reſpondetur in præſenti non adeſſe voluntarium interpretatiuum: quia, ut inquit D.Thom. 1.2.*quæſt.*6.*art.*3. ad voluntarium interpretatiuum requiritur, quod poſſit; teneatur, & non faciat; in præſenti autem, quamuis poſſit abjicere errorem, & non faciat, ad id non tenetur: quia non eſt lex præcipiens, matrimonium debere contrahi cum liberâ. Vndè hanc ſententiam tenent Sanch. *num.*20. Coninch, *dub.*2. *num.*26. Auerſ. §. *Quintò*, Dicaſt. *dub* 7. *n.*84. N.Cornejo *diſp.*7.*dub.* 8. Trull.*n.*3. N.Anton. *num.*346.

*Etiam ignorantia affectata ſeruitutis irritat matrimonium.*

29. Sed quid, ſi ignorantia eſſet affectata, ut ſi liber affectaret ſtatum ancillæ ignorare, ut frueretur illa, & poſteà à matrimonio reſiliret, eſſetne tale matrimonium validum? ¶ Affirmat Baſilius: quia talis ignorantia habetur pro ſcientiâ. Fatemur ita eſſe: ideo ex hac parte non vitiaretur matrimonium; ex alia tamen eſſet inualidum, quia nimirùm non haberet animum contrahendi in perpetuum, ſed ad tempus, & poſt illud reſiliendi, & conſenſus in matrimonium ad tempus illud irritum facit. Ità Auerſ. *loc. cit.*

*Argumentum contrariæ ſententiæ diſſoluitur.*

30. Ad contrarium argumentum dicimus: quod cum hic non agatur de euitandâ culpâ, ſed de conſenſu apponendo poſitiuo, vel voluntario ad matrimonium, & illa ignorantia ſufficiat, ut non detur de facto talis conſenſus, quamuis ſua cauſa non prouenit ex actu voluntario cedendi iuri ſuo, quo talem iniuriam aut deceptionem amplectatur: iura autem quamuis ob deceptionem, & iniuriam liberi tale matrimonium irritent, petunt habere illum huiuſmodi actum voluntarium: undè talis error non æquiparatus ſcientiæ quantum ad præſentem effectum, & minùs timori leui: hic enim quamuis ſe-

cundùm quid diminuat voluntarium, non ſimpliciter tollit: ille verò ſimpliciter tollit voluntarium actuale, per quod patet ad confirmationem.

*Poteſt uterque à matrimonio reſilire.*

31. Tertio rogabis. An quando liber cum ancillâ contrahit ignorando eius ſeruitutem: ità ſit nullum matrimonium, ut poſſit utraque pars propria auctoritate reſilire? ¶ Repondetur: quòd quantùm attinet ad eum, qui iniuriam paſſus eſt, liberè poteſt propria auctoritate recedere, niſi ex hoc ſequatur ſcandalum: & quia quandò matrimonium eſt publicum, tale ſcandalum ſequitur, debet iudicio Eccleſiæ id facere. Sanch. *num.*7. Baſil. *lib.*7.*cap.*43. *in fine*, Palaus *num.*6. Cornejo *dub.*8. Similiter eſt certum, poſſe ſeruum, qui decepit, validè recedere ab illo matrimonio, & cum alia contrahere: quia cum ſit mutuus contractus perfectus, hoc ipſo, quòd claudicet ex una parte, claudicat ex aliâ. An verò licitè id poſſit? Vel teneatur ſtare matrimonio illud reualidando, ſi pars decepta voluerit? Dubium eſt inter Doctores, ad quod dicimus, quòd ſi bona fide contraxit non decipiendo alium, non tenetur ſtare matrimonio, aut illud de nouo contrahere, niſi graue damnum aliundè irreparabile parti fuerit ſecutum. Si autem malitiosè alium decepit, occultando artificiosè ſeruitutem, tenetur ad tale matrimonium, non ratione contractus, qui fuit nullus, ſed ratione iniuriæ alteri irrogatæ. Ita Sot. *in* 4. *diſt.* 35. *quæſt. unic. art.* 2. Cornejo *loc. cit.*

*Ad quem pertineat probare, quòd cum errore ſeruitutis fuit contractum matrimonium?*

32. Vltimò inquires. Cui incumbat onus probandi errorem conditionis, quandò agitur in iudicio de diſſoluendo matrimonio tali errore celebrato? ¶ Enriq. *lib.* 11. *cap.* 10. *num.* 5. contendit, tale onus libero incumbere. Tum ex textu *in cap. fin. de coniug. ſeruor.* ibi: *Mandamus, quatenus ſi conſliterit, quod miles ignoranter contraxerit cum ancillâ, &c.* Ergò hæc tueri debet in poſſeſſione matrimonij, quouſque per probationem alteriùs conſtet de ignorantia. Tum etiam: quia qui allegat ignorantiam pro fundamento intentionis, debet probare illam, ut pluribus confirmat Maſcardus *de probation. volum.* 2. ¶ Cæterum, niſi ancilla ſit communiter nota ut talis (quia tunc liberum habere ſcientiam præſumitur: eo quòd de communiter notis aliquem habere ſcientiam præſumatur. Argumento *ex cap.* 1. *de poſtulat. prælat. cap. Quod dictu, diſt.* 26.) ipſi ancillæ incumbit probare liberum cum ſcientia contraxiſſe: quia cum tale matrimonium irritum ſit iure, ob inæquabilitatem contrahentium, qui allegat iſtam, habet ſuam intentionem de nullitate matrimonij in ipsâ lege fundatam, à quà non eſt æquum remoueri, niſi probetur. Ità Palaus, *num.*6. Sanch. *num* 8. Gutierr. *cap.*90. *num.* 14. ¶ Nec ea, quæ affert Enriq. conuincunt: nam in illo textu ſolum dicitur, quòd conſtet de ignorantia, de qua conſtare præſumitur, quoties ſcientia non probatur. Ad ſecundam probationem fatemur, quod quandò à iure non præſumitur ignorantia, alleganti illam incumbit probare eam, secùs tamen quando præſumitur, ut in præſenti, ob magnam contrahentium inæqualitatem.

## PVNCTVM II.

*An quando per matrimonium ſeruus conſequitur libertatem, validum ſit, ſi contrahatur cum ignorantiâ talis ſeruitutis?*

33. SVpponimus in aliquibus caſibus à iure diſpoſitum eſſe, ut per matrimonium ſeruus libertatem nanciſcatur. Primus, ſi dominus dotale inſtrumentum conferat ancillæ contrahenti, etiamſi cum ſciente eſſe ancillam, contrahat, *leg. Vnica*, C. *de Latin. libert.* ubi licet non fiat mentio ſcientiæ, ſubintelligitur, ut aliquid nouum in hac lege decernatur præter id, quod in *Authentic. ad hac* infrà adducenda decernitur de ancillâ, quæ ſciente domino, & tacente contrahit cum libero ignorante ſeruitutis, quomodo etiam conſequitur libertatem, ut ſtatim dicemus. Ità Palaus, *diſp* 4. *punct.* 5. §. 3. *num.* 3. Coninch, *diſp.* 31 *dub.* 2. *num.* 24. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 9. *num.* 100. Gutierr. *cap.* 91. *num.* 10. Sanch. *libr.* 7. *diſp.* 20. *num.* 9. Et licet hic neget extendi talem legem ad ſeruum, qui dotale inſtrumentum recipit à domino, eo quòd in dictâ lege ſolius ancillæ mentio fiat, & ſi vellet extendere ad ſeruum hoc exprimeret: ſicut fecit in dicta Authenticâ. Verius tamen dicendum eſt cum Palao, & Gutier. extendi: quia eadem ratio currit. Ideò enim per dotis conſtitutionem à Domino ancilla conſequitur libertatem: quia conſtitutio dotis eſt propria perſonæ liberæ, & hoc ipſo, quod dominus eam aſſignet, concedere libertatem cenſetur, quæ ratio etiam currit, quandò tertio tale inſtrumentum dotale communicatur. Cæterum quia frequentius fœminis dotale inſtrumentum conceditur, de ancillis fecit textus mentionem.

*Ancilla, quæ dotem à domino accipit conſequitur libertatem.*

34. Secundus caſus eſt, quandò patronus recipit in coniugem ancillam: vel domina ſeruum, *leg.* 1. *tit.* 3. *part.* 4. & *leg.* 5. *tit.* 22. *ead. part.* & quamuis Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 20. *num.* 11. Gutierr. *cap.* 91. *num.* 13. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 10. *n.* 4. Ochagau. *tract.* 3. *quæſt.* 49. Couarruu. *in* 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 3. §. 7. *n.* 1. dicant ſolo iure Caſtellæ id haberi, non verò iure communi, aut iure naturæ: & ideò extra Regna Caſtellæ non conſequi libertatem ancillam cum domino nubentem: quia *Geneſ.* 16. & *ad Galat.* 4. Agar dicitur ancilla, etiam poſtquàm cum Abraham contraxit coniugium. Et Ariſtot. 1. *politic. cap.* 1. refert apud plures nationes uxores ut ancillas haberi.

*Serua cum patrono contrahens libertatem adipiſcitur.*

35. Tamen Baſil. *libr.* 7. *cap* 44. *num.* 3. Palaus, *num.* 1. referens Vaſqu. 3. *part. diſp.* 81. *cap.* 8. *num.* 41. Hurtad. *diſp.* 14. *diff.* 4. Trull. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 5. *num.* 2. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 13 *num.* 122. N. Gabr. *diſp.* 6. *num.* 56. Anton. *num.* 352. dicunt iure naturæ id haberi (quidquid ſit de iure communi poſitiuo,) & meritò. Tum: quia ipſa lex *Caſtellæ* 1. ità innuit: *Ca tan granfuerça, ha el matrimonio, que luego, que es fecho, es la madre por ende libre, y los hijos legitimos.* Vbi ad vim ipſius matrimonij, & naturam eius hoc reducit. Tum etiam: quia ſtatus matrimonij pugnat cum ſtatu ſeruitutis: eo quòd dominus ancillam ad uxorem aſſumens, ſociam ſui efficit, illi ſuam dignitatem impertitur,

*Hoc iure naturæ habetur.*

titur, & bonorum communicatiooem, fiuntque æquales, imò idem, & una caro, quæ omnia aduerſantur ſeruituti. ¶ Vndè ſi Agar ancilla dicitur, vel eſt quia fuit talis antè matrimonium: vel quia non fuit ad gubernationem aſſumpta, ſed quia in miniſterio domus ſemper permanſit. Et eodem modo explicandus eſt Ariſtoteles, niſi velis dicere, illas nationes fuiſſe Barbaras, & ut tales contrà ius naturale egiſſe.

*Si dominus tradat ancillam libero inſcio ſeruitutis, illa libertatem conſequitur.*

36. Tertius caſus eſt, quandò dominus ſeruum, vel ancillam matrimonio tradit libero ignoranti talem ſeruitutem: vel ſi non tradat ipſe, ſcit tamen, & diſſimulat, & non vult veritatem detegere. *Authent. ad hæc*, C. *de Latin. libert. Authent. de nupt. collat.4. § Si verò decretum.* Et Iure Regni, *leg.5. tit.22. part.5. adiuncta, leg.5. tit.5. ead. part. & leg.1. tit.5. part.5.* Siue hoc fiat in pœnam delicti: quia cooperatur iniuriæ decepti: ſiuè quia hoc ipſo, quòd dominus conſentit in matrimonium ſerui, conſentire videtur in id, quod eſt neceſſarium ad tale matrimonium, nimirum, libertatem, ſine qua in caſu erroris nullum relinquitur. Palaus *ſupr. numer.2.* Auerſ. *quæſt.12. ſect.2.* Baſil. *lib.7. cap.44. num.5.* Sanch. *lib.7. diſp.20. num.4.* Coninch, *diſp.31. dub.2. num.25.* Trull. *dub.5. num.1.* Quæritur ergò. An in his caſibus, in quibus ſeruus ob matrimonium conſequitur libertatem, validum ſit tale matrimonium cum ignaro ſeruitutis? Et eſt ſpecialis difficultas in hoc ultimo caſu, & ideò de illo agemus, in quo eſt duplex ſententia.

*Non valere matrimonium in dictis caſibus cum errore ſeruitutis, aliqui dicunt.*

37. Primâ eſt negatiua, quam tenet Palao *num.4.* Et refert Couarruu. *4. Decretal.2. part. cap.3. §.7. num.1* Gutier. *cap.91. num.16.* Et probabilem dicunt Dicaſt. & Cornejo *infrà citandi.* Et probant primo ex illa lege Regni *1. tit.5. part.4.* ibi: *E magner, que dize de ſuſo, que el hierno ſe torna libre, porque vē, ò ſabe ſu ſeñor, que ſe caſa, ò lo encubre, con todo eſto no vale el caſamiento: porque ella no lo ſabia, que era ſieruo, quando casò con el, fueras endè, ſi deſpues lo conſintieſſe por palabra, ò por fecho.* Secundò: quia ius dirimit matrimonium ſerui cum liberâ ignara ſeruitutis: ſed in præſenti contrahitur matrimonium ſerui cum liberâ eius conditionis ignarâ, & tunc eſt verè ſeruus, quandò contrahitur matrimonium, ſiquidem ſolum, illo ſecuto, libertatem conſequitur.

*Probabilius eſt, tale matrimonium eſſe validum.*

38. Secunda nihilominus, & verior ſententia dicit, valere matrimonium in tali caſo. Ità Sanch. *num.14.* Cornejo *diſp.7. dub.8.* Auerſ. *ſect.2. fol. 502.* Coninch, *num.24.* Bonacin. *quæſt.3. punct. 3. num.3.* Dicaſt. *dub.10. num.103.* Trull. *dub.5. num.3.* Gabr. A.S.V. *num.55.* Anton. *num.350.* Et probatur primò ex *Authentic. de Nuptijs, § Si verò, verſ. Hæc autem decernimus.* Et clarius eadem. *Authentic. § Nam ſi tradiderit.* ibi: *Non erit iuſtum tale non conſtare matrimonium.* Ex quo ſic arguimus. Iure Ciuili eſt validum tale matrimonium: ſed in hoc ius Canonicum non reſiſtit iuri Ciuili, cum non detur textus expreſſus in contrarium: ergò, &c. Deinde: quia iura Canonica solùm irritant matrimonium ſerui cum liberâ ignarâ ſeruituris, hic non eſt matrimonium ſerui, cum per illud fiat liber, & quamuis perſeueret ſeruitus ignorata, quandò matrimonium fit, eſt nullius conſiderationis, ut illud diſſoluere valeat: quia ita eſt, ac ſi non eſſet, cum immediatè proximè deſitura ſit. Ac denique omnia inconuenientia, ob quæ iura dirimunt matrimonium ſeruorum cum liberis ignaris ſeruitutis, hic protſus ceſſant, cum ſtatim conſecututus ſit libertatem.

*Soluuntur argumenta oppoſita.*

39. Ad primum contrariæ ſententiæ dicimus, ſolum probare conditores illius legis fuiſſe iſtius opinionis, ſed talis lex ad diſſoluendū matrimonium non ſufficit, cum non ad ius ciuile, ſed ad Canonicum ſpectet leges ferre matrimonium ex ſe validum annullantes. ¶ Ad ſecundum patet ex dictis *num. præced.* Addimus, quòd adhuc metaphyſicè non eſt verum dicere ſeruitutem durare, quandò matrimonium contrahitur: quia cum matrimonium ſe habeat ut forma incompoſſibilis cum ſeruitute, priùs eſt ſeruitutem non eſſe, quam matrimonium exiſtere. Et ideò in illo inſtanti, in quo eſt verum dicere, *nunc eſt matrimonium*, eſt verum dicere, *nunc non eſt ſeruitus*: ideoque iſta illius valorem impedire non valet: ſicut in inſtanti, in quo eſt verum dicere, *nunc eſt forma ignis in ligno*, eſt verum dicere, *nunc non eſt forma ligni*; aliàs ſimul utraque forma ſubſtantialis eſſet in eadem materiâ, quod eſt contrà Philoſophiam. Et in inſtanti, in quo eſt verum dicere, *nunc eſt ſub Hoſtiâ Conſecratâ Corpus Chriſti*; eſt verum dicere, *nunc non eſt ſubſtantia panis*; aliàs ſimul panis ſubſtantia, & Corpus Chriſti eſſent ſub eadem Hoſtiâ, quod eſt contrà Theologiam.

*Tribus modis dicitur liberta, quæ ancilla fuerat.*

40. Sed inquires. An ſicut matrimonium cum ancillâ, à libero ignaro talis conditionis contractum, eſt nullum iure Eccleſiaſtico: ita etiam contractum cum liberta, à libero neſciente talem conditionem, erit irritum? *Liberta* dicitur, quæ cum ancilla eſſet, eſt libertatem conſecuta: quod tripliciter poteſt fieri. Primò: ſi abſolutè, & ſimpliciter iam à domino ſit conſecuta libertatem in perpetuum. Secundò: ſi à domino promiſſionem habeat, quod poſt breue tempus ei libertatem conceſſurus eſt, licet nondum conceſſerit. Tertiò: ſi libertatem à domino acceperit ad tale tempus, nempè ad biennium, poſtmodum reuerſura ad ſeruitutem. Dicimus ergo: quod liberta priori modo libertatem conſecuta validè contrahit cum ingenuo illius conditionis ignaro, quod omnes docent: quia tale matrimonium iure Eccleſiaſtico non eſt irritum, cum iura ſolum loquantur de matrimonio liberi cum ancillâ, & illa iam non ſit ancilla, ſed libera: nec etiam iure naturæ, quia non eſt error circà perſonam, ſed circà conditionem, ſeu qualitatem illius.

*Matrimonium cum ſerua, quæ citò adeptura eſt libertatem eſt inualidum.*

41. In ſecundo autem modo aliqui dicunt valere matrimonium. Tum: quia quod parùm diſtat ab actu, nihil diſtare videtur. Tum etiam quia in tali caſu ceſſant inconuenientia; ratione quorū ius Canonicum irritat tale matrimonium: quia poſt breue tempus (nimirum per ſex menſes plus, minuſue) poteſt viuere cum coniuge, debitum, quandò voluerit, ſoluere, educationi prolis incumbere. Atque ita tenet Sanch. *num. 4.* Nec diſplicet Coninch, *num.26.* Tenet etiam Syluest. *Matr. 8. q.2. concl.3.* Dicaſt. *diſp.7. dub. 10. n.115.* ¶ Veriùs tamen dicendum eſt cum Baſil. *lib.7. cap.43. n.1.* Auerſ. *ſect.2. § Tertiò* Cornej. *diſp.7. dub.8.* Palao, *§.1. n.4.* non valere tale matrimonium: quia talis verè eſt ſeruus. Sed iura irritant matrimonia contracta per ignorantiam cum ſeruo; ergo, &c. Tum etiam: quia iura non ſo-

ſolùm irritant tale matrimonium propter illa inconuenientia; ſed propter deceptionem, & iniuriam, quam liber patitur, & propter inuoluntarium vel ſaltem non voluntarium actum, quem præſumunt habere, quæ rationes etiam in noſtro caſu currunt.

*Si libertas ſit ad tempus, quomodo cum ancillâ poteſt ſtare matrimonium?*

42. In tertio autem caſu etiam eſt inter Auctores diſſidium. Nam Sot. *in 4. diſt. 35. q. unic. art. 2.* Cornej. *diſp. 7. dub. 8.* dicunt eſſe nullum: quia ſolùm ad tempus in libertâ reuerà manent conditiones ſeruiles, cum tranſacto illo, debeat in ſeruitutem redigi: & ideò omnia inconuenientia, & rationes; quibus ducitur ius Canonicum ad irritandum matrimonium liberi cum ancillâ, hic concurrunt. ¶ Sanch. *verò num 3.* Gutierr. *cap. 9. num. 3.* Palaus, *ſup. num. 5.* dicunt valere. & præcipuè mouentur: quia libertas pro quocumque tempore conceſſa eſt perpetua, *leg. libertas 31. aliàs 32. & leg. ideò ſtatim, ff. de manumiſ. teſtam.* ergò ſicut libertatis perpetuæ ignoratio non officit matrimonio, nec etiam talis conditionis. ¶ Nos verò dicimus cum Auerſ. *quæſt. 5 a. ſect. 2.* quod ex ſuppoſitione quod ſit libertas ſolùm ad tempus, & cognita non ſit conditio impendentis ſeruitutis, vera eſt ſententia Soti, ut probant eius rationes. Si verò hoc ipſo, quòd ſit ad tempus, debeat eſſe perpetua, ut videntur indicare textus allati pro ſecunda ſententia, illi adhæremus.

## CAPVT XI.

### *De impedimentis tam dirimentibus, quàm impedientibus in communi.*

DVo ſunt genera impedimentorum, quæ matrimonium prohibent contrahendum: alia ſunt dirimentia, quæ non ſolum illicitum reddunt matrimonium, ſed etiam nullum; & ideò ſunt contrà illius ſubſtantiam: alia, quæ ſolùm id illicitum reddunt, non tamen irritant: quia non ſunt contrà ſubſtantiam matrimonij, ſed contrà illius debitam ſolemnitatem. Priora dicuntur dirimentia, poſteriora impedientia. Sed quia communiter omnibus eſt ſpecialis difficultas circà eum, qui habet poteſtatem apponendi talia impedimenta, ſiue dirimentia, ſiue impedientia, & ea abrogandi: ideò antequam de ſingulis in particulari agamus, hoc capite de illis in communi diſputabimus.

### Caput hoc continet duplex dubium, & ſimiliter duplex punctum.

*Dub. I. An detur in Eccleſia poteſtas ad aſſignanda impedimenta dirimentia matrimonium? num. 1.*

*Dub. II. Vtrùm Principes Chriſtiani habeant poteſtatem inſtituendi impedimenta dirimentia matrimonium? num. 11.*

*Punct. I. Quomodò poſſit conſuetudo noua impedimenta dirimentia matrimonium introducere? num. 19.*

*Punct. II. An conſuetudo legitimè introducta poſſit abrogare impedimenta dirimentia iure Eccleſiaſtico ſtabilita? num. 30.*

## DVBIVM I.

### *An detur in Eccleſia poteſtas ad aſſignanda impedimenta dirimentia matrimonium?*

*Qui poſſunt impedimenta dirimentia inſtituere?*

1. SVpponimus (quod etiam hæretici fatentur) dari in Eccleſia poteſtatem aſſignandi impedimenta impedientia matrimonium pro tempore, loco, & alijs circumſtantijs, ſecundùm quod ſibi ad bonum, & quietem Reipublicæ Chriſtianæ expediens videbitur: & hoc non ſolum Summus Pontifex, aut Concilium Generale poteſt, ſed etiam Epiſcopus, & Concilia Prouincialia, imò etiam Principes ſæculares, qui regimen habent ad pacem Reipublicæ tuendam, qui omnes poſſunt præcipere quod hoc tempore, his conditionibus matrimonia celebrentur, & non aliter: & tunc erunt illicita matrimonia contrà tale iuſtum præceptum celebrata, quod eſt impedimentum impediens apponere: quia hoc ſolùm illicitum, non inualidum reddit matrimonium.

*Debet Pontifex iuſtam cauſam habere, ut impedimentum conſtituat.*

2. Supponimus etiam: quòd ut Pontifex poſſit aliqua impedimenta pro matrimonio aſſignare, debet habere iuſtam cauſam, & urgentiorem ad aſſignanda impedimenta dirimentia, quàm impedientia, quia plùs requiritur, ut inualidum, quam ut illicitum reddatur matrimonium. Si autem abſque iuſtâ causâ impedimenta pro matrimonio aſſignaret; & ipſe grauiter peccaret, quia abuteretur poteſtate ſibi conceſſa ad ædificationem, non ad deſtructionem, & nullam vim ſuum decretum haberet: & ideò & validè, & licitè unuſquiſque contraheret etiam contrà talem legem operando: quia prohibitio Pontificia in his, quæ ſunt de iure naturæ, & diuino conceſſa, nulla eſt, ſi ſine cauſa fiat; ut diſpenſatio in his, quæ ſunt de iure naturæ, & diuino, ut in voto, & iuramento, eſt nulla, ſi fiat ſine iuſtâ causâ, ut ſuo loco dicemus: ſed matrimonium eſt à Deo, & à natura conceſſum; ergò ſi abſque iuſtâ causâ prohibeatur, nullam vim talis lex prohibens, aut irritans haberet. Ità Cornej. *diſp. 7. dub. 2.* Sanchez *libr. 7. diſp. 1. num. 6.* Becan. *cap. 49. quæſt. 1 num. 4.* Trull. *libr. 7. cap. 9. dub. 1. n. 2.* Coninch. *diſp. 30. dub. 1 num. 1.* N. Gabr. *diſp. 6. n. 6.* Anton. *diſp. 7.* Suppoſita ergò iuſtâ causâ, quæritur. An poſſit Eccleſia impedimenta dirimentia pro matrimonio aſſignare.

*Argumenta, quæ probant non poſſe Eccleſiam impedimenta dirimentia aſſignare.*

3. Negant hæretici noſtri temporis. Primò: quia matrimonium eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum; ſed Eccleſia non poteſt immutare materiam, & formam Sacramentorum; ergò nec facere, quod ſit nullum Sacramentum cum materiâ, & formâ ſibi debitâ celebratum. ¶ Secundò: quia nulla datur poteſtas creata ſeparandi, quod Deus coniunxit: ergò non poteſt Eccleſia aſſignare impedimenta dirimentia præter ea, quæ Deus iure naturæ inſtituit. ¶ Tertiò: id, quod eſt authoritate Superioris conceſſum, & firmatum, non poteſt reſcindi ab inferiori poteſtate: ſed vinculum matrimonij conceſſum, & firmatum eſt authoritate diuina: ergò illas inter perſonas, inter quas non eſt impedimentum iure diuino, Eccleſia non poteſt

teſt conſtituere impedimentum ſaltem dirimens matrimonium.

*Oppoſitum aſt in Eccleſia definitum.*

4. Sed contra eſt, quod in *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *Canon.* 4. dicitur: *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe inſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in his conſtituendis erraſſe, anathema ſit.* Idem in Concil. Seſſionenſi ſub Clement. VII. *tom.* 5. *Concil. capit.* 17. Et ex uſu perpetuo Eccleſiæ pro diuerſis temporibus diuerſa impedimenta dirimentia aſſignantis liquido apparet, & probauimus *cap.* 8. *punct.* 1. *à n.* 6. ubi de impedimento clandeſtinitatis locuti ſumus.

*In Eccleſia eſt poteſtas inſtituendi impedimenta dirimentia.*

5. Reſpondeo igitur dicendum in Eccleſia poteſtatem eſſe, iuſtâ interueniente cauſâ, diuerſa impedimenta dirimentia matrimonium aſſignandi. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 34. *art.* 1. *ad* 4. *& in addit. quæſt.* 50. *artic. unic. ad* 4. *&* 4. *contra Gent. capit.* 78. quem omnes Doctores tam Theologi, quàm Iuriſtæ (ſaltem qui poſt Tridentinum ſcripſere) ſequuntur. Et ratio eſt: quia in Eccleſia eſt poteſtas ad regendum populum Chriſtianum, ſecundùm quod conuenit illius bono communi ſpirituali, tranquillitati, & paci ad bonum animæ ordinatæ: ſed ad tale bonum multoties expedit talia impedimenta inſtituere: ergò, &c. Probatur minor: quia matrimonium ita eſt Sacramentum, ut ſimul ſit contractus humanus: ſed contractus humanus pro diuerſitate temporis plures, & diuerſas ſanctiones exigit, ut hoc modo, & non illo fiat, ut ſic pax, & bonum Reipublicæ ſpirituale conſeruetur. Et conſtat in matrimonio clandeſtino, quod ſufficiebat prohiberi ab Eccleſia prioribus temporibus, in quibus timor Dei magis homines deterrebat; ſed hoc frigeſcente temporum decurſu, conueniens fuit ad euitanda plura ſcandala, & peccata, ut non ſolum prohiberetur ſed ut penitùs irritaretur.

*Soluuntur contraria argumenta.*

6. Ad primum argumentum contrarium conſtat ex dictis *cap.* 8. *num.* 10. Ad ſecundum reſpondetur ex D. Thom. *quæſt.* 50. *art. unic. cit. ad* 7. quod illi, qui ritè, & legitimè coniuncti ſunt, à Deo coniuncti ſunt; & hos Eccleſia non ſeparat; qui verò contrà eius prohibitionem illegitimè coniunguntur, & ab Eccleſia ſeparantur: quia à ſe ipſis, & non à Deo coniuncti ſunt. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod plura conceduntur à ſuperiori poteſtate dependenter ab inferiori, quoad regulationem, & modum: ſic eſt matrimonium à Deo conceſſum, ſed dependenter ab Eccleſia, quantum ad regulationem, & aſſignationem modi, & circumſtantiæ, quibus conuenienter fiat.

*De facto ſolus Pontifex poteſt talia impedimenta ſtatuere.*

7. Sed inquires primò. Penes quos ſit talis poteſtas in Eccleſiâ? ¶ Reſpondetur, quòd de facto ſolùm penes Summum Pontificem, & Concilium Generale; non verò penes Epiſcopos, aut Concilia Prouincialia. Siue hoc fiat; quia Epiſcopi ex ſibi conceſſa poteſtate id non poſſunt, ut ſtatim dicemus: ſiue quia licet talem facultatem habeant ex iure ordinario, uſus tamen illius poteſtatis ex longæua, & univerſali Eccleſiæ conſuetudine, eſt omninò ab eis ablatus, & primæ reſeruatus ſedi. Et meritò: quia impedimenta dirimentia ſtatuere res eſt grauiſſima; ac proinde debet ad ſupremam poteſtatem pertinere, in quo omnes Doctores conueniunt; ſed diuiſi ſunt circà illam quæſtionem. An præciſa hac Eccleſiæ reſeruatione poſſent Epiſcopi ex vi ſuæ poteſtatis ordinariæ impedimenta dirimentia pro ſua Diœceſi inſtituere? In quo eſt duplex ſententia utraque ſatis probabilis.

*Sententia, quæ aſſerit poſſe Epiſcopos ex vi ſuæ poteſtatis ordinariæ.*

8. Prima aſſerit poſſe. Primò: quia Epiſcopus plenè, & perfectè Paſtor eſt in ſua Diœceſi tametſi Summo Paſtori ſubordinatus: ergò niſi aliud ab iſto decernatur, poterit leges, & ſtatuta condere pro ſuis ouibus, quæ illis magis expedire iudicauerit, proindeque impedimenta dirimentia inſtituere. ¶ Secundò: quia quod poteſt Pontifex in Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, niſi ad ſtatum Eccleſiæ communem ſpectet, ut eſt res fidei determinare, & niſi à Summo Pontifice ſua poteſtas coarctetur, ut latè probat Sot. *in* 4. *diſtinction.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 4. *verſ. Quòd tandem.* Et melius *lib.* 10. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 2. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *verſ. Si quis autem quærat:* Sed Pontifex poteſt pro tota Eccleſia impedimenta dirimentia inſtituere: ergò Epiſcopus pro ſua Diœceſi. Ita tenent Sanch. *num.* 9. Auerſ. *quæſt.* 9. *ſect.* 3. Cornejo *dub.* 3. Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 1. *num.* 4. Trull. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 4. Becan. *num.* 7. Baſil. *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 12. N. Gabr. *n.* 5.

*Vera ſententia dicit, non poſſe.*

9. Secunda ſententia eſt negatiua, quam veriorem iudicamus, & eam tenent Dian. 8. *part. tract.* 1. *reſol.* 76. Coninch, *num.* 8. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 7. *ſect.* 4. *num.* 5. Perez, *diſp.* 21. *ſect.* 4. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 1. *num.* 28. Et licet id probent aliqui ex his Auctoribus, ex eo, quod Epiſcopus iure ordinario nullam à Deo habeat iuriſdictionem, niſi eam, quam Summus Paſtor ei conceſſerit, ab hoc abſtrahimus: & dicimus; quòd licet iuriſdictionem aliquam ex vi ſuæ ordinationis à Deo receperit, non tamen ad id, quod eſt maximè arduum, & difficile in Republicâ Chriſtianâ: quia hoc ad Principem ſupremum ſpectat: ſicut in qualibet Republica benè ordinata, non ad particulares Magiſtratus, ſed ad ſupremum res arduæ deferuntur: ſed ſtatuere impedimenta dirimenta eſt res valde ardua, & difficilis: ergò ex naturâ rei ſpectat ad ſupremam Sedem. Nec verum eſt, quod dicit contraria ſententia, nimirum, Epiſcopum poſſe in ſua Diœceſi, quod Pontifex in totâ Eccleſiâ, niſi id ei ſpecialiter prohibeatur, ut diximus *cap.* 4. *num.* 70. Et conſtat pluribus exemplis à Sanch. & Suar. *loc. cit.* adductis.

*Infidelibus hæc impedimenta obſtant, quominus contrahere poſſint.*

10. Secundò inquires. An impedimenta dirimentia ab Eccleſia aſſignata obligent infideles: ita ut matrimonia contracta cum illis ſint inter eos inualida? ¶ Reſpondetur eſſe in triplici differentia infideles quantum ad præſens: alij ſunt viuentes extra oppida ſubiecta temporaliter aut Pontifici, aut alijs Principibus Chriſtianis: alij viuentes intra oppida Pontifici Romano temporaliter ſubiecta: alij viuentes intra oppida ſubiecta Principibus Chriſtianis. Illi ergò; qui ſubiecti ſunt Principibus infidelibus, cum ſint omnino extra gremium Eccleſiæ, nullo modo illius legibus adſtringuntur: & ideo impedimenta ab Eccleſia ſtatuta non obligant eos, valentque proinde matrimonia, cum illis, ab ipſis celebrata. Illi verò, qui temporaliter ſunt, ſubiecti Pontifici Romano, cum ſint quoad gubernationem ciuilem illius ſubditi, ſicut adſtringun-

tur legibus pro alijs contractibus ab ipſo conditis: ſic contra illius prohibitionem nequeunt matrimonium celebrare, & impedimenta dirimentia ſtatuta ab Eccleſia extenduntur ad illos. Illi verò, qui ſunt ſub Principum Chriſtianorum iuriſdictione, non alligantur legibus Pontificijs, cum nec temporaliter, nec ſpiritualiter ſint ſubjecti Summo Paſtori, ideoque impedimenta dirimentia ab iſto ſtatuta non extenduntur ad eos. Ita Cornej. *diſp.7. dub.1.* Sanch. *num.3.* Auerſ. *quæſt.9. ſect.2.* Becan. *num.2.*

## DVBIVM II.

### *Vtrùm Principes Chriſtiani habeant poteſtatem inſtituendi impedimenta dirimentia matrimonium.*

*Argumenta, quæ partem negatiuam probare contendunt.*

11. ET Videtur, quòd non. Primò: quia D.Thom. *in 4. diſt. 42. q.2. art.2. ad 4. & in addit. quæſt. 57. art.2. ad 4.* Ità ait: *Ad quartum dicendum: quòd prohibitio legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum matrimonij, niſi interueniret Eccleſiæ Authoritas, quæ idem etiam interdicit.* ¶ Secundò: quia in *capit. 1. de ſponſal.* decernitur, matrimonium cum alienigena contractum validum eſſe, etiamſi celebratum fuerit contra leges ciuiles ſuæ gentis. Et *capit. Tua, de ord. cognit.* decernitur, non ad forum ſæculare, ſed ad Eccleſiaſticum cauſas matrimoniales pertinere, quod etiam habetur in *Concil. Trid. ſeſſ.24. Can.12.* ibi: *Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad Iudices Eccleſiaſticos, anathema ſit*; ſed ad idem forum pertinet leges ferre circa matrimonium, & illius cauſas cognoſcere: ergò, &c. ¶ Tertiò: quia licet matrimonium ſit contractus ciuilis, tamen ex quo fuit à Chriſto Domino eleuatum ad rationem Sacramenti, factus fuit contractus Eccleſiaſticus: ergò ex tunc fuit à poteſtate ciuili exemptus; ſicut perſonæ, aut bona Eccleſiaſtica, licet ex ſe eſſent Principi ſæculari ſubiecta, ex quo facta ſunt Eccleſiaſtica, pertinent dumtaxat ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam.

*Auctores, qui dictam ſententiam tuentur.*

12. Propter hæc argumenta ſunt grauiſſimi Doctores aſſerentes, Principes Chriſtianos, reſpectu ſuorum ſubditorum fidelium non poſſe, nec umquam habuiſſe poteſtatem ad inſtituenda impedimenta dirimentia matrimonij, ex quo illud fuit à Chriſto Domino in Sacramentum eleuatum. Ità Baſil. *lib.4. cap.1. num.9. & cap.2. num 3.* Palaus, *diſp.4. punct.1.* D. Bonau. *in 4. diſt.42. q.2. art.2.* Palud. *ibi. q.2. art.2. concl.6.* Sot. *ibi. art.2. ad 2.* Couarruu. *4. Decret. 2. part. capit. 6. §.1.* Hurtad. *diſp. 12. diff. 1. numer.6.* Dian. *5. p. tract. 1. reſol. 15. & 7. part. tract. 1. reſol. 23.* Vaſquez *diſputat. 3. capit. 1. num. 67.*

*Oppoſitum auctoritate probatur.*

13. Sed contrà eſt, quòd D. Thom. *4. contr. gent. capit.78. & in 4. diſt. 34. artic. 1. ad 4. & in addit. quæſt. 50. artic. 1. ad 4.* docet, matrimonium, in quantum eſt officium communitatis, ordinandum eſſe per leges ciuiles: ac proinde iſtas poſſe aliquos inhabilitare ad matrimonium contrahendum, & de facto id feciſſe conſtat ex *leg. Semper, leg. Palàm, leg. fin. ff. de ritu nuptiar.*

*Poteſt Princeps Chriſtianus impedimenta ſtatuere.*

14. Reſpondeo igitur dicendum: poſſe Principes Chriſtianos reſpectu fidelium ſibi ſubditorum ſtatuere impedimenta dirimentia, niſi aliàs Eccleſia id ipſis prohibuerit, & ſibi reſeruauerit, de quo ſtatim. Dicimus ergò, quòd attentâ illorum poteſtate, id facere poſſunt. Ità præter D. Thom. modo allegatum, Cornej. *diſp.7. dub.3.* Sanchez *diſp.3. num.2.* Bonac. *quæſt.3. punct. 1. num. 5.* Auerſ. *quæſt.9. ſect. 2. fol.456.* Dicaſt. *dub. 1. num 8.* Coninch, *diſp.7. num.5.* Enriquez *lib.12. cap.2. num.1.* Becan. *quæſt.3. num.2.* Ledeſm. *3. part. quæſt. 50. art.1. concl.2.* Trull. *dub.1. num.6.* Villalob. *1. part. tractat. 14 diff. 1. num.3.* N. Anton. *diſp.7. ſect. 1.* Goner. *diſp.7. num.6.* Franciſc. *diſp.7.* Et ratio eſt: quia Princeps ſupremus habet à Deo poteſtatem ad regimen Reipublicæ ſupremum, & ſtatuendi leges conducentes ad bonum Reipublicæ commune, illius pacem, & tranquillitatem: ergò poteſt determinare conditiones, ſub quibus valeat matrimonium, & non aliter, ſi id expedire bono publico iudicauerit. Patet conſequentia: quia licet matrimonium ſit Sacramentum, eſt etiam contractus ciuilis: Vnde ſicut reliqui contractus ciuiles poſſunt à Principe irritari, quandò bono publico eſt conueniens: ſic etiam iſte.

*Vſus huius poteſtatis eſt Eccleſiæ reſeruatus.*

15. Pro ſolutione autem argumentorum ſciendum eſt: quod licet talis poteſtas ex ſe conueniat ſæcularibus Principibus, uſus tamen illius eſt ab Eccleſia ipſis prohibitus: ità ut iam non poſſint nec validè, nec licitè impedimenta dirimentia matrimonij inſtituere pro fidelibus ſibi ſubiectis: & ſi contra tale præceptum Eccleſiæ, ea inſtituere attentauerint, nihil efficient. Ideoque matrimonia a fidelibus contracta, etiam cum talibus impedimentis, omninò erunt valida: quia hoc ſibi Eccleſia reſeruauit, cauſaſque matrimoniales ab eorum foro ſubtraxit, & ad Eccleſiaſticum deferendas decreuit. Habetur *capit. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ extrà, de Conſtitution. capit. Euphemium 2. quæſt. 3. capit. 1. de ſponſal. capit. Tuam, de ord. cognition. capit. Multorum 35. quæſt. 3.* Et ideò multoties ius Canonicum Ciuile circà hoc correxit, *capit. Cum ſecundùm Apoſtolum, de ſecund. nupt.* abrogatur lex Cæſarea, quæ infamiam viduis ad ſecundas nuptias peruenientes imponebat, *capit. final, de raptoribus*, approbatur matrimonium raptoris cum raptâ, licet oppoſitum decernatur *leg. Vnica 6. de rapt. virg.* quod eſt apud omnes Catholicos receptum, & eſt valdè rationi congruum: quia ea, quæ ſunt ſpiritualibus annexa, & ad finem ſpiritualem conducunt, ut eſt matrimonium fidelium, quod ſimul eſt Sacramentum, ad illud tribunal debet pertinere, ubi de rebus ſpiritualibus, & eis annexis agitur, ſicut perſonæ Eccleſiaſticæ, & eorum bona ob hanc rationem non ad ſæcularem, ſed ad Eccleſiaſticam iuriſdictionem diximus *tract. de Ordine*, pertinere.

*Poteſt Princeps pro infidelibus ſibi ſubiectis impedimenta ſtatuere.*

16. Sed hoc intelligendum eſt de matrimonijs ſecundum eorum ſubſtantiam, & de cauſis ad illorum valorem pertinentibus, ut ſi lis habeatur circà valorem, circà habilitatem perſonarum, circà cognitionem impedimentorum; non verò de alijs accidentaliter matrimonio coniunctis, quarum cauſas Eccleſia foro ſæculari

lari

Digitized by Google

lati remiſit, ut cauſa dotis, arrharum, donationis inter virum, & mulierem, &c. & ſimiliter quoad ſubſtantiam matrimonia infidelium ſibi ſubditorum, quæ cùm non ſint Sacramenta ad ſæculares Principes pertinet cognoſcere de illis, & poſſunt impedimenta dirimentia inſtituere pro talibus matrimonijs, cum quibus erunt perſonæ inhabiles, & matrimonia nulla: quia cum matrimonium infidelium præcisè ſit contractus ciuilis: ſicut Princeps ſæcularis poteſt ſtatuta decernere pro illis, ità pro matrimonijs, & eorum cauſas cognoſcere. Atque ita tenent Sanch. *num.* 5. & 8. Coninch, *num.* 7. Palaus, *num.* 4. Becan. *quæſt.* 2. *num.* 4. Baſil. *cap.* 2. *num.* 5. Bonacin. *num.* 6. Ledeſm. *poſt.* 2. *concluſ.* Auerſ. *quæſt.* 9. *ſect.* 2. Trull. *num.* 6. N. Gabr. *qu.* 2. Anton. *n.* 327. Franciſc. *n.* 6.

*Poſſunt etiam Principes infideles.*

17. Ex quo infertur: quòd cum Principes infideles, non ſint ſubiecti Eccleſiæ iuriſdictioni ſibi cauſas, & leges matrimonij reſeruantis, *cap. Gaudemus de diuort.* & eorum ſubditi infideles, quandò matrimonia contrahunt, præcisè contractum ciuilem perficiant, qui nullo modo eſt Sacramentum, poſſunt leges condere; & matrimonij irritantia impedimenta ſtatuere, quæ proculdubio ſuos ſubditos obligabunt, ita ut matrimonium illegitimum, quia contrà tales leges irritantes illud, omninò ſit inualidum. Ità D. Thom. *quæſt.* 59. *art.* 2. *ad* 3. & 4. *contr. gent. cap.* 58. Dicaſt. *num.* 10. Sanch. *num.* 5. Palaus *num.* 4. Ledeſm. *art.* 1. *concluſ.* 2. Cornej. *ſup.* Becan. *quæſt.* 2. *num.* 2. Auerſ. *quæſt.* 9. *ſect.* 2. At verò reſpectu fidelium ſibi ſubditorum non habebunt vim talia decreta, nec impedimenta dirimentia ab eis aſſignata fidelium matrimonia in illorum oppidis habitantium, Irritabunt: quia talium matrimonia Sacramenta ſunt, & verè ſpiritualibus annexa: undè ſicut Eccleſia reſeruauit ſibi leges ſtatuere circà alia matrimonia fidelium, ita iſtorum, qui quoad tales contractus iam non ſunt ſubditi Principibus infidelibus, ſed Eccleſiæ, ideoque iuxta ſtatuta Eccleſiæ debent legitimè contrahere. Ità Baſil. *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 7. Palaus, *numer.* 3. Dicaſt. *ſupr. num.* 12. Cornejo *loc. cit.* Auerſ. *quæſt.* 9. *ſect.* 2. licet contrarium teneat Sanchez, *num.* 7. Coninch, *dub.* 3. Becan. *num.* 3. Enriq. *lib.* 2. *cap.* 2. *initio.*

*Soluuntur contraria argumenta.*

18. Ex his ad primum argumentum dicimus, D. Thom. loqui ſuppoſito decreto Eccleſiæ ſibi reſeruantis impedimenta pro matrimonio deſignare, & hoc à ſæcularium poteſtate extrahentis, ut conſtat ex locis num. proximo, & in argumento ſed contrà adductis. ¶ Ad ſecundum dicendum: quòd textus in ſecundo argumento adducti loquuntur de matrimonio, quod nunc ſit, quomodo non ſubiacet nec directè, nec indirectè ſæcularibus poteſtatibus. ¶ Ad tertium dicendum eſt: quòd licet matrimonium ſit Sacramentum, fundatur, & habet pro materia, & forma neceſſaria contractum ciuilem, qui hoc ipſo, quòd talis iuriſdictioni ciuili eſt ſubiectus, ſicut reliqui contractus: & quòd ſit cum re ſpirituali inter fideles connexus, non facit, quòd ex iure diuino, aut naturali ad forum Eccleſiaſticum pertineat; ſed quòd ſit valdè conſonum iuri naturali, & diuino, quòd ad illum reducatur: quemadmodum diximus *tract. de Ordine cap.* 7. *num.* 9. perſonas Eccleſiaſticas, & eorum bona non ex iure naturæ, & diuino, ſed ex iure poſitiuo eſſe exemptas à iuriſdictione ſæculari, & ſub Eccleſiaſtica conſtitutas, quamuis ſit valdè conſonum naturis rerum id fuiſſe ità determinatum.

## PVNCTVM I.

### *Quomodò poſſit conſuetudo noua impedimenta dirimentia matrimonium introducere?*

*Triplex conſuetudo explicatur.*

19. PRo intelligentiâ eorum, quæ hoc puncto, & ſequenti dicenda ſunt, ſupponendum eſt primò; triplicem eſſe conſuetudinem: aliam, *ſecundum legem*, & de hac non eſt ſermo præſens: quia iſta nec nouam legem introducit, nec legem aliquam abrogat; ſed potiùs iam latam corroborat, & firmat: aliam *præter legem*, quandò aliquid introducitur, quod nec eſt præceptum, nec damnatum aliquâ lege, de quâ eſt præſens punctum: ut ſi conſuetudine introduceretur, quòd intrà quintum gradum conſanguinitatis eſſet impedimentum dirimens, vel quòd validè die Paraſceuè non poſſet matrimonium celebrari: alia eſt *contra legem*, ut quandò conſuetudine aliquid introducitur, quod eſt lege communi damnatum, & de hâc conſuetudine dicemus puncto ſequenti, ubi inueſtigabimus: An poſſint conſuetudine abrogari impedimenta, quæ ſunt iure Canonico ſtabilita?

*Debet conſuetudo introduci animo obligandi, ut vim legis habeat.*

20. Secundò ſupponendum eſt: quòd, ut conſuetudo vim legis habeat, proindeque ut impedimenta dirimentia introducat, debet eſſe legitimè præſcripta per modum obligationis, & præcepti, non verò præcisè per modum conſilij, & deuotionis. Si enim alicubi eſſet introductum ieiunium feria ſexta per modum deuotionis, non obligaret grauiter talis conſuetudo, ut benè aduertit Caiet. *in Summ. verb. Hora Canonicæ*, Sot. *lib.* 1. *de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 2. Cornejo *de Matr. diſp.* 7. *dub.* 4. Palaus *de Legib. diſput.* 3. *punct.* 4. §. 3. *num.* 12. Suarez, *libr.* 7. *de Legib. cap.* 14. *num.* 6. Et ratio eſt: quia conſuetudo ſe habet per modum legis: ſed lex non obligat, niſi iuxtà intentionem legiſlatoris: ergò nec ſimiliter conſuetudo. Et ideò quandò ſola intentione obligandi venialiter, vel ad pœnam introducta eſt: ita, & non aliter obligabit. Atque hinc deducunt aliqui, quòd obligatio Monialium recitandi Horas Canonicas, & Regularium, qui non ſunt in Sacris, non eſt ſub mortali: quia ex lege aliqua ad id non tenentur, ut omnes fatentur, nec conſuetudine. Tum: quia introducta eſt ab ignorantibus, qui iudicabant tale adeſſe præceptum, & quandò ſic introducitur conſuetudo, deficiente præcepto non obligat. Tum etiam: quia introducta eſt per modum deuotionis, & conſilij, ut ipſi probant, de quo aliquandò erit ſermo.

*Contra ius diuinum, aut naturale nulla conſuetudo praualet,*

21. Tertiò, ut apud omnes certiſſimum, ſtatuendum eſt, quòd ſi conſuetudo à ſuperiori expreſſè approbetur, ſtatim ac approbata fuerit, vim legis habebit, ac ſi ab ipſo ſuperiori condita eſſet talis lex. Imò etiam eſt certum: quòd ſi ipſe ſu-

ſuperior, qui legem poteſt condere, tacitè talem conſuetudinem etiam contrà legem approbauerit, quando ſcit, & videt paſſiuo ab omnibus uſurpari, nec contradicit, cum facilè poſſit: tunc ſi tempus ad legitimam præſcriptionem requiſitum tranſierit, vim legis habet *ex cap. final. de conſuetudine.* Diximus à *ſuperiore, qui legem ferre, vel abrogare poteſt.* Quare cum nulla poteſtas creata poſſit leges iure naturæ, vel diuino ſtabilitas abrogare, vel nouas condere, nulla conſuetudo præualere poteſt contra ius naturæ, vel diuinum, ut rectè docet D. Thom. 1. 2. *quæſt. 97. art. 3. ad 1. & definit.* Gregor. IX. *in dict. cap. fin.* Vnde conſuetudines, quæ contra ius diuinum, vel naturale introducuntur, à iure Ciuili *abuſus*, à Canonico *corruptela* *dicuntur.*

*Poſſunt conſuetudine noua impedimenta introduci.*

22. Dicendum itaque eſt: quòd ſi conſuetudo ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, tacitèque à Summo Pontifice approbata, per eam poſſunt noua impedimenta dirimentia introduci, fierique inhabiles ad contrahendum, qui aliàs erant habiles iure Canonico. Ità Sanch. *lib. 7. diſp. 4. num.* 11. *&* 14. Baſil. *lib. 6. cap. 4. num* 6. N. Cornejo *diſp. 7. dub. 4.* Suar. *de Legib. lib. 7. cap. 19. num.* 14. Palaus, item *de Legib. diſp. 3. punct. 4. §. 5. num.* 1. Coninch, *diſp. 30. dub. 1. num.* 15. Bonacin. *de Matr. quæſt. 3. punct. 1. num. 7.* Trull. *lib. 7. cap. 9. dub. 1. num. 9.* Auerſ. *quæſt. 9. ſect. 4.* N. Ant. *diſp 7. ſect. 1.* Probatur imprimis ratione generali: quia conſuetudo legitimè præſcripta habet vim legis, *cap. fin. de conſuetud.* & tradit D. Thom. 1. 2. *quæſt. 97. art. 3. &* D. Auguſtin. *relatus* à D. Thom. in argum. *ſed contrà, Epiſt. 86. ad Caſulanum*, ibi: *Mos populi Dei, & inſtituta maiorum, pro lege ſunt tenenda*: Sed per leges poſſunt introduci impedimenta dirimentia, quibus fiant inhabiles, qui aliàs erant habiles ad contrahendum, &c. Et ideò *in cap. Cum olim, de Cleric. coniug.* dicitur conſuetudine fieri inhabiles ad beneficium, qui aliàs erant habiles: ergo etiam ad matrimonium. Specialiter verò pro matrimonio habetur *in cap. 1. de cognat. ſpiritual.* ubi dicitur valere matrimonium inter duorum compatrum filios, *niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habere noſcatur.*

*Etiamſi non ſequatur ex violatione conſuetudinis ſcandalum.*

23. Propter hunc ultimum textum aliqui limitant hanc concluſionem, ut intelligatur de conſuetudine, cuius violatio ſcandalum generaret. Ità Couarruu. 4. *Decretal. 2. part. cap. 6. §. 1. num* 8. Enriq. *lib. 12. cap. 1. num.* 5. Ludouic. Lopez, 2. *part. instruct. de Matr. cap. 46. relati* à Sanch. *lib. 7. diſp. 4. num. 7.: &* Angel. *verb. Matrim. 3. impedim. 17.* tamen non eſt talis limitatio admittenda. Sed etiamſi ſcandalum ex violatione conſuetudinis non generetur, ſi tamen fuerit legitimè introducta, ſufficit ad ſtatuenda noua impedimenta dirimentia, ſicut econtra etiamſi ſcandalum ex tali violatione ſequatur non ſufficit ad introducenda illa, ſi non fuerit conſuetudo legitimè præſcripta: hanc enim poteſtatem habet conſuetudo ex eo, quòd ſit, vel non ſit legitimè introducta, ſequatur, vel non, ex eius violatione ſcandalum. Et ideò in *cap. Illo finali*, ſæpiùs citato hæc vis præcisè conſuetudini tribuitur, quòd vim legis habeat, non verò ſcandalo ſecuto ex eius violatione. Ità Palaus, *loc. cit. num.* 5. Sanch. *num.* 11. Baſil. *lib. 6. cap. 6. num* 10. Suar, *lib. illo 7. cap. 16. num. 4.* Auerſ. *loc. cit.* §. *Rurſus*, & Salas *de Legib. diſp. 19. ſect. 10. n. 85.* ¶ Et ſi in illo *cap. 1. de cognat.* dicitur. *Quæ ſcandalum generet.* Eius verba ſignificant id, quod communiter accidit, cum ferè ſemper ex violatione conſuetudinis legitimè introductæ, ſcandalum ſequatur.

*Quod tempus ſufficit ad introducendam conſuetudinem?*

24. Diximus in concluſione: *Si ſit legitimè præſcripta*, ut habetur in *cap. Illo fin. de conſuetud.* ad quod requiritur, quòd per longum tempus protrahatur. Sed per quod tempus ſufficiet? Aliqui id arbitrio prudentum remittunt. Verius tamen eſt: quod ut conſuetudo contra ius ciuile præſcribat, vel habeat vim legis ciuilis, requiritur, quòd per decennium duret: quia hoc longum tempus iure ciuili præſumitur, *leg. ſuper long. C. de præſcript. long. temp. & in inſtitut. de uſucapion. §. Iur. ciuili.* Et iure Regni, *leg. 5. tit. 2. part. 1.* ut autem conſuetudo contrà ius Canonicum præſcribat, vel legem Eccleſiaſticam introducat, ac proinde impedimentum dirimens matrimonij quòd cenſetur ut lex Eccleſiaſtica, requiruntur quadraginta anni: quia aduersùs Eccleſiam non datur præſcriptio, niſi poſt quadraginta annos, *cap. de quarta, cap. ad aures, de præſcription.* & contra ius Eccleſiaſticum longum tempus dicitur quadragennium. *Authent. quas actiones, C. de Sacroſ. Eccleſ.*

*An requiratur, quòd ſit mixta ex Clericorum, & laicorum conſenſu.*

25. Vlteriùs aliqui volunt requiri, ut conſuetudo impedimenta noua introducat, & introducta iure Eccleſiaſtico abroget, quod ſit mixta ex uſu, & frequenti conſenſu laicorum, & Eccleſiaſticorum, & non à ſolis laicis introducta, maximè Clericis repugnantibus: quia in legibus Eccleſiaſticis nihil poſſunt laici: ergò præcisè conſuetudo laicorum, non valet impedimenta matrimonij ſtatuere. Atque ità ſentit N. Cornejo *diſp. 7. dub. 4. fol. 959. col. 1.* Sanch. *lib. 7. diſp. 4. num. 14.* Dicaſt. *diſp 6. dub. 1. num.* 31. Bonac. *de Matr. quæſt. 3. punct. 1. num.* 8. Trull. *lib. 7. capit. 9. dub. 1. numer. 9.* Couarruu. 4. *Decretal. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 18.* ¶ Verius tamen dicendum eſt cum Auerſ. *quæſt. 4. ſect. 4. §. Præterea limitant*, Palao *diſp. 3. punct. 4. §. 4. num. 4.* id non requiri, ſed poſſe à laicis independenter à conſenſu Clericorum introduci: quia quandò materia conſuetudinis pertinet ad laicos, ipſi poſſunt per ſe introducere illam: ſicut conſuetudo obſeruandi diem feſtum, vel ieiunium, poteſt à laicis introduci: quia ipſi non auctoritate à ſe, ſed poteſtate conceſſa à Summo Pontifice, *cap. Illo fin. de conſuetud.* tali conſuetudini vim legis Eccleſiaſticæ concedente, illam introducunt.

*Debet eſſe conſuetudo rationabilis.*

16. Diximus etiam in concluſione: quòd conſuetudo *ſit rationabilis*, hoc eſt, de re honeſta, & utili Reipublicæ: hæc enim conditio ſemper requiritur, ut conſuetudo vim legis habeat. Et ratio eſt: quia conſuetudo ſe habet ut lex tradita, licet non ſcripta: ſed lex, ut vim habeat obligandi, debet eſſe de re honeſta, ac Reipublicæ utili: ergò ſimiliter conſuetudo.

*Debet tacitè à ſuperiori approbari.*

27. Denique diximus: *tacitè à Pontifice approbata:* quia hoc eſt commune cuicumque conſuetudini, ut ſi fuerit à Republica libera nulli Principi ſubiecta introducta, independenter à ſuperioris approbatione habeat vim obligandi: quia ſicut ipſa Reſpublica libera poteſt per ſeipſam leges condere: ità conſuetudinem, quæ

hac

habeat vim legis, introducere. At Reſpublica Principi ſubiecta, ſicut non poteſt per ſe ipſam leges condere: ſic nec conſuetudine illas abrogare, aut nouam introducere independenter ab expreſſâ, vel tacitâ Principis approbatione, ut docet D. Thom. 1. 2. *quaſt.* 97. *art.* 3. *ad* 3. & habetur iure Regni, *leg.* 3. *tit.* 2. *part.* 1. Et quia omnis Reſpublica Chriſtiana quoad res Eccleſiaſticas, & conſequenter quoad impedimenta matrimonij introducenda, vel introducta abroganda, eſt ſubiecta Summo Pontifici, illius approbatio, & conſenſus tacitus, vel expreſſus, requiritur, ut talis conſuetudo obligandi vim habeat.

*An requiratur, quòd ſciat Princeps conſuetudinem, & non contradicat?*

28. Sed difficultas eſt. An ut cenſeatur Princeps tacitè conſuetudinem Reipublicæ ſibi ſubiectæ approbare, requiratur, quod cum ſciat eam, & cum videat paſſim ab omnibus uſurpari, non contradicat, cum poſſet? Reſpondetur, id non requiri, ſed etiam ſi perſonaliter eam tacitè non approbet, dummodò generaliter modo ſtatim dicendo in illam conſentiat, vim habebit. Ità Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 5. Palaus, *de Legib. tract.* 3. *diſp.* 3. *punct.* 4. §. 4. *num.* 3. Suar. *lib.* 7. *de Legib. cap.* 13. *à num.* 6. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 4. *num.* 11. & 14. & *diſp.* 82. *num.* 20. Quod bifariam poteſt explicari. Primo: quia licet in particulari hic Pontifex, vel hic Princeps hanc, vel illam in particulari conſuetudinem non approbauerit, iam à legiſlatore Eccleſiaſtico, & ciuili hoc determinatum eſt, ut quoties conſuetudo rationabilis, & legitimè præſcripta fuerit, illa pro lege habeatur. Legiſlator quidem Canoni. in *cap. Final. de conſuetud.* & ciuilis, *leg. ult. C. quæ ſit longa conſuetudo*, & *leg. de quibus, ff. de Legib.* ibi: *Rectiſſimè receptum eſt, ut leges non ſolum ſuffragio legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium, per deſuetudinem abrogentur.* Tunc ſic, ſi legiſlator ciuilis, aut Canonicus ſuâ lege ſtabiliret, ut quoties populus duraret decennio, vel quadriennio in aliquâ rationabili conſuetudine, talis conſuetudo pro lege habeatur, tunc proculdubio talis conſuetudo rationabilis per decennium, ſi fuerit circà res ciuiles, & per quadriennium circà res Eccleſiaſticas durans, vim legis haberet ex approbatione legali ſupremi Principis, nec alia approbatio expoſtularetur: ergo cum de facto iure Canonico, & ciuili hoc ſit iam ſtabilitum, ſufficit hæc generalis approbatio, ut Pontifex aut Princeps ſupremus hanc, vel illam conſuetudinem legitimè præſcriptam, id eſt, tempore pro qualitate rei durantem, approbare iudicetur, etiamſi in particulari hic, vel ille Princeps inſcius fuerit talis conſuetudinis, eamque in particulari non approbauerit.

*Alia via id ipſum ex Cornejo explicatur.*

29. Secundò explicatur hoc ipſum à Noſtro Doctiſ. Petro Cornejo *dict. diſp.* 7. *dub.* 5. *fol.* 957. *col.* 2. §. *Sed quidquid*, his verbis. Requiritur ille conſenſus Principis, qui ſemper reperitur in tacitâ quadam conditione, qua leges feruntur, & promulgantur: nam lex ea conditione fertur, ut ſi uſu accipiatur, vim habeat, & omnium conſcientias liget: & ſimiliter quandò lex eſt uſu recepta, adhuc tacitâ conditione pendet, ut niſi cõtrariâ conſuetudine abrogetur, vim ſuam retineat; ſin minùs amittat. Ita Nauarr. *in ſum. cap.* 23. *num.* 39. Idque non ſolùm ſi Princeps poteſtatem condendi leges à populo accipiat, ubi res eſt clarior: quia populus non aliter poteſtatem daret, ut dictum eſt, ſed etiamſi eam accipiat à ſolo Deo, ut Pontifex: nam quamuis ſua lege poſſit obligare fideles etiam renitentes; tamen Doctores ita eius voluntatem interpretantur, ut ea ſit eius clementia, & pietas in obligandis fidelibus, ut quamdiù non ſit à maiori parte illorum recepta, aut poſt receptionem non ſit in uſu, velit eius obligationem ſuſpendi, ne detur peccandi occaſio.] Hactenùs doctiſſimus vir toto orbe celeberrimus, & N. Carmelitanæ familiæ lumen præclariſſimum.

## PVNCTVM II.

### *An conſuetudo legitimè introducta poſſit abrogare impedimenta dirimentia iure Eccleſiaſtico ſtabilita?*

30. MAior controuerſia eſt inter Doctores circà quæſitum huius puncti, quàm præcedentis: nam duplex eſt ſententia, utraque ſatis probabilis. Prima, quam dicit Sanchez ſuo tempore communem, & tenet Rebell. 1. *part. de obligat iuſtit. lib.* 1. *quaſt.* 5. *num* 8. Auerſ. *quaſt.* 9 *ſect.* 3. §. *Rurſus*, Angel. *Matrim. impedim.* 17. *num.* 1. Syluect. *Matr.* 2. *quaſt* 3. Couarruu. 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 6. §. 10. *num.* 18. Enriq. *lib.* 12. *cap.* 5. *num* 5. *in comment. litter. A.* aſſerentes fieri non poſſe, ut conſuetudine impedimenta iure Eccleſiaſtico ſtabilita abrogentur, & aboleantur, fiantque habiles ad matrimonium, quos ius Eccleſiaſticum inhabiles reddit: & validiſſimis argumentis fulcitur hæc ſententia.

*Prima ſententia negatiua proponitur.*

31. Primum: quia in *cap. Quod ſuper, de conſanguinitat. & affinit.* in fine dicitur ſeparandos, & puniendos eſſe, qui in gradu prohibito contraxerunt non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, quæ potiùs dicenda eſt corruptela. Ex quo ſic arguitur: ut conſuetudo vim abrogandi legem, habeat, debet eſſe ad minùs tacitè à ſuperiore approbata, ut diximus punct. præced. ſed quandò ipſe legiſlator omnem contrariam conſuetudinem condemnat, quod facit in dicto capite, non approbat eam nec tacitè: ergò vim habere non poteſt legem ſtabilitam abrogandi. ¶ Secundò: quia ut *cap. Final. de conſuetud.* habetur, ut conſuetudo iuri poſitiuo deroget, debet eſſe rationabilis, id eſt, honeſta, & conſona rationi: ſed conſuetudo contrà legem Eccleſiæ rationabilis, & honeſta eſſe non poteſt: illa namque eſt rationabilis conſuetudo, quam leges, & iura non damnant: & ideò iure Regni, *leg.* 3. *tit.* 2. *part.* 1. inter alias conditiones ad vim conſuetudinis requiſitas ponitur, ut non ſit contrà iure ſtatuta, niſi priùs talia iura fuerint abrogata. ¶ Tertio: quia præſcriptio non poteſt fieri, niſi actibus à principio iuſtis, & bona fide exercitis: ergò conſuetudo laudabilis, & honeſta non poteſt introduci, niſi repetitis actibus bonis, & honeſtis: ſed actus, qui ſunt contrà legem Eccleſiaſticam boni, & honeſti dici non debent: ergò non poteſt contrà illam aliqua conſuetudo vigere.

*Probatur argumentis dicta ſententia.*

32. Nihilominùs dicendum eſt: poſſe per conſuetudinem legitimè præſcriptam abrogari impedimenta dirimentia iure Eccleſiaſtico introducta, & fieri habiles ad matrimonium, qui in-

*Conſuetudine poſſe impedimenta abrogari probatur.*

inhabiles erant iure Pontificio. Ità Sanch. *lib.7. diſp.4.num.14.* Cornejo *diſp.7.dub.5.* Azot. *tom.1. lib.1.cap.17.quæſt.8.* Bonac. *quæſt.3. punct.1. num.7.* Trull. *lib.7.cap.9. dub.1.num 9.* Coninch, *diſp.30.dub.1.concluſ.6.num.13.* Baſil. *lib.6.cap.4. num.6.* Palaus, *diſp.3.de Legib.punct.4.§.4. num.1.* Salas *diſp.19.ſect.10.num.86.* N.Ant.*num.*330. Et ratio eſt: quia in *cap. fin. de conſuetud.* dicitur legem legitimè introductam præiudicare poſſe iuri poſitiuo: ſed impedimenta ſtatuta ſunt iure poſitiuo: ergò poteſt illa conſuetudo legitimè præſcripta abrogare. Deindè: quia conſuetudo habet vim introducendi legem irritantem, ut diximus punct. præced. ergò etiam derogandi legem irritantem iam ſtatutam: quia non minor virtus requiritur ad introducendam legem irritantem nouam, quam ad abrogandam antiquam.

*Soluitur primum argumentum.*

33. Ad primum argumentum contrarium reſpondetur, conſuetudinem etiam lege reprobatam poſſe præualere contra legem reprobantem, quando noua cauſa occurrit, quam non videtur legiſlatorem cogitaſſe, quando ſua lege conſuetudinem reprobauit, ut docet Couarr. *3. variar. cap.13.num.4.* Coninch, *diſp.30.dub.1. num.14.* Cornej. *diſp.7. dub.5 fol.358. col.2.* Palaus, *de Legib.diſp.9. punct.3.§.2. num.10.* Sanch. *lib.7. diſp.4. num.14.* Rebus tamen eodem modo ſe habentibus, non poteſt conſuetudo contrà legem reprobantem eam præualere. Bene tamen ſi noua cauſa occurrat: quia id, quod erat malum, quandò lex prohibuit, mutatis circumſtantijs poteſt eſſe bonum: & ideò nouæ rerum cauſæ auferunt iniquitatem à conſuetudine, quæ erat in eà, quandò ipſam legiſlator damnauit. Quarè illa verba: *Non obſtante quacumque conſuetudine*, non habent maiorem vim, quàm ius ſcriptum de aliquo: ſed contrà hoc poteſt conſuetudo præualere: ergo etiam contrà legem talibus verbis ſtabilitam. Scimus alios diuerſas interpretaiones illi textui adhibere, ſed dicta ſolutio pro nunc ſufficiat.

*Ad ſecundum argumentum reſpondetur.*

34. Ad ſecundum dicimus ſaltem non habere vim, quandò conſuetudo bonà fide introducitur: quia tunc laudabilis eſſe poteſt etiamſi contrà legem operetur, ſed eſto mala fide introducatur, & irrationabilis fuerit, quandò incepit, & conſeruata fuit uſque ad tempus, quo legitimè præſcribit, & peccauerint contrà eam, qui talem conſuetudinem introduxerunt: quia tunc eſt lex in ſuo robore, & conſuetudo eſt abuſus, & corruptela, cum non ſit legitimè præſcripta, nec tacito Principis conſenſu approbata. At poſtquàm iam legitimè præſcripſit, & in conſuetudinem tacitè approbatam tranſiuit, lex non habet vim contrà eam: & ſic eſt rationabilis, cum ſit rationi conſonum, ut non ultrà multitudo obligetur contrà conſuetudinem ire, & ſic plurimæ culpæ excuſentur. Nec debent curare poſteri, an maiores licitè, vel illicitè talem conſuetudinem introduxerint, ſed ſtare poſſunt his, quæ per conſuetudinem legitimè præſcriptam, & à ſuperiore tacitè approbatam introducta ſunt, & illa lex Regni loquitur de abuſu ab aliquibus exercito, qui in conſuetudinem per multitudinem introductã, & legitimè præſcriptam non tranſijt: quia quando tranſit in conſuetudinem dictam, iam lex abrogata eſt, & conſequenter talis conſuetudo eſt laudabilis.

*Tertij argumenti ſolutio.*

35. Ad tertium dicimus ad minus non habere vim, quando fuit conſuetudo bona fide introducta. Sed quia nos non de iſta ſolùm loquimur, ſed de illa, quæ etiam irrationabiliter incepit, & continuata eſt uſque ad tempus legitimæ præſcriptionis: dicimus aliud eſſe loqui de abuſu alicuius particularis, aliud de conſuetudine per multitudinem introducta. Abuſus ergò alicuius, qui mala fide rem alterius retinet, non poteſt unquam præſcribere: quia ſic daretur occaſio pluribus iniuſtitijs, ſi aliquis rem alienam uſurparet, & mala fide contra proprium dominum præſcriberet. At in conſuetudine per multitudinem introducta, maximè ſi non ſit in alterius præiudicium, hæc inconuenientia ceſſant, & aliàs eſt rationi conſonum, quòd lex cedat illi, ne multitudinem contrà illius mores obruat, & ad plura peccata occaſionem præbeat.

## CAPVT XII.

### *De impedimentis dirimentibus in particulari.*

*Quot ſint impedimenta dirimentia?*

1. PLura diximus *hoc tractatu* circà particularia impedimenta dirimentia: quare, ne vobis eadem repetamus, ad ea loca lectorem remittemus, in quibus de illis iam eſt diſputatum. Impedimenta ergò dirimentia alia ſunt de iure naturæ, alia de iure poſitiuo. Quænam autem ſint de uno, & quænam de alio agentes de ſingulis adnotauimus, & adnotabimus. Omnia autem ſunt quatuordecim; duodecim de iure antiquo, & duo de iure nouo *Tridentini*, quæ his verſibus in memoriæ ſubſidium ab Auctoribus numerantur.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas.*
*Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.*

Hæc ſunt de iure antiquo.

*Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis.*
*Raptavè ſit mulier, nec parti reddita tutæ.*

Hæc ſunt de iure nouo Tridentini.

*Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.*

*De his omnibus hoc capite ſuo ordine pertractabimus, quod continet tredecim puncta.*

De impedimento erroris, & conditionis remiſſiuè, num. 2.

De impedimento voti, & Ordinis remiſſiuè, num. 3.

De impedimento cognationis, num. 5.

*Punct. I. Quid ſit conſanguinitas? Quo iure dirimat matrimonium? Et inter quas perſonas? num.6.*
*Punct. II. De cognatione ſpirituali. Quas conditiones requirat? Quomodò contrahatur? Et inter quas perſonas? num.23.*
*Punct. III. Quid ſit, & quotuplex cognatio legalis? Quas conditiones requirat? Quibus cauſis, & inter quos contrahatur? num.34.*

De

De impedimento criminis, num. 15.

*Punct. IV. Quomodò uxoricidium cum adulterio, vel ſine illo, inducat impedimentum dirimens matrimonium? & de conditionibus ad hoc requiſitis, num.46.*

*Punct. V. Quomodò ex crimine adulterij cum promiſſione matrimonij de futuro abſque occiſione coniugis contrahatur impedimentum dirimens matrimonium? num.56.*

De impedimento diſparitatis cultus, num.65.

*Punct. VI. Quo iure ſit illicitum, & nullum matrimonium fidelis cum infidelibus? Et cum quibus infidelibus? num.66.*

De impedimento vis, & ligaminis remiſſiuè, num.77.

De impedimento publicæ honeſtatis, num.79.

*Punct. VII. Inter quos contrahatur impedimentum publicæ honeſtatis? Quo tempore duret? Et quas conditiones requirat? num.81.*

De impedimento affinitatis, n.92.

*Punct. VIII. Quomodo affinitas dirimat matrimonium ſubſequens? In quo gradu, & quo iure? num.94.*

De impedimento impotentiæ, nom. 103.

*Punct. IX. De impotentiâ perpetuâ, abſolutâ, & naturali quo iure, & quomodo dirimat matrimonium? num.105.*

*Punct. X. Quando impotentia ex parte fœminæ ſit perpetua? Vbi etiam de impotentia reſpectiua, num.115.*

*Punct. XI. De impotentia perpetua ex accidenti, vel ab extrinſeco proueniente, num.123.*

*Punct. XII. Quid faciendum ſit, quando eſt certa impotentia perpetua? Et quid, quando de illa dubitatur? num.135.*

De impedimento clandeſtinitatis remiſſiuè, num.142.

De impedimento raptus, num.143.

*Punct. XIII. Quando raptus ſit ſpecialis ſpecies luxuriæ? Quas pœnas raptores incurrant? Et quomodo ſit raptus impedimentum dirimens matrimonium? num.145.*

### *De impedimento erroris, & conditionis remiſſiuè.*

*Impedimentum erroris, & conditionis declaratur.*

2. IMpedimentum erroris non ſolum iure poſitiuo, ſed etiam iure naturæ eſt introductum: quia intelligitur de errore circà perſonam, ut cum aliquis iudicans ſe contrahere cum Franciſca, contraxit cum Ioannâ, quæ eſt ab illa diuerſa. Plura circà hoc impedimentum diximus *cap.10. dub.1. & 2.* ubi videri poſſunt. ¶ Impedimentum conditionis, id eſt, ſeruitutis eſt, quaodò quis iudicans ſe contrahere cum libera, contraxit cum ancilla. Hoc impedimentum non iure naturæ, ſed Eccleſiaſtico eſt introductum. De illo egimus, quæ ſufficiunt, eodem *capit.10. punct. 1. & 2.*

### *De impedimento voti, & Ordinis remiſſiuè.*

*Impedimentum voti exponitur.*

3. TErtium impedimentum eſt illud, quod per votum ſolemne in Religione approbata contrahitur, ratione cuius Religioſi, & Moniales ſunt inhabiles ad matrimonium; quod non facit votum ſimplex aut Religionis, aut caſtitatis: hoc enim ſolùm illicitum, non inualidum reddit matrimonium. Votum autem ſolemne, quod in Religione emittitur caſtitatis abſolutæ, licet matrimonium anteà contractum, & conſummatum non irritet, de quo diximus *cap.4. punct.3.n.71.* matrimonium verò ad illud ſubſequens omninò reddit nullum. Vtrùm verò hoc habeat ex naturâ rei, vel ex ſtatuto Eccleſiæ, & conſequenter an Pontifex poſſit in illo diſpenſare? In quo votum ſimplex à ſolemni differat? Non eſt huius loci: ſed vel ad tractatum de voto, vel de Religione ſpectat, ad quem lectorem remittimus.

*Videantur interim* N. Cornejo *diſp.7. dub. 9.* Gonet. *diſp. 9. art. 2.* N Gabr. *diſp. 6. qu. 6. ubi aliqua curioſa.*

*Quid ſit Ordinis impedimentum?*

4. Aliud impedimentum huic affine eſt Ordinis, quod licet ordine ſit octauum, hic illud cum impedimento voti coniungimus. Siquidem Ordo Sacer ratione voti ſolemnis caſtitatis ſibi annexi habet inhabilitare ordinatos ad coniugium, & irritum reddere ſubſequens ad Ordines matrimonium; non verò antecedens, ſiue conſummatum fuerit, ſiue tantummodò ratum. Quomodo autem hæc fiant, & plura his concernentia? Diximus *tract. de Ord. cap.6.*

### *De impedimento cognationis.*

*Quot modis cognatio conſideratur?*

5. COgnatio eſt in triplici differentia: alia eſt naturalis, ſeu carnalis, & dicitur *conſanguinitas*, quaſi ſanguinis unitas: quia ideò conſanguinei dicuntur, quia ab eodem ſanguine procedunt, & in illo quaſi adunantur: & ſic cognati dicuntur, id eſt ab eodem nati, ut docet D.Tho. *in 4. diſt.40. q.unic. art.1. & in addit. q.54. artic.1.* Alia eſt cognatio ſpiritualis, quæ dicitur *compaternitas*: hæc enim modò iure *Trid. ſeſſ. 24. cap.2.* ſolum extat; licet olim etiam *confraternitas* inueniretur. De hoc agit D. Thom. *in 4. diſt.41. q.1. ab art.1. & in addit. q.56. art.1.* Denique alia eſt cognatio legalis, quæ dicitur *adoptio*; quia ex adoptione legali, & legitima procedit. De hac tractat ipſe S. Doctor. *in 4. diſt.42. q.2. ab art.1. & in addit. q.57.* per totam. De his tribus, ſequentibus punctis diſcutiemus.

## PVNCTVM I.

### *Quid ſit conſanguinitas? Quo iure dirimat matrimonium? Et inter quas perſonas?*

*Definitio conſanguinitatis explicatur.*

6. COnſanguinitas rectè definitur à D. Thom. *in 4. diſt.40. quaeſt. unic. artic. & in addit. q.54. art.1.* in hunc modum: *Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum.* Dicitur *vinculum*: quia conſanguinei, cum ab eodem ſanguine oriantur, maiori amoris, & familiaritatis

nexu

nexu connectuntur. Dicitur *perſonarum*, id eſt, rationalium creaturarum, inter quas ſolum conſanguinitas reperitur, quæ capaces ſunt veri amoris, & amicitiæ; non verò inter bruta, quæ, ut inquit Ariſtotel. 5. *Æthicor. capit.* 11. illius ſunt incapacia. Dicitur *ab eodem ſtipite deſcendentium*, & intelligitur de proximo, non de remoto, aliàs omnes eſſent conſanguinei, cum ab Adam, tamquam à primo ſtipite propagationem deducant. Et ideò ab illo ſtipite proximo conſanguinitas oritur, ex cuius origine ſimilitudo, amor, & familiaritas inter conſanguineos conſeruatur. Denique dicitur *carnali propagatione contractum*, ut denotetur ex carnali procreatione conſanguinitatem oriri: quapropter Angelorum ad Deum non datur conſanguinitas: quia licet ab illo fuerint producti, factum fuit per creationem non per propagationem carnalem. Et ſimiliter quamuis Eua ex Adam fuerit formata: quia non fuit per carnalem generationem ab ipſo, ſed per Dei ſpecialem productionem, inter illos non fuit conſanguinitas; fuit tamen inter Chriſtum, & Beatiſſimam Virginem: quia ex eius puriſſimo ſanguine fuit conceptus: & quemadmodum ex alijs matribus filius carnali propagatione productus intactâ virginitate conſeruatâ, & cæteris omnibus concurrentibus, quæ ad naturalem procreationem exiguntur.

*De diuiſione conſanguinitatis.* 7. Diuiditur autem conſanguinitas ſecundum eumdem D. Thom. *loc. cit. art.* 2. per lineas, & gradus: *Linea eſt ordinata collectio perſonarum ab uno ſtipite deſcendentium*, & eſt duplex. Alia dicitur: *linea recta*: alia *tranſuerſalis*, *ſeu obliqua*: illa definitur, quod eſt: *Collectio eorum quorum unus ab altero deſcendit*, ut filius à patre, nepos à filio, & deinceps. Et quamuis ſit unica reipſa, per noſtram conſiderationem in duplicem ſecatur: alia eſt *aſcendentium*, illa nimirum, qua progredimur à genitis ad genitores, ut à filio ad patrem, à patre ad auum: alia *deſcendentium*, & eſt, qua à progenitoribus ad genitos deſcendimus, ut à patre ad filium, à filio ad nepotem. Linea *tranſuerſalis* definitur, quòd eſt; *Collectio eorum, qui ab eodem ſtipite deſcendunt ſine eo, quòd unus ab alio ortum ducat*, ut ſunt fratres, conſobrini, &c. Et hæc etiam eſt in duplici differentia: una quæ dicitur *æqualis*, earum ſcilicet perſonarum, quæ diſtant æquali gradu ab uno ſtipite, ut duo fratres; alia *inæqualis*, quandò inæqualiter reſpectu unius principij ſe habent, ut patruus, & nepos: *Gradus eſt diſtantia maior, vel minor unius perſonæ ab alia ſecundum lineam conſanguinitatis.* Denique *ſtipes eſt illa perſona, à quâ aliæ conſanguineæ trahunt originem*, ut ſtipes fratrum eſt pater, ſtipes nepotum auus.

*Diuerſitas inter ius Canonicum, & Ciuile.* 8. Quamuis in gradibus lineæ rectæ eodem modo ſe habeant ius Ciuile, & Canonicum in computatione illorum, at in linea tranſuerſali diuerſo modo procedunt, ut inquit D. Thom. *loc. cit. art.* 4. quia ius ciuile ad computationem gradus, attendit ad gradus ſingulorum: & quia duo fratres v. g. unuſquiſque uno gradu diſtat à patre, ſi ſint duo fratres, ait, duplici gradu inter ſe diſtare, ſi tres triplici. At ius Canonicum non attendit niſi ad gradus, quibus plures perſonæ ab uno ſtipite diſtant, vel accedunt. Et ideò quia frater uno ſolo gradu diſtat à patre, uno ſolo gradu diſtat ab alio fratre, & ab omnibus fratribus. Et quia in his, quæ pertinent ad matrimonium ius Canonicum ſpectari debet, & nihil ius ciuile poteſt diſponere; ideò nos illius computationi attendemus.

*Tres regulæ explicantur, quibus gradus cognoſci poſſint.* 9. Tres igitur regulas ab omnibus communiter acceptas tradit D. Thom. *in 4. diſt.* 40. *q. unic. art.* 2. *& in addit. quæſt.* 54. *art.* 2. *in corp. ad* 7. ad cognoſcendum quot gradibus unus ab alio diſtet. Prima in linea rectâ tot gradibus unus ab alio diſtat, vel coniungitur quot generationibus ab eodem ſtipite deſcendit, ut filius una generatione deſcendit à patre, & ſic uno gradu diſtat ab illo: nepos duobus generationibus deſcendit ab auo, & ſic duobus gradibus diſtat ab eo, & in duplici gradu conſanguinitatis iungitur cum eo. Alij hoc modo hanc regulam explicant, ut tot gradibus unus diſtet ab alio, quot perſonæ intercedunt, dempto ſtipite, ut inter filium, & patrem dantur duæ perſonæ, ſi demas ſtipitem, qui eſt pater, unus tantummodò gradus remanet. Ità Candid. *diſq* 38. *art.* 1. *dub.* 3. *concluſ.* 5. Cornejo noſter *diſputat.* 7. *dub.* 11. N. Gabr. *diſp.* 6. *q.* 7. Secunda regula lineæ tranſuerſalis æqualis eſt, ut tot gradibus duos diſtare, aut iungi inter ſe iudicetur, quot gradibus communi ſtipiti iunguntur, vel ab eo diſtant, ut duo fratres uno ſolo gradu diſtant à patre, & ideò uno ſolo diſtant inter ſe. Hæc regula habetur in *capit. Parentelæ* 35. *quæſt.* 5. *& capit. Ad ſedem*, *eadem quæſt.* Tertia regula pro linea tranſuerſali inæquali eſt, quæ aſſignatur in *capit. fin. de conſanguin.* quod nimirùm, tot gradibus unus alteri iungitur, vel diſtat; quot gradibus remotior diſtat à communi ſtipite, verb. grat. Nepos duplici gradu diſtat ab auo, & ideò patruus frater ipſius aui, vel patris duplici gradu diſtat à nepote. Has tres regulas aſſignant præter D. Thom. Cornejo *diſput.* 7. *dub.* 11. Dicaſtill. *diſput.* 7. *dub.* 20. *num.* 188. Palaus *diſput.* 4. *punct.* 7. *num* 3. Sanch. *lib.* 7. *diſput.* 50. *num.* 4.

*In quibus gradibus conſanguinitas dirimat matrimonium?* 10. Quamuis olim ad diuerſos gradus conſanguinitas inducens impedimentum dirimens pro matrimonio extenderetur, præcipuè verò uſque ad ſeptimum, *cap. Ad ſedem* 35. *q.* 5. Modò tamen ex decreto Innoc. III. *anno Domini* 1200. tam pro lineâ rectâ, quàm pro tranſuerſali decretum fuit quòd ſolùm ad quartum gradum incluſiuè extenderetur, in *capit. Non debet*, *de conſanguinit.* Ratio verò aſſignandi hoc impedimentum dirimens inter cognatos, tradita fuit à D. Thom. *loc. citat.* Tum: quia matrimonium inſtitutum fuit à Deo ad fouendam charitatem, familiaritatem, & amorem inter affines: ad hoc autem expediens fuit, quòd non contraheretur inter conſanguineos: quia iam ex ſanguine erant amore, & familiaritate coniuncti, ſed ad alios extenderetur, ut ſic omnes charitate, & amicitia copularentur. Tum etiam: quia multum dedecet reuerentiæ, & pudori debito ſanguini, actus coniugalis ob turpitudinem ſibi innatam: & ſic debuit impediri matrimonium inter eos, qui ſanguine iunguntur. Tum denique: quia cum inter conſanguineos magna familiaritas habeatur, magnam iacturam caſtitas pateretur, ſi copula inter eos eſſet poſſibilis per matrimonium. ¶ Rationem verò, ob quam iure nouo reſtrictus fuit conſanguinitatis gradus im-

Digitized by Google

impediens matrimonium uſque ad quartum gradum, qui iure antiquo ulteriùs progrediebatur, aſſignat *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de reformat.* his verbis: *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis, ignoranter contrahi matrimonia in quibus vel non ſine magno peccato perſeueratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur.*

*Non omnia matrimonia quæ iure naturæ ſunt illicita, ſunt iure naturæ nulla.*

11. An verò iure naturæ ſit tale matrimonium inter conſanguineos irritum? Eſt difficultas. Sed ut certa ab incertis ſeparemus, ſciendum eſt, poſſe aliquod matrimonium eſſe iure naturæ prohibitum, non verò nullum, ut matrimonium poſt votum caſtitatis, vel matrimonium cum unâ poſt ſponſalia contracta cum alia, iure eſt naturæ prohibitum, non verò irritatum. Vnde quamuis in aliquibus gradibus ſit matrimonium iure naturæ illicitum, non inde ſequitur eſſe nullum. Quare apud omnes illicitum eſt matrimonium iure naturæ, inter omnes conſanguineos lineæ rectæ, propter reuerentiam, quam filij parentibus, & auis, qui ſunt ſua principia, debent, cui reuerentiæ, ut dicemus, copula, ad quam matrimonium ordinatur, aduerſatur; & tamen non eſt certum apud omnes, eſſe irritum matrimonium iure naturæ, inter omnes conſanguineos lineæ rectæ. Similiter in primo gradu lineæ tranſuerſalis eſt apud omnes illicitum matrimonium iure naturæ; non tamen eſt certum apud omnes eſſe nullum.

*In primo gradu lineæ rectæ eſt irritum matrimonium iure naturæ.*

12. Secundò ſupponendum eſt, ut ſententia communis, quòd in primo gradu lineæ rectæ eſt iure naturæ nullum matrimonium. Ita D.Thom. 2.2. q.154. *art* 9. *ad* 3. & *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt unic. art.* 3. & *in addition. quæſt.* 54. *art.* 3. D. Ambroſ. *epiſt.* 66. *ad patern.* ubi ſic ait: *Ne pater filiam ſuam accipiat uxorem, interdictum eſt iure naturæ, interdictum eſt lege, quæ eſt in cordibus ſingulorum, interdictum eſt inuiolabili præſcriptione pietatis, titulo neceſſitudinis.* Nec neceſſe eſt Auctores congerere in re adeò communi inter illos ab omnibus gentibus receptâ, quæ ſemper quantumuis barbaræ talia matrimonia ſunt deteſtatæ, imò ipſa bruta animalia horrorem maximum habuerunt, commiſcendi ſe cum parentibus copula carnali ut fatetur Ariſtot. *de hiſtor. animal. lib* 9. *cap.* 59. & Plinius *lib.* 8. *hiſt. natur. cap.* 42. Vnde non eſt credibile, Deum dediſſe hominibus poteſtatem, ut filij traderent ſuum corpus parentibus in ordine ad copulam maritalem, quod eſt de eſſentia matrimonij. Ratio etiam naturalis hoc ipſum perſuadet, quam D. Thom. *loc. cit.* attingit. Tum: quia tale coniugium fini primario matrimonij obſiſtit, non quidem ſimpliciter, cum ex parentis & filiæ concubitu poſſit proles generari & educari, ſed quoad modum: quia indecentiſſimè id fieret, cum copula carnalis quamdam turpitudinem pudendam ſecum afferat: & ideò fit cum quadam irreuerentia alterius ad alterum, quæ eſt contra reuerentiam parentibus debitam. Tum etiam: quia matrimonium petit inter coniuges æqualitatem in obſequijs domeſticis in mutua obligatione ad debitum perſoluendum: ergò non poteſt eſſe inter patrem, & filiam, quæ illi ſemper debet eſſe inferior, & ſubiecta, maximè inter filium, & matrem, cum uxor ſit quodammodo ſubiecta viro, & filius debeat ſemper ſubijci matri.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

13. Sed obijcies. Non repugnat, quod filius, qui ratione filiationis eſt patri ſubiectus, ſit illi æqualis ratione contractus, ut in alijs contractibus inter patrem, & filium initis apparet manifeſtè, imò poteſt illi eſſe ſuperior ratione dignitatis: ergò ſimiliter quamuis ſit filius parentibus ſubiectus ratione filiationis, poterit eſſe æqualis, vel ſuperior ratione matrimonij. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quia matrimonium petit æqualitatem, & ſuo modo ſuperioritatem inter virum, & uxorem in ordine ad actiones naturales, & domeſticas, & in ordine ad mutua obſequia, in quibus ſemper filius debet eſſe parentibus inferior. Alij verò contractus, vel dignitates ſunt in ordine ad actiones ciuiles, vel publicas, & communes, in quibus poteſt dari æqualitas, imò ſuperioritas in filijs reſpectu parentum. ¶ His ſic ſtatutis, reſtat duplex grauiſſima difficultas denodanda. Prima. An inter omnes aſcendentes, & deſcendentes ſit irritum matrimonium iure naturæ? Secunda: An inter conſanguineos lineæ collateralis in primo gradu, ut inter fratrem, & ſororem, ſit irritum iure naturæ matrimonium? Dicimus *inter fratrem, & ſororem*: nam in alijs gradibus lineæ tranſuerſalis conſtans eſt apud omnes, non eſſe iure naturæ matrimonium irritum, ut conſtat ex *cap. Gaudemus, de diuortijs*, ubi Innocentius III. dicit, coniugatos conuerſos ad fidem non eſſe ſeparandos, ſi in ſecundo, aut tertio gradu conſanguinitatis contraxerint, quod decernere non poterat, ſi iure naturæ eſſet nullum tale matrimonium.

*Sententia aſſerens iure naturæ eſſe nullum matrimonium inter conſanguineos lineæ rectæ in omnibus gradibus.*

14. Circa primam, ergò difficultatem eſt duplex probabiliſſima ſententia. Prima aſſerit, iure naturæ eſſe nullum matrimonium inter deſcendentes, & aſcendentes omnes uſque in infinitum: ita ut ſi Adamus modò reſurgeret, cum nullâ fœminâ poſſet matrimonio coniungi. Ita Sot. *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt. unic, art.* 2. Rebell. *lib.* 3. *de impedim. quæſt.* 5. *ſect.* 2. *nu.* 2. Bellar. *lib.* 1. *de Matrim. cap* 28. Coninc, *diſp.* 32. *dub.* 1. *num.* 16. Hurtad. *diſp.* 17. *diff.* 4. *num.* 9. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 22. *num.* 212. Trull. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 7. N. Ant. *tract.* 11. *diſput.* 5. *numer.* 379. Et probatur ex *leg. Nuptiæ, ff. de rit. nupt.* ubi dicitur: *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum, liberorumuè ſunt, ſiue proximi, ſiue ulterioris ſint uſque in infinitum.* Et *leg. ultim. ff. eod. titul.* ibi: *Iure gentium inceſtum committit, qui ex gradu aſcendentium, vel deſcendentium uxorem duxerit.* Et ratione probatur: quia deſcendens dependet in ſuo eſſe ab aſcendentibus, qua de cauſa eos ut parentes debet revereri: huic autem reuerentiæ maximè obſtat uſus coniugij, ut iam diximus. ¶ Alij Auctores non uſque in infinitum extendunt hoc negotium, ſed ad diuerſos gradus. Vſque ad vigeſimum Couarruu. 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 6. Vſque ad ſeptimum Lopez *part.* 2. *de Matrim. cap.* 49. Vſque ad quartum gradum Angel. *verb. Matrim.* 3. *impéd.* 6. Vſque ad tertium Enriq. *libr.* 12 *de Matrim. cap.* 1. *nu.* 2. Vſque ad ſecundum Sot. *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt. unic. art.* 3. & Valent. *q.* 5. *de Matrim. punct.* 3. Et hoc videtur iure diuino ſtatutum: nam Leuit. 18. dicitur: *Turpitudinem filiæ filij tui, & neptis ex filia non reuelabis.*

*Sententia oppoſita amplectimur.*

15. Secunda ſententia, cui nos adhæremus, dicit, iure naturæ ſolùm eſſe irritum matrimonium in primo gradu lineæ rectæ: ac proinde

inter patrem, & filiam, vel inter matrem, & filium; non verò in alijs, ut inter auum, & neptem, &c. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 9. *ad* 3. *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt. unicâ*, *art.* 3. *& in addit. quæſt.* 54. *art.* 3. Ledeſm. *ibi. diſſ.* 2. Palaus *diſput.* 4. *punct.* 7. *numer.* 9. Auerſ. *quæſt.* 16. *ſect.* 1. §. *Ex alia parte.* Cornej. *diſput.* 7. *dub.* 12. *ſol.* 979. Candid *diſq.* 28 *art.* 6. *dub.* 4. *concl.* 10. *& dub.* 5. *per totum*, Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 51. *num.* 19. Baſil. *lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 4. Dian. 4. *p. tract.* 1. *reſol.* 69. Bonac. *q.* 3. *punct.* 5. § 1. *num* 8. Perez *diſp.* 28. *ſect.* 2. *num.* 8. *& ſect.* 4. *nu.* 4. Armil. *verb. Diſpenſatio*, *n.* 9. *&* 20. Syluius *q.* 54. *a.* 3. N. Gabr. *diſ.* 6. *num.* 87.

*Ex textibus probatur concluſio.*

16. Probatur primò: quia in *cap. Gaudemus, de diuortijs*, Innocentius III. docet, infideles, qui ad fidem conuertuntur, non ſeparandos eſſe à coniugibus, ſi in ſecundo, aut tertio gradu contraxerint. Et idem Innocent. in *cap. Non debet, de conſang. & affinit.* docet iure Eccleſiaſtico ſolùm ad quartum gradum conſanguinitatis, extendendum eſſe impedimentum dirimens matrimonium; ergò ſentit, quòd non in omnibus gradibus eſt irritum iure naturæ. Nec valet dicere loqui hos textus de conſanguineis in linea tranſuerſali, non in linea recta: nam etiam de linea recta loquuntur: ſi enim de hac non eſſet ſermo, cum non detur alius textus, ex quo iure Eccleſiaſtico dirimatur matrimonium uſque ad quartum gradum lineæ rectæ, fieret inde nullo iure Eccleſiaſtico irritari tale matrimonium. Et cum ſit probabilis opinio aſſerens iure naturæ non eſſe irritum tale matrimonium, poſſent modò homines abſque diſpenſatione, matrimonium inire intrà illum gradum, quod nullus admittet: igitur etiam de conſanguineis in linea recta loquuntur. Et per hos textus iuris Canonici, ad quod ſpectat impedimenta matrimonij decernere, correctæ ſunt illæ leges iuris Ciuilis, pro contraria ſententia citatæ.

*Ratione id ipſum probatur.*

17. Ratione etiam probatur concluſio, per quam fundamentum contrariæ ſententiæ euertitur. Tum: quia auus, & cæteri aſcendentes non ſunt principium per ſe nepotum, ſed per accidens: accidit quippe filio, ut filius eſt, quod ſuus pater ab alio parente procreetur: & ideò, ut filius eſt, ſolum petit quod à parente ducat originem. Quapropter filij Adæ, qui non ab alio parente fuit genitus, non minùs quam alij erant filij, unde reuerentia debita auis non eſt per ſe, ſed per accidens: nam iſta ſuprà originem fundatur: & ſic non mirum, quòd non ſit tanta, ut poſſit obſiſtere uſui coniugij, ita ut iſtud ſit nullum, ſed ad ſummum erit illicitum. Tum etiam: quia quò magis aliquis diſtat à ſuo principio, ut inquit D. Thom. *loc. cit.* minor eſt coniunctio cum illo, & ideò minorem debet ei reuerentiam, ob quam minor indecentia in uſu matrimonij inuenitur: quæ proinde non reddit irritum matrimonium ex ipſo naturæ iure.

*Explicatur textus Leuitici.*

18. Solum reſtat reſpondere ad illum textum Leuitici, in quo videtur iure poſitiuo diuino, ſaltem eſſe irritum matrimonium in ſecundo gradu lineæ rectæ. Ad quem dicimus in primis, tale præceptum fuiſſe ex ceremonialibus, & legalibus illius legis, quæ per legem Chriſti abrogata ſunt, ut inquit Sanch. Palaus Dicaſt. Trull. Sed dato, quòd eſſet ex præceptis moralibus, & naturalibus, quæ per legem Chriſti non fuerunt extincta, dicendum eſt cum Caiet. *in cap.* 16. *Leuit. & in opuſc. de Matrimonio Regis Angliæ*: quòd illud præceptum ſecundum quod extendebatur ad ſecūdum gradum, fuit iudiciale, & ſecundum quid naturale non irritans, ſed prohibens. Et conſtat manifeſtè: nam in dict. *cap.* 18. *Leuit.* etiam alia impedimenta aſſignantur pro matrimonio tàm in linea recta, quam tranſuerſali, quæ apud omnes non ſunt de iure naturæ. Quapropter *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *Can.* 3. definit, poſſe Eccleſiam diſpenſare in aliquibus ex impedimentis, quæ in Leuitico aſſignantur: ergò non omnia erant ex iure naturæ, aut diuino: & ideò ibi. *nu.* 18. dicitur: *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente.* Et tamen Iacob duxit ſororem uxoris ſuæ, illa viuente, quandò viuente Lia duxit Rachelem, quod non faceret ſi eſſet hoc iure naturæ nullum. Similiter ibi. *num.* 9. dicitur: *Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſiue ex matre, quæ domi vel foris genita eſt, non reuelabis.* Et tamen Abraham duxit Saram, quæ ut inquit D. Hieron. *in qq. Hebraic. in Geneſ.* Clemens Alexand. *lib.* 2. *Strom.* Caietan. *Geneſ* 20. *&* Sot. *libr.* 2. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 8. *ad* 4. erat ſoror ſua ex patre, & non ex matre, & deducitur ex illis verbis, *Geneſ.* 12. *Vnde ſoror mea eſt filia patris mei, & non matris meæ.* Non ergò erat iure naturæ irritum tale matrimonium; erat tamen illicitum, ſed aliqua urgente cauſa, & ſingulari, ac rarò poterat honeſtari.

19. Circa ſecundam difficultatem, an nimirum in lineâ tranſuerſali ſit iure naturæ nullum matrimonium in primo gradu, ut inter fratrem, & ſororem, etiam eſt duplex ſententia ſatis probabilis. Prima affirmatiua, quam tenent Abulenſ. *Leuit.* 28. *quæſt.* 5. Sot. *in* 4. *diſtinct.* 40. *quæſt. unic art.* 2. Enriquez *libr.* 12. *cap.* 9. *numer.* 4. Tolet. *libr.* 7. *ſumm. cap.* 1. *numer.* 2. Couarruu. 4. *Decretal.* 2. *part. capit.* 6. §. 10. *numer.* 5. Sanchez *num.* 11. Coninc, *num.* 19. Bonacin. *num.* 12. Valent. *tom.* 4. *diſput.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. §. *Controuerſia*, Lugo Cardin. *de Pœnitent. diſput.* 16. *num.* 143. Petrus de Ledeſm. *quæſt.* 54. *art.* 3. *diff.* 2. Trullench *num.* 9. N. Ant. *num.* 382. Gonet. *diſ.* 9. *a.* 3. Sylu. *quæſt.* 54. *a.* 3. Et probatur primò: quia Innocentius III. *in cap. Gaudemus cit.* docet ſeparandos non eſſe infideles ad fidem conuerſos, ſi in ſecundo, & tertio gradu contraxerunt matrimonium: ergò ſentit, quòd ſi in primo contraxiſſent, eſſent ſeparandi. ¶ Secundò: quia Eccleſia numquam in tali impedimento, quacumque cauſa interueniente, diſpenſauit, quod eſt ſignum eſſe iure naturæ inductum. ¶ Tertiò: quia tale matrimonium, & illius copulam, plures gentes deteſtatæ ſunt, teſte Ariſtotel. *libr.* 2. *Politic. cap.* 2. quod eſt ſignum iure naturæ eſſe nullum: & ideò Abraham *Geneſ.* 12. dicendo Saram eſſe ſororem ſuam, intellexit in mentem illorum Gentilium non poſſe venire, eſſe ſibi matrimonio coniunctam. ¶ Denique quia actus coniugalis ob turpitudinem, quam ſecum affert, aduerſatur pudori, & reuerentiæ, quæ ſanguine ita coniunctis debetur.

*In primo gradu lineæ tranſuerſalis eſſe nullum matrimonium iure naturæ ab aliquibus aſſeritur.*

20. Secunda, & verior ſententia dicit, non eſſe irritum iure naturæ tale matrimonium. Ita D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 40. *citat. quæſt. unic. artic.* 3. *& in addit. quæſt.* 54. *artic.* 3. *&* 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 9. *ad* 3. Caiet. *ibi, & cap.* 18. *in Leuit.*

*Vera ſententia negans eligitur.*

Palaus

Palaus *diſp*.4 *punct*.7. *num*.11. Baſil. *cap*.32. *numer*.3. Hurtad. *num*.12. noſter Cornejo *dub*.13. Candid.8. Dicaſtil. *numer*. 222. Auerſ. *ſect*.1. 5. *Sed putandum*.N.Gab.*diſ*.7.*num*.88. Franc. Bonæ Spei, *diſ*.7.*num*.64.& 71. N.Steph. *diſ*.8. *dub*.8. Et colligitur ex *Scriptura*, 2. *Reg* 23. ubi refert ſacer textus Thamar Amnon fratri ſuo, qui illum opprimere volebat, dixiſſe: *Noli frater opprimere me, noli facere ſtultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*: quibus innuit practicatum ſaltem in caſu raro, & ex grauiſſima cauſa, ut frater uxorem duceret; aliàs ſtultiſſimè loqueretur. Imò plures gentes benè inſtitutas tale matrimonium uſitatas fuiſſe, docet *Paleotus libr. de Nothis filijs*, *cap*. 3. *numer*. 2. Et quod magis initio mundi fratres uxores ducebant ſorores, & non eſt credibile hoc vel ex diſpenſatione diuina, vel propter neceſſitatem propagandi genus humanum fuiſſe validum: incredibile quippe eſt priora coniugia facta fuiſſe violato iure naturæ: nam Deus opifex illius non conderet naturam cum talibus conditionibus, ut non poſſet in primo limine, niſi contra ipſam naturam operando, conſeruari. Ac tandem ratio idipſum perſuadet: quia frater, & ſoror non ſunt directè una caro, ſicut pater, & filius, nec inter ipſos repugnat æqualitas, nec eſt mutua reuerentia debita, cum nemo eorum ſit ſuperior: & ideò fini matrimonij non eſt contrarium tale coniugium.

*Infideles, qui contraxerunt in primo gradu per ſe, non ſunt ſeparandi.*

21. Ad primum argumentum contrarium dicimus Innocent.III.noluiſſe contra unam, vel alteram opinionem decernere; ſed quia res erat in dubio, an in primo gradu eſſet nullum matrimonium, vel non, de hoc nihil egit, ſed de alijs gradibus, de quibus non erat controuerſia. Sed ex noſtra ſententia, & ex dictis in hoc puncto ſequitur, quòd infideles ad fidem conuerſi ſeparandi non ſunt à coniugio, ſiue in ſecundo gradu lineæ rectæ contraxerint, ſiue in primo lineæ tranſuerſalis, dummodò in primo gradu lineæ rectæ non fuerint coniuncti, ſi matrimonium legitimè, id eſt, iuxtà id, quod ex ſuâ naturâ petit, & iuxtà leges, & inſtituta politica ſuæ patriæ celebrarunt. Sed quia vix datur Reſpublica adeò barbara, in qua iure poſitiuo non irritetur matrimonium inter fratrem, & ſororem, ſeparandi ſunt tales infideles, quandò conuertuntur ad fidem, qui hoc modo contraxerunt: vel quia multoties viuente priori uxore, & illa retenta, vel dimiſſa matrimonium contrahunt: vel quia ad tempus, & non in perpetuum, quæ omnia faciunt illorum matrimonium nullum: & ſic ſeparandi ſunt; non verò quia in gradu primo lineæ tranſuerſalis contraxerint. Ita Cornej. *dub*.14.*fol*.983. Candid. *diſquiſ*.28. *art*.5.*dub* 8. Bonatin. *num*.9.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

22. Ad ſecundum admiſſo, nunquàm Eccleſiam in tali matrimonio diſpenſaſſe, hoc non eſt, quia ſit iure naturæ irritum, ſed quia illicitum, & indecens valdè, nec poteſt occurrere iuſta cauſa talem diſpenſationem impertiendi (quidquid ſit, an hoc poſſit facere, de quo ſuo loco dicemus.) Diximus *admiſſo*: quia Syluest. *in ſum. verb. Papa*, *quæſt*.17. teſtatur id factum fuiſſe aliquandò, his verbis: [*Reperitur* Martinus V. *ut Archidiaconus refert, diſpenſaſſe cum eo, qui cum ſuâ germanâ contraxerat, & conſummauerat, habito conſilio cum peritis Theologis, & Canoniſtis propter mala, & ſcandala aliàs inde euentura; licèt aliqui dicerent eum hoc non poſſe*. Tertium, & quartum argumentum ſolùm probant eſſe illicitum tale matrimonium, & iuſta ratione iure poſitiuo irritatum, non verò eſſe nullum iure naturæ, ob quam rationem illud deteſtatæ ſunt plures nationes: & quia raro occurrebat occaſio in qua tale matrimonium honeſtaretur, potuit perſuadere Abraham Saram non eſſe coniugem ſuam, dicendo eſſe ſororem, quamuis, ut diximus *num*. 18. probabile ſit fuiſſe ſuam ſororem ex patre, quod potiùs noſtram ſententiam confirmat.



## PVNCTVM. II.

### *De cognatione ſpirituali, quas conditiones requirat, quomodo contrahatur, & inter quas perſonas?*

*Quid ſit cognatio ſpiritualis.*

23. Cognatio ſpiritualis eſt *propinquitas perſonarum iure Eccleſiaſtico introducta, ex ſuſceptione, vel conceſſione Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis.* Ex qua definitione conſtat, cognationem hanc non eſſe nec ex iure diuino, nec ex iure naturæ in nullo gradu, ſed præcisè ex iure Eccleſiaſtico. Contrahitur autem in duobus tantummodò Sacramentis nempe in Baptiſmo, & Confirmatione, non alijs, cuius rationem reddit optimè D. Thom. *in* 4. *diſt*. 42. *quæſt*. 1.*art*.2.& *in addit. quæſt*. 56.*art*. 2. *ad* 1. his verbis: *Ad primum ergo dicendum: quod duplex eſt carnalis natiuitas. Prima in utero, in quo adhuc id, quod natum eſt, eſt adeò debile, quod non poſſit extraponi ſine periculo, & huic natiuitati aſſimilatur regeneratio per Baptiſmum, in quo regeneratur aliquis adhuc quaſi fouendus intrà uterum Eccleſiæ. Secunda eſt natiuitas ex utero, quando iam quod natum erat, in utero tantum roboratum eſt, quod poteſt ſine periculo exponi exterioribus, quæ nata ſunt corrumpere: & huic aſſimilatur Confirmatio, per quàm homo roboratus exponitur in publicum ad confeſſionem nominis Chriſti. Et ideò congruè per utrumque iſtorum Sacramentorum contrahitur cognatio ſpiritualis.*

*Obiectio probans in Sacramento Pœnitentiæ contrahi cognationem.*

24. Sed quamuis argumenta omnia omittamus, quibus probari ſolet etiam in alijs Sacramentis contrahi cognationem ſpiritualem; illud prætermittere non poſſumus, quo probatur etiam in Sacramento Pœnitentiæ talem cognationem contrahi, quod ſic ſe habet. Quia in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos dicitur pater ſpiritualis, & pœnitens filia eius ſpiritualis non minùs quàm in Baptiſmo, *cap. Omnes* 30. *quæſt*. 1. ubi Symmachus *Papa*, ait: *Omnes, quos in Pœnitentia accepimus, ita filij noſtri ſunt, in Baptiſmate ſuſcepti*: ergò non minùs quàm in Baptiſmate contrahitur cognatio ſpiritualis. ¶ Confirmatur: quia ratione huius cognationis ſpiritualis peccatum fornicationis habitum inter confeſſorem, & pœnitentem inducit nouam circumſtantiam inceſtus, ratione cuius eſt in confeſſione talis circumſtantia detegenda: ergò etiam per tale Sacramentum cognatio ſpiritualis contrahitur.

*Reſpondetur ad obiectionem.*

25. Reſpondetur ad argumentum: quòd in Pœnitentiâ valdè metaphoricè, & impropriè dicuntur filij, & parentes, non ob aliquam cognationem ſpiritualem, cum Bonifacius VIII. *in cap. final.*

*de cognatione ſpirituali in 6.* dicat, ex nullo alio Sacramento prætee Confirmationem, & Baptiſmum contrahi cognationem ſpiritualem. Et ideò ſi olim iure, vel conſuetudine fuit introducta, iam nunc hoc iure Bonifacij, & conſuetudine Eccleſiæ eſt abolita. Sed rationem, quare in Pœnitentiâ non propriè contrahatur cognatio ſpiritualis, tradit D. Thom. *loc. cit. ad* 8. *ſic: Ad octauum dicendum: quod per Sacramentum Pœnitentiæ non contrahitur, propriè loquendo, ſpiritualis cognatio: unde filius Sacerdotis poteſt contrahere cum illa, quam Sacerdos in confeſſione audiuit, aliàs filius Sacerdotis non inueniret in tota Parochiâ mulierem, cum quâ contrahere poſſet. Nec obſtat, quòd per Pœnitentiam tollitur peccatum actuale: quia hoc non eſt per modum generationis, ſed magis per modum ſanationis.*

*Ad confirmationem reſponſio.*

26. Ad Confirmationem dicimus tangere grauem difficultatem, quæ hîc à Sanchez, & Ledeſ. ex profeſſo deciditur, ab alijs *in tractatu de Pœnitentia*: An nimirùm peccatum fornicationis habitum cum filia confeſſionis ſit noua circumſtantia in confeſſione detegenda? Omnibus in eo conuenientibus, quòd ſi in ipſa confeſſione, vel immediatè proximè ad ipſam, vel ſolicitatio, aut peccatum carnis perpetratum fuerit, eſt neceſſariò confitenda talis circumſtantia, non propter cognationem ſpiritualem, quæ ibi nulla eſt, ſed propter ſpecialem irreuerentiam factam Sacramento. Et ideò propter magna damna, quæ ex tam neſando peccato conſurgunt, à Sacris Canonibus, & Pontificibus grauiſſimè ſub pœnis grauiſſimis prohibetur: & ſic eſt peccatum ſacrilegij, non inceſtus.

*Cum filia confeſſionis peccatum carnale eſſe, & non eſſe peccatum ſpeciale eſt probabile.*

27. At ſi extrà confeſſionem ſit tale peccatum à Sacerdote cum filia confeſſionis commiſſum adhuc eſſe peccatum ſacrilegij in confeſſione detegendum, docent Sanch. *lib. 7. diſp. 55. num. 3. & 4.* Conine, *diſp. 31. dub. 2. num. 23.* Riccius *deciſ. 376.* Cornejo N. *hic diſp. 7. dub. 15. §. Reſpondetur*, Candid. *diſquiſ. 24. art. 23. dub. 28.* Nuño *in addit. quæſt. 9. art. 2. dub. 3.* Fagundez *præcep. 2. lib. 4. cap. 3. num. 33.* Et alij: quia ob ſpecialem reuerentiam Sacramenti facta eſt talis prohibitio *in Canon. omnes, Canon. ſi quis Sacerdos, Can. non debet 30. qu. 1.* Vnde ſicut quia furtum in loco ſacro, induit ſpecialem circumſtantiam ſacrilegij ob prohibitionem factam in reuerentiam loci: ita in præſenti. ¶ In hâc quæſtione Petrus de Ledeſm. *quæſt. 56. art. 2. dub. ult.* utramque partem probabilem dicit, Dicaſt. *hic diſp. 7. dub. 24. à num. 231.* utramque proponit, & indeciſam relinquit. Alij verò ut Baſil. *lib. 7. cap. 38. num. 7.* Sà *verbo Confeſſio, num. 25.* Azor *tom. 3. lib. 3. cap. 9. quæſt. 5.* Bonacin. *hic num. 7.* Leand. *hic diſp. 13. quæſt. 14. & tract. de Pœnit. diſp. 8. §. 3. quæſt. 51.* Vaſq. *quæſt. 91. art. 1. dub. 2. num. 20.* Sancius *in ſelect. diſput. 11. num. 3.* Diana *5. part. tract. 14. reſol. 110. & part. 1. tract. de circumſt. aggrauant. reſol. 12.* alios referens Trull. *hic cap. 9. dub. 8. num. 3.* N. Gab. *diſ. 6. num 90.* negant eſſe ſpecialem circumſtantiam in confeſſione detegendam: quia dicti textus non ob reuerentiam Sacramenti: ſed quia tunc cognatio illa ſpiritualis introducta erat, talem fornicationem ſpecialiter interdixerunt, quod ius reuocatum eſt per Boniſac. VIII. *dict. cap. fin. de cognat. ſpirit.* ¶ Vtraque ſententia eſt ſatis probabilis, ſed priorem cum Ledeſma probabiliorem iudicamus: quia eſt magis conformis D. Thomæ, qui poſt verba ſuprà adducta addit. *Sed tamen per Pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem, & Sacerdotem ſpirituali cognatione ſimilem, ut tantum peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia. Et hoc ideò quia maxima familiaritas eſt inter Sacerdotem, & confitentem, & ob hoc iſta prohibitio eſt inducta, ut tollatur peccandi occaſio.*

*Inter quas perſonas cognatio ſpiritualis contrahitur.*

28. Perſonæ, quæ impedimentum cognationis ſpiritualis contrahunt, numerantur à Concil. *Trid. ſeſ. 24. cap. 2. de Reſor.* ſic: *Statuit, ut unus tantùm ſiue vir, ſiue mulier iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur.* Et in fine: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omninò ſublatis.* Ex quo patet non amplius extendi hoc impedimentum his temporibus præterquàm ad illos, qui modò aſſignati ſunt à Concilio. Vnde inter baptizatum, & filios patrini, aut matrinæ, inter baptizatum, & filios baptizantis, poteſt contrahi matrimonium, & inter ipſum patrinum, & matrinam: & ſic vir, & coniux poſſunt eſſe Baptiſmi ſuſceptores, & nullum impedimentum incurrunt petendi ſibi inuicem debitum. Imò nullum peccatum eſt coniugatos eſſe ſuſceptores filij alieni in Baptiſmo: cum de hoc nulla prohibitio detur. Bonacin. *quæſt. 3. punct. 5. §. 2. num. 5.*

*Quid requiritur, ut baptizans contrahat cognationem.*

29. Vt inter baptizantem, & baptizatum, (idem eſt dicendum in Confirmatione) cognatio ſpiritualis contrahatur, nihil aliud requiritur, niſi quod verum Baptiſma conferat, ſi tamen verus Baptiſmus non detur, talis cognatio non contrahitur. Et propterea quandò puer eſt domi baptizatus, & ſupplentur in Eccleſia ſolemnitates, cognatio dirimens non contrahitur, cum non detur tunc verus Baptiſmus. Bonacin. *ſupr. num. 9.* Dicaſtill. *diſp. 7. dub. 27. numer. 256.* Sanch. *lib. 7. diſp. 62. num 1.* Similiter non contrahitur, ſi puer ſemel baptizatus rebaptizetur: quia tunc verum Sacramentum non conficitur, nec præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. Si autem ſub conditione rebaptizetur: quia eſt dubitatio de valore Baptiſmi antea ſuſcepti, tunc contrahitur cognatio dirimens: quia quandò non conſtat de Baptiſmo, præſumit Eccleſia tunc fieri, & cognationem ſpiritualem contrahi. Bonacin. *num. 10.* Sanch. *num. 6.* Dicaſtill. *num. 260.* Vltrà hoc requiritur, quod ipſe baptizans ſit baptizatus (Similiter in Confirmatione,) & etiam patrinus, ac matrina. Si autem infidelis baptizaret puerum, vel illum de ſacro ſonte leuaret, non contraheret cognationem cum illo: eo quòd hæc cognatio ſpiritualis eſt introducta iure Eccleſiaſtico, & ſic non ligat eos, qui non ſunt ſubiecti Eccleſiæ. Quare ſi infidelis aut baptizaret, aut ſuſciperet puerum de Baptiſmo, & poſteà ad fidem conuerteretur, poſſet contrahere matrimonium cum patre, vel matre baptizati, imò cum ipſo baptizato, Conine, *diſp. 28. dub. 2. num. 25.* Bonacin. *ſupr. num. 19.* Sanch. *lib. 7. diſp. 60. numer. 7.* Dicaſt. *diſp. 7. dub. 25.*

30. Su-

*Quales ſuſceptores contrahant cognationem?*

30. Suſceptores pueri de Baptiſmo debent eſſe deſignati vel à parentibus pueri, vel ab alijs, quibus incumbit cura illius, ut dixit *Concil. ſeſ.* 24. *cap.* 2. *allegato.* Sed quid ſi nullus eſſet deſignatus, & plures tangerent, vel ſuſciperent baptizatum? Reſpondet Palaus *diſp.* 7. *punct.* 9. *num.* 2. Suarez 3. *part. quæſt.* 68. *artic.* 8. *ad fin.* Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 57. *num.* 12. Neminem contrahere cognationem: quia Concilium exigit deſignationem, tanquàm neceſſariam, conditionem ut tangentes ſint veri patrini. Sed Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 17. *fol.* 938. ex Rebell. *lib.* 3. *de impedim. quæſt.* 6. *num.* 95. & Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 5. §. 2. *num.* 24 aſſerunt, quòd ſi in tali caſu plures ſucceſſiuè tangant baptizatum, illi duo, qui priores tetigerint, contrahunt cognationem, & non alij, ſi verò plures ſimul ipſum tetigerint, omnes contrahunt cognationem: quia ita inquiunt declaraſſe Congregationem Cardinalium.

*Alia conditiones pro patrinis requiſita.*

31. Deinde requiritur, quòd patrini puerum teneant, quandò aquâ Baptiſmi ei infunditur, vel ungitur Chriſmate ſacro, vel ex ſacro fonte leuent, ſtatim ac baptizatus eſt, & ſuſcipiant, ſi non per aquæ infuſionem, ſed per ſubmerſionem à Parocho baptizatur, cap. *Omnes* 33. *q.* 1. Ad quod requiritur contactus phyſicus, ut verificetur verè eum tangere, aut tenere, & ideò non contraherent hanc cognationem, qui præciſè aſſiſterent, vel qui digito tantummodò puerum tangerent: quia ſic non verificaretur eum verè tangere, aut tenere. Non autem requiritur, quòd aliquid pro puero reſpondeant, quandò fit catechiſmus. Sanc. *lib.* 7. *diſp.* 56. N. Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 27. Bonac. *qu.* 3. *punct.* 5. §. 2. Verè tamen debent intentionem habere faciendi munus patrini, & faciendi, quod ex inſtituto Eccleſiæ patrini debent facere, aliter non contraheretur huiuſmodi cognatio: quia nulla poteſt oriri obligatio ſine intentione, & conſenſu. Satis eſt, quod habeant uſum rationis, nec requiritur maior ætas in patrinis, quàm in baptizatu, ſed pueri poſſunt eſſe in baptiſmo veri patrini, D. Thom. *quæſt.* 57. *art.* 1. *ad* 5. ubi aſſignat diſcrimen quoad hoc inter cognationem ſpiritualem, & cognationem legalem.

*Non contrahitur cognatio in Baptiſmo priuato à patrinis.*

*Vide N. Ant. tract.* 21. *diſ.* 5. *num.* 385.

32. Sed quæres. An hæc cognatio ſpiritualis inter patrinos, & baptizatum ſolùm in Baptiſmo ſolemni contrahatur, an verò etiam in Baptiſmo priuato? ¶ Reſpondetur, ſolùm in Baptiſmo ſolemni. Ita Palaus Cornej. *loc. cit.* Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 5. §. 2. *num.* 11. Sot. *in* 4. *diſt.* 42. *quæſt.* 4. *art.* 1. Dicaſt. *diſput.* 7. *dub.* 30. *num.* 304. quia hæc cæremonia inſtituta eſt ab Eccleſia pro ſolemni Baptiſmo. Et ideò ſi in priuato omittatur, nullum eſt peccatum, nec reſpectu illius dicuntur veri patrini. ¶ Et ſi obijcias: quod baptizans in Baptiſmo priuato verè contrahit cognationem ſpiritualem: ergò ſimiliter eum ſuſcipiens aut tenens. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quia qui in Baptiſmo priuato baptizat, verè baptizat, & Sacramentum confert, ſuſcipiens verò non eo modo ſuſcipit, quo eſt ab Eccleſiâ ſtatutum.

*Qui baptizat priuatè etiam in neceſſitate cognationem contrahit.*

33. Ex quo deducitur: quod laicus, qui in neceſſitate puerum baptizat, contrahit cognationem ſpiritualem cum eo: quia verum Baptiſmum confert, & Sacramentalem efficit actionem. Nec obeſt, quòd ad id teneatur ratione neceſſitatis, ſiquidem etiam Parochus ratione officij tenetur puerum baptizare, & tamen cognationem ſpiritualem contrahit cum eo, quandò verè ipſum Baptiſmum confert. Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 16. *in fin.* Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 5. §. 2. *num.* 11. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 30. ¶ Obijcies. Parentes, qui in caſu neceſſitatis puerum baptizant, non contrahunt cognationem ſpiritualem, quæ impediat uſum matrimonij, *cap. Ad limina* 33. *quæſt.* 1. ergò nec ſimiliter laicus eum baptizans in caſu neceſſitatis. ¶ Reſpondetur eſſe diſparem rationem: quia ſi parentes talem cognationem contraherent, eſſet ipſis pœna, cum eos uſu coniugij, ad quem habent ius, priuaret, & pœna pro adimpletione præcepti in tali caſu urgentis non debet poni, in alijs verò non ſtatuitur, ut pœna, ſed ut charitas & amor ad alios extendatur. Et ideò abſque culpâ poteſt tale impedimentum contrahi propter alias cauſas ſicut iudex ſuſpendens latronem non peccat, & tamen propter alias cauſas fit irregularis.



## PVNCTVM III.

*Quid ſit, & quotuplex cognatio legalis? Quas conditiones requirat? Quibus caſibus, & inter quos contrahatur?*

*Quid ſit adoptio?*

34. COgnatio legalis definitur, quod eſt: *Propinquitas perſonarum ex adoptione proueniens.* Adoptio verò à D. Thom. definitur *in* 4. *diſt.* 42. *quæſt.* 2. *art.* 1. & *in addit. q.* 57. *art.* 1. *quid eſt: extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio.* Dicitur *legitima aſſumptio*: quia debet eſſe facta ſecundum leges tam ciuiles, quàm Canonicas. Dicitur, *extraneæ perſonæ*, id eſt, quæ non ſit in adoptantis poteſtate, ſiue conſanguinea fuerit, ſiue non. Dicitur, *in filium, vel nepotem*: quia eſt terminus aſſumptionis, & adoptionis ſubiectum, & non poteſt eſſe adoptio in fratrem, vel alium gradum, ſed præciſè in filium, nepotem, & deinceps, *leg. Nec apud*, C. *de Hæredibus inſtituend.*

*Quas conditiones requirat adoptans?*

35. In adoptante iſtæ conditiones requiruntur. Prima: quod ſit maſculus, fœmina enim adoptare non poteſt, eo quod filios ſub ſua poteſtate non contineat: ſed ex priuilegio poteſt etiam fœmina adoptare ut tradit D. Thom. *quæſt* 57. *art.* 3. *ad* 3. Et hoc habent fœminæ, iure Regni, in Caſtella, quæ filios in bello amiſerunt, *leg.* 2. & 3. *tit.* 16. *part.* 4. Secunda: quod ſit ſui iuris, & maior viginti quinque annis adoptans: quia aliàs ſua bona nequit adminiſtrare. Imò ſi præſter adoptionem perfectam, quæ dicitur *arrogatio*, debet habere quadraginta annos completos. Tertia, ut poſſit naturaliter filios gignere: quia alios aſſumit in defectum filiorum, quos natura expectata generare poſſet. Vnde à naturâ impotentes, ut naturaliter frigidi, vel etiam ex accidente impotentes, ut ſpadones, & alij gladio caſtrati, ſunt ſecundùm opinionem aliquorum adoptandi incapaces, quamuis alij id ſolùm naturaliter impotentibus negent. Quarta, debet adoptans excedere adoptatum decem & octo annis, ut ratione ætatis filius illius eſſe poſſit: adoptatus autem habere debet ſeptem ſuæ ætatis annos. Quinta, debent eſſe præſentes, & ideo inter abſentes, vel per procuratorem nequit adoptio fieri. Sexta, debet fieri auctoritate Principis, vel

Magiſtratus, ſine quâ, etiamſi publicè fiat, non valet. Palaus *diſp. 4. punct. 9. num. 4.* Sanch. *lib. 7. diſp. 63. num. 3.* N. Ant. *diſ. 7. ſect. 10.* Et eſt commune.

*Duplex adoptio explicatur.*

36. Duplex reperitur adoptio ſecundùm D. Tho. *in 4. diſt. 42. qu. 2. art. 1. ad. 1. & in add. qu. 57. art. 1. ad. 1.* Alia eſt perfecta, quæ dicitur *arrogatio*, & eſt illa, quâ reſcripto Principis, perſona extranea, quæ iam eſt ſui iuris, tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis, quemadmodum alij filij legitimi illius. Appellatur autem *arrogatio*; quia adoptans rogatur à Principe, an velit in filium, vel nepotem talem, vel talem aſſumere, & ipſe adoptatus etiam rogatur, an velit aſſumi, & in poteſtatem adoptantis venire. Alia eſt imperfecta, & dicitur *ſimplex adoptio*, nomine communi retento, ad quod non requiritur, quòd adoptatus ſit ſui iuris, nec Principis ſupremi reſcripto, ſed auctoritate cuiuſlibet Magiſtratus fieri poteſt, nec tranſit ſic adoptatus in familiam, & poteſtatem adoptantis, inter quas hæc datur differentia: quòd arrogatus ſuccedit neceſſariò arroganti, tam ex teſtamento, ita ut ſine culpâ nō poſſit adoptans priuare eum quartâ parte bonorum, quàm ab inteſtato: non ſic adoptatus, qui ſolùm ab inteſtato, ſuccedit adoptanti, §. *Sed hodie*, §. *Adoptio*, *inſtituta de adoption. leg. 1. & 2. C. de adoption. & leg. Regni 7. tit. 7. part. 4.* ibi Gregor. Lop. *verb. Su carta*, Sanch. *lib. 7. diſput. 63. num. 18* Palaus *diſp. 4. punct. 9. num. 5.* Cornej. *diſp. 7. dub. 19.* Auerſ. *quaeſt. 16. ſect. 3.* N. Ant. *loc. cit.*

*Triplex ſpecies datur cognationis.*

37. Cognatio igitur legalis tam ex perfectâ, quam imperfecta adoptione proueniens habet triplicem ſpeciem ſecundùm D. Th. *in 4 diſt. 42. q. 2. art. 3. in corp. & in add. q. 57. art. 3.* Alia eſt in lineâ rectâ, quaſi aſcendentium, & deſcendentium, & hæc inter adoptatum, & adoptantem reperitur, §. *Ergo non omnes, inſtitut. de nupti. leg. Quin etiam, ff. de Ritu nuptiar. & leg. 1. Regni, titul 7. part. 4.* Secunda ſpecies eſt cognationis tranſuerſalis inter adoptatum, & filios carnales legitimos adoptantis, § *Inter eas inſtit. de nupti. leg. Per adoptionem; ff. de Ritu nuptiar. & dict. leg. 7. tit. 7. part. 4.* Tertia ſpecies eſt affinitatis legalis ad ſimilitudinem affinitatis carnalis, & eſt inter adoptantem, & uxorem adoptati, & inter ipſum adoptatum, & uxorem adoptantis, *leg. adoptiuus, ff. de Ritu nuptiar. leg. 7. tit. 7. part. 1.*

*Omnes ſpecies habent eſſe impedimenta iure Canonico.*

38. Quælibet ex his ſpeciebus adoptionis dirimit matrimonium non iure diuino, aut naturali, ſed poſitiuo: licèt enim huiuſmodi cognatio legalis introducta fuerit iure ciuili, quòd poteſtatem non habet ad introducenda impedimenta dirimentia matrimonij, cæterùm omnes dictæ ſpecies iure Cannnico ſunt approbatæ: & ſic potiùs ab eo introductæ ſunt in ratione impedimenti matrimonij, & de duabus primis ſpeciebus, quæ ſunt in lineâ rectâ, & tranſuerſali non eſt dubium: habentur enim, *cap. unic. de cognat. legal. cap. Per adoptionem 30. quaeſt. 3.* quod eſt ex Paſchali Pontifice, *cap. ita diligere 30. quaeſt. 3. quod eſt ex* Nicolao Papa. De tertiâ eſt aliqua difficultas: cum non reperiatur ius Canonicum, in quo ſit approbata, ſed ſufficit illa ſubrica generalis iuris Canonici, ſcilicet, *de cognatione legali*, ut omnes cognationes iure ciuili introductæ, iure Canonico cenſeantur approbatæ, additâ conſuetudine Eccleſiæ immemorabili, ſcientibus, nec contradicentibus Pontificibus, introductâ. Ita D. Thom. *in 4. diſt. 42. quaeſt. 2. art. 2. & in addit. quaeſt. 57. artic. 2.* Sanch. *diſp. 63. num. 17.* Baſil. *cap. 41. num. 2.* Coninc. *dub. 3.* Sot. *in 4. diſt. 42. verſ. de adoptione, & artic. 2. in fin.* Auerſ. *ſect. 3.* Cornej. *dub. 19.* Palaus *num. 7.* Dicaſt. *num. 324.* Ratio verò introducendi hoc impedimentum cum proportione eſt eadem cum illâ, quâ probauimus, conuenientiam introducendi impedimentum conſanguinitatis: ſiquidem ex tali adoptione oritur ſpecialis amor, & familiaritas inter adoptatum, & adoptantem, & eius filios; & ſic oportuit, quòd matrimonium, quod eſt vinculum amoris, ad alios extenderetur, & etiam adoptatus reuerentia proſequi tenetur adoptantem, cui obſtat carnalis copula inter eos: & ſimiliter ob familiaritatem periclitaretur caſtitas inter illos, ſi eſſet poſſibile inter eos coniugium.

*Per adoptionem imperfectam inducit impedimentum, plerique volunt.*

39. Sed nunc reſtat triplex quæſtio denodanda. Prima eſt. An hæc cognatio legalis, quæ impedimentum præſtat matrimonio, ſolùm oriatur ex adoptione perfecta, ſeu arrogatione (de qua non eſt dubium) ſed etiam ex imperfecta? Duplex ſententia circà hoc ſatis probabilis reperitur. Prima eſt affirmatiua, quam tenet Baſil. *cap. 41.* Angel. *verb. Matr.* Couarru. 4. *Decret. 2. part. cap. 6. § 5. num. 2.* Sot. *in 4. diſt. 42. quaeſt. unic. art. 1.* Palaus *num. 9.* Tolet. *lib. 7. ſum. numer. 7.* N. Gabr. *diſ. 6. q. 7.* quod probant; quia quælibet ex his adoptionibus vera eſt adoptio, licèt una comparatione alterius ſit imperfecta, ſicut puer verus eſt homo, licèt cōparatione ad virum ſit imperfectus: & ideò in omnibus iuribus abſolutè adoptio nominatur, ſed talia iura dicunt, adoptionem abſolutè talem matrimonium dirimere: ergò de omni adoptione eſt accipiendum: quia ubi lex abſolutè loquitur, abſolutè intelligenda eſt, nec minuenda diſtinctionibus.

*Verius eſt per adoptionem imperfectam non induci impedimentum dirimens.*

40. Secunda, & verior ſententia dicit, per ſolam adoptionem perfectam tale impedimentum induci. Hanc videtur tenere D. Thom. qui *quaeſt. 57. artic. 1. ad 1.* quatenùs dicit, adoptionem imperfectam magis eſſe diſpoſitionem ad perfectam, quàm perfectam adoptionem, & cum diſpoſitio ad formam non participet veram formæ naturam, videtur innuere hanc non eſſe ſimpliciter adoptionem: ac proinde impedimentum non inducere. Clarius *art. 2. ſeq. corp.* ubi inde probat, adoptionem inducere impedimentum dirimens: *Quia filius adoptatus conuerſatur in domo patris adoptantis ſicut filius naturalis. Ideò legibus humanis prohibitum eſt inter tales matrimonium contrahi*: ergò ſolùm ex mente D. Thomæ illa adoptio, per quam adoptatus tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis (quod, ut diximus, ſoli adoptioni perfectæ competit) inducit impedimentum dirimens matrimonij.

*Rationibus concluſio probatur.*

41. Deinde rationibus id ipſum probatur. Tum: quia iura ſolùm dicunt induci cognationem legalem per adoptionem abſolutè, & ſimpliciter talem: talis non eſt imperfecta, ſed diſpoſitio ad veram adoptionem: ergò, &c. Tum etiam: quia hæc cognatio legalis ad ſimilitudinem carnalis introducitur: ſed hæc neceſſariò petit, quòd filij ſub parentis poteſtate conſtituantur: ergò illa ſolùm adoptio, quæ neceſſario petit adoptatum in poteſtatem adoptantis venire,

poteſt

poteſt introducere impedimentum cognationis legalis. Denique: quia ad euitandum periculum incontinentiæ quod ex magna familiaritate imminet inter ſic cognatos introductum eſt tale impedimentum: ſed ſolùm hoc periculum imminet, quandò adoptatus tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis, quod fit per adoptionem perfectam: ergò, &c. Atque ita tenent Enriq. *lib.* 12. *cap.* 12. *num.* 3. Ledeſ. *quæſt.* 57. *art.* 2. *concluſ.* 3. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 63. *num.* 9. Perez *diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 6. Coninc. *diſp.* 32. *dub.* 3. *num.* 44. Cornej. *diſp.* 7 *dub.* 18. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 32. *num.* 321. Auerſ. *quæſt.* 16. *ſect.* 3. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 120. Imò Sanch. Enriq. Ledeſ. Perez & N. Ant. aſſerunt nec impedimentum præcisè impediens per talem cognationem induci.

*Quantum temporis durat hoc impedimentum?*

42. Secunda quæſtio eſt. Quantum temporis duret inter cognatos legales hoc impedimentum dirimens matrimonium? Ad quam dicimus cum D. Thom *quæſt.* 57. *art.* 3. quòd in primâ, & ultimâ ſpecie, nimirùm inter adoptatum, & adoptantem, & inter uxorem adoptati, & adoptantem, & inter uxorem adoptantis, & adoptatum perpetuò duret, & ſic nunquàm poſſe contrahi matrimonium inter illos, §. *Ergò non omnes, inſtitut. de nupti. leg. Quin etiam* 53. *ff. de Ritu nuptiar leg.* 7. *tit.* 7. *part.* 4. *& leg.* 8. *tit.* 7. *part.* 4. *& leg.* 4. *ff. de ritu nuptiar.* quæ approbatæ ſunt iure Canonico, *cap. Per adoptionem* 30. *quæſt.* 3. *cap. Ita diligere* 30. *quæſt.* 3. Et ratio eſt; quia reuerentia, ratione cuius interdictum fuit matrimonium inter huiuſmodi cognatos, ſemper durare debet: & ſic etiam ipſum impedimentum. In ſecunda verò ſpecie lineæ tranſuerſæ, ſcilicèt inter adoptatum, & filios carnales adoptantis ſolùm durat talis cognatio: quamdiu exiſtant ſub poteſtate adoptantis: & ideò quandò ſoluitur patria poteſtas, vel morte adoptantis, vel emancipatione filij adoptiui, & naturalis, ceſſat impedimentum prædictum: & ſic filia adoptiua poteſt poſt patris obitum, cum filio naturali adoptantis contrahere, *cap. unic. de cognat. legali, cap. Per adoptionem* 30. *quæſt.* 3. §. *Inter eam. Inſtitut. de nupti.* & probat D. Thom. *dict. quæſt.* 57. *art.* 3. Sanch. *num.* 3. Dicaſt. *num.* 247. Baſil *num.* 4. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 9. *num.* 15. Coninc. *dub.* 3. Cornej. *dub.* 19. Ratio eſt: quia hæc introducta eſt ad euitandum periculum incontinentiæ ob familiaritatem imminens inter adoptatum, & filios adoptantis, quod ceſſat, quandò ſoluitur patria poteſtas, vel filij emancipantur.

*Ad quos extendatur cognatio legalis?*

43. Vltima quæſtio eſt. Ad quos extendatur talia cognatio legalis? Et eſt difficultas in primâ ſpecie, nimirùm in linea recta, an extendatur ad alios præterquàm ad adoptantem, & adoptatum? Eſt duplex ſententia. Prima eſt, quæ aſſerit extendi uſque ad quartum gradum deſcendentium. Ita Tolet. *num.* 7. Sot. *conc.* 2. Valent. *p.* 3. Nauarr. *in ſum. cap.* 22. *num.* 45. Baſil. *n.* 3. Bonac. *punct.* 5. §. 3. *num.* 4. N. Ant. *ſect.* 10. Quod probant: quia cognatio legalis introducta eſt ad ſimilitudinem cognationis carnalis: ſed cognatio carnalis in lineâ rectâ extenditur uſque ad quartum gradum: ergò ſimiliter legalis. ¶ Sed ſi hæc ratio aliquid probaret, probaret etiam, quòd in lineâ tranſuerſali extenderetur hæc cognatio uſque ad quartum gradum, ſicut in cognatione carnali. Quare dicendum eſt ſolùm extendi ad primum gradum in iure aſſignatum: quia hæc cognatio non inducit impedimentum iure naturæ, ut omnes fatentur, ſed tantùm iure poſitiuo: ergò ad illos ſolùm extendi debet, qui aſſignantur in iure: hi ſolùm ſunt cognati in primo gradu in omni ſpecie cognationis legalis: ergò, &c. Ita Auerſ. *ſect.* 3. Palaus *num.* 14. Sanch. *numer.* 34. Cornejo *dub.* 19. Hurtad. *num.* 17.

*Amplius adoptatum proſequuntur.*

44. Sed notant hi Auctores extendi talem cognationem ad omnes, qui tempore adoptionis ſunt ſub poteſtate adoptati: quia quandò aliqua perſona adoptatur, etiam omnes, qui ſunt ſub eius poteſtate adoptati cenſentur, *leg. Si paterfamilias, ff. de adoptionib.* & ſic nullo tempore erit validum matrimonium inter illos; ſed non extenditur ad alias perſonas, quæ tali tempore non erant ſub poteſtate adoptati. Quare matrimonium contrahi poteſt inter adoptantem, & filiam adoptati, quæ nata eſt ei poſt adoptionem, vel tempore adoptionis erat extrà eius poteſtatem. Item poteſt adoptans contrahere matrimonium cum filia filiæ adoptiuæ: quia mulier non habet patriam poteſtatem, §. *Fœminæ, Inſtitut. de adoption.* poteſt etiam adoptatus contrahere cum filiis illegitimis adoptantis: quia illegitimi poſſunt eſſe ſub poteſtate patris, § *ult. inſtitut. de nupt.* & propter eandem rationem poteſt adoptans contrahere cum filijs illegitimis adoptati. Similiter filius adoptatus poteſt contrahere cum filiabus adoptatis eiuſdem patris: quia ſolùm ad filios naturales hoc impedimentum extenditur, & parentes adoptati cum adoptante, vel cum parentibus eius: quia de his nihil agitur in iure: & ſic nullum incurrunt impedimentum. Ita Palaus *num.* 16. Sanch. *num.* 24. Dicaſt. *numer.* 355. Cornej. Baſil. Coninc. *locis cit.*

### *De impedimento criminis.*

*Quid, & quotuplex ſit impedimentum criminis?*

45. IMpedimentum criminis ſolùm afficit coniugatos, inter quos dumtaxat poteſt oriri, quod in fauorem matrimonij inductum eſt ab Eccleſiâ, ut fides intacta ſeruetur inter illos, & ne unus alterius mortem machinetur. Solùm autem eſt introductum iure Eccleſiaſtico, non iure naturæ, ut inquit D. Thom. *in* 4 *diſt.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 2. *& in addit. quæſt.* 60. *art.* 2. Vnde inter infideles, qui omninò ſunt extrà Eccleſiam, non habet locum, niſi eo modo, quo in fine puncti quinti dicemus. Propterea ab omnibus validum iudicatur matrimonium Dauid cum Bethſabee poſt adulterium, & homicidium perpetratum, quia tunc non erat introductum hoc impedimentum. Crimina autem, ob quæ incurritur hoc impedimentum, ſunt duo, ſcilicet, homicidium, & adulterium, quæ diuerſimodè inter ſe combinata quatuor efficiunt, nimirum, homicidium coniugis ſimul cum adulterio, homicidium coniugis ſine adulterio utriuſque conſenſu perpetratum, adulterium ſine homicidio cum promiſſione futuri matrimonij, vel adulterium cum matrimonio de præſenti cum complice contractum. De duobus prioribus *punct.* 4. agemus, & de duobus poſterioribus *punct.* 5. Hoc certum ſupponentes nullum ex his criminibus inducere impedimentum contrahendi cum aliâ fœmina, niſi præcisè cum illa, quæ alicuius ex illis fuit particeps, ut eſt commune apud

 omnes,

Digitized by Google

omnes, & idem de fœmina reſpectu viri ſecundum eſt.

## PVNCTVM IV.

*Quomodò uxoricidium cum adulterio, vel ſine illo inducat impedimentum dirimens matrimonium? Et de conditionibus ad hoc requiſitis.*

*Quandò occiſio ſit dirimens matrimonium?*

46. QVandò occiſio proprij coniugis cum adulterio coniungitur, inducitur impedimentum dirimens matrimonium, ſiue uxor propria occidatur ab adultero, vel maritus adulteræ; ſiue adultera ſui viri, vel adulteri coniugis mortem machinetur. Decisum eſt *in cap. Super hoc, cap. Significaſti, de eo, qui duxit in matrim. quam polluit adulterium, cap. Propoſitum, cap. Si quis viuente, eod. tit. cap. 1. de conuerſ. infidel.* Traditurque à D. Thom. *in 4. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. & in addit. quæſt. 60. art. 2.* quem omnes tam Theologi, quàm Iuriſtæ ſequuntur. Et ratio deciſionis eſt, ne coniuges ſpe matrimonij cum alia ſibi inuicem mortem machinentur. Quod impedimentum inducitur, ſiue proprijs manibus percuſſionem, aut mortem inferant, ſiue alterius miniſterio mandando, conſulendo, adiuuando. Non autem ſufficit, ut ratam habeant occiſionem ab alio factam abſque ſuo aliquo concurſu, etiamſi illorum cauſâ facta fuerit; quia ratihabitio ſolum æquiparatur mandato tum in rebus, quæ à propriâ voluntate dependent, tum in his, quæ à iure aſſignantur, ut eſt percuſſio Clerici. Ita communiter Doctores.

*Vt adulterium cum occiſione ſit impedimentum, non requiritur, quòd uterque illam machinetur.*

47. Ad hoc autem ut occiſio coniugis ſimul cum adulterio impedimentum inducat, non requiritur, quod uterque adulter ad occiſionem concurſum præbeat, ſed ſi alter tantum alio neſciente eam machinetur, inhabiles fiunt ad contrahendum inter ſe. Tum: quia in iuribus citatis ſolũ adulterij, & occiſionis fit mentio. Tum etiam: quia iam uterque eſt particeps delicti, cum ſaltem ad adulterium concurrat. Tum denique: quia in hoc differt crimen occiſionis abſque adulterio factæ à crimine occiſionis ſimul cùm adulterio coniunctæ, quòd ad illud utriuſque partis concurſus requiritur, ut dicemus; ſecus verò ad iſtud. Atque ita tenent Auerſ. Cornej. & Palaus *punct.* 12. Baſil. *libr. 7. cap. 45. num. 4. & 5.* Sanch. *libr. 7. diſp. 78. num. 9.* Leand. *diſp. 16. quæſt. 4.* Candid. *diſq. 28. art. 6. dubit. 5. concluſ. 8.* Bonacin. *quæſt. 3. punct. 6. num. 8.* Dicaſt. *diſp. 7. dub. 56. num. 620.* N. Gabr. *qu. 8.* N. Ant. *diſ. 7. num. 483.*

*Prima conditio ad tale impedimentum requiſita.*

48. Sed ut impedimentum per tale crimen inducatur, iſtæ conditiones requiruntur, quæ etiam pro alijs criminibus hoc, & ſequenti puncto enumerandis poſtulantur. Prima: quod mors de facto ſecuta fuerit, & non ſufficit, quòd intentata fuerit, vel mandata, ſi poſteà ob aliquam cauſam fuerit impedita: imò quòd ſecuta fuerit non utcumque ſed ex vi percuſſionis, veneni, vel violentiæ per ſe, vel per alium factæ, non autem inducitur hoc impedimentum, ſi ex culpa medicorum, aut aliàs ex accidenti ſuperueniente, vel propter exceſſum infirmi mors ſequatur. Et ſimiliter ſi mandans, ſuum mandatum reuocauit antè occiſionem, & hoc innotuit mandatario, vel ſi ipſe percutiens non permotus ab adultero, vel adultera hoc executus, ſed proprio motu ſine reſpectu ad eos, à quibus recepit conſilium vel mandatum: quia tunc iſti non fuerunt occiſionis cauſa efficax ſed inefficax: proindeque impedimentum non incurrunt, poſſuntque inter ſe nubere ſine diſpenſatione. Baſil. *num. 4.* Auerſ. *q. 18. ſect. 4.* Cornejo *diſp. 7. dub. 20.* Palaus *diſp. 4. punct. 12. nu. 4.* Sanch. *n. 7.* Coninc. *diſp. 31. dub. 5. n. 56.* Candid. *dub. 3.* Bonac. *nu. 6.* Dicaſt. *nu. 605.*

*Secunda conditio explicatur.*

49. Secunda conditio, ut matrimonium præcedens cum coniuge occiſo fuerit validum, ſin minùs, etiamſi mors, & copula ſequatur, non dirimit conſequens matrimonium: quia requiritur, quòd detur adulterium verè tale cum iniuriâ coniugis occiſi, & ſimul occiſio illius. Vnde quia non eſt adulterium ſecundùm ſe tale, quandò fuit matrimonium præcedens inualidum, fit inde nullum ſubſequi impedimentum. Colligitur ex *cap. Significaſti, de eo qui duxit.* Vnde ſi poſt occiſionem appareat, matrimonium præcedens ob aliquod impedimentum fuiſſe nullum, poſſunt inter ſe illius criminis complices matrimonio copulari. Ita Baſil. *num. 3* Sanch. *num. 20.* Auerſ. *ſect. 3. & 4.* Cornejo *dub. 20. & 22.* At verò non requiritur, quòd matrimonium fuerit conſummatum; ſed ſufficit, ſi ratum tantummodò fuerit imò quòd perſeueret quoad vinculum, etiamſi ob aliquam cauſam fuerit quoad torum, vel habitationem ſeparatio. *Colligitur ex cap. Ex literarum, de eo, qui duxit.*

*Tertia, & quarta conditio proponuntur.*

50. Tertia: quod adulterium fuerit conſummatum per emiſſionem ſeminis viri intrà vas naturale fœminæ, & per alias conditiones, *ſup. cap. 4. punct. 1.* à nobis aſſignatas ad hoc, ut ſint una caro, qui commiſcentur carnaliter. Quare non ſufficit, quod fuerit adulterium intentatum, quod tactus, aſpectus, & oſcula obſcœna interceſſerint, Cornejo, & Auerſ. *loc. cit.* Baſil. *num. 4.* Palaus *ſup. num. 8.* Sanch. *lib. 7. diſp. 79.* princip. ¶ Quarta, quòd adulterium committatur ante occiſionem; ſi enim Petrus iudicans maritum Mariæ, cum quâ vult contrahere, citò moriturum: quia eſt valdè infirmus, occidat ſuam uxorem, ut ſit expeditus ad tale matrimonium, & poſteà antè mortem mariti rem habeat cum illâ, poteſt ſubſecutâ naturaliter morte mariti, cum eâ contrahere: quia tale matrimonium non fuit perpetratum ante occiſionem coniugis, ſed poſt illam. Ita Coninc, *diſp. 31. dub. 5. num. 54.* Baſil. *lib. 7. cap. 45. num. 5.*

*Quinta conditio explicatur.*

51. Quinta conditio, ut uterque coniux conſcius ſit illius matrimonij, cui utraque iniuria irrogatur, tam occiſionis, quàm adulterij. Quare ſi fœmina rem habeat cum cõiugato, quem putabat ſolutum, & ille poſteà occidat ſuam uxorem, ut cum illâ nubat, validum erit matrimonium: nam iura impedientia tale matrimonium intendunt euitare, quòd adulterium ſub ſpe futuri matrimonij non ſit incentiuum machinationis mortis alterius coniugis; ita ut uterque ſicut eſt particeps pœnæ, ſit particeps culpæ. Quandò autem mulier neſciebat virum coniugatum eſſe, adulterium non fuit reuerà, & cum aliàs ut ſupponimus, non præbuit concurſum ad mortem, aliàs hoc dumtaxat ſufficeret, etiamſi adulterium non daretur, ut iam dicemus, non eſſet illius culpæ particeps; & ideò notitia utriuſque requiritur,

ut

ut verum inter illos detur adulterium, *cap. 2. cap. Veniens, cap. Propoſitum. de eo, qui duxit.* Coninc, *num. 61. & 53.* Auerſ. *ſect. 4.* Cornejo *loc. cit.* Gutierr. *cap. 105. num. 14. & 15.* Palaus *num. 8.* Dicaſt. *num. 626.* Sanch. *num. 12.* Ex quo ſequitur, quod ſi fœmina coniugata rem habeat cum viro, quem putabat ſolutum, ſed verè erat coniugatus, & hic occidat ſuam uxorem; ſi poſteà vir adulteræ moriatur, poterit cum adultero contrahere: quia licet ipſa rea fuerit adulterij reſpectu ſui mariti, non tamen commiſit formaliter adulterium contrà coniugem occiſum, & utrumque crimen debet reſpectu eiuſdem perpetrari. Ita Sanch. Coninc, Palaus, Gutierr. Dicaſtil. *cit.*

*Excuſat ignorantia etiam vincibilis.*

52. Sed difficultas eſt. An ſufficiat ignorantia vincibilis craſſa, aut ſupina, dummodò non fuerit cum dolo affectata, matrimonij alterius complicis ad eximendum eos ab iſto impedimento? Negant Coninc, *num. 61.* Valent. *hic diſp. 10. quæſt. 5. punct. 3.* Sylueſt. *Matrimon. 8. quæſt. 9. dict. 9.* Hurtad. *diff. 2. num. 7.* Perez, *diſp. 33. ſection. 3. num. 6.* Aſſerentes ſolùm ignorantiam probabilem excuſare ab hoc impedimento: quia cum tali ignorantia verè adulterium committeretur, & eſt exemplum de eo, qui Clericum occideret ignorans per ignorantiam vincibilem eſſe Clericum, committeret ſacrilegium. ¶ Sed veriùs dicendum eſt cum Sanch. *num. 38.* Rebell. *libr. 3. quæſt. 8.* Auerſ. *ſect. 3.* Dicaſt. *num. 632.* Sufficere quamlibet ignorantiam etiam craſſam, & ſupinam, ut non incurrant tale impedimentum: quia talis ignorantia non eſt iuris, ſed facti, ſed in facto quælibet ignorantia excuſat iuxta regulam. *Ignorantia, de Regul. iur.* Deinde quia debet intereſſe adulterium, ad quod iuxta *leg. penultim. ff. Ad leg. Iul.* requiritur, quòd cum dolo fiat: ſed cum ignorantiâ quacumque, niſi fuerit affectata, non datur dolus iuxtà *Gloſſam* receptam, *leg. Magna ignorantia, ff. de verb. ſign.* ergò neque adulterium requiſitum, ut impedimentum inducatur: quamuis Dicaſt. & Coninc, dicant, excuſare ignorantiam vincibilem, dummodò non ſit craſſa, aut ſupina: quia hæc dolo æquiparatur.

*Requiritur, quod animo contrahendi occiſio ſequatur.*

53. Sed inquires. An in iſto crimine occiſionis, & in eo, de quo ſtatim loquemur, requiratur, quòd occiſio facta fuerit animo ducendi matrimonium cum complice delicti, vel occiſionis, vel adulterij? Reſpondent. Caietan. *in ſum. verb. Matrim. cap. 1. impedim. 5.* Petrus Soto *lect. 9. de matrimon.* Armill. *verb. Matrim. 40.* non requiri, quòd conſilio inito inter ſe de contrahendo matrimonio, vel eo animo coniux alterius occidatur; ſed ſufficere, quod occiſio, & adulterium quocumque animo ſequatur: eo quòd talis conditio in iure non exprimatur, ſed quòd uterque ſit particeps delicti, vel occiſionis, vel adulterij. ¶ Sed verè dicendum eſt, requiri talem animum, & intentionem: quia licèt non exprimatur talis conditio in iure, colligitur ex fine illius, qui eſt, ne coniux machinetur mortem alterius, ut poſteà ſoluto matrimonio cum adulterâ nubat: hoc autem non ſequitur, ſi ex alia causâ, & non ut matrimonium contrahat, ad talem occiſionem moueatur, ut ex ſe conſtat. Ita docet D. Thom. *in 4. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. & in addit. quæſt. 60. art. 2.* Palaus *diſp. 4. punct. 12. num. 5.* Baſil. *libr. 7. cap. 45. num. 5.* Auerſ. *quæſt. 18. ſect. 4.* Coninc, *diſp. 31. dub. 5. num. 51.* Cornej. *diſp. 7. dub. 5.* Valent. *hic diſput. 10. quæſt. 5. punct. 3.* Enriq. *lib. 12. cap. 14. num. 2.* Leand. *diſp. 14. quæſt. 2.* Bonac. *quæſt. 3. punct. 6. num. 4. & 8.* Dicaſt. *diſp. 7. dub. 56. numer. 608.* Candid. *diſquiſ. 26. art. 6. dub. 4. concl. 6.* Sanch. *lib. 7. diſp. 78. num. 13.* Qui tres ultimi benè aduertunt, non requiri talem intentionem ex parte utriuſque, ſed ſufficere adeſſe ex parte unius, cum nec in iuribus exprimatur, nec ad illorum finem ſit requiſitum, cum ſufficiat alterum hoc animo mortem coniugis machinari, ut finis apponendi hoc impedimentum ſaluetur, requiritur tamen, quòd talis intentio manifeſtetur exteriùs: quia Eccleſia non poteſt punire, niſi quod poteſt cognoſcere, & iudicare, & cum hæc pœna ſit Eccleſiaſtica non poteſt Eccleſia cum illâ punire actum merè internum. Ita Baſil. *loc. cit. ex* Vaſq. *cap. 2. diſp. 160.* Docet etiam Perez *diſp. 37. num. 7.* Hurtad. *diſp. 23. diff. 1. num 3.* Dian. *9. part. tract. 7. reſ. 25.* Scimus plurimos hoc ultimum non requiri defendere.

N.Gabr. *num. 99. &* N.Ant. *num. 425.*

*Aliqua conſectaria inferuntur.*

54. Ex dictis deducitur: quòd ſi aliquis virum adulteræ occideret, ut liberiùs eâ fruatur, vel propter inimicitias aliàs inter illos inuentas, vel ſuam coniugem occidat ob tædium illius, vel ob alias cauſas, vel ut cum aliâ non participe delicti matrimonio iungatur, poteſt contrahere etiam cum adulterâ, tametſi illa conſilium, aut mandatum occiſionis dederit non eo animo, ut ſecum nubat, ſed alijs ex cauſis enumeratis, vel ſimilibus. Ita Auctores *num. præced.* adducti. Imo ſi eo animo uxorem occidat, ut aliam indeterminatam ducat, poterit contrahere cum eâ, cum quâ adulterium commiſit. Cornejo *loc. cit.* Palaus *num. 5.* Sanch. *diſput. 78. num. 18.* niſi eo animo uxorem occidat, ut matrimonium ducat cum unâ ex quatuor, cum quibus adulterium commiſit. Dicaſt. *diſp. 7. dub. 56. num. 616.* Coninc, *ſupr. num. 55.* Auerſ. *quæſt. 18. ſect. 4.* Veracruz *in ſpecul. 1. part. art. 34. in fine.* Imo etiamſi ſuaſu Mariæ, cum quâ Petrus adulterium commiſit, occidat ipſe ſuam uxorem, ut Catharinam ducat, poterit cum qualibet illarum contrahere matrimonium: quia & Maria non perſuaſit occiſionem, ut ſecum contraheret, & Catharina non fuit particeps illius delicti.

*Machinatio utriuſque etiam ſine adulterio inducit impedimentum.*

55. Secundum crimen, quod impedimentum dirimens inducit, eſt occiſio alterius coniugis ex mutuo conſenſu viri, & fœminæ perpetrato, animo inter ſe contrahendi matrimonium, etiamſi adulterium inter eos non præceſſerit, *cap. ſi quis viuente 30. quæſt. 1. cap. Laudabilem 10. de conuerſ. infidel.* Itaque non requiritur adulterium, ſed ſufficit mors ſecuta, & ab utroque machinata: nam adulterium requiritur, quandò unus dumtaxat mortem machinatus eſt altero ad id nõ concurrente. Candid. *diſquiſ. 28. art. 6. dub. 1.* Auerſ. *ſect. 4.* Cornej. *dub. 21.* Baſil. *num. 4.* Coninc, *num. 52.* Sanch. *num. 9.* Bellarm. *lib. 1. de Matrim. cap. 22. verſ. Crimen homicidij,* Tolet. *lib. 7. cap. 6. numer. 3.* Valent. *tom. 4. diſp. 10. quæſt. 5. punct. 3. de impedim. crim.* Sed non ſufficit, ſi alter ratam habeat talem occiſionem, ad quam nec conſilium, nec concurſum præbuit, etiamſi cauſa, vel motiuum fuerit illius. Requiruntur etiam omnes conditiones ſuprà aſſignatæ, nimirùm, quòd mors de facto ſequatur, quòd matrimonium cum coniuge mortuo fuerit validum, quòd ex intentione ad inuicem

nexu connectuntur. Dicitur *perſonarum*, id eſt, rationalium creaturarum, inter quas ſolum conſanguinitas reperitur, quæ capaces ſunt veri amoris, & amicitiæ; non verò inter bruta, quæ, ut inquit Ariſtotel. 5. *Ethicor. capit.* 11. illius ſunt incapacia. Dicitur *ab eodem ſtipite deſcendentium*, & intelligitur de proximo, non de remoto, aliàs omnes eſſent conſanguinei, cum ab Adam, tamquam à primo ſtipite propagationem deducant. Et ideò ab illo ſtipite proximo conſanguinitas oritur, ex cuius origine ſimilitudo, amor, & familiaritas inter conſanguineos conſeruatur. Denique dicitur *carnali propagatione contractum*, ut denotetur ex carnali procreatione conſanguinitatem oriri: quapropter Angelorum ad Deum non datur conſanguinitas: quia licet ab illo fuerint producti, factum fuit per creationem non per propagationem carnalem. Et ſimiliter quamuis Eua ex Adam fuerit formata: quia non fuit per carnalem generationem ab ipſo, ſed per Dei ſpecialem productionem, inter illos non fuit conſanguinitas; fuit tamen inter Chriſtum, & Beatiſſimam Virginem: quia ex eius puriſſimo ſanguine fuit conceptus: & quemadmodum ex alijs matribus filius carnali propagatione productus intactâ virginitate conſeruatâ, & cæteris omnibus concurrentibus, quæ ad naturalem procreationem exiguntur.

*De diuiſione conſanguinitatis.*

7. Diuiditur autem conſanguinitas ſecundum eumdem D. Thom. *loc. cit. art.* 2. per lineas, & gradus: *Linea eſt ordinata collectio perſonarum ab uno ſtipite deſcendentium*, & eſt duplex. Alia dicitur: *linea recta*: alia *tranſuerſalis*, *ſeu obliqua*: illa definitur, quod eſt: *Collectio eorum quorum unus ab altero deſcendit*, ut filius à patre, nepos à filio, & deinceps. Et quamuis ſit unica reipſa, per noſtram conſiderationem in duplicem ſecatur: alia eſt *aſcendentium*, illa nimirum, qua progredimur à genitis ad genitores, ut à filio ad patrem, à patre ad auum: alia *deſcendentium*, & eſt, qua à progenitoribus ad genitos deſcendimus, ut à patre ad filium, à filio ad nepotem. Linea *tranſuerſalis* definitur, quòd eſt; *Collectio eorum, qui ab eodem ſtipite deſcendunt ſine eo, quòd unus ab alio ortum ducat*, ut ſunt fratres, conſobrini, &c. Et hæc etiam eſt in duplici differentia: una quæ dicitur *æqualis*, earum ſcilicet perſonarum, quæ diſtant æquali gradu ab uno ſtipite, ut duo fratres; alia *inæqualis*, quandò inæqualiter reſpectu unius principij ſe habent, ut patruus, & nepos: *Gradus eſt diſtantia maior, vel minor unius perſonæ ab alia ſecundum lineam conſanguinitatis.* Denique *ſtipes eſt illa perſona, à quâ aliæ conſanguineæ trahunt originem*, ut ſtipes fratrum eſt pater, ſtipes nepotum auus.

*Diuerſitas inter ius Canonicum, & Ciuile.*

8. Quamuis in gradibus lineæ rectæ eodem modo ſe habeant ius Ciuile, & Canonicum in computatione illorum, at in linea tranſuerſali diuerſo modo procedunt, ut inquit D. Thom. *loc. cit. art.* 4. quia ius ciuile ad computationem gradus, attendit ad gradus ſingulorum: & quia duo fratres v. g. unuſquiſque uno gradu diſtat à patre, ſi ſint duo fratres, ait, duplici gradu inter ſe diſtare, ſi tres triplici. At ius Canonicum non attendit niſi ad gradus, quibus plures perſonæ ab uno ſtipite diſtant, vel accedunt. Et ideò quia frater uno ſolo gradu diſtat à patre, uno ſolo gradu diſtat ab alio fratre, & ab omnibus fratribus. Et quia in his, quæ pertinent ad matrimonium ius Canonicum ſpectari debet, & nihil ius ciuile poteſt diſponere; ideò nos illius computationi attendemus.

*Tres regulæ explicantur, quibus gradus cognoſci poſſint.*

9. Tres igitur regulas ab omnibus communiter acceptas tradit D. Thom. *in* 4. *diſt.* 40. *q. unic. art.* 2. *& in addit. quæſt.* 54. *art.* 2. *in corp. ad* 7. ad cognoſcendum quot gradibus unus ab alio diſtet. Prima in linea rectâ tot gradibus unus ab alio diſtat, vel coniungitur quot generationibus ab eodem ſtipite deſcendit, ut filius una generatione deſcendit à patre, & ſic uno gradu diſtat ab illo: nepos duobus generationibus deſcendit ab auo, & ſic duobus gradibus diſtat ab eo, & in duplici gradu conſanguinitatis iungitur cum eo. Alij hoc modo hanc regulam explicant, ut tot gradibus unus diſtet ab alio, quot perſonæ intercedunt, dempto ſtipite, ut inter filium, & patrem dantur duæ perſonæ, ſi demas ſtipitem, qui eſt pater, unus tantummodò gradus remanet. Ità Candid. *diſq* 38. *art.* 1. *dub.* 3. *concluſ.* 5. Cornejo noſter *diſputat.* 7. *dub.* 11. N. Gabr. *diſp.* 6. *q.* 7. Secunda regula lineæ tranſuerſalis æqualis eſt, ut tot gradibus duo diſtare, aut iungi inter ſe iudicetur, quot gradibus communi ſtipiti iunguntur, vel ab eo diſtant, ut duo fratres uno ſolo gradu diſtant à patre, & ideò uno ſolo diſtant inter ſe. Hæc regula habetur in *capit. Parentelæ* 35. *quæſt.* 5. *& capit. Ad ſedem*, *eadem quæſt.* Tertia regula pro linea tranſuerſali inæquali eſt, quæ aſſignatur in *capit. fin. de conſanguin.* quod nimirùm, tot gradibus unus alteri iungitur, vel diſtat; quot gradibus remotior diſtat à communi ſtipite, verb. grat. Nepos duplici gradu diſtat ab auo, & ideò patruus frater ipſius aui, vel patris duplici gradu diſtat à nepote. Has tres regulas aſſignant præter D. Thom. Cornejo *diſput.* 7. *dub.* 11. Dicaſtil. *diſput.* 7. *dub.* 20. *num.* 188. Palaus *diſput.* 4. *punct.* 7. *num* 3. Sanch. *lib.* 7. *diſput.* 50. *num.* 4.

*In quibus gradibus conſanguinitas dirimat matrimonium?*

10. Quamuis olim ad diuerſos gradus conſanguinitas inducens impedimentum dirimens pro matrimonio extenderetur, præcipuè verò uſque ad ſeptimum, *cap. Ad ſedem* 35. *q.* 5. Modò tamen ex decreto Innoc. III. *anno Domini* 1200. tam pro lineâ rectâ, quàm pro tranſuerſali decretum fuit quòd ſolùm ad quartum gradum incluſiuè extenderetur, in *capit. Non debet*, *de conſanguinit.* Ratio verò aſſignandi hoc impedimentum dirimens inter cognatos, tradita fuit à D. Thom. *loc. citat.* Tum: quia matrimonium inſtitutum fuit à Deo ad fouendam charitatem, familiaritatem, & amorem inter affines: ad hoc autem expediens fuit, quòd non contraheretur inter conſanguineos: quia iam ex ſanguine erant amore, & familiaritate coniuncti, ſed ad alios extenderetur, ut ſic omnes charitate, & amicitia copularentur. Tum etiam: quia multum decet reuerentiæ, & pudori debito ſanguini, actus coniugalis ob turpitudinem ſibi innatam: & ſic debuit impediri matrimonium inter eos, qui ſanguine iunguntur. Tum denique: quia cum inter conſanguineos magna familiaritas habeatur, magnam iacturam caſtitas pateretur, ſi copula inter eos eſſet poſſibilis per matrimonium. ¶ Rationem verò, ob quam iure nouo reſtrictus fuit conſanguinitatis gradus im-

impediens matrimonium uſque ad quartum gradum, qui iure antiquo ulteriùs progrediebatur, aſſignat *Concil. Trid. ſeſſ.24. cap.2. de reformat.* his verbis: *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis, ignoranter contrahi matrimonia in quibus vel non ſine magno peccato perſeueratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur.*

*Non omnia matrimonia quæ iure naturæ ſunt illicita, ſunt iure naturæ nulla.*

11. An verò iure naturæ ſit tale matrimonium inter conſanguineos irritum? Eſt difficultas. Sed ut certa ab incertis ſeparemus, ſciendum eſt, poſſe aliquod matrimonium eſſe iure naturæ prohibitum, non verò nullum, ut matrimonium poſt votum caſtitatis, vel matrimonium cum unâ poſt ſponſalia contracta cum alia, iure eſt naturæ prohibitum, non verò irritatum. Vndequamuis in aliquibus gradibus ſit matrimonium iure naturæ illicitum, non inde ſequitur eſſe nullum. Quare apud omnes illicitum eſt matrimonium iure naturæ, inter omnes conſanguineos lineæ rectæ, propter reuerentiam, quam filij parentibus, & auis, qui ſunt ſua principia, debent, cui reuerentiæ, ut dicemus, copula, ad quam matrimonium ordinatur, aduerſatur; & tamen non eſt certum apud omnes, eſſe irritum matrimonium iure naturæ, inter omnes conſanguineos lineæ rectæ. Similiter in primo gradu lineæ tranſuerſalis eſt apud omnes illicitum matrimonium iure naturæ; non tamen eſt certum apud omnes eſſe nullum.

*In primo gradu lineæ rectæ eſt irritum matrimonium iure naturæ.*

12. Secundò ſupponendum eſt, ut ſententia communis, quòd in primo gradu lineæ rectæ eſt iure naturæ nullum matrimonium. Ita D.Thom. 2.2.q.154. *art.9.ad 3. & in 4.diſt.40. quæſt.unic. art. 3. & in addition. quæſt.54. art.3.* D. Ambroſ. *epiſt. 66. ad patern.* ubi ſic ait: *Ne pater filiam ſuam accipiat uxorem, interdictum eſt iure naturæ, interdictum eſt lege, quæ eſt in cordibus ſingulorum, interdictum eſt inuiolabili præſcriptione pietatis, titulo neceſsitudinis.* Nec neceſſe eſt Auctores congerere in re adeò communi inter illos ab omnibus gentibus receptâ, quæ ſemper quantumuis barbaræ talia matrimonia ſunt deteſtatæ, imò ipſa bruta animalia horrorem maximum habuerunt, commiſcendi ſe cum parentibus copula carnali ut fatetur Ariſtot. *de hiſtor. animal. lib 9. cap.59. &* Plinius *lib.8.hiſt. natur.cap.42.* Vnde non eſt credibile, Deum dediſſe hominibus poteſtatem, ut filij traderent ſuum corpus parentibus in ordine ad copulam maritalem, quod eſt de eſſentia matrimonij. Ratio etiam naturalis hoc ipſum perſuadet, quam D. Thom. *loc.cit.* attingit. Tum: quia tale coniugium fini primario matrimonij obſiſtit, non quidem ſimpliciter, cum ex parentis & filiæ concubitu poſſit proles generari & educari, ſed quoad modum: quia indecentiſſimè id fieret, cum copula carnalis quamdam turpitudinem pudendam ſecum afferat: & ideò fit cum quadam irreuerentia alterius ad alterum, quæ eſt contra reuerentiam parentibus debitam. Tum etiam: quia matrimonium petit inter coniuges æqualitatem in obſequijs domeſticis in mutua obligatione ad debitum perſoluendum: ergò non poteſt eſſe inter patrem, & filiam, quæ illi ſemper debet eſſe inferior, & ſubiecta, maximè inter filium, & matrem, cum uxor ſit quodammodo ſubiecta viro, & filius debeat ſemper ſubijci matri.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

13. Sed obijcies. Non repugnat, quod filius, qui ratione filiationis eſt patri ſubiectus, ſit illi æqualis ratione contractus, ut in alijs contractibus inter patrem, & filium initis apparet manifeſtè, imò poteſt illi eſſe ſuperior ratione dignitatis: ergò ſimiliter quamuis ſit filius parentibus ſubiectus ratione filiationis, poterit eſſe æqualis, vel ſuperior ratione matrimonij. ¶ Reſpondetùr negando conſequentiam: quia matrimonium petit æqualitatem, & ſuo modo ſuperioritatem inter virum, & uxorem in ordine ad actiones naturales, & domeſticas, & in ordine ad mutua obſequia, in quibus ſemper filius debet eſſe parentibus inferior. Alij verò contractùs, vel dignitates ſunt in ordine ad actiones ciuiles, vel publicas, & communes, in quibus poteſt dari æqualitas, imò ſuperioritas in filijs reſpectu parentum. ¶ His ſic ſtatutis, reſtat duplex grauiſſima difficultas denodanda. Prima. An inter omnes aſcendentes, & deſcendentes ſit irritum matrimonium iure naturæ? Secunda: An inter conſanguineos lineæ collateralis in primo gradu, ut inter fratrem, & ſororem, ſit irritum iure naturæ matrimonium? Dicimus *inter fratrem, & ſororem:* nam in alijs gradibus lineæ tranſuerſalis conſtans eſt apud omnes, non eſſe iure naturæ matrimonium irritum, ut conſtat ex *cap. Gaudemus, de diuortijs,* ubi Innocentius III. dicit, coniugatos conuerſos ad fidem non eſſe ſeparandos, ſi in ſecundo, aut tertio gradu conſanguinitatis contraxerint, quod decernere non poterat, ſi iure naturæ eſſet nullum tale matrimonium.

*Sententia aſſerens iure naturæ eſſe nullum matrimonium inter conſanguineos lineæ rectæ in omnibus gradibus.*

14. Circa primam ergò difficultatem eſt duplex probabiliſſima ſententia. Prima aſſerit, iure naturæ eſſe nullum matrimonium inter deſcendentes, & aſcendentes omnes uſque in infinitum: ita ut ſi Adamus modò reſurgeret, cum nullâ fœminâ poſſet matrimonio coniungi. Ita Sot. *in 4.diſt.40.quæſt.unic.art.2.* Rebell. *lib.3. de impedim. quæſt.5. ſect.2.nu.2.* Bellar. *lib.1.de Matrim. cap* 28. Coninc, *diſp.32. dub.1. num.16.* Hurtad. *diſp.17. diff.4.num.9.* Dicaſt. *diſp.7.dub.22.num.212.* Trull. *lib.7.cap.9.dub.7.num.7.* N. Ant. *tract.11.diſput.5. numer.* 379. Et probatur ex *leg. Nuptiæ, ff. de rit. nupt.* ubi dicitur: *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum, liberorumvè ſunt, ſiue proximi, ſiue ulteriores ſint uſque in infinitum.* Et *leg. ultim. ff. eod. titul.* ibi: *Iure gentium inceſtum committit, qui ex gradu aſcendentium, vel deſcendentium uxorem duxerit.* Et ratione probatur: quia deſcendens dependet in ſuo eſſe ab aſcendentibus, qua de cauſa eos ut parentes debet reuereri: huic autem reuerentiæ maximè obſtat uſus coniugij, ut iam diximus. ¶ Alij Auctores non uſque in infinitum extendunt hoc negotium, ſed ad diuerſos gradus. Vſque ad vigeſimum Couarru. *4. Decret. part.2, cap.6.§.6.* Vſque ad ſeptimum Lopez *part.2. de Matrim. cap.* 49. Vſque ad quartum gradum Angel. *verb. Matrim. 3. impéd.6.* Vſque ad tertium Enriq. *libr.12 de Matrim. cap.1 nu.2.* Vſque ad ſecundum Sot. *in 4. diſt.40.quæſt. unic.art. 3. &* Valent. *q.5.de Matrim. punct.3.* Et hoc videtur iure diuino ſtatutum: nam Leuit.18. dicitur: *Turpitudinem filiæ filij tui, & neptis ex filia non reuelabis.*

*Sententiam oppoſitam amplectimur.*

15. Secunda ſententia, cui nos adhæremus, dicit, iure naturæ ſolùm eſſe irritum matrimonium in primo gradu lineæ rectæ: ac proinde

inter patrem, & filiam, vel inter matrem, & filium; non verò in alijs, ut inter auum, & neptem, &c. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 9. *ad* 3. *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt. unicâ*, *art.* 3. *&* *in addit. quæſt.* 54. *art.* 3. Ledeſm. *ibi. diff.* 2. Palaus *diſput.* 4. *punct.* 7. *numer.* 9. Aueſ. *quæſt.* 16. *ſect.* 1. 5. *Ex alia parte.* Cornej. *diſput.* 7. *dub.* 12. *fol.* 979. Candid *diſq.* 28 *art.* 6. *dub.* 4. *concl.* 10. *& dub.* 5. *per totum*, Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 51. *num.* 19. Baſil. *lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 4. Dian. 4. *p tract.* 1. *reſol.* 69. Bonac. *q.* 3. *punct.* 5. § 1. *num* 8. Perez *diſp.* 28. *ſect.* 2. *num.* 8. *& ſect.* 4. *nu.* 4. Armil. *verb. Diſpenſatio*, *n.* 9. *&* 20. Syluiu *q.* 54. *a.* 3. N. Gabr *diſ.* 6. *num.* 87.

*Ex textibus probatur concluſio.*

16. Probatur primò: quia in *cap. Gaudemus, de diuortijs*, Innocentius III. docet, infideles, qui ad fidem conuertuntur, non ſeparandos eſſe à coniugibus, ſi in ſecundo, aut tertio gradu contraxerint. Et idem Innocent. in *cap. Non debet, de conſang. & affinit.* docet iure Eccleſiaſtico ſolùm ad quartum gradum conſanguinitatis, extendendum eſſe impedimentum diriment matrimonium; ergò ſentit, quòd non in omnibus gradibus eſt irritum iure naturæ. Nec valet dicere loqui hos textus de conſanguineis in linea tranſuerſali, non in linea recta: nam etiam de linea recta loquuntur: ſi enim de hac non eſſet ſermo, cum non detur alius textus, ex quo iure Eccleſiaſtico dirimatur matrimonium uſque ad quartum gradum lineæ rectæ, fieret inde nullo iure Eccleſiaſtico irritari tale matrimonium. Et cum ſit probabilis opinio aſſerens iure naturæ non eſſe irritum tale matrimonium, poſſent modò homines abſque diſpenſatione, matrimonium inire intrà illum gradum, quod nullus admittet: igitur etiam de conſanguineis in linea recta loquuntur. Et per hos textus iuris Canonici, ad quod ſpectat impedimenta matrimonij decernere, correctæ ſunt illæ leges iuris Ciuilis, pro contraria ſententia citatæ.

*Ratione idipſum probatur.*

17. Ratione etiam probatur concluſio, per quam fundamentum contrariæ ſententiæ euertitur. Tum: quia auus, & cæteri aſcendentes non ſunt principium per ſe nepotum, ſed per accidens: accidit quippe filio, ut filius eſt, quod ſuus pater ab alio parente procreetur: & ideò, ut filius eſt, ſolum petit quod à parente ducat originem. Quapropter filij Adæ, qui non ab alio parente fuit genitus, non minùs quam alij erant filij, unde reuerentia debita auis non eſt per ſe, ſed per accidens: nam iſta ſuprà originem fundatur: & ſic non mirum, quòd non ſit tanta, ut poſſit obſiſtere uſui coniugij, ita ut iſtud ſit nullum, ſed ad ſummum erit illicitum. Tum etiam: quia quò magis aliquis diſtat à ſuo principio, ut inquit D. Thom. *loc. cit.* minor eſt coniunctio cum illo, & ideò minorem debet ei reuerentiam, ob quam minor indecentia in uſu matrimonij inuenitur: quæ proinde non reddit irritum matrimonium ex ipſo naturæ iure.

*Explicatur textus Leuitici.*

18. Solum reſtat reſpondere ad illum textum Leuitici, in quo videtur iure poſitiuo diuino, ſaltem eſſe irritum matrimonium in ſecundo gradu lineæ rectæ. Ad quem dicimus in primis, tale præceptum fuiſſe ex cæremonialibus, & legalibus illius legis, quæ per legem Chriſti abrogata ſunt, ut inquit Sanch. Palaus Dicaſt. Trull. Sed dato, quòd eſſet ex præceptis moralibus, & naturalibus, quæ per legem Chriſti non fuerunt extincta, dicendum eſt cum Caiet. *in cap.* 16. *Leuit. & in opuſc. de Matrimonio Regis Angliæ*: quòd illud præceptum ſecundum quod extendebatur ad ſecũdum gradum, fuit iudiciale, & ſecundum quid naturale non irritans, ſed prohibens. Et conſtat manifeſtè: nam in dict. *cap.* 18. *Leuit.* etiam alia impedimenta aſſignantur pro matrimonio tàm in linea recta, quam tranſuerſali, quæ apud omnes non ſunt de iure naturæ. Quapropter *Conc. Trid ſeſſ.* 24. *Can.* 3. definit, poſſe Eccleſiam diſpenſare in aliquibus ex impedimentis, quæ in Leuitico aſſignantur: ergò non omnia erant ex iure naturæ, aut diuino: & ideò ibi. *nu* 18. dicitur: *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente.* Et tamen Iacob duxit ſororem uxoris ſuæ, illa viuente, quandò viuente Lia duxit Rachelem, quod non faceret ſi eſſet hoc iure naturę nullum. Similiter ibi. *num.* 9. dicitur: *Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſiue ex matre, quæ domi vel foris genita eſt, non reuelabis* Et tamen Abraham duxit Saram, quæ ut inquit D. Hieron. *in qq. Hebraic. in Geneſ.* Clemens Alexand. *lib.* 2. *Strom.* Caietan. *Geneſ* 20. *&* Sot. *libr.* 2. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 8. *ad* 4. erat ſoror ſua ex patre, & non ex matre, & deducitur ex illis verbis, *Geneſ.* 12. *Vnde ſoror mea eſt filia patris mei, & non matris meæ.* Non ergò erat iure naturæ irritum tale matrimonium; erat tamen illicitum, ſed aliqua urgente cauſa, & ſingulari, ac tardò poterat honeſtari.

*In primo gradu lineæ tranſuerſalis eſſe nullum matrimonium iure naturæ ab aliquibus aſſeritur.*

19. Circa ſecundam difficultatem, an nimirum in lineâ tranſuerſali ſit iure naturæ nullum matrimonium in primo gradu, ut inter fratrem, & ſororem, etiam eſt duplex ſententia ſatis probabilis. Prima affirmatiua, quam tenent Abulenſ. *Leuit.* 28. *quæſt.* 5. Sot. *in* 4. *diſtinct.* 40. *quæſt. unic art.* 2. Enriquez *libr.* 12. *cap.* 9. *numer.* 4. Tolet. *libr.* 7. *ſumm. cap.* 1. *numer.* 2. Couarru. 4. *Decretal.* 2. *part. capit.* 6. § 10. *numer.* 5. Sanchez *num.* 11. Coninc, *num.* 19. Bonacin. *num.* 12. Valent. *tom.* 4. *diſput.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. 5. *Controuerſia*, Lugo Cardin. *de Pœnitent. diſput.* 16. *num.* 143. Petrus de Ledeſm. *quæſt.* 54. *art.* 3. *diff.* 2. Trullench *num.* 9. N. Ant. *num.* 382. Gonet. *diſ.* 9. *a.* 3. Sylu. *quæſt.* 54. *a.* 3. Et probatur primò: quia Innocentius III. *in cap. Gaudemus cit.* docet ſeparandos non eſſe infideles ad fidem conuerſos, ſi in ſecundo, & tertio gradu contraxerunt matrimonium: ergò ſentit, quòd ſi in primo contraxiſſent, eſſent ſeparandi. ¶ Secundò: quia Eccleſia numquam in tali impedimento, quacumque cauſa interueniente, diſpenſauit, quod eſt ſignum eſſe iure naturæ inductum. ¶ Tertiò: quia tale matrimonium, & illius copulam, plures gentes deteſtatæ ſunt, teſte Ariſtotel. *libr.* 2. *Politic. cap.* 2. quod eſt ſignum iure naturæ eſſe nullum: & ideò Abraham *Geneſ.* 12. dicendo Saram eſſe ſororem ſuam, intellexit in mentem illorum Gentilium non poſſe venire, eſſe ſibi matrimonio coniunctam. ¶ Denique quia actus coniugalis ob turpitudinem, quam ſecum affert, aduerſatur pudori, & reuerentiæ, quæ ſanguine ita coniunctis debetur.

*Vera ſententia negans eligitur.*

20. Secunda, & verior ſententia dicit, non eſſe irritum iure naturæ tale matrimonium. Ita D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 40. *citat. quæſt. unic. artic.* 3. *& in addit. quæſt.* 54. *artic.* 3. *&* 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 9. *ad* 3. Caiet. *ibi*, *& cap.* 18. *in Leuit.*

Palaus

Palaus *diſp.* 4. *punct.* 7. *num.* 11. Baſil. *cap.* 32. *numer.* 3. Hurtad. *num.* 12. noſter Cornejo *dub.* 13. Candid. 8. Dicaſtil. *numer.* 222. Auerl. *sect.* 1. §. *Sed putandum.* N. Gab. *diſ.* 7. *num.* 88. Franc. Bonæ Spei, *diſ.* 7. *num.* 64. & 71. N. Steph. *diſ.* 8. *dub.* 8. Et colligitur ex *Scriptura*, 2. *Reg.* 23. ubi refert ſacer textus Thamar Amnon fratri ſuo, qui illum opprimere volebat, dixiſſe: *Noli frater opprimere me, noli facere ſtultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*: quibus innuit practicatum ſaltem in caſu raro, & ex grauiſſima cauſa, ut frater uxorem duceret; aliàs ſtultiſſimè loqueretur. Imò plures gentes benè inſtitutas tale matrimonium uſitatas fuiſſe, docet *Paleotus lib. de Nothis filijs, cap.* 3. *numer.* 2. Et quod magis initio mundi fratres uxores ducebant ſorores, & non eſt credibile hoc vel ex diſpenſatione diuina, vel propter neceſſitatem propagandi genus humanum fuiſſe validum: incredibile quippe eſt priora coniugia facta fuiſſe violato iure naturæ: nam Deus opifex illius non conderet naturam cum talibus conditionibus, ut non poſſet in primo limine, niſi contra ipſam naturam operando, conſeruari. Ac tandem ratio idipſum perſuadet: quia frater, & ſoror non ſunt directè una caro, ſicut pater, & filius, nec inter ipſos repugnat æqualitas, nec eſt mutua reuerentia debita, cum nemo eorum ſit ſuperior: & ideò fini matrimonij non eſt contrarium tale coniugium.

*Infideles, qui contraxerunt in primo gradu per ſe, non ſunt ſeparandi.*

21. Ad primum argumentum contrarium dicimus Innocent. III. noluiſſe còntra unam, vel alteram opinionem decernere; ſed quia res erat in dubio, an in primo gradu eſſet nullum matrimonium, vel non, de hoc nihil egit, ſed de alijs gradibus, de quibus non erat controuerſia. Sed ex noſtra ſententia, & ex dictis in hoc puncto ſequitur, quòd infideles ad fidem conuerſi ſeparandi non ſunt à coniugio, ſiue in ſecundo gradu lineæ rectæ contraxerint, ſiue in primo lineæ tranſuerſalis, dummodò in primo gradu lineæ rectæ non fuerint coniuncti, ſi matrimonium legitimè, id eſt, iuxtà id, quod ex ſuâ naturâ petit, & iuxtà leges, & inſtituta politica ſuæ patriæ celebrarunt. Sed quia vix datur Reſpublica adeò barbara, in qua iure poſitiuo non irritetur matrimonium inter fratrem, & ſororem, ſeparandi ſunt tales infideles, quandò conuertuntur ad fidem, qui hoc modo contraxerunt: vel quia multoties viuente priori uxore, & illa retenta, vel dimiſſa matrimonium contrahunt: vel quia ad tempus, & non in perpetuum, quæ omnia faciunt illorum matrimonium nullum: & ſic ſeparandi ſunt; non verò quia in gradu primo lineæ tranſuerſalis contraxerint. Ita Cornej. *dub.* 14. *fol.* 983. Candid. *diſquiſ.* 28. *art.* 5. *dub.* 8. Bonatin. *num.* 9.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

22. Ad ſecundum admiſſo, nunquàm Eccleſiam in tali matrimonio diſpenſaſſe, hoc non eſt, quia ſit iure naturæ irritum, ſed quia illicitum, & indecens valdè, nec poteſt occurrere iuſta cauſa talem diſpenſationem impertiendi (quidquid ſit, an hoc poſſit facere, de quo ſuo loco dicemus.) Diximus *admiſſo*: quia Syluest. *in ſum. verb. Papa, quaſt.* 17. teſtatur id factum fuiſſe aliquandò, his verbis: [*Reperitur* Martinus V. *ut Archidiaconus refert, diſpenſaſſe cum eo, qui cum ſuâ germanâ contraxerat, & conſummauerat, habito conſilio cum peritis Theologis, & Canoniſtis propter mala, & ſcandala aliàs inde euentura; licèt aliqui dicerent eum hoc non poſſe.* Tertium, & quartum argumentum ſolùm probant eſſe illicitum tale matrimonium, & iuſta ratione iure poſitiuo irritatum, non verò eſſe nullum iure naturæ, ob quam rationem illud deteſtatæ ſunt plures nationes: & quia rarò occurrebat occaſio in qua tale matrimonium honeſtaretur, potuit perſuadere Abraham Saram non eſſe coniugem ſuam, dicendo eſſe ſororem, quamuis, ut diximus *num.* 18. probabile ſit fuiſſe ſuam ſororem ex patre, quod potiùs noſtram ſententiam confirmat.

## P V N C T V M II.

### *De cognatione ſpirituali, quas conditiones requirat, quomodo contrahatur, & inter quas perſonas?*

*Quid ſit cognatio ſpiritualis.*

23. Cognatio ſpiritualis eſt *propinquitas perſonarum iure Eccleſiaſtico introducta, ex ſuſceptione, vel conceſſione Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis.* Ex qua definitione conſtat, cognationem hanc non eſſe nec ex iure diuino, nec ex iure naturæ in nullo gradu, ſed præcisè ex iure Eccleſiaſtico. Contrahitur autem in duobus tantummodò Sacramentis nempe in Baptiſmo, & Confirmatione, non alijs, cuius rationem reddit optimè D. Thom. *in* 4. *diſt.* 42. *quaſt.* 1. *art.* 2. & *in addit. quaſt.* 56. *art.* 2. *ad* 1. his verbis: *Ad primum ergo dicendum: quod duplex eſt carnalis natiuitas. Prima in utero, in quo adhuc id, quod natum eſt, eſt adeò debile, quod non poſſit extra poni ſine periculo, & huic natiuitati aſſimilatur regeneratio per Baptiſmum, in quo regeneratur aliquis adhuc quaſi fouendus intrà uterum Eccleſiæ. Secunda eſt natiuitas ex utero, quando iam quod natum erat, in utero tantum roboratum eſt, quod poteſt ſine periculo exponi exterioribus, quæ nata ſunt corrumpere: & huic aſſimilatur Confirmatio, per quàm homo roboratus exponitur in publicum ad confeſſionem nominis Christi. Et ideò congruè per utrumque iſtorum Sacramentorum contrahitur cognatio ſpiritualis.*

*Obiectio probans in Sacramento Pœnitentiæ contrahi cognationem.*

24. Sed quamuis argumenta omnia omittamus, quibus probari ſolet etiam in alijs Sacramentis contrahi cognationem ſpiritualem; illud prætermittere non poſſumus, quo probatur etiam in Sacramento Pœnitentiæ talem cognationem contrahi, quod ſic ſe habet. Quia in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos dicitur pater ſpiritualis, & pœnitens filia eius ſpiritualis non minùs quàm in Baptiſmo, *cap. Omnes* 30. *quaſt.* 1. ubi Symmachus *Papa*, ait: *Omnes, quos in Pœnitentia accepimus, ita filij noſtri ſunt, in Baptiſmate ſuſcepti*: ergò non minùs quàm in Baptiſmate contrahitur cognatio ſpiritualis. ¶ Confirmatur: quia ratione huius cognationis ſpiritualis peccatum fornicationis habitum inter confeſſorem, & pœnitentem inducit nouam circumſtantiam inceſtus, ratione cuius eſt in confeſſione talis circumſtantia detegenda: ergò etiam per tale Sacramentum cognatio ſpiritualis contrahitur.

*Reſpondetur ad obiectionem.*

25. Reſpondetur ad argumentum: quòd in Pœnitentiâ valdè metaphoricè, & impropriè dicuntur filij, & parentes, non ob aliquam cognationem ſpiritualem, cum Bonifacius VIII. *in cap. final.*

*de cognatione ſpirituali in 6.* dicat, ex nullo alio Sacramento præter Confirmationem, & Baptiſmum contrahi cognationem ſpiritualem. Et ideò ſi olim iure, vel conſuetudine fuit introducta, iam nunc hoc iure Bonifacij, & conſuetudine Eccleſiæ eſt abolita. Sed rationem, quare in Pœnitentiâ non propriè contrahatur cognatio ſpiritualis, tradit D. Thom. *loc. cit. ad 8. ſic: Ad octauum dicendum: quod per Sacramentum Pœnitentiæ non contrahitur, propriè loquendo, ſpiritualis cognatio: unde filius Sacerdotis poteſt contrahere cum illa, quam Sacerdos in confeſſione audiuit, aliàs filius Sacerdotis non inueniret in tota Parochiâ mulierem, cum quâ contrahere poſſet. Nec obſtat, quòd per Pœnitentiam tollitur peccatum actuale: quia hoc non eſt per modum generationis, ſed magis per modum ſanationis.*

*Ad confirmationem reſponſio.*

26. Ad Confirmationem dicimus tangere grauem difficultatem, quæ hic à Sanchez, & Ledeſ. ex profeſſo deciditur, ab alijs *in tractatu de Pœnitentia:* An nimirùm peccatum fornicationis habitum cum filia confeſſionis ſit noua circumſtantia in confeſſione detegenda? Omnibus in eo conuenientibus, quòd ſi in ipſa confeſſione, vel immediatè proximè ad ipſam, vel ſolicitatio, aut peccatum carnis perpetratum fuerit, eſt neceſſariò confitenda talis circumſtantia, non propter cognationem ſpiritualem, quæ ibi nulla eſt, ſed propter ſpecialem irreuerentiam factam Sacramento. Et ideò propter magna damna, quæ ex tam neſando peccato conſurgunt, à Sacris Canonibus, & Pontificibus grauiſſimè ſub pœnis grauiſſimis prohibetur: & ſic eſt peccatum ſacrilegij, non inceſtus.

*Cum filia confeſſionis peccatum carnale eſſe, & non eſſe peccatum ſpeciale eſt probabile.*

27. At ſi extrà confeſſionem ſit tale peccatum à Sacerdote cum filia confeſſionis commiſſum, adhuc eſſe peccatum ſacrilegij in confeſſione detegendum, docent Sanch. *lib. 7. diſp. 55. num. 3. & 4.* Coninc, *diſp. 31. dub. 2. num. 23.* Riccius *deciſ. 376.* Cornejo N. *hic diſp. 7. dub. 15. §. Reſpondetur,* Candid. *diſquiſ. 24. art. 23. dub. 28.* Nuño *in addit. quæſt. 9. art. 2. dub. 3.* Fagundez *præcep. 2. lib. 4. cap. 3. num. 33.* Et alij; quia ob ſpecialem reuerentiam Sacramenti facta eſt talis prohibitio *in Canon. omnes, Canon. ſi quis Sacerdos, Can. non debet 30. qu. 1.* Vnde ſicut quia furtum in loco ſacro, induit ſpecialem circumſtantiam ſacrilegij ob prohibitionem factam in reuerentiam loci: ita in præſenti.

¶ In hâc quæſtione Petrus de Ledeſm. *quæſt. 56. art. 2. dub. ult.* utramque partem probabilem dicit, Dicaſt. *hic diſp. 7. dub. 24. à num. 231.* utramque proponit, & indeciſam relinquit. Alij verò ut Baſil. *lib. 7. cap. 38. num. 7.* Sà *verbo Confeſſio, num. 25.* Azor *tom. 3. lib. 3. cap. 9. quæſt. 5.* Bonacin. *hic num. 7.* Leand. *hic diſp. 13. quæſt. 14. & tract. de Pœnit. diſp. 8. §. 3. quæſt. 51.* Vaſq. *quæſt. 91. art. 1. dub. 2. num. 20.* Sancius *in ſelect. diſput. 11. num. 3.* Diana *5. part. tract. 14. reſol. 110. & part. 1. tract. de circumſt. aggrauant. reſol. 12* alios referens Trull. *hic cap. 9. dub. 8. num. 3.* N. Gab. *diſ. 6. num 90.* negant eſſe ſpecialem circumſtantiam in confeſſione detegendam: quia dicti textus non ob reuerentiam Sacramenti: ſed quia tunc cognatio illa ſpiritualis introducta erat, talem fornicationem ſpecialiter interdixerunt, quod ius reuocatum eſt per Bonifac. VIII. *dict. cap. fin. de cognat. ſpirit.*

¶ Vtraque ſententia eſt ſatis probabilis, ſed priorem cum Ledeſma probabiliorem iudicamus: quia eſt magis conformis D. Thomæ, qui poſt verba ſuprà adducta addit. *Sed tamen per Pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem, & Sacerdotem ſpirituali cognatione ſimilem, ut tantum peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia. Et hoc ideo quia maxima familiaritas eſt inter Sacerdotem, & confitentem, & ob hoc iſta prohibitio eſt inducta, ut tollatur peccandi occaſio.*

*Inter quas perſonas cognatio ſpiritualis contrahitur.*

28. Perſonæ, quæ impedimentum cognationis ſpiritualis contrahunt, numerantur à Concil. *Trid. ſeſ. 24. cap. 2. de Reſor.* ſic: *Statuit, ut unus tantùm ſiue vir, ſiue mulier iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur.* Et in fine: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omninò ſublatis.* Ex quo patet non amplius extendi hoc impedimentum his temporibus præterquàm ad illos, qui modò aſſignati ſunt à Concilio. Vnde inter baptizatum, & filios patrini, aut matrinæ, inter baptizatum, & filios baptizantis, poteſt contrahi matrimonium, & inter ipſum patrinum, & matrinam: & ſic vir, & coniux poſſunt eſſe Baptiſmi ſuſceptores, & nullum impedimentum incurrunt petendi ſibi inuicem debitum. Imò nullum peccatum eſt coniugatos eſſe ſuſceptores filij alieni in Baptiſmo: cum de hoc nulla prohibitio detur. Bonacin. *quæſt. 3. punct. 5. §. 2. num. 5.*

*Quid requiratur, ut baptizans contrahat cognationem.*

29. Vt inter baptizantem, & baptizatum, (idem eſt dicendum in Confirmatione) cognatio ſpiritualis contrahatur, nihil aliud requiritur, niſi quod verum Baptiſma conferat, ſi tamen verus Baptiſmus non detur, talis cognatio non contrahitur. Et propterea quandò puer eſt domi baptizatus, & ſupplentur in Eccleſia ſolemnitates, cognatio dirimens non contrahitur, cum non detur tunc verus Baptiſmus. Bonacin. *ſupr. num. 9.* Dicaſtill. *diſp. 7. dub. 27. numer. 256.* Sanch. *lib. 7. diſp. 62. num 1.* Similiter non contrahitur, ſi puer ſemel baptizatus rebaptizetur: quia tunc verum Sacramentum non conficitur, nec præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. Si autem ſub conditione rebaptizetur: quia eſt dubitatio de valore Baptiſmi antea ſuſcepti, tunc contrahitur cognatio dirimens: quia quandò non conſtat de Baptiſmo, præſumit Eccleſia tunc fieri, & cognationem ſpiritualem contrahi. Bonacin. *num. 10.* Sanch. *num. 6.* Dicaſtill. *num. 260.* Vltrà hoc requiritur, quod ipſe baptizans ſit baptizatus (Similiter in Confirmatione,) & etiam patrinus, ac matrina. Si autem infidelis baptizaret puerum, vel illum de ſacro fonte leuaret, non contraheret cognationem cum illo: eo quòd hæc cognatio ſpiritualis eſt introducta iure Eccleſiaſtico, & ſic non ligat eos, qui non ſunt ſubiecti Eccleſiæ. Quare ſi infidelis aut baptizaret, aut ſuſciperet puerum de Baptiſmo, & poſteà ad fidem conuerteretur, poſſet contrahere matrimonium cum patre, vel matre baptizati, imò cum ipſo baptizato, Coninc, *diſp. 28. dub. 2. num. 25.* Bonacin. *ſupr. num. 19.* Sanch. *lib. 7. diſp. 60. numer. 7.* Dicaſt. *diſp. 7. dub. 25.*

30. Su

*Quales ſuſceptores contrahant cognationem?*

30. Suſceptores pueri de Baptiſmo debent eſſe deſignati vel à parentibus pueri, vel ab alijs, quibus incumbit cura illius, ut dixit *Concil. ſeſ.* 24. *cap.* 2. *allegato.* Sed quid ſi nullus eſſet deſignatus, & plures tangerent, vel ſuſciperent baptizatum? Reſpondet Palaus *diſp.* 7. *punct.* 9. *num.* 2. Suarez 3. *part. quæſt.* 68. *artic.* 8. *ad fin.* Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 57. *num.* 12. Neminem contrahere cognationem: quia Concilium exigit deſignationem, tanquàm neceſſariam, conditionem ut tangentes ſint veri patrini. Sed Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 17. *fol.* 938. ex Rebell. *lib.* 3. *de impedim. quæſt.* 6. *num.* 95. *&* Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 5. §. 2. *num.* 24. aſſeruot, quòd ſi in tali caſu plures ſucceſſiuè tangant baptizatum, illi duo, qui priores tetigerint, contrahunt cognationem, & non alij, ſi verò plures ſimul ipſum tetigerint, omnes contrahunt cognationem: quia ita inquiunt declaraſſe Congregationem Cardinalium.

*Aliæ conditiones pro patrinis requiſitæ.*

31. Deinde requiritur, quòd patrini puerum teneant, quandò aquâ Baptiſmi ei infunditur, vel ungitur Chriſmate ſacro, vel ex ſacro fonte leuent, ſtatim ac baptizatus eſt, & ſuſcipiant, ſi non per aquæ infuſionem, ſed per ſubmerſionem à Parocho baptizatur, cap. *Omnes* 33. *q.* 1. Ad quod requiritur contactus phyſicus, ut verificetur verè eum tangere, aut tenere, & ideò non contraherent hanc cognationem, qui præcisè aſſiſterent, vel qui digito tantummodò puerum tangerent: quia ſic non verificaretur eum verè tangere, aut tenere. Non autem requiritur, quòd aliquid pro puero reſpondeant, quandò fit catechiſmus. Sanc. *lib.* 7. *diſp.* 56. N. Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 27. Bonac. *qu.* 3. *punct.* 5. §. 2. Verè tamen debent intentionem habere faciendi munus patrini, & faciendi, quod ex inſtituto Eccleſiæ patrini debent facere, aliter non contraheretur huiuſmodi cognatio: quia nulla poteſt oriri obligatio ſine intentione, & conſenſu. Satis eſt, quod habeant uſum rationis, nec requiritur maior ætas in patrinis, quàm in baptizatu, ſed pueri poſſunt eſſe in baptiſmo veri patrini, D. Thom. *quæſt.* 57. *art.* 1. *ad* 5. ubi aſſignat diſcrimen quoad hoc inter cognationem ſpiritualem, & cognationem legalem.

*Non contrahitur cognatio in Baptiſmo priuato à patrinis.*

*Vide N. Ant. tract.* 11. *diſ.* 5. *num.* 385.

32. Sed quæres. An hæc cognatio ſpiritualis inter patrinos, & baptizatum ſolùm in Baptiſmo ſolemni contrahatur, an verò etiam in Baptiſmo priuato? ¶ Reſpondetur, ſolùm in Baptiſmo ſolemni. Ita Palaus Cornej. *loc. cit.* Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 5. §. 2. *num.* 11. Sot. *in* 4. *diſt.* 42. *quæſt.* 4. *art.* 1. Dicaſt. *diſput.* 7. *dub.* 30. *num.* 304. quia hæc cæremonia inſtituta eſt ab Eccleſia pro ſolemni Baptiſmo. Et ideò ſi in priuato omittatur, nullum eſt peccatum, nec reſpectu illius dicuntur veri patrini. ¶ Et ſi obijcias: quod baptizans in Baptiſmo priuato verè contrahit cognationem ſpiritualem: ergò ſimiliter eum ſuſcipiens aut tenens. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quia qui in Baptiſmo priuato baptizat, verè baptizat, & Sacramentum confert, ſuſcipiens verò non eo modo ſuſcipit, quo eſt ab Eccleſiâ ſtatutum.

*Qui baptizat priuatè etiam in neceſſitate cognationem contrahit.*

33. Ex quo deducitur: quod laicus, qui in neceſſitate puerum baptizat, contrahit cognationem ſpiritualem cum eo: quia verum Baptiſmum confert, & Sacramentalem efficit actionem. Nec obeſt, quòd ad id teneatur ratione neceſſitatis, ſiquidem etiam Parochus ratione officij tenetur puerum baptizare, & tamen cognationem ſpiritualem contrahit cum eo, quandò verè ipſum Baptiſmum confert. Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 16. *in fin.* Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 5. §. 2. *num.* 11. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 30. ¶ Obijcies. Parentes, qui in caſu neceſſitatis puerum baptizant, non contrahunt cognationem ſpiritualem, quæ impediat uſum matrimonij, *cap. Ad limina* 33. *quæſt.* 1. ergò nec ſimiliter laicus eum baptizans in caſu neceſſitatis. ¶ Reſpondetur eſſe diſparem rationem: quia ſi parentes talem cognationem contraherent, eſſet ipſis pœna, cum eos uſu coniugij, ad quem habent ius, priuaret, & pœna pro adimpletione præcepti in tali caſu urgentis non debet poni, in alijs verò non ſtatuitur, ut pœna, ſed ut charitas & amor ad alios extendatur. Et ideò abſque culpâ poteſt tale impedimentum contrahi propter alias cauſas ſicut iudex ſuſpendens latronem non peccat, & tamen propter alias cauſas fit irregularis.



## PVNCTVM III.

### *Quid ſit, & quotuplex cognatio legalis? Quas conditiones requirat? Quibus caſibus, & inter quos contrahatur?*

*Quid ſit adoptio?*

34. COgnatio legalis definitur, quod eſt: *Propinquitas perſonarum ex adoptione proueniens.* Adoptio verò à D. Thom. definitur *in* 4. *diſt.* 42. *quæſt.* 2. *art.* 1. *& in addit. q.* 57. *art.* 1.: *quòd eſt: extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio.* Dicitur *legitima aſſumptio*: quia debet eſſe facta ſecundum leges tam ciuiles, quàm Canonicas. Dicitur, *extraneæ perſonæ*, id eſt, quæ non ſit in adoptantis poteſtate, ſiue conſanguinea fuerit, ſiue non. Dicitur, *in filium, vel nepotem*: quia eſt terminus aſſumptionis, & adoptionis ſubiectum, & non poteſt eſſe adoptio in fratrem, vel alium gradum, ſed præcisè in filium, nepotem, & deinceps, *leg. Nec apud*, C. *de Hæredibus inſtituend.*

*Quas conditiones requirat adoptans?*

35. In adoptante iſtæ conditiones requiruntur. Prima: quod ſit maſculus, fœmina enim adoptare non poteſt, eo quod filios ſub ſua poteſtate non contineat: ſed ex priuilegio poteſt etiam fœmina adoptare ut tradit D. Thom. *quæſt.* 57. *art.* 3. *ad* 3. Et hoc habent fœminæ, iure Regni, in Caſtella, quæ filios in bello amiſerunt, *leg.* 2. *&* 3. *tit.* 16. *part.* 4. Secunda: quod ſit ſui iuris, & maior viginti quinque annis adoptans: quia aliàs ſua bona nequit adminiſtrare. Imò ſi præſtet adoptionem perfectam, quæ dicitur *arrogatio*, debet habere quadraginta annos completos. Tertia, ut poſſit naturaliter filios gignere: quia alios aſſumit in defectum filiorum, quos natura expectata generare poſſet. Vndè à naturâ impotentes, ut naturaliter frigidi, vel etiam ex accidente impotentes, ut ſpadones, & alij gladio caſtrati, ſunt ſecundùm opinionem aliquorum adoptandi incapaces, quamuis alij id ſolùm naturaliter impotentibus negent. Quarta, debet adoptans excedere adoptatum decem & octo annis, ut ratione ætatis filius illius eſſe poſſit: adoptatus autem habere debet ſeptem ſuæ ætatis annos. Quinta, debent eſſe præſentes, & ideo inter abſentes, vel per procuratorem nequit adoptio fieri. Sexta, debet fieri auctoritate Principis, vel

Magiſtratus, ſine quâ, etiamſi publicè fiat, non valet. Palaus *diſp*, 4. *punct*. 9. *num*. 4. Sanch. *lib*. 7. *diſp*. 63. *num*. 3. N. Ant. *diſ*. 7. *ſect*. 10. Et eſt commune.

*Duplex adoptio explicatur.*

36. Duplex reperitur adoptio ſecundùm D. Tho. *in* 4. *diſt*. 42. *qu*. 2. *art*. 1. *ad*. 1. *& in add. qu* 57. *art*. 1. *ad* 1. Alia eſt perfecta, quæ dicitur *arrogatio*, & eſt illa, quâ reſcripto Principis, perſona extranea, quæ iam eſt ſui iuris, tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis, quemadmodum alij filij legitimi illius. Appellatur autem *arrogatio*; quia adoptans rogatur à Principe, an velit io filium, vel nepotem talem, vel talem aſſumemere, & ipſe adoptatus etiam rogatur, an velit aſſumi, & in poteſtatem adoptantis venire. Alia eſt imperfecta, & dicitur *ſimplex adoptio*, nomine communi retento, ad qoud non requiritur, quòd adoptatus ſit ſui iuris, nec Principis ſupremi reſcripto, ſed auctoritate cuiuſlibet Magiſtratus fieri poteſt, nec tranſit ſic adoptatus in familiam, & poteſtatem adoptantis; inter quas hæc datur differentia: quòd arrogatus ſuccedit neceſſariò arroganti, tam ex teſtamento, ita ut ſine culpâ nō poſſit adoptans priuare eum quartâ parte bonorum, quàm ab inteſtato: non ſic adoptatus, qui ſolùm ab inteſtato, ſuccedit adoptanti, §. *Sed hodie*, §. *Adoptio*, *inſtituta de adoption. leg*. 1. *&* 2. *C. de adoption. & leg. Regni* 7. *tit*. 7. *part*. 4. ibi Gregor. Lop. *verb. Su carta*, Sanch. *lib*. 7. *diſput*. 63. *num*. 1 à Palaus *diſp*. 4. *punct*. 9. *num*. 5. Cornej. *diſp*. 7. *dub*. 19. Auerſ. *quaſt*. 16. *ſect*. 3. N. Ant. *loc. cit*.

*Triplex ſpecies datur cognationis.*

37. Cognatio igitur legalis tam ex perfectâ, quam imperfecta adoptione proueniens habet triplicem ſpeciem ſecundùm D. Th. *in* 4 *diſt*. 42. *q*. 2. *art*. 3. *in corp. & in add. q*. 57. *art*. 3. Alia eſt in lineâ rectâ, quaſi aſcendentium, & deſcendentium, & hæc inter adoptatum, & adoptantem reperitur, §. *Ergo non omnes, inſtitut. de nupti. leg. Quin etiam, ff. de Ritu nuptiar. & leg*. 1. *Regni, titul* 7. *part*. 4. Secunda ſpecies eſt cognationis tranſuerſalis inter adoptatum, & filios carnales legitimoa adoptantis, § *Inter eas inſtit. de nupti. leg. Per adoptionem*; *ff. de Ritu nuptiar. & dict. leg*. 7. *tit*. 7. *part*. 4. Tertia ſpecies eſt affinitatia legalis ad ſimilitudinem affinitatis carnalis, & eſt inter adoptantem, & uxorem adoptati, & inter ipſum adoptatum, & uxorem adoptantis, *leg. adoptiuus, ff. de Ritu nuptiar. leg*. 7 *tit*. 7. *part*. 1.

*Omnes ſpecies habent eſſe impedimenta iure Canonico.*

38. Quælibet ex his ſpeciebus adoptionis dirimit matrimonium non iure diuino, aut naturali, ſed poſitiuo: licèt enim huiuſmodi cognatio legalis introducta fuerit iure ciuili, quòd poteſtatem non habet ad introducenda impedimenta dirimentia matrimonij, cæterùm omnes dictæ ſpecies iure Cannnico ſunt approbatæ: & ſic potiùs ab eo introductæ ſunt in ratione impedimenti matrimonij, & de duabus primis ſpeciebus, quæ ſunt in lineâ rectâ, & tranſuerſali non eſt dubium: habentur enim, *cap. unic. de cognat. legal. cap. Per adoptionem* 30. *quæſt*. 3. quod eſt ex Paſchali Pontifice, *cap. ita diligere* 30. *quæſt*. 3. *quod eſt ex* Nicolao Papa. De tertiâ eſt aliqua difficultas: cum non reperiatur ius Canonicum, in quo ſit approbata, ſed ſufficit illa rubrica generalis iuris Canonici, ſcilicet, de *cognatione legali*, ut omnes cognationes iure ciuili introductæ, iure Canonico cenſeantur approbatæ, additâ conſuetudine Eccleſiæ immemorabili, ſcientibus, nec contradicentibus Pontificibus, introductâ. Ita D. Thom. *in* 4 *diſt*. 42. *quæſt*. 2. *art*. 2. *& in addit. quæſt*. 57. *artic*. 2. Sanch. *diſp*. 63. *num*. 17. Baſil. *cap*. 41. *num*. 2. Conine. *dub*. 3. Sot. *in* 4. *diſt*. 42. *verſ. de adoptione*, *& artic*. 2. *in fin*. Auerſ. *ſect*. 3. Cornej. *dub*. 19. Palaus *num*. 7. Dicaſt. *num*. 324. Ratio verò introducendi hoc impedimentum cum proportione eſt eadem cum illâ, quâ probauimus, conuenientiam introducendi impedimentum conſanguinitatis: ſiquidem ex tali adoptione oritur ſpecialis amor, & familiaritas inter adoptatum, & adoptantem, & eius filios; & ſic oportuit, quòd matrimonium, quod eſt vinculum amoris, ad alios extenderetur, & etiam adoptatus reuerentia proſequi tenetur adoptantem, cui obſtat carnalis copula inter eos: & ſimiliter ob familiaritatem periclitaretur caſtitas inter illos, ſi eſſet poſſibile inter eos coniugium.

*Per adoptionem imperfectam induci impedimentum, plerique volunt.*

39. Sed nunc reſtat triplex quæſtio denodanda. Prima eſt. An hæc cognatio legalis, quæ impedimentum præſtat matrimonio, ſolùm oriatur ex adoptione perfecta, ſeu arrogatione (de qua non eſt dubium) ſed etiam ex imperfecta? Duplex ſententia circà hoc ſatis probabilis reperitur. Prima eſt affirmatiua, quam tenet Baſil. *cap*. 41. Angel. *verb. Matr*. Couarruu. 4. *Decret*. 2. *part. cap*. 6. § 5. *num*. 2. Sot. *in* 4. *diſt*. 42. *quæſt. unic. art*. 1. Palaus *num*. 9. Tolet. *lib*. 7. *ſum. numer*. 7. N. Gabr. *diſ*. 6. *q*. 7. quod probant; quia quælibet ex his adoptionibus vera eſt adoptio, licèt una comparatione alterius ſit imperfecta, ſicut puer verus eſt homo, licèt cōparatione ad virum ſit imperfectus: & ideò in omnibus iuribus abſolutè adoptio nominatur, ſed talia iura dicunt, adoptionem abſolutè talem matrimonium dirimere: ergò de omni adoptione eſt accipiendum: quia ubi lex abſolutè loquitur, abſolutè intelligenda eſt, nec minuenda diſtinctionibus.

*Verius eſt per adoptionem imperfectam non induci impedimentum dirimens.*

40. Secunda, & verior ſententia dicit, per ſolam adoptionem perfectam tale impedimentum induci. Hanc videtur tenere D. Thom. qui *quæſt*. 57. *artic*. 1. *ad* 1. quatenùs dicit, adoptionem imperfectam magis eſſe diſpoſitionem ad perfectam, quàm perfectam adoptionem, & cum diſpoſitio ad formam non participet veram formæ naturam, videtur innuere hanc non eſſe ſimpliciter adoptionem: ac proinde impedimentum non inducere. Clarius *art*. 2. *ſeq. corp*. ubi inde probat, adoptionem inducere impedimentum dirimens: *Quia filius adoptatus conuerſatur in domo patris adoptantis ſicut filius naturalis. Ideò legibus humanis prohibitum eſt inter tales matrimonium contrahi*: ergò ſolùm ex mente D. Thomæ illa adoptio, per quam adoptatus tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis (quod, ut diximus, ſoli adoptioni perfectæ competit) inducit impedimentum dirimens matrimonij.

*Rationibus concluſio probatur.*

41. Deinde rationibus id ipſum probatur. Tum: quia iura ſolùm dicunt induci cognationem legalem per adoptionem abſolutè, & ſimpliciter talem: talis non eſt imperfecta, ſed diſpoſitio ad veram adoptionem: ergò, &c. Tum etiam: quia hæc cognatio legalis ad ſimilitudinem carnalis introducitur: ſed hæc neceſſariò petit, quòd filij ſub parentis poteſtate conſtituantur: ergò illa ſolùm adoptio, quæ neceſſario petit adoptatum in poteſtatem adoptantis venire,

poteſt

poteſt introducere impedimentum cognationis legalis. Denique: quia ad euitandum periculum incontinentiæ quod ex magna familiaritate imminet inter ſic cognatos introductum eſt tale impedimentum: ſed ſolùm hoc periculum imminet, quandò adoptatus tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis, quod fit per adoptionem perfectam: ergò, &c. Atque ita tenent Enriq. *lib.* 12. *cap.* 12. *num.* 3. Ledeſ. *quæſt.* 57. *art.* 2. *concluſ.* 3. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 63. *num.* 9. Perea *diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 6. Coninc. *diſp.* 32. *dub.* 3. *num.* 44. Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 18. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 32. *num.* 321. Auerſ. *quæſt.* 16. *ſect.* 3. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 120. Imò Sanch. Enriq. Ledeſ. Perea & N. Ant. aſſerunt nec impedimentum præciſè impediens per talem cognationem induci.

*Quantum temporis duret hoc impedimentum?*

42. Secunda quæſtio eſt. Quantum temporis duret inter cognatos legales hoc impedimentum dirimens matrimonium? Ad quam dicimus cum D. Thom. *quæſt.* 57. *art.* 3. quòd in primâ, & ultimâ ſpecie, nimirùm inter adoptatum, & adoptantem, & inter uxorem adoptati, & adoptantem, & inter uxorem adoptantis, & adoptatum perpetuò duret, & ſic nunquàm poſſe contrahi matrimonium inter illos, §. *Ergò non omnes, inſtitut. de nupt. leg. Quin etiam* 53. *ff. de Ritu nuptiar. leg.* 7. *tit.* 7. *part.* 4. *& leg.* 8. *tit.* 7. *part.* 4. *& leg.* 4. *ff. de ritu nuptiar.* quæ approbatæ ſunt iure Canonico, *cap. Per adoptionem* 30. *quæſt.* 3. *cap. Ita diligere* 30. *quæſt.* 3. Et ratio eſt; quia reuerentia, ratione cuius interdictum fuit matrimonium inter huiuſmodi cognatos, ſemper durare debet: & ſic etiam ipſum impedimentum. In ſecunda verò ſpecie lineæ tranſuerſæ, ſcilicèt inter adoptatum, & filios carnales adoptantis ſolùm durat talis cognatio: quamdiu exiſtant ſub poteſtate adoptantis: & ideò quandò ſoluitur patria poteſtas, vel morte adoptantis, vel emancipatione filij adoptiui, & naturalis, ceſſat impedimentum prædictum: & ſic filia adoptiua poteſt poſt patris obitum, cum filio naturali adoptantis contrahere, *cap. unic. de cognat. legali*, *cap. Per adoptionem* 30. *quæſt.* 3. §. *Inter eam. Inſtitut. de nupt.* & probat D. Thom. *dict. quæſt.* 57. *art.* 3. Sanch. *num.* 3. Dicaſt. *num.* 247. Baſil. *num.* 4. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 9. *num.* 15. Coninc. *dub.* 3. Cornej. *dub.* 19. Ratio eſt: quia hæc introducta eſt ad euitandum periculum incontinentiæ ob familiaritatem imminens inter adoptatum, & filios adoptantis, quod ceſſat, quandò ſoluitur patria poteſtas, vel filij emancipantur.

*Ad quos extendatur cognatio legalis?*

43. Vltima quæſtio eſt. Ad quos extendatur talis cognatio legalis? Et eſt difficultas in primâ ſpecie, nimirùm in linea recta, an extendatur ad alios præterquàm ad adoptantem, & adoptatum? Eſt duplex ſententia. Prima eſt, quæ aſſerit extendi uſque ad quartum gradum deſcendentium. Ita Tolet. *num* 7. Sot. *conc.* 2. Valent. *p.* 3. Nauarr. *in ſum. cap.* 22. *num.* 45. Baſil. *n.* 3. Bonac. *punct.* 5. §. 3. *num.* 4. N. Ant. *ſect.* 10. Quod probant: quia cognatio legalis introducta eſt ad ſimilitudinem cognationis carnalis: ſed cognatio carnalis in lineâ rectâ extenditur uſque ad quartum gradum: ergò ſimiliter legalis. ¶ Sed ſi hæc ratio aliquid probaret, probaret etiam, quòd in lineâ tranſuerſali extenderetur hæc cognatio uſque ad quartum gradum, ſicut in cognatione carnali. Quare dicendum eſt ſolùm extendi ad primum gradum in iure aſſignatum: quia hæc cognatio non inducit impedimentum iure naturæ, ut omnes fatentur, ſed tantùm iure poſitiuo: ergò ad illos ſolùm extendi debet, qui aſſignantur in iure: hi ſolùm ſunt cognati in primo gradu in omni ſpecie cognationis legalis: ergò, &c. Ita Auerſ. *ſect.* 3. Palaus *num.* 14. Sanch. *numer.* 34. Cornejo *dub.* 19. Hurtad. *num.* 17.

*Amplius idipſum proſequitur.*

44. Sed notant hi Auctores extendi talem cognationem ad omnes, qui tempore adoptionis ſunt ſub poteſtate adoptati: quia quandò aliqua perſona adoptatur, etiam omnes, qui ſunt ſub eius poteſtate adoptari cenſentur, *leg. Si paterfamilias, ff. de adoptionib.* & ſic nullo tempore erit validum matrimonium inter illos; ſed non extenditur ad alias perſonas, quæ tali tempore non erant ſub poteſtate adoptati. Quare matrimonium contrahi poteſt inter adoptantem, & filiam adoptati, quæ nata eſt ei poſt adoptionem, vel tempore adoptionis erat extrà eius poteſtatem. Item poteſt adoptans contrahere matrimonium cum filia filiæ adoptiuæ: quia mulier non habet patriam poteſtatem, §. *Fœmina, Inſtitut. de adoption.* poteſt etiam adoptatus contrahere cum filiis illegitimis adoptantis: quia illegitimi poſſunt eſſe ſub poteſtate patris, § *ult. inſtitut. de nupt.* & propter eandem rationem poteſt adoptans contrahere cum filijs illegitimis adoptati. Similiter filius adoptatus poteſt contrahere cum filiabus adoptatis eiuſdem patris: quia ſolùm ad filios naturales hoc impedimentum extenditur, & parentes adoptati cum adoptante, vel cum parentibus eius: quia de his nihil agitur in iure: & ſic nullum incurrunt impedimentum. Ita Palaus *num.* 16. Sanch. *num.* 24. Dicaſt. *numer.* 355. Cornej. Baſil. Coninc. *locis cit.*

## *De impedimento criminis.*

*Quid, & quotuplex ſit impedimentum criminis?*

45. IMpedimentum criminis ſolùm afficit coniugatos, inter quos dumtaxat poteſt oriri, quod in fauorem matrimonij inductum eſt ab Eccleſiâ, ut fides intactâ ſeruetur inter illos, & ne unus alterius mortem machinetur. Solùm autem eſt introductum iure Eccleſiaſtico, non iure naturæ, ut inquit D. Thom. *in* 4 *diſt.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 2. *& in addit. quæſt.* 60. *art.* 2. Vnde inter infideles, qui omninò ſunt extrà Eccleſiam, non habet locum, niſi eo modo, quo in fine puncti quinti dicemus. Propterea ab omnibus validum iudicatur matrimonium Dauid cum Bethſabee poſt adulterium, & homicidium perpetratum, quia tunc non erat introductum hoc impedimentum. Crimina autem, ob quæ incurritur hoc impedimentum, ſunt duo, ſcilicet, homicidium, & adulterium, quæ diuerſimodè inter ſe combinata quatuor efficiunt, nimirum, homicidium coniugis ſimul cum adulterio, homicidium coniugis ſine adulterio utriuſque conſenſu perpetratum, adulterium ſine homicidio cum promiſſione futuri matrimonij, vel adulterium cum matrimonio de præſenti cum complice contractum. De duobus prioribus *punct.* 4. agemus, & de duobus poſterioribus *punct.* 5. Hoc certum ſupponentes nullum ex his criminibus inducere impedimentum contrahendi cum aliâ fœmina, niſi præciſè cum illa, quæ alicuius ex illis fuit particeps, ut eſt commune apud

ut verum inter illos detur adulterium, *cap. 2. cap. Venitur, cap. Propoſitum. de eo, qui duxit.* Conine, *num.* 61. & 53. Auerſ. *ſect.* 4. Cornejo *loc. cit.* Gutierr. *cap.* 105. *num.* 14. & 15. Palaus *num.* 8. Dicaſt. *num.* 626. Sanch. *num.* 12. Ex quo ſequitur, quod ſi fœmina coniugata rem habeat cum viro, quem putabat ſolutum, ſed verè erat coniugatus, & hic occidat ſuam uxorem; ſi poſteà vir adulteræ moriatur, poterit eum adultero contrahere: quia licet ipſa rea fuerit adulterij reſpectu ſui mariti, non tamen commiſit formaliter adulterium contrà coniugem occiſum, & utrumque crimen debet reſpectu eiuſdem perpetrari. Ita Sanch. Conine, Palaus, Gutierr. Dicaſtil. *cit.*

*Excuſat ignorantia etiam vincibilis.*

52. Sed difficultas eſt. An ſufficiat ignorantia vincibilis craſſa, aut ſupina, dummodò non fuerit cum dolo affectata, matrimonij alterius complicis ad eximendum eos ab iſto impedimento? Negant Conic, *num.* 61. Valent. *hic diſp.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. Syluest. *Matrimon.* 8. *quæſt.* 9. *dict.* 9. Hurtad. *diff.* 2. *num* 7. Perez, *diſp.* 33. *ſection.* 3. *num.* 6. Aſſerentes ſolùm ignorantiam probabilem excuſare ab hoc impedimento: quia cum tali ignorantia verè adulterium committeretur, & eſt exemplum de eo, qui Clericum occideret ignorans per ignorantiam vincibilem eſſe Clericum, committeret ſacrilegium. ¶ Sed veriùs dicendum eſt cum Sanch. *num.* 38. Rebell. *libr.* 3. *quæſt.* 8. Auerſ. *ſect.* 3. Dicaſt. *num.* 632. Sufficere quamlibet ignorantiam etiam craſſam, & ſupinam, ut non incurrant tale impedimentum: quia talis ignorantia non eſt iuris, ſed facti, ſed in facto quælibet ignorantia excuſat iuxta regulam. *Ignorantia, de Regul. iur.* Deinde quia debet intereſſe adulterium, ad quod iuxta *leg. penultim. ff. Ad leg. Iul.* requiritur, quòd cum dolo fiat; ſed cum ignorantiâ quacumque, niſi fuerit affectata, non datur dolus iuxtà *Gloſſam* receptam, *leg. Magna ignorantia, ff. de verb. ſign.* ergò neque adulterium requiſitum, ut impedimentum inducatur; quamuis Dicaſt. & Coninc, dicant, excuſare ignorantiam vincibilem, dummodò non ſit craſſa, aut ſupina: quia hæc dolo æquiparatur.

*Requiritur, quod animo contrahendi occiſio ſequatur.*

53. Sed inquires. An in iſto crimine occiſionis, & in eo, de quo ſtatim loquemur, requiratur, quòd occiſio facta fuerit animo ducendi matrimonium cum complice delicti, vel occiſionis, vel adulterij? Reſpondent. Caietan. *in ſum. verb. Matrim. cap.* 1. *impedim.* 5. Petrus Soto *lect.* 9. *de matrimon.* Armill. *verb. Matrim.* 40. non requiri, quòd conſilio inito inter ſe de contrahendo matrimonio, vel eo animo coniux alterius occidatur; ſed ſufficere, quod occiſio, & adulterium quocumque animo ſequatur: eo quòd talis conditio in iure non exprimatur, ſed quòd uterque ſit particeps delicti, vel occiſionis, vel adulterij. ¶ Sed verè dicendum eſt, requiri talem animum, & intentionem: quia licèt non exprimatur talis conditio in iure, colligitur ex fine illius, qui eſt, ne coniux machinetur mortem alterius, ut poſteà ſoluto matrimonio cum adulterâ nubat: hoc autem non ſequitur, ſi ex alia causâ, & non ut matrimonium contrahat, ad talem occiſionem moueatur, ut ex ſe conſtat. Ita docet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 2. & *in addit. quæſt.* 60. *art.* 2. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 12. *num.* 5. Baſil. *libr.* 7. *cap.* 45. *num.* 5. Auerſ. *quæſt.* 18 *ſect.* 4. Coninc, *diſp.* 31. *dub.* 5. *num.* 51. Cornej. *diſp.* 7. *dub.* 5. Valent. *hic diſput.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. Enriq. *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 2. Leand. *diſp.* 14. *quæſt.* 2. Bonac. *quæſt.* 3. *punct.* 6. *num.* 4. & 8. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 56. *numer.* 608. Candid. *diſquiſ.* 26. *art.* 6. *dub* 4. *concl.* 6. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 78. *num.* 13. Qui tres ultimi benè aduertunt, non requiri talem intentionem ex parte utriuſque, ſed ſufficere adeſſe ex parte unius, cum nec in iuribus exprimatur, nec ad illorum finem ſit requiſitum, cum ſufficiat alterum hoc animo mortem coniugis machinari, ut finis apponendi hoc impedimentum ſaluetur, requiritur tamen, quòd talis intentio manifeſtetur exteriùs: quia Eccleſia non poteſt punire, niſi quod poteſt cognoſcere, & iudicare, & cum hæc pœna ſit Eccleſiaſtica non poteſt Eccleſia cum illâ punire actum merè internum. Ita Baſil. *loc. cit. ex* Vaſq. *cap.* 2. *diſp.* 160. Docet etiam Perez *diſp.* 37. *num.* 7. Hurtad. *diſp.* 23. *diff.* 1. *num* 3. Dian. 9. *part. tract.* 7. *reſ.* 25. Scimus plurimos hoc ultimum non requiri defendere.

N. Gabr. *num.* 99. & N. Aur. *num.* 485.

54. Ex dictis deducitur: quòd ſi aliquis virum adulteræ occideret, ut liberiùs eâ fruatur, vel propter inimicitias aliàs inter illos inuentas, vel ſuam coniugem occidat ob tædium illius, vel ob alias cauſas, vel ut cum aliâ non participe delicti matrimonio iungatur, poteſt contrahere etiam cum adulterâ, tametſi illa conſilium, aut mandatum occiſionis dederit non eo animo, ut ſecum nubat, ſed alijs ex cauſis enumeratis, vel ſimilibus. Ita Auctores *num. præced.* adducti. Imo ſi eo animo uxorem occidat, ut aliam indeterminatam ducat, poterit contrahere cum eâ, cum quâ adulterium commiſit. Cornejo *loc. cit.* Palaus *num.* 5. Sanch. *diſput.* 78. *num.* 18. niſi eo animo uxorem occidat, ut matrimonium ducat cum unâ ex quatuor, cum quibus adulterium commiſit. Dicaſt. *diſp* 7. *dub.* 56. *num.* 616. Conine, *ſupr. num.* 55. Auerſ. *quæſt.* 18. *ſect.* 4. Veracrux *in ſpecul.* 1. *part. art.* 34. *in fine.* Imo etiamſi ſuaſu Mariæ, cum quâ Petrus adulterium commiſit, occidat ipſe ſuam uxorem, ut Catharinam ducat, poterit cum qualibet illarum contrahere matrimonium: quia & Maria non perſuaſit occiſionem, ut ſecum contraheret, & Catharina non fuit particeps illius delicti.

*Aliqua conſectaria inferuntur.*

55. Secundum crimen, quod impedimentum dirimens inducit, eſt occiſio alterius coniugis ex mutuo conſenſu viri, & fœminæ perpetrato, animo inter ſe contrahendi matrimonium, etiamſi adulterium inter eos non præceſſerit, *cap. ſi quis vivente* 30. *quæſt.* 1. *cap. Laudabilem* 10. *de converſ. infidel.* Itaque non requiritur adulterium, ſed ſufficit mors ſecuta, & ab utroque machinata: nam adulterium ſequitur, quandò unus dumtaxat mortem machinatus eſt altero ad id nõ concurrente. Candid. *diſquiſ.* 28. *art.* 6. *dub.* 1. Auerſ. *ſect.* 4. Cornej. *dub.* 21. Baſil. *num.* 4. Coninc, *num.* 52. Sanch. *num.* 9. Bellarm. *lib.* 1. *de Matrim. cap.* 22. *verſ. Crimen homicidij*, Tolet. *lib.* 7. *cap.* 6. *numer.* 3. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. *de impedim. crim.* Sed non ſufficit, ſi alter ratam habeat talem occiſionem, ad quam nec conſilium, nec concurſum præbuit, etiamſi cauſa, vel motiuum fuerit illius. Requiruntur etiam omnes conditiones ſuprà aſſignatæ, nimirùm, quòd mors de facto ſequatur, quòd matrimonium cum coniuge mortuo fuerit validum, quòd ex intentione ad inuicem

*Machinatio utriuſque etiam ſine adulterio inducit impedimentum.*

uicem contrahendi talem occiſionem machinati fuerint cum omnibus requiſitis ibi aſſignatis.

## PVNCTVM V.

### *Quomodo ex crimine adulterij cum promiſſione matrimonij de futuro abſque occiſione coniugis contrahatur impedimentum dirimens matrimonium?*

*Peccãt mortaliter, qui antè coniugis mortem matrimonium poſt illam contrahendum promittunt.*

56. SVpponimus peccare mortaliter, qui ad inuicem paciſcuntur de contrahendo matrimonio poſt obitum coniugis illo viuente, vel qui promittit illud, vel qui id acceptat, etiamſi nec adulterium committant, nec mortem illius machinentur; quia talis promiſſio, aut pactum anſam præbet machinandi mortem conſortis, *cap. fin. de eo qui duxit in matrim.* quamuis talis promiſſio non ſecuto adulterio matrimonium ſubſequens non dirimat, erit tamen nulla, & irrita: quia à iure reprobatur, utpotè quæ anſam inſidiandi coniugi præbeat, argumento ex *cap. Nulla Eccleſiaſtica, de conceſſion. præbenda.* Vbi dicitur non valere prouiſionem vacaturi Beneficij: quia occaſio datur machinandi mortem poſſeſſoris. Palaus *diſp.4.punct.12.num.14.* Candid. *diſq.28. art. 6. dub.15.* Leand. *diſput. 14. quæſt. 15.* Sanch. *lib.7. diſp 79. num.40.* Auerſ. *quæſt.8. ſect.3 princip.* Bonac. *quæſt.3. punct.6. num.10. & 11.*

*Solum adulterium ſine promiſſione coniugij impedimentum non cauſat.*

57. Similiter eſt certum apud hos Auctores, & alios non ſufficire adulterium ſolum ad inducendum hoc impedimentum: niſi coniungatur vel cum occiſione coniugis, vel cum promiſſione futuri matrimonij. Conſtat *ex cap. Significaſti, cap. Veniens, de eo, qui duxit, cap. Relatum 31. quæſt. 1. & iure* Regni, *leg. fin. tit.2. part.4.* § Nec refert, ſi obijcias: quod *cap. vero 30. quæſt. 5.* generaliter dicitur nemini licere ducere, quam per adulterium polluit. *Et cap. 1. de eo, qui duxit,* dicitur: *Nullus copulet matrimonio, quam priùs polluerat adulterio, illam maximè, cui fidem dederat uxore ſua viuente, aut quæ machinata eſt in mortem uxoris*: ergò ſufficit adulterium per ſe ſolum ad inducendum tale impedimentum. § Reſpondetur, quod ut hi textus non contrarientur alijs, in quibus manifeſtè petitur vel occiſio, vel promiſſio matrimonij cum adulterio, ad inducendum impedimentum dirimens: intelligendus eſt primus: *Non licèt eam ducere, quam adulterio polluit*, cum promiſſione matrimonij, vel machinatione necis ſecuta alterius coniugis: & ſecundus, quòd ly *maximè* ſumatur demonſtratiuè, prout eſt idem, quòd *inquam.* Ita Coninc, *diſp.31. dub.5. num.64.* Gutier. *cap 105. num.2.* Palaus *diſp.4. punct. 12. num.2.* Baſil. *lib.7. cap.45. num.1.*

*Cum promiſſione coniugis adulterium eſt impedimentum.*

58. Igitur in duplici caſu crimen adulterij inducit impedimentum iſtud. Primus caſus, quandò adulterium coniungitur cum promiſſione nubendi cum adultero poſt mortem coniugis, etiamſi talis non fuerit ab aliquo illorum machinata, *cap. Relatum 31. quæſt.1 cap. ſignificaſti, cap. Veniens, cap. Finali, de eo, qui duxit, quam per adulterium polluit.* Et ratio eſt: quia cum adulteri ſe nimis diligant, ſi inter ſe paciſcantur, de matrimonio contrahendo, poſt coniugis mortem datur maximum incentiuum, ut talis mors ſollicitetur: & ideò in fauorem innocentis, voluit Eccleſia eos inhabiles reddere, ad inter ſe contrahendum.

*Prima conditio ad tale impedimentum requiſita.*

59. Ad hoc autem requiruntur iſtæ conditiones. Prima: quod adulterium fuerit conſummatum, quòd matrimonium cum coniuge innocente fuerit validum modo dicto *punct. præc.* quia requiritur adulterium reipſa perfectè tale, quod non eſt, niſi ſtante valido matrimonio, & per copulam conſummatam ſecundùm conditiones ad hoc requiſitas Ex eodem principio requiritur, quòd quandò adulterium, & promiſſio fit, uterque adulter conſcius ſit matrimonij inter aliquem ex illis exiſtentis; aliàs uterque formaliter non committeret adulterium, *cap.2. de eo, qui duxit, cap. Propoſitum, cap. Veniens, eod. titul.* Quare ſi adulterium commiſſum fuerit antè ſcientiam matrimonij, & poſteà illo cognito ſequatur promiſſio, non inducetur hoc impedimentum; ſi verò econtrà promiſſio præceſſerit ſcientiam, & illâ habitâ ſequatur adulterium, iam inhabiles fiunt ad matrimonium: quia iam per copulam ratificatur promiſſio, Coninc, *diſp.31. dub.5. numer.61.* Cornejo *diſp.7 dub. 22.* Dicaſtil. *diſput.7. dub.57. num.628.* Sanch. *lib.7. diſp.79. num.32. & 34.* N. Gabr. *cit.* N. Ant. 5.2.

*Secunda conditio explicatur.*

60. Secunda conditio eſt: quòd tam promiſſio, quàm adulterium viuente coniuge habeantur. Quare ſi Petrus adulteretur cum Catharinâ, & poſteà mortua coniuge, illi promittat matrimonium, valida eſt talis promiſſio, & ſimiliter eſt validum matrimonium inter illos; vel ſi antecedat promiſſio, & poſtea ſequatur matrimonium cum aliâ, & illo durante adulteretur aliquis cum illâ, cui priùs promiſit, validum eſt matrimonium; quia promiſſio, & adulterium non ſunt habitæ ſimul durante illo matrimonio, Cornejo, Candid. *diſq.28. art.6. dub.14.* Auerſ. *quæſt. 18. ſect.3.* Sanchez *numer.5.* Baſil. *libr.7. cap.54. num.2.* Bonacin. *quæſt. 3. punct.6. num.12* Palaus *diſp. 4. punct. 12. num.8. & colligitur ex cap.6. & ultim. de eo, qui duxit.* Similiter non inducitur hoc impedimentum, etiamſi viuente coniuge promiſſio, & adulterium habitæ fuerint, ſi tamen antè adulterium reuocata fuerit promiſſio: quia iam non coniunguntur moraliter. At vero ſi præcedat promiſſio, & adulterium ſequatur, vel econtrà, tametſi poſteà reuocetur, contrahitur impedimentum: quia hoc iam fuit inductum per adulterium, & promiſſionem, nec reuocatio poteſt auferre illud: Bonac. *num.3.* Coninc, *num. 60.* Sanchez *num.7.*

*Explicatur tertia conditio.*

61. Tertia conditio eſt, ut illa promiſſio ſit ſignis exterioribus expreſſa: quia ſe habet ad inſtar ſponſalium, & per modum contractus: ab aliquibus petitur, quòd ſit mutua, ſed adminus requiritur, quòd ſit acceptata. Vnde ſi viro promittente, mulier non acceptet promiſſionem, ſed illum reſpuat, vel negatiuè ſe habeat, non ſequitur hoc impedimentum. Non autem requiritur, quod ſit iurata: quia hoc iura non exigunt, ſed quod de ſe nata ſit obligationem parere. An verò ſufficiat promiſſio ficta, quæ ſeriò facta exteriùs appareat, & omninò acceptatur? Affirmant Sanchez *libr.7. diſp.79. numer.10.* Coninc, *diſp 31. dub.5. num.57.* Palaus *ſupr. num.11.* Gutier. *cap.105. num.18.* Leand. *diſp.14. quæſt.12.* quia talis promiſſio etſi ficta ex parte promittentis, verè anſam præbet promiſſario, qui eam veram,

&

& ſeriò factam arbitratur, inſidias machinandi coniugi innocenti, quòd iura intendunt euitare.

*Non ſufficit ficta promiſſio.*

62. Sed veriùs dicendum eſt cum Auerſ. q. 18. *ſect.* 3. Enriq. *libr.* 12. *cap.* 14. *num.* 3. Candid. *art.* 3. *dub.* 10. Laym. *tract.* 10. *p.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Dian. 3. *par. tract.* 4. *reſol.* 198. Perez *diſp.* 33. *ſect.* 4. *num.* 2. Dicaſt. *num.* 638. Bonacin. *num.* 8. N. Gab. *qu.* 8. N. Am. *num.* 490. non ſufficere: quia promiſſio ficta non eſt vera promiſſio, & iura ſicut verum adulterium, ſic veram promiſſionem exigunt, nec tanta datur occaſio machinandi coniugis mortem, ac ſi eſſet ex parte utriuſque, ut vera receptat quia tunc uterque poſſet moueri ad talem machinationem; in caſu verò noſtro, ille ſolùm, qui eam veram iudicaret: unde non currit omninò ratio à iuribus intenta, & ſi tamen curreret, in his, quæ ſunt odioſa, ut eſt impedimentum apponere matrimonio, ſtrictè interpretanda ſunt, nec ad ſimilia extendenda.

*Adulterium ſimul cum matrimonio inducit impedimentum.*

63. Quartum crimen, quòd hoc impedimentum inducit, eſt adulterium ſimul cum matrimonio de præſenti cum adultera contracto: nam ſi uterque conſcius ſit matrimonij præcedentis, & hoc ſit validum, & adulterium conſummatum habuerint, & contrahere inter ſe de præſenti attentauerint ante, vel poſt adulterium, inhabiles redduntur ad inter ſe contrahendum. *cap. Ex litterarum*, *cap. Si quis, de eo, qui duxit.* Et hoc, licèt tale matrimonium intentatum ſit nullum omninò: vel quia clandeſtinè contractum: vel quia præcedens durabat, vel ex alijs impedimentis: quia textus ſolùm matrimonij attentationem punire contendunt, cum ſciant ipſum eſſe nullum. Corn. *dub.* 24. Sanch. *num.* 8. Auerſ. *quæſt.* 18. *ſect.* 3 Palaus *ſupr. num.* 9. Coninch *num.* 65. Candid. *art.* 6. *dub.* 17. Bonac. *num.* 8.

*An infideles hoc impedimento criminis ligentur?*

64. Ex dictis colligitur deciſio illius difficultatis, quam ſuprà huc remiſimus: An nimirum dicta crimina impedimentum inducant infidelibus illa committentibus? Ad quod breuiter dicimus, quod ſi uterque ſit infidelis, quandò talia delicta perpetrauit, ſi poſteà conuertantur ad fidem, poſſunt inter ſe contrahere: eo quòd illa delicta commiſſa fuerint extrà Eccleſiam, & hoc impedimentum eſt iure Eccleſiaſtico inductum: & ſic ſolùm ligat ſubiectos ipſi Eccleſiæ. Si verò alter eorum eſſet fidelis, vel quandò occiſio mutuò conſenſu fuit machinata, vel quandò adulterium, aut occiſio commiſſa fuerunt in caſu, quo ſimul coniunguntur, aut quandò matrimonium contraxit, vel fidem dedit de illo alteri, qui erat coniugatus, præcedente adulterio, vel præcedente promiſſione, aut matrimonio, cum eo adulterauit, quolibet ex his perpetrato ab uno ex illis fideli, etiamſi alter infidelis ſit, inhabiles ſunt ad inter ſe contrahendum: quia licèt Eccleſia non poſſit infidelem punire, poteſt tamen fidelem, inhabilitando eum, ad contrahendum cum complice delicti. Colligitur *ex cap.* 1. *de conuerſ. infidel.* Ita Cornej. N. *loc. cit.* Baſil. *cap.* 45 *numer.* 6. Auerſ. *quæſt.* 18. *ſect.* 5. Coninc, *diſp.* 35. *dub.* 5. *num.* 55. Sanch. *num.* 43. Tolet. *cap.* 8. *num.* 2. Palaus *num.* 6. Enriq. *lib.* 12. *cap.* 14. *nu.* 3. Bonac. *num.* 25. Quamuis aliqui ex his iudicent, utrumque delictum, ut homicidium, & adulterium, vel adulterium, & promiſſionem, vel adulterium, & matrimonium requiri, quod deinde poſt Baptiſmum, & non ſufficere ad inducendum hoc impedimentum in coniuge fideli, quòd aliquod ex eis fuerit poſt Baptiſmum perpetratum. Alij verò aliquod ex his poſt Baptiſmum fieri ſufficere dicunt.

*De impedimento diſparitatis cultus.*

65. PLura circà matrimonia infidelium, quæ hìc ab aliquibus pertractantur, diximus *cap.* 4. *punct.* 2. *numer.* 33. ibique videri poterunt. In præſenti ſolùm agemus de impedimento diſparitatis cultus, inter quos contrahatur, & quo iure ſit introductum. Supponendo ut certum apud omnes tam Theologos, quàm Canoniſtas irritum eſſe matrimonium contractum inter fidelem baptizatum, & infidelem non baptizatum, ut probat D. Thom. *in* 4. *diſt.* 39. *quæſt. unic. art.* 1. *& in addit. quæſt.* 59. *art.* 1. quem uniuerſi ſequuntur, ſed quia infidelium aliqui ſunt hæretici, qui verum Baptiſmum receperunt, alij purè infideles, ut Iudæi, & Gentiles, de omnibus eſt quæſtio. Cum quibus ex his ſit nullum matrimonium fidelis, & quo iure ſit hoc impedimentum inductum? Licèt enim inter ipſos infideles, quos ius Eccleſiaſticum non attingit, ſit verum matrimonium in ratione contractus, quamuis non in ratione Sacramenti, ut probat D. Thom. *in* 4. *diſt* 39. *quæſt. unic. art.* 2. *& in addit. quæſt.* 59. *art.* 2. At fidelibus cum ipſis contrahere eſt ad minùs iure Eccleſiaſtico prohibitum prohibitione irritante matrimonium, ut iam dicemus.

## PVNCTVM VI.

### *Quo iure ſit illicitum, & nullum matrimonium fidelis cum infidelibus, & cum quibus infidelibus?*

*Matrimonium fidelis cum infideli iure naturæ eſt illicitum.*

66. SVpponendum eſt matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, eſſe omninò illicitum iure naturæ, & diuino: ita ut independenter à prohibitione Eccleſiæ, peccent mortaliter fideles cum infidelibus contrahentes, regulariter, & communiter: quod dicimus quia non eſt ita intrinſecè malum tale matrimonium, ſicut odium Dei, aut mendacium, quæ nullo modo honeſtari poſſint: ſed quia per ſe affert deformitatem, quamuis poſſint dari caſus, in quibus reperiatur ſine illâ, & tunc non erit illicitum. Ita Ledeſ. *quæſt.* 59. *art.* 1. *dub* 3. *concl.* 1. Cornej *diſp.* 7. *dub.* 23. Baſil. *lib.* 7. *cap.* 43. *numer.* 1. Dicaſtil. *diſp.* 7. *dub.* 59. *num.* 690. Coninc, *diſp.* 31. *dub.* 3. *num.* 42. *&* 44. Candid. *diſq.* 28. *art.* 7. *dub.* 2. & alij ab ipſis adducti.

*Probatur ex Scriptura.*

67. Probatur primò ex *Scriptura*: *nam Deut.* 7. Deus præcepit, ne Iudæi Gentilibus miſcerentur, & rationem reddit: *Quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & ut magis ſeruiat dijs alienis.* In quo denotat non eſſe præceptum præcisè legale, quod proinde per legem Euangelicam fuerit abrogatum: ſed etiam naturale, & morale, cum in ipsâ naturâ, & conuenientiâ rei fundetur. Eandem rationem prohibitionis aſſignat textus in *libr.* 1. *Reg. cap.* 11. *Certiſſimè* (inquit) *auertent corda veſtra, ut ſequamini deos alienos*, *&* 2. *ad Corinth.* 6. inquit Apoſtolus ſecundùm grauiſſimorum Doctorum interpretationem loquens

de

de matrimonio, *Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Aut quæ pars fideli cum infideli?*

*Ex ratione hoc ipſum probatur.*

68. Et ratione probatur. Tum propter periculum peruerſionis fidelis, vel incitationis ad peccatum ob communicationem nimiam cum infideli, quam matrimonium ſecum affert: & cum unuſquiſque iure diuino, & naturali teneatur euitare peccatorum pericula, ſequitur iure diuino, & naturali eſſe illicita talia matrimonia. Tum etiam propter damnum prolis, ad cuius bonam, & rectam educationem in obſequio Dei matrimonium ordinatur, quæ difficulter educari poteſt, & Dei cultui & obſequijs addici, ſi alter ex coniugibus, ritibus Gentilium, & infidelium ſit imbutus, & in eis exerceatur.

*Etiam ſunt illicita matrimonia Catholicorum cum hæreticis.*

69. Similiter eſſe certum eſt illicita matrimonia fidelium Catholicorum, cum hæreticis propter eaſdem rationes: & quia de hoc extat præceptum in *cap. Decreuit, de Hæreticis in 6.* & in Concilio Generali Chalcedonenſ. Canon. 13. Docetque D. Thom. *in 4. diſt. 39. quæſt. unic. art. 1. ad 5.* quem ſequuntur ferè omnes, Ledeſ. *ibi* Palaus *diſp. 4. punct. 11. num.* 8. Sanch. *lib. 7. diſp. 72. num.* 4. Auerſ. *quæſt.* 18. *ſect.* 2. Dicaſt. *diſp. 7. dub. 70. num.* 705. Baſil. *lib. 7. cap. 46. num.* 1. Cornej. *diſp. 7. dub.* 25. Bonac. *quæſt. 3. punct. 7. numer.* 2. Excipiuntur tamen illi fideles ab hoc præcepto, qui in illis Regnis, & Prouincijs habitant, in quibus ſunt miſti cum hæreticis, & unam Rempublicam faciunt cum illis, ut in Germania, Galliâ, Poloniâ, ubi conſuetudine introducta, & tolerata à Pontificibus ob tranquillitatem Reipublicæ, & amicitiam inter illos, & pacem tuendam & fouendam non viget hoc præceptum. Et ideò quandò fideles cum hæreticis contrahere poſſunt ſine periculo peruerſionis propriæ, aut filiorum, licitum eſt inter eos coniugium. Ita Baſil. *cap. 46. n.* 8. Dicaſt. *ſupr. nu.* 705. Sanch. *nu.* 5. Bonac. *num.* 2. Perez *diſp. 33. ſect. 2. num.* 5. Sed quia hoc eſt periculoſum, & ferè nunquàm poſſunt talia coniugia abſque periculo cum infidelibus celebrari; & quia ad minùs ſcandalum eſt fidelibus cum eo contrahere, qui ut hæreticus publicè ſe gerit (inquit, Conine. *ſupr. num. 45. & Palaus num.* 10.) eſſe illicita talia matrimonia, niſi coniux in ſecreto ſit hæreticus, & in publico ſe gerat ut Catholicus, vel niſi ſcandalum, & periculum omninò ceſſet, quod prudentum arbitrio eſſe relinquendum monet Auerſ. *quæſt.* 18. *ſect.* 2.

*Non eſt irritum iure naturæ matrimonium fidelis cum infideli.*

70. His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Matrimonium inter fidelem baptizatum, & infidelem non baptizatum non eſſe irritum iure diuino, aut naturali. Hæc concluſio eſt contrà nonnullos, quos refert Sanch. Cornej. & Auerſ. *infr. citand.* & quam nouiſſimè docet pro prima parte Franciſcus Bonæ Spei *diſ. 7. n. 91.* & P. Stephanus *dub* 11. ſed iam inter Doctores modernos eſt communis, eam tuetur Petrus de Ledeſ. *dub. 2. concl.* 1. Sanch *num* 7. Auerſ. *quæſt.* 17. *ſect.* 1. Baſil. *num.* 2. Perez *num.* 6. Dicaſt. *num.* 690. & 693. Conine. *num.* 40. Palaus *num.* 2. Bonac. *num.* 2. N. Anton. *ſect.* 16. ¶ Et probatur primo: quia ſi iure naturæ, aut diuino eſſet nullum matrimonium inter fidelem, & infidelem; ſequeretur, quòd ſtatim ac unus ex coniugibus infidelibus conuertetur ad fidem, eſſet nullum matrimonium cum altero infideli contractum, hoc tamen eſt falſum: quia *Apoſtolus 1. ad Corinth.* monet non eſſe ſeparandos huiuſmodi coniuges, etiamſi alius in ſuâ infidelitate perſeueret: ergò, &c. ¶ Secundò: quia diſparitas in Baptiſmo nullam iure naturæ incompoſſibilitatem habet cum matrimonio, & eius uſu: Ergò non eſt undè ex iure naturæ irritet illud. Probatur antecedens: nam matrimonium eſt ordinatum ad propagationem generis humani, educationem prolis, vitæque ſocietatem, & mutuam reddendi debitum obligationem: hæc omnia poſſunt ſimpliciter exerceri exiſtente diuerſitate fidei inter coniuges, ſicut inter fidelem & hæreticum abſolutè obſeruantur, inter quos omnes conueniunt matrimonium non eſſe nullum. ¶ Denique probatur exemplis tam noui, quàm veteris teſtamenti: nam Iacob *Geneſ.* 29. duas filias Laban idololatræ duxit uxores. Ioſeph *Gen.* 41. cum Ægyptia Putifaris filiâ, Moyſes cum Æthiopiſsâ filia Iethro, Salomon cum filia Pharaonis, Eſther cum Aſſuero. Et in teſtamento nouo S. Clothildis nupſit Clodoueo nondum baptizato, S. Monica mater D. Auguſtini cum Gentili contraxit matrimonium. Et ipſe parens Auguſt. *lib. de fide, & operib.* refert plura exempla huius generis ſuo tempore reperta, quibus conſtat nec iure naturæ, nec iure diuino antiquo, nec nouo Chriſti Domini talia matrimonia irritari.

*Obiectiones in contrarium proponuntur.*

71. Sed objicies primò, illa loca ſuprà à nobis num. 67. relata, quibus à Deo prohibetur matrimonium cum infidelibus, nec valet dicere ſolùm probare illud eſſe illicitum. Siquidem Eſdræ 1. *cap. 9.* & 10. interpretante Eſdrâ legem diuinã, præcepit ſeparari Iudæos à coniugibus idololatris, cum quibus contraxerant, in qua oſtendit talia matrimonia fuiſſe ex iure diuino nulla. ¶ Secundò: quod repugnat ex natura rei cum matrimonio in ratione contractus, dirimit illud ex natura rei: ergò quod pugnat ex natura rei cum illo in ratione Sacramenti, etiam id irritum reddit, ſiquidem utraque ratio ad matrimonium concurrit: ſed diſparitas cultus pugnat ex naturâ rei cum matrimonio in ratione Sacramenti, ſiquidem iſtius incapax eſt non baptizatus, & cum Sacramentum matrimonij vel in utroque, vel in nullo coniuge debeat reperiri hoc ipſo, quod alter eorum non ſit baptizatus, non ſubſiſtit ratio Sacramenti: unde ex quo Chriſtus Dominus eleuauit matrimonium ad rationem Sacramenti, videtur prohibuiſſe contrahi inter fidelem, & non fidelem baptizatum ¶ Tertio: quia matrimonium ordinatur ad bonum prolis per educationem illius in cultu Dei, ſed hoc impeditur, ſi alter ex coniugibus ſit infidelis, ſiquidem eam decipiet, & ad idololatriã adducet. ¶ Quartò: quia matrimonium ex naturâ ſuâ petit indiſſolubilitatem, ſed matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem eſt diſſolubile, ſiquidem poteſt fidelis ab infideli recedere: & aliud matrimonium inire, ut diximus *cap. 4. à num.* 35.

*Solutio prædictarum obiectionum.*

72. Ad primum reſpondetur, illud præceptum diuinum, ſecundùm quod erat irritans matrimonium, non extendi ad omnes infideles, ſed ad illos, qui in terra promiſſionis morabantur, cum quibus contrahi erat periculoſiſſimum: quia ob magnam familiaritatem, erant proni Iudæi

ad

ad illorum cæremonias : & ideò non erat morale, nec naturale, niſi in illis temporibus, qua propter ceſſauit. Eſtò tamen ad omnes extenderetur, dicendum eſt, tale præceptum, ſecundùm quod irritans talia matrimonia fuiſſe præcisè legale, quod proindè ceſſauit in lege Euangelicâ; quamuis fuiſſet morale, & naturale, ſecundum quod talia matrimonia prohibebat : & ſic modò durat. ¶ Ad ſecundum dicimus, ſolùm probare, quòd matrimonium in ratione Sacramenti petat ex iure diuino contrahi inter perſonas eiuſdem cultus, & conſequenter quòd ſit nullum in ratione Sacramenti, inter habentes cultus diſparitatem, non verò in ratione contractus, ſicut eſt inter ipſos infideles, & Chriſtus Dominus eleuando matrimonium ad rationem Sacramenti, non ſuſtulit ab eo, quod habebat in ratione contractus. Niſi mauis dicere adhuc eſſe in illo caſu Sacramentum ex parte fidelis, qui eſt illius capax, non ex parte infidelis incapacis illius propter dicta *cap. 3. num.* 83. ¶ Ad tertium reſpondetur, ſolùm probare, eſſe tale matrimonium iure naturæ, & diuino prohibitum : tamen quia abſolutè poteſt fieri, tametſi difficulter, ut proles in cultu Dei educetur, non eſt irritum iure naturæ quemadmodum non eſt irritum inter fidelem, & hæreticum matrimonium contractum propter eandem rationem, licèt ſit difficile, quòd filius à parente infideli non ſeducatur. ¶ Ad quartum reſpondetur, non eſſe contrà indiſſolubilitatem Sacramenti, quòd ex priuilegio poſſit diſſolui : nam matrimonium ratum inter fideles indiſſolubile eſt ex naturâ ſuâ, & tamen per profeſſionem alterius in religione diſſoluitur. Et ſimiliter inter infideles eſt matrimonium in ratione contractus verum, & tamen quamuis ſit conſummatum, poteſt ex priuilegio per Baptiſmum unius diſſolui, ut diximus *cap. 4. à num.* 36.

*Matrimonium fidelis cum non baptizata iure Eccleſiaſtico eſt irritum.*

73. Sit ſecunda concluſio. Matrimonium baptizati cum non baptizatâ eſt irritum iure Eccleſiaſtico, ſiuè hoc ſit aliquo iure ſcripto, ut intendunt Baſilius, & Palaus adducendi, ſiuè præcisè ex conſuetudine, & uſu immemorabili Eccleſiæ à Pontificibus approbatâ, vel etiam ex ipſis Apoſtolis traditâ, cum fundamento tamen maximo in ipſo iure naturali, & diuino propter obiectiones, quas modò diſſoluimus, & rationes, quas *nu.* 97. adduximus ad probandum tale matrimonium eſſe iure diuino, & naturali illicitum. Ità Ledeſm. *art. 1. concl. 1.* Candid. *dub.* 2. Auerſ. *ſect.* 1. Cornejo *dub.* 23. Dicaſt. *n.* 697. Sanc. *n.* 8. Valent. *pu.* 3. Bell. *c.* 23. Coninch *n.* 43. Baſil. *n.* 4. Palaus *n.* 3. Bonacina *nu.* 2. Vnde etiamſi fidelis contrahat cum cathecumenâ, quæ nondum Baptiſmum recepit, nullum erit tale matrimonium : quia licèt ſit fidelis, & fortè ſit in gratiâ, quia tamen Baptiſmum non ſuſcepit, quod eſt ianua cæterorum Sacramentorum, non poteſt recipere verum Sacramentum : ideoque irritatio iure Eccleſiaſtico extenditur ad iſtum caſum. Ità D. Thom. *in 4. diſt. 39. quaſt. unic. art. 1. ad 5. & quaſt. 59 art. 1. ad* 5. Ledeſ. *ibi in fine*, Cornejo, Sanchez, Bonacina *loc. cit.*

*Poteſt Pontifex diſpenſare, ut fidelis cum non baptizatâ contrahat.*

74. Ex quo infertur, quòd licèt non poſſit Pontifex diſpenſare, ut fidelis cum infideli contrahat, quandò eſt periculum peruerſionis : quia hoc eſt malum intrinſecè iure diuino, & naturali prohibitum, ſi tamen tale periculum ceſſet, & aliunde detur iuſta cauſa, poterit Pontifex diſpenſare in tali impedimento : quia eſt iure Eccleſiaſtico ſolùm introductum, ſi tamen iuſta cauſa defuiſſet, peccaret Pontifex talem diſpenſationem impertiendo: quia eius poteſtas non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. At tamen ſemel obtentâ diſpenſatione, etiam ſinè iuſtâ cauſâ validum erit matrimonium poſteà contractum, ut ſuo loco latiùs dicemus. Ità communiter auctores pro noſtra ſententia citati.

*Nullo iure eſt irritum fidelis cum hæretico matrimonium.*

75. Sit tertia concluſio. Matrimonium Catholici cum hæretica, vel hæretici cum Catholicâ nec iure naturæ, aut diuino, nec iure Eccleſiaſtico eſt irritum. Idem dicendum eſt de apoſtatâ, ſchiſmatico. Definitur expreſsè, *cap. 1. de diuortijs.* Vbi dicitur tale matrimonium eſſe validum, & quòd ſi ex duobus fidelibus, qui contraxerunt, alter fiat hæreticus, non diſſoluitur matrimonium, nec ſi ex duobus hæreticis alter conuertatur ad fidem : quia ſemper fuit inter illos verum Sacramentum. Similiter *cap. decreuit, de Heret. in* 6. Vbi mulier nubens cum hæretico priuatur dote, non tamen præcipitur, quòd ab eo ſeparetur. Quod autem iure diuino, & naturali non ſit irritum tale matrimonium, conſtat ex dictis concluſione prima, & quòd non ſit iure Eccleſiaſtico, patet : quia non datur huius conſuetudo cum potiùs in oppoſitum omnes conſentiant. Et ratio irritandi matrimonium fidelis cum infideli hic ex parte ceſſat, ſiquidem inter hæreticum baptizatum, & fidelem per ſe reperitur verum Sacramentum. Ità D. Th. *loc. cit. art. 1. ad* 3. Cornejo *diſp. 7. dub.* 24. Bonac. *qu.* 3. *punct. 7. nu.* 2. Baſil. *lib. 7. cap. 47. n.* 11. Dicaſt. *diſp. 7. dub. 60. nu.* 703. Sanc. *lib. 7. diſp. 72. num.* 3. Ledeſ. *quaſt. 59. art. 1. dub. 4. concl.* 1. Palaus *diſp. 4. punct.* 11 *nu.* 6. Conin. *diſp. 31. dub. 3. num.* 43. Perez *diſp. 36. ſect. 2. num.* 2. Auerſ. *quaſt. 18. ſect.* 2.

*Vide hic N. Gabr. diſ. 6 q. 9.*

*Obiectio contraria & illius ſolutio.*

76. Sed obijcies: *quod in 6. Synodo Generali, Canon. 72. dicitur, non licere orthodoxum cum hæreticâ coniungi, neque orthodoxam cum hæretico, ſed & ſi quid huiuſmodi factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimare, & nefarium coniugium diſſolui, & cap. Non oportet* 28. *quaſt.* 1. quod eſt ex *Concil. Agathenſ. cap.* 67. prohibetur matrimonium Catholici cum hæretica, & *cap. cauet. 28. quaſt.* 1. ita prohibetur hoc matrimonium, ſicut matrimonium fidelis cum infideli, quod apud omnes eſt iure Eccleſiaſtico nullum, & propter eandem rationem periculi peruerſionis coniugis, & ſobolis malæ educationis. ¶ Reſpondetur illum Canonem eſſe ex illis, qui *Trullani* dicuntur, qui poſt diſſolutam Synodum ſtatuti ſunt ab aliquibus Epiſcopis, & ſic nullam habere authoritatem. Reliqui autem textus ſunt ex diuerſis dictis Patrum deſumpti, qui non habent vim legis, vel ad ſummum ſolum eſſe prohibitiuam legem, non irritatiuam : quia in eis nullum datur verbum, quo talia matrimonia non valere dicantur. Sed eſto prioribus ſæculis talia matrimonia eſſent irrita in illis Canonibus, iam his temporibus, ut inquit Baſil. abrogata ſunt contraria conſuetudine, & uſu, ratione cuius poſſe legem irritatiuam diſſolui probauimus *cap. præc. num.* 32.

### *De impedimento vis, & ligaminis remiſſiuè.*

*De impedimento vis.*

77 SEquitur ſuo ordine impedimentum vis, ſeu coactionis, quando per metum cadentem in virum conſtantem contrahitur matrimonium, quod eſſe irritum, & nullum iure Eccleſiaſtico,

non naturali, aut diuino diximus toto *cap.* 9. ubi de alijs ad hoc impedimentum pertinentibus egimus, & ideo non amplius in eo immorabimur.

*De impedimento ligaminis.*

78. Impedimentum ligaminis eſt illud, quod contrahunt coniugati ad nubendum cum alia uxore viuente priori: quia ex hoc ipſo impediti ſunt ne poſſint cum alia contrahere. De hoc egimus *toto cap.* 5. ubi tractauimus, quo iure polygamia ſit prohibita, quomodo in lege Moyſis conceſſa, & alia huc pertinentia, quæ ibi videri poterunt.

## *De impedimento publicæ honeſtatis.*

*Quid ſit publica honeſtas?*

79 PVblica honeſtas, quæ à Iuriſtis dicitur. Iuſtitia publicæ honeſtatis; eſt propinquitas quædam oriens ex matrimonio rato, nondum conſummato; & ex ſponſalibus celebratis per verba de futuro. Dicitur, *propinquitas*, in quo conuenit cum conſanguinitate, & affinitate, & per reliqua verba diſcernitur ab illis. Affinitas namque ex copula conſummatâ reſultat; non verò publica honeſtas, ſed ex contractu, vel matrimonij, vel ſponſalium. Reſultat autem hoc impedimentum non ſolùm ex ſponſalibus, ut omnes concedunt, ſed etiam ex matrimonio rato, nondum conſummato, quòd licèt aliqui olim negauerint, iam verò ab omnibus conceditur, & probant textus inf. citand. & ipſa ratio: quia ſi ex ſponſalibus, quia ſunt via ad matrimonium conſummatum, talis propinquitas reſultat, multò magis ex matrimonio rato, quod ad illud proximiùs accedit. Hoc autem impedimentum datur inter conſanguineos & affines ſiue legitimi ſint, ſiue illegitimi, illius, cum quâ, vel cum quo contrahitur matrimonium ratum de præſenti, vel ſponſalia de futuro in gradu infrà explicando.

*Eſt iure Eccleſiaſtico, non natura hoc impedimentum.*

80. Igitur publicam honeſtatem inducere impedimentum dirimens inter cognatos, & affines illius, cum quo contrahitur matrimonium, vel ſponſalia, apud omnes receptiſſimum eſt, & probat D. Thom. *in* 4. *diſt.* 41. *quæſt. unic. art.* 1. *quæſt.* 4. *& in addit. quæſt.* 55. *art.* 4. & habetur *in cap. Si quis uxorem, cap. Si quis deſponſauerit, diſt.* 27. *quæſt.* 2. *cap. unic. de ſponſ. in* 6. *cap. Iuuenis, cap. Ad audientiam, de ſponſal.* & ratio eſt: quia iuſtum eſt, & æquum ob publicam decentiam, decorem, & honeſtatem, ne quis contrahat matrimonium cum conſanguineâ illius, cum quâ prius fuerat deſponſatus. Quare hoc impedimentum non eſt ex iure naturæ, aut diuino, ſed præcisè ex iure Eccleſiaſtico, ut probat D. Thom. ibi, quem uniuerſi ſequuntur: & ſic non contrahitur inter infideles. Quarè ſi aliquis deſponſatus eſſet antè Baptiſmum cum Maria, poſſet poſt illum cõtrahere cum ſorore eius matrimoniũ. Sed difficultas eſt. Inter quos detur hoc impedimentum, & in quibus caſibus contrahatur? De quo erit ſequens punctum.

## PVNCTVM VII.

### *Inter quos contrahatur impedimentum publicæ honeſtatis? Quo tempore duret, & quas conditiones requirat?*

*Non extenditur hoc impedimentum ultrà primum gradum.*

81 QVamuis iure antiquo hoc impedimentum contraheretur uſque ad quartum gradum inter conſanguineos coniugis, *cap. Non debes, de conſanguinitat. & affinit.*, & extenderetur etiam ad caſum, in quo ſponſalia, aut matrimonium eſſent inualida, *cap. Sponſam, de ſponſ. cap. acceſſit, de deſponſ. impuber.* ob iuſtiſſimas cauſas correcta fuerunt hæc iura, & reſtricta per ius nouum *Concil. Trid ſeſſ.* 24. *cap.* 3. his verbis: *Iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt. Sancta Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant. quoniam in ulterioribus gradibus iam non poteſt huiuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſeruari.* Quarè modò ſolùm contrahitur impedimentum inter ſponſum, & matrem, ſororem, & filiam ſponſæ: vel inter ſponſam, & patrem, fratrem, & filium ſponſi. Et quandò valida fuerunt ſponſalia priùs contracta ſecundùm conditiones ad illorum valorem requiſitas, *cap.* 1. huius tractatus aſſignatas. Vndè ſi ex aliquo capite inualida fuerint non inducitur hoc impedimentum.

*Nõ reſtringitur ius antiquum per Tridentinum in omnibus.*

82. At verò hoc decretum extenſum non eſt ad reſtringendum hoc impedimentum ortum ex matrimonio rato, ſed de hoc non eſt locutum Conc. ſed præcisè de ſponſalibus, ut declarauit ſacra Congregatio apud Rebell. *in appendic. ad lib.* 4. *nu.* 101. & apud Farinac. *&* Barboſ. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *Conc.* Et ad tollendam omnem dubitationem in hac parte. Ità illud declarauit Pius V. in quodam Breui edito *anno* 1568. quod incipit: *Ad Romanum: Idcircò* (inquit) *motu proprio, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium declaramus, & diffinimus, decretum Concilij huiuſmodi omninò intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio, ſic, ut præfertur contracto; ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus, atque ſtatuimus.*

*Aliqua ex dictis inferuntur.*

83. Ex quo ſequitur primò, ex matrimonio contracto induci hoc impedimentum uſque ad quartum gradum: quia ita erat ſtatutum iure antiquo, quod in hac parte Concilium non immutauit. ¶ Sequitur ſecundò etiam ex matrimonio inualido (dummodò inualidum non fuerit defectu conſenſus, vel in præiudicium priorum ſponſalium, ut poſteà dicemus) induci hoc impedimentum: quia ita erat ſtabilitum iure antiquo, à quo non eſt recedendum, niſi ob ius nouum, quod in præſenti non datur. Ità Cornejo *diſp.* 7. *dub.* 30. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 10. *num.* 5. Sanc. *lib.* 7. *diſp.* 70. *nu.* 5. Baſil. *lib.* 7. *cap.* 35. *nu.* 3. *&* 5. Valent. *tom.* 4. *diſp* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. Candid. *diſq.* 28. *art.* 11. *dub.* 4. Bonac. *quæſt.* 3. *punct.* 11. *num.* 10. *&* 11. Auerſ. *quæſt.* 17. *ſect.* 4. *&* 5. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 4. *nu.* 413. *&* 414. N. Gabr. *diſ.* 6. *q.* 13. N. Ant. *diſ.* 7. *ſec.* 12.

*Ex inualidis ſponſalibus, aut matrimonio rato inualido ob defectũ cõſenſus hoc impedimentum non inducitur.*

84. Sequitur tertiò, ex ſponſalibus inualidis ex quocumque capite, etiam præcisè ex defectu conſenſus interni non oriri hoc impedimentum, imò nec ex matrimonio inualido defectu talis cõſenſus. Primum habemus ex *Concil. loc. cit.* ubi dicitur non oriri ex ſponſalibus inualidis ex quocumque capite: & ſecundum ex *cap. unic. de ſponſ. in* 6. ubi dicitur ex matrimonio nullo ob defectum conſenſus, non oriri hoc impedimentum. Hæc illatio eſt contrà Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 68. *nu.* 14. Veg. *tom.* 2. *ſum. cap.* 34. *num.* 13. Leand. *diſp.* 19. *quæſt.* 3. Sylueſt. *Matrim.* 8. *n.* 14. *dict.* 6. Enriq. *lib.* 12. *cap.* 10. *nu.* 2. Baſil. *lib.* 7. *cap.* 36. *n.* 10. Aſſerentes matrimonium nullum præcisè ob defectum interni conſenſus,

ſenſus, cum tamen in foro exteriori, ſit validum, & ſponſalia ex quocumque impedimento, vel defectu occulto nulla inducere impedimentum publicæ honeſtatis: quia hoc impedimentum introductum fuit ab Eccleſiâ ad euitandam indecentiam, quæ ſequitur ex eo, quòd ſponſus contrahat cum conſanguinea ſuæ uxoris, ſed ſemper ſequitur, ſi publicè habentur ut valida ſponſalia, aut matrimonium, etiamſi in occulto ſint nulla: ergò, &c. Et dicunt Conciliũ loqui de ſponſalibus quacũque ratione nullis, quæ ſcilicet cognoſci poſſet.

*Dicta ſententia authoritate ſtabilitur, & ab obiectionibus vindicatur.*

85. Sed certè ſi ita eſſet, nec etiam ex ſponſalibus veris, occultis tamen hoc impedimentum oriretur, quod aduerſarij non admittunt: quia tunc non daretur talis indecentia; ſed daretur utique in utroque caſu ſpectatâ naturâ contractus, cui attendendum eſt, non attentis, quæ apud homines habentur. Quarè nobiſcum ſentiunt Dicaſt. *num.* 422. Bonacina *num.* 3. Auerſ. *loc. cit.* Cornejo *dub.* 30. Ledeſ. *art.* 4. *dub.* 1. Palaus *nu.* 7. Gaſpar Hurtado *nu.* 4. Coninch *nu.* 69. N. Gabr. *n.* 135. N. Ant. *nu.* 413. N. Steph. *dub.* 12. Atque ita declaraſſe Sacram Congregationem Cardinalium, teſtantur Barboſ. & Farinac. *in cap.* 3. *ſeſſ.* 24. *Concilij*, & Rebell. *in append. ad lib.* 4. *num.* 102. ¶ Vndè hoc impedimentum non oritur ex ſponſalibus, aut matrimonio contractis per metum, & per errorem perſonæ: quia ſunt nulla ob defectum conſenſus debiti. Nec ſimiliter ex ſponſalibus initis antè ætatem in iure præſcriptam: quia nulla ſunt defectu debitæ deliberationis, & conſenſus. Nec ſimiliter ex matrimonio (ſecundum quod matrimonium hoc impedimentum inducit) ab impuberibus contracto, quandò malitia non ſupplet ætatem: quia in iure non habetur pro ſufficienti conſenſus antè præſcriptam ætatem adhibitus. Diximus, *ſecundum quod matrimonium hoc impedimentum inducit*: quia verò *cap. Tuæ nobis, de deſponſation. impub.* dicitur, tale matrimonium, quod nullum eſt defectu legitimæ ætatis, habere vim ſponſalium, ſi ex alijs capitibus non fuerit nullum, inducet impedimentum publicæ honeſtatis, ſicut alia ſponſalia; non verò ſicut matrimonium ratum inducit illud.

*Ex matrimonio clãdeſtino hoc impedimẽtum inducitur.*

86. Sed difficultas eſt. An ex matrimonio nullo, quia fuit clandeſtinè contractum, oriatur hoc impedimentum modo, quo ex alijs matrimonijs nullis oritur? Reſpondent N. Cornejo *dub.* 30. Sanchez *num.* 13. Dicaſt. *num.* 419. Coninch *num.* 70. non oriri: quia in illo debita forma, & materia non apponitur, nec habet legitimum conſenſum: imò nec externam formam matrimonij ¶ Sed ſi hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam, quòd ex quocumque matrimonio nullo non oriretur hoc impedimentum, contrà id, quod omnes docent poſt declarationem Pij V. ſuprà relatam: nam etiam matrimonium contractum inter conſanguineos, v. g. & inter affines non habet legitimum conſenſum, & conſequenter nec debitam formam, & materiam matrimonij. Quare quia *in cap. unic. de ſponſ. in* 6. ſolùm excipitur matrimonium directè inualidum ob defectum conſenſus, & matrimonium clandeſtinum ſolùm ſit nullum ob defectum ſolemnitatis, & conſequenter ob defectum legitimi conſenſus, quod omnia matrimonia ex quocumque capite nulla habent, dicendum eſt ex illo oriri hoc impedimentum. Ità docent Palaus *num.* 3. Baſil. *cap.* 35. Hurtad. *num.* 7. Laym. *num.* 9. Bonacina *num.* 18. Auerſ. *ſect.* 5. Atque ita declaraſſe Sacram Congregationem Cardinalium, teſtatur Barboſ. Farinac. & Rebell. *loc. cit.*

*Quo tẽpore hoc impedimentum duret?*

87. Sed nunc inquires primò. An hoc impedimentum publicæ honeſtatis ſit perpetuum? Et quidem ſupponimus, tale impedimentum ortum ex matrimonio ſemper durare: ac proindè, quod ſi contraxiſti cum Maria, & illa moriatur abſque conſummatione matrimonij, numquàm ſine diſpenſatione poteris cum matre, ſorore, aut filia eius, aut alijs conſanguineis uſque ad quartum gradum contrahere. Si verò ex ſponſalibus tale impedimentum ortum ducat, & illa ob mortem ſponſæ diſſoluantur, numquàm cum ſorore, matre, aut filia eius poteris contrahere: quia ſemper indecentia perſeuerat, ob quam iura tale matrimonium irritarunt. Et ità habetur in *cap. ſponſ. de ſponſ. cap. Si quis uxorem* 27. *quæſt.* 2. *cap. Fraternitatis* 35. *quæſt.* 10 Difficultas ergò eſt, quandò ex ſponſalibus ortum fuit tale impedimentum, & illa diſſoluta ſunt vel mutuo conſenſu, vel ex aliquâ iuſtâ causâ ex his, quæ *cap.* 2. *huius tractatus aſſignauimus*, an tunc duret hoc impedimentum? In quo eſt duplex ſententia.

*Quando mutuo cõſenſu ſponſalia diſſoluuntur, hoc impedimentum non induci aliqui arbitrantur.*

88. Prima aſſerit non durare, quam tenent. N. Ant. *num.* 416. N. Gabr. *num.* 136. Gonet *art.* 8. Cornejo *diſp.* 7. *dub* 30. Leand. *quæſt.* 4. Palaus *nu.* 9. Baſil. *num* 9. Hurtad. *num.* 21. Gutierr. *nu.* 11. Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 222. & proferunt declarationem Cardinalium apud Rebell. *in append. ad lib.* 4. *num.* 99. quæ ſic dicit: *Si ſponſalia diſſoluuntur mutuo conſenſu, Congregatio cenſuit eſſe inualida.* Ex quibus verbis tale argumentum conficiunt: Sponſalia mutuo conſenſu vel ex alia cauſa diſſoluta, non reputantur à Concilio valida abſolutè ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & ad tempus: ergò ex illis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis. ¶ Sed ſi hoc argumentum aliquid probaret, probaret utique, quòd ſi antè diſſolutionem contraheretur matrimonium cum ſorore ſponſæ eſſet validum: quia illa ſponſalia ſecundum hanc ſententiam, non eſſent abſolutè valida, quia non eſſent perpetua. Sequeretur etiam quòd ſponſalia diſſoluta per mortem ſponſæ non eſſent valida ſimpliciter illo tempore, quo viuebat; ſed ſecundum quid, & ad tempus: & ſic poſt mortem ſponſæ poſſet ſponſus cum eius ſorore contrahere. Imò ſequeretur ex nullis ſponſalibus hoc impedimentum oriri: quia omnia illa ſunt ex ſua natura diſſolubilia, & ad tempus durare poſſunt.

*Sed oppoſitum eſt oppoſitum.*

89. Fatemur itaque, ſponſalia, inualida eſſe poſt diſſolutionem, ſed valida fuiſſe antè illam, & cum hoc impedimentum ex validis ſponſalibus, ſemel iſtis validè contractis, inducatur: tunc proculdubio contrahitur. Et ideò licet ſit in poteſtate contrahentium illa diſſoluere, non verò ſe liberare ab impedimento ratione illorum contracto: quia hoc inductum eſt ab Eccleſia independenter ab eorum voluntate, & ſic ab illa ſolùm poteſt tolli, non ab eorum voluntate. Ità Sanch. *num.* 20. Candid. *dub.* 2. Bonacina *num.* 7. Vbi retractat opinionem, quam in prima editione ſecutus fuerat, Laym. *cap.* 9. *num.* 3. Soto *art.* 2. Auerſ. *ſect.* 5. Perez *ſect.* 2. Dicaſt. *nu.* 406. hanc etiam in praxi ſequendam docet Franciſcus B. Spei *num.* 3. & N. Steph. *dub.* 12. Quorum aliqui declarationem Cardinalium pro iſta parte recenſent.

*Quomodò ex ſecundis ſponſalibus hoc impedimentum contrahatur, vel nõ cõtrahatur.*

90. Secundò inquires. An ex ſecundis ſponſalibus, vel nuptijs hoc impedimentum oriatur? Nimirum ſi deſponſatus es cum Maria, & poſtea contraxiſti, vel deſponſatus es cum eius ſorore, an poſſis validè relictis ſecundis ſponſalibus, contrahere cum Maria? Reſpondetur: quòd ex ſecundis ſponſalibus nullum oritur impedimentum: quia nulla fuerunt ob impedimentum ex prioribus contractum, neque etiam ex matrimonio ſecuto cum ſecundâ, quod nullum fuit ob impedimentum publicæ honeſtatis præcedens, & ex matrimonio nullo, quod cedit in præiudicium priorum ſponſalium, nullum conſurgit impedimentum, ut habetur in *cap. unic. de ſponſ. in 6.* Si autem matrimonium conſummaſti cum ſecundâ, cum nulla contrahere poteris, non cum primâ: quia ratione copulæ contraxiſti affinitatem cum illa, nec cum ſecundâ: quia ratione priorum ſponſalium contraxiſti impedimentũ publicæ honeſtatis cum eâ. Ità Sanchez *nu.* 23. Enriquez *cap.* 10. Dicaſt. *nu.* 408. Leand. *quæſt.* 7. Auerſ. *ſect.* 5. Cornejo *dub.* 30. Bonac. *nu.* 11. Conin. *dub.* 5. *nu.* 62. qui dicit, quòd ſi priora ſponſalia diſſoluta eſſent, induceretur impedimentũ per poſteriora: & ideò quòd his diſſolutis non poſſet ſponſus cum priori, ſi vellet, contrahere. Sed verius dicendum eſt poſſe: quia etiamſi diſſoluta eſſent, ſemper durat impedimentum contractum ex illis: & ideò ſemper ſecunda ſunt inualida: ideoque ex illis nullum impedimentum reſultat. Matrimonium verò contractum cum ſecundâ, poſt diſſoluta ſponſalia cum priori, induceret impedimentum publicæ honeſtatis: quia licèt nullum fuerit, iam non erat in præiudicium priorum ſponſalium, in quo caſu ſolùm ea matrimonio nullo, non ex defectu conſenſus, non inducitur hoc impedimentum: & ſic cum nullâ ex duabus poterit contrahere: quia ratione matrimonij contracti cum ſecundâ impeditur ad contrahendum cum primâ; & ratione ſponſalium, quæ contraxit cum priori, impeditur ad contrahendum cum poſteriori.

*Ex ſponſalibus conditionatis, aut incertis hoc impedimentum non inducitur.*

91. Vltimò inquires. An ex ſponſalibus, vel matrimonio incertis, vel conditionatis inducatur hoc impedimentum? Reſpondetur: ex ſponſalibus, aut matrimonio contractis cum incerta perſona, ut cum una ex filiabus Petri, nullum inducitur impedimentum: quia ſunt nulla ex defectu debiti conſenſus: hic namque, ut ſit ſufficiens, debet eſſe cum certa, & determinatâ perſonâ, *cap. unic. de ſponſ. in 6.* Similiter ex ſponſalibus conditionatis non oritur hoc impedimentum, niſi poſt euentum conditionis: quia antè illum non ſunt pura, & abſoluta, & ſolum ex ſponſalibus abſolutis hoc impedimentum inducitur: & ideò antè conditionũ euentum validè poteſt cõtrahere cum ſorore, quamuis in hoc grauiter peccet: quia tenetur conditionis euentum expectare, antequam contrahat cum alia. Ità Cornejo *loc. cit.* Palaus *nu.* 3. Coninch *nu.* 61. Sanch. *diſp.* 69. *nu.* 5. Baſil. *cap.* 35. Candid. *art.* 12. *dub.* 3. Dicaſt. *nu.* 424. Bonac. *num.* 2 & 15.

## *De impedimento affinitatis.*

*Quid ſit affinitas.*

92 AFfinitas eſt *propinquitas perſonarum ex copula carnali proueniens.* Ità D. Thom. *in 4. diſt. 41. quæſt. unic. art. 1. q. 3.* Et ratio eſt: quia cum per copulam carnalem vir & fœmina fiant una caro, & unus ſanguis, conſanguinei fœminæ reduntur conſanguinei viri; & è contra, in eodem gradu, ac ſunt cum illa, *cap. Fraternitatis 35. quæſt.* 10. copula, ex quâ reſultat affinitas, debet eſſe illa, quæ eſt apta generationi prolis, & quæ ad conſummandum matrimonium ſufficit, ac requiritur iuxtà ea, quæ diximus *c. 4. punct. 1.* Vt probat Sanc. *lib. 7. diſp. 64. n. 8.* Cand. *diſq. 28. art. 2. dub. 7.* Bonac. *q. 3. punct. 12. num. 11.* Baſil. *lib. 7. cap. 33. num. 2.* Coninch *diſp. 32. dub. 4. num. 46* quia per illam ſolum fiunt coniuges una caro.

*Tam ex licita, quam illicitâ copula prouenire poteſt affinitas.*

93. Hæc affinitas non ſolum ex licita copula, ſed etiam ex fornicaria reſultat. Docet D. Thom. *in 4. diſt. 41. quæſt. unic. art. 1. quæſt. 3. & in addit. qu. 55. art. 3* Et tradit *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 4.* Et habetur *in cap. Diſcretionem, de eo, qui cognouit conſanguin.* & durat in perpetuum: ita ut diſſoluto matrimonio, vel mortuâ illâ, cum qua aliquis rem habuit, numquam poteſt ſine diſpenſatione nubere cum ſorore, aut matre eius. Tradit D. Tho. *quæſt. 55. art. 2. & in 4. diſt. 41. quæſt. unic. art. 1. qu.* 2. habeturque in *cap. Fraternitatis 35. quæſt.* 10. Cæterùm per carnalem copulam conſanguinei viri non fiunt affines cum conſanguineis fœminæ; vel è contra, licèt vir fiat affinis cum conſanguineis fœminæ; & è contra. Et ideò duo fratres poſſunt ducere duas ſorores, & filius priuignam patris ſui, ſeu filiam matris, quæ cum patre matrimonium contraxit, D. Thom. *ſupr. in ſolut. ad* 1. Et habetur *in cap. Quod ſuper his, de conſanguin. & affin.* Candid. *diſq. 28. art. 12. dub. 1.* Bonacina *quæſt. 3. punct. 12. num. 2.* Sanchez *lib. 7. diſp. 67. num. 2.* Enriquez *lib. 12. cap. 10. num. 2.* Stipes in affinitate ſunt illæ duæ perſonæ, quæ ſe carnaliter cognoſcunt; ipſæ verò non fiunt affines, ſed affinitatis principium: undè in illo gradu aliquis erit affinis cum Petro, in quo gradu eſt conſanguineus Mariæ, quam ipſe carnaliter cognouit, Bonac. *nu.* 5. Candid. *dub.* 4. Sanch. *num.* 4.

## PVNCTVM VIII.

### *Quomodò affinitas dirimat matrimonium ſubſequens? In quo gradu, & quo iure?*

*Iure Eccleſiaſtico affinitas dirimit matrimonium.*

94 AFfinitatem eſſe impedimentum dirimens matrimonium eſt certiſſimum inter Catholicos, ſiuè ex copulâ licitâ, ſiuè ex illicitâ proueniat. Habetur *in tot. tit. de conſang. & affinitat. & tot. tit. de eo, qui cognouit conſanguineam uxoris.* Et traditur in *Concil. Trident. ſeſſ. 24. Canon. 3. & cap. 4.* Et eam probat D. Thom. *in 4. diſt. 41. quæſt. unic. art. 2. quæſt. 1. & in addit. quæſt. 55. art. 6.* iiſdem rationibus, quibus probauerat eſſe conueniens, matrimonium dirimi inter cognatos: quia etiam affines maxima gaudent familiaritate, ob quam periclitaretur inter illos pudicitia, ſunt iam amore, & charitate coniuncti: & ideò oportuit matrimonium ad alios extendi, & etiam debetur reuerentia maximè affinibus lineæ rectæ, ob quam indecens eſt copula inter illos habita.

*Inter quos affines hoc impedimentum contrahatur.*

95. Ex iure antiquo hoc impedimentum extendebatur uſque ad ſeptimum gradum, *cap. Nullum, cap. Æqualiter 35. quæſt. 3.* Sed nunc reſtricta eſt affinitas hoc impedimentum inducens ad quartum gradum, *cap. Non debet, de conſang. & affinit.* Siuè ex copulâ licitâ, ſiuè illicitâ ortum duxerit. Sed nouiſſimo iure *Tridens. ſeſſ. 24. cap. 4.* reſtricta eſt conſanguinitas ex copulâ fornicariâ, ut

ſolùm

ſolùm extendatur ad ſecundum gradum: quia cum frequenter eſſet occulta, plures cum illa affinitate contrahebant, & in matrimonio nullo perſeuerabant: & quia non tanta reuerentia, amor, & familiaritas oritur ex hac affinitate, imò nulla, ac ex affinitate ex copula legitimo matrimonio habita. Sed difficultas eſt. An iure naturæ ſit hoc impedimentum in aliquibus gradibus affinitatis?

*Et iure naturæ affinitas ex illicita copula proueniens in nullo gradu dirimit matrimonium.*

96. In quo ut certiſſimum apud omnes ſtatuendum eſt, ex copula fornicariâ, nullum oriri impedimentum, dirimens iure naturæ matrimonium, ſiuè in lineâ rectâ, ſiuè in lineâ tranſuerſali. Tum: quia ex illâ iure naturæ nulla naſcitur affinitas, *leg. Non facilè, ff. de gradib. affinitat.* Et probat Sanch. *num.* 9. Enriq. *cap.* 1 *num.* 2. quia ex copula fornicariâ nulla naſcitur propinquitas, quæ reuerentiam, vel amicitiam generet inter affines: non enim mouetur filius ad exhibendum amorem, vel reuerentiam fœminæ, quam pater ſuus turpiter cognouit, & multò minus ad amandum, vel reuerendum virum qui cum matre ſuâ illicitè rem habuit. Tum etiam: quia eſto per talem copulam ex natura rei affinitas generaretur (quod multi probabiliter volunt) eſt tamen quædam affinitas valdè imperfecta, quæ nullo iure aut ratione, probari poteſt, matrimonium dirimere, ex iure naturæ. Ità Palaus *diſp.* 4. *punct.* 18. *nu.* 10. Sanc. *lib.* 7 *diſp.* 66. *nu.* 3. Bonac. *quæſt.* 3. *punct.* 12. *n.* 7. Ledeſ. *quæſt.* 55. *art.* 6. *diff.* 2. *concl.* 3. N. Ant. *nu.* 408.

*Affinitas in primo gradu lineæ tranſuerſa orta ex licita copula iure naturæ matrimonium nō dirimit.*

97. Similiter eſt certum, affinitatem ortam ex copulâ licitâ non dirimere matrimonium iure naturæ in primo gradu lineæ tranſuerſalis: proindeque non eſſe irritum iure naturæ matrimonium *leuiri* vulgò del *cuñado* cum *glore*, vulgò la *cuñada*: & ideò Clemens VII. poſt magnam conſultationem ferè omnium virorum doctiſſimorum totius Reipublicæ Chriſtianæ authoritate Pontificia declarauit diſpenſationem conceſſam à Iulio II. pro matrimonio Henrici VIII. Regis Angliæ cum Catharinâ, quæ prius fuerat ſui fratris uxor validam fuiſſe. Et alios Pontifices banc diſpenſationem dediſſe teſtatur Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 66. *nu.* 11. & nouiſſimè Vrbanus VIII. diſpenſauit cum Comite de Grajal D. D. Francisco de Menchacà huius noſtræ Ciuitatis Salmantinæ præclariſſimo Equite, ut matrimonium contraheret cum D. D. Leonora Rodriguez de Villaſuerte, cum priùs cum eius ſorore in matrimonio degiſſet, & filios ex eâ procreaſſet, quòd etiam in Sacrâ Scripturâ fundamentum habet, cum *Gen.* 29. Iacob, Liam, & Rachelem duxiſſet. Et *Deuteron.* 27. præcipiebat Deus, ut frater nuberet cum uxore fratris ſui, qui abſque liberis deceſſerat. Ità Baſil. *lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 3. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 66. *nu.* 11. Bellarm. *libr.* 1. *de Matrim. cap.* 28. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 8. *num.* 11. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 16. *punct.* 3. Candid. *diſq* 28. *art.* 12. *dub.* 4. *concl.* 8. Caiet. *tom.* 3. *Opuſc. tract.* 12. *de coniug. cum relictâ fratris*, Bonac. *q.* 3. *punct.* 12. *num.* 7 N. Ant. *nu.* 406.

*Vide hic N.Gabr. nu. 142. & Gonet ar. 9. ubi plura adducit exempla.*

*Obiectio ex increpatione Ioannis Baptiſtæ, & ſolutio illius.*

98. Nec obſtat contrà hoc, quòd Matth. 14. & Marc. 6. Ioannes Baptiſta acriter reprehendebat Herodem, quòd uxorem fratris ſui Philippi in coniugem acciperet. Et inquit D. Chryſoſtom. *Hom.* 42. *in* Matth. tunc eſſe mortuum Philippum, quòd probabile iudicat Auguſt. *lib. de Fide, & operibus, cap.* 19. Sed non reprehendebatur Herodes, quòd contrà legem Iudæorum. *Leuit.* 18. prohibentis, uxorem fratris ſui ducere, eam aſſumpſerat in uxorem: quia cum eſſet Gentilis legibus Iudæorum non tenebatur: ergò quia operabatur contrà ius naturæ. ¶ Reſpondetur: quod ut inquit D. Thom. *in loc.* Matth. & Beda *in loc.* Marc. Et refert Ioſephus *lib.* 18. *Antiq. cap.* 16. tunc frater Herodis erat viuus, quod apertè confitetur Eccleſia in reſponſorio ſecundæ lectionis in feſto decollationis S. Ioannis, dicens: *Ioannes Baptiſta arguebat Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratri ſuo viuenti uxorem.* Sed eſto non viueret frater ſuus, meritò arguebatur Herodes quia in *Leuit.* 18. prohibebatur frater ducere uxorem fratris ſui, quandò ille aliquem filium relinquebat, & frater Herodis Herodiadem ſaltatricem reliquerat, cui legi ſtare tenebatur Herodes: quia licèt eſſet Gentilis, cuiuſdam Iudæi erat filius, ut refert idem Ioſephus.

*Eſſe iure naturæ irritum matrimonium in primo gradu lineæ rectæ inter affines aliqui aſſerunt, & probant.*

99. Quarè difficultas eſt. An in primò gradu lineæ rectæ ſit irritum iure naturæ matrimonium cum tali affinitate contractum, ut inter priuignum, & nouercam, vel inter priuignam, & vitricum, vulgò, el *padraſtro*, inter ſocerum, & nurum, ſocrum, & generum? Affirmant Soto *in* 4. *diſt.* 41. *q. unic. art.* 3. *circà fin.* Vaſq. *tom.* 2. *quæſt.* 74 *art.* 8. *diſp.* 112. *nu.* 7. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. Bellarm. *loc. cit.* Siluius *art.* 6. *concl.* 4. Probant primò ex Sacrâ Scripturâ: nam, Amos 2. *nu.* 7 ut ſcelus reputatur grauiſſimum: *Quòd filius, ac pater eius ierunt ad puellam, ut violarent nomen ſanctum meum*, & 1. *ad Cor.* 5. *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui, aliquis habeat.* Et ſolùm illud ſcelus, quod eſt ipſo naturæ lumine reprobatum, dicitur nec inter gentes inueniri. Et tandem *Leuitic.* 20. *Qui dormierit cum nouercâ ſuâ, & reuelauerit ignominiam patris ſui, morte morientur ambo, & qui dormierit cum nuru ſua, uterque moriatur.* Et niſi eſſet tale coniugium naturali lumine ſceleratum, non punirentur culpati, tam graui pœna. ¶ Secundò, quia tanta reuerentia debetur uxori patris, ac ipſi patri, ut dicitur in *cap. Si vir.* 35. *quæſt.* 3. *ex* Auguſt. *lib.* 22. *contrà Fauſtum, cap.* 61. Sed eſt contrà reuerentiam patris copula habita cum uxore illius: ergò tale coniugium erit iure naturæ irritum. ¶ Tertiò: quia *in cap.* 1. *de conſanguinit. cap. æqualiter, & cap. de propinquis* 35. *quæſt.* 3. dicitur eodem modo abſtinendum eſſe ab affinibus, ſicut à conſanguineis: ſed inter conſanguineos in primo gradu lineæ rectæ abſtinendum eſt iure naturæ: ergò, &c.

*Vera ſententia aſſerit non eſſe irritum iure naturæ tale matrimonium.*

100. Secunda, & probabilior ſententia dicit: quòd licèt ſit indecens tale matrimonium, & iure naturæ vetitum, ita ut non poſſit honeſtari niſi grauiſſimâ causâ interueniente, quam ferè numquàm adeſſe conſtat ex Eccleſiæ praxi, quæ numquàm ſuper hoc diſpenſauit. At non ita eſt indecens ab intrinſeco, ſicut eſt coniugium cum matre, vel filiæ cum patre. Et ideò quòd licèt iſtud ſit iure naturæ nullum; illud tamen non ſit niſi illicitum, ſuper quod poſſet Eccleſia diſpenſare, grauiſſimâ causâ interueniente. Ac proindè quòd infideles ad fidem conuerſi, ſi contraxerunt cum uxoribus in dicto gradu affinibus, non ſunt ſeparandi à coniugio. Ità D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 54. *art.* 9. *ad* 3. & Caietan. *ibi in reſp. ad* 3. Candid. *concl.* 10. Ledeſ. *concl.* 1. Veracruz *art.* 25. Cornejo *dub.* 33. Enriq. *nu.* 5. Sanch. *nu.* 7. Baſil. *nu.* 5. Palaus *nu.* 12. N. Gabr. *nu.* 140. N. Ant. *nu.* 408. Gonet *art.* 9. Et

conſtat ex Scripturâ 3. *Reg.* 2. ubi Adonias petijt Abiſaac uxorem patris ſui defuncti in uxorem.

*Rationibus concluſio probatur.*

101. Probatur primò: quia in *Concil. Agath. Canon.* 6 *in Arelatenſ.* 3. *Can.* 10 prohibetur matrimonium cum priuignâ, & cum nouerca relictâ patris, ſi verò contractum fuerit antè illam prohibitionem, decernit eſſe ſuſtinendum: ergò non erat iure naturæ irritum, aliàs nullo modo eſſet ſuſtinendum. ¶ Secundò: quia tale coniugium non opponitur ex una parte matrimonij ſubſtantiæ, & bonis eius, cum rectè poſſint tales affines cohabitare, ſibi mutuò debitum reddere, fidem obſeruare, & proles in cultu Dei inſtruere: & ex aliâ non datur talis ſuperioritas, & inferioritas, aut reuerentia debita inter nurum, & ſocerum, aut inter ſocrum, & generum, ut ſufficiens ſit ad irritandum iure naturæ matrimonium inter illos. Hæc enim irritatio ſolùm habetur inter illos, qui eſſe ſuum per ſe ab alijs recipiunt, ut inter parentes, & filios: quia talis ſuperioritas, & reuerentia fundatur ſuprà generationem unius ab alio, & per hoc, quod eſſe ſuum ab illo receperint, quod inter affines etiam lineæ rectæ non reperitur.

*Argumẽta contraria ſoluuntur.*

102. Ad primum argumentum reſpondetur: quòd Propheta Amos, nec non D. Paulus loquuntur de coniugio cum uxore patris, illo viuente, ac renitente, quod patet, quia Apoſtolus dicit, talem fornicationem numquam auditam eſſe inter gentes: ſed Valerius Maximus *lib.* 5. *cap.* 7. refert Antiochum ex conſenſu patris contraxiſſe cum uxore illius, & apud Perſas mos erat, ut filius mortuo patre nouercam duceret: ergò non loquitur, quandò fuerat mortuus pater, ſed illo viuente, ac renitente: & ſimiliter illud delictum punitur in Leuitico pœnâ mortis, vel quia viuente patre perpetratum, vel quia ſceleſtiſſimum, quãdò abſque urgentiſſimâ causâ fieret. ¶ Ad ſecundum dicimus deberi illam reuerentiam nouercæ viuente patre, non tamen ſemper, cum ſit extrinſeca, & non ab illâ filius eſſe receperit. In alijs textibus eodem modo prohibetur coniugium cum affinibus ac cum conſanguineis, ſpectato iure Eccleſiaſtico, non verò attento iure naturæ.

### *De impedimento impotentiæ.*

103. PLures, & graues quæſtiones excitant Authores circà hoc impedimentum, quas fusè percurrere non poſſumus ob breuitatem, quam profitemur, nec omninò clarè, niſi dicendo ea, quæ vix poſſunt honeſtè dici. Quapropter breuitate, quâ potuerimus, tranſibimus per ea, illa dumtaxat attingentes, quæ Theologo ſcitu neceſſaria iudicabimus.

*Quot modis impotẽtia dicatur.*

104. Sed ſciendum eſt, impotentiam, quæ hoc impedimentum conſtituit, eſſe illam, qua nequit copula maritalis haberi per penetrationem vaſis naturalis fœminei, & effuſionem ſeminis intrà illud ad generationem prolis aptam. Hæc autem impotentia alia eſt ſuperueniens matrimonio, alia illud antecedens, alia perpetua, alia ſolum ad tempus, alia naturalis, & ab intrinſeco, alia ab extrinſeco, & accidentalis; naturalis verò, alia prouenit ex defectu ætatis, alia ex defectu caloris in viro, vel membrorum ad uſum coniugij neceſſariorum, alia ex coarctatione in fœminâ partium ad generationem deſeruientium. Et rurſus naturalis alia eſt reſpectiua, ut in viro reſpectu harum, vel illarum fœminarum, non verò reſpectu omnium, & in fœminis ſimiliter reſpectu talium virorum, non reliquorum: alia eſt abſoluta, quæ reſpectu omnium habetur. Accidentalis impotentia alia eſt à natura, ut in ſenibus ob nimiam ætatem, alia ab homine, ut in eunuchis, & membro abſciſſis, alia ex arte Dæmonum proueniens, & hæc dicitur maleficium. De omnibus his breuiter pertractabimus.

## PVNCTVM IX.

### *De impotentiâ perpetuâ, abſoluta, & naturali, quo iure, & quomodo dirimat matrimonium?*

*Quid ſit impotentia abſoluta? Quid reſpectiua.*

105. IMpotentia abſoluta eſt illa, quæ in viro per ordinem ad quaſcumque fœminas, & in muliere per ordinem ad omnes viros ſe habet: nam illa, quæ per comparationem ad perſonam determinatam conſtituit impotentem, dicitur reſpectiua, de quâ puncto ſequenti. Illa autem dicitur perpetua, quæ nullo medicamine, nullaque arte poteſt auferri ſinè miraculo, ſinè peccato, vel ſinè mortis periculo: quamuis enim aliquo ex his modis auferibilis ſit, dicitur perpetua. Vndè ſi poſt contractum matrimonium coniux per miraculum, per aliquod peccatum, vel per medicamentum inducens mortis periculum fiat potens, inualidum eſt matrimonium, *cap. fraternitatis, de frigidis, & maleficiat.* Poterit tamen aliud inire coniugium vel illud ipſum poſt acceptam potentiam reualidare. Sed omnibus eſt notum peccare mortaliter, qui conſcius ſuæ impotentiæ contrahit, vel de illa dubitans propter iniuriam, quam alteri parti irrogat, Sanch. *num.* 10. Gutierr. *de Matrim. cap.* 116. *num.* 3. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 34. §. 7. *num.* 1.

*Aliud genus impotentia perpetua.*

106. Et non ſolum impotentia perpetua iudicatur, quandò vir ob frigiditatem, vel debilitatem ſui, quæ in iure nomine frigiditatis comprehenditur, vel ob arctationem fœminæ, vel alia ratione, nequit clauſtra pudoris per inſtrumentum virile penetrare, ſed etiam quandò propter nimium calorem vel arctationem fœminæ nequit in totum, vel in partem ſemen intrà vas naturale immittere, & ſemper talis effuſio anteuertit coitum, ſi tale impedimentum ſit perpetuum, ita ut nullo medicamine, aut arte tolli poſſit: quia de ratione matrimonij eſt traditio corporum in ordine ad copulam aptam ex ſe prolis generationi, ad quod utrumque requiritur, & penetratio, & effuſio ſeminis intrà vas, N. Cornejo *diſp.* 7. *dub.* 34. Candid. *diſq.* 28. *art.* 13. *dub.* 8. *&* 10. Auerſ. *quæſt.* 13. *ſect.* 2. Palaus *citatus* Sanch *num.* 7. *&* 8. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 42. *num.* 443. *& dub.* 46. per totum.

*Iure naturæ, & Eccleſiaſtico impotentia perpetua dirimit matrimonium.*

107. Igitur impotentia naturalis, & perpetua matrimonium dirimit tam iure Eccleſiaſtico, quàm iure naturæ, ac proindè inter infideles eſt impedimentum dirimens matrimonium, eſt commune apud omnes Theologos, & utriuſque iuris profeſſores. Quòd verò iure Eccleſiaſtico dirimat matrimonium, conſtat ex *cap.* 2. TX *cap. Fraternitatis, & alijs de Frig. & maleficiat. cap.* 1. *& ſeqq. diſt.* 33. *quæſt.* 1. Quòd autem iure naturæ, probatur: quia nemo poteſt in alterum transferre dominium rei, quam non habet; ſed licèt non ſit de eſſentia matrimonij copula, aut uſus coniugalis,



Digitized by Google

eſt tamen de illius eſſentiâ quòd corpus tradatur cum potentiâ ad uſum matrimonij : ergò impotentes, qui huiuſmodi facultate carent, ex ipsâ naturâ ſunt inepti ad matrimonium. ¶ Confirmatur : quia nemo ad impoſſibile poteſt obligari, ſed ex matrimonio oritur obligatio ad uſum coniugij; ergo nemo poteſt illud contrahere, qui ad talem uſum eſt impotens. Quarè licèt ſit diuerſus uſus à dominio, non tamen poteſt dominium conferri cum impoſſibilitate uſus : unde rectè D. Thom. *3. part. quæſt. 29. art. 2.* dixit matrimonium Mariæ cum Ioſeph fuiſſe validum: quia licèt non habuerint uſum coniugij, neque in ordine ad illum contraxerint, ex ſe potentes erant ad illum, quem de facto exercerent, ſi Deo placere iudicaſſent, Sanch. *lib. 7. diſp. 92. num. 2. & 98. nu. 2.* Ledeſ. *quæſt. 58. art. 1. dub. 7. circà ſolut. ad 7.* Enriq. *lib. 12. cap. 7.* Bonac. *quæſt. 3. punct. 13. nu. 22.* Coninch *lib. 7. diſp. 31. nu. 77.* Dicaſt. *diſp. 7. dub. 42. num. 442. & dub. 44.* per totum N. Gabr. *q. 15.* N. Ant. *nu. 430.*

*Poſſunt impotentes ut fratres ſimul habitare.*

108. Sed difficultas eſt. An non ſolum ſit nullum matrimonium impotentis reſpectu eius, qui ignorabat talem impotentiam, ſed etiam reſpectu eius, qui conſcius erat illius? Quod idem eſt, ac inquirere. An impotens poſſit cum potente contrahere, qui ſcit illius impotentiam, & vult cedere iuri ſuo, & ſolùm habitare cum alio, & ad communem conuictum, & mutua obſequia coniugij? Circà quod eſt apud omnes certiſſimum poſſe inter ſe tales perſonas quoddam vinculum ſocietatis inire, quo ſimul habitantes ad mutua ſe obſequia obligent, ut fœmina inſeruiat viro, & hic illi alimenta adminiſtret ſine periculo incontinentiæ, ſicut alios contractus ciuiles inter ſe inire poſſunt : & ſicut poſt contractum matrimonium ſi impotentia cognoſcatur, & nolint ſeparari, ſed amicabiliter, ut ſoror, & frater conuiuere, id eis permittitur, ut conſtat ex Lucio Papa *cap. Conſultationi, de frig. & maleficiat,* ibi : *Vt quos tamquàm ut uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores.* Et Celeſtinus Papa, *cap. Laudabilem eod. tit.* vbi ait: *Si ambo conſentiant ſimul eſſe, vir eam & ſi non ut uxorem ſaltem ut ſororem habeat.* Et Gregorius Papa, *cap. Requiſiſti 33. quæſt. 1. ſi non poteſt* (inquit) *eâ uti pro uxore, habeat ut ſororem.* Idem habetur, *leg. Regia 1. tit. 9. part. 4. & tradunt* Lopez Dominicanus, *2. part. inſtruct. de Matr. cap. 52. §. Tertiò dicitur.* Ex eadem familiâ, Candid. *dub. 26.* Soto *quæſt. unic. art. 2.* Conin. *nu. 83.* Sanch. *num. 4.* Palaus *§. 6. num. 1.*

*Sententia, quæ dicit eſſe inter impotentes verū matrimonium proponitur, eiuſque fundamenta confutātur*

109. Quarè dubium eſt. An poſſint huiuſmodi perſonæ verum inter ſe contrahere matrimonium : ità ut nec illa, quæ potentiam habet, poſſet ad alias nuptias peruenire? Affirmant Viuald. *in Candelab. 1. part. num. 23.* D. Antonius *3. part. tit. 1. cap. 2. §. 1.* Petrus Soto *lect. 1. de Matr.* Baſil. *lib. 7. cap. 53.* Et tribus ſequentibus. In caſu, quo contraherent non in ordine ad copulam maritalem, ſed in ordine ad ſocietatem amicabilem habendam, & mutua ſibi obſequia præſtanda. Quod probabile reputat Dian. *4. part. tract. 4. reſol. 75.* ¶ Quod probant primò ex textibus ſuprà allegatis, qui huic ſententiæ videntur opitulari; ſed minimè illi ſuffragantur : quia loquuntur non de vinculo matrimonij, ſed de vinculo amicabilis, & fraternæ ſocietatis : & ideò dicunt, quòd debent ſeparari, ſi periculum eſſet incontinentiæ, & quod poteſt, qui habet potentiam, cum alia nubere. ¶ Probant ſecundò : quia ſi impotentia ſuperueniat matrimonio non dirimit illud ut poſteà dicemus : ergò non eſt de eſſentia illius, aliàs etiam dirimeret ſuperueniens : quemadmodum quia eſt de eſſentiâ matrimonij diuerſitas ſexus, ſi mulier erumperet in virum, modo quo fieri poſſe diximus *tract. de Ord. cap. 5. nu. 16.* dirimeret matrimonium. ¶ Sed nec hoc argumentum probat aliquid : quia traditio corporis cum poteſtate ad copulam eſt de eſſentiâ matrimonij in fieri, ſeu in ipſa celebratione illius, ut conſenſus utriuſque, non verò in facto eſſe, aut conſeruari, & ideò, ſicut per diſſenſum non poteſt diſſolui; ſic nec per impotentiam ſuperuenientem : plura enim ſufficiunt ad impediendum matrimonium faciendum, quæ non ſufficiunt ad diſſoluendum illud iam factum. ¶ Probant tertiò : quia validè contrahunt illi, qui per votum continentiæ mutuò ſe obligant ad obſeruandam caſtitatem qui proindè ſunt moraliter ad copulam impotentes : ergò etiam qui phyſicè. ¶ Sed nec hoc argumentum probat aliquid : quia ſi talis obligatio deducatur in pactum, iam diximus *cap. 7. num. 95.* diſſoluere matrimonium : quia eſt conditio contrà ſubſtantiam illius; ſi verò non, non tollit, quòd poſſit transferri dominium corporum cum potentiâ phyſicâ ad uſum quod eſt de eſſentiâ matrimonij, quamuis uſus ipſe ſit ipſis moraliter impoſſibilis,

*Ex D. Th. probatum dicta ſunt & ita ſed eius mens explicatur.*

110. Denique probant ex D. Thom. *qui quæſt. 52. art. 1. corp. & ad 4. & q. 58. art. 1. ad 4.* ubi comparat impotentiam cum ſeruitute, & dicit, quòd ſicut ſeruitus ignorata dirimit matrimonium, non verò illa iam cognita : ita etiam impotentia ignorata matrimonium dirimit, non verò ſi cognoſcatur : & ideò in ultimo loco dicit. *Si ſciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, oſtenditur, quod alium finem ex contractu quærit : & ideò contractus ſtat, ſi autem neſcit, tunc contractus nullus eſt.* ¶ Sed reſpondetur cum Soto *in 4. diſt. 34. quæſt. unic. art. 2.* D. Thom. non loqui de impotentiâ ſimpliciter, & perpetuâ, cui nullo remedio humano poteſt ſubueniri, ſed de illâ, quæ poteſt tolli per artem, aut medicinam, & ſic eſt temporalis, ſed per accidens quia coniuges nolunt eam auferre, fit perpetua, de quâ infrà dicemus non diſſoluere matrimonium : & quòd loquatur D. Thom. de iſta, conſtat: quia comparat hanc impotentiam cum ſeruitute, quæ non reddit ſeruum impotentem ad reddendum debitum ſemper, ſed aliquibus temporibus, quibus eſt à patrono occupatus, quæ eſt quaſi impotentia temporalis, & politica, cum quâ habet ſimilitudinem impotentia phyſica temporalis, quæ proindè ſi ſciatur, poſſe per medicamina auferri, non impedit matrimonium; ſi vero neſciatur poſſe naturali modo tolli, reputatur ut perpetua, & in hoc ſcientiam huius impotentiæ comparat cum ſcientiâ ſeruitutis, & illius ignorantiam cum neſcientiâ iſtius.

*Non poſſe inter impotentes dari matrimonium probatur.*

111. Quare dicendum eſt, nullo modo inter impotentes, etiamſi conſcij ſint impotentiæ, poſſe validum contrahi matrimonium. Conſtat ex *Bulla* Sixti V. editâ *anno 1587.* incipiente: *Cum frequenter in iſtis regionibus*, quâ eunochorum matrimonia prorſus annullauit, ubi inquit *Secundum Canonū Sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ ſunt, & impotentes, iidem minimè apti ad contrahendum reperiuntur.* Conſtat etiam ex Canonibus ſuprà allegatis, ubi incapaces eſſe matrimonij impotentes dicuntur, nullo diſcrimine aſſignato, inter ſcientes,

vel neſcientes tale impedimentum. Eſt ſententia communis, quam tenent Coninch *nu.*79. Candid. *dub.*26. Gutierr. *cap.*114.*nu.*1. Dicaſt. *dub.*43 Perez *ſect.*4.*nu.*3. N. Cornejo *diſp.*7. *dub.*34. Sanch. *diſp.*97.*nu.*2. Auerſ. *ſect.* 1. Palaus *punct* 14. §. 6. *nu.*3. N. Ant. *nu.*431. N. Gabr. *nu.*159. Ratio eſt quia nemo poteſt ad impoſſibile obligari etiam altero remittente obligationem, & cedenti iuri ſuo, quia eſſet nugatoria, & friuola talis obligatio, quæ acceptationem ex ſe requirit: ſed de eſſentia matrimonij eſt obligatio ad reddendum debitum, & ius ad petendum, ac proindè traditio corporum cum potentia ad generationem: ergò, &c.

*Ex inconuenientibus probatur vera ſententia.*

112. Etiam ex inconuenientibus, quæ ſequerentur ex oppoſitâ ſententiâ, probatur concluſio: quia ſi duo poſſent contrahere in ordine ad caſtè viuendum, & mutua obſequia ſibi præſtanda ſinè præſtitâ poteſtate ad copulam poſſent etiam, qui potentiam habent, ſic inter ſe contraherent & ideò ſi poſteà ſe cognoſcerent, fornicarentur quia ad hoc non ſibi tribuerent poteſtatem. Poſſet etiam nunc contrahi matrimonium inter perſonas aliàs impeditas, ut inter conſanguineas in ordine ad caſtè viuendum: quia hoc impedimentum ſolùm eſt ab Eccleſiâ introductum, ne detur poteſtas inter eas ad copulam coniugalem. Poſſet etiam pater cum filia contrahere in ordine ad honeſtæ vitæ obſequia, quæ inter ipſos non repugnant. Eſſent liciti tactus, aſpectus, oſcula, &c. Inter ſic contrahentes: quia ſi verum ſit matrimonium etiam cum impotentiâ ad coeundum, hæc ſunt licita, ut poſteà dicemus agentes de impotentia ſuperueniente matrimonio, quod, quia validum eſt, licitos facit illos tactus inter coniuges, quæ omnia ſunt maximè abſurda, ut ex ſe conſtat.

*Impotentia temporalis matrimonium non facit irritũ. Et quæ temporalis dicatur?*

113. Impotentia, ſi ſit temporalis, non dirimit matrimonium, *cap. Fraternitatis, de frigid.* & tradit D. Thom. *in* 4. *diſt.*34. *quæſt. unic. art.*2. *corp.* & *in addit. quæſt.*58. *art.*2. quem omnes ſequuntur: quia impotens pro aliquo tempore dumtaxat abſolutè potens eſt: ergò poteſt obligari ad uſum coniugij, qui licèt ſibi impoſſibilis ſit pro illo tempore, erit pro alio: & ideò ex tunc obligari poteſt ad reddendum debitum pro tempore, quo potuerit. Illa dicitur temporalis impotentia, quæ ſinè miraculo, ope, aut artificio humano, abſque peccato, & periculo vitæ poteſt tolli, *dict. cap. Fraternitatis tuæ.* Peccat tamen mortaliter, qui conſcius ſuæ impotentiæ temporalis (ſi probabiliter exiſtimet multo tempore duraturam, aut valdè difficulter auferendam) contrahit matrimonium cum altero inſcio talis impedimenti propter iniuriam, quam illi irrogat priuando eum ſuo debito coniugali, Bonacina *num.*12. Sanchez *diſp.*92. *nu.*5. Palaus §. 2. *num.*9. Gutierr. *de Matrim. cap.*112. *num.*4. At verò ſi contrahatur etiam cum neſciente talem impotentiam, validum eſt matrimonium; quod immeritò negat Soto *in* 4 *diſt.*34. *quæſt. unic. art.*2. immediatè ante *verſ. Rogas autem*, Enriq. *cap.*10. *num. ult.* Sed illud affirmat Ledeſ. *quæſt.*58. *art.*1. Auerſ. *ſect.*2. Sanch. *ſupr. num.*4. quia nec iure naturæ eſt irritum tale matrimonium: quia non tollit matrimonij finem ſimpliciter, cum potentia coeundi perpetua non ſit de eſſentia matrimonij, nec iure Eccleſiaſtico: quia nullum ius irritans reperitur, quin potius ipſa iura dant triennium ad experiendum de impotentiâ, ſi ſit temporalis, vel perpetua, ut conſtet de valore, aut nullitate matrimonij, & iubent inſtaurari matrimonium diſſolutum, ſi poſteà conſtet impotentiam non eſſe perpetuam.

*Steriles validum poſſunt contrahere matrimonium.*

114. Illi verò, qui veram potentiam habent coeundi, ſed ſunt ſteriles vel à naturâ, vel ratione ſenectutis, verum contrahunt matrimonium, & ideò Lucæ 2. parentes Ioannis Baptiſtæ, licèt eſſent ſteriles, validum coniugium habebant, nec unquam Eccleſia hos ſteriles à matrimonio repulit D. Thom. *in* 4. *diſt.*34. *quæſt. unic. art.*2. Candid. *dub.*11. Bonac. *num.*17. Sanch. *num.*26. Palaus *nu.* 3. Coninch *num.*85. Dicaſt. *num* 436. Et ratio eſt: quia verè poſſunt copulam maritalem habere: & ſic ſe ad illam obligare: quia licèt ex illo ſemine nequeat generatio euenire, hoc non eſt ex natura ſeminis, quod eſt eiuſdem ſpeciei cum alijs, ſed ex ſpeciali qualitate, & temperamento: & ſic non fruſtratur per ſe prolis generatio, quæ finis eſt matrimonij, ſed per accidens. Ea verò, quæ per accidens fiunt non ſunt expectanda ad diſſolutionem matrimonij. Etſi in *cap. ſolet* 32. *quæſt.* 2. dicitur *Matrimonium non eſſe, quando ſpes ſobolis deficit*, non loquitur, quandò deficit talis ſpes ob ſterilitatem, ſed quia in pactum matrimonij deducitur, eam numquàm ſuſcipere, quæ eſt conditio contrà illius ſubſtantiam iuxtà dicta *cap.*7. *num.*95. & ſic matrimonium reddit nullum.

## PVNCTVM X.

### *Quandò impotentia ex parte fœminæ ſit perpetua? Vbi etiam de impotentia reſpectiua.*

*Qualis impotentia fœminæ iudicatur perpetua?*

115. TVnc fœmina impotens cenſetur, quandò clauſtra pudoris ita arcta retinet, ut reſerari nequeant nec humanâ arte, medicamentorum vi, aut inciſione, ſinè mortis periculo, aut ſinè aliquo peccato. Hoc ultimum dicimus: quia ſi virgo ita eſſet arcta reſpectu ſui viri, ut ab altero cognita fieret illi apta, & non alio medio licito, talis arctitudo cenſenda eſt perpetua: quia quod ſinè peccato fieri nequit abſolutè impoſſibile reputatur: quia id poſſumus quod licitè poſſumus, Cornejo *diſp.*7. *dub.*34. Bonac. *quæſt.*3. *punct.* 13. *nu.*2. Dicaſt. *diſp.*7. *dub.*41. *nu.*434. Sanch. *diſp.*93. *num.*8. & 9. At verò ſi arctitudo fœminæ humanâ arte, vi medicamentorum, aut inciſione tolli poſſet ſinè probabili diſcrimine vitæ, quamuis illa mederi, aut incidi recuſet, talis impotentia matrimonium non dirimeret, *cap. Fraternitatis, de frig.* & *malef.* quia perpetuitas impotentiæ dirimens, non ex voluntate, ſed ex naturâ rei dependet, neque attenditur, quod tollatur, vel non, ſed quòd tolli poſſit, Palaus *diſp.*4. *punct.*4. §. 1. *num.* 5. Sanch. *num.* 15. Candid. *diſq.*28. *art.*13. *dub.*15. *concl.*24. Bonac. *num.*5. Quod ſi pudoris clauſtra reſerari non poſſint ſinè mortis periculo, etiamſi fœmina cum illo periculo velit apta fieri, & de facto facta fuit, matrimonium fuit nullum: quia illa impotentia cenſetur perpetua, quæ ſine mortis periculo non poteſt auerti, Cornejo *dub.*34. Enriq. *lib.* 17. *cap.*7. *num.*6. Candid. *ſup. dub.*15. Soto *in* 4. *diſtinct.*34. *quæſt. unic. art.*2. §. *Dubium autem.*

*Tenetur fœmina pati inciſionem, aut mederi, ut apta fiat viro ſuo.*

116. Vxorata fœmina, quæ arcta eſt reſpectu viri, ita ut ab eo cognoſci non poſſit, & quæ arte medicorum, vel inciſione poteſt reſerari, & apta marito fieri ſinè vitæ diſcrimine, tenetur pati inciſu-

Digitized by Google

Inciſuram aut aliter mederi etiam cum graui dolore, moleſtia, aut morbo: quia eſt neceſſarium, ut ſoluat debitum matrimonij: & ſic tenetur ad id ex iuſtitia, & etiam ex charitate ad euitandum in viro periculū incontinentiæ, Soto *citatus* Candid. *concl.* 25. Sanch. *num.* 32. Cornejo *dub.* 34. Enriq. *num.* 9. Bonac. *num.* 7. Dicaſt. *num.* 504. Auerſ. *ſect.* 2. Aliqui temperant, niſi morbus eſſet grauiſſimus, & læſio magna, & diuturna: quia duriſſimum eſſet aliquam cum tanto incommodo ad copulam matrimonij obligare: vel ſi vir remittat talem obligationem, & velit à copulâ abſtinere vel fœmina religionem ingredi vellet, & in eâ profiteri.

*Impotentia, quæ nō niſi mortis periculo auferri poteſt, matrimonū dirimit*

117. Si autem medici arbitrarentur mortis periculum ſubituram fœminam, ſi inciſuram, aut medicamenta permitteret ad reſeranda clauſtra pudoris, & conſtaret poſteà experimento eſſe falſum, & fœmina apta eſſet viro abſque tali periculo, reſtituenda eſt in matrimonium etiamſi vir ad alias nuptias perueniſſet: quia decepti ſunt medici, & impedimentum ceſſauit ſinè miraculo, peccato, aut mortis periculo, & ſic prius matrimonium fuit validum, & ſecundum nullum. Si tamen è contrà experientia conſtaret id periculum ſubijſſe fœminam, quod non ſubituram iudicabatur, & ex illo euadens apta reddatur viro, nullum eſt tale matrimonium: quia verè impotentia fuit perpetua, quæ abſque mortis periculo amoueri non potuit, Ledeſ. *quæſt.* 57. *art.* 1. Candid. *dub* 17. Enriq. *num.* 6. Auerſ. *ſect.* 2. Si verò ſint medici in dubio, an ex medicamentis, vel inciſione mortis periculum immineat, niſi ex experientiâ oppoſitum conſtet, cenſendum eſt ſubeſſe tale periculum, ac proindè matrimonium eſſe nullum, Sanch. *nu.* 11. Gutierr. *cap.* 112. *nu.* 17. Palaus *punct.* 14. §. 1. *nu.* 5.

*Quæ dicatur impotentia reſpectiua?*

118. Poteſt etiam dari tam in viro, quàm in fœminâ impotentia reſpectiua, illa nimirùm, quâ licèt cum alijs congredi poſſint, non inter ſe, ut ſi propter membri virilis exceſſum à tali viro fœmina cognoſci non poſſet, vel ob arctationem fœminæ tali viro non eſſet apta, & tunc nullum eſt matrimonium viri cum illâ fœminâ, & fœminæ cum illo, licèt cum alijs, cum quibus non ſunt improportionati, poſſint contrahere, & in tali caſu, ſi talis improportio nulla arte, aut medicamine tolli poſſit, quo modo cenſetur perpetua, nullum eſt inter tales perſonas improportionatas coniugium, *cap. Fraternitatis, de frig. & malef.* quia matrimonium eſt contractus inter certas, & determinatas perſonas, & ſic non reſpicit potentiam coeundi in genere, ſed reſpectu huius perſonæ, ergò ſi cum illa copula eſt impoſſibilis, irritum erit matrimonium, Baſil. *cap.* 61. Palaus *punct.* 14. §. 3. Soto *cit.* §. *verumtamen*, Coninc. *n.* 81. Auerſ. *ſect.* 3. Cornejo *dub.* 34. Candid. *dub.* 20 Sanch. *art.* 2.

*Impedimentum ex frigiditate proueniens non eſt reſpectiuum.*

119. Etſi obijcias quòd D. Thom. *quæſt.* 58. *art.* 1. *ad* 5. inquit, *Non poteſt eſſe impedimentum naturale viro, reſpectu unius perſonæ, & non reſpectu alterius.* ¶ Reſpondetur D. Thom. loqui de impotentiâ naturali frigiditatis, aut debilitatis, non verò improportionis: quia frigiditas denotat naturalem viri inhabilitatem ad concubitum, & ſic eum conſtituit inhabilem, & impotentem ad omnes fœminas.

*Quid de virgine, quæ à viro cognoſci nequit, ſentiendū eſt.*

120. Si vir ita debilis, aut ſenex fuerit, ut virginem cognoſcere non poſſit, benè tamen corruptam: quia in illâ reſiſtentiam reperit ob clauſtri virginalis clauſuram, non in iſta. Si poſſit arte, aut medicamine iuuari ad conſummandum matrimonium cum illâ, manifeſtum eſt valere matrimonium, virumque ad id teneri iuxtà *cap. Fraternitatis de frig. & malef.* quia cenſetur impedimentum temporale ſi abſque peccato, & vitæ periculo poteſt auferri, ſi verò non aliundè poteſt adiuuari, niſi admittente fœminâ medicamentum, vel inciſionem, vel alio inſtrumento penetrationem, quo clauſtra pudoris reſerentur, id fieri poteſt, ut docet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt. unic. art.* 2. *ad* 5. & *in addit. quæſt.* 58. *art.* 1. *ad* 5. An verò fœmina id pari teneatur: vel medicamentum ſuſcipere, vel ſuſtinere, ut ab alio inſtrumento aperiatur? Affirmant, N. Ant. *num.* 446. Cornejo *dub.* 34. Auerſ. *ſect.* 3 Sanch. *num* 34. & citant D. Thom. *loc.* nuper *adduct.* Sed D. Thom. ſolum aſſerit: *Sed ſi non poſſit implere carnalem actum cum virgine, & tamen poſſit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo inſtrumento poſſunt clauſtra pudoris frangi, & ei coniungi.* Vbi ſolum aſſerit, poſſe virginem talem inciſuram, aut penetrationem pati, quod non eſt contrà naturam, cum id non fiat ad delectationem, ſed ad medicamentum, non tamen aſſerit ad id teneri: ſed hoc probant: quia cum per matrimonium corporis ſui dominium tranſtulerit in virum, ſe illi aptam reddere tenetur, ſi abſque periculo mortis, & magno incommodo id poteſt facere.

*Non tenetur virgo arte mederi, quæ præciſè ob virginitatem nequit à viro cognoſci.*

121. Verius tamen dicendum eſt cum Ledeſ. *quæſt.* 58. *art.* 1. *circà finem*, Hurtad. *diſp.* 112. *diff.* 7. Baſil. *cap.* 62. Palao §. 1. *num.* 8. Dicaſt *num.* 510. Diana 3 *part. tract.* 4. *reſol.* 101. ad id non teneri virginem. Tum, quia per ipſam non ſtat, quominus debitum reddat, quandò non habet ſpecialem arctitudinem præter communem, ortam ex virginitate: & ideò non ipſi, ſed viro, penes quem defectus reperitur, debent medicamenta adhiberi. Tum etiam: quia per matrimonium coniux corpus ſuum tradit viro ad uſum coniugij, prout eſt à naturâ deſtinatum; ſed natura non deſtinauit clauſtrum virgineum alio inſtrumento reſerandum, niſi virili; ergo, &c. Si tamen virgo in caſu, de quo loquimur, nolit aliquo inſtrumento inciſionem, aut aperturam pati, adhuc matrimonium ſubſiſtit: quia cenſetur temporale impedimentum, cùm arte, aut medicinâ tolli poſſit, Candid. *diſq.* 28. *art.* 13. *dub.* 18. *concl.* 34.

*Poteſt ex malo affectu impotentia perpetua prouenire.*

122. Fieri etiam poteſt, ut vir ſit ita affectus, quòd ad fœminam deformem moueri nequeat, nec ullo artificio iuuari, ut cum eâ rem habeat, benè tamen ad pulchram: & tunc illa tenetur blanditijs, ornamentis, & modis omnibus licitis virum ad ſe trahere. Si tamen poſt triennium non poſſit, hæc difficultas deuinci, impotentia iudicanda eſt perpetua reſpectu illius fœminæ, Albert. Magn. *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt.* 1. *art.* 6. *ad* 3. & ſimiliter ſi vir ex peculiari aliquâ antipatiâ, repugnantiâ, vel abominatione non poſſit excitari ad certam fœminam, benè tamen ad alias, & hoc per triennium adhibitis diligentijs deuinci non poſſit, idem iudicium ferendum eſt in hoc caſu, atque in præcedenti, & de utroque idem dicendum eſt, ac de eo, qui maleficio à propriâ fœmina eſt auerſus, de quo dicemus infrà, nullum contrahere matrimonium. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt. unic. art.* 2. *ad* 5. & *in addit. quæſt.* 58. *art.* 1. *ad* 5.

PVNC-

Digitized by Google

## PVNCTVM II.

### *De impotentia perpetua ex accidenti, vel ab extrinſeco prouenientе.*

*Quomodo ex accidẽti poſſit impotẽtia procedere?*

123 HActenùs egimus de impotentia, quæ à naturâ prouenit: aliæ verò ex accidenti prouenire poſſunt, vel ratione ætatis, vel arte dæmonis, vel violentia hominis, aut caſuali ſucceſſu: & tandem omnes poſſunt ſuperuenire matrimonio, vel illud antecedere, de quibus hoc puncto ſuo ordine diſcurremus. Ratione ætatis poteſt impotẽtia eſſe vel ex defectu ætatis, vel ex ſenectute.

*Ante pubertatem nullum eſt matrimonium iure Eccleſiaſtico, non iure naturæ.*

124. Igitur ex defectu ætatis, ut ſi pueri antè pubertatem contrahant matrimonium, eſt nullum iure Eccleſiaſtico, non iure naturæ, ſi diſcretione, & prudentiâ polleant. Quòd ſit iure Eccleſiaſtico, probatur ex *cap. Atteſtationes, cap. Ex litteris de deſponſ. impub.* ubi cauetur pueros uſque ad ætatem pubertatis, quæ in illis eſt decimo quarto anno adimpleto, non poſſe contrahere. Et *in cap. Continebatur, eod. tit.* ubi dicitur, puellas non poſſe uſque ad duodecimum ætatis ſuæ annum contrahere, quo pubertas aduenire fœminis præſumitur. ¶ Non tamen eſt tale matrimonium ante legitimam ætatem irritum iure naturæ: quia in eis non eſt impotentia perpetua, ſed dumtaxat temporalis, & poſſunt ſe obligare, ut quandò per ætatem poſſint, ſe mutuò copulentur, ſi alias ſint doli capaces cognoſcentes obligationem, & perpetuitatem matrimonij. ¶ Imò etiam iure Eccleſiaſtico non eſt irritum matrimonium, quandò malitia ſupplet ætatem, *cap. de illis 2. cap. Puberes cap. ult. de deſponſat. impub.* & dicitur ſupplere malitiam ætatem, quandò experimento conſtat potentes eſſe ad copulam ut ſi illam habiti fuerint cum aliquâ fœminâ, vel pollutionem paſſi, & aliàs iudicio pollent ad cognoſcendam vim conſenſus coniugalis, Cornej. *diſp. 7. dub. 35. in fine* Sanc. *lib. 7. diſp. 104. num. 21.* Auerſ. *quæſt. 13. ſect. 2. §. Eadem itaque,* qui addit, quòd quandocumque adeſt potentia generãdi, cenſenda eſt adeſſe ſufficiens maturitas iudicij, aut diſcretionis, in perſonâ rationis cõpote.

*Etiãſi impotentes ſint poſt pubertatem, non ſtatim eſt nullũ matrimoniũ.*

125. Sed quia hæ qualitates in foro externo non præſumuntur ante pubertatem, ei, qui vult contrahere, incumbit probare; tum ſe ſcire obligationem coniugij, quod per diſcretionem, & prudentiam *in cap. fin. de deſponſ. impub.* Intelligitur, tum etiam generandi potentiam habere, vel propter copulam iam habitam, vel propter effuſionem ſeminis, quas probare poſſit, Baſil. *lib. 7. cap. 65. num. 1. & 4.* Palaus *diſp. 4. punct. 14. §. 4. nu. 2.* ¶ Adeptâ verò pubertate, etiamſi non habuerint potentiam copulandi, validum inire poſſunt matrimonium: quia talem potentiam adeſſe non exigunt iura, ut matrimonium contrahatur: & ideò ſpectandum eſt, an talis impotentia ſit perpetua, Ledeſm. *quæſt. 58. art. 5. in fine*, Sanch. *nu. 5.* Palaus *ſupr. nu. 5.* Sed quo tempore expectandum erit? Alij per biennium dicunt, alij per triennium; verius tamen dicendum eſt expectandum eſſe uſque dum plenam pubertatem fuerint nacti, quæ plena pubertas in viro decimo octauo ætatis anno, in fœminâ decimo quarto aduenire conſtat ex textu *in leg. Abrogato, ff. de adoptionib. leg. Mela. ff. de aliment. vel cibar.* quia uſque ad illud tempus præſumi poteſt impotentiam prouenire ex fragilitate ætatis, Sanch. *num. 18.* Baſil. *num. 1.* Palaus *nu. 6.* Diaſt. *num. 581.*

*Senes quantumuis decrepiti poſſunt contrahere.*

126. Senes quantumuis decrepiti, & ſteriles, ſi nullo alio præter ſenectutem defectu laborent, validè contrahunt matrimonium, ut conſtat ex uſu Eccleſiæ nullos ſenes à coniugio excludentis: quia nullus eſt adeò frigidus ratione ſenectutis præcisè, ut vel naturâ, vel arte medicinæ non poſſit ad coitum calêre: & ſic quamuis generare non poſſit, ſufficit, quòd poſſit matrimonium conſummare, ut illud contrahere valeat, præcipuè in fœminis in quacumque ætate, complexione, vel diſpoſitione ſint, modò pati poſſint ingreſſum viri ad clauſtra pudoris D. Thom. *quæſt. 58. art. 1. ad 3.* Auerſ. *ſect. 2.* Gutierr. *cap. 112. num. 13.* Palaus *§ 2. num. 4.* Sanch. *num. 19. & 20.* Candid. *diſq. 28. art. 13. dub. 14.*

*Si impotẽtiâ perpetuâ laborent, non poſſunt.*

127. Adhuc quamuis ſenex adeò exhauſtus ſit, ut iudicio medicorum omninò impotens ſit ad copulam, nec arte, aut medicamento iuuari, poſſe contrahere matrimonium, docet Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 4. tit. de ſponſ. in prima editione conſil. 39. nu. 15. & 18.* Vega *tom. 2. ſum. cap. 34. caſu 65.* Rodrig. *tom. 1. ſumm. cap. 235. concl. 5. num. 5.* quia per accidens ſunt impotentes, & impotentia per accidens non impedit matrimonium. ¶ Sed falluntur: quia impotentia perpetua, etiamſi ex accidenti proueniat, impedit matrimonium: nam cui virilia amputata ſunt, vel teſticuli extracti, non erat à naturâ, ſed ex accidenti impotens, & tamen eſt inhabilis ad contrahendum: ſimiliter qui ex maleficio impotens factus eſt. Ità Candid. *dub. 14. concl. 27.* Soto *art. 2.* Palaus *num. 5.* Sanch. *nu. 24.* Bonacina *num. 18.* Diaſt. *num. 476.* Imò etiam ſi poſſint vas fœminæ penetrare, ſi non ſeminare intrà illud, nec ullâ arte ad id adiuuari, inhabiles ſunt ad matrimonium: quia utrumque requiritur ad conſummationem matrimonij, & ut coniuges fiant una caro. Candid. *loc. cit. concl. 28.* citans Lopez, & Viualdum.

*Moribundi validè contrahũt, imò ad id multoties tenentur.*

128. Moribundus quantumuis in extremis conſtitutus, ſi eſt rationis compos, validè contrahit matrimonium: quia veram potentiam generandi habet, quamuis pro illo tempore impeditam, & talis impotentia non eſt ex genere ſuo, & modo perpetua, niſi per morbum penitùs fuiſſet ablata, quod non creditur, niſi manifeſtè conſtet. Et non ſolùm poteſt contrahere, ſed multoties ad id tenetur, quandò eſt neceſſarium ad conſulendum honori fœminæ honeſtæ famæ, quam cognouit, vel ad legitimandam prolem, quam fortè ex eâ ſuſcepit, quæ legitimatur per tale coniugium *cap. Tanta. Qui filij ſint legitimi.*

*Eunuchi impedimẽtum dirimens iure naturæ habẽt ad matrimonium.*

129. Spadones verò, ſeu eunuchos utroque teſticulo orbatos non poſſe validè contrahere cõſtans eſt Doctorum ſententia, de quâ dubitari non licet poſt declarationem Sixti V. editam *anno* 1587. quæ incipit: *Frequenter in iſtis regionibus.* Vbi prorſus horum matrimonium annullat, ſeu potius declarat iure naturæ eſſe nullum: quia licèt huiuſmodi eunuchi poſſint vas fœminæ virili inſtrumento penetrare, non tamen verum ſemen intrà illud effundere: ſi quandò enim aliqui illorum ſemen emittere videntur, illud tamen non eſt verum ſemen, quantumuis illi ſimile, ſed humor quidam, ſeu materia aquoſa veri ſeminis naturam non habens: & ſic etiam à ſemine ſterilium, aut ſenum, qui veram naturam ſeminis

nis habent, diuerſam. Qui verò altero te ſtieulo dumtaxat ſuot orbati, validè contrahere poſſunt: quia verum ſemen emittere, imò generare valent, oon verò ſi utroque teſtieulo orbati ſint, vel illi, quibus ſunt virilia amputata propter rationem datam Ledeſ. *art.*: *dub.*3. Cornejo *dub.*30. Sanch. *nu.* 17. Dieaſt. *n.*475. Auerſ. *ſect.*2. Palaus *punct.* 14. ſ.2. *nu.* 1. Candid. *dub.* 12. Quinimò eunuchi imperfecti, illi videlicet, qui habentes utrumque teſticulum, illom contuſum habent, non poſſunt coniugium inire: quia lieèt aliquandò ſeminent, ipſorum ſemen cum prolifieo non eſt eiuſdem naturæ. Ità Soto *art.*2. Bonac. *nu.* 19. Dicaſt. *loc cit.*

*Qui ex maleficio eſt perpetuò impotens, eſt inhabilis ad matrimonium.*

130. Poteſt etiam alia impotentia ex aeeidenti prouenire, ut arte dæmonis per malefieium, & poteſt eſſe perpetua, & tunc irritum reddet matrimonium, ut conſtat ex *cap. Final. de frigid. & maleſ.* & docet D. Thom. *quæſt.* 58. *art.* 2. Ledeſ. *ibi*: Bonacina *num.* 9. Baſil. *cap.* 65. Sanch. *num.* 8. Auerſ. *ſect.* 2. Cornejo *dub.* 37. Perez *nu.* 5. Dieaſt. *nu.* 521. quia malefieiatus eſt impoſſibilitatus ad eopulam reſpectu illius, reſpectu euius maleficium patitur, & nemo poteſt obligari ad impoſſibile. Colligitur autem ex maleficio hanc impotentiam prouenire, ut ſi vir, qui in ſomnis pollueretur, vel exeitaretur ad alias fœminas, ad ſuam uxorem æquæ, aut maioris pulebritudinis cum alijs, immobilis permaneret, & illam auerſaretur vix eooſeius cauſæ, vel ſi fœmina ita coarctaretur virtute dæmonis, ut à viro noo poſſet eognoſci, cum tamen poſſet ab alio eiuſdem complexionis viro, vel ita illi repræſentaretur horrendus vir, ut ab eo plus quàm à dæmone fugeret, cum ramen ad alios moueretur, & alijs vijs uſus matrimonij à dæmone impediretur, ut videre eſt apud Saoch. *diſp.* 94. in ioitio Dieaſt. *nu.* 516.

*Quādo ex maleficio cenſeatur impotentia perpetua?*

131. Et tunc dieitur perpetua huiuſmodi impoteotia ex maleficio prooeniens: quandò poſt experientiam trieonalem nullo bumano remedio lieitè tolli poteſt: ideoque ſi miraculo tolleretor, noo ob id deſineret eſſe perpetua, ſi autem tolleretur, vel tolli poſſet exorciſmis Eeelſiæ, orationibus, ieiuoijs, eonuerſione coniugum ad Deum per veram pœnitentiam, non eſt dieenda perpetua: & ſie matrimonium erit validum: quia eum hic effectus ſoleat à Deo eoneedi ex bis cauſis oon cenſetur miraculoſus, noo enim omne, quod ſupernaturaliter fit, miraeuloſè fit, niſi fiat inſueto modo, Soto *art.* 3. ſ. *Vnum autem* Bonac. *nu.* 4. Candid. *dub.* 5. & 22. Conioch *n.* 85. Dicaſt. *nu.* 425. Auerſ. *ſect.* 2. Sanch. *lib.* 10. Si autem per aliud maleficiom remoueri poſſet, & oon aliter, cenſenda eſt perpetua: quia maleficium eſt peecatum grauiſſimum, & impotentia, quæ non oiſi per peccatum tolli poteſt, perpetua eſt, D. Tho. *in* 4 *diſt.* 34. *quæſt. unic. art.* 3. *ad* 3. & colligitur ex *cap. fin. de frigid. & maleſ.*

*Quomodò poſſit, vel nō liceat per maleficium ſolui maleficium?*

132. Non licet alio malefieio malefieium ſoluere quamuis paratus ſit maleficus maleficia exercere: quia eſt intrinſecè malum, & non ſunt facienda mala, neque ad illa concurrendum eſt, ut inde eueniant bona, qood ſecùs accidit de mutuum petente ab uſurario parato uſuras exercere, vel iuramentum ab idololatrâ iuraturo per Deos falſos: quia petens mutuum ab uſurario, bonum ex ſe petit, quamuis ex malitia eius malefiat; & iuramentum per Deum verum fieri poteſt, etſi ab idololatrâ iuretur per Deum falſum; & ideò non eſt licitum petere iuramentum falſum ab eo, qui paratus eſt falsò iurare: quia hoc intrinſecè malum eſt, Cornejo *dub.* 37. Dicaſt. *nu.* 533. Candid. *ſupr. dub* 24. Poteſt tamen adiri maleficus, ut deſtruat ſignum, in quo peractum eſt maleficium, ut maleficij ligaturas, quas habet ſuſpēſas, vel occultas, tollat: quia hoc non eſt maleficium facere; ſed id tollere, & opera dæmonis lieitè poſſunt diſſolui, Soto *quæſt. unic. art.* 3. ſ. *Eſt tamen.* Auerſ. *ſect.* 2. Vndè ſi viuat opifex maleficij, & illud ſignum apud ſe retineat, ita ut poſſet illud, ſi vellet, auferre, & ſic malefieium diſſoluere, adhue valet matrimonium: quia non eſt impotentia perpetua, quæ ſine miraculo, aut peceato auferri nequeat, Sanchez *num.* 11. Si maleficus plura ſciat remedia ad auferendum maleficium, alia licita, alia illicita, poteſt quis adire eum, & rogare, ut tollat, quamuis ipſe aliàs medio illicito utatur. Imò etiamſi hoc ſibi conſtet, ſicut eſt licitū petere ab uſurario mutuum, vel ab infideli iuramentum, etiamſi conſtet id illicitè facturum, Ledeſ. *quæſt.* 58. *art.* 2. *dub.* 2. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 50. *num.* 539. Sanch. *diſp.* 105. *num.* 22.

*Impotentia perpetua ſuperueniēs non ſoluit Matrimonium.*

133. Hucuſque dicta intelligenda ſunt de impotentiâ perpetuâ matrimonium antecedenti. Si tamen matrimonio iam contracto ſuperueniat, ſiuè ex naturâ contingat ob frigiditatem viri ſuperuenientem, vel arctationem fœminæ: ſiue ex accidenti, ut ex maleficio, aut caſtratione, ſiuè ſuperueniat matrimonio conſummato, ſiuè tantummodò rato, illud minimè irritat: quia matrimonium eſt omninò indiſſolubile, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio contingat diſſolui, & impotentia, qua reddit perſonas inhabiles ad contrahendum, non babet vim ad diſſoluendum illud iam contractum, & ſic indiſtinctè de matrimonio rato, vel conſummato, habetur in *cap. Si uxorem* 32. *q.* 5. & *c. Hi, qui* 32. *quæſt.* 7. Hanc tenent communiter theologi.

*Quomodò liceat his impotentibus copula, vel conatus ad illā?*

134. Si ita ſuperueniat impotentia, ut vir ob frigiditatem, vel nimium calorem non poſſit intrà vas fœminæ ſeminare, vel illa ita coarcta fuerit, ut à viro penetrari nequeat, & hoc experimento iam conſtet, non licet eos conari ad copulam cum periculo pollutionis: ſed abſque illo licet. Et ſimiliter liceot eis tactus, oſcula, aſpectus, &c. Vt inter alios coniugatos, quia iſti veri ſunt coniuges. Et licet hos actus ad copulam coniugalem, tamquam ad impoſſibilem referre nequeant; poſſunt referre eos ad concupiſcentiam carnis ſedandam, & mutuam beneuolentiam fouendam. Ità Soto *in* 4. *diſt.* 34. *qu. unic. art.* 2. ſ. *Ex quo fit*, Cand. *diſq.* 28. *art.* 43. *dub.* 29. Si tameo impotētia ſuperueniens ſit effundendi verum ſemen, vel ob frigiditatē, vel ob ablationem teſticulorum, vel ob aliam rationem, cum tamen verè poſſit vir elauſtra pudoris penetrare, licet inter illos conatus ad copulam, ſicut anteà propter eandem rationem Palaus *diſp.* 4. *punct.* 13. ſ. 2. *nu.* 11. Toler. *lib.* 7. *ſum. cap.* 12. *nu.* 4. N. Gabr. *diſ.* 6. *nu.* 154. ¶ Si verò dubium ſit de tali impotentia perpetuâ, etiamſi multoties conando ad copulam extrà vas ſeminent, poſſunt depoſitâ conſcientiâ ad illam conari, maximè ſi aliquandò experti ſunt non ita fieri. Et idem dicendum eſt de ſenibus decrepitis, quibus non eſt denegandus uſus matrimonij, niſi de impotentiâ perpetuâ conſtet: quia in *c. Laudabilē de frigid.* cōceditur triennalis experientia impotentibus, de quorum impotentiâ dubitatur, & tamen illo tempore multoties extrà

vas

vas ſemen effundere continget, Caiet. 2.2. *quæſt.* 154.*art.*1.5.*Ad* 2. *verò caſum*, Sanch. *lib.*9. *diſp.*17. *num.*20. Enriq. *lib.*11. *cap.*14 *num.*4. Palaus *diſp.* 4 *punct.* 13. §.2.*num.*11.

## PVNCTVM XII.

*Quid faciendum ſit, quando eſt impotentia perpetua? Et quid, quandò de illâ dubitatur?*

*Si de impotentiâ conſtet perpetuâ, nullū eſt ſtatim matrimonium.*

135. SI impotentia ſit certa, undecumque illa proueniat, & perpetua, & de hoc conſtet, ita ut probabiliſſimum ſit eſſe impotentiam perpetuam abſque probabilitate oppoſiti, non poſſunt admitti ſic impotentes ad matrimonium. Si tamen illud contraxerint, alter conſcius impotentiæ ſtatim reclamare debet, ut ab Eccleſiâ ſeparentur. Si verò abſque ſcandalo id fieri poteſt, ipſi propriâ authoritate poſſunt ſeparari, & qui impotentiâ non laborat, ad alteras nuptias peruenire: quia priùs matrimonium erat iure naturæ nullum, Sanchez *diſp.*97.*num.*8. Candid. *dub.*25. *concl.*52. Si verò abſque ſcandalo ſeparari propriâ authoritate nequeunt, debent reclamare coram iudice Eccleſiaſtico, à quo ſaltem quoad torum ſeparandi ſunt, etſi alter petierit, etiam quoad habitationem non expectatâ triennali experientia: quia hæc à iure conceditur pro impotentiâ perpetuâ dubiâ, non pro certâ Baſil. *num.* 3. Dicaſt. *numer.* 566. Sanchez *diſp.* 107. *à num.* 3. Gutierr. *de Matrim. cap.* 120. *à num.*2. & omninò ſunt illis illiciti aſpectus, tactus, oſcula, &c. tendentia ad uſum matrimonij: quia nullum eſt inter illos tale coniugium, Conimcb *num.* 83. Palaus *punct.* 14. §. 9. *num.*3. Bonacina *num.*20. ¶ Si verò velint ut frater, & ſoror cohabitare mutuo conſenſu ſine periculo incontinentiæ, permittendi ſunt, *cap. Conſultationi, c. laudabilem de frigid. & maleſ.* Soto *in* 4. *diſtinct.*14.*q.unic. art.*2. *ad fin.* Coninch *ubi immediatè*, Sanchez *diſp.*97.*num.*4. Enriq. *lib.*12.*cap.*7. *num.*7. Bonacina *loc.cit.* Neque Sixtus V. in ſuo proprio motu aliquid contrà hoc ſtatuit: quia ſolùm iubet Eunuchos, qui contraxerant, ſeparari: quia incontinenter viuebant, vel in eodem lecto cum uxoribus dormiebant.

*Quid, ſi impotentia ſit dubia, & adhibitâ diligentia, res ſub lite permaneat.*

136. Si dubium ſit de impotentiâ, an perpetua fuerit, vel non, an matrimonium, nec ne conſummatum fuerit, & ſufficienti adhibitâ diligentiâ res in dubio permaneat, validum cenſendum eſt matrimonium. Et ideò allegranti contrà illud incumbit probatio, quæ ſi non adhibita fuerit, validum iudicatur matrimonium: quia quilibet naturaliter ſupponitur potens, quandò oppoſitum apertè non conſtat, Soto *in* 4.*diſt.*34. *quæſt. unic. art.*2 §.*Rogas autem.* Auerſ. *quæſt.*13. *ſect.* 4. Gandid. *diſq.*28. *art.*13. *dub.*35. ¶ Si ſit certa impotentia perpetua, dubium autem ſit, an anteceſſerit, vel ſequuta fuerit ad matrimonium, iudicandum eſſe in fauorem matrimonij, ac proindè ſequutam fuiſſe ad illud, tenet Sanch. *diſp.* 103. *nu.* 5. Reginal. *dub.*31. *num.*105. Gutierr. *de Matrim. cap.*116.*num.*3. Palaus *diſp.*7. *punct.*14. §.7.*nu.*3. Sed verius dicendum eſt in tali caſu iudicandum eſſe præceſſiſſe: & ſic irritum eſſe matrimonium: quia in dubijs iudicandum eſt in fauorem matrimonij, quandò matrimonium poteſt ſuum ſortiri effectum, id eſt, procreationem prolis, ad quam ordinatur, ne retorqueatur in eius præiudicium, quod in illius fauorem intenditur, *è Regula, quod gratia de Regul. iur. in* 6. Sed cum in caſu noſtro certa ſit impotentia, non poteſt matrimonium ſuum effectum ſortiri: ergò potiùs contrà illud eſt iudicandum. Bonac. *nu.*11. Candid. *dub.*35. *concl.*75. Auerſ. *ſect.*4. Syluest. *verb. Matr.* 8. *quæſt.*16. *dict.*9. Sa *eod. verb.* Enriq *cap.*8. *nu.*3. Veracrux *in ſpecul.* 1. *part. art.*40.

*Qualis diligentia adhibenda, ut de impotentiâ, an perpetua ſit, conſtet*

137. Si dubium fuerit, an impotentia perpetua fuerit, nec ne, & coniuges in iudicio reclament in illo iurare debent, ſe numquàm habuiſſe copulam conſummatam, ſed neque habere potuiſſe, cum frequentèr ad illam conati eſſent, *cap. Laudabilem de frigid.* &c. Et inſuper petit iſte Canon ſeptimanus propinquorum, vel vicinorum, id eſt, ſeptem propinquos adhibere ex parte illius, qui impotentiam objicit, & ſi non fuerint tot propinqui, ex vicinis ſuppleri debent, & ſi tot non adfuerint, arbitrio iudicis relinquitur, quot fuerint neceſſarij, qui non debent iurare coniuges numquàm copulatos fuiſſe, ſed ita ſibi perſuaſum habere, vel ab eis audiuiſſe. Inſuper requiritur inſpectio fœminarum honeſtarum, & peritarum artis in hac materiâ reſpectu fœminæ, vel virorum honeſtorum, & artis peritorum reſpectu viri: qui ſi iudicauerint ut certam impotentiam moraliter, ſtatim ſeparandi ſunt, nec triennalis experientia concedenda. Si verò dubitauerint, vel ſolùm probabiliter id eſſe cenſuerint, talis triennalis experientia datur modo ſtatim adducendo; quamuis Baſil. *lib.*7.*cap.*63 hoc remedium inſpectionis fœminarum, aut virorum tamquàm inutile, & indecens remouendum cenſeat: ſed verè honeſtatur ratione neceſſitatis, ſi alia viâ impotentia cognoſci non poſſit, & licèt non poſſit ex eo certum iudicium ſumi, aliquandò poterit, vel ſaltem iudicium probabile, ut Eccleſia ad alia remedia procedat, quod etiam innuitur *cap. penult. de probationib. & cap. Fraternitatis de frig. &c.*

*Quomodò datur triennalis experientia? Et quid in illo triennio liceat.*

138. Sed ſi adhuc de impotentia perpetuâ dubium perſiſtat, in *cap. Laudabilem de frigid. &c.* datur coniugibus triennium, ut poſſint experiri, an perpetua, nec ne ſit illa impotentia, quo tranſacto, ſi non poſſint matrimonium conſummare, & de hoc conſtet in iudicio per coniugum depoſitionem, & iuramentorum, & ſeptimanum conſanguineorum, ſeparandi ſunt quoad torum, vel omninò ſi alter petat; vel ſit periculum quòd non caſtè viuant, niſi fraternæ ſocietatis vinculo inter ſe viuere conſentiant. Semper tamen, ut ſeparentur, requiritur Eccleſiæ authoritas, tum ad euitandum ſcandalum, tum etiam propter erroris periculum. ¶ Hoc triennium computandum eſt à tempore, quo primo tentauerunt conſummare matrimonium iuxtà veriorem ſententiam, quod ità continuare debent, ut ſaltem maiori anni parte toro utantur Sanc. *lib.*7. *diſp.*110.*n.*4. Conin. *diſp.*31. *dub.* 7.*n.*83. & in illo tempore licitum eſt inter illos conari ad copulam, etiamſi per accidens pollutio extrà vas eueniat: quia dant operam rei licitæ in iure conceſſæ; & præter illorum intentionem accidit extrà vas effuſio ſeminis Sot. *in* 4. *diſt.*34.*q.unic. art.*2.5.*Qua propter* Candid. *diſq.*28.*art.*13.*dub.*35. *concl.* 69. Sunt etiam liciti inter eos omnes alij actus qui inter alios coniugatos. Et tenentur procurare etiam adhibito medicamento, ſine grauis morbi periculo, ſe potentes reddere: quia cum mutuò obligentur ad uſum matrimonij, etiam

ad

ad ea, quæ ad id neceſſaria ſunt, tenentur, Coninc *diſp.* 31. *dub.* 7. *num.* 83. Tranſacto illo tempore, ſi conſummare non valuerint experiri ampliùs non poterunt: quia tunc cenſetur perpetua impotentia, & matrimonium nullum. Cornejo *diſp.* 7. *dub.* 35. *in fin.* Candid. *diſq.* 28 *art.* 13. *dub.* 26. Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 13. *num.* 20.

*Quid, ſi poſt ſeparationem conſtet non fuiſſe impotentiam perpetuam*

539. Factâ ſeparatione poſt triennalem experientiam ille, per quem non ſtat conſummatio matrimonij, quia potentiâ pollet, aliud inire poteſt coniugium, alter verò non; ſi ſit impotens abſolutè, quia cuiuſcumque connubij eſt incapax, ſecus verò ſi eſſet impotens dumtaxat reſpectiuè comparatione ad illam perſonam: quia tunc contrahere poteſt cum alia, cum quâ non habeat talem improportionem. Si verò propter impotentiam naturalem nimirum ob frigiditatem viri, quam diximus ſemper abſolutam eſſe, ſeparati fuerint, & poſteà conſtet experientia non eſſe talem impotentiam perpetuam, quia abſque miraculo, peccato, aut mortis periculo factus eſt potens, vel quia aliud contrahens matrimonium expertus eſt id potuiſſe conſummare, vel alio modo, ſeparandus eſt à ſecundo matrimonio, & reddenda eſt ei uxor, à quâ ſeparatus eſt, etiamſi illa cum alio matrimonium contraxerit: quia ſecundum matrimonium fuit nullum, & prius validum, cum conſtet impotentiam ſolùm fuiſſe temporalem, *cap. Laudabilem, cap. Fraternitatis, de frigid. & maleficiat*: Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 13. *num.* 8. Gutierr. *cap.* 112. *num.* 7. Sanch. *diſp.* 93. *numer.* 10. Non verò ſi conſtaret eſſe talem impotentiam reſpectiuam. Igitur reſtituenda eſt illi uxor, & inſtaurandum matrimonium, & illis concedendum eſt aliud triennium, ut experiantur, an poſſint matrimonium conſummare, *cap. Fraternitatis cit.* & ſi poſt illud, ſecundò ab Eccleſia ſeparentur, nunquàm ad matrimonium ampliùs reſtituuntur. Coninc, *diſp.* 31. *dub.* 7. *num.* 84. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 99. *num.* 34. Candid. *diſq.* 28. *art.* 13. *dub.* 38.

*Quid, ſi poſt ſeparationem religionem ingrediatur?*

540. Si verò contingat, quod poſt ſententiam iudicis primam de impotentiâ perpetuâ, & abſolutâ, coniux ingrediatur religionem, & experiatur non eſſe talem impotentiam perpetuam, quia in ſomnis erigi, aut pollui cognoſcit, vel quia ſtimulis carnis, quos anteà non ſenſerat, exagitatur, vel alijs ex cauſis, ſi non eſt profeſſus, tenetur ad uxorem redire, & iſta ad illum, etiamſi ad alias nuptias peruenerit: quia prius matrimoniũ fuit validum: non poſterius. Si verò profeſſus fuerit, vel proximus profeſſioni, non tenetur ad coniugem redire. *cap. Ex publico de conuerſ. coniugt.* quia ſupponimus matrimonium non fuiſſe conſummatum, cum ſit de impotentia perpetua lis: ſed tantummodò ratum: matrimonium autem ratum per profeſſionem religioſam diſſoluitur, vel proximè diſſolui poteſt, ut ſuprà diximus, *cap.* 4. *num.* 75. Cæterum ſi alter coniux antè profeſſionem cum alio contraxit, ab eo ſeparandus eſt, niſi de nouo poſt profeſſionem velit cum ipſo matrimonium inire, & non ſubſit aliud impedimentum: quia cum impotentia non eſſet perpetua, prius matrimonium erat validum, & non erat ante profeſſionem, per profeſſionem diſſolutum. Ledeſ. *quæſt.* 58. *art.* 2 *dub.* 1. *concluſ.* 7. Sot. *in* 4. *diſtinct.* 34. *quæſt. unic. art.* 2. *concluſ.* 4. Bonacin. *quæſt.* 3. *punct.* 13. *num.* 22. & 25. Sanch. *libr.* 7. *diſput.* 99. *num.* 37. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 53. *à num.* 585.

*Quid, ſi in ſacris conſtitutus fuerit, & impotentiam non eſſe perpetuam conſtiterit.*

141. Si in caſu, de quo diximus, *num. præcedent.* poſt ſententiam à iudice latam de impotentiâ perpetuâ, & abſolutâ, vir Sacros Ordines recipiat, & ipſe experiatur poſteà ſe non eſſe impotentem, ſi alteri nupſerit uxor, ab eo ſeparanda eſt: quia matrimonium erat validum, cum eſſet temporalis impotentia, & Eccleſia decepta eſt à coniugibus, vel ab alijs deponentibus de perpetuitate, & per ſuſceptionem ordinum validum matrimonium, etiam non conſummatum non diſſoluitur. Debet autem vir uxori reſtitui, ipſâ petente, ipſe verò non poteſt eam repetere: quia ex voto in Ordinibus emiſſo, ad continentiam ex ſuâ parte obligatur: ſi verò illa repetierit, & ad conſortium ipſius vir reſtituatur, tenetur reddere debitum, non verò poteſt petere illud: ſicut qui voto caſtitatis ſimplici ad nuptias peruenit; nec valet, quòd ex errore Ordines ſuſceperit: quia talis error ſe habuit ut remouens prohibens ad hoc, ut in ſacris conſtitueretur, non tanquàm finis, aut cauſa motiua, cum poſſet in ſtatu laicali permanere: ad Ordines quippe unumquemque accedere credẽdum eſt animo Deo in ipſis inſeruiendi, & in obſequijs illius proficiendi, ad quod Sacri Ordines deſtinantur. Syluest. *verb. Matrim. quæſt.* 21. & 22. *num.* 25. Candid. *diſq.* 28. *art.* 53. *dub.* 4. Sanch. *diſput.* 99. *num.* 40. Bonac. *nu.* 24. Dicaſt. *num.* 590. Rebell. *lib.* 3. *q.* 16. *ſect.* 4. *num.* 22.

## *De impedimento clandeſtinitatis remiſsiuè.*

142. IMpedimentum clandeſtinitatis inuenitur, quandò coniuges contrahunt, & non coràm facie Eccleſiæ, id eſt, abſque aſſiſtentiâ Parochi, & teſtium, quod proculdubio non eſt ex iure naturæ, ſed ex iure Eccleſiaſtico ſtatutum à *Trident. ſeſ.* 24. *cap.* 1. omnia, quæ dicenda ſunt circà hoc impedimentum, iam ſunt exarata ſuprà *cap.* 8. per totum.

## *De impedimento raptus.*

*Quid ſit raptus, ſecundum quòd impedit, non dirimit matrimonium*

143. DVplex impedimentum raptus in iure reperitur; aliud eſt impedimentum dirimens, de quo inſequenti puncto erit ſermo: aliud impedimentum ratione raptus præcisè impediens, quòd ſtatuitur in *cap. Statutum* 27. *quæſt.* 2. Et eſt, quandò vir alienam ſponſam ex domo proprij coniugis abducit: & hoc delictum non ſolùm impedit raptorem contrahere cum fœminâ, quam rapuit, ſed cum quacumque aliâ: quia qui alienum matrimonium perturbare auſus eſt, meritò priuatur proprio. Et non ſufficit ad hoc impedimentum, quod ſponſam de futuro rapiat, ſed debet eſſe ſponſa de præſenti, & coniux ſub viri poteſtate exiſtens: quia in iuribus odioſis, & pænalibus ſponſa de futuro non venit nomine ſponſæ: & etiam quia ſi in iure requiritur ad iſtam pœnam, quòd de domo ſponſi, ipſo repugnante, ſponſa abducatur, ſupponitur eſſe ſponſam de præſenti, quæ ſub eodem tecto cum viro degat. Sanch. *libr.* 7. *diſp.* 12. *num.* 45. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 2. §. 2. Vndè dicunt hi Auctores, quod ſi maritus conſentiat in talem raptum,

hoc impedimentum non inducitur: quia in eius fauorem eſt iure ſtatutum. At verò ſi fœmina, renitente viro conſentiat in raptum, & raptor impedimentum dictum incurrit, & ipſa fœmina: ita quòd viro eius mortuo nec cum raptore, nec cum alio nubere valeat propter hoc impedimentum.

144. Cæterum, ut de impedimento raptus dirimente loquamur, ſupponendum eſt, aliud eſſe loqui de raptu in ordine ad conſcientiam, ut ſciatur, quandò ſit ſpecialis ſpecies luxuriæ detegenda in confeſſione; aliud in ordine ad incurrendas pœnas iure Ciuili, & Canonico antiquo contrà raptores ſtatutas, de quibus modò non agimus: quia noſtri non eſt eas examinare, quamuis obiter, aliquid de illis dicemus: aliud in ordine ad pœnas iure nouo Tridentini aſſignatas contrà raptores, inter quas ſtatuitur impedimentum dirimens matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu ſub raptoris poteſtate eſt, nec loco tuto reſtituitur. Quo correctum fuit ius antiquum, *cap. Final. de raptorib.* ſecundùm quòd poterant raptor, & rapta contrahere, ipsâ liberè volente; & conſentiente etiam ſub raptoris poteſtate conſtitutâ: quare de his duobus *puncto ſequenti* agemus, & primò de raptu, qui eſt ſpecialis ſpecies luxuriæ: Secundò de pœnis ſpecialibus Tridentini, inter quas impedimentum dirimens matrimonium enumeratur.

## PVNCTVM XIII.

### *Quandò raptus ſit ſpecialis ſpecies luxuriæ? Quas pœnas raptores incurrant, & quomodò ſit raptus impedimentum dirimens matrimonium?*

*Quid ſit raptus, ſecundum quòd ſpecialem ſpeciem luxuriæ conſtituat?*

145. RAptus in genere, ſecundum quòd ſpecialem ſpeciem luxuriæ conſtituit diſtinctam ab inceſtu, adulterio, ſacrilegio, &c. Eſt *violentia fœminæ facta, causâ libidinis explendæ.* Diciturque ſpecialem luxuriæ ſpeciem conſtituere, ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 7. *ad* 2. eò quòd homo affectu luxuriæ impulſus vim inferat fœminæ virgini, vel corruptæ, aut his, ſub quorum poteſtate, & curâ illa degit. Habet duplicem malitiam: aliam contrà caſtitatem, quâ eſt fornicatio ſimplex (ſupponimus enim non inferre vim uxoratæ, aut conſanguineæ, aut virgini: quia ſic ultrà duas ſpecies habebit aliam vel adulterij, vel inceſtus, vel ſtrupi) aliam contrà iuſtitiam propter iniuriam, quam infert fœminæ, ſi ipſa diſſentiat, & raptori repugnet. Et quamuis ad raptum ſpecialiter ſumptum, de quo ſtatim dicemus, requiratur, quòd de loco ad locum fœmina abducatur, ad illum verò, ut conſtituit ſpeciem luxuriæ, non requiritur: ſed quòd per vim fœmina cognoſcatur: quia in hoc ipſo iniuſtitia committitur. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 7. Soto *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *verſ. de ſimplici verò*, Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 12. *num.* 31. ¶ Si verò fœmina ſub cura parentum, aut tutorum degat, & ipſa conſentiat in raptum, ſed repugnantibus his, & reſiſtentibus, ſub quorum tutelâ eſt, è domo illorum educatur causâ explendæ libidinis, datur vera ſpecies raptus in confeſſione detegenda: quia licèt fœminæ in illo caſu iniuria non irrogetur, nam volenti, & conſentienti non fit iniuria, fit tamen parentibus, & tutoribus, quam ipſa remittere nequit. Ita Dicaſt. *num* 88. Enriq. *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 4. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 7. Sanch. *loc. cit. num.* 35.

146. Raptus verò ſpecialis, de quo agit *Concil. Trident. ſeſ.* 24. *cap.* 6. qui directè pertinet ad præſens punctum eſt *violenta fœminæ abductio de loco ad locum causâ matrimonij. Dicitur violenta* quia ad raptum aliqua violentia requiritur vel phyſica, quâ per vim fœmina à ſua domo extrahitur; vel moralis per minas, & comminationes ſufficientes ad excitandum metum viri conſtantis. Ex quo patet, quòd ſi fœmina conſentiente è domo parentum, vel mariti, abducatur, non datur raptus, de quo Concilium, & nos modò loquimur: quia tunc non dicitur raptus fœminæ, ſed magis fuga illius. Si verò precibus importunis violentiam mulier patiatur, videndum eſt, an ſint preces importunæ ſufficientes ad metum viri conſtantis ſecundùm ea, quæ diximus *cap.* 9. *num.* 34. quod accidit quandò nimis prolixæ, & repetitæ ſunt ab eo, quæ timore reuerentiali reueretur: ita ut fœmina non audeat illi contradicere, & tunc erit raptus: quia violentiæ talis præces æquiparantur; Si verò ab alijs, præcibus quantumuis importunis, alliciatur, non erit, Sanchez *diſp.* 12. *num.* 10. & 32. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 58. *num.* 667. At verò ſi dolo, aut fraude mulier conſentiat in dictam abductionem, non datur raptus propriè dictus: quia licet auferant voluntarium, non inferunt vim, & violentiam propriè dictam, quæ requiritur ad raptum: ſicut rapina non dicitur, quandò doloſis fraudibus aliquis rem alienam rapit: quia ad illam requiritur, quod ipſo vidente, & repugnante res auferatur, propter ſpecialem malitiam, quæ in tali violentia reperitur, ita Dicaſt. *numer.* 668. Sanchez *diſput.* 13. *numer.* 11. & 12. Gutierr. *cap.* 86. *numer.* 14. & 15. Palaus *diſput.* 4. *punct.* 2. §. 2. *numer.* 15.

*Quid eſt raptus ſpecialis, de quo nunc agitur?*

147. Dicitur deinde in definitione *violenta fœminæ*, ut denotetur ſubiectum, quod vim paſſurum eſt. Non decidimus nunc, an debeat eſſe fœmina, quæ rapiatur? an verò ſi vir à fœminâ rapiatur, raptum conſtituat? Quia de hoc poſteà: ſed quod nomine illius innuitur, eſt, quod ſit quæcũque fœmina, ſiue virgo ſiue corrupta, ſiue uxorata, ſiue bonæ, vel malæ famæ: quia etiamſi meretrix eſſet, quæ rapitur, daretur raptus, de quo loquimur, ſufficiens ad pœnas Tridentini inducendas: quia in illo nõ tam attenditur ad iniuſtitiam, quam fœmina rapta patitur, quam ad involuntarium, quod per eum raptum inducitur, & quia libertas, ad matrimonium requiſita deſtruitur, quę verè tollitur, quæcumque ſit illa fœmina, quæ rapitur, Sanchez *lib.* 7 *diſp.* 13. *num.* 14. Veracruz *in appendice, ſol.* 81. § *hic conſiderandum* Palaus *diſp.* 4. *punct.* 2. §. 2. *num* 9. Vndè licèt ad incurrendas pœnas Iure Ciuili ſtatutas, *leg. unic. C. de raptu virg.* ut eſt pœna capitis, & applicatio bonorum raptoris ipſi fœminæ raptæ, requiratur, quòd illa ſit honeſtæ famæ, *leg. regia* 3. *tit.* 20. *part.* 7. quia in illis potiùs attenditur ad iniuſtitiam, quam ad involuntarietatem; non verò in præſenti propter oppoſitam rationem.

*Proſequimur explicationem definitionis rapt⁹.*

148. Dicitur deinde in definitione, quod ſit *abductio de loco in locum:* quia ad raptũ, de quo loquimur, non ſufficit, quod fœmina per vim cognoſcatur,

*Adhuc definitio explicatur.*

tur, ſed quod de loco, in quo eſt, ad locum, in quo ſit ſub poteſtate viri extrahatur, etiamſi turpiter non cognoſcatur ab eo: quia ad talem raptum copula non requiritur, ſed quod præciſè fœmina abducatur. Vndè ſi poſteà raptor, vel pœnitentia ductus, vel aliàs impeditus fœminam non cognoſcat, pœnas in Tridentino contrà raptores ſtabilitas incurrit: quia iam iniuſtitia irrogata eſt, & libertas, quæ ad matrimonium requiritur, impedita. Si tamen vir ſolum abducat fœminam de loco, in quo eſt, ut ea liberius fruatur in alio ſecretiori loco, ut ſi de camera in cameram illam transferat, non eſt propriè raptus, niſi eam de domo propriâ abducat, vel in loco conſtituat, in quo ſit ſub viri poteſtate, Coninc, *num.* 46. Dicaſt. *num.* 684. Sanch. *num.* 21.

*Concluditur explicatio definitionis.*

149. Denique dicitur, quod *fœmina abducatur causâ matrimonij*: quia ad raptum iſtum requiritur talis intentio. Vndè ſi fœmina è domo parentis abducatur non causâ matrimonij, vel ut in captiuitatem redigatur, vel aliâ ex causâ, non datur propriè raptus, Dicaſt. *dub.* 58. Sanch. *diſp.* 12. *n.* 17.

*Proponuntur verba Concilij, & explicantur*

150. His ſic ſtabilitis, videamus, quas pœnas aſſignet Tridentinum pro raptu, quem modò explicauimus; Verba illius ſunt iſta: *Decernit Sancta Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, etſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſiue eam uxorem duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.* Sed notandum eſt, quod ad hoc ut raptor tales pœnas incurrat, requiritur ſententia iudicis, exceptis duabus de inhabilitate contrahendi cum rapta, quamdiu manet in poteſtate raptoris, & de excommunicatione, quam dicit Concilium ipſo facto incurrere: non tamen eſt excommunicatio reſeruata: quia de hoc nullum habet verbum Concilium. Aliæ verò pœnæ, ut eſt dotatio mulieris, infamia raptoris, incapacitas ad dignitates, & gradus amiſſio requirunt ſententiam iudicis: nam de dotatione expreſsè aſſeritur à Concilio, de alijs teſtatur, Sanchez *diſp.* 13. *num.* 1. Palaus *num.* 10. Dicaſt. *num.* 676. Perez *diſp.* 38. *ſect.* 3. *num* 4. quia licèt regulariter pœna priuatiua incurratur ſine iudicis ſententia: ſecùs verò quandò pœna continet magnam acerbitatem, vel infamiam perpetuam, velit, ad quod illa conſequitur, ut eſt incapacitas dignitatum, aut gradus amiſſio.

*Non incurrit dictas pœnas vir, qui conſentiente fœmina eam abducit.*

151. Sed nunc reſtant quinque quæſtiunculæ breuiter enodandæ. Prima. An iſtas pœnas incurrat vir, qui conſentiente fœminâ eam è domo patris, vel tutoris, ſub quorum poteſtate eſt, abducit, ipſis repugnantibus? Reſpondetur negatiuè: & ſic poteſt raptor eam ducere, etiamſi in loco tuto non collocet. Ratio eſt: nam licèt hic ſit verè raptus in ordine ad alios effectus, & ad incurrendas pœnas iure communi ſtabilitas: quia in eo ſolum ad iniuſtitiam factam vel mulieri, vel eius parentibus aut tutoribus attenditur. At verò Concilium præcipuè intendit euitare, ne matrimonium inuoluntariè contrahatur, ad quod conſenſus ipſius fœminæ tantum requiritur: & ſic non meminit Concilium conſenſus, aut retitentiæ parentum, nec iubet mulierem reſtitui parentibus, ſed in loco tuto conſtitui, ubi ipſa ſponte de conſenſu, aut diſſenſu deliberet. Ita Cornejo *dub* 38. Sanch. *nu.* 13. & 14. Conin. *dub.* 4. Auerſ. *ſect.* 2. Gutier. *c.* 86. *n.* 17. Enriq. *n.* 4. Palaus *n.* 12. Dicaſt. *n.* 662. Perez *ſect.* 2. *n.* 2. N. Ant. *ſec.* 15. Econtrà verò ſi parentes in raptum conſentirent, & ipſa fœmina illi repugnaret, incurreret raptor pœnas à Concilio ſtatutas, nec poſſet cum illa nubere quamdiu eſt in ſui poteſtate.

*Non incurrit dictas pœnas. qui fœminam animo explenda libidinis, non contrahendi rapit.*

152. Secunda quæſtio eſt. An ſi raptor fœminam ipsâ repugnante abducat non animo contrahendi cum ea, ſed explendi ſuam libidinem, incurrat dictas pœnas, & non poſſit eam ducere, niſi in loco tuto collocet? Reſpondetur negatiuè. Tum, quia Concilium intendit fauere matrimonio, ne abſque debitâ libertate fiat, & raptorem coercere, ne ſub illâ ſpe matrimonij fœminam abducat: & ideò in toto *cap. de Matrimonio*, loquitur, & Rubrica illius ſeſſionis eſt *de reformatione matrimonij.* Tum etiam, quia hoc decretum Concilij eſt pœnale, & correctiuum iuris communis, *in cap. fin. de Raptorib.* & ſic debet reſtringi, non extendi. Ita Conin. *diſp.* 31. *dub.* 4. *in fine*, Palaus *diſp.* 4. *punct.* 2. §. 2. *nu.* 11. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 13. *nu.* 4. Gutierr. *cap.* 86. *n.* 8. Vega *cap.* 234. *notab.* 1. *caſu* 157. Dicaſt. *diſp.* 7. *dub.* 58. *nu.* 659. Leſſ. *lib.* 4 *cap.* 3. *nu.* 64. Perez *diſp.* 431. *ſect.* 4. *nu.* 3. Auerſ. *quæſt.* 12. *ſect.* 2. Diana 3. *p.* *tr.* 4. *reſ.* 261. Quamuis grauiſſimi Auctores conſiderantes Concilium generaliter, & indiſtinctè loqui, aſſerans ad has pœnas incurrendas non requiri fœminam rapi animo contrahendi cum eâ, quod eſt probabile. Ita Cornejo *dub.* 38. Bonac. *num.* 3. Ochag. *tract* 3. *qu.* 44. Veracruz *in Append. de ſpecul. coniugal. pag* 8. §. *hic conſiderandum.* N. Gab. *diſp.* 6. *num.* 570. & N. Ant. *num.* 502.

*Etiamſi ſponſam de futuro rapiat, dictas pœnas incurrit,*

153. Tertia quæſtio eſt. An ſi raptor eam abducat, quam de futuro ſibi deſponſauerat, pœnas Concilij incurrat? Affirmatiuè reſpondendum eſt cum ſententia communi: quia quamuis fœmina ſponſalia cum tali viro contraxerat, cogi non poteſt, ut fidem ſeruet: quia ſic matrimonij libertas impeditur, Cornejo, & Auerſ. *loc. cit.* Palaus *n.* 14. Sanch. *n.* 13. Dicaſt. *n.* 674. Gutierr. *cap.* 86. *nu.* 22. Quamuis pars negatiua ſit probabilis, quam tenent Enriq. *lib.* 12. *cap.* 14. *n.* 4. & 5. Leſſ. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 70. quia in *cap. lex illa* 36. *quæſt* 1. & *cap. penult. de raptorib.* aſſignatur pro conditione raptus quòd non ſit ſponſa fæmina, quæ abducitur. Nec valet dici loqui de ſponſa de præſenti: ſiquidem textus aſſerit, quòd inter illos non fuerit tractatus aliquis de matrimonio: & ſic Sanch. *diſp.* 12. *nu.* 55. fatetur in *cap. penultim. de raptorib.* ſermonem eſſe de ſponsâ de futuro.

*Etiam irritantur ſponſalia cum tali raptu contracta.*

154. Quarta quæſtio eſt. An ſicut matrimonium inter raptorem, & raptâ eſt nullum quamdiu mulier in loco tutò non collocatur: ſic etiam ſponſalia? Et ratio dubitandi eſt: quia lex, quæ pro matrimonio irritando ſtabilitur, non extenditur ad ſponſalia, ut diximus *cap.* 1. *num* 68. de decreto irritante matrimonium clandeſtinum, quòd non propterea irritat clandeſtina ſponſalia. § Sed dicendum eſt, præſens decretum etiam ad ſponſalia extendi, quia lex correctiua, & pœnalis extendenda eſt, ubi militat eadem ratio hoc in præſenti reperitur, ſiquidem etiam ſponſalia libertatem petunt, ob quam rationem Concilió irritauit matri-

monium inter tales perſonas contractum, quod in decreto irritante matrimonium clandeſtinum non reperitur: quia ibi non currit eadem ratio in ſponſalibus, & matrimonio, *ut loc. cit.* diximus: & ſic ad ſponſalia non extenditur, ut ibidem probauimus. Ita Cornejo *dub.* 38 Saneh. *num.* 17. Vega *tom.* 2. *cap.* 34. *caſu* 157. *notab.* 3. Rodrig. *tom.* 2 *cap.* 232. *num.* 3. Baſil. *num.* 6. Auerſ. *ſect.* 2. Bonac. *num.* 10. Dicaſt. *num.* 678.

*Non extenditur decretum Concilij ad fœminas raptrices.*

155. Quinta, & ultima quæſtio eſt. An dictas pœnas incurrat fœmina virum rapiens animo contrahendi cum eo? Reſpondetur, quod licèt aliqui dictum decretum Concilij extendant ad fœminas raptrices, quia fœmina, & vir in ordine ad matrimonium ſunt correlatiua, nihilominus, quia intẽtum Concilij eſt fauere fragilitati fœminarum, quæ ſunt magis expoſitæ violentijs virorum; & quia illarum raptus frequentiùs accidit; & ideò Concilium nunquàm de fœminis raptricibus mẽtionem facit, cum ter, aut quater de raptore loquatur; non eſt extendendum hoc decretum ad illas, cum ſit pœnale, & correctiuum iuris communis: & ſic eſt ſtrictè interpretandum, ubi non currit eadem ratio decidendi, ut in præſenti accidit. Ita Saneh. *diſp.* 13. *num.* 16. Veracruz *in Appendice ad ſpecul. de raptu*, *fol.* 84. 5. *Reſpondetur quod* Gutiert. *n.* 23. Bonac. *num.* 7. Dicaſt. *num.* 672. N. Gabr. *num.* 167. & N. Anton. *num.* 502.

## CAPVT XIII.

### *De impedimentis impedientibus in particulari.*

IMpedimenta, quæ præciſè impediunt matrimonium, ſunt in duplici differentia: alia non proueniunt ex delicto: alia, quæ ex delicto proueniunt; illa ſunt quinque, & his verſibus continentur.

*Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum*
*Atque catechiſmus, ſponſalia, cungito votum,*
*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Quæ proueniunt ex delicto ſunt ſeptem, & contenta iſtis verſiculis.

*Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,*
*Suſceptus propriæ ſobolis, mors Presbyteralis,*
*Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut monialem*
*Accipiat: prohibent hæc coniugium ſociandum.*

De quibus omnibus breuiter ſuo ordine agemus unico puncto ſequenti.

## PVNCTVM VNICVM.

*Explicantur impedimenta, quæ præciſè matrimonium impediunt in particulari. eorum obligatio deciditur & quis poſſit in illis diſpenſare.*

### *De prohibitione Eccleſiæ.*

*Quid ſit Eccleſiæ vetitum tempus.*

1. HOc impedimentum inuenitur, quoties Pontifex, Epiſcopus, vel etiam Parochus prohibet, ne matrimonium contrahatur pro tali tempore, vel ob euitandum tumultum, vel quia dubitatur, an ſubeat aliquod impedimentum inter contrahentes, hoc habetur *cap.* 1. *de Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.* Et tunc ſi contrà talem prohibitionem coniuges contrahant, regulariter peccabunt mortaliter: quia *in dict. cap.* grauibus mulctantur pœnis ſic cõtrahentes. Quod indicat ſub graui culpa eos teneri tale præceptum obſeruare, niſi in tali die matrimonium prohibeatur fieri, ob venerationem alicuius feſti: quia tunc licet matrimonium celebretur, non videtur grauiter offendi feſti veneratio. Ita Baſil. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 8. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 15. *num.* 4. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 2. §. 1. *num.* 1.

### *De tempore feriato.*

*Quid ſit tempus feriatum?*

2. SEcundum impedimentum eſt tempus feriatum, quo coniuges impediuntur contrahere ſolemniter, temporibus ab Eccleſia pro ſolemnibus benedictionibus, prohibitis: quæ ſunt iure nouo *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 10. à Dominica prima Aduentus incluſiuè, uſque ad diem Epiphaniæ incluſiuè, & à feria 4. Cinerum incluſiuè, uſque ad octauam Paſchæ: quia his Temporibus optans Eccleſia fideles, ieiunijs, orationibus, & pijs operibus vacare, ſolemnes nuptias interdixit. Sed per nuptias ſolemnes illæ intelliguntur, quæ cum benedictionibus ſolemnibus, vulgo *velaciones* fiunt. Quare traductio ſponſi in domum ſponſæ, quam conuiuia publica, choreæ, aliaque ſigna publica lætitiæ comitantur, ſub hac prohibitione non comprehenduntur, ut benè inquit Gaſpar Hurtad. *diſp.* 25. *diff.* 2. *num.* 3. Baſil. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 14. Saneb. *lib.* 7. *diſp.* 7. *à num.* 7.

### *De catechiſmo.*

*Quid ſit Catechiſmus?*

3. CAtechiſmus eſt illa inſtructio, ſeu profeſſio fidei, quæ fit ante ianuam Eccleſiæ ſuper baptizando ſeu nomine eius, & habetur *in cap. Ante Baptiſmum de Conſecratione diſt.* 4. Sed quia hoc impedimentum ſublatum eſſe per *Tridentin. ſeſſ.* 24. *cap.* 2. probabilius iudicamus: quia eſt cognatio ſpiritualis imperfecta, & Concilium ibi ſtatuit nullum impedimentum cognationis ſpiritualis conſtitui, niſi inter leuantem, & baptizatum, eiuſque patrem, & matrem: ideoque tollere videtur impedimentum, quod erat antiquitus inter profeſſorem fidei, & baptizatum: Cum dicat: *Omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis ſublatis.* Quod tenet Saneb. *diſp.* 10. *num.* 12. Conineb *diſp.* 30. *dub.* 3. *num.* 34. Hurtad. *diſp.* 25. *diff.* 1. *num.* 24. Baſil. *lib.* 6. *cap.* 11. *circà fin.* Palaus *diſp.* 4. *punct.* 2. §. 2. *num.* 9. In eo amplius non immorabimur.

### *De ſponſalibus.*

*Quomodo ſponſalia impediant matrimonium?*

4. SPonſalia contracta cum una perſona, impediunt iure naturæ, contrahi matrimonium cum alia: quia eſt contrà fidelitatem, & iuſtitiam, rem uni promiſſam, alteri tradi. Hoc impedimentum durat, quamdiu ſponſalia ex iuſta cauſa non diſſoluuntur: illis enim diſſolutis ob iuſtam cauſam, ex his, quæ *cap.* 2. *huius tractatus* enumerauimus, ceſſat hoc impedimentum.

De

### *De voto.*

*Quomodo votum impediat matrimonium.*

5. QVintum impedimentum eſt votum ſimplex caſtitatis, vel non nubendi, vel ſuſcipiendi ordines, vel Religionem ingrediendi: Habetur *in cap. vnico de voto in 6. cap. veniens, cap. rurſus. Qui Clerici vel vouentes.* Quia obſeruatio talis voti pugnat cum matrimonio, vel cum his, quæ ad illud conſequuntur: & hoc etiam eſt verum, quandò votum eſt conditionatum, ut ſi aliquis voueat ſe non contracturum quamdiu pater viuit: nam licet non ſit votum perfectum; ex eo tamen tenetur vouens euentum conditionis expectare: & ideò uſque dum pater mortuus ſit, non poterit licitè nubere.

### *De inceſtu.*

*Qualis inceſtus impediat matrimonium?*

6. QVandò vir cum conſanguinea uxoris copulam habet, vel uxor cum conſanguineo viri, contrahit hoc impedimentum, ne poſſit amplius nubere, *cap. 1. cap. tranſmiſſæ de eo qui cognouit conſanguineam uxoris.* Hoc impedimentum iure nouo *Trident.* extenditur ad ſecundum gradum, ſi copula habita ſit cum conſanguineis uxoris de præſenti, *ſeſſ. 24. cap. 4.* & tradit Sanch. *lib. 7. diſp. 15 num. 4.* Gutierr. *cap. 87. num. 5.* Palaus *diſp. 4. punct. 2. §. 2. num. 2.* Si verò habita fuerit copula cum conſanguineis ſponſæ de futuro, arbitratur idem Sanch. *num. 5.* Gutierrez *num. 8. &* Palaus *nu. 3.* extendi ſolum ad primum gradum, & conſequenter extrà illum non conſtitui inceſtum: requiritur autem quòd ſcienter commiſſus ſit inceſtus, *cap. 1. de eo, qui cognouit conſanguineam.* An verò ſatis ſit virum cognoſcere ſe inceſtum committere, etſi neſciat, hoc impedimentum ex inceſtu contrahere? Affirmat Sanch. *lib. 7. diſp. 32. num. 50.* cum alijs. Sed nos oppoſitum tenemus iuxtà dicenda infrà. Debet ſimiliter eſſe inceſtus voluntarius, non violenter commiſſus, *cap. diſcretionem, de eo qui cognouit conſanguineam.* Denique debet eſſe inceſtus per copulam conſummatam: Quare ſi ſemen extra vas fœminæ legitimum emittatur, non conſtituit affinitatem, nec hoc impedimentum inducit, Sanch. *diſp. 11. n. 11.* Palaus *loc. cit. num. 6.* Cornej. *diſp. 7. dub. 29. de inceſtu.*

*Duplex quæſtiuncula enodatur.*

7. Sed nunc reſtat duplex difficultas enodanda. Prima. An inceſtus commiſſus cum proprijs conſanguineis eius, hoc impedimentum generet? Secunda. An mortua uxore, inceſtus commiſſus cum conſanguineis illius hoc impedimentum inducat? Ad primam quæſtionem negatiuè reſpondendum eſt: quia licet talis inceſtus in ſe grauior ſit; non tamen eſt ita contrà matrimonium, ſicut inceſtus habitus cum conſanguineis uxoris: quia hic impedit uſum coniugij; non ille. Ita Cand. *diſq. 28. art. 16. dub. 1.* Armill. *verb. Matrim. num. 57.* N. Cornejo *diſp. 7. dub. 29.* Et propter eandem rationem etiam reſpondendum eſt ad ſecundam quæſtionem negatiuè: quia Eccleſia hoc impedimentum introduxit in pœnam criminis, quo, per inceſtum cum conſanguinea alterius coniugis impeditur uſus matrimonij cum legitima coniuge: quæ ratio ceſſat, poſtquam ea defuncta eſt. Ita Candid. Cornejo *loc. cit.* & Soto *in 4. diſt. 37. quæſt. unic. art. 1. concluſ. 4. §. quod ſi roges.*

### *De raptu.*

*Quid ſit raptus remiſſiue?*

8. QVomodo raptus ſit impedimentum impediens, & non dirimens matrimonium, diximus *cap. præcedenti, punct. 13. num. 143.*

### *De uxoricidio.*

*Quomodo uxoricidium ſit impedimentum matrimonij?*

9. INtelligitur hoc impedimentum, non de uxoricidio facto animo contrahendi aliud matrimonium; quomodo diximus *cap. præced. num. 55.* conſtituere impedimentum dirimens matrimonium; ſed de illo quocumque animo facto, vel ob iram, vindictam, vel aliâ causâ, huiuſmodi impedit matrimonium cum quacumque perſona; etiamſi uxor deprehenſa fuerit in adulterio: quia, quamuis leges Ciuiles uxoricidium in tali caſu non puniant; lex verò Canonica conſtituit hoc impedimentum cuicumque uxorem illicitè occidenti, *cap. interfectores, cap. admonere, cap. quicumque 32. quæſt. 2.* Ex quo patet, quod ſi uxor in adulterio comprehenſa auctoritate iudicis occidatur, quomodo iuſtè occiditur, non incurritur hoc impedimentum Sanch. *lib. 7. diſp. 16. num. 2.* Baſil. *lib. 6. cap. 14. num. 2.* Palaus *diſp. 3. punct. 2. §. 2. num. 17.* Cornejo *diſp. 7. num. 29.* non verò extenditur hoc impedimentum ad viricidium, ſed ad uxores, viros occidentes: quia de tali delicto mentio non fit in iure: nec currit eadem ratio, cum mulieres timidæ ſint, & non ita audeant tale facinus perpetrare, ſicut viri, qui propter audaciam ſuam ſunt magis procliues ad illud. Ita Sanch. *diſp. 16. num. 6.* Candid. *diſq. 28. art. 16. dub. 1.* Armill. *verb. Matrim. 58.* Syluest. *verb. Matrim. 7. quæſt. 6. dictione prima.*

### *De ſuſceptione filiorum.*

*Quomodo ſuſceptio prolis ſit impedimentum?*

10. HOc impedimentum ratione cognationis ſpiritualis incurritur, ſi coniux filios ex utroque habitos, vel filios alterius coniugis aut baptizet, aut de ſacro fonte leuet, aut in confirmatione teneat animo inſidiandi matrimonio, ſeu negandi debitum coniugale alteri, *cap. de eo 3. 4. quæſt. 1.* & meritò priuatur coniugio in perpetuum qui impedimentum appoſuit ei, quod habebat; & ideò, ſi ob neceſſitatem filium alterius coniugis baptizet, hoc impedimentum non incurritur: quia tunc nulla datur cognatio ſpiritualis impediens à petitione, ſeu redditione coniugalis debiti.

### *De morte Presbyterali.*

*Quomodo presbyteri occiſio ſit impedimentum?*

11. PEr mortem Sacerdotis incurritur etiam impedimentum, *cap. qui Presbyterum de Pœnitentijs, & remiſſionibus*, quia cum Sacerdos ex officio matrimonio aſſiſtere debeat, meritò illo in perpetuum priuatur, qui talem Presbyterum occidit. Requiritur autem ad incurrendum hoc impedimentum, quod homicida, & ſacrilegus ſit in foro externo conuictus de illo, non autem ſufficit, quod in foro pœnitentiæ, ut bene ex eodem *cap. probant* Candid. Cornejo *loc. cit.* Sanchez *diſp. 16. num. 9* Palaus *diſp. 4. punct. 2. §. 2. num. 20.*

### *De pœnitentia ſolemni.*

*Quamdiu publica pœnitentia impediat matrimonium?*

12. ALiud impedimentum eſt pœnitentia publica, quamdiu illa durat, & non amplius: & enumeratur hoc impedimentum inter illa, quæ ob crimen inducuntur, non quia ipſa ſit crimen: ſed quia in vindictam criminis imponitur, & non decet nuptias contrahere, quæ ſecum lætitiam afferunt, his qui pœnitentiæ, & luctui ſunt addicti, quamdiu durat tempus luctus & pœnitentiæ, *cap. de his, & cap. fin. 33. quæſt. 2.*

### *De coniugio cum Moniali.*

*Coniugium cum Moniali, quo modo ſit impedimentum?*

13. VLtimum impedimentum eſt quando quis ſcienter præſumit Monialem Deo ſacratam ſibi uxorem aſſumere: quia iniuriam eius ſponſo Chriſto irrogat; ideoque debet in perpetuum matrimonio priuari, *cap. hi ergo 27. q. 1.*

*Qui cum his impedimentis contrahit, quid facere tenetur?*

14. Siquis aliquo impedimento ex enumeratis irretitus matrimonium contrahat, non priuatur iure petendi debitum, præterquàm in duobus, nimirum, in voto caſtitatis, & in inceſtu: quia cum voto caſtitatis petitio debiti opponitur, & in inceſtu deciſum eſt *in cap. 1. de eo, qui cognouit conſang.* quamuis in utroque caſo debitum reddere teneatur: in reliquis verò non ſolum tenetur reddere, ſed illud petere poteſt, quia nulla datur lex, qua tali iure priuetur. Sed difficultas eſt. An omnia hæc impedimenta ſint in ſuo robore, ita ut ſit peccatum cum illis contrahere matrimonium? An uſu, & conſuetudine ſint abrogata.

*Præter votum, interdictum & ſponſalia, reliqua impedimenta non ſunt in uſu.*

15. Ad quod dicimus, quòd excepto interdicto, voto, & ſponſalibus, reliqua iam non ſunt in uſu, ſed conſuetudine ſunt ablata: quia paſſim cum illis contrahitur matrimonium, ſcientibus & conſentientibus ſuperioribus: & vix unquam audiuimus aliquem ſuper illa diſpenſationem poſtulaſſe: unde nullum peccatum erit cum aliis impedimentis, præter tria enumerata, contrahere. Ita Candid. *diſq. 28. art. 16. dub. 1. fin.* Nauarr. *ſumm. cap. 22. nu. 75.* Sancb. *lib. 7. diſp. 17. nu. 9.* Enriq. *lib. 12. cap. 2. num. 1.* Leſſ. *in 2. editione, lib. 4. cap. 3. num. 68.* Baſil. *lib. 6. cap. 14. fin.* Conine, *diſp. 30. dub. 3. num. 25.* Hurtad. *diſp. 25. diff. 1. num. 6.* Palaus *diſp. 3. punct. 2. §. 2. num. 23.*

*Poteſt in omnibus diſpenſare Epiſcopus, niſi in voto, & ſponſalibus.*

16. In omnibus impedimentis diſpenſare poteſt epiſcopus præterquam in voto caſtitatis, aut religionis abſoluto, & perpetuo, & in ſponſalibus. Concluſio quoad primam partem probatur: quia licet in lege ſuperioris non poſſit inferior diſpenſare, hoc verum eſt, niſi oppoſitum per legitimam conſuetudinem ſit introductum: unde, cum iam conſuetudine introductum ſit, Epiſcopos poſſe in his impedimentis diſpenſare, non obſtat, quod lege Pontificis ſint introducta. Quare dato talia impedimenta eſſe in ſuo robore, non eſt neceſſe Pontificem adiri pro illorum diſpenſatione. Ita Cornejo N. *diſp. 7. dub. 42.* Candid. *diſq. 28. art. 16. dub. 3.* Nauarr. *cap. 22. num. 85.* Palaus, Sanch. & Leſſ. ſupra citati. ¶ Quoad ſecundam vero partem probatur concluſio: quia de voto caſtitatis, & religionis non eſt talis conſuetudo introducta; ſed potius oppoſitum ex ſuo quotidiano conſtat: & etiam de ſponſalibus: quia cum per illa ius tertio ſit acquiſitum, non poteſt tali iuri, niſi diſpenſatione ſupremi Principis, derogari.

*Quandò poteſt in voto Religionis aut caſtitatis Epiſcopus diſpenſare.*

17. Diximus: *Si votum ſit abſolutum*: nam ſi conditionatum fuerit, etiam impleta conditione, poteſt in illo Epiſcopus diſpenſare: quod etiam dicimus de pœnali voto, etiam poſtquam pœna eſt incurſa: quia diſpenſationis reſeruatio, quæ iuri Epiſcoporum derogat, eſt odioſa, & ideò ſtrictè eſt interpretanda: ita ut in voto intelligatur de voto perfecto, & abſoluto, ex affectu ad rem emiſſo, quale non eſt votum pœnale, nec conditionatum, etiam impleta conditione: quia licet poſt euentum illius iam ſit abſolutum, & perfectum; fuit tamen imperfectum in ſua radice, & principio. ¶ Similiter diximus: *In voto perpetuo*: quia ſi temporale fuerit, poterit in illo diſpenſare Epiſcopus. Et idem dicendum eſt de voto obſeruandæ virginitatis, ſi vouentis intentio fuit ſolùm ſe obligare ad obſeruandam virginitatem, quæ primo actu venereo amittitur: quia hoc non eſt votum caſtitatis ſimpliciter; non tamen ſi fuit emiſſum ſine tali limitatione: quia tale votum ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art. 3 ad. 2.* includit perpetuam continentiam. Cæterum etiam in voto abſoluto caſtitatis aut religionis poterit Epiſcopus diſpenſare, quandò vel non eſt facilis aditus ad Pontificem ratione paupertatis vouentis, aut alia cauſa, vel ſi facilis fuerit, imminet in mora graue periculum, quia tunc præſumendum eſt, noluiſſe Pontificem cum tanto animarum detrimento diſpenſationem ſibi reſeruare.

## CAPVT XIV.

### *De poteſtate diſpenſandi in impedimentis dirimentibus.*

DIſpenſatio licet ſecundum diuerſas acceptiones ſoleat accipi: in præſenti ſolum de rigoroſa diſpenſatione loquimur; quæ definitur: *quod eſt iuris relaxatio, facta ab habente legitimam ad relaxationem poteſtatem.* Et ſic nil aliud eſt, quam exemptio, qua aliquis à legitimo ſuperiore extrahitur ab obligatione legis, ſub qua anteà continebatur.

---

Caput hoc quatuor puncta continet.

*Punct. I. Quis poſſit diſpenſare iure ordinario in impedimentis dirimentibus? Quis ex delegatione ante, vel poſt contractum matrimonium? num. 1.*

*Punct. II. De cauſis requiſitis ad validam, & licitam diſpenſationem, num. 17.*

*Punct. III. Quæ expreſſio falſitatis, vel veritatis ſuppreſſio vitiet diſpenſationem in matrimonij impedimentis? num. 31.*

*Punct. IV. Qualis manifeſtatio impedimentorum requiratur, ut diſpenſatio non cenſeatur ſubreptitia? numer. 44.*

## PVNCTVM I.

*Quis poſsit diſpenſare iure ordinario in impedimentis dirimentibus? Quis ex delegatione ante, vel poſt contractum matrimonium?*

*In impedimentis, quæ ſunt de iure naturæ, nequit Pontifex diſpenſare.*

1. IN his impedimentis, quæ iure diuino, aut naturali dirimunt matrimonium, quæ ſunt in omnium ſententia, error perſonæ, ligamen, impotentia perpetua, & conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, & fortè in voto ſolemni Religionis, nulla creata poteſtas poteſt diſpenſare ſine ſpeciali Dei conceſſione: & ideò, quia non conſtat Deum Eccleſiæ, aut eius Summo Pontifici talem poteſtatem conceſſiſſe, omninò dicendum eſt, non poſſe Eccleſiam in aliquo ex dictis impedimentis diſpenſare. Quamuis enim Summus Pontifex ex ſpeciali Dei conceſſione poſſit diſpenſare in matrimonio rato; tametſi eius indiſſolubilitas ſit ex iure naturæ, quia hoc habet ex ſpeciali conceſſione Dei, ut diximus *cap.4.nu.61.* talis exceptio non facit regulam, ut poſſit in alijs, quæ ſunt de iure naturæ, diſpenſare: cum non conſtet talem facultatem à Deo recepiſſe. Idem dicendum eſt de voto, quod ob ſpecialem rationem, de qua ſuo loco agetur, poteſt Pontifex diſpenſare (niſi ſit ſolemnis, de quo eſt ſua difficultas) quamuis eius obligatio, ſit de iure diuino, & naturali: quia hoc habet ex ſpeciali Dei conceſſione, qua nomine ipſius Dei remittit obligationem, quam Deus ſub ea conditione acceptat, niſi à ſuo Vicario fuerit diſpenſatum. Ita Cornej. noſter *diſp. 7. dub. ult.* Auerſ. *q.19. ſect. 1.* Palaus *diſp.4. punct. ult. §.1. n.1.* Soto *in 4. diſt. 40. quæſt. 1. art. 3.* Coninch, *diſp. 33. dub. 3. num. 30.* Dicaſt. *diſp. 8. dub. 1. nu. 8.*

*In omnibus impedimentis ex iure Eccleſiaſtico poteſt Pontifex diſpenſare.*

2. In reliquis autem impedimentis quæ ſunt de iure Eccleſiaſtico, poteſt Eccleſia, & Summus Pontifex diſpenſare, quod eſt certiſſimum: nam qui legem condit, eam poteſt abrogare, vel ab obligatione eius aliquos abſoluere: cum ergò Eccleſia ſtatuerit reliqua impedimenta, in eius eſt poteſtate diſpenſare ſuper illa, licitè quidem ſi detur iuſta cauſa: illa verò non appoſita, poterit validè; quia aliud eſt diſpenſare in voto, aliud in lege, vel à ſe, vel ab æquali, vel ab inferiori lata, ad illud ſequitur iuſta cauſa, ut validè fiat; quia Pontifex nomine Dei remittit obligationem voti, quam ipſe Deus non vult remitti, niſi quandò iuſta cauſa intercedit, undè ſine illa diſpenſatio non valet: ad iſtud vero minimè talis cauſa poſtulatur, ut validè fiat, ſed ut rationabiliter, & iuſtè fiat; quia ab illius dumtaxat dependet voluntate, ſicut legem condere, illam abrogare, vel reſpectu omnium, vel reſpectu ſingularum perſonarum, quas vult ab obligatione legis eximere. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art. 10.* Coninch, *nu. 31.* Cornej. *dub. ult.* Palaus *cit. num. 2.* Baſil. *lib. 8. cap. 13. nu. 1.* Auerſ. *quæſt. 19. ſect. 1.* Dicaſt. *nu. 2.* & eſt communis.

*Nullus præter Pontificem iure ordinario poteſt.*

3. Similiter eſt commune inter Doctores nullum præter Summum Pontificem, poſſe in impedimentis dirimentibus matrimonium diſpenſare, iure ordinario: unde nec Epiſcopus in ſua Diœceſi, nec Legatus à latere in ſua Prouincia poſſunt ex vi ſuæ poteſtatis, niſi ex conceſſione Pontificis, talem diſpenſationem præbere, ob illam generalem regulam, quod inferior nequit in lege ſuperioris, niſi ex eius conceſſione diſpenſare, *cap. Inferior, diſt. 21. & Clement. ne Romani, de electione.* Sic Tolet. *lib. 7. cap. 18. num. 5.* Palaus *loc. cit. nu. 2.* Gutier. *cap. 122. nu. 2.* Sanch. *libr. 8. diſp. 6. nu. 14.* Cornej. *diſp. 7. dub. ult. concl. 3.* Auerſ. *q. 19. ſect. 2.* Coninc, *loc. cit. num. 32. &* Dicaſt. *num. 52.*

*In nullo impedimento poſſunt Mendicantes diſpenſare.*

4. Sed nunc inquires. An aliqui habeant ex delegatione Pontificis poteſtatem diſpenſandi in aliquibus, vel in omnibus impedimentis iure Eccleſiaſtico ſtatutis? In quo inprimis ſupponendũ eſt Mendicantes ex vi ſuorum priuilegiorum, minimè poſſe in aliquo impedimento dirimente diſpenſare; cum non detur aliquod priuilegium, ratione cuius hanc facultatem accipiant: quod omnes concedunt, excepto Veracruce *in ſpeculo 1. p. art. 27. apud* Auerſ. *&* Roſenſ. *in libello de cauſa matrimonij Regis Angliæ*; ut refert Candid. *diſq. 28. art. 17. dub. unic.* Qui dicunt Mendicantes habere priuilegium à Leone X. conceſſum Auguſtinianis, diſpenſandi cum his, qui ſcienter, vel ignoranter contraxerunt cum impedimento affinitatis: dummodo non ſit notorium, vel ad forum contentioſum deductum. Cæterum hoc priuilegium vel non datur, vel non eſt in uſu, vel fuit pro uno tantum actu conceſſum, ut inquiunt Sanch. *num. 28.* Auerſ. *q. 19. ſect. 2.*

Vide hic N. Ant. *diſp.* ubi pulchra habet.

*Comiſſarius Cruciatæ in aliquo poteſt.*

5. Commiſſarius autem generalis Cruciatæ, ex delegatione Summi Pontificis habet poteſtatem diſpenſandi in impedimento affinitatis orto ex fornicatione, cum his qui bona fide ex parte unius coram facie Eccleſiæ, & præmiſſis denuntiationibus contraxerunt, monita altera parte de impedimento inſcia ſecundum dict. *cap. 3. num. 222.* iuxta tenorem cõceſſionis ei à Pontifice factæ in Bulla Latina. Sanch. *nu. 23.* Gutierr. *cap. 122. n. 8.* Cornej. *diſp. 7. dub. ult. concl. 3.* Auerſ. *ſect. 2.* Baſil. *n. 8.* N. Ant. *diſp. 8. n. 538.* Et etiam habet poteſtatem ad legitimandam prolem, etiam mala fide, ex parte utriuſque ſuſceptam, vel ſuſcipiendam, in ordine ad omnes effectus tam ciuiles, quàm Eccleſiaſticos. Si enim ex parte unius adſit bona fides, iure communi proles legitimatur, *cap. Ex tenore, qui filij ſint legitimi.* Ita Coninch, *num. 36.* Palaus *diſp. 4. punct. ult. §. 1. num. 5.*

*Nuntius Apoſtolicus poteſt in impedimento publicæ honeſtatis.*

6. Similiter Nuntius Apoſtolicus in Prouincia ſuæ legationis poteſtatem ex delegatione habet, diſpenſandi, antè, & poſt contractum matrimonium, in impedimento publicæ honeſtatis, & legitimandi filios modo dicto ex tali matrimonio, antè, aut poſt illud ſuſceptos, Baſil. *nu. 10.* Garc. *de Benef. p. 11. cap. 5. nu. 663.* Auerſ. *ſect. 2.* Palaus *ſup. n. 6.* Et etiam poteſt diſpenſare in caſibus in quibus poteſt diſpenſare Epiſcopus, ut ſtatim dicemus: quia ſecundum regulam generalem, id poteſt Nuntius Apoſtolicus in ſua Prouincia, quòd Epiſcopus in ſua Diœceſi, Auerſ. *loc. cit.* Coninc, *num. 35.* Dicaſt. *num. 58.*

*Poſt contractum matrimonium Epiſcopus poteſt diſpenſare.*

7. Secundo inquires. An in caſu urgentis neceſſitatis, quandò non, niſi difficillimè, poteſt Summus Pontifex adiri, vel ad eum, qui vices eius gerit, vel ob paupertatem contrahentium, vel quia Pontifex, vel priuilegiatus longè diſtant, & eſt periculum in mora, vel infamiæ, vel incontinentiæ, aut alterius mali, poſſit Epiſcopus in tali caſu diſpenſare in impedimentis dirimentibus? Ad quod dicimus, primò, quod poſt contractum matrimonium poteſt, ſi matrimonium fuit publicè contractum, & impedimentum eſt occultum; ut ſi abſ-

que graui inèon: enienti, & ſcandalo non poſſent duo conr g·s ſeparati, nec eſſet facilis ad Pontificem recurſus, & immineret periculom iocontinentiæ inter illos, infamiæ aot alterius mali, ex tacita conceſſione Pontificis, & ex epicheia benigoa, ex generalique regula, qood in caſu extraordinario, & magnæ neceſſitatis, in quo non patet adıus ad ſuperiorem, poteſt inferlor in eius lege diſpenſare. Et qoia non eſt credibile voluiſſe Summum Pontificem, ſic talem diſpenſationem ſibi reſeruare, ut noluerit ab inferiori concedi, in caſu magnæ neceſſitatis, ſcandali imminentis, aut communis animæ periculi: maximè cum ipſi notum ſit à pluribus Doctoribus noſtram ſententiam verbis, & ſcriptis tradi, ab ipſis Epiſcopis talem conceſſionem paſſim concedi: cum tamen non contradicat: quod eſt ſignum tacitè illam facultatem eis præbere. Ita Dicaſt. *nu.* 53. Palaus *n.* 7. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 40. *nu.* 3. Auerſ. *ſect.* 2. Candid. *diſquiſ.* 28. *art.* 16. *dub.* 3. *concl.* 5. Cornej. *dub. ult.* Coninc. *n.* 32. Baſil *n.* 2. Dian. 2. *p. tra.* 16. *reſol.* 17. Gotier *cap.* 49. *à n.* 7. Bonac. *q.* 3. *punct.* 15. Enriq. *l.* 12. *cap.* 3. *n.* 2. N. Ant. *ſect.* 2. N. Gabr. *diſ.* 9. *q.* 5.

*Quando eſt ex parte unius bona fides. poteſt Epiſcopus in neceſſitate diſpenſare.*

8. Sed rogabis. An ut Epiſcopus in dictis caſibus poſſit diſpenſare cum his, qui matrimonium iam contraxerunt, requiratur quod bona fide matrimonium inierint? Et qoidem certum eſt oon requiri adeſſe bonam fidem ex parte utriuſque; ſed ſufficere, quod unus inſcius impedimenti contraxerit; quamuis alius ſcienter illud fecerit. Tum: quia ſtante bona fide ex parte unius coniugis, dicitur matrimonium bona fide contrahi, *arg. ex cap. cum inhibitio, de clandeſt. de ſponſ. cap. ex tenore qui fil. ſint legit* Tum etiam: quia non erat æquom, quod malitia unius noceret alteri, nec eſt credibile Eccleſiam velle punire innocentem, priuando eũ remedio ſibi neceſſario, propter culpam alterius, qui mala fide contraxit. Atque ita docent Cornej. *dub. ultim.* Sanchez *num.* 4. Candid. *art.* 16. *dub.* 3. *num.* 9 Baſil. *nu.* 4. Palaus ſ. 1. *nu.* 8. Sed difficultas eſt. An ſaltem ex parte unius bona fides requiratur? In quo eſt duplex ſententia.

*Si adſit ex parte utriuſque mala fides, non poteſt Epiſcopus diſpenſare.*

9. Prima aſſerit poſſe Epiſcopum diſpenſare in dictis caſibus, etiamſi mala fide fuerit matrimonium celebratum ex parte utriuſque. Ita Dicaſt. *num.* 66. Enriq. *num.* 2. *litt.* K. *& litt.* O *& apud* Auerſ. Moſcot. *in ſumm. tract.* 10. *cap.* 29. *num.* 22. & ex parte Præpoſitus *hic q.* 8. *de diſpenſ. dub.* 2. *nu.* 32. quia licèt ex culpa ſua in tales anguſtias deuenerint; non eſt credendom Pontificem tanto damno velle ſibi diſpenſationem reſeruare, cum ex ona parte aditus ad illum non pateat, & ex alia periculum infamiæ, aut animæ deſtructio immineat, ſi non poſſint ſeparari, niſi cum magna nota: & aliàs inter illos coniuges ſit incontinentiæ periculum, ſi ſimul commorentur. ¶ Secunda, & verior ſententia petit bonam fidem ſaltem ex parte unius contrahentis: quia ſic habentur in *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 5. & ratio eſt: quia indigni ſunt mala fide contrahentes, quod Eccleſię benignitatem experiantur: aliàs daretur occaſio, ut quotidie hac ſpe celebrarentur matrimonia, contemptis impedimentis dirimentibus. Ita Candid. *dub.* 3. *concluſ.* 6. Palaus *num.* 7. Sanch. *num.* 4. Sotus *in* 4 *diſt.* 37. *quæſt. unic. art.* 2 5. *Præterea* Conſinch, *numer.* 33. Auerſ. *ſect.* 2. Baſil. *num.* 4.

*Vt mala fide contrahant. debent impedimentis ſcientiam ſpeculatiuam, & practicam habere.*

10. Ad hoc autem, ut dicatur aliquem mala fide contrahere, non ſufficit quod habeat cognitionem facti, & ut ſic dicamus, ſpeculatiuam: quia ſcit ſe cum conſanguinea, v. g. cooiugis copulam habuiſſe, vel conſanguinitatem habere cum uxore, ſed debet iuris habere cognitionem, & ut ſic dicamus, practicam, qua ſcit, per talem conſanguinitatem, vel affinitatem incurrere impedimentum dirimens matrimonium: nam qui ſcienter cum conſanguinea contraheret, neſciens tale impedimentum ſubeſſe, bona fide contrahere dicitur. Nam ut inquit Baó: z 2. 2. *q.* 68. *art.* 6. *dub.* 5. *concluſ.* 4. ad malam fidem tam practica, quam ſpeculatiua ſcientia requiritur, & in caſu noſtro tradunt Aoerſ. *q.* 19. *ſect.* 2. Candid. *concl.* 7. Sanch. *num.* 4. Imò non ſufficit quod ignorantia ſit vincibilis, aut craſſa, dommodo affectata non fuerit, ut quis dicatur mala fide contrahere: quia mala fides tunc adeſt quandò ſcienter aliquis operatur, & ſcienter operari non dicitur, qui cum ignorantia etiam culpabili aliquid facit. Candid. *concluſ.* 8. Sanch. *loc. cit.* Nauarr. *ſumm. cap.* 27. *num.* 155. Auerſ. *quæſt.* ʼ9. *ſect.* 2.

*Etiam ante contractum matrimonium poteſt Epiſcopus diſpenſare in caſu neceſſitatis.*

11. Dico ſecundò, Epiſcopum non ſolum poſt matrimonium contractum diſpenſare in impedimentis dirimentibus, graui, & urgente cauſa interueniente, quandò ad Pontificem eſt recurſus difficilis ut reualidetur, ſed etiam poteſt diſpenſare in dictis caſibus, ut contrahatur: Et ideo ſi mors immineret, & eſſet neceſſarium matrimonium ad legitimandos filios, ad euitandam fœminæ infamiam, vel alia grauia damna, & ſcandala, poterit Epiſcopus diſpenſare in impedimentis dirimentibus. Et idem eſt, ſi fœmina nobilis ſit parata matrimonium tali die contrahere, & illo, vel proximo die confiteretur, & in confeſſione manifeſtaret ſe copulam habuiſſe cum conſanguineo coniugis in primo, vel ſecundo gradu, & dilatio matrimonij eſſet illi cauſa grauis infamiæ, nec eſſet via euadendi eam, vel ſuſpicionem grauis delicti, ſi tunc non celebraret matrimonium, & probatur *ex cap.* 2. *de ſponſ. impub.* Vbi io caſu grauis neceſſitatis conceditur Epiſcopo facultas diſpenſandi in impedimento ætatis, ut impobes poſſit cootrahere: ſed eadem eſt ratio de iſto, & de alijs impedimentis, ergo, &c. Deinde: quia ideò talis facultas in caſu neceſſitatis, & quando ooo patet aditus ad Pontificem Epiſcopis conceditur poſt contractum matrimonium: quia commoni bono Reipublicæ, ſalutiq; ſpirituali animarum expedit hanc facultatem habere & ex benigna interpretatiooe voluntatis Pootificis colligitur: imò ex tacita eius licentia, modo *num.* 7. dict. Quæ omnia in præſenti caſu æquo paſſu currunt, ut conſideranti conſtabit. Ita docent Dicaſt. *num.* 56. Cornej. *dub. ult.* Candid. *loc. proximè cit.* Bonac. *num.* 6. Dian. 8. *p. tract.* 3. *reſol.* 80. Palaus *nu.* 9. Sanch. *num.* 7. Baſil. *num.* 6. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 3. N. Ant. *num.* 534.

*Poteſt hanc facultatem Epiſcopus delegare.*

12. Dico tertio. Poteſt Epiſcopus hanc facultatem concedere ſuo Vicario generali; vel cuilibet alio, quia non conceditur Epiſcopis, quatenus ſunt ſingulares perſonæ, cum omnibus tam præſentibus, quam futuris conueniat; ſed quatenus ſunt Epiſcopi: ſed iuriſdictio competens alicui ex Principis priuilegio: qoia talem dignitatem, aut officium obtinet, nō quia eſt talis perſona, poteſt alteri delegari: quia habet vim, iura, & conditiones, poteſtatis ordinariæ, ergò, &c. Ita Enriq. *nu.* 3. Baſil. *num.* 5. Bonac. *num.* 6, Sanch. *num.* 14.

Leand.

Digitized by Google

Leand. *q.* 15. Palaus §. 1. *num.* 13. Auerſ. *ſect.* 2. Coninc, *num.* 33. & hoc non ſolum pro iſto vel illo caſu particulari; ſed pro omnibus occurrentibus tam præſentibus, quam futuris Palaus Auerſ. *loc. cit.* Sanch. *n.* 17. Gutier. *c.* 4. *n.* 21. Verum eſt Vicarium generalem Epiſcopi ex vi ſui officij, aut commiſſionis non habere hanc facultatem ab Epiſcopo delegatam, etiamſi facultatem habeat ab eo diſpenſandi in omnibus caſibus etiam matrimonialibus Epiſcopalibus, niſi ſpecialem ad iſtos habeat; quia iſti non ſunt caſus Epiſcopales, cùm non competant Epiſcopo iure ordinario; ſed ex conceſſione Pontificis. Ita Palaus *ſup. nu.* 11. Baſil. *n.* 7. Sanch. *num.* 12. Auerſ. & Coninch, locis citatis.

13. Dico quarto, Epiſcopus etiam extra caſum neceſſitatis, & quandò datur recurſus ad ſuperiorem, vel eius vice gerentem poteſt diſpenſare in impedimento ſuperueniente matrimonio ob affinitatem, cognationem ſpiritualem, votum ſimplex caſtitatis, ut coniuges ſibi inuicem debitum petãt. Nam licèt hoc expectato iuris rigore nõ poſſint; eò quòd iure non videatur id expreſſum: benè tamen attenta conſuetudine legitimè introducta, quam habent diſpenſandi in prædictis caſibus: & hoc non ob neceſſitatem urgentem, cùm ſit facilis aditus ad Mendicantes, qui ex priuilegio poſſunt in aliquibus ex illis diſpenſare, ut iam dicemus. Ita Coin. *dub. ult.* Auerſ. *ſect.* 3. Bonac. *n.* 5. Enriq. *n.* 11. Palaus *hic cit. num.* 16. Gutier. *cap.* 112. *num.* 14. & 15. Sanch. *num.* 4. & 13. Quod etiam poteſt Vicarius eius ex vi conceſſionis generalis, ad omnes caſus Epiſcopales: & Prouiſores in Sed euacante: quia hæc facultas per ſe conuenit Epiſcopo, ſicut hæ Ordinariæ facultates.

*Poteſt Epiſcopus extrà caſum neceſſitatis in aliquibus impedimentis diſpenſare.*

14. Præter Epiſcopos poſſunt etiam Regulares Mendicantes ex vi ſuorum priuilegiorum diſpenſare in impedimento ex affinitate, ſuperueniente matrimonio ob copulam cum conſanguinea coniugis in primò, vel ſecundò gradu, & ob votum ſimplex caſtitatis, ſi tamen antè matrimonium fuit emiſſum (& etiamſi poſt illud ex alio capite: quia nimirum non eſt diſpenſare ſuper eo ſimpliciter, ſed ad hunc effectum, ut poſſint debitum petere coniugale) ut poſſint ad inuicem non ſolùm reddere, ſed etiam debitum petere. Ita conceſſit Iulius II. *Bulla* 23. *cum* Martino V. Benedictinis Monaſterijs Valliſoleti. Quod etiam ad alios eiuſdem Religionis fuit extenſum, & per communicationem ad omnes Mendicantes, qui ritè ſecundùm Tridentinum fuerint à ſuis ſuperioribus ad confeſſiones ſecularium deputati, idipſum concedit Pius V. viuæ vocis oraculo Minoribus, quod refertur inter priuilegia Mendicantium, verb. *Diſpenſat. n.* 17. aliud priuilegium conceſſum Societati, & reliquis cum ea in priuilegijs communicantibus refertur à Sanch. Auerſ. Baſil. & Palao infra citandis, ad hoc ipſum: quarè illud tenens Dian. 3. *p. tr.* 2. *reſ.* 14. & 5 *p. tr.* 13. *reſ* 47. Candid. *dub. unic.* Baſil. *cap.* 13. *in fin.* Palaus *nu.* 18. Gutier. *ſuprà cit.* Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 16. *nu.* 3. & 8. Auerſ. *qu.* 19. *ſect.* 3. *Imo* Rodriguez *in additionibus ad Bullam*, § 13. *n.* 17. Extendit hoc priuilegium etiam ad cognationem ſpiritualem: quod meritò negant Sanch. *ſup. n.* 9. Palaus, & Baſil. ubi proximè Candid. *diſq.* 27. *art. unic. dub.* 9. Quia priuilegium ſolum loquitur de illis duobus, & non debet de uno caſu ad alium diuerſum extendi. Sed verè non datur priuatio petendi debitum ob cognationem ſpiritualem, ſuperuenientem matrimonio, ut dicemus *cap.* 15. *punct.* 13. & ſic diſpenſatio non requiritur.

16. Sed inquires. An ut Mendicantes in dictis caſibus poſſint diſpenſare, debeant à ſuo Prouinciali, vel Generali ſpecialem ad hoc licentiam, & deputationem habere? Negat abſolutè Diana loc. cit. *ex* 5. *p. cum* Cæleſtino *in compendio Theol. Moral. tract.* 9. *cap.* 15. & Peregrino *in compendio priuilegiorum Clericorum Regularium p.* 1. *tit. diſpenſatio*, §. 8. Negat etiam Sayrus in Claui Regia *lib.* 6. *cap.* 11. *nu.* 98. Ioan. Suarez *in enchiridio caſuum conſcientiæ lib.* 5. *verb. Debitum coniugale*, §. *Inceſtuoſus coniux.* Quos refert, & fortè ſequitur Machado *lib.* 5. *p.* 3. *tract.* 3. *documento* 2. *num.* 2. Negat etiam Candid. *diſq.* 27. *art. unic. dub.* 9. N. Gabr. *diſ.* 9. *num.* 57. N. Ant. *num.* 541. quia dicunt, in priuilegio conceſſo Benedictinis, & Minoribus hoc non continetur, ſed abſolutè conceditur hæc facultas Regularibus confeſſarijs, non facta mentione deputationis Prouincialis. ¶ E contra verò affirmat hanc deputationem requiri. Palaus *ſupra num.* 18. Gutierr. *num.* 14. Auerſ. *ſect.* 3. Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 16. *n.* 3. & 8. & *in ſumm. lib.* 4. *cap.* 43. *num.* 10. *ipſe* Diana ſibi contrarius 3. *part. tract.* 2. *reſol.* 14. Rodrig. *tom.* 1. *quæſt.* 69. *art.* 1. Portel. *in dubijs Regularibus verbo Abbas, tom.* 5. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 13. *diff.* 51. *n.* 5. Quia in priuilegijs ſolùm confeſſarijs à Prouinciali ad hoc deputatis talis facultas conceditur. ¶ Nos verò mediâ viâ incedimus, & dicimus non requiri deputationem Prouincialis. Nec aſſerendum eſſe, non requiri aliquam deputationem à Superiore, ſed ſufficere, quòd talis deputatio, ſeu licentia ab Abbate, vel Priore conuentuali, vel à Præſidente Conuentus habeatur: quia ita conceſſit Iulius II. *cum* Martino V. Priori ſeu Præſidenti Monaſterij Sancti Benedicti Valliſoletani. Sic Leand. *diſp.* 24. *dub.* 17. & apud ipſum Ioannes de la Cruz *in ſumm. quæſt.* 4. *de Matrimonio, dub.* 12. *concluſ.* 3. & *in epitome priuilegiorum, cap.* 6. *lib.* 2. *dub.* 9. refert etiam Candid. *diſq.* 28. *art. unic.* (*non* 5. ut citat Leand. *dub.* 9.) Sed hic Auctor ſolum negat requiri deputationem Prouincialis, de Priore autem nihil loquitur, ſed fortè intelligit, & meritò, omnes qui negant deputationem Prouincialis requiri, debere dicere, ſufficere Prioris deputationem.

## PVNCTVM II.

### *De cauſis requiſitis ad validam, & licitam diſpenſationem.*

17. Diximus *punct. præced. num.* 2. poſſe Pontificem validè ſine cauſa diſpenſare in impedimentis, quæ habentur præcisè ex iure Eccleſiaſtico; id tamen licitè non faceret, ſed peccaret, ſi diſpenſationem abſque iuſta cauſa concederet, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 97. *art.* 5. quia Legiſlator ob curam communis boni, non debet in ſua lege irrationabiliter diſpenſare: ſed non approbamus, quod inquit Suarez *lib.* 6. *de legibus, cap.* 18. *num.* 7. Auerſ. *quæſt.* 19. *ſect.* 4. Aſſerentes eſſe peccatum mortale: verè enim per ſe ſolum erit veniale: quia quod aliquis à lege eximatur, & non alius, non videtur grauis inæqualitas, nec læſio boni communis, ob quam dicamus grauiter delinquere ſuperiorem qui ſine iuſta

*Pontifex abſque cauſa diſpenſans peccaret, ſed non mortaliter.*

iuſta cauſa talem diſpenſationem expediret. Ita Baſil. *lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 4. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 5. *num.* 54. Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 18. *num.* 7. Rodriguez *tom.* 1. *ſumm. cap.* 157. *num.* 1. N. Ant. *diſp.* 8. *n.* 550. ¶ Similiter peccabit, petens abſque iuſta cauſa diſpenſationem iuxta grauitatem peccati ſuperioris, cui cooperaretur, & cauſam daret, niſi ipſe rem, prout eſt illi exponeret, relinquendo ſuo iudicio: an ſufficiens eſſet cauſa? Tunc enim, ſi non certò ſciret ſuperiorem abſque cauſa illam conceſſiſſe, licitè ea uti poſſet, ſi tamen noſſet abſque cauſa conceſſam, peccaret ea utendo; non tamen grauiter, ſecluſo alio damno, & ſcandalo, Baſil. *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 5. Sanch. *diſp.* 18. *num.* 12. Auerſ. *loc. cit.*

*In his, quæ ſunt de iure naturæ inualidè abſque cauſa diſpenſatur.*

18. In his verò, quæ ſunt de iure naturæ, ut indiſſolubilitas matrimonij rati, obligatio voti, ſponſalia, poteſt quidem Pontifex diſpenſare, non ordinaria poteſtate, ſed ex ſpeciali conceſſione Dei; ſed ut diximus *num.* 2. ſine iuſta cauſa nec licitè, nec validè poteſt propter rationem ibi datam: quia inferior, qui facultatem à ſuperiore recipit diſpenſandi in ſua lege, non accipit eam, niſi conformiter ad voluntatem concedentis: Cum ergò voluntas Dei non ſit; quod in lege naturæ, aut diuina Pontifex diſpenſet, niſi iuſta interueniente cauſa: quia illi non concedit facultatem ad deſtructionem; ſed ad ædificationem, illa non appoſita irrita erit diſpenſatio. Sed quæ cauſa requiratur pro voti diſpenſatione? *in ſuo tra.* dicitur. Pro ſponſalium verò, & matrimonio rato, erit ſufficiens cauſa, ſi ex habitatione cum illa fœmina, plures occaſiones peccandi, viro occurrant, plures rixæ, aut ſcandala; vel ſi ex contractione cum alia publica pax dependeret, vel grauium malorum præcautio. Vrgentior autem cauſa pro matrimonio rato diſſoluendo requiritur: quia eſt fortius vinculum, quam pro ſponſalibus.

*Inferior in lege ſuperioris inualidè abſque cauſa diſpenſat.*

19. Epiſcopus, vel alij, qui à Pontifice facultatem habent diſpenſandi in his impedimentis, ſecundum dicta *præced. punct.* id nedum licitè, verum neque validè efficere poſſunt niſi ex iuſta cauſa. Et ratio eſt; quia ſic ſe habet Epiſcopus, aut alius inferior reſpectu Pontificis, in ordine ad diſpenſandum in legibus eius; ſicut Pontifex reſpectu Dei in ordine ad diſpenſandum in legibus diuinis, & naturalibus; ergò ſicut non valet diſpenſatio à Pontifice expedita, in his, quæ ſunt de iure naturali, & diuino, niſi ex iuſta cauſa moueatur; ſic nec diſpenſatio facta ab Epiſcopo in legibus Pontificis valet, niſi interueniente iuſta cauſa; utrobique enim eſt, qui leges condit, ſuperior, & qui diſpenſat, inferior; & nunquam voluntas ſuperioris eſt, ut in ſua lege diſpenſet inferior niſi ex urgenti cauſa motus. Idem eſt, quandò Epiſcopus diſpenſat in impedimentis dumtaxat impedientibus; in lege ieiunij, obſeruationis feſtorum, quod non valet talis diſpenſatio, niſi quandò iuſta interuenit cauſa. Auerſ. *qu.* 19. *ſect.* 4. Coninc, *num.* 42. Baſil. *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 8. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 4. *num.* 13. Sanch. *num.* 4. N. Ant. *diſ.* 8. *ſec.* 4.

*Non requiritur quod cauſa diſpenſationis, directè bonum commune reſpiciat.*

20. Quamuis regulariter diſpenſatio concedi debeat ob cauſam, quæ directè, reſpiciat bonum publicum; non tamen id requiritur, nec ſemper expedit, quod præcisè ob bonum publicum per ſe, & directè concedatur; ſed eſt conueniens quod multoties detur per ſe, & directè ob bonum priuatum; quamuis hoc indirectè ad bonum publicum ordinetur: & ideò docet D. Tho. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 4. *in corp.* rationem ſufficientem diſpenſandi in præcepto eſſe, quod maius bonum perſonæ priuatæ impediat. Auer. *ſect.* 4. Coninc, *num.* 43. Sanchez *libr.* 8. *diſp.* 19. *num.* 1. Cauſæ autem urgentiores requiruntur, ſecundum quod impedimentum, magis obſtat matrimonio; quia quò vinculum eſt ſtrictius, eò magis urget ratio prohibitionis. Ideò urgentior cauſa requiritur ad diſpenſandum in voto ſolemni, quam in ſimplici; ad diſpenſandum in gradibus propinquioribus conſanguinitatis, & affinitatis, quam in remotioribus: magis ad diſpenſandum requiritur in conſanguinitate eiuſdem gradus, quam in affinitate, magis in iſta, quam in legali cognatione, Palaus *diſp.* 4. *punct. ult.* § 2. *num.* 1. Coninc, *num.* 44. Auerſ. *loc. cit.* Multoties verò dantur cauſæ, quæ per ſe ſeparatę erant inſufficientes, & coniunctæ unam ſufficientem cauſam diſpenſationis efficiant, iuxtà illud. *Singula, quæ non proſunt, ſimul coniuncta ſufficiunt.*

*Quæ cauſa in communi requirantur.*

21. Inueſtigare verò in particulari, quæ cauſa ſufficiat pro una? quæ pro alia? vix fieri poteſt: cum ex pluribus circũſtantijs temporis, ſubiectorum, locorum, & alijs, res iſta dependeat. Quarè regulariter id arbitrio prudentum relinquitur, qui penſare debent tempus, in quo petitur diſpenſatio, utilitatem, qualitatem perſonæ petentis, neceſſitatem, pietatem, euentum rei, multitudinem. In quo valdè inſpicienda eſt dignitas perſonarum: quia diſpenſatio cum illis, pertinet ad bonum commune Reipublicæ, & Religionis, iuxtà D. Thom. 2. 2. *q.* 63 *art.* 2. Inter has, & alias cauſas computanda eſt dignitas ipſius Principis concedentis: quia ſicut decet eum eſſe liberalem in alijs muneribus concedendis, non ab alia cauſa extrinſeca motus, ſed à ſeipſo; ita in expediendis diſpenſationibus ab ipſo poſtulatis: Et ideò, quod poſſit ex mera gratia, & liberalitate id facere multoties, etiam deficiente cauſa ex parte poſtulantis: quia ſufficiens cauſa eſt ipſa dignitas Principis in his, quæ ex ſua voluntate dependent: ſic præclarè Dicaſt. *num.* 103.

*Duplex cauſa ſufficiens pro diſpenſatione aſſignatur.*

22. Sed deſcendamus in particulari ad aſſignandas aliquas cauſas, pro petendis diſpenſationibus in impedimentis matrimonij ſufficientes, ut inde aliæ poſſint prudentis arbitrio inueſtigari. Communiter iuſtę circumferuntur, prima eſt: bonum pacis: quia ut inquit D. Tho. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 2. hę diſpenſationes matrimoniales cõceduntur ad pacẽ firmandam. Et per bonum pacis non ſolum intelligitur confœderatio inter certas perſonas, familias, aut Regna, ſed etiam extinctio rixarum, odiorum, & litium ciuilium, præuentione oriantur infamiæ, & plura ſcandala, ex quibus homicidia, furta, adulteria, aut alia quæcumque peccata oriri ſolent, ſiuę ſint incontinentiæ, fornicationes, ſacrilegia, obmurmurationes, & his ſimilia, quorum extinctio per bonum pacis intelligitur. ¶ Secunda, ſi in oppido, in quo degit mulier, commodè, & moraliter non inueniat perſonam ſibi parem, & competentem ad coniugium: quia non debet, aut innupta fœmina permanere, aut cum inæquali coniungi, aut extra Patriam cum amaritudine ſuorum exulari.

*Pro cauſis ſufficientibus Vide N. Gab. diſ. 9. quæſt. 8.*

23. Tertia, quæ dicitur *propter in dotatam*

quandò

*Duplex alia cauſa proponitur.*

quandò fœmina ſufficientem dotem non habet (idem de viro, qui ſufficiens patrimonium non haberet) ut poſſit ſecundum ſtatum ſuum nubere, & inueniat conſanguineum, qui abſque dote, vel cum minori, eam recipiat, etiamſi Parentes, diuites, vel fratres habuerit, qui, vel nolunt, vel nimis differunt eius dotationem: quia de præſenti pauper iudicatur, vel ſi fœmina ob infirmitatem, ætatem, vel deformitatem, non inueniat cum dote ſufficienti, æqualem ſibi in conditione ſemper indotata iudicatur, non verò ſi æqualem reperiat maritum extrà conſanguineos, etſi inferioris conditionis à propinquo qui ſibi offertur, vel in nobilitate, vel in diuitijs: quia in tali caſu agitur de lucro conſequendo, quæ inſufficiens cauſa eſt ut benè notauit Coninc. *num.* 47. ¶ Quarta eſt conſeruatio ſucceſſionis, vel hæreditatis, & opulentiæ in eâdem familia, quandò peritura eſſet, ſi inter conſanguineos non fieret coniugium: ut quandò fœmina remanet hæres, ne transferatur maioratus, vel hæreditas domus ad extraneos: expedit enim Reipublicæ magnas familias in ſuo ſtatu, & amplitudine conſeruare. Eſt etiam cauſa ſufficiens acquiſitio nouæ hæreditatis, ſi relinqueretur cum conditione, ut cum ſuo conſanguineo nuberet.

*Quinta, & ſexta cauſa refertur.*

24. Quinta, inſtauratio matrimonij bona fide contracti. Si perſona, quæ bona fide contraxit, diſpenſationem petat, quia æquum eſt ipſam non ſeparari; ſed potius benignitatem Eccleſiæ experiri. Imo etiamſi ex parte utrinſque adfuit mala fides, ſufficere pro cauſa, ne ſeparentur, maximè, ſi matrimonium fuiſſet conſummatum, vel ſi fama de copula habita inter eos percrebuiſſet, vel ſoboles eſſet ſuſcepta, cuius educationi conducit, quod coniuges non ſeparentur, inquit Dicaſt. *nu.* 95. Ad quam reducitur reparatio honoris fœminæ cuius iactura imminet, ob copulam etiam extrà matrimonium cum conſanguineo habitam, vel legitimatio, & bona educatio prolis ſuſceptæ. Sanch. *libr.* 8. *diſp.* 19. *n.* 13.

25. Sexta, quod à magnis Principibus poſtuletur, non ob acceptationem perſonarum; ſed quia Eccleſiæ congruit, eos ſibi acceptos habere, & à ſe beneficiatos, quod in bonum ipſius redundat: Et ideo *Triden. ſeſ.* 24. *cap.* 5. dicit in ſecundo gradu conſanguinitatis, non, niſi cum magnis Principibus, eſſe diſpenſandum. Per magnos autem Principes, aliqui Reges habentes dominium abſolutum intelligunt, N. Gab. *diſ.* 9. *q.* 8. Sanchez *diſp.* 19. *num.* 1. & Coninc *num.* 44. quoſcumque Titulares, ſiue Dominos, qui ſunt in aliqua Baronia. Enriquez *verò lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 6. & 9. & cum eo Diana 8. *part. tract.* 12. *reſol.* 6. intelligit principales perſonas nobiles, & homines opulentos: quia ut inquit Auerſ. *quæſt.* 19. *ſect.* 4. Dicaſtil. *num.* 86. Quamuis tale nomen ſatis aptari his non poſſit; tamen conſuetudo, & praxis ad talem interpretationem, ſeu moderationem illud reduxit. Sed aduertit bene Palaus *diſp.* 4. *punct. ultim.* §. 3. Auerſ. & Dicaſtil. citati, quod, quamuis Concilium dicat talem diſpenſationem concedendam eſſe, ob publicam cauſam: intelligendum eſt directè vel indirectè iuxtà dicta *num.* 20.

*Duæ ultimæ cauſæ enumerantur.*

26. Septima cauſa eſt, quod qui petit diſpenſationem, vel cui petitur, ſit benemeritus de Eccleſia, vel eius parentes obſequia illi præſtiterint; quia æquum eſt Eccleſiam ſe gratam reddere, ut alij ad talia munera obeunda, excitentur. ¶ Denique ſufficit pro cauſa, aliqua impoſitio, vel pij operis, vel ſubminiſtratio maioris pecuniæ in ſubſidium Eccleſiæ: præcipuè in remotioribus gradibus: quia ob hoc ſubſidium Eccleſiæ ſe talem compenſationem admiſſurum.

27. Sed nunc reſtat decidenda quæſtio. An nimirum ceſſante cauſa motiua, ad diſpenſationem expediendam, illa omninò corruat? In quo ſupponimus, requiri quod duret cauſa, quandò diſpenſatio expeditur, etiamſi, quandò petita eſt, forſitan non daretur. Similiter: ſi Pontifex non diſpenſauit, ſed remiſit ordinario diſpenſationem, etiamſi cauſa eſſet, quandò fuit à Pontifice reſcriptum expeditum, ſi non duraret ſaltem maiori ex parte, quandò Epiſcopus diſpenſat, talis diſpenſatio non eſt valida, ut ſi peteretur diſpenſatio ob paupertatem fœminæ, ſi tunc diues eſſet, prorſus diſpenſatio euaneſceret. Intelligitur autem de cauſa motiua, & finali; non de impulſiua iuxtà dicenda *punct. ſeq.* in hoc omnes conueniunt, ſed difficultas eſt. An ſi expedita eſſet diſpenſatio à Pontifice, vel ab Ordinario, quandò illi committitur, & antequam matrimonium celebraretur, cauſa motiua ceſſaſſet. An tunc corrueret diſpenſatio, & nulla eſſet? In quo eſt duplex ſententia.

*Debet cauſa motiua, durare, quandò diſpenſatio expeditur.*

28. Prima aſſerit, diſpenſationem non valere, ſi cauſa ceſſet ante contractum matrimonium: ſi verò cauſa redeat, inquiunt diſpenſationem quaſi reuiuiſcere: quia fuit ſuſpenſa pro illo tempore ceſſationis cauſa. Ita Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 30. *num.* 14. Hurtad. *diſp.* 26. *diff.* 13. *num.* 15. Coninc. *num.* 94. Dicaſt. *n.* 100. Trull. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub. n.* 5. Ex probant primò: quia deficiente cauſa, motiua, deficit conditio neceſſaria ad valorem diſpenſationis: eò quòd ſub conditione illius cauſæ videtur expedita. Secundò: quia ſi quis obtineat diſpenſationem comedendi carnes ob debilitatem ſi fiat robuſtus ceſſat diſpenſatio: ergò in præſenti ſimiliter. Addunt tamen prædicti Auctores quod ſi cauſa diminuatur; ita ut à principio non ſufficeret, ſi magna ex parte perſeueret, non vitiaretur diſpenſatio: quia maior cauſa requiritur, ut concedatur, quam, ut poſt conceſſionem annulletur.

*Sententia aſſerens ceſſante cauſa diſpenſationem obtentam corruere.*

29. Sed probabilius iudicamus, non ceſſare diſpenſationem ſemel obtentam, etiamſi cauſa ceſſet, ob quam fuit expedita, antequam ſuum ſortiatur effectum. Quod exemplis illuſtratur. Nam ſi Irregularis diſpenſetur ad ordines, vel ob paupertatem ſuam, vel parentum, vel propter Eccleſiæ indigentiam: quia Miniſtros non habet; apud omnes duraret diſpenſatio, etiam cauſa illa ceſſante, ob quam fuit obtenta. Similiter: ſi habens votum Religionis diſpenſaretur ob virium debilitatem, etiam factus robuſtus, duraret diſpenſatio: aliàs pluribus angeretur ſcrupulis, ignorans, quandò ſufficientes vires haberet. Quod tertio exemplo magis probatur. Si mulier coniugata haberet votum caſtitatis; & pro eo diſpenſationem obtineret ob periculum incontinentiæ, etiam ceſſante periculo, votum non reſurgeret: aliàs ſemper angeretur ſcrupulis in uſu matrimonij. ¶ Ratio igitur omnium eſt. Tum: quia gratia diſpenſationis conſummatur, quandò fit relaxatio legis, ſiue ablatio vinculi, vel impedimenti per legem introducti; ergò ſi tunc cauſa vera datur, etiamſi poſteà

*Probabilius eſt non ceſſare diſpenſationem per hoc quod cauſa ceſſet.*

ceſſet

ceſſet iſta, non redditur inualida diſpenſatio, nec obligatio extincta reſurgit: ſicut ex cauſa lex abrogata, illa ceſſante, iſta non reuiuiſcit. Tum etiam: quia apud omnes, diſcrimen eſt inter diſpenſationem abſolutè datam, & illam, quæ ſub conditione conceditur, *cap. Abbate de verb. ſignificat.* ſed, ſi ceſſante cauſa ceſſaret diſpenſatio, ſemper hæc conditionata eſſet: quia ſemper eſſet ſub hac tacita conditione expedita: *Si cauſa ob quam data eſt perſeueret.* Ita docent N. Ant. *num.* 556. N. Gab. *diſp* 9. *q.* 8. Baſil. *cap.* 20. *num.* 3. Perez *diſp.* 45. *ſect.* 6. *num.* 6. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 6. *num.* 66. *& ſeqq.* Suarez *libr.* 6. *de legib. cap.* 20. *à num.* 15. *& lib.* 8. *cap.* 30. per totum, Sa *verbo Gratia, num.* 6. Palaus *de priuilegijs diſp.* 4. *punct.* 15. *num.* 7. Angel. *diſp.* 4. Syl'ueſt. *eodem verb. quæſt.* 6. & probabilem dicunt Sanch. Dicaſt. Trull. locis pro contraria ſententia adductis. Eſtque conſona regulis iuris. *Regul.* 73. *de regul. iuris in* 6. ibi: *Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eueniat, à quo non potuit inchoari.*

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

30. Ad contraria argumenta reſpondetur. ¶ Ad primum conſtat ex dictis hanc eſſe conceſſionem abſolutam, à nulla conditione dependentem. ¶ Ad ſecundum dicimus: quod quandò actus ad quem datur diſpenſatio habet tractum ſucceſſiuum, ut in ieiunio, comeſtione carnium: quaſi multiplex, ibi datur diſpenſatio quæ reperitur ſecundùm diuerſa tempora, in quibus actus debebat poni: & ideò ſi tunc cauſa non adeſt, nulla eſt diſpenſatio pro illo tempore.

## PVNCTVM III.

### *Quæ expreſsio falſitatis, vel veritatis ſuppreſsio vitiet diſpenſationem in Matrimonij impedimentis?*

*Quando reſcriptum eſt ſubreptitium nullius eſt momenti.*

31. RESCRIPTA Pōtificis, quibus diſpenſationes, beneficia, aut ſimiles gratiæ expediuntur, & dicuntur reſcripta gratiæ (ut diſtinguantur à reſcriptis iuſtitiæ, de quibus nunc non loquimur: quia non ſpectant ad præſentem tractatum) ſi ſubreptitia, aut obreptitia ſint (quod in re idem eſt, diuerſis nominibus explicatum) ipſo facto gratiam aut diſpenſationem irritam reddunt: ſiquidem tunc ſubreptitia dicuntur, quandò ex errore vel ignorantia rei Pontifex talem diſpenſationem concedit, quam non concederet, & rationabiliter, ſi ex certa ſcientia procederet. Vndè cum ex eius voluntate, tota vis conceſſionis dependeat, hoc ipſo quod talem non habere iudicetur, nullius eſt momenti reſcriptum. Quarè ſi reticeatur id quod prorſus à conceſſione diſpenſationis Pontificem auerteret, ſi manifeſtaretur, vel id falsò manifeſtetur quod ipſum mouet ad tale reſcriptum expediendum, ſubreptitium iudicatur, ac proinde nullius momenti ad effectum.

*Qualis cauſa motiua, & impulſiua dicatur.*

32. Pro quo ſciendum eſt duplicem cauſam aſſignari communiter à Doctoribus: alia, quæ dicitur *motiua*, ſeu finalis principalis: alia *impulſiua*, ſeu finalis minus principalis. Illa eſt quæ concernit intrinſecè materiam ipſius reſcripti, & ſine qua non concederetur, ut ſunt regulariter in matrimonio omnes illæ cauſæ, quas *punct. præced.* aſſignauimus: quia omnes ſunt ex ſua ratione ad hanc materiam pertinentes; & ideò ſi aliqua ex eis aſſignetur, illa cenſetur ut motiua. Impulſiua verò eſt illa quæ intrinſecè materiam non concernit, ſed aliundè adiuuat, ut Pontifex facilius concedat talem gratiam, ut ſi allegetur, quod eſt amicus, quod eſt ſapiens, virtuoſus, &c. Si tamen in reſcripto una dumtaxat aſſignetur cauſa, illa motiua iudicanda eſt: quarè falſitas circà eam vitiat conceſſionem: quia ſemper cenſetur Princeps priuilegium concedere ex cauſa allegata, & ex illa moueri: Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 21. *num.* 41. Coninc, *diſp.* 33. *dub* 6. *num.* 59. Gutierr. *lib.* 2. *Canon. qq. cap.* 15. *numer.* 103. Palaus *tract. de priuilegijs diſp.* 6. *punct.* 16. § 3. *num.* 1. niſi fortè affirmet ſe ex certa ſcientia, & ex motu proprio id concedere: quia ut diximus *num.* 21. multoties poteſt abſque ulla cauſa ex parte petentis ex mera liberalitate diſpenſationem concedere, quod cenſendum eſt velle facere, quandò ipſe aſſerit ſe ex motu proprio id velle concedere. Quidquid in oppoſitum dicat Palaus, & alij ab ipſo adducti.

*Quæ expreſſio falſitatis vel veritatis ſuppreſſio vitiet reſcriptum.*

33. His ſuppoſitis dicendum eſt, non ex quacumque expreſſione falſitatis, vel veritatis ſuppreſſione, eſſe ſubreptitiam diſpenſationem, ſeu reſcriptum Pontificis, ſed quandò tacetur veritas, quæ iure, ſtylo aut conſuetodine debet exprimi, vel illud falsò allegatur, quod ſubticeri iure debebat, ſeu quod ſecundum ius Principem mouere rationabiliter poteſt. Ita Sanch. *num.* 13. Coninc, *num.* 61. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 15. *num.* 155. Palaus *num.* 3. Baſil. *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 2. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 27. *à num.* 6. Garcia 8. *part. de Beneficijs, cap.* 3. *num.* 20. Dicaſt. *diſp.* 8. *dub.* 6. *num.* 106. Perez *diſp.* 46. *ſect.* 1. *num.* 6. Explicatur concluſio. Etenim plura ſunt, quæ ſi exprimerentur, vel retardarent Pontificem à conceſſione, vel illum prorſus auerterent, & tamen, quia à iure non exigitur, quod exprimantur, etiamſi taceantur, eius reſcriptum non vitiant, ut quod petens ſit vitioſus, inimicus, &c. Alia exprimuntur falſa, quæ ſi non eſſent, Pontifex non concederet, ut quod ſit petens vir pius, doctus, prudens, & tamen in omnium ſententia non vitiant conceſſionem, quia hæc non ſunt de iure petita. Illa verò de iure, aut ſtylo, aut conſuetudine dicuntur petita, quæ ius, vel ſtylus, vel conſuetudo habet quod exprimantur, & non falſificentur, ut ſunt cauſæ illæ, quas *punct. præced.* aſſignauimus, & aliæ ſimiles.

*Quandò falsò exprimuntur, quæ de iure cum veritate debebant exprimi irritam faciunt conceſſionem.*

34. De his ergò dicimus, quod, ſi reticeatur illa, quæ Pontificem à conceſſione retraheret, ſi ſciretur, vel manifeſtetur falsò ea, ob quam Pontifex reſcriptum concedit, reddit ſubreptitiam ac proinde nullam conceſſionem: nam quandò ius exigit aliquam conditionem exprimendam, intelligitur eam poſtulare pro forma, argumento *ex cap. ſi motu proprio, de Præbendis in* 6. Vbi dicitur taciturnitatem valoris beneficij vitiare gratiam, etiamſi expreſſa concederetur, quia iure cauetur exprimi: ſed ſine forma actus non ſubſiſtit, ergò, &c. Quarè, etiamſi illud verum ex præſcripto iuris explicandum, inculpabiliter tacitum ſit, irritum reddit reſcriptum: nam ignorantia ſolum excuſat à culpa, non verò poteſt dare formam rei, quam non habet. Similiter, ſi exprimatur falsò id, quòd de iure mouet, non adeſt conſenſus Principis, ſiuè quo eius diſpenſatio non valet, diximus *vel à iure, ſtylo, vel conſuetudine*, quia non requiritur ad hoc eius ſcriptum, ſed ſtylus

curiæ

curiæ ius facit, *cap. Quam graui, de crimine falſi.* Et conſuetudo babetur pro lege.

*Occultatio rei, quæ ex iure non petitur manifeſtare, non vitiat reſcriptum.*

35. Quandò vero, nec ex iure, ſtylo, aut conſuetudine habetur qualitatem eſſe exprimendam, tum videndum eſt. An ſit intrinſeca materiæ? Vel tantum extrinſeca? Vt quod amicus, prudens, &c. Fuerit, quod prudentum arbitrio, attento ſtylo curiæ iudicandum eſſe aſſerit, Dicaſt. *&* Sanchez, locis citatis: ſi ergò ex cauſis extrinſecis fuerit, non vitiat conceſſionem; etiamſi fuerit motiua, ut in exemplo æleemoſynæ cernitur, quam ſi des pauperi, quem credis deuotum, & pium, aliter non daturus, valet, quamuis indeuotus, & impius fuerit, ſi tamen eſt verè pauper; quia boc intrinſecè ad eleemoſynam requiritur; non illud, Palaus, *loc cit.* ſi tamen ſit materiæ intrinſecæ, videndum eſt: An ſit cauſa motiua, vel non? Sed tantum impulſiua, ut facilius diſpenſatio obtineatur. Si fuerit tantum impulſiua, non officit occultatio eius, reſcripti valori: etiamſi facilius cum illa occultatione impetretur, arg. *ex capit. Dudum de Præbendis in 6.* Vbi ad valorem conceſſionis Beneficij. *non obſtat occultatio veri, quo cognito, etiam conceſſiſſet.* Si tamen eſſet cauſa motina, ſine qua Pontifex illud reſcriptum non concederet, reddit eius occultatio, vel falſa manifeſtatio reſcriptum ſubreptitium: quia tunc error, aut ignorantia concedentis dat cauſam conceſſioni; ſed quandò conceſſioni dat cauſam error, eſt ſobreptitia, ergò, &c. Ità Palaus, *ſupr. num.4. & 5.* Sanchez, *diſp. 21. num.17.* Dicaſt. *num.112.*

*Si plures cauſæ proponantur, una vera altera falſa, an vitietur conceſſio?*

36. Sed nunc inquires. An quandò in diſpenſationis petitione plures cauſæ aſſignantur, aliæ falſæ, aliæ veræ, erit talis diſpenſatio ſubreptitia? Reſpondetur: quod ſi ex illis omnibus una cauſa ſufficiens integratur, nulla eſt talis conceſſio; ſi vero quælibet ſeorſim ſufficiens eſſet ad mouendum Pontificem, etiamſi una, falsò proponatur ad faciliùs diſpenſationem impetrandam, non eſt ſubreptitia. Ità Baſil. *num.41.* Sanchez, *num.45.* Suarez, *de voto cap 27. num.11.* Palaus, § 9. *num* 2. Ratio primi eſt: quia, quandò ex pluribus cauſis una ſufficiens integratur, quælibet ex ſe eſt inſufficiens, ergo ſi una ex his falſo proponitur, corruit fundamentum, cui voluntas concedentis innititur. Ratio ſecundi eſt: quia quandò plura copulatiuè concurrunt, quæ de iure non ſunt neceſſaria, reſoluitur copulatiua in diſiunctiuam, *cap. Dudum, de Præbendis in 6.* Sed in præſenti una, & alia cauſa proponitur cum de iure una tantum ſufficiat, ergò in ſenſu diſiunctiuo eſt accipienda talis propoſitio: ac proindè, ſi una eſt vera, & ſufficiens, validam conceſſionem facit.

*Si quid dubitetur, pro valore conceſſionis?*

37. Sed quid dicendum eſſet, ſi dubitatio eſſet. An cauſa quæ falsò allegatur, fuerit motiua, vel impulſiua? Et idem eſt quandò dubitatur. An diſpenſatio fuerit valida? Vel quia eſt dubium de ſufficientia cauſæ, vel an fuerit impulſiua vel motiua, quæ falsò obijcitur, vel an ſatis probetur veritas narratorum? Dicimus quod in omnibus his caſibus, & ſimilibus, cenſenda eſt valida diſpenſatio: quia ſemper debet ſtare præſumptio in valorem actus: ſiquidem valori actus iura maximè fauent, & in dubio pro valore illius iudicant, *leg. Quoties, ff. de rebus dubijs, cap. Abb. de verbor. ſignific.* Dicaſt. *num.115. & 118.* Baſil. *num.41.* Sanchez, *lib.8. diſput.21. num.20. & 25.* Palaus, *de priuilegijs, diſp.6 punct.* 16. §. 4. *num.3.* N. Anton. *diſp.8. num.563.* N. Gabr. *diſp.9. num* 81.

*Non requiritur, quod ab eo, cui obtinetur, diſpenſatio petatur.*

38. Secundò inquires. An requiratur, quod priuilegium, aut diſpenſatio ex mandato eius vel generali, vel ſpeciali petatur, cui conceditur? Reſpondetur negatiuè. Sed poteſt pater, vel conſanguineus, inſcio eo, pro quo petitur, diſpenſationem valide impetrare, & probatur *ex capit. Si motu proprio de præbendis in 6.* Vbi ſtatuitur poſſe Beneficia impetrari ſine mandato eius, cui conceduntur. Ità N. Gabr. *num* 571: *&* Sanch. *lib.8. diſp 26. num* 4. ſed bene notat *num.* 5, non prodeſſe tale priuilegium, donec ab ipſo, vel ab alio acceptetur eius nomine: *& num.6. & 7.* optimè dicit, quod ſi impedimentum afficiat, utrumque coniugem, ſufficere, pro uno diſpenſationem impetrare: nam diſſoluto impedimento quoàd unum, etiam quoàd alium cenſetur ablatum, quandò utrumque afficit, ut inter conſanguineos, affines, &c. At ſi impedimentum utrumque independenter ab alio afficiat, ut ſi uterque votum caſtitatis emiſiſſet, non ſufficeret, quod unus diſpenſationem accipiat, ſed debet etiam alius eam adipiſci: quia obtenta ab uno diſpenſatio, non ſufficit pro diſpenſatione alterius impedimenti, quæ connexionem non habent.

*Quod ſit exprimenda copula in petitione diſpenſationis aliqui dicunt.*

39. Tertiò inquires. An quandò inter duos conſanguineos vel affines diſpenſatio petitur, requiratur, quod exprimatur copula inceſtuoſa, fortè inter eos ante expeditionem diſpenſationis babita: ita ut occultatio huiuſmodi copulæ vitiet reſcriptum? In quo eſt duplex ſententia, utraque ſatis probabilis: prima aſſerit, quod ſi inceſtus commiſſus fuerit inter conſanguineos volentes contrahere, ante expeditionem diſpenſationis, & commiſſus fuerit ſcienter ex parte utriuſque, & conſummatus fuerit ſecundum regulas generales ad copulæ conſummationem requiſitas, faciendum eſſe mentionem talis copulæ, ſi occulta fuerit, in ſacra Pœnitentiaria occulte, & tacito nomine contrahentium, ſimul exprimendo gradum conſanguinitatis, & quod diſpenſatio pro tali impedimento petitur; ſi tamen publica fuerit, exprimendam eam in petitione conceſſionis: tunc enim nullum ſcandalum, ſed potius illius ſatisfactio ſequitur. Ità Diana, 4 *part. tract.4. reſol.133.* Palaus, *de matrim. diſp. 4. punct. ult. §. 6. n.4.* Sanchez, *lib* 8. *diſp* 25. *num.*8. Laym. *lib.1. tract.4. cap.22 n.18.* Coninch, *diſp.33. dub.6. num.* 83. Gutierr. *de matrimon. cap.124. fin.* Rebell. *lib.3 quæſt.5. ſect.4. num.24.* Garcia, *de Benef. part.8 cap.3. à num.31.* Filiuc. *tom.1. tract.10. part.2. cap.12. num.* 336. Et probatur. Tum: quia ita declaraſſe Sacram Congregationem ipſi teſtantur. Tum etiam: quia quandò veritas narrata facit, quod diſpenſatio diuerſo modo obtineatur, ac quandò reticetur. vel cum limitatione, vel cum onere, aut grauamine impoſito, non poteſt non occultatio illius reddere involuntariam conceſſionem amplam, & abſolutam; ſed Pontifex, quandò ſcit copulam habitam inter conſanguineos, aliter concedit diſpenſationem, ac quandò illa non præcedit, vel exigens maiorem ſummam pecuniæ, vel pœnitentiam iniungens; ergo occultatio illius,

diſpenſationem facit ſubreptitiam. Tum denique: quia ita habetur ex ſtylo Curiæ Romanæ vim iuris obtinentis.

*Verius eſt non requiri manifeſtationem talis circumſtantiæ.*

40. Sed verior eſt ſecunda ſententia, quæ negat requiri manifeſtationem copulæ antea habitæ, ad valorem diſpenſationis, quam probabilem dicit Sanchez, *num.*12. & ut talem defendit Dicaſt. *n.*129 & ſtando iuri communi, independenter à declaratione Cardinalium probabiliorem vocat Ledeſ. *quæſt.*56. *art. ult. dub.*2. *diff.*3. *concluſ.*2. *&* 4. & abſolutè tenet Enriq. *lib.*12. *c.*2. *num.*7 Perez, *diſp* 46. *ſect.*6. Rodrig. *tom* a *ſumm. cap* 238 *n.*8. Auerſa, *quæſt.*19. *ſect.*6. Vega, a. *tom. ſumm. cap.* 34. *caſu* 97. Baſil. *numer.*32 Hurtad. *diſp.*26. *diff.*5. *num.*22. Villalob. *tom.*1. *tract.*14. *diff.*27. *num.*7. Diana, ſibi contrarius, ut ſolet, 1. *part. tract.*10. *reſ.*44. Ioan. de la Cruz. *in direct. conſcientiæ, part.* 2. *de Matrimon.* 5 *de diſpenſation. dub.*14. *concl.* 1. Ioan. Præpoſ. *in* 3. *part.* D. Thom. *quæſt.*8 *de diſpenſatione matrim. dub.*6 *num.*6 t. N. Anton. *ſect.*8 quia inceſtus ex ſe non indiget diſpenſatione, cum non ſit impedimentum dirimens (nec forte impediens, cum ſit ex conſuetudine abrogatum, & ſi fuerit, ab Epiſcopo diſpenſari poteſt, & ſi non diſpenſetur, non reddit matrimonium irritum) nec reddit difficiliorem diſpenſationem ſed faciliorem, cum ob talem cauſam ſoleat facilius diſpenſatio obtineri, quandò ſpe illam conſequendi, non eſt habita talis copula, de quo ſtatim, nec ex iure præcipitur declarari: quia nullum datur, nec ex ſtylo, aut conſuetudine: quia, licet plures ob ſecuritatem illam exprimant, alij à grauiſſimis Doctoribus moniti illam tacent, neque quia cum tali onere aut pœnitentia talis diſpenſatio obtinetur: quia hæc non eſt cauſa motiua diſpenſationis; ſed in pœnam delicti commiſſi aſſignatur, nec denique ex declaratione Cardinalium habetur, quia aliqui eam volunt vim habere pro foro dumtaxat exteriori, alij Cardinales id declaraſſe, non tamquam probabilius; ſed tanquam ſecurius, & tutius, alij denique quod verius eſt, ſolum tempore Pij V. fuiſſe talem declarationem appoſitam, qui ſuam mentem iam declarauerat, ſe nolle talem diſpenſationem concedere, niſi detecta hac circumſtantia.

*Etiamſi ab Epiſcopo interrogentur, poſſunt illam reticere.*

41. Ex quo inferunt ferè omnes Doctores noſtræ ſententiæ, & inferri ex illa teſtatur Sanchez, *lib.*8. *diſp.*25. *à n.*12. *&* Palaus, loco proximè citato, quod ſi talis diſpenſatio remittatur Epiſcopo, & ille antequam expediat eam, interroget contrahentes: an copula inter eos inceſtuoſa ſit habita? Poſſunt ipſi negare, etiamſi præſtito iuramento interroget: quia talis interrogatio eſt ſuperflua, & iuridicè in tali re non interrogat, & ſic non tenentur iuxtà illam reſpondere, ſed aſſerere non fuiſſe inter eos copulam, & ne veritati contraueniant, in mente retinere poſſunt *ut tibi dicamus.* Imò, etiamſi in reſcripto Pontificis veniat illa clauſula *niſi copula inter eos fuerit habita.* & interrogentur ab Epiſcopo ſuper eo: quia intelligitur de publicâ, non de ſecretâ, eo quod clauſula diſpenſationi adiecta iuxtà eius naturam eſt interpretanda, & ex natura talis diſpenſationis non petitur, quod talis circumſtantia explicetur, niſi quandò fuerit publica, & præcedat infamia, & tunc interroganti Epiſcopo debent verum aperire: quia ſi infamia præcedat, iam iuridicè interrogat. Ità Perez, *diſp.*46. *ſect.*6. *n.*6. Dicaſt. *ſup. n.*133. Ioan. de la Cruz, *ſup.* qui citat Lopezium, 1. *p. c.*296. Villal. *tom.*1 *tr.*14. *diff.*27. *n.*7. Baſil. *lib.*8 *c.*17 *n.*33. Auerſ. *q.*19. *ſect.*6. Enriq. *lib.*12. *c.*2. *n* 7. *&* Dian. utroque loco, tam pro noſtra, quàm pro contraria ſententia citatus ex Hurtad. *loc. ſup. adducto.*

*Si animo obtinendi diſpenſationem copula fuit habita, manifeſtari debet, ſi pro cauſa unica apponatur.*

42. Sed quid dicendum eſt, ſi copula inter conſanguineos habita, eo animo fuerit perpetrata ex parte utriuſque, ut faciliùs impetrent diſpenſationem? Debetne huiuſmodi malitia in petitione diſpenſationis manifeſtari, ne ſit ſubreptitia, & nulla: In hoc certum eſt, quod ſi copulam, vel infamiam ex ea prouenientem offerant, ut cauſam unicam ad impetrandam diſpenſationem, tunc neceſsè eſt, talem intentionem detegere: quia ſemper Eccleſia abhorruit doloſas, & malitioſas machinationes contrà illius præcepta: & tunc Pontifex difficiliùs diſpenſat, & ex ea mouetur ad imponendam maiorem pœnitentiam, & exigendam maiorem ſummam pecuniæ, ut ſic homines à tali delicto auertat. Ità Auerſa, *q.*19. *ſect.*6. Sanchez, *lib* 8 *diſp.*25. *n.*38. Palaus, *de Matrim. diſp.*4. *punct. ult.* §. 3 *n* 9 Sed addit benè Palaus, ex Hurtad. *diſp* 20. *de Matrim. diff.*5. *fin.* quod nō requiritur talis circumſtantiæ manifeſtatio, ſi ſolum talis intentio fuit in mente concepta, & non exterius manifeſtata: quia talis intentio non ſubiacet Eccleſiæ poteſtati: imò, etiamſi exterius manifeſtetur, ſi tamen occulta fuerit copula, poterit ſecretò per ſacram Pœnitentiariam diſpenſatio obtineri, manifeſtando eam ibi, etiam occultis nominibus contrahentium, dummodò declaretur diſpenſationem petendam eſſe de impedimento, & de facto à Pontifice talis diſpenſatio petatur. Sanchez, *lib.*8. *diſp.*25. & cum eo Coninch, *ſup. num.*83.

*Si aliæ cauſæ offerantur, nō requiritur quod talis circumſtantia manifeſtetur.*

43. At verò, ſi in petitione diſpenſationis aliæ cauſæ ſufficientes apponantur, ſicut poteſt reticeri copula antè præhabita, ità illa mala fides, qua perpetrata eſt: quia tunc dolus contrahentibus non patrocinatur, cum non apponatur infamia ex copula imminens mala fide habita; ſed aliæ cauſæ pro diſpenſatione conſequenda: & talis circumſtantiæ manifeſtatio ſolum eſt neceſſaria, quandò ipſa pro cauſa unica apponitur, ad faciliùs impetrandam diſpenſationem. Vndè ſi reticetur, ut fieri poſſe probabimus, etiam occultari poteſt, quod fuit tali animo commiſſa. Et idem dicendum eſt, quandò aliæ cauſæ ſufficientes aſſignantur, & talis copula, ſeu infamia ex illa orta, ad faciliùs impetrandum, & ut cauſa impulſiua apponitur. Ità ferè omnes Doctores, quos *num.*41. pro noſtra ſententia adduximus: maximè ſi non præcedat matrimonium de præſenti contractum, & illo malo animo conſummatum: quia tunc neceſſaria erit talis intentionis manifeſtatio, ut ex *Concil. Trid. ſeſſ.*24. *cap.*5. *probat* Baſil. *lib.*8. *cap.*16. §. 6. *num* 34.

## PVNCTVM IV.

*Qualis manifeſtatio impedimentorum requiratur, ut diſpenſatio nō ſit ſubreptitia?*

44. IN hoc puncto, ut certum apud omnes ſupponimus, eſſe ſubreptitiam diſpenſationem, niſi exprimantur omnia impedimenta,

*Omnia impedimenta debent exprimi, & omnes gradus affinitatis, & conſanguinitatis.*

dimenta, quæ obſtant matrimonio, & in contrahentibus ſubſunt. Vndè ſi in eis detur conſanguinitas, affinitas, crimen machinationis, aut adulterij, cum promiſſione matrimonij, omnia hæc debent manifeſtari: & non ſufficit, ſi ſortius impedimentum detegatur: eo quod, qui petit diſpenſationem manifeſtando unum impedimentum, & alia reticendo, de illo, quod manifeſtat, diſpenſationem obtinet; non de alijs. Imò etiam in impedimento conſanguinitatis, & affinitatis, debet exprimi gradus illorum, & ſi eſt in linea recta, vel collaterali, & in cognatione ſpirituali: ſi tale impedimentum oritur ex paternitate, vel compaternitate: nam in illa rariſſimè ſolet diſpenſari. In affinitate autem non requiritur, quod manifeſtetur, an ſit habita ex fornicaria copula, vel matrimoniali, dummodo gradus exprimatur: quia utraque eiuſdem rationis eſt. Gradus igitur in omnibus debet exprimi: quia, quo propinquior eſt, difficilius diſpenſatio obtinetur, maior cauſa requiritur, & maior compenſatio imponitur, ſi tamen gradus ſecundus, v. g. ex ignorantia, vel malitia exprimatur & erat conſanguinitas, vel affinitas in tertio, valet diſpenſatio: quia in ſecundò tertius continetur, & acquiſita diſpenſatione pro uno, acquiritur pro alio. Palaus, *de matrimon. diſp. 4. punct. ult. §. 3. num* 4. Sanchez, *lib* 8 *diſp.* 24. *n.* 17. Baſil. *lib.* 8. *cap.* 17. *n* 31. Auerſa, *q.* 19. *ſect.* 5. Dicaſt *diſp.* 8. *dub.* 9. *n.* 154. N. Anton *diſp.* 8 *ſect.* 6.

*Gradus propinquior debet exprimi in linea recta.*

45. Sed difficultas eſt, quandò eſt inæqualitas in gradibus lineæ collateralis. An ſit manifeſtandus ille; qui eſt propinquior? An verò ſufficiat manifeſtari remotior? Vt ſi contrahas cum Maria, quę à ſtipite diſtat in tertio gradu tu verò in ſecundò: An ſufficiat quod manifeſtetur conſanguinitas, vel affinitas in tertio gradu, ut diſpenſatio ritè, & validè obtineatur? Et diximus *in linea collaterali*. Nam ſi propinquior ſit in linea recta, & ſit in primo gradu: etiamſi alius ſit remotior, ille explicandus eſt: quia ita expreſsè decernitur à Pio V. motu quodam proprio expedito *anno* 1566. die 26. Auguſti incipienti Sanctiſſimus.

*In linea tranſuerſali inæquali ſufficit ſi gradus remotior exprimatur.*

46. Sed licet olim circà quæſitum aliqua controuerſia fuerit; at poſt dictum decretum Pij V. nullum eſt dubium inter Doctores. Nam in eo deciditur, ſufficere, quod exprimatur gradus remotior, obtentis ſuper propinquiori litteris declaratorijs, & meritò: quia ut diximus *cap.* 12. *num.* 9. quandò datur linea tranſuerſa inæqualis, tot gradibus cenſentur duo inter ſe diſtare, quot remotior diſtat à ſtipite. Sed litterę illæ declaratoriæ exiguntur à Pontifice, ut euitetur ſcandalum vulgi, quod facilè mouetur, iudicans ſecundum propinquiorem, debere gradum computari. Vndè ſi impedimentum ſit occultum, & tale ſcandalum non detur, non requiruntur tales litteræ, ut rectè docent Dicaſt. *n.* 151. Sanch. *n.* 28. Baſil. *n.* 26. Conínch, *diſp.* 36 *dub.* 6 *n* 72. Enriq. *lib.* 12. *c.* 3. *n.* 6. Auerſa, *q.* 10. *ſect.* 5. Imò etiamſi publicum fuerit impedimentum, & publicè talis diſpenſatio petatur, harum litterarum omiſſio non officit valori illius. Addimus etiam, non peccare, qui has litteras omittit obtinere, & abſq; illis contrahit, ubi nullum ſcandalum timetur. Ità Sanchez, *n.* 31. Baſil. *loc. cit.* §. 5. Dicaſt. *num.* 153. Perez, *diſp.* 46. *ſect.* 5. *num.* 7.

*Non requiritur, quod mentio fiat diſpenſationis prioris, quandò ſecunda petitur.*

47. Nunc triplex difficultas remanet à nobis enodanda, Prima. An ſi aliquis circà aliquam materiam iam diſpenſationem obtinuerat, & nouam petat circà illam, requiratur, quod mentionem prioris faciat, in petitione diſpenſationis ſecundæ? V. g. obtinuiſti diſpenſationem ad contrahendum cum Berta conſanguinea tua, mortua illâ vis contrahere cum aliâ conſanguinea; quæritur: an tenearis mentionem facere diſpenſationis prioris, ut poſteriorem validè obtineas? Reſpondetur quod quandò impedimentum prius, de quo eſt diſpenſatio obtenta, eſt diuerſæ rationis, ut ſi prius voti obtinuiſti diſpenſationem, & nunc conſanguinitatis vis obtinere: vel ſi ſit eiuſdem rationis, non tamen ex crimine ortum, ut in conſanguinitate, affinitate, vel voto, non requiritur, quod mentio fiat prioris diſpenſationis. quia nec per hoc redditur diſpenſatio difficilior, nec Pontifex mouetur ad negandam ſecundam, per hoc quod conceſſerit primam. Ità Palaus, *de privileg. diſp.* 16. *punct.* 6. §. 4 *num.* 7. Baſil. *à n* 9. Auerſ. *ſect.* 6. Suarez, *lib.* 6. *de legibus*, *cap.* 23. *à num.* 13. Conínch, *diſp.* 33. *dub.* 6. *num* 88.

*Quandò eſt impedimentum ex crimine debet prioris diſpenſationis mentio fieri in diſpenſatione poſteriori.*

48 Si tamen illud impedimentum ortum fuit ex crimine aut machinationis, aut adulterij cum promiſſione matrimonij, neceſsè eſt ad nouam diſpenſationem obtinendam prioris iam obtentæ memoriam facere: quia tunc ex repetito crimine redditur difficilior diſpenſatio, & ob relapſum in illud ſe indignum facit Eccleſiæ benignitate, qui iterum illud committit, & ſic meritò retrahitur Pontifex ab illa concedenda, niſi maiori impoſita pœnitentia, aut pecuniæ ſummâ: quod non accidit, ſi ex diuerſo crimine utrumque deueniat, unum ex adulterio, aliud ex machinatione, ſed quandò ex repetione eiuſdem delicti, & ideò *in leg. Nemo, C. de Epiſcopi audientia.* dicitur: *Remiſſionem veniæ crimina niſi ſemel commiſſa non habeant.* Ità Auerſa, & Conínch, *loc. citat.* ¶ Illud certum eſt apud omnes, quod ſi aliquis non obtinuit diſpenſationem impedimenti, quã petijt, nõ requiritur quod ſi de nouo petit, in ſua petitione prioris denegationis mentionẽ faciat, ſiue ab eodem, ſiuè ab alio Pontifice facta fuerit: quia id ex iure, aut ex conſuetudine non habetur, & licèt fortaſsè Pontifex prioris negationis conſcius ſecundæ petioni non annueret, eſt iſta cauſa ſatis extrinſeca diſpenſationi, & ſic impulſiua, non motiua. Et ideò, ſi cauſa, quæ apponitur, eſt de ſe ſufficiens ad diſpenſationem obtinendam, quod iſta negata fuerit prius, non vitiat poſtmodum eam. Ità Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 22. *n.* 14. Suarez, *lib.* 6. *cap.* 22. *n.* 1. Baſil. *n.* 3. Palaus, *ſuprà cit.* §. 4 *num.* 5.

*An debeant omnia impedimenta eiuſdem rationis aperiri?*

49. Secundà difficultas eſt. An ſi impedimenta plura, ſed eiuſdem rationis in eodem reperiantur, ſit neceſſarium omnia detegere, ut non ſit reſcriptum ſubreptitium? Nimirum vult aliquis contrahere cum Ioanna, cum qua eſt ex duplici capite conſanguineus, ex patre videlicèt, & matre, vel cum qua habet duplicem affinitatem: quia cum duplici ſorore eius fornicatus eſt, vel ſpiritualem cognationem: quia duos filios eius ex ſacro fonte leuauit, vel unum in Baptiſmo, alium in Confirmatione tenuit. Quæritur: an ſufficiat declarare gradum affinitatis, conſanguinitatis, vel cognationis, non detegendo, quod



Digitized by Google

ex multiplici capite proueniat? In quo eſt duplex ſententia.

*Aliqui dicunt non requiri, quod omnia detegantur.*

50. Prima aſſerit ſufficere exprimere unum ex his impedimentis in gradu propinquiori: quia omnia illa unam ſolam conſanguinitatem, vel affinitatē conſtituunt, eo quod in eodem ſubiecto, plura ſolo numero diuerſa accidentia eſſe nō poſſunt. Quemadmodum non requiritur quod explicetur, ſi affinitas ex multiplici copula oritur, vel una: vel qui diſpenſationem voti vult impetrare, non debet explicare, quod multoties illud repetierit, nec nouam irregularitatem incurrit, qui in ſacris excommunicatus miniſtrat, ſi ſemel propter talem culpam factus fuit irregularis. Ità Enriq. *lib.* 12. *c.* 10. *n.* 3. *& in comment. lit.* N. dicit plures viros doctos id aſſerere, loquendò de conſanguinitate, & loquendo de affinitate in *ſum. de matr. c.* 27. *poſt.* 6. *concl diff.* 2. Rodrig. *tom.* 1. *ſum. in* 2. *edition c.* 238. *n.* 1. *in fin.* Vega, 2. *tom. ſum. c.* 34 *caſu* 98. *in fin.* Ludou. de S. Ioan. *quæſt.* 7. *de matr. art.* 3. *dub* 1. & probabilem dicit Baſil. *lib.* 8. *cap.* 17. § 5. *num.* 25. quatenus oppoſitam vocat probabiliorem. Idem Leand. *diſp.* 24. *dub* 37. N. Anton. *num.* 577.

*Verius eſt debere omnia manifeſtari.*

51. Sed dicendum eſt debere explicari conſanguinitatem, affinitatem, vel cognationem multiplicem ex diuerſo capite prouenientē. Ità Baſil. *&* Leand. *loc. cit. &* Ledeſ. loquendo de conſanguin, Auerſa, *q.* 19 *ſect.* 5. *de omnib.* Sanchez, *lib* 8. *diſp.* 24. *n.* 5. Dicaſt. *n.* 142. Coninch, *n.* 81. Palaus, *de matr. diſp* 4. *p. ult.* §. 3. *n.* 1. Hurtad. *diſp.* 26. *diff.* 6. *n.* 28. Villal. *tr.* 14. *diff.* 27. *n* 1. Et ratio eſt: quia eſt noua, vel maior propinquitas, quandò ex tot capitibus oritur, quam ſi ex uno tantum: & eſt aut diuerſa totaliter, cum ſint diuerſæ relationes reſpicientes diuerſa extrinſeca, vel unà cū diuerſis gradibus, quorū unus tolli poteſt manente alio, & ideò difficilior eſt impetratu diſpenſatio in tali caſu, ac ſi ex uno tantum capite proueniret, & urgentior cauſa ad hoc requiritur, proindeque diſpenſatus reſpectu unius, non cenſetur diſpenſatus reſpectu alterius: eſt ergò multiplex moraliter, vel æquiualenter talis propinquitas, quandò eſt reſpectu diuerſorum, non verò ſi ſit reſpectu unius, ut in exemplis poſitis pro contraria ſententia cernitur.

*Si plura ſimul habeat impedimenta, poſſe diuiſinè illorū petere diſpenſationem, aliqui affirmant.*

52. Tertia difficultas eſt. An ſi in aliquo plura impedimenta concurrant, poſſit diuiſim de illis diſpenſationem impetrare, non facta, in petitione diſpenſationis unius, mentione alterius? v. g. vult aliquis contrahere cum Ioanna, cum qua habet conſanguinitatem, & etiam affinitatem propter copulam habitam cum ſorore eius, & etiā habet votum Religionis, aut caſtitatis. Poteritne petere diſpenſationem, unam pro voto, non facta mentione de alijs, & aliam diſpenſationem pro conſanguinitate, aliam pro affinitate? An verò debet omne ſimul impedimentum, quod habet detegere, ut diſpenſatio non ſit ſubreptitia? Primà ſententia aſſerit, ſufficere, quod in petitione unius unum impedimentum detegatur, & alterum in petione alterius. Ità Nauarr. *lib.* 4. *conſil tit. de conſang. conſ.* 7. *n.* 2. *&* 3. Enriq. *lib.* 12. *c.* 2. *n.* 4. *in comm. lit* Z. *pro foro externo*, Ledeſ. *q.* 59 *ar. ult. dub.* 2. *diff.* 3. quandò unum eſt impedimentum dirimens, aliud impediens. Vega, 2. *p. ſumm. cap.* 34. *caſ.* 97. *ad fin.* quos refert Sanch. *diſp.* 23 *num.* 1. Et ipſe hanc ſententiam probabilem vocat Salas, *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 15. *n.* 122. Rodrig. *diſp.* 238. *n.* 1. Sà, *ſumm. verb. Diſpenſatio, n.* 16. & probabilem vocat Villal. *tr.* 24. *diff.* 27. *n.* 4. Dicaſt. *n.* 144. N. Anton. *num.* 578. & ſatis benè N. Gabr. *diſp.* 9. *n.* 77. quia nullibi ex iure habetur id requiri, & integrè poteſt unum impedimentum tolli ſine aliò, & cauſa cuiuslibet integrè cognoſci: ſicut poteſt quis duplici excommunicatione alligatus, nunc abſolui ab una, & poſteà ab aliâ.

*Alij oppoſitam conſent.*

53. Secunda ſententia dicit requiri, utrumque impedimentum ſimul exponi: quia id habetur ex praxi, & conſuetudine curiæ: Tum etiam: quia impedimentum unum ex alterius coniunctione redditur difficilius diſpenſatu; quia unum cum alio longè diuerſum, & ſtrictius vinculum efficit, ut conſtat ex *cap. Ex tuarum de authoritate, & uſu pallij cap.* 1 *de tregua, & pace, cap. Paſtoralis, de priuilegijs.* Et ideò prudenter Pontifex difficilius talem diſpenſationem largiretur, & urgentiorem cauſam pro illa poſtularet. Ità Sanchez, *lib.* 8 *diſp* 23. *n.* 2. Baſil. §. 4. Suarez, *lib.* 6. *de leg. cap.* 24. *n.* 2. Diana, 1. *part. tract.* 10. *reſol.* 39. Leand. *diſp.* 24 *q.* 35. Dicaſt. *n.* 146. Palaus, *ſup cit. n.* 11.

*Mediā viā incedimus, & utramque ſententiam ad concordiam reducimus.*

54. Sed nos claritatis gratia diſtinguimus. Nam vel impedimenta ſunt talis rationis, ut maiorem indecentiam, & repugnantiam cum matrimonio, coniuncta, afferant, vel non? Si primū, cum ſecunda ſententia dicimus debere utrumq; ſimul exprimi: quia tunc currit illa ratio maioris difficultatis in impetranda diſpenſatione. Quis enim negaret, difficiliùs Pontificem diſpenſare cum uno, ut contrahat cum muliere conſanguinea, cuius ſororem cognouit carnaliter, quam cum diuerſis, in quibus talia impedimenta darentur, propter maiorem indecentiam, & repugnantiam cum matrimonio, quæ ibi reperitur? Quis non videat urgentiorem cauſam requiri ad diſpenſandum ſimul cum habente ſex impedimenta, quam cum ſex perſonis, quarum ſingulæ ſuum impedimentum haberent? Quia ibi maior repugnantia & indecentia ex coniunctione omnium conſurgit. At verò, ſi impedimenta diſparatè ſe habent, & unum ex coniunctione alterius non augeatur, ut ſi votum cum conſanguinitate reperiatur, conſanguinitas cum machinatione, &c. tenenda eſt prima ſententia. Nec diſſentiunt Authores ſecundæ, ut videre eſt ex limitationibus, quas illi apponunt. Sed addunt Coninch, & Auerſa, *q* 19. *ſect.* 5. quod ſi iuſta cauſa detur ſeparationis, ut ſi unum eſſet publicum, aliud ſecretum, & infamiam poſſet adducere, validè, & licitè poſſunt ſeparari, ut ſi contrahat cum conſanguinea cuius ſororem cognouit occultè, ne diffamentur contrahentes, quod inquit Auerſ. ſtylum curiæ obſeruare.

## CAPVT XV.

### *De his, quæ pertinent ad uſum matrimonij.*

PLura ſunt, quæ ad matrimonium conſequuntur, & ad uſum illius licitum ſunt requiſita, de quibus omnibus hoc cap. pertractabimus, quæ probabiliora ſunt eligentes, & breuitatis gratia ab opinionum plurimarum enarratione abſtinebimus.

Caput

Caput hoc continet 6. puncta.

*Punct. I. De obligatione coniugum ad reddendum ſibi invicem debitum coniugale. num.* 1.

*Punct. II. Vtrùm coniux debeat reddere debitum coniugale alteri coniugi illicitè petenti? num.* 13.

*Punct. III. Vtrùm ex impedimento ſuperuenitate affinitatis, vel cognationis ſpiritualis, impediantur coniuges à petitione, vel negatione debiti? n.* 21.

*Punct. IV. Quomodo ſe debeat gerere in petitione, vel redditione debiti: qui eſt certus, vel dubius, vel habet opinionem probabilem de invaliditate matrimonij? n.* 13.

*Punct. V. Quomodo ex fine, ex tempore, ex ſitu, ex loco, poſſit actus coniugalis vitiari? num.*55.

*Punct. VI. Quomodo ob damnum fœtus ſit inter coniuges illicita copula? Et de tactibus, verbis, aſpectibus &c. Quæ liceant inter illos num.* 75.

## PVNCTVM I.

### *De obligatione coniugum ad reddendum ſibi invicem debitum coniugale.*

*Nemo per ſe debitum petere tenetur: per accidens aliquandò.*

1. CErtum eſt apud omnes, neminem ex coniugatis per ſe teneri ad petendum debitum ab altero: quia pertinet ad ius ſuum, cui renuntiare poteſt. Nemo enim iure ſuo uti tenetur; per accidens vero multoties tenetur vir ſpecialiter debitum petere uxori, ut docet D. Thom. *in 4. diſt. 32 quæſt unic. art. 2. quæſt. 1. corp. & in addit. quæſt 64. art. 2.* Vt eſt, quandò licet non verbis, tacitè tamen petit, vel ſignis voluntatem exprimentibus, vel quandò vir petituram coniugem credit prudenter, ſed non audere ob verecundiam ſuum deſiderium explicare, vel ſi vir ex natiua uxoris conditione id ſuſpicetur, vel ipſam naturam ad id inclinatam conijciat, ſed vel ob ruborem, vel timorem, à tali petitione abſtinere: quia tunc propriè non eſt petere debitum; ſed virtualiter reddere. Quarè licet vir habuerit votum caſtitatis, aut affinitatem cum uxore ob fornicationem poſt matrimonium cum conſanguinea eius, vel cognationem ſpiritualem: quia filium communem, vel alterius ex ſacro fonte leuauit quibus caſibus, modo infrà explicando, non poteſt petere, in caſu de quo loquimur poteſt, & debet: quia propriè non eſt petitio debiti, ſed redditio illius, ad quam teneri in dictis caſibus infrà dicemus Bonac. *q. 4 punct. 1 n. 5.* Auerſ. *quæſt. 21 ſect. 1.* Sanch. *lib. 9. diſp 2. num. 4.* Dicaſt. *diſp. 9 dub. 17. n. 199.*

*Etiam uxor aliquandò petere tenetur.*

2. Idem philoſophandum eſt de uxore reſpectu viri, licet rarò in viro contingat, ob ruborem, vel verecundiam à petendo debito abſtinere, ſi tamen aliquandò eueniat, & uxor id prudenter ſuſpicetur, tenetur petere ipſa: quia militat eadem ratio cum ſint in actu coniugali pares. Ità Sanch. *n. 5. & n. 6.* cum pluribus à ſe adductis. Quod ſi uxor prudenter, ſibi, vel coniugi, imminere periculum incontinentiæ timeat, (& idem eſt de viro reſpectu uxoris) quod petendo poteſt avertere, tenetur ad talem petitionem, vel ex iuſtitia, vel ex charitate, vel ex ipſa virtute caſtitatis (quod nō diſputamus) quia licet ſit metaphyſicè petere, moraliter tamen eſt reddere Ità D. Th. *in 4. diſt. 32. q. unic. art. 2. ad 1. & in addit. q. 64. art 2. ad 1.* Dicaſt *diſp. 9 dub. 17.* Conin. *diſp. 4. dub. 2. n. 13.* Perez *diſp. 50. ſect. 1.* Auerſ. *q. 21. ſect. 1.* Sed hæc obligatio magis currit in uxoribus reſpectu virorum, qui faciliùs ad alias mulieres ſe diuerterent, niſi cum propria ſuæ libidini ſatisfaciant. Vndè quandò coniux prudenter talem diuerſionem timet, & quod ſe illi offerendo, poteſt à talibus peccatis virum retrahere, tenetur blanditijs, & alijs modis omnibus ad ſe attrahere, ut hoc medio ipſum ab alijs retrahere poſſit.

*Peccat mortaliter coniux, qui debitum negat.*

3. Peccat mortaliter coniux, regulariter loquendo, quandò negat debitum coniugale alteri expreſſè, vel tacitè (modo explicato n. 1.) petenti illud, niſi ex iuſta cauſa à tali obligatione excuſetur. Ità D. Thom. *loc. cit.* & probatur ex illo Pauli 1. *ad Corinth. 7. Vir uxori debitum reddat, & ſimiliter uxor viro.* Et ratio eſt: quia coniuges ex vi contractus matrimonij, obligantur ad talem mutuam redditionem debiti: quia ex vi illius uterque tradidit alteri poteſtatem ſui corporis, in ordine ad uſum coniugij, & ſic ex iuſtitia ad tale debitum ſoluendum obligatur: quemadmodum in alijs contractibus obligatur ex iuſtitia rem tradere ei, à quo pretium pro ea recepit: ſed obligatio ex iuſtitia eſt grauis, & peccat grauiter, qui contrà eam delinquit, ergò, &c. Sed diximus. *Niſi ex iuſta cauſa excuſetur.* Et poſtmodum explicabimus, ex quibus cauſis liberetur coniux à talis debiti redditione etiam altero petente.

*In aliquibus caſibus non erit peccatum negare debitum.*

4. Diximus etiam *regulariter loquendo*: plures enim dantur caſus, in quibus non ſit peccatum tale debitum petenti negare, ut ſi non petat ut debitum ſibi ex iuſtitia; ſed beneuolè, & amicè, & non ut rem debitam; ſed ut ſibi gratam; nec intendens obligare; ſed ſicut amicus ab amico rem debitam efflagitat; abſque intentione obligandi eum. Auerſ. *ſect. 1. §. Ex alia parte* Bonac. *n. 1.* Sanch. *num. 11.* Rebell. *lib. 2. q. 16 n. 3.* Dicaſt. *n. 100.* Enriq. *lib. 11. c. 15. num 7.* Et colligitur amicabiliter, & benevolè tantum petere, ſi non enixè, & inſtanter efflagitet, ſed facilè precibus acquieſcat, ſi non exaſperetur ob negationem, vel triſtetur, & aduertunt Authores citati cum Sanch. *lib. 9. diſp. 2. à n. 10.* quod ſi coniux remiſſè, aut frigidè petat, & facilè acquieſcat precibus, vel ſi petitus differat aliquantulum, vel ſi frequentius, quam par eſt, alter petat, non erit peccatum tale debitum negare, præciſo periculo incontinentiæ; vel etiam ſi tanquam rem debitam petat, & una, vel altera vice negetur, maximè ſi frequens ſit in tali petitione: quia cenſetur leuis iniuſtitia, vel ob parvitatem materiæ excuſatur à graui peccato, non tamen debet coniux petitus eſſe in negatione precibus importunus, ſed conſultius eſt, pondere, & menſura ſervata alteri petenti acquieſcere.

*Peccat mortaliter qui ſe impotentem reddit.*

5. Ex quo ſit, peccare mortaliter coniugem, qui medijs illicitis, ſe impotentem reddit notabiliter ad reddendum debitum petenti: quoties moderatè petit ſicut qui ſe impotentem reddit ad ſoluenda alia debita ciuilia: & ideò, qui ſe frequenter polluendo, vel ad alias fœminas accedendo, facit impotentem ad reddendum debitum uxori propriæ, quotiès rationabiliter petit, ultrà malitiam incontinentiæ, vel adulterij, incur-

tri aliam contrà obligationem, quam habet, non ſe inhabilitandi ad reddendum debitum uxori, quam ſpecialem circumſtantiam debet in confeſſione detegere. Ità D. Th. *in 4. diſt. 32. q. unic. art. 1. ad 3. & in add. q. 64. art. 1. ad 3.* Bonac. *ſup. n. 2.* Sanch. *lib. 9. diſp. 3. n. 2.* Dicaſt. *n. 109.* Auerſ. *q. 21. ſect. 1. §. Inferes*, Coninch, *diſp. 34. dub. 2. n. 18.* N. Gabr. *diſp. 7. num. 8.*

*Non debet uxoratus ieiunijs, & abſtinentijs immoderatis ſe impotentem reddere.*

6. Similiter: non debet uxoratus notabili vitæ auſteritate, vel ieiunijs, & pœnitentijs ità extenuare corpus, ut notabiliter fiat impotens ad debiti ſolutionem: & ſi ad id aduertat, & ſint immoderata, indeque fiat, ut non poſſit multotiès uxori petenti debitum reddere, peccat contrà iuſtitiam: quia quandò aliquid præcipitur, prohibetur id, quòd à præcepti adimpletione auertit: ideòque excuſatur à ieiunijs, alijſque abſtinentijs Eccleſiaſticis, ſi cum illis fiat impotens notabiliter ad debiti ſolutionem: lex enim iuſtitiæ, quæ eſt naturæ, præualere debet legi Eccleſiaſticæ. Nec Eccleſia cum præiudicio alterius vult ſua præcepta adimpleri. Bonac. *n. 2.* Auerſ. *ſect. 1.* Coninc. *diſp. 34 dub 2. n. 18.* Sanch. *lib 9. diſp. 3. à n 2.* N. Ant. *diſ. 9. num. 643* Qui verò ſe extenuat, & debilitat abſque fraude, & bona fide ſeruans Eccleſiæ ieiunia, & alia moderata exercitia pœnitentiæ, vel honeſtis literarum exercitijs, non peccat: quia licet per hæc fiat minùs potens; non verò impotens, ut ſupponimus. Nec tenetur abſtinere à ieiunijs, pœnitentijs alijsvè exercitijs ſpiritualibus, quibus ſaluti animæ conſulat, ut potentior, & robuſtior conſeruetur. Imò licèt aliquandò fiat impotens, ſi non pro multo tempore, poterit moderatè his exercitijs incumbere, ut ſalutem animæ procuret: ſi enim non tenetur ab alijs exercitijs corporalibus ſe abſtrahere, quibus bona temporalia, & domus honeſtam ſuſtentationem procuret, cur ab his abſtinere debeat ſi non fiant cum notabili incommodo partis, ut animæ incolomitati attendat ità D. Th. *in 4. diſt. 31. qu. unic. art. 1. ad 3 in add. q. 64. ar. 5. ad 3. Sequitur* Bartholom. de Ledeſm. *Matrim. dub. 72. concluſ. 2.* & ex parte Sanchez, *lib. 9. diſp. 3. num. 5.*

*Idem dicendum eſt de fœmina reſpectiuè.*

7. Eodem modò dicendum eſt de fœmina, quæ ieiunijs, & vigilijs, alijsuè exercitijs ſe deformem aut exoſam viro reddit, præbens illi occaſionem ut ad alias ſe diuertat, peccat, ſi aduertat: & ab eis abſtinere tenetur, & à ieiunijs alijſque abſtinentijs Eccleſiaſticis liberatur, ſi per hoc notabiliter ſe deformet. Si tamen per ea non nimis ſe disfiguret; quamvis illam corporalem pulchritudinem naturalem non omninò conſeruet, non debet cum detrimento animæ, ab his abſtinere exercitijs: & ſi ob id maritus occaſionem ſumat ad alias ſe diuertendi, non eſt ab ea data; ſed ab illo ſumpta. Si enim ob familiares curas, manuumque labores, & ſolicitationem rerum corporalium, quæ ſunt familiæ neceſſariæ poteſt illud detrimentum ſubire, cur non, ut animæ ſaluti conſulat, & in via Dei proficiat? Qui enim inde occaſionem ſumeret ſe diſtrahendi, eodem modò ſe diſtraheret, quamuis uxor ob eius captandam beneuolentiam ab his abſtineret. Fateor, quod ſi probabiliter ſuſpicaretur mulier, quod ſe cum omni pulchritudine conſeruando, poſſet eum ab incontinentiæ periculo liberare deberet abſtinere ab his exercitijs: ſed hoc quam rariſſimè eueniet.

*Non poteſt longam abſtinentiam coniux ſine licentia alterius facere.*

8. Denique non poteſt coniux frequentes, & largas abſtinentias exercere, quibus ſe à redditione debiti impediat, niſi de conſenſu uxoris id faciat, vel neceſſitas rerum familiarium id depoſcat: quia non debet cum ſuæ familiæ detrimento uſui matrimonij incumbere. Irrationabiliter namq; conquereretur coniux, ex eò quod ob talem cauſam maritum abſentias facere videret: omnia enim ſua pondera, & menſuram habent; Et omnia matrimonium in bonum filiorum depoſcit. Non verò poteſt peregrinari deuotionis, vel curioſitatis cauſà abſque conſenſu uxoris, cum per id matrimonij uſus impediatur.

*Non tenetur uxor infirma aut cum infirmitatis graui periculo debitum reddere.*

9. Cùm dixerimus, ex iuſta cauſa poſſe negare debitum coniugem alteri petenti; videamus nunc quæ cauſæ poſſunt ad hoc excuſare? Et in primis certum eſt, quòd ſi periculum vitæ, aut grauis infirmitatis imminere timeatur, vel illâ ſit coniux petitus oppreſſus, non tenetur debitum petenti reddere: immò reddendo peccabit, ſecùs verò ſi eſſet periculum infirmitatis leuis, aut illâ laboraret. Docet D. Tho. *4. diſt. 32. q. unic. a. 1. in corp.* Ratio S. Doct. eſt: quia ordo naturæ poſtulat, ut prius conſulatur incolumitati proprij indiuidui, quàm generationi prolis attendatur: & ideò natura ex ſuperfluis, quę deſeruiunt ad ſuſtentationem proprij indiuidui, ſemen format ad fœtus generationem: & etiam ordo charitatis id petit; quæ ſemper præcipit à ſe ipſo incipiendum, & non conſulendum alteri cum detrimento ſui. Si tamen leuis eſſet infirmitas, non excuſatur: ſicut in alijs obligationibus iuſtitiæ tenetur debitor ſatisfacere, tametſi ſatisfaciendo ſuæ obligationi nonnullam propriam incommoditatem ſubeat. Vndè ſi uxor dolore capitis, aut molaris dentis laboret, reddere petenti coniugi tenetur: vix enim mulieres à leuibus infirmitatibus liberantur, & ſic eſſet onus matrimonij grauiſſimum ſi ratione illarum à redditione debiti excuſarentur; non autem ſi febri, aliouè dolore graui laborent: ſemper enim incolumitate propriæ perſonæ ſeruata debet iſtud debitum ſolui. Sanch. *diſp. 24. n. 2.* Bonac. *num. 4.* Auerſ. *ſect. 7.* Coninch, *num. 21.* Dicaſt. *num. 219.*

*Etiamſi periculum incontinentiæ in hoc immineret cernat.*

10. Addit etiam Bonac. *n. 5.* Sanch. *n. 12.* Coninch. Auerſ. & Dicaſtil *citati*, contrà nonnullos, non teneri in caſu dicto coniugem debitum reddere petenti, etiam ſi in ipſo periculum incontinentiæ imminere videat: quia talis obligatio intelligitur ſalva incolumitate perſonæ, & ordine naturæ, nec alius eſt in extrema neceſſitate ſpirituali, quandoquidem poteſt, ſi vult, peccatum euitare, vel ſi ceciderit, reſurgere ab illo: & ad ſummum obligat charitas in extrema neceſſitate ad præferendam ſalutem ſpiritualem proximi, ſuæ propriæ corporali.

*Non tenetur debitum reddere coniugi leproſo, aut morbo gallico infecto.*

Coniux non tenetur reddere debitum alteri coniugi leproſo, vel morbo gallico, aliouè ſimili, licèt non lethifero, infecto, ſi iudicio Medicorum timeat grauis infectionis periculum, *cap. 1. de coniugio leproſorum*: quia non debet cum tanto incommodo ſui, petitioni alterius ſatisfacere: niſi antè contractum matrimoniú cum tali morbo laborare ſcierit: quia in tali caſu ſuo iuri ceſſit, & ſcienter ad hoc, quòd licitè poteſt, ſe obligauit, Enriq *lib. 11 c. 5. n. 7.* Bonac *n. 8.* Sanch. *lib. 9. diſp. 24. num. 57.* Coninch, *diſp 34. num. 22; ſect. 7.*

Digitized by Google

*ſect.7.* Dicaſt. *num.* 212. Poteſt tamen reddere in illo caſu etiamſi timeat illo morbo inſici, *cap.2. de coniug. lepros.* quia regulariter non eſt lethiferus, nec tendit ad mortem, & ad fouendum mutuum amorem, ad euitanda pericula incontinentiæ, & ne onus matrimonij grauiſſimum fiat, poteſt ſe tali periculo exponere, tenetur tamen ſublato periculo infectionis propriæ, coniugi leproſo, aut morbo gallico infecto debitum reddere, etiamſi filium cum tali morbo naſci timeatur, ut inquit D. Thom. *in 4. diſt.32. q.unic.art.1. ad 4. & in Add. q 64. art.1. ad* 4. quia melius eſt proli ſic naſci, quam nullo modo eſſe: ſequitur Rell. *lib.2. quæſt.16. num.*4. Sanchez, *lib.*9. *diſp.*24. *num.*25. Bonacin. *ſup. num.9.* Dicaſt. *num.*225.

*Non licèt debitum negare, ne multiplicentur filij.*

11. Sed inquires. An ſit licitum coniugi negare debitum petenti, ne filij multiplicentur? Reſpondetur ſub diſtinctione. Vel enim coniuges facultatem habent ad filios decenter iuxtà ſuum ſtatum alendos, vel non? Si primum peccat: tum, ob iniuſtitiam, quam alteri irrogat, ſuum debitum negando: tum, quia matrimonium ad multiplicationem prolis ordinatur: & ideò non poteſt, qui illud contrahit, excuſari ex hoc capite ab obligatione debiti ſoluendi. Si ſecundum: videndum erit, an fuerint iam plures filij? An coniuges ſint in ætate, ut poſſint alios, & alias procreare? An in altero illorum ſit periculum incontinentiæ? Si enim non ſuſceperint plures filios, vel ſi illos ſuſceperint, ſit uxor iam ratione ætatis ſterilis, vel etiam ſi non ſit, adſit periculum incontinentiæ in altero ex coniugibus, tenetur proculdubio debitum reddere: quia tunc ceſſat ratio, quarè excuſetur, & obligatio iuſtitiæ, & charitatis urget. Si tamen plures iam habuerint filios, & uxor ſit in ſtatu alios ſuſcipiendi, non tamen detur periculum incontinentiæ inter illos non tenetur debitum reddere, quandò ad filios decenter alendos non habent poſſibilitatem, nec ſperet: quia ſicut in reſtitutione excuſat magna difficultas, & incommoditas ad ſoluendum debitum, etiam incommoditas, & difficultas in alendis filijs pluribus, quæ maxima eſt inter coniuges pauperes, eos à tali obligatione liberabit, Ita Soto, *in 4. diſt* 32. *quæſt.unic.art.*1. Auerſ. *q.*29. *ſect.*7. Dicaſt. *n.*230. Sanchez, *lib* 9. *diſp.*25. *n.* 3. Reginald. *lib.*31. *num.* 298. Bonacio. *ſupr. num.* 12. & 13. Rodrig. *tom* 1. *cap* 243. *num.*1. Sa, *verbo Debitum coniugale*, Ledeſm. *quæſtion.* 64. *art.*1. *ad finem.*

*Quæ filios mortuos edit, à redditione debiti excuſatur.*

12. Sed rogabis. An peccet mulier, quæ experitur in partu filios mortuos edere, negando debitum coniugi petenti? Reſpondetur, non peccare; quia regulariter, quæ filios mortuos edit, ipſa ſe periculo mortis exponit, ob quod licitum eſt ipſi negare debitum. Si tamen ipſa periculum incontinentiæ ſubeat, poterit etiam tunc petere, & reddere debitum: tum, quia quamuis ſemel, & iterum id euenerit, non conſtat ſemper filios mortuos parituram: tum etiam, quia non conſtat ex tali congreſſu concepturam, vel fœtum ad formationem uſque deducendum: tum denique: quia eſto id conſtet poteſt ſe illi incommodo exponere ad euitandum graue periculum incontinentiæ: quia licitum eſt minus malum eligere ad maius effugiendum. Ità Bonacin. *num.*14 Ledeſm. *quæſt.*58. *art.*1. *ad fin.* Reginald. *lib.*31. *num.*287. & 288. Sanchez, *lib.*7. *diſp.*102 *num.*9. Dicaſt. *num.*237. Rodrig. *tom.*1. *ſumm. cap.*236. *num.*6.

## PVNCTVM II.

### *Vtrum coniux poſſit reddere debitum coniugale alteri coniugi illicitè petenti?*

*Aliud eſt iniuſtè, aliud illicitè petere; aliud illicitè petere ex parte actus, aliud ex parte perſonæ.*

13. AD ea, quæ in hoc puncto dicemus, præmittendum duximus, aliud eſſe petere *iniuſtè*, aliud *illicitè petere*. *Iniuſtè* petit, qui ius petendi non habet, *illicitè* vero, non *iniuſtè* petit, qui ius quidem habet petendi, ſed eſt prohibitus uti illo, ratione alicuius qualitatis in ipſo exiſtentis, ut ſi voto caſtitatis ſit adſtrictus, per illud non amittit ius ad uſum matrimonij; ſed ob fidem Deo datam tenetur ab illo ex parte ſua abſtinere. ¶ Sed adhuc hoc quod eſt *illicitè* petere, poteſt bifariam conſiderari: quia vel iniuſtè petit ex parte perſonæ nimirum, quia ex praua intentione mouetur, vel eſt impeditus per votum caſtitatis à tali petitione, vel iniuſtè petit, iniuſtitia ſe tenente ex parte actus, ut ſi petat cum periculo impediendi generationem, mortis fœtus, vel quia in tali loco, tempore, &c. ¶ Quibus ſuppoſitis, apud omnes eſt certiſſimum, quod ſi aliquis iniuſtè petat, non tenetur coniux reddere, ut ſi factus ſit affinis coniugis ob fornicationem cum conſanguinea in 1. vel 2. gradu habitam: quia eſt priuatus iure petendi in pœnam ſui delicti, *cap.1 de eo qui cognouit, &c.* Vndè non peccat alter non reddendo debitum illi, qui ius petendi non habet. Idem eſt, ſi intrà bimeſtre petat: quia intrà illud neuter coniux ius habet petendi, & ſic uterque poteſt negare debitum; quamuis uterque licitè, ſi voluerit, poſſit reddere.

14. Sed difficultas eſt in caſu, quo coniux affinis ex fornicatione, matrimonio ſuperueniente, iniuſtè petat, licèt innocens non teneatur reddere, an licitè hoc poſſit? Et ratio dubitandi, quæ aliquos mouet ad hoc negandum, eſt: quia communiter excuſatur reddens debitum illicitè petenti ex parte perſonæ: quia cum habeat ius petendi, alter non debet huic iuri contrauenire, & contrà coniux innocens, dubius de valore matrimonij, non poteſt reddere debitum adultero petenti, qui per adulterium ius petendi amiſit: ergò ſi in noſtro caſu inceſtuoſus ius amiſit petendi, non poteſt licitè innocens reddere abſque iure petenti. ¶ Sed certiſſimum eſt id poſſe: quia, ut deciditur *in cap. Diſcretionem, de eo, qui cognouit conſanguineam uxoris ſuæ.* Innocens in tali caſu non priuatur iure petendi: quia ob delictum alterius non eſt priuandus iure ſuo; ſi ergò poteſt petere: multò magis reddere poteſt, hic namque non cooperatur culpæ alterius, ſiquidem dat operam rei licitæ ex parte actus, ad quam ius habet, quamuis alter, qui iure priuatus eſt, ab illo petere non poſſit. Quemadmodum ſi dubius de valore matrimonij petat debitum à non dubitante, hic non tenetur reddere: quia per dubium ille ius petendi amiſit, ut poſteà dicemus, poteſt tamen petere, & reddere, quia ob alterius dubium non eſt priuandus iure ſuo. Ità Sanchez, pluribus adductis *lib* 9. *diſp.*6. *num.*8. Bonacina, *quæſt.*4. *punct.*3. *n.*3. ¶ Ex quo

ad argumentum dicimus, quod quandò ex parte ſua actus eſt illicitus, ut ſi ipſe votum habeat, vel dubium de valore matrimonij, non poteſt alteri abſque iure petenti reddere: quia ſolum excuſatur ob ius alterius, quod prævalere debet, quo proindè deficiente, rei illicitæ dat operam, & ſic reddere non poteſt, at verò ſi ex parte ſua actus non eſt illicitus, etiamſi alter iure careat ſicut licitè poteſt petere, poteſt etiam reddere.

*Non poteſt reddere debitũ qui impedimentum ex parte ſua habet in aliquibus caſibus.*

15. Vndè conſequenter dicendum erit, quod in bimeſtri, in quo nemo ius petendi habet, vel ſi alter coniux adulterauit, quomodò ius petendi amiſit, non poteſt alius, qui affinitatem ob fornicationem contraxit, vel voto caſtitatis eſt adſtrictus, reddere debitum alteri petenti, & ſic, cum alias non poſſit petere, debet, vel ſeparari, vel diſpenſationem ſollicitare, vel in caſtitate viuere. Ratio eſt: quia qui eſt affinis, v. g. actum inceſtuoſum exercet accedendo ad ſuam uxorem, quæ eſt ſibi affinis, & ſolum excuſatur à redditione debiti, ob fortius alteriùs, quod eſt iuſtitiæ debitum, & ſic ex iure naturæ; quod prævalere debet iuri Eccleſiaſtico, ratione cuius affinis ab actu coniugali auertitur, & habetur *cap. Tranſmiſſæ de eo, qui cognouit.* Ergò quandò tale ius in alio non datur, ut in caſibus, de quibus loquimur, non poterit licitè debitum reddere. Similiter: qui votum habet caſtitatis tenetur ad abſtinendum ab omni actu venereo, ſolumque excuſatur propter fortius iuſtitiæ vinculum per matrimonium ſuperueniens, & quia Deus non vult ſibi ſeruari fidem cum detrimento alterius, ergò quandò alterius non habet, ceſſat excuſatio, & redditur tam petitio, quàm redditio debiti illicita. Ità D. Thom. *in 4. diſt* 38. *quæſt. 1. art. 3. quæſt. 2. ad* 4. Vbi dicit ſolum poſſe reddere, qui eſt caſtitatis voto adſtrictus, quandò ad id tenetur ob ius alterius, Sanchez, *n.* 14. Ledeſ. *quæſt. 55. art. 3. in ſol. ad* 1. *fol* 445. Syluest. *matrim. 8. quæſt. 15. dict. 7. & matrim. 7. quæſt. 5. dub.* 6. Dicaſt. *diſp. 9. dub.* 11. *num.* 157.

*Excuſatur fœmina in dictis caſibus reddens.*

16. Excuſatur tamen fœmina debitum reddens in caſibus num. præcedenti dictis, ſi ipſa ſit voto caſtitatis ligata, vel impedita ob affinitatem, quam propter copulam cum conſanguineo viri contraxit, ſi vir inſtanter, & quaſi cogens petat, ob pacem tuendam, ob præcauendam infamiam, ob excuſandas diſcordias, quia inceſtus ex affinitate ſolum eſt iure Eccleſiaſtico prohibitus, ius autem Eccleſiaſticum cum magno incommodo non obligat, nec votum cum grauiſſimo damno: quia Deus ſic acceptat illud, ut nolit cum magno detrimento obſeruari. Enriq. *lib* 11 *cap.* 15. *num* 8 *lit. L.* Vega, 2. *tom. ſummæ cap.* 129. *caſu* 77. Sanchez, *ſupr. num.* 15.

*Tenetur reddere coniugi illicitè petenti ex parte perſonæ.*

17. Quandò verò coniux illicitè petit ex parte perſonæ, non ex parte actus, modo *n.* 13. dicto, tenetur alter reddere: quia ſic petens (v. g. qui habet votum caſtitatis, vel ex prauo fine, vult ad uxorem accedere) habet ius petendi quia per votum ſolum reſpectu Dei obligatur ad continentiam, non amittendo ius, quod ex matrimonio acquiſiuit: ergò alter negans contrà hoc ius operatur, & ſic grauiter delinquit quemadmodum ſi Petrus pecunias apud me reponat, & eas petat, ut luxuriosè viuat, monendo illum fraternè, teneor eas reddere ipſi, ergò ſimiliter in præſenti; eo vel maximè: quia ſi ob aliquam rationem coniux petitus reddere non teneretur: ideò eſſet, ne peccato illicitè petentis cooperaretur: hoc non ſequitur: quia coniux petitus, quantum eſt de ſe, exercet actum licitum coniugatis, ergò actui licito, non peccato, cooperatur. Atque ita tenent contrà nonnullos oppoſitum ſentientes, Sanchez, *num.* 7. Bonàcina, *num* 3. Auerſa, *quæſt.* 11. *ſect.* 1. §. *Sextò aliquis, &* §. *Verum hæc eſt*, remiſſiuè ad alia loca Enriq. *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 8. Rebell. 2. *part. lib.* 3. *quæſt.* 17. *art.* 3. *num.* 10. Dicaſt. *num.* 143. Coninch, *diſp.* 34. *dub.* 4. *num.* 28. & 31. Ledeſm. *quæſt.* 51. *art.* 1. *dub.* 2. N. Anton. *diſ.* 9. *num.* 652. N. Gabr. *diſ.* 8. *n.* 12. quod mouet poſt ſecundum dubium principale.

*Duplex obiectio proponitur, & ſoluitur.*

18. Sed objicies 1. Si Petrus peteret à me gladium quem apud me depoſuerat, ad occidendum Franciſcum, non poſſem illi reddere: alias eſſem reus illius homicidij: ergò ſimiliter coniux, qui reddit coniugi debitum, qui ſcit cum peccato petere, illius culpæ cooperatur. ¶ Secundò, quia bonum ſpirituale bono corporali eſt præferendum: ſed ſi coniux ſciret damnum graue corporale imminere petenti debitum, ſi illi annuat, non tenetur reddere: imò debet illud negare, ergò ſimiliter quandò peccatum in tali actu committit. ¶ Reſpondetur ad primum, negando conſequentiam: ibi enim fit iniuria alteri, quem Petrus vult occidere, quam lege charitatis impedire teneor: hic autem nulla fit iniuria: imo negando fieret iniuria ei, qui cum iure petit. ¶ Ad ſecundũ dicitur, quod cum coniux petens non habeat in ſuum corpus dominium, nec poſſit ſalutem eius prodigere, non habet ius petendi, cum damno graui corporali ſui: & ſic alter, & poteſt, & tenetur negare illud, at in animam, quã Deus poſuit in arbitrio, & in manu conſilij hominis, habet dominium morale, & ſic ius habet petendi etiam in præiudicium illius: ideoq; alter non poteſt negare debitum propter illud.

*Non tenetur ingredi religionem antè conſummationem matrimonij, qui votum caſtitatis emiſit.*

19. Ex quo ſequitur, illum qui votum caſtitatis emiſiſſet non poſſe petere debitum coniugale, & peccare mortaliter nubendo, vel poſt matrimonium petendo. Non autem tenetur ingredi Religionem antè conſummationem, ſed poteſt reddendo debitum illud conſummare. *Extrauaganti antiqua* Ioannis 22. quia qui aliquid vouit, non eſt cogendus ad amplectendum medium difficilius, re ipſa promiſſa, ad votum obſeruandum: ſed ingredi Religionem quid difficilius, & magis arduum eſt, quam caſtitatem ſeruare, ergò qui vouit iſtam, non eſt obligandus ad illud. Leſſius, *de iuſtitiâ cap* 46. *dub.* 5. *num.* 52. Enriq. *lib.* 12. *cap.* 2. *n* 8. Sotus, *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 2. *art.* 1 §. *Quod autem remedy.* Coninch, *num.* 34. Sanchez, *lib* 9. *diſp* 34. *num* 3. N. Anton. *diſ.* 9. *num.* 626. ¶ Tenetur verò reddere debitum coniugi petenti, ſi poſt matrimonium ex conſenſu eius tale votum emiſerit, ſi ille non ceſſit iuri ſuo, nec remiſit obligationem, ſed eum permiſit facere, quod voluerit: quia per votum alterius non amiſit ius, nec ceſſit illi ob conſenſum in votum Bonacin. *num.* 7. Sanchez, *lib* 9. *diſp.* 6. *num.* 7. Coninch, *num.* 53. Imò: etiamſi uterque mutuo conſenſu votum emiſiſſet, non intendentes cedere iuri, aut obligationi alterius renunciare, tenentur adinuicem reddere: quia ius

Digitized by Google

ius petendi non amiſerunt, & licet potens ex parte perſonæ illicitè petat, iure tamen petit. Bonacin. *num.* 8. Sanchez, *lib.*9. *diſp.*71. per totam, Enriq. *lib.*13. *cap.*15. Leſſius, *lib.*2. *cap.*40. *de voto dub.*10. *num* 85.

*Si ex parte actus illicitè unus petat alter non tenetur reddere.*

20. Si autem coniux illicitè petat ex parte actus, ut ſi in loco ſacro, ſi cum periculo mortis fœtus, ſi modo indebito, de quibus infrà *punct.*5. agemus, non tenetur alter reddere: quia hæc circumſtantia eſt annexa actui, prout pendet ab utroque coniuge, & ſic ex parte utriuſque reddit actum illicitum. Vndè non tenetur reddere in loco ſacro, niſi magnâ neceſſitas urgeat: nec modo indebito, quoad ſitum, niſi iuſta cauſa excuſetur, ut ſi ſit periculum mortis fœtus, ob pinguedinem viri modo ordinario congredientis, & alio modo, intrà vas naturale poſſit congredi cum uxore, abſque tali periculo. Ità D.Thom. *in* 4. *diſt.*31. *in fine in expoſ. litt.* Sanch. *lib.*9. *diſp.* 16. *num.*8. Enriq. *lib.*12. *cap.*16. *num.*6. Bonacin. *num.*10. Coninch, *num.*27. Imò: ſi ſolum ſit peccatum veniale in actu non eſſe reddendum debitum affirmat Bonacina, *num.* 9. Sed verius dicendum eſt cum Sanchez, *numer.*8. reddendum eſſe debitum: quia illud veniale ex iuſta cauſa excuſatur, ut videlicet amor, & beneuolentia inter coniuges conſeruetur: N. Anton. *num.*654. & addit Coninch, *loc. cit.* quod ſi actus ſolum ſit illicitus ratione alicuius irreuerentiæ, aut ratione alicuius damni non ita notabilis, poteſt licitè reddi coniugi inſtanter petenti, ſi timeatur, quod ægrè ferat negationem, & diſcordiæ inter ipſos oriantur: quia non tenetur vitare minus malum, cum periculo maioris, nec ipſe per ſe eſt cauſa irreuerentiæ, vel damni, quod per accidens ex eius actione prouenit: ſicut mulier grauida poteſt potionem ſumere, qua ſaluti propriæ conſulat, tametſi ex illa aliquod damnum fœtui, per accidens eueniat.

## PVNCTVM III.

*Vtrum ex impedimento ſuperueniente affinitatis, vel cognationis ſpiritualis impediantur coniuges à petitione, vel redditione debiti?*

*Triplex impedimentum ſuperuenire poteſt matrimonio.*

21. SEmel contracto matrimonio, poteſt ex triplici capite impedimentum inter coniuges prouenire, quo impediantur, quo minus licitè illo uti poſſint: vel ex voto caſtitatis, ab ipſis, vel ab aliquo eorum emiſſo. de quo iam diximus *punct. præcedent.* vel ex affinitate contracta de nouo, ob fornicationem alicuius cum conſanguineo coniugis: vel ob cognationem ſpiritualem, ut ſi alter filium communem vel alterius, baptizauerit, vel leuauerit de ſacro fonte: aut in confirmatione tenuerit de quibus in præſenti loquimur: illud ſemper ut certum ſupponentes culpatum teneri reddere debitum alteri coniugi innocenti, vel expreſſè, vel tacitè, modo dicto *num.*1. petenti: quia ob culpam alterius non eſt priuandus innocens iure ſuo.

*Peccat mortaliter, qui extrà neceſſitatem filium baptizat.*

22. Sed difficultas prima in hac parte eſt. An priuetur iure petendi coniux, qui poſt contractum matrimonium, filium alterius baptizauit, vel exercuit munus Patrini in eius baptiſmo aut confirmatione? In qua difficultate duo ſupponimus ut certa. Primum peccare mortaliter coniugem, qui extrà neceſſitatem filium communem vel alterius, vel baptizat, vel in Baptiſmo aut Confirmatione tenet: quia ita eſt prohibitum iuribus infrà allegandis, & cum ſit in materia graui, grauem obligationem inducit: & merito id prohibetur, cum ſit conforme rationi quod alius ſit pater carnalis, alius ſpiritualis. D.Thom. 3. *part. quæſt.*67 *art.*8. *ad* 2. Coninch, *diſp.*34. *dub.*8 *n.*64. Sanchez, *lib.*9 *diſp* 26. *num.*5. Suarez, 3. *part. quæſt.*68. *art.*8. §. *Quo circà liberè.* Nauarr. *in ſumm. Hiſp. cap.*22. *num.*9. N. Anton. *diſ.*9. *num.* 618.

*In neceſſitate baptizans nõ peccat, nec iure petendi debitũ priuatur.*

23. Secundum, quod ſupponimus, eſt, quod ſi coniux alterius filium, vel communem, in neceſſitate baptizaret, ut ſi eſſet periculum, ut abſque Baptiſmo decederet, nec peccaret in eo, ſed ſuæ obligationi ſatisfaceret, nec priuaretur iure petendi debitum, *cap. Ad limina* 30. *quæſt.*1. Probatur ex his, quæ *cap.*12. *num.*33. diximus: quia æquum non eſt pœnam ſubire, qui non fuit in culpa: ſed potius id, ad quod tenebatur, peregit. Si verò officium Patrini in Baptiſmo exerceret ex neceſſitate, quia alius non adeſſet, cenſent Bonacina, *quæſt.*4. *punct* 2. *num.*3. Ledeſ. *quæſt.* 56. *art.*1. *dub.*1. *in princ.* Enriq. *lib.*11. *cap.*15. *n.* 11. priuari iure petendi: quia non eſt neceſſitas ſuſcipiendi de Baptiſmo puerum: & ideò non eſt, undè excuſetur, ſicut in neceſſitate baptizans. ¶ Verius tamen dicendum eſt cum D. Thom. 3. *p. q.*67. *art.*8. *ad* 2. Suarez, 3 *par. de Baptiſm. quæſt.*67. *art.*8. Veracruz, *in ſpecul.* 1. *part. art.* 57. *concl.*4. Sanchez, *lib.*9 *diſp.*26. *num.*3, Sa, *verb. Baptiſmus num* 8. Coninch, *diſp* 34. *num.*69. Dicaſt. *diſp.*9. *dub.*8. *num.*87. N. Anton. *loc. cit.* N. Gabr. *diſ.*7. *quæſt.*8. Non peccare, proindequè non priuari iure petendi debitum, in tali caſu exercentem munus Patrini: quia licet non ſit neceſſarius Patrinus ad Baptiſmum, præſtantius eſt ad perfectam ſignificationem illius illum adhibere. Reſtat ergò difficultas: An extrà neceſſitatem, vel, filium communem, vel alterius, baptizans priuetur iure petendi debitum? In quo eſt duplex ſententia: utraque ſatis probabilis.

24. Prima ſententia dicit, eum, qui extrà neceſſitatem ſcienter vel baptizat, vel officium Patrini exercet, priuari iure petendi debitum: quia ità; inquit, iubetur *in cap. de eo* 30. *q.*1 *cap. Si vir de cognatione ſpirituali*, & alijs iuribus ponderatis à Sanchez, qui hanc ſententiam tenet *lib.*9 *diſp.*26. *n* 7. eam etiam amplectuntur Bonacin. *n.*4. Veracrux, *loc. proximè citat.* Gutierr. *cap.*10. *num.*6. Gabr. *loc citat.* ¶ Sed contrariam, quia, ut inquit ipſe Sanch. eſt magis pietati conformis, iudicamus probabiliorem, quæ dicit non priuari tali iure: quia hoc non clarè conſtat ex aliquo iure, ut latè, & eruditè probat Dicaſtill. *diſp.*9. *dub* 8. *num.*91. quin potiùs ex illis oppoſitum deducitur, ut doctè probat Coninch, *diſp.*34. *dub.*8. *n.*69. Et ſingulariter *ex cap. Illo, de eo* 30. *quæſt.*1. ab aduerſarijs adducto, & *ex cap. Si vir de cognat. ſpirit.* ubi ſic dicitur: *ſiue ex ignorantia, ſiue ex malitia, non ſunt adinuicem ſeparandi, nec alter alteri debet debitum ſubtrahere.* Vbi indifferenter de utraque aſſeritur, debere debitum reddere: ergò uterque ius petendi habet. Reliqua verò iura, quæ ab aduerſarijs ponderantur,

ſolum

ſolum dicunt innocentem non debere ſpoliari iure ſuo, hinc autem non rectè deducitur: ergò nocens ſpoliandus eſt, quia non valet argumentum à contrario ſenſu: maximè in odioſis,& pœnalibus, ut eſt id, de quo loquimur, ſic præter Conincb, & Dicaſt. *locis citat.* Perez, *diſp.26.ſect.6. num.7.* Suarez, *3.part. de Baptiſm quæſt.67.art.8.* Sanchez, & *alij adducti loc.cit. n.6.* N. Anton. *num.619.*

*Qui inceſtum cum conſanguinea commiſit, iure petendi priuatur.*

25. Qui commiſit inceſtum conſummatum cum conſanguinea uxoris ſuæ in primò, vel ſecundò gradu (quia in his dumtaxat contrahitur affinitas ex fornicatione orta) priuatur iure petendi, *c.1.de eo,qui cognouit*; tenetur autem reddere: ſiquidem alter abſque culpâ non eſt ſpoliandus iure ſuo, *cap. Diſcretionem eodem tit.* ſed difficultas eſt? An ſi unus commiſit inceſtum, altero ſciente,& conſentiente, vel conſilium præbente, priuetur iure petendi uterque? Et idem eſt in ſententia illorum, qui dicunt, per cognationem ſpiritualem priuari iure petendi, qui extrà neceſſitatem baptizauit: An, ſi alter conſcius ſit & conſenſerit, priuetur uterque iure petendi? Aliqui affirmant, ut Bonacin. *loc.cit*, Sanch. *lib.9 cap.27. n.3.* Baſil. *lib.10.c.7.* quia in dicto *c. Diſcretionem*, & alijs conceditur ius petendi coniugi innocenti: ergò hoc ipſo, quod alter non ſit innocens: ut de facto non eſt, quandò conſenſit, iure petendi priuatur Sed ut rectè probat Conincb, *loc. citat.* Dicaſt. *dub.9. num.95.* Ochagauia. *tract.5. quæſt.5.* Hurtad. *diſp.10. diff.6. num.28.* hoc argumentum eſt valdè fallibile: quia à contrario ſenſu non rectè in odioſis, & pœnalibus arguitur:& cùm nullo iure expreſsè præcipiatur, conſentientem, aut præcipientem tali iure priuari in re adeò pœnali, & periculoſa, uti eſt coniuges ſimul viuere,& non poſſe adinuicem petere, nec reddere debitum, cum ſit idem ac inter flammas eſſe, & non uſtulari, dicendum eſt non priuari, cum Authoribus citatis: ſed benè notat Sanchez, *loc.citat. n.6.* eum, qui committit inceſtum cum propria conſanguinea, non priuari iure petendi: eo quod: licet ſit grauius peccatum, ex eo tamen non reſultat affinitas, ut diximus *cap.12.*

*Quoradò ex inceſtu utriuſque neuter petere, & ſic nec reddere poſſit?*

26. Si uterque coniux inceſtum cum conſanguinea alterius commiſit, uterque iure petendi priuatur, proindèque nec reddere, nec petere poſſunt,& ſic ſunt adinuicem ſeparandi, niſi vel diſpenſationem obtineant, vel abſque periculo incontinentiæ velint ut fratres ſimul commorari, *c.Diſcretionem,de eo,qui cognouit,&c.* Niſi malitioſè alter inceſtum committeret, ut ſe ab obligatione matrimonij liberaret: quia fraus nemini patrocinari debet, *c.Si vir de cognatione ſpirituali.* ¶ Et hoc verum eſt, ſiue copula habita fuerit publica, vel ſecreta: quia affinitas tam ex copula publica, quam occulta oritur: & ideò in *c.Diſcretionem de eo,qui cognouit*, ubi talis pœna indicitur, nulla fit differentia inter publicam, & occultam copulam ad hunc effectum: aliàs nunquam talis affinitas, & priuatio iuris petendi contraheretur, cum talis copula ſemper ſecretò fiat. Sanchez, *libr. 9. diſp.27. num.2.* Soto, *in 4. diſt.37. quæſt. unic. art.2. verſu ſecunda concluſio*, Gutierr. *de matrim. cap.87. num.18. & 19.* ¶ Nec requiritur ſententia iudicis ad hanc pœnam incurrendam. Ità eſt uſu receptum; ſiuè hoc proueniat, quia eſt pœna priuatiua, ut excommunicatio, aut irregularitas; pœna autem priuatiua ſententiam iudicis non requirit, ut incurratur, ut in excommunicatione, & irregularitate cernitur: ſiuè, quia talis priuatio iuris prouenit ex naturâ rei ex ipſo actu inceſtuoſo: quia hoc ipſo quod per fornicationem cum conſanguineâ coniugia fiat affinis illius, eſt inceſtuoſus actus carnalis cum coniuge, ad quem nemo poteſt habere ius. Ità Sanchez, *lib.7.diſp.64. num.18. & lib.9.diſp.30.* Reginald. *lib.31. num.294.* Dicaſt. *num.109.* N. Anton. & N. Gabr. *loc.citat.*

*Mulier, quæ coacta cum conſanguineo viri rem habuit non priuatur iure petendi debitũ.*

27. Sed inquires 1. An mulier, quæ coacta à conſanguineo viri ſui, cognita eſt ab eo inceſtuoſè, priuetur iure petendi debitum à proprio marito? Reſpondetur, quod ſi per vim abſolutam, quæ dicitur violentia, ab eo cognita eſt, cum ipſa in tali actu non commiſerit culpam, non eſt digna pœnâ; & ideò iure petendi debitum non priuatur à iure Eccleſiaſtico, *cap. Diſcretionem,citat.* Si verò ex metu graui conſenſerit in copulam ſe voluntariè ſimpliciter aptando ad eam,& facultatem alteri utendi ſuo corpore præbendo, quamuis tunc peccet mortaliter, quia potius ſubire mortem deberet, quam inceſtum committere, nihilominus non priuatur iure petendi debitum: quia non eſt credibile Eccleſiam tam graui pœna multare eos, qui metu graui coacti non ſeruant ſuam legem, quemadmodum ab incurrendis cenſuris, alijſquè pœnis Eccleſiaſticis liberantur, qui ex metu graui aliquid contrà legem Eccleſiaſticam efficiunt. Maximè: quia licet hæc mulier peccauerit contrà legem naturæ, fornicando cum alio à ſuo viro: non verò contrà legem Eccleſiaſticam prohibentem congreſſum cum conſanguineo viri: lex enim Eccleſiaſtica graui malo imminenti non obligat; undè inceſtum non commiſit, ſed ſimplicem fornicationem, ſeu adulterium, nec tenetur in confeſſione illam circumſtantiam detegere: ergò non priuatur iure petendi. Ità contrà Baſil. *lib.10.cap.17.num.6.* & contrà Sanchez, *lib.9 diſp.31. num.4.* tenent N. Anton. *n.620.* N. Gabr. *n.78.* Bonacin. *num.5.* citant Nauarr. *cap.27. punct.2. num.5.* & Rebell. Dicaſt. *num.96.* ubi hanc ſententiam ut probabilem tuetur, licet *n.97.* probabiliorem oppoſitam iudicet: quod etiam apud Sanchez, inueniet. ¶ Sed non excuſatur à priuatione iuris per metum leuem coacta: quia in iure non habetur ratio metus leuis, *leg. Nec timorem, ff. de eo, quod causâ metus fit.* Sanchez, Bonacin. *loc.cit.* Enriq. *lib.12.cap.2.* & de hoc metu intelligendus eſt textus *in cap. Sacris, de his quæ vi*, ab aduerſarijs adductus.

*Triplex ignorantia poteſt reperiri facti, iuris, & pœnæ.*

28. Inquires 2. An ſi quis cum ignorantia cognoſceret conſanguineam uxoris in 1. vel 2. gradu, iure petendi debitum priuetur? Pro reſolutione huius quæſtionis notandum eſt, triplicem eſſe ignorantiam, facti, iuris, & pœnæ, & poteſt eſſe vincibilis, vel invincibilis omnis illa. Ignorantia facti contingit, ut ſi quis accedat ad mulierem alienam, ignorando eſſe uxoris conſanguineam. Iuris ignorantia eſt, quandò cognoſcens fœminam eſſe uxoris conſanguineam, & ſic conſcius facti, ignorat eſſe ſpeciali lege poſitiua humana prohibitum talem congreſſum; licet ſciat iure naturæ, aut diuino eſſe prohibitum, ſeu illicitum. Ignorantia pœnæ eſt, ut ſi ſciat

Digitized by Google

ſciat fœminam eſſe uxoris conſanguineam, & congreſſum cum illa eſſe lege humana poſitiua prohibitum; neſciat tamen talem pœnam eſſe in illa lege aſſignatam. Et quantum ad præſens attinet, ſiue ſit ignorantia inuincibilis, ſiue vincibilis, & craſſa aut ſupina, dummodò non ſit affectata, ſemper eum ignorantia operari cenſetur: quia ad incurrendam hanc pœnam requiritur in iure quod ſcienter contrà legem operetur, ut dicemus. Non autem dicitur ſcienter operari, qui ignorantia etiam vincibili laborat, his ſuppoſitis.

*Duplex concluſio proponitur.*

29. Sit prima concluſio, quod ſi cum ignorantia facti accedat vir ad conſanguineam uxoris, non priuatur iure petendi: probatur: quia tali iure priuat lex Eccleſiaſtica eum, qui ſcienter operatus, ut conſtat ex *cap. 1. de eo, qui cognouit, & c. Si vir de cognatione ſpirituali*: Et ratio eſt: quia ignarus facti eſt culpæ expers, ergò etiam pœnæ: & in hoc omnes conueniunt. ¶ Sit ſecunda concluſio. Nec etiam priuatur iure petendi, qui ex ignorantia iuris acceſſit ad conſanguineam uxoris, vel filium communem aut alterius coniugis baptizauit (loquimur in ſententia illorum, qui aſſerunt per talem cognationem ſcienter, & extrà neceſſitatem contractam, priuari iure debitum petendi) ſic docent Sanchez, *lib. 9. diſp. 32. n. 47. &* 48 Perez, *diſp. 52. ſect. 5. n. 2.* Reginal. *lib. 31 n. 298.* Bonacin. *quæſt. 4. punct. 2. num. 6.* Dicaſt. *num.* 104. Enriq. *lib. 12 cap. 15.* N. Gabr. *n. 79. ubi videndus eſt.* N. Anton. *num* 622. quia quamuis ſciat iure naturæ talem actum eſſe prohibitum, v. g. accedere ad conſanguineam uxoris, neſcit tamen legem humanam ſpecialiter illum prohibentem: ergò contra iſtam legem ſcienter non operatur: ergò non eſt puniendus ab illa. ¶ Sit tertia concluſio: priuatur iure petendi, qui cum ſola ignorantia pœnæ inceſtum commiſit; circà quam concluſionem vide dicenda à nobis tract. de cenſuris *cap. 1. num. 194. & cap 7. num. 54.*

## PVNCTVM IV.

### *Quomodo ſe debeat gerere in petitione, vel redditione debiti, qui eſt certus, vel dubius, vel habet opinionem probabilem de inualiditate matrimonij?*

*Bona, & mala fide poteſt contrahi matrimonium? Et quomodo?*

31. QVæſtio eſt grauiſſima, & in praxi multum neceſſaria, ideoque in illa aliquantulum immorabimur. Sed pro intelligentia eorum, quæ dicenda ſunt; notandum eſt, 1. matrimonium poſſe contrahi à ſuo principio bona vel mala fide: bona fide contrahit, qui non habens dubium de valore illius, nec opinionem, aut ſuſpicionem, contraxit, adhibitis diligentijs ab Eccleſia poſtulatis, licet poſteà dubium, aut opinio de tali valore ſuperueniat ei: contrahit autem mala fide, qui cum dubitatione, vel probabilitate de aliquo impedimento, & non adhibita ſufficienti diligentia pro depoſitione illius, matrimonium inijt, v. g. eſt dubius de vita prioris coniugis (hoc exemplo utemur hoc punct. quia habet maiorem difficultatem, & quod de illo dictum fuerit, etiã de alijs impedimentis cenſendum eſt) & non præſtita omni diligentia requiſita, malitioſè contraxit: vel ſi talem diligentiam adhibuit, adhuc dubius, vel opinans permanens, cum tali opinione, ac proinde formidine, aut dubitatione contraxit.

*Quid ſit ſcientia, dubium, ſcrupulum, opinio, quoad præſens?*

32. Secundò notandum eſt, eſſe diſcrimen inter ſcientiam, dubium, opinionem, & ſcrupulum, quod ſcientia, quantum ad præſens attinet, eſt cognitio certa ſaltem moraliter. Scrupulus eſt aſſenſus ortus ex leuibus coniecturis. Dubiũ eſt, quandò intellectus aliqua ratione congruenti, vel forti, hinc inde mouetur, ſed non magis in unam, quam in aliam partem inclinatur; ſed pendet ſuſpenſus neutri aſſentiendo. Denique opinio eſt aſſenſus iam determinatus in unam partem (in quo differt à dubio) ſed cum formidine alterius. Quod adhuc bifariam fieri poteſt: vel enim poteſt intellectus motus rationibus probabilibus pro utraque parte, utriuſque partis probabilitatem habere; vel ſolùm habere iudicium probabile circà unam partem: quia habet rationes, quæ illam ſibi perſuadeant; non tamen in aliam: quia rationes non habet, quibus moueatur ad illam, quibus ſuppoſitis.

*An poſſit reddere, qui eſt certus de nullitate matrimonij?*

33. Si alter coniugum ſit certus moraliter de nullitate matrimonij, nulli dubium eſt, non poſſe debitum petere: quia ad hoc nullum ius habet. Sed difficultas eſt. An poſſit reddere debitum alteri petenti, qui ignarus eſt nullitatis ſi magna damna ex tali negatione proueniant, & non poſſit ipſe impedimentum detegere illi, ſiue quia timeat cum magno ſcandalo ſeparaturum eſſe: vel illi infamia, aut mortis periculum ex tali manifeſtatione immineat, ut ſi mulier ante matrimonium fornicata eſt cum conſanguineo viri, quod detegere abſque magna infamia, & periculo non poteſt: & aliàs à Iudice Eccleſiaſtico excommunicatione comminetur, niſi debitum reddat viro, & ipſa, vel non poſſit abſque infamia manifeſtare impedimentum, vel ſi poſſet manifeſtare, non poſſet illud probare, & ſic à foro exteriori cogeretur cohabitare cum viro, & illi debitum reddere. An poſſit in tali caſu debitum reddere abſque graui peccato? Dublex eſt ſententia.

*Aliqui indicant in tali caſu, magna urgente neceſſitate, poſſe reddere.*

34. Prima aſſerit, poſſe reddere, ſi ob periculum infamiæ vel aliud damnum non poſſet detegere impedimentum. Ità *Magiſt. in 4. diſt.* 38. Hugo de S. Victore *de Sacram. part* 8. *c. 9. Hoſtienſis in ſumm. tit. de coniugijs ſeruorum n.* 8. *Meſſeſius in ſumm. tract. 4. cap. 14. n. 90.* quia imminet periculum maioris mali infamiæ, homicidij, contumaciæ, ſcandali, ob quod minus malum, quod eſt acquieſcere petenti, poteſt eligere. Enriquez, *vero lib. 12. cap. 3 n. 2.* Aſſerit, quod ſi impedimentum occultum fuerit Eccleſiaſticum, & Eccleſia compellat per cenſuras ad reddendum debitum, poteſt reddere: quia Eccleſia ſic compellens cenſetur tacitè diſpenſare. Et etiã hoc argumento inſtatur. Siquidem non eſt minus malum occidere innocentem quàm ad non ſuam accedere; ſed ſi iudex iuxtà allegata, & probata, cognoſcat aliquem culpatum eſſe, quem ex propria, & certa ſcientia ſcit eſſe innocentem, poteſt eum occidere; ergò ſimiliter, ſi coniux iuxtà allegata, & probata in iudicio videat eſſe matrimonium validum, poterit uti illo, & accedere ad mulierem, quæ ſua eſt iuxtà allegata, & probata, licet ex propria ſcientia cognoſcat non eſſe ſuam.

35. Ni-

Digitized by Google

*Non poteſt reddere, etiamſi infamia, aut mortis periculũ immineat.*

35. Nihilominus dicendum eſt, eum, qui certò ſcit impedimentum annullans matrimonium, non poſſe reddere debitum, etiamſi mortis periculum, vel infamiæ immineat, vel cenſuris ab Eccleſia, quæ præſumptioni falſæ de valore nititur, compellatur, habetur in *cap. Inquiſition. de ſententia excommunicat. cap. Litteras, de reſtitution.* Et ratio eſt: quia talis redditio debiti eſt fornicatio, cum ſit acceſſus ad non ſuam, quæ in nullo euentu eſt licita: eſt enim malum iure naturæ prohibitum; & ideo in nullo caſu licitè fieri poteſt, etiam ad euitandum maius malum: aliàs tunc liceret, & non eſſet peccatum, quod in his, quæ intrinſecè mala ſunt, verificari non poteſt. In his enim, quæ iure humano mala ſunt, vel non ſunt intrinſecè in omni euentu talia, poteſt minus malum eligi, ut euitetur maius: quia tunc minus malum non eſt malum, illa verò, quæ ſunt iure naturæ mala ab intrinſeco, & in omni euentu, cum ſemper ſint mala, nulla ratione poſſunt honeſtari: aliàs mulier, cui imminet periculum mortis, niſi in fornicationem cõſentiret, poſſet ad euitandum hoc malum eam amplecti, quod nullus dicet. Sic D. Thom. *in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 4 in fine*, Sotus, *ibi, artic. 3. verſ. Quod ergo gradatim.* Ledeſ. *quæſt. 45. art. 4 dub. 2.* Veracruz, 3 *par. ſpeculi art.* 18 *concluſ.* 1. Sanchez, *lib. 2. diſp* 39. *num.* 5. Bonacin. *quæſt.* 4. *punct* 4. *à num.* 16. Diana, 4. *part. tract.* 4. *reſolut.* 48. Auerſa, *quæſt* 17. *ſect.* 3. Coninch, *diſp.* 34. *num.* 96. Dicaſt. *diſp.* 9. *dub.* 11. *num.* 122. *&* *dub.* 14. *num.* 173.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

36. Ad ea, quæ prima ſententia pro ſe adducit, conſtat ex modo dictis, quomodo non poſſit honeſtari talis actus, quocumque damno imminente: nec Eccleſia, per hoc quod coniugem compellat reddere alteri debitum, diſpenſat (quod dicebat Enriquez) ſed ex præſumptione valoris matrimonij iudicat. Niſi fortè iudex Eccleſiaſticus admonitus ſecreto de impedimento, in quo ipſe poſſet diſpenſare, hoc in ſententia tacitè intenderit ¶ Ad argumentum dicimus, plures Doctores non improbabiliter negare, poſſe iudicem occidere, quem cognoſcit innocentem, etiamſi iuxta allegata, & probata appareat nocens, ſed debere cauſam ad ſuperiorem deferre, & coram illo de propria ſcientia teſtificari. Sed dato, poſſe iudicem in tali caſu innocentem occidere; hoc ideò eſt: quia in quantum iudex inuincibiliter eius innocentiam ignorat: quia cum iudex ſit perſona publica, id, quod ſecundum ſcientiam publicam, quæ habetur ex allegatis, & probatis, cognoſcit, aut neſcit, neſcire, vel cognoſcere dicitur: quidquid ſit de eo, quod ut perſona particularis cognoſcit. At coniux, ut talis, eſt perſona priuata, & ideò non dicitur inuincibiliter ignorare, quod ut perſona particularis certò ſcit.

*Quid faciet, qui eſt conſcius impedimenti?*

37. Sed inquires. Primò: quid faciet coniux conſcius impedimenti, quod ſine infamia, aut vitæ periculo nequit manifeſtare, vel non poteſt probare, & compellitur ab Eccleſia, ut debitum reddat? In locum fugiat, ſi poteſt, ubi ſcandalum ceſſet, inquit D. Thom. *loco citat.* vel diſpenſationem Epiſcopi procuret, quam in tali caſu poſſe ab ipſo dari, diximus *cap. præcedenti, num.* 11. vel ſi non eſt conſummatum matrimonium Religionem ingrediatur: ad quod non teneri inquiunt Ledeſ. *quæſt.* 45. *art.* 4. *dub.* 2. *ad* 2. Sanchez, *lib.* 2. *diſp.* 39. *num.* 14. Vel petat diuortium, ob ſæuitiam, vel adulterium alterius, ſi fortè adfuerint: vel alijs remedijs arbitrio prudentum vtatur, qui inſpectis conditionibus perſonæ, loci impedimenti, poterunt de remedio prouidere.

*Quid faciet Confeſſor conſcius impedimenti?*

38. Inquires. Secundò, quid faciet Confeſſor, vel alius, qui eſt conſcius impedimenti illius, qui ignorantia laborat iuris, vel facti? v. g. confitetur mulier ſe fornicatam fuiſſe cum conſanguineo coniugis, ante contractum matrimonium, cum ignorantia iuris irritantis matrimonium, cũ affine in 1. vel ſecundo gradu, in quibus prouenit affinitas ex fornicatione, & cognoſcit Confeſſor matrimonium eſſe nullum: quia ignorantia iuris irritantis non excuſat ab inhabilitate ad actum: vel ſcit Confeſſor coniugem priorem ſuperſtitem de cuius vita mulier laborat inuincibili ignorantia: vel deniq; ſcit certò ipſam eſſe conſanguineam intra 4. gradum ſui coniugis, cuius diſpenſationem non obtinuit: quia eam ignorabat, & modo ignorat: vel tandem cognoſcit certò impedimentum ſubeſſe irritans tale matrimonium; quamuis coniuges ob ignorantiam illius bona fide degant. Quid faciet Confeſſor in tali caſu? Idem cum proportione dicendum eſt de alio, qui de tali impedimento eſt certus.

*Si ignorantia ſit vincibilis, debet Confeſſor de impedimento certificare.*

39. Reſpondetur, quod ſi talis mulier (idem cum proportione dic de viro in ſimilibus caſibus) ignorantia vincibili talis impedimenti laboret, debet Confeſſor admonere eam, & certam facere de illo: quia cum ignorantia vincibilis à peccato non excuſet, non poterit eam abſoluere: quia indigno conferret Sacramentum: & ſi deneget abſolutionem non detecta cauſa, merito ipſa irritabitur, & ſcandalum patietur; quare ipſam certificare debet, etiamſi non ſperet monitionem profuturam: quia licèt tunc non proficiat, temporis decurſu ipſa ſtimulis conſcientiæ agitata, fortè reſipiſcet. Ità Auerſa, *quæſt.* 21. *ſection.* 3. §. *Sed alijs*, Sanchez, *libr.* 2. *diſp.* 38. *num.* 2. ¶ Qui benè notat *num.* 3. quod ignorantia vincibilis reſpectu unius, non eſt vincibilis reſpectu alterius: & quod illa, quæ ab initio fuit vincibilis, modo poteſt eſſe inuincibilis: quia fortè conſuluit virum, quem doctum exiſtimabat, qui eam de valore matrimonij certificauit, cuius conſilio acquieuit. Poteſt etiam ignorantia eſſe ſpeculatiua, non practica: ut ſi ſciat ſe clam contraxiſſe, vel cum affine, vel conſanguineo: ne ſciat tamen inuincibiliter, hoc eſſe dirimens impedimentum, quod requiritur, ut mala fide fruatur matrimonio: quæ omnia à Confeſſario ponderanda ſunt, ut cognoſcat: an vincibili, vel inuincibili ignorantia laboret, ne laqueum, & ſcandalum apponat ei, quæ bona fide procedit. In dubio autem melius erit tacere, & ſuæ conſcientiæ teſtimonio pœnitentem relinquere.

40. Si autem ignorantia ſit inuincibilis, iuris, aut facti, & matrimonium bona fide contractum fuit, & confeſſarius illud ſciat eſſe nullum, & probabiliter iudicet, ſuam admonitionem profuturam, ſine ſcandalo, aut detrimento, et ſi faciliter poſſet diſpenſationem obtinere, & credere ſolicitaturam, nec periculum incontinentiæ immineat, tenetur eam de impedimen-

to

to certiorem facere t quia illius munus eſt, inſtruere pœnitentem, vel quia eſt eius paſtor, vel quia vices illins gerit. Nec permittere debet, quod in tali ſtatu perſiſtat t quia notabile eſt quoddam malum animæ ſerens ſecum diuturnam ſeriem actionum, quæ ex ſe ſunt contra legem. Hanc tamen admonitionem poſt abſolutionem debet facere, ne ſe exponat periculo irritandi Sacramentum ; ſi illa fortè non apponat propoſitum efficax, recedendi ab illo periculo.

*Non debet Confeſſor admonere ſi timeat ſuam admonitionem non profuturam.*

¶ Si vero credat, non profuturam admonitionem : quia vel timeret, quod à matrimonio cum ſcandalo reſiliter, ſi conſcia eſſet nullitatis, vel variæ difficultates, vel perplexitates occurrerent, vel eſſet incontinentiæ periculum, vel quod mala fide continuarent matrimonium, in quo bona fide viuebant, vel alia huiuſmodi, non debet eam de impedimento admonere : ſed peccaret potiùs, & imprudentiſſimè ſe gereret, cum nihil aliud eſſet, quàm laqueum, & offendiculum apponere : & ideò D. Auguſt. citat. in cap. *Si quis autem, de Pœnitentijs, diſtinct. 7.* dicit : *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem.* Nulli enim laqueum injiɛere debemus, *cap. de viduis 27. quæſt. 1.* Ità Sanch. *lib. 2. diſp* 38. *n. 6.* Soto *in 4. diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. Auerſ. *q.* 21. *ſect* 3. Enriquez *lib. 6. de Pœnitentia, cap* 27. *n* 4. Rodrig *tom. 1. ſumm cap.* 22. *n* 13.

*Id ipſum dicendum eſt, ante contractum matrimonium.*

41. Quod verum eſſe aſſerit Sanchez *cum* Auerſ. *ex* Nauarr. etiam ante contractum matrimonium, ſi videat ignorantia inuincibili velle ad illud accedere, credatque quod eius admonitioni non acquieſcet, ſed læſa conſcientia contracturam, quæ bona fide contraheret, vel magna difficultate, & ſcandalo à tali matrimonio receſſuram : prudenter igitur Confeſſarius : nunc ſi licet. Imò tacere tenetur, inquit Sanch. *num* 7. etiamſi ſit ignorantia iuris diuini propter eamdem rationem, *n. 9. ex* Cordub. *ſum q.* 189. *punct* 5. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 33. *artic.* 6. *concluſ.* 2. Si autem interrogetur, vel de tali negotio conſulatur, debet veritatem detegere : quia ſi neget, fallit eam in re adeò graui, ſi taceat, poteſt illa ſuam taciturnitatem in ſuum ſauorem deflectere, & ſic in cauſa eſſet, ut tale matrimonium nullum celebretur. Ita Auerſ. & Sanch. *locis citatis.* Sed poſt contractum matrimonium, ſi interrogatus taceat, vel ſuam ſententiam proſerre recuſet, quandò prudenter iudicat non profuturam admonitionem, benè faciet : permittere enim debet, quod in ſua bona fide perſeuerent, ut grauiora mala euitentur.

*Qui ſcrupulum valoris matrimonij habet, reddere, & petere poteſt.*

42. Si verò poſt matrimonium bona fide contractum ſuboriatur ſcrupulus de valore illius, poteſt, depoſito ſcrupulo conſilio ſui Paſtoris, petere, & reddere debitum, *cap. Inquiſitionis, de ſententia excommunicationis* t quia cum ſcrupulus ex leuibus coniecturis oriatur, non eſt ſufficiens ad priuandum eum iure ſuo, quin potiùs conſultiùs eſt contrà ſcrupulos operari. Vndè ſicut in foro externo proculdubio iudicabitur in tali caſu in ſauorem matrimonij : ità poteſt conſcientia illi conformari : quia ſolùm ab eo recedere debet, quandò ſalſæ nititur præſumptioni : atque ità docent Ledeſm. *q.* 45. *art.* 1. *dub.* 2. *concluſ.* 1. Bonac. *n.* 2. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 41 *n* 42. Gutierr. *cap.* 49. *n* 23. Coninch, *n.* 100. Dic. *n.* 126. Enriq. *lib* 11. *cap.* 15. *n* 13. N. Ant. *n.* 632.

*Dubitans de valore matrimonij non poteſt petere, quamdiu eſt dubius.*

43. Sed maior difficultas eſt. An ſi aliquis poſt contractum matrimonium dubitet prudenter de valore illius, poſſit petere, vel reddere debitum? Circà quàm, omiſſis varijs opinionibus, breuiter quòd probabilius eſt, eligemus. Dicimus ergò, quod ſi poſt contractum matrimonium bona fide, alteri dubium ſuperueniat de valore illius, debet ſtatim adhibere ſollicitam diligentiam, ut veritatem naneiſcatur : & qui in hoc omiſſè ſe geſſerit, grauiter delinquit. Quamdiu verò diligentias adhibet, & res eſt ſub lite, non poteſt petere debitum ; reddere autem tenetur. Quod non poſſit petere, & ſi petat, quod alter, qui non eſt dubius, non teneatur reddere probatur ex *cap. Dominus, de ſecundis nuptijs, & capit. Inquiſitionibus, §. finali, de ſententia excommunicationis.* Vt ſi bona fide contraxit ſecundum matrimonium ; dubitat verò de morte prioris coniugis : tunc ſecundum hunc textum iure petendi priuatur : quia exponit ſe periculo fornicationis accedendo ad non ſuam. Vndè ſicut dubitans : an res, quam apud ſe habet, ſit ſua, non poteſt ea uti, quamuis retinere poſſit, donec veritatem inueniat : ſic in præſenti.

*Tenetur reddere alteri, qui non dubitat.*

44. Tenetur autem reddere coniugi petenti, & non dubitanti : quia qui non dubitat habet ius, & poſſeſſionem, à qua non eſt æquum ſpoliari, donec veritas innoteſcat t in dubijs enim melior eſt conditio poſſidentis t & ex duobus malis, quorum unum eſt dubium, & minus, alterum maius, & certum, illud eſt eligendum. In præſenti autem incertum eſt malum fornicationis, cui ſe exponit reddendo, qui dubitat, quod minus malum eſt, quam iniuſtitia, quam certò committit, contraueniendo iuri, & poſſeſſioni alterius. Ità Sanch. *num.* 42. Reginald. *lib.* 31. *capit.* 39. *num.* 299. Ledeſm. *concluſ.* 3 Bonacin. *num.* 4.

*Duplex objectio ſoluitur.*

45. Sed objicies. Primò : quod ſi dubium ſit de prioris coniugis vita, poſſeſſio ſtat pro illo : ergò non eſt reddendum debitum coniugi præſenti, cum præiudicio alterius. ¶ Secundò, quia ut diximus, qui dubitat ; an res ſit ſua non poteſt uti illâ ; ſed qui debitum reddit alteri, iam utitur corpore coniugis, de quo dubitat eſſe ſuum ; ergo non poteſt cum tali dubio debitum reddere. ¶ Reſpondetur ad primam, quod cum ſit dubium de vita prioris coniugis, poſſeſſio pro illo eſt dubia ; ſed poſterioris eſt certa : & ſic iſta debet illi præualere. ¶ Ad ſecundam reſpondetur, quod qui alteri petenti debitum reddit, non ſe habet ut utens, ſed potius ut patiens, nec ut dominus ſe gerit, ſed ut ſeruus ſe alterius iuri ſubjicit. Qui enim petit, ut dominus utitur re ſua ; alter vero Qui obedit, nec illa re uti ut Dominus verificatur.

*Poſt adhibitam diligentiam poteſt, qui dubius eſt petere & reddere debitum.*

46. Si vero poſt adhibitam diligentiam (vel etiam antè illam ſi ex ea non ſperatur fructus) adhuc dubius remanet ſpeculatiuè de valore matrimonij, qui bona fide illud contraxit, poteſt petere, & reddere debitum ; ſicut in alijs contractibus, qui bona fide Initi ſunt : ſi quis poſtea dubitet rem eſſe ſuam, & poſt adhibitam diligentiam, non poteſt veritatem detegere, poteſt eam ſibi retinere, & conſumere, ut latè probat Sanchez *libr.* 2. *diſputat.* 41. *numer.* 17. Et ratio eſt eadem : quia tunc poſſeſſor laborat ignorantia inuincibili : Illa namque dicitur inuincibilis ignorantia,

taſtia, quæ adhibitis diligentijs neceſſarijs vinci non poteſt. Atque ita tenent Sanchez *loc. citat. num.*46. Bonacin. *num.*5. Coninch, *numer.*105. Reginald. *num.*299. Valentia *tom.*4. *diſputat.*10. *quæſt.*6. *punct.*2. Veracrua *in ſpecul.part.*1.*art.*42. *concluſ.*3. Enriquez *libr.*12.*cap.*6.*num.*5. Diana 3. *part.tract.*4.*reſol.*295. Dicaſtill. *num.*136. N. Ant. *num.*634.

*Si uterque dubitat, neuter petere, aut reddere poteſt.*

47. Similiter dicendum eſt, quod quandò uterque dubitat de valore matrimonij, antè adhibitam diligentiam pro aſſequenda veritate neuter poteſt petere, aut reddere, non quidem petere: quia dubius de valore matrimonij iure petendi debitum caret, ut diximus; nec etiam reddere: quia ſe exponeret periculo fornicationis, à qua ſolùm excuſatur ob certum ius alterius, cui contrauenire non eſt æquum: ac proinde quandò neuter habet ius: quia uterque dubitat, nec petitio nec redditio erit licita. Si tamen adhibita diligentia, adhuc dubium perſeueret, & petere, & reddere adinuicem poſſunt: quia uterque habet ius propter ea, quæ modo diximus. Ità Auctores citati.

*Quid ſi uterque mala fide contraxit.*

48. Quandò autem matrimonium ex parte utriuſque fuit mala fide contractum, quia vel dubitantes de valore illius contraxerunt, vel malitioſè omiſerunt denuntiationes, neuter aut reddere, aut petere poteſt, quandò eſt dubius de valore illius; etiamſi adhibita omni diligentia in dubio perſeueret. Quod autem petere non poſſit, conſtat: quia poſſeſſio mala fide incepta minimè ſuffragatur, ut in dubio ſit eius conditio melior, ut probat Sanchez *libr.*2.*diſp.*41.*num.*24. & N. Anton. *num.*634. Et ideò qui rem alienam mala fide incepit poſſidere, non poteſt uti ea, aut retinere illam, ut tradit Bonac. *de reſtit. diſp.*21.*quæſt* 2.*punct* 2.*num.*11. ergò qui mala fide matrimonium contraxit, quamdiu de eius valore dubitat, non poterit licitè uti illo petendo debitum: nec etiam poterit reddere: quia ut multoties diximus, ſolum excuſatur in redditione ob ius certum alterius, cui non debet contrauenire negando illi, quod per tale ius debetur; in præſenti autem nullus habet ius petendi; ergo nullus licitè reddere poteſt. Ità Coninch, *num.*102. Sanch. *lib.*2.*diſp.*42.*num.*8. Bonacin. *num.*11. Enriquez *libr.*11.*cap.*11.*num.*15. & *lib.*12. *cap.*6.*num.*5. Veracruz 3.*part. ſpecul. art.* 5.*fin.* Dicaſt. *num.*166. Niſi practicè dubium deponant, ſaltem per opinionem probabilem, qua iudicent matrimonium valere, Dicaſt. *num.* 167. Enriq. *libr.*11.*cap.*11.*n.*5. ¶ Si verò unus mala fide contraxit, alter vero bona fide: ille, ſi dubitat, non poteſt petere, ut conſtat; poteſt tamen, & tenetur reddere, ſi alter non eſt dubius, vel iam adhibuit diligentiam ad inquirendam veritatem, *cap. Dominus, de ſecundis nuptijs*; quia ob alterius malam fidem non debet ſpoliari iure, quod habet ad uſum matrimonij, quamdiu de nullitate eius non conſtat, qui bona fide contraxit, Bonacin. *num.*10. Sanch. *num.*2. Dicaſtill. *dub.*11. *num.*138. & *dub.*12.*n.*164. Coninch, *diſp.*34.*dub.*10.*n.*101. Enriq. *lib.*12.*cap.*6.*n.*5. & 6. N. Ant. *loc. cit.*

*Si aliquis tantum habeat aſſenſum opinatiuum de nullitate non poteſt petere.*

49. In caſu verò, quo aliquis contraxit bona fide, & opinetur poſteà de valore matrimonij: quia per rationes probabiles mouetur ad aſſentiendum nullitati, cum tamen non habeat opinionem probabilem, quæ ſibi valorem matrimonij perſuadeat, non poteſt debitum petere; reddere autem tenetur: nam opinio ſuprà dubium addit aſſenſum determinatum ad unam partem; ideoque licet poſt adhibitam diligentiam poſſit petere, quandò eſt dubius; non verò quandò modo dicto habet determinatum aſſenſum opinatiuum, etiam poſt adhibitam diligentiam: quia dubitanti ſuffragatur poſſeſſio; non verò habenti aſſenſum opinatiuum determinatum, ut probat Sanchez, *lib.*2.*diſp.*41.*n.*3. & *diſp* 43.*n.*2. Bonac. *n.*13. Dicaſt. *n.*170. N. Ant. *n.*633.

*Tenetur reddere, qui modo dicto opinatur.*

50. Quod autem teneatur reddere alteri, qui non habet talem aſſenſum, probatur ex textu *in cap. Inquiſitioni, de ſententia excommunicationis*, ibi: *Si habeat conſcientiam ex credulitate probabili, & diſcreta, quamuis non euidenti, & manifeſta, reddere debet.* Et ratio eſt: quia ut poſſim alium à ſua poſſeſſione priuare, debeo eſſe certus rem non eſſe ſuam. Quapropter ut licita ſit compenſatio, requiritur certitudo in utente illa. Vndè dixit D. Thom. *in* 4.*diſt.*41. *quæſt.unic.art.*5.*quæſt.*1.*ad* 3. *Aut habet certam ſcientiam de impedimento matrimonij, aut opinionem: ſi primo modo, nec exigere, nec reddere debet: ſi ſecundò debet reddere, ſed non exigere.* Ità Sot. *lib.*5.*de iuſtitia*, *quæſt.*5. *art. ult. ad finem*, Enriq. *lib.*12.*cap.*6.*n.*7. Sanch. *lib.*2.*diſp.*43.*n.*3. Ledeſm. *q.*45.*art.*1.*dub.*2. *fol.*146. Dicaſtill. *n.*171. Bonacin. *n.*15. Gutierr. *cap.*49.*n.*1. & *cap.*50.*n.*4. N. Ant. *loc. cit.*

*Si pro utraque parte habeat opinionem, poteſt petere, & reddere.*

51. Si ex utraque parte habeat opinionem probabilem: nimirum tam de valore, quàm de nullitate matrimonij, poteſt petere, & reddere debitum: quia licitum eſt uti opinione probabili in fauorem matrimonij. Dicaſtill. *num.*174. Ledeſm. *quæſt.*45.*art.*5. *ad fin. in ſolut. ad ult.* Auerſ. *quæſt.*21.*ſect.*3.*fin.* Sanchez *lib.*2.*diſp.*42.*num.*9. & 43.*num.*4. Bonacina *num.* 13. Enriquez *lib.*15. *cap.*11.*num.*5. N. Gab. *diſ.*8.*n.*62. N. Ant. *n.*634. Qui addunt hoc verum eſſe, etiamſi probabilius credat non valere matrimonium; ſi tamen opinionem probabilem de valore illius habeat: quia poteſt depoſita opinione probabiliori, probabili ſe conformare.

*Prima regula ut cognoſcatur, quando aliquis poteſt eſſe certus, vel non, de nullitate matrimonij.*

52. Vltimò inquires: Quandò aliquis poterit eſſe certus, vel dubitare de nullitate matrimonij? Hanc triplicem regulam accipe. Prima eſt, quod regulariter coniux non tenetur alteri credere dicenti ſe fictè conſenſiſſe, ut inde prudenter dubitet de valore matrimonij; etiamſi hoc iuret: quia veriſimilius eſt, modò mentiri, quàm ab initio, quandò matrimonium peregit, *capit. Per tuas, de probationibus.* Dixi: *regulariter*, ſi enim ex circumſtantijs prudenter colligatur, illum verum loqui, ut ſi experientia conſtet eſſe perſonam timoratæ conſcientiæ, inſolitam periurare, vel ſi in articulo mortis id aſſeueranter aſſereret: vel ſi, cum eſſet timoratus, ab uxore vellet ſeparari: Religionem ingredi, vel ad alias nuptias peruenire: tunc prudenter ex eius dicto ſub iuramento poſſet dubitare de valore matrimonij, & procurare, ut reualidetur, vel alia omnia exequantur, quæ ad certam veritatis notitiam capiendam requiruntur. Sanchez *lib.*2. *diſp.*45.*num.*3. Bonac. *num.*19. Sot. *in* 4.*diſt.*27. *q.*1.*art.*3.*propoſit.*1.*verſ. Quo ergo gradatim*, Ledeſ. *quæſt.*45.*art.*1.*dub* 2. Valent. *tom.*4. *diſputat.*10. *quæſt.*6.*punct.*2. Veracruz 3.*part.ſpecul. artic.*13.

con-

*concluſ.* 1. Dicaſt. *num* 177. Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 2.

*Secunda regula.*

53. Secunda regula: ſi audiuit à perſonis non fide dignis, vel ex fama à nullo Auctore certo exorta impedimentum ſubeſſe, poteſt ante matrimonium contractum, illud celebrare, & poſt contractum petere, & reddere debitum, conſcientiam ex tali fama, aut teſtibus ortam deponendo: quia ex non fide dignis: & ex fama ab incerto Auctore proueniente, non ſumitur prudens dubitandi ratio, ut probat *Sanch. lib.* 2. *diſp.* 45. *num.* 29. Sylueſt. *matrim.* 6. *quæſt.* 8. Bonac. *ſup. num.* 20.

*Tertia regula explicatur.*

54. Tertia regula eſt: ſi ab uno fide digno, etiam Parocho, etiam amico, etiam iurante, audiuit impedimentum ſubeſſe, non tenetur credere ſtatim poſt contractum matrimonium, ut reddere debitum non poſſit, vel poſſit ab eo reſilire: quia licet unico teſti fide digno iuranti poſſit aliquis credere, unius tamen quantumuis fide digni teſtimonium, neceſſitatem non inducit credendi: maximè quandò eſt in ſui præiudicium, *cap. Cum à nobis, de teſtibus, & atteſtationibus.* Et idem dicendum eſt de fama publica ex certo Auctore dimanante, Sylueſt. *loc. cit.* Bonac. *num.* 20. Sanch. *num.* 25. Dicaſt. *num.* 181. At verò antè contractum matrimonium ſufficit unius teſtis fide digni teſtimonium, ut ab eo celebrando recedat, ne exponatur periculo nullitatis illius, & cæterorum malorum, quæ inde ſequuntur. Tenetur tamen ex dicto unius fide digni teſtis dubitare, ſolicitamque adhibere diligentiam ad aſſequendam veritatem: quia ſufficiens eſt ratio dubitandi unius fide digni teſtimonium, eſſetque ignorantia vincibilis, imo affectata, ſi poſt unius fide digni teſtimonium non ſe moueret ad inquirendam veritatem: & ideo uſque dum de illa certificetur, ut dubius ſe habere debet, proindeque reddere tenetur, ſi alter non dubitet, nec ſit ex aliquo capite abſque iure petendi; non autem petere poteſt. Facta vero diligentia, ſi adhuc nihil contrà ſe inueniat, poteſt conſcientiam deponere, & petere, aut reddere debitum. ¶ Hic agendum erat, quomodo poſt quam conſtiterit matrimonium eſſe nullum, reualidandum erit. Sed de hoc latè egimus *cap.* 3. *punct. ultim.* per totum, & ideo ad illum locum lectorem remittimus.

## PVNCTVM V.

### *Quomodo ex fine, ex tempore, ex ſitu, ex loco poſſit actus coniugalis vitiari?*

*Ex prauo fine copula vitiatur ſecundum malitiam finis.*

55. Actus coniugalis, ſeu inter coniuges congreſſus, qui in ſe bonus eſt, & meritorius, nullamque per ſe dicit deformitatem (alias ad illum non poſſent coniuges obligari per matrimonium) poteſt per accidens vitiari ex circumſtantijs adiectis. Et in primis ratione praui finis illi appoſiti, in quo eſt certum, ut diximus *punct.* 2. *numer.* 17. alterum teneri debitum reddere petenti ex prauo fine: quia talis finis malus ſolum vitiat actum ex parte petentis, non verò ex parte reddentis, qui non concurrit ad eum, ut eſt per malum finem vitiatus, ſed ut eſt actus bonus, & honeſtus. Petens vero ex malo fine peccatum committit, ſecundum malitiam finis, à quo mouetur. Ideoque ſi finis malitiam habeat grauem, & lethalem, eadem malitia actus polluitur, debetque in confeſſione explicari. Si venialem dumtaxat, tantummodo copula maritalis erit peccatum veniale. Vix autem umquam ad malitiam lethalem perueniet: quia raro talis finis prauus illi apponitur.

*Ob tria bona matrimonij licita eſt copula coniugalis.*

56. Si coniugês copulentur moti tamquam à fine à quolibet ex bonis matrimonij, nullum erit peccatum, nec veniale, ut ſi intendant fidem ſibi ſeruare, ſignificationem Sacramenti perſiſtere, prolem generare: quia omnia bona matrimonij honeſta ſunt, & laudabilia. Si talem prolem intendant ſolum deſiderio ſucceſſionis, ſiſtendo ibi, & non ordinando prolem ad Deum, ut in coltu Dei educetur, erit peccatum veniale: quia non debet ſiſtere in bono naturæ: ſed referri in bonum Sacramenti D. Thom. *in* 4. *diſt.* 31. *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 1. Imo nec veniale peccatum erit copulam exequi vitandæ concupiſcentiæ gratia: quia ſuppoſita fragilitate hominum, & corruptione inducta per peccatum, hoc remedio ad ſedandam concupiſcentiam uti licitum eſt, cùm ad hoc ſaltem ſecundariò ordinetur ipſum matrimonium, & ſecundarium finem intendere matrimonij, retento fine primario, id eſt, non expreſſè illo excluſo iuxta dicta *cap.* 3. *num.* 28. non eſt deordinatio aliqua vituperabilis, ſed laudabilis, & honeſta circumſtantia. Vnde D. Paulus 1. *ad* Corinth. 7. dicit: *propter fornicationem* (utique vitandam) *unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum*, Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 11. *num.* 4. Dicaſt. *diſp.* 9. *dub.* 2. *num.* 10. Auerſ. *quæſt.* 21. *ſect.* 4. Dian. 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 219. Baſil, *lib.* 10. *cap.* 8. *num.* 5. Coninch, *diſp.* 34. *dub.* 1. *concl.* 1. N. Anton. *diſp.* 9. *num.* 597. N. Gab. *diſput.* 7. *num.* 20.

*Ob ſolam delectationem eſt peccatum veniale.*

57. Sed inquires. An ſit peccatum aliquod ob ſolam delectationem, & voluptatem captandam copula maritali uti? Reſpondetur, quod ſi talis delectatio, & voluptas ſolum ſumatur ut applicatio voluntatis ad uſum moderatum matrimonij, non ut finis mouens, non erit peccatum nec veniale, ut diximus *cap.* 3. *citat. num.* 31. de eo, qui ob delectationem in cibo applicaretur ad ſumendum moderatè cibum ſaluti neceſſarium. Si verò ut finis actui coniugali apponatur, erit peccatum veniale, & ideo D. Aug. *lib. de bono coniugali, cap.* 6. *inquit: Coniugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam; concupiſcentiæ vero ſatiandæ culpam habet venialem.* Si tamen concupiſcentia, vel voluptas limites matrimonij excedat, ut ſi congrediens cum uxore, aliam ſibi repræſentaret, vel ita eſſet actualiter affectus, vel concupiſcentia captus, ut paratus eſſet uxorem cognoſcere, etiam ſi ſua non eſſet, erit culpa mortalis, D. Thom. *in* 4. *diſt.* 31. *quæſt.* 2. *art.* 3.

*Diebus feſtiuis aut ieiuniorum non eſt peccatum petere aut reddere.*

58. Deinde ex parte temporis aliqui dicunt eſſe illicitam copulam, maximè feſtiuis diebus, in rogationibus, in vigilijs, in die, qua Euchariſtia eſt recipienda, vel recepta eſt. Cæterum licet ſit ſaluberrimum conſilium diebus feſtiuis, & ieiuniorum tempore, ut Deo vacent, ut pœnitentiæ ſe addicant, ex communi conſenſu, à tali actu ab-



Google

abſtinere, iuxtà illud Pauli *ad* Corinth. 7. *Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi.* Attamen abſque peccato poſſunt ad inuicem coniungi *in* his temporibus feſtiuis, aut ieiuniorum: quia nullibi eſt talis actus prohibitus, & licet non nihil per eum coniuges auertantur à fine intento ab Eccleſia illis diebus, finis tamen legis non cadit ſub lege, ut inquit D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 93. *art.* 3. *ad* 2. nec aliquis vacare amplius pœnitentiæ, aut orationi tenetur, præter id, quod per præceptum ſibi iniongitur. Quare nec petere, nec reddere eſt his diebus illicitum: niſi forte in contemptum diei feſti, vel ieiunij, id fieret, quod proculdubio erit lethale peccatum. Hæc omnia Ledeſm. *quæſt.* 94. *art.* 7. *notabil.* 1. Auerſ. *quæſt.* 2. *ſect.* 6. Bonac. *quæſt.* 4. *punct.* 6. *num.* 28. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 5. Dicaſt. *num.* 18. Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 12. *num.* 5. Baſil. *lib.* 10. *cap.* 9. *per totum*, Coninch, *num.* 74. Gabr. *n.* 23. N. Ant. *num.* 602.

*Die communionis non eſt illicita copula coniugalis.*

59. Similiter eſt conſultiſſimum, poſt copulam carnalem, ſiue petendo, ſiue reddendo habitam eodem die à communione abſtinere: ideoque dixit D. Hieronym. ut refertur in *cap. Societatis* 33. *quæſt.* 4. *quicumque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus Agni comedere debet*, & in epiſt. ad Pammachium. *Illorum conſcientias conuenio, qui eodem die poſt coitum communicant*; non tamen peccatum erit adhuc veniale, ſi ob bonum aliquod matrimonij habeatur talis copula: quia indecentia, quæ ex illa oritur, ſatis per bonum aliquod matrimonij compenſatur. Si vero ex nimia carnis concupiſcentia, vel voluptatis capiendæ gratia habeatur, peccatum erit veniale, illo die Euchariſtiam recipere, quia inde magna diſtractio oritur, mentiſque hebetudo; ut inquit D. Thom. 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 7. *ad* 2. niſi iuſta cauſa ad communionem obliget, ut ſolemnitas maxima illa die occurrens. Iubilæum, notæ periculum, vel deuotio particularis. Non enim requiritur cauſa valde urgens, ſed mediocris ſufficit, ut aliquis accedendo ad Euchariſtiam in tali caſu ea culpa excuſetur, Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 13. *num* 8. Dicaſt. *diſp.* 9. *dub.* 3. *num.* 18. Similiter poſt acceptam Euchariſtiam laudabile eſt à copula abſtinere, illa die, ob reuerentiam tanti Sacramenti; nulla tamen erit culpa reddere debitum, cum ſit actus iuſtitiæ Deo placens; petere vero abſque honeſta cauſa non vacabit culpa veniali: maximè ſi parua mora temporis à communione præterierit.

*In loco publico eſt peccatum mortale copula maritalis.*

60. Deinde ex circumſtantia loci vitiari poteſt copula maritalis, ut ſi habeatur in loco publico, vel in loco ſacro. Et quidem in loco publico, id eſt, coram aliquibus, eſſe lethale peccatum, omnibus eſt manifeſtum. Tum propter ſcandalum, & ruinæ occaſionem, quam aſpicientibus tribuerent. Tum etiam: quia licet non eſſet ſcandalum, eſſet valde indecens: & rationi diſſonum propter inhoneſtatem, & pudicitiæ iacturam, quam talis congreſſus afferret. Imo tactus, alias liciti, vel aſpectus inter coniugatos, ſi coram alijs fierent, illiciti eſſent, & maius vel minus peccatum iuxtà qualitatem eorum, & iuxtà fragilitatem aſpicientium, qui ex eis ruinæ occaſionem ſumerent, quod per prudentum iudicium debet penſari. D. Thom. *in addit. quæſt.* 67. *art.* 7. *&* *ibi* Ledeſm. *dub.* 1. *ad* 1. Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 15. *num.* 2. Baſil. *libr.* 10. *cap.* 10. *num.* 1. Auerſ. *quæſt.* 21. *ſect.* 6. *princip.* N. Ant. *num.* 600. Vide tamen N. Gabr. *diſ.* 7. *numer.* 26. ubi ratione neceſſitatis in quibuſdam caſibus excuſat etiam à veniali.

*Per ſanguinis aut ſeminis effuſionem ſacer locus violatur.*

61. Etiam ex circumſtantia loci vitiatur talis copula, ſi fiat in loco ſacro, ob reuerentiam debitam ſanctitati loci. Sed an ſit peccatum mortale congreſſus inter coniuges habitus in loco ſacro, ex vi præcisè huius circumſtantiæ eſt inter Doctores diſſidium? Sed pro reſolutione notandum eſt, quod ob reuerentiam debitam loco ſacro prohibuit Eccleſia intrà illum ſanguinis, aut ſeminis effuſionem: ita quod Eccleſia benedicta, aut conſecrata violetur, ſi intrà eam ſanguinis aut ſeminis effuſio voluntaria contingat, ut in ea non poſſint diuina celebrari, niſi iterum conſecretur, aut benedicatur, *cap. unic. de Conſecrat. Eccleſiæ in 6. cap. Eccleſijs de Conſecrat. diſt.* 1. Vnde omnes conueniunt, quod illa ſanguinis, aut ſeminis effuſio quæ violare locum ſacrum ſufficiat, & impedire, ne in eo Officia Diuina, aliaque Eccleſiaſtica munia fiant, eſt ſacrilegium, & ſpeciale peccatum mortale, in confeſſione manifeſtandum. Sed dubium eſt, quænam ſanguinis, aut ſeminis effuſio ad id ſufficiat: circà quod eſt triplex ſententia ſatis probabilis.

*Sententia aſſerens non eſſe ſacrilegium copulam maritalem in loco ſacro.*

62. Prima aſſerit, non violari Eccleſiam per licitam ſanguinis, aut ſeminis effuſionem: proindeque nec per effuſionem ſanguinis in defenſionem factam, nec per maritalem copulam: & ideo dicunt non eſſe peccatum ſacrilegij, & ſic nec mortale coniuges in Eccleſia ſe carnaliter cognoſcere, præciſo alio ſcandalo, vel damno: quia ex iure naturæ, aut diuino, ut omnes fatentur, id non habetur, nec ex iure Eccleſiaſtico: nam in dictis capitibus ſolum dicitur Eccleſiam pollui ſanguinis, aut ſeminis effuſione, quod per illicitam talem effuſionem ſufficienter ſaluatur, & cum ſit lex pœnalis, & odioſa non eſt amplianda, ſed reſtringenda quantum eius verba patiuntur. Ità Baſil. *lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 13. qui refert *Gloſſam in cap. Eccleſijs*, verb. *Semine, de conſecratione. Alenſem*: 2. *part. quæſt.* 147. *memb.* 2. Sa *verb. Eccleſia, num.* 14. Enriquus *cap. Finali, de Conſecratione Eccleſiarum, num* 3. Rorell. *verb. Conſecratio* 1. *num.* 9. Et probabile iudicat, imo huic opinioni adhærere videtur Dicaſt. *diſp.* 9. *dub.* 5. *num.* 57. *&* Soto *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 3. *verſu de quarto.* Vbi hanc ſententiam eſſe fortaſſe veram dicit. N. Gabr. *numer.* 27. N. Ant. *numer.* 601.

*Sententia aſſerens copulam maritalem ſecreto habitam in loco ſacro non eſſe ſacrilegium.*

63. Secunda ſententia dicit, ſolum per ſanguinis, aut ſeminis effuſionem publicam Eccleſiam violari: & ideo eſſe talem violationem ſacrilegium, quandò eſt publica; ſecus vero ſi eſt ſecreta, ſiue ex neceſſitate, ſiue extrà illam fiat: ac proinde licitam eſſe copulam inter coniuges, ſi ſecretò fiat, (ſaltem in eo ſenſu, ut non ſit lethale peccatum) in loco ſacro. Tunc verò cenſetur talis copula publica, vel ſi verbis coram alijs manifeſtaretur, aut ſi in eodem toro ſimul eos cubare viderent. Ratio huius ſententiæ eſt: quia illa effuſio ſanguinis, aut ſeminis Eccleſiam polluit, quæ impedit, quominus in ea celebretur: ſed non impeditur Eccleſia à diuinorum celebratione per copulam ſecretò habitam, ut conſtat; ergò per illam non violatur, nec ex hac

parte

Google

parte erit talis copula ſacrilegium. Hanc tenent præter Auctores pro prima citatos, qui conſequenter ad ſuam doctrinam aſſeiunt, de copula ſecreta non eſſe ſacrilegium Vega *tom.*1. *ſumm. lib.*1. *cap.*78. Azor. *tom.*1. *lib.*10. *cap.*26. *quæſt.*3. Vaſquez 1. 2. *diſp.*98. *num.*6. Toler. *lib.* 5. *cap.*8. Rodrig. *tom.*1. *ſumma cap.*243. *numer.* 19. *& cap.*154. *concluſ.*10. *num.*11. & probabiliſſimam vocat Dicaſt. *diſp.* 9. *dub.* 5. *numer.* 57. imo communem appellat Baſil. *loc. citat. num.*5.

*Quid inferatur ex hac ſententia.*

64. Ex hac ſententia videtur deduci, non eſſe ſpeciale peccatum ſacrilegij copula fornicaria, aut pollutio habita in Eccleſia, ſi ſecretè fiat: quia ſolum per publicam ſeminis effuſionem polluitur Eccleſia. Atque ita tenet abſolutè Baſil. *numer.*15. Tolet. *lib.*15. *cap.* 8. Azor *tom.*1. *lib.*10. *cap.*26. *quæſt* 3. Sà *verb. Eccleſia, num.*19. Graſis *deciſionum, prima part. cap.* 48. *num.* 26. Vaſquez *diſp.*98. *citat. num.*6. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 230. Coninch, *quæſt.*83. *de ritu venerab. Sacrament. art.* 3. *dub.* 1. *num.* 230. Qui hac ratione probant: quia reuerentia talibus locis debita conſiſtit in opinione hominum, ſicut fama; ergò ſicut homines de facto non fiunt per crimina infames; niſi crimina innoteſcant: ita huiuſmodi reuerentia non poteſt à locis ſacris auferri, niſi de crimine pateat. Idem dicunt de graui effuſione ſanguinis, quamuis illicita; ſi tamen fuerit occulta. Et occulta iudicantur delicta, etiamſi duo, vel tres, habeant de illis notitiam dummodo, vel per confeſſionem rei, vel per publicationem, ad alios, non perueniat.

*Impugnatur, quod illarum eſt valiſententia.*

65. Sed hoc ultimum, licet ob tantorum virorum auctoritatem ſit probabile, ratione autem conuincitur appoſitum: quia per talem concubitum per ſe polluitur Eccleſia, & per ſe illi grauis fit iniuria; tametſi dum occultum maneat, non teneamur abſtinere à celebratione diuinorum in ea: ergò induit ſpecialem malitiam ſacrilegij, quandò concubitus eſt illicitus (idem dicendum eſt de quacumque alia ſeminis humani, ac ſanguinis effuſione illicita) eritque ſacrilegium. Prob. antecedens: quia hoc ipſo quod per famam conſtet de præterito concubitu; aut confeſſione rei abſque nouo actu, aut culpa, incipit Eccleſia eſſe polluta etiam coram hominibus, ut non poſſit celebrari in ea, *cap. Significaſti de adulterijs*, ſed per famam non polluitur, aut per confeſſionem: alias talis fama aut confeſſio eſſet ſacrilegium: ergo quia ex vi illius actus fuit polluta: erit ergò ſacrilegium, etiamſi occultè fiat.

*Si ex neceſſitate fiat in loco ſacro copula maritalis non eſt ſacrilegium.*

66. Tertia denique ſententia, cui nos adhæremus, tenet, illicitam, & ſacrilegam eſſe copulam coniugalem in loco ſacro abſque neceſſitate factam, licitam verò eſſe, & per eam locum ſacrum non pollui, nec reconciliatione indigere, ſi ex neceſſitate fiat: ut ſi coniuges, vel alter illorum diu in Eccleſia permanere coacti eſſent, vel ob bellum, vel ob obſidionem, vel alia cauſa, & non poſſent commodè ad locum extrà Eccleſiam exire, & periculum immineret incontinentiæ inter illos, vel altero illorum. Quod ſit ſacrilega talis copula, ſi abſque neceſſitate fiat; probatur ex teſtibus *ſup. n.6.* allegatis, ubi per ſanguinis aut ſeminis effuſionem Eccleſiam pollui dicitur. Et ubi ius non diſtinguit inter licitam aut illicitam effuſionem, nec nos diſtinguere debemus, *leg. de pretio, ff. de Publiciana.* Vndè ſicut ſanguinis effuſio, etiamſi licita ſit; ſi tamen in Eccleſia abſque neceſſitate fiat, erit ſacrilegium, ut ſi iudex reum ibi occideret, ſic effuſio ſeminis, alias licita, ob reuerentiam loci ſacri, ſi fiat in eo abſque neceſſitate, erit ſacrilega. Sanguinis vero effuſio ſi fiat cum neceſſitate, ut in defenſionem propriæ vitæ, non polluit Eccleſiam; neque eſt ſacrilega ob rationem quam modo dabimus ita Auctores ſtatim citandi.

*Probatur ratione ſecunda pars concluſionis.*

67. Probatur ergo ex neceſſitate eſſe inter coniuges licitam copulam. Quia Eccleſiæ præcepta in caſu neceſſitatis non obligant, ut eſt iſte; quia difficile eſt coniuges per multum tempus abſtinere: eo quod licet non ſit neceſſitas præciſa, & abſoluta, eſt tamen moraliter attenta hominum fragilitate. Quarè irreuerentiam loco ſacro non irrogant, ſed potius illum reuerentur, qui ut euitent incontinentiam, maritali copula coniunguntur. Ità Sanch. *lib* 9 *diſp* 15. *num* 12. Enriq. *lib* 9. *de Miſſa, cap.* 27. *n.*5. *& lib.*11. *de Matrimonio cap.*26. *n.*4 Suarez 3 *part. quæſt* 83 *art.* 3. *diſp.*81. *ſect.*4. §. 3. Ledeſm. *quæſt.*64 *art.*7 *concluſ* 1. Leander *diſp.*25. *quæſt.*31. Leſſius *lib.*4 *cap.* 3. *de ſpeciebus luxuriæ, dub.* 12 *n.*85. Couarruu. *de ſponſalib. part.* 2. *cap* 7. §. 2. *num.* 3. Syluest. *verb. Debitum, num.* 5. *& verbo Conſecratio* 2. *num* 5. Alfonſus de Caſtro *lib.*1. *de poteſt. legis pœnalis, cap.*7. *document.*2. N. Ant. *&* N. Gabr. *loco cit.* & alij. Danda tamen eſt opera, ut quam occultiſſimè fiat, ne ſcandalum inde ſequatur. Longum vero tempus ad talem neceſſitatem aliqui iudicant decem dies, alij viginti: verius cum Sanch. unum menſem longum tempus detentionis eſſe iudicandum putamus.

*Etiam extrà periculum incontinentia eſt licitus concubitus in tali caſu.*

68. Sed notant aliqui ex his Doctoribus, quod quamuis ob vitandum periculum incontinentiæ excuſentur coniuges, qui in loco ſacro copulantur, non erit peccatum, ſi abſque tali periculo id fiat ex alijs finibus: quia extra prohibitionem coëundi in loco ſacro ſunt, hoc ipſo quod diu in eo commorari putent: & licet hoc regulariter ob periculum incontinentiæ eueniat, ſemel tamen ab obligatione extractis iam eis licet ex alijs finibus honeſtis, talis concubitus. Imò, inquit Sanch. quod ſi coniuges per unum menſem iudicent in Eccleſia manſuros, poſſe in principio, in medio, & in fine illius copulari: quia per diuturnam manſionem iam excuſati ſunt. Illud tamen ut certum iudicamus, quod deſideria, tactus, verba laſciua, vel amatoria, aſpectus, &c. Inter coniuges etiam extrà caſum neceſſitatis dictæ, ſi abſque periculo fiant pollutionis, non inducunt malitiam ſacrilegij. Et idem dicimus etiamſi inter non coniugatos habeantur: quia Eccleſia ſecundum iura ſolum ob ſanguinis, & ſeminis effuſionem polluitur: ergò cæteri actus, quamuis aliàs illiciti, ſicut Eccleſiam non polluunt, ita nec ſacrilegij malitiam induunt.

*Quid per locum ſacrum intelligatur.*

69. Sed inquires: quid intelligatur per locum ſacrum ut copula habita in eo, & idem eſt de effuſione ſanguinis notabilis, vel occiſionis, aut ſeminis humani ſit ſacrilegium? Reſpondetur certiſſimum eſſe, locum ſacrum non ita extendi ad hunc effectum, ſicut ad gaudendum Eccleſiæ immunitate: ſiquidem omnia habitacula Eccleſiæ, Monaſteriorum, &c. cenſentur loca ſacra in ordine ad immunitatem; non tamen ut copula in



Digitized by Google

cis habita ſit ſacrilega. Igitur ſola Eccleſia conſecrata, aut benedicta, & omnis locus deputatus ad Officia Diuina ex Epiſcopi auctoritate, vel ad ſepulturam fidelium, nomine loci ſacri ad hunc effectum intelliguntur: & per Eccleſiam intelligimus illud ſpatium, per quod corpus Eccleſiæ componitur, à tecto uſque ad pauimentum, & à ſumma ara uſque ad parietem oppoſitum: & ſic etiam comprehenduntur Capellæ, & Chorus, quæ intra Eccleſiam ſunt, & unum corpus faciunt cum ea. Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 15. *à num.* 24. Vega *tom.* 2 *ſumm. cap.* 94. *caſ.* 5. Enriq. *libr.* 9. *de Miſſ. cap.* 25. *n.* 5. Sot. *in* 4 *diſt.* 32. *quæſt. unic. art* 3. *tom. Inſ.* 3. Baſil. *lib.* 10. *cap.* 10. *in principio.*

*Quæ loca in particulari ſacra indicentur ad hunc effectum.*

70. Ex quo ſequitur Cœmeterium ab Epiſcopo benedictum, & ad ſepulturas fidelium deputatum (& idem dicendum eſt de clauſtris Religioſorum, illorum ſepulturis deputatis, & de cameris, ſeu cauernis, vulgo *Carneros*, quæ ſub Eccleſia exiſtunt, in quibus fideles ſepeliuntur) dici locum ſacrum ad hunc effectum: quia quoties delictum aduerſatur rei, ad quam locus eſt deſtinatus, & benedictus: eſt ſacrilegium: ſed ſi dicta loca ſanguinis aut ſeminis effuſione polluantur, nequeunt in eis fideles ſepeliri, *cap. unic. de Conſecrat. Eccleſiar. in* 6. ergò, &c. Ita Sanch. *loc. cit. n.* 4. Enriq. *lib.* 5. *de pœnitentia cap.* 6. *n.* 5. Petrus Ledeſm. *ſumma tract. de Euchariſt. cap.* 20. Rodrig. *tom.* 1. *ſumm. cap.* 207. *in fine.* ¶ Cætera verò loca vel intrà Monaſterium, vel extrà Eccleſiam conſtituta, ut dormitorium, cellæ, Tribunæ, Sacriſtia, confeſſionaria extrà Eccleſiæ parietes conſtituta, tectum, quod eſt ſuprà Eccleſiam, locus, qui eſt infra Eccleſiam, & non ad ſepulturam deputatus, Oratoria priuata non benedicta ab Epiſcopis, porta Eccleſiæ extrà limen clauſuramque illius, cameræ Eccleſiæ adhærentes, turres, ubi cymbala collocantur, clauſtra Religioſorum non deputata illorum ſepulchris, non cenſentur loca ſacra, ut ſanguinis, aut ſeminis effuſio in illis ſit ſacrilegium. Sanch. *lib.* 9. *tota diſp.* 15. cum pluribus à ſe citatis Dicaſt. *lib.* 9. *dub.* 5. *n.* 58. Baſil. *n.* 3.

*Eſt peccatum veniale, grauiſſimum inverſo modo copulam habere.*

71. Demum ex parte modi coëundi poteſt eſſe illicita copula inter coniugatos, ut ſi ſedentes, vel ſtantes fiat, ſi præpoſterè, more pecorum congredientes, vel inuerſo ſitu, ut ſi vir ſit ſuccubus; fœmina vero incuba fiat; quod eſſe peccatum ſaltem veniale, & grauiſſimum, ſi abſque neceſſitate id fiat, docent omnes, increpandoſque eſſe coniuges ſic mutuò congredientes, ob peruerſionem ordinariâ naturâ deſignati, & turpitudinem in tali modo coëundi repertam. Ex iuſta cauſa poſſent excuſari, ut ſi periculum immineret abortus, & grauis damni fœtui modo naturali coëundo: vel ſi vir nimis eſſet pinguis, & fœmina delicata, quæ ob id nimis grauaretur, &c. Ità Caiet. Ledeſm. Sanch. Vega, Dicaſt. infra citandi. Sed difficultas eſt an ſit peccatum mortale copula aliquo ex his modis inordinatis habita?

*Non tamen eſt peccatum mortale.*

72. Sed omiſſis varijs modis dicendi, aſſerimus per ſe numquam eſſe mortale peccatum, ſiue præpoſterè, ſiue per latus accedendo (ſeruato vaſe debito) ſiue quouis alio modo copula maritalis fiat, etiamſi ob captandam maiorem delectationem, aliquo ex his modis inordinatis, coniuges copulentur. Ità Albertus Magnus *in* 4. *diſt.* 31. *art.* 4. 24. Caiet. 2. 2 *quæſt.* 154. *art. circà ſolutionem ad* 4. *& art.* 12. *ad* 2. *dub.* D. Antonin. 3. *part, tit.* 10. *cap.* 20. §. 3. Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 16. *n.* 3. Dicaſtill. *diſp.* 9. *dub.* 3. *n.* 62. Bonac. *quæſt.* 4. *punct.* 13. *n.* 2. Perez *diſp.* 49. *ſect.* 7. *n* 8. Vtin. *in ſumm. de Matrim. n.* 273. Sot. *in* 4 *diſt.* 31. *quæſt. unic. art* 4. *ad finem* Enriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 18 *n.* 6 Baſil. *lib.* 10. *cap.* 11. Viuald. 1. *part. Candelabr. de Matrimon. n.* 261. Coninch, *diſp.* 31. *dub.* 9. Toletus *lib.* 7. *cap.* 20. Trullench, *lib* 6. *Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. §. 4. Villalob. *tract.* 13. *diff.* 41. *num.* 6. *& tract.* 4. *diff.* 15. *num.* 2. Auerſ. *quæſt.* 12. *ſect.* 5. N. Gabr. *n.* 29. N. Ant. *n* 605.

73. Et probatur ratione iſta ſententia: quia inordinatè quærere in uſu matrimonij voluptatem ſolum eſt culpa venialis, quandò illius finis principalis ſeruatur, qui eſt poſſe prolem generare: ſed quocumque modo ex dictis fiat congreſſus, ſi legitimum vas ſeruatur, ſolum eſt abuſus, ac naturalis peruerſio ordinis in accidentalibus, ſeruato fine principali, qui eſt prolem generare poſſe: ergò ſolum erit culpa venialis. Maior, & conſequentia conſtant, minor verò probatur: quia ut generatio fiat, non recipitur neceſſariò ſemen in matrice per infuſionem, ſeu per deſcenſum, ſed per attractionem illius: eo quod ſicut in ſtomacho datur virtus ad attrahendum cibum: ita in matrice ad attrahendum ſemen, ut inquit D. Thom. *quodlib.* 6. *art.* 18. Ariſtot. *lib.* 2. *de generatione animalium, cap.* 4. ergò ſicut cibus, quocumque modo ſumatur; ſi tamen intret per os ad ſtomachum attrahitur, ut nutritioni poſſit deſeruire: ſic etiam ſemen, ſi intrà vas debitum recipiatur, quocumque modo mittatur in illud, attrahitur à matrice ut generationi poſſit deſeruire. *Ratione probatur concluſio.*

74. Diximus, in concluſione: *non eſſe per ſe peccatum mortale*, aliquo ex modis recenſitis habere copulam. Per accidens vero eſſe poteſt, ut ſi periculum ſubeſſet effundendi ſemen extrà legitimum vas: quod periculum rarò adeſt: & ideò non tenetur confeſſarius interrogare pœnitentem ſe accuſantem de indebito ſitu, aut modo, ut notat Sanch *ſup. n.* 5. Auerſ. §. 2. At verò ſi experientia conſtaret, ex alijs ſic inordinatis congreſſibus, ſemen extrà vas effundi, erit mortale peccatum tali modo, quo periculum ſubeſt illud prodigendi, concubitus. Sed inquiunt Baſil. *ſup.* Sanch. *n.* 5. Perez *n.* 11. non eſſe lethale, ſi aliqua pars ſeminis propter modum copulandi ſe, effunderetur extrà vas. Hæc tamen doctrina nobis nimis laxa videtur, cum ſit prodigere ſemen humanum, abſque rationabili cauſa. ¶ Illud tamen ut certiſſimum apud omnes ſtatuimus eſſe peccatum mortale contrà naturam data opera, ſemen extrà vas naturale emittere: quia fini naturali, ad quem natura ordinauit ſemen, aduerſatur: ſiue hoc effundatur extrà, ex parte viri, ſiue ex parte fœminæ: quia licet illius ſemen non ſit neceſſarium ad generationem; eſt tamen utiliſſimum, & ad hoc à natura donatum, ut proles ſolidior, pulchrior ſalubrior, & melius complexionata naſcatur. Imo talis effuſio eſt adulterium: quia non ſeruat fidem alteri datam, de corpore illi caſtè cuſtodiendo, Sanch. *diſp.* 18. *n.* 4. *&* 5. Reginald. *lib.* 31. *n.* 333. Bonacin. *quæſt.* 4. *punct.* 6. *n.* 19. Dicaſt. *ſupra num.* 82. *Per accidens ratione periculi erit peccatum lethale.*

PVNC-

Digitized by Google

## PVNCTVM VI.

*Quomodo ob damnum fœtus ſit inter coniuges illicita copula? Et de tactibus, verbis, aſpectibus, &c. quæ licent inter illos.*

*Aliquo modo ſemen à ſuo fine generationis impedire eſt peccatum mortale.*

75. OMnia hæc hoc puncto coniungimus: quia ab illis iam expediri deſideramus. Sed notandum eſt, quod proli poteſt imminere damnum ex parentum congreſſu, vel ante conceptionem: quia nimirum impediatur talis conceptio, ut ſi alter non ſeminet, uno ſeminante, vel neuter in tali copula ſeminet: vel poſt conceptam iam prolem, ut ſi tempore, quo eſt grauida mulier, vel lactans, congrediantur; vel etiam tempore menſtrui, ob connexionem doctrinæ: de his agemus hoc puncto, illud ut certum apud omnes ſupponentes, quod quoties aliquid efficitur, quo ſemen à ſuo fine generationis fruſtretur, eſt lethale peccatum contra naturam. Vt ſi fœmina potionem ſumat, vel alia remedia ne concipiat, tam dans, quàm recipiens culpæ mortalis eſt reus, vel ſi fœmina poſt receptum ſemen ſtatim urinam emittat, vel ſe erigat; vel aliud faciat animo ſemen extrà ſe fundendi. Sanch. *libr.* 9. *diſp.* 20. *num.* 3. Reginald. *lib.* 31. *num* 334. Bonacin. *num.* 17. Dicaſt. *num.* 81. Dixi *animo ſemen effundendi*: ſi enim ex aliqua neceſſitate dicta faceret, peccati rea non eſſet. Nec debet eſſe nimis anxia, ut poſt coitum immobilis aut reſupina perſiſtat: quia ſemel recepto ſemine, os matricis clauditur: ita ut nec cuſpidem actus recipiat, ut tenet Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 17. *n.* 12. & *diſp.* 20. *n.* 4. Enriq. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 16. *n.* 8. Dicaſt. *ſup. num* 81.

*Peccatum eſt veniale, non mortale, ad menſtruatam accedere.*

76. Inquires igitur 1. an ſit peccatum accedere ad uxorem tempore menſtrui naturalis? Dicimus naturalis: ille videlicet, qui vel per ſingulos menſes, vel alio tempore determinato ſolet fœminis euenire. Quia ſi fluxus ſanguinis eſſet perpetuus vel frequens, ut in aliquibus contingit, nulli dubium eſt, non eſſe peccatum, ad uxorem ſic menſtruatam accedere. Ad quæſitum ergò reſpondetur eſſe peccatum illo tempore cognoſcere uxorem, non mortale, ſed veniale. Ità Auerſ. *quæſt.* 21. *ſect.* 6. Bonac. *quæſt.* 4. *punct.* 6. *num.* 9. Viuald. *Candelab.* 1. *part. num.* 259. Sanch. *diſp.* 21. *num.* 7. Baſil. *lib.* 10. *cap.* 14. *num.* 6. N. Conincjo *diſp.* 6. *dub.* 3. *pag.* 240. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 7. Ledeſm. *quæſt.* 64. *art.* 1. *dub.* 3. Sot. *in* 4. *diſt.* 33. *quæſt. unic. art.* 2. *ad* 2. contrà Dicaſt. *diſp.* 9. *dub.* 3. *num.* 25. qui non eſſe veniale talem concubitum aſſerit, quam etiam probabilem vocat N. Gabr. *diſ.* 7. *n.* 50.

*Pro utraque parte concluſio probatur.*

77. Probatur ergò verò non eſſe peccatum mortale: quia ſi ob aliquam rationem eſſet lethale, maximè ob damnum imminens proli, quia vel monſtruoſa, vel valde infirma conciperetur. Indè non: quia rarò eo tempore fit conceptio eo quod fluxus menſtrui, valde obſtat retentioni ſeminis in matrice, ut inquit Ariſtot. *lib.* 1. *de generatione animal. cap.* 19. Sed dato, quod tunc tam illis defectibus conciperetur proles melius eſt illi eſſe, quam non eſſe, & ſic ei nulla fit iniuria. ¶ Quod verò ſit veniale peccatum probatur, ex indecentia, & turpitudine illius actus eo tempore exerciti; & quia eſt ſignum incontinentiæ non expectare tempus aptum generationi. Excuſatur tamen vel ob incontinentiæ periculum, vel ne fiat exoſa viro uxor, ſed amor, & beneuolentia inter eos conſeruetur. ¶ Tenetur autem coniux reddere eo tempore viro debitum petenti niſi precibus non importunis eum poſſit auertere, admonito tamen prius marito de ſua paſſione abſque periculo ut fiat exoſa illi; quia ex iuſtitia tenetur ad tale redditum: nec datur cauſa ſufficiens eam excuſandi, cum non fiat ulla iniuria proli, ut probatum eſt. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 33. *quæſt. unic. art.* 2. *quæſt.* 3. *corp.* Soto. ibi, *quæſt. unic. art.* 2. *ad* 2. Coninch, *diſp* 34. *dub.* 9. *num.* 76. Sanch. *ſupr. num.* 16. Quamuis Bonac. Enriq. citati cum Rebello. *lib.* 3 *quæſt.* 19. N. Gabr. *loc. cit.* ad id non teneri dicant: quia non eſt obligatio reddendi debitum, quandò eſt ex parte actus turpitudo reddens actum illicitum. Sed iam diximus, quod quandò ſolum eſt illicitum venialiter, debet reddere: quia tunc actus ex parte eius non eſt malum, cum etiam ab illo peccato excuſetur, vel ob euitanda maiora mala, vel ob maius bonum inde conſurgens.

*Vxorem grauidam cognoſcere ſine damno fœtus nullum eſt peccatum.*

78. Secundò inquires: an ſit peccatum ad uxorem grauidam accedere? Et quidem ſi cum periculo aborſus id fiat, nulli dubium eſt eſſe lethale ob damnum innocentis, illo tamen ſecluſo, non eſt mortale uxorem illo tempore cognoſcere: aliàs grauiſſimum onus eſſet matrimonium, ſi toto tempore, quo eſt grauida mulier, deberent coniuges à copula abſtinere. Et ideò nullibi hoc eſt prohibitum: nec etiam ex natura matrimonij; quia ipſum non ſolum in officium naturæ ordinatur; ſed etiam ob concupiſcentiæ remedium. Nec obſtat, quod tunc non poſſet generatio fieri, & ſic prodigeretur ſemen humanum, quod eſt peccatum. Nam dicimus ſufficere, quod poſſet tunc fœtus concipi, ex modo, & natura concubitus, ut in ſterilibus, & alijs exemplis cernitur. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 35. *in expoſitione litteræ in fine* Bonac. *quæſt.* 4. *punct.* 6. *num.* 11. Sanch. *diſp.* 22. *num.* 3. & alij ſtatim citandi. ¶ Quin potius non eſſe veniale peccatum copula illo tempore, ſiue petendo, ſiue reddendo debitum; probabilius cenſemus. Tum quia nullibi eſt prohibitum. Tum etiam, quia eſſet laqueus, & offendiculum maximum matrimonium, cum tanto tempore debeat vir cum fœmina cohabitare, in eodem toro dormire: & ſic paſſim expoſitus eſſet pluribus peccatis venialibus. Si qui autem textus dantur, vel Sanctorum Patrum dicta, in oppoſitum, intelligenda ſunt, vel de conſilio, vel quandò fit talis congreſſus cum damno fœtus. Ità Sanch. *ſupr. num.* 6. Dicaſt. *num.* 30. Veracruz 3. *part. ſpecul. artic.* 17. *concluſ* 3. Enriquez *libr.* 11. *de Matrimon. cap.* 15. *num.* 7. Bonacin. *num.* 11. Auerſ. *quæſt.* 21. *ſect.* 6. *fol.* 659. *columm.* 2. Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 244. N. Gabr. *n.* 50.

*Fœminam lactantem cognoſcere, non eſt peccatum.*

79. Tertiò inquires. An ſit peccatum fœminam cognoſcere dum filium lactat? Reſpondetur negatiuè: quia damnum, quod ſequi poteſt proli lactanti, ſi ex tali concubitu noua proles concipiatur, poteſt caueri, ſi alteri lactanda tradatur. Si verò ſint pauperes, experientia docet, nullum damnum indè lactan-

tibus euenire. Et aliàs matrimonium, quod eſt remedium concupiſcentiæ, non eſſet niſi laqueus: cum tanto tempore cum magno periculo deberent abſtinere coniuges à concubitu. Ideoque ſi aliquod damnum lactenti inde eueniat, ſi non ſit notabile, non eſt tanti momenti, ut teneantur parentes illud præcauere medio tam arduo, & moraliter impoſſibili. Dicaſtill. *num.* 36. Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 22. *num.* 14. Auerſ. *q.* 21. *ſect.* 2. Ledeſm. *quæſt.* 64. *art.* 1. *dub.* 4. Baſil. *lib.* 10. *cap.* 14. *num.* 9. Bonacin. *num.* 11. qui aduertunt excuſari ad reddendum debitum matrem, quæ non poteſt ſobolem alteri lactandam tradere; ſi aduertat lac damnoſum fieri puero, aut exſiccari ubêra. ¶ Sed ſi conſtaret de notabili periculo, quod lactenti immineret ob talem concubitum, quod non poſſet alia viâ præcaueri, peccant mortaliter coniuges ſic congredientes. Vndè nutrices, quæ alendos filios nobilium, & ſic magis delicatos, ſuſcipiunt, peccant, ſi ex copula cum maritis timeant notabile damnum illis inferre, & poſteà illud deprehendentes occultant, ne reprehendantur, aut expellantur. Nec excuſantur ob incontinentiæ periculum: quia alijs remedijs poſſunt illi occurrere; & debitum negare debent, ſi ex conſenſu mariti paruulos lactandos aſſumunt: vel ſi non, diſcedere à tali lactatione, ut iuſtitiæ viri ſatisfaciant.

*Non peccat vir recedens à copula poſt ſeminationem ſui, etiamſi fœmina non ſeminauerit.*

80. Circà ſecundam huius puncti partem inquirendum eſt primò. An debeant coniuges in copula ſimul ſeminare eo ſenſu, ut uterque non debeat ab ea recedere, poſtquam alter ſeminauit? Reſpondetur, non eſſe peccatum poſt ſeminationem viri ſe à copula retrahere, etiamſi mulier non ſeminauerit: imò etiamſi data opera, ipſa non ſeminare procuret: quia eius ſemen ad generationem non requiritur iuxtà probabiliorem opinionem, Sanchez *libr.* 9. *diſput.* 19. *num.* 5. & *diſp.* 17. *num.* 9. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 1. *circà ſolut. ad* 4. Enriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 5. Bonacin. *punct.* 6. *num.* 4. Dian. 3. *part. tractat.* 4. *reſol.* 204. nec contradicit 5. *part. tract.* 14. *reſol.* 37. Veracruz 3. *part. ſpecul. artic.* 5. *concl.* 5. Baſil. *lib.* 10. *cap.* 11. *num.* 2. Dicaſtill. *n.* 71. N. Anton. *tract.* 11. *diſp.* 9. *ſect.* 4. Erit tamen expediens utrumque ſimul ſeminare: quia fœminæ ſemen, ſaltem requiritur ad formoſiorem, & perfectiorem formationem fœtus. Vndè immediatè ad copulam ipſa ſe tactibus poteſt excitare ad ſeminationem, poſtquam viri receſſit: quia hoc complementum eſt actus coniugalis ad perfectionem prolis conducens. Sanchez *diſp.* 17. *n.* 10. Bonac. *n.* 17. Dicaſt. *n.* 71. Baſil. *n.* 3.

*Poſt uxoris ſeminationem peccat vir à copula recedendo antè ſeminationem ſui.*

81. Si vero econtrà contingat, quod fœmina iam ſeminauerit, vel ad id excitata ſit; ità ut probabile adſit periculum ſeminandi, peccat mortaliter maritus ſi data opera à copula deſiſtat ante ſeminationem ſui: quia cum ſit conſummatus coitus ex parte fœminæ (vel proximus conſummationi: & quod proximum eſt actui nihil ab actu differre videtur) peccat ille, qui eſt in cauſa ut ſemen, fruſtrato generationis fine, prodigatur. Eſt ſententia communis: ſed non eſt ita intrinſecè malum, quod diximus, ut non poſſit ex iuſta cauſa honeſtari: ut ſi poſt fœminæ ſeminationem, viro graue periculum, vel à fera, vel ab inimico immineret, ob quod euitandum à copula recederet antè ſeminationem ſui: vel ſi aliquis intraret cubiculum, & ob decentiam, & honeſtatem à coitu deſiſteret; etiamſi venus ita eſſet in eo excitata, ut eſſet periculum effundendi ſemen extrà vas: quia præter intentionem ex iuſtâ cauſa eueniet, Enriq. Caiet. *ſup.* Sanch. *num.* 4. & Dicaſt. *num.* 74. N. Anton. *num.* 610.

*Quandò neuter ſeminauit licitum eſt utrique a copula recedere.*

82. Secundò inquirendum eſt: An licitum ſit coniugibus inchoata copulâ, ab illa recedere, quandò nullus eorum ſeminauit? Reſpondetur, quod ſi periculum non ſubſit poſt receſſum ſemen effundendi, & ex mutuo conſenſu fiat, non erit peccatum, ſaltem lethale recedere in dicto caſu ab inchoato coitu; etiamſi ob paupertatem, & ne filij multiplicentur, id faciant: quia vir nulli facit iniuriam, tunc non ſeminando, fœmina non ſeminante. Non fœminæ: quia ipſa conſentit, ut ſupponimus; non proli: quia non habet ius, ut hic, & nunc generetur, ſicut ſi parentes nollent, tunc copulam habere. Ideoque illa vaſis penetratio facta à viro reputanda eſt, inſtar aliorum tactuum, qui liciti ſunt inter coniuges, extrà pollutionis periculum. Sanchez *num.* 3. Caietan. 2. 2. *qu.* 164. *artic. in fin.* Veracruz 3. *part. ſpecul. artic.* 11. *concl.* 5. Diana 3. *part. tractat.* 4. *reſolution.* 204. & *reſolut.* 227. ſibi contrarius *tract.* 6. *reſolut.* 94. Baſil. *libr.* 10. *capit.* 11. *numer.* 8. & 9. Dicaſtill. *num.* 73. Auerſ. *ſect.* 5. N. Anton. *num.* 612. Si autem inuita fœmina, vir in tali caſu à copula recederet, mortaliter delinqueret: eſſet enim contrà iuſtitiam, ut ſi debitum negaret: quia ex iure matrimonij talis copula fœminæ debetur, ex qua poſſit ſequi generatio, Caiet. Sanch. Auerſ. Baſil. Dicaſt. citati.

*In copula fornicaria nullum eſt peccatum antè ſeminationem utrius recedere.*

83. Tertiò inquirendum eſt. An in copula fornicaria ſit nouum peccatum ab ea deſiſtere antè ſeminationem viri, poſtquam fœmina ſeminauit? Reſpondetur negatiuè: ſed conſultius eſſe quocumque tempore recedere: quia tota continuatio illius copulæ eſt illicita, & ſic quocumque tempore pœniteat aliquis ex illis, licitè poteſt recedere: imò debet; quia tunc nulli fit iniuria, non fœminæ, quia non habet ius ad ſemen; non proli, cum tali modo non debeat fieri. Quarè licèt ſit periculum extrà vas ſeminandi, ſi recedat, recedere nihilominus tenetur: quia dat operam actui iniuſto, qui nulla ratione poteſt honeſtari: & pollutio, tunc ſecuta erit præter intentionem, ex iuſta cauſa permiſſa, & ſic inuoluntaria. Sanchez *num.* 7. Auerſ. *ſect.* 5. *in fin.* Diana *reſol.* 227. N. Gabr. *diſ.* 7. *quæſt.* 4. *in fine.*

*Tactus, aſpectus, &c. inter coniuges ſunt liciti.*

84. Circà tertiam puncti partem, de tactibus, aſpectibus, verbis amatorijs inter coniuges habitis, ſunt etiam aliquæ difficultates. Prima difficultas eſt: An ſine reſpectu, aut ordine ad copulam, ſint tales actus liciti inter coniuges? Reſpondetur affirmatiuè: ſi non ſit pollutionis periculum, etiam ſi tactus, aut aſpectus ſint circà partes ſecretiores; erunt tamen veniale peccatum. Si ob voluptatem capiendam fiant: nullum, ſi in ſignum amoris, & beneuolentiæ exerceantur: quia matrimonium, quod præbet ius ad copulam, etiam ad hos actus concedit facultatem: quia qui poteſt plus & maius, poteſt minus iuxtà regulas iuris: aliàs cum ſit tanta inter coniuges ſocietas, & multoties non poſſint copulæ operam dare, pluribus periculis peccandi eſſent

ex-

expoſiti. Bonac. *quaeſt.4.punct.8.num.*12. Sanch. *lib.9. diſp.45. per totam*, Auerſ. *q.*21 *ſect.*8. Enriq. *lib.*11 *cap.16.num.7.* Perez *diſp.54.ſect.2.* Dicaſt. *num.*183.*&* 187. Dian *reſol.*225. Leſſius *lib.4. cap.3.dub.15.num.*125. N.Ant. *diſp.9.ſect.*12.

*Etiamſi praevideatur ſecutura pollutio, tales actus eſſe licitos aliqui dicunt.*

85. Sed maior difficultas eſt (& ſit ordine ſecunda:) An liceant tales actus cum periculo pollutionis praeuiſae in petente, vel reddente, facti nō cauſa delectationis, ſed ad indicandum, & fouendum amorem? Prima ſententia eſt affirmatiua, quam tuentur Sanch. *libr.9. diſput.45. num.* 33. Filiucius *tom.2. tract.3. part.1. cap.9. n.*356. Zanard. *part.1. tractat. de Matrimon.cap.*12. *quaeſt.* 27. N.Gabr. *diſ.7.num.*119. Dummodo pollutio non intendatur, nec de ea habeatur complacentia: niſi adeò ſint tactus turpes, & proximè ad pollutionem incitent, ut inchoata copula iudicetur. Ratio huius ſententiae eſt: quia ſi per redditionem hi actus habeantur, coniux reddens dat operam rei licitae, ad quam ex iure matrimonij tenetur: & pollutio ſecuta, & praeuiſa ex actu licito, & honeſto praeter intentionem, non eſt peccatum. Si autem petat ad fouendum amorem, & amicitiam rem licitam exercet: & ideo quamuis aliàs ſequatur pollutio, non erit ipſi voluntaria.

*Vera ſententia oppoſitum tenet.*

86. Communis tamen, & vera ſententia negat tales actus eſſe licitos inter coniuges cum periculo pollutionis praeuiſae (niſi valdè longè ad pollutionem influerent, ut eſſent amplexus, oſcula ob beneuolentiam, & mutuum amorem facta. Sicut hi actus inter conſanguineos, quandò poſt abſentiam ſe vident, ſunt liciti ob urbanitatem, beneuolentiam, etiam cum pollutionis periculo, ſi non intendatur.) Ratio aſſertionis eſt: quia de ſe tales actus habent pollutionem inducere, quae eſt contrà naturam. Ideoque ſi illa praeuideatur, ex ipſis ſequi, cum per ſe ſequatur, non inuoluntaria, ſed voluntaria in cauſa eſt cenſenda. Nec dat operam rei licitae, ſiue qui petit, ſiue qui reddit; quia cum tali praeuiſione illiciti ſunt utrique tales actus. Ita Dicaſt. *num.*182. Auerſ. *ſect.*8. D.Antonin. 3.*p.tit.*1 *cap.*20.§.6. Ledeſm. *quaeſt.49. art.6.fine*, Enriquez *num.*6. Caiet. *ſum. verb. Matrim. cap. ult.* §. *ult.* Soto *in* 4. *diſt.* 31. *q. unic. art.4.fin.* N.Ant. *loc.cit.*

*Praedicti actus cum ſe ipſo non licent coniugi ab alio diſtanti.*

87. Tertia difficultas eſt: An ſint liciti tactus turpes coniugis cum ſe ipſo, quandò eſt ab alio abſens, nec copulam habere poſſunt? Si enim eſſent indiſtantes & copulam poſſent habere, & in ordine ad illam ſe tangant ſine pollutionis extrà vas periculo, omnes concedunt eſſe licitos. Sed in caſu abſentiae omnino illiciti ſunt tales actus, ſicut inter ſolutos: quia huiuſmodi actus per ſe tendunt ad pollutionem: ergò ſi copula eſt impoſſibilis, cum ſint abſentes, talis effuſio ſeminis extrà vas erit: proindeque ad ſeminis effuſionem contrà naturam in tali caſu tendunt; & ſic erunt peccata mortalia. Auerſ. *ſect.* 8. Salas 1.2. *tom.2. tract.*13. *diſp.6. ſect.*14. *numer.* 129. Monteſin. 1.2. *tom.2. quaeſt.74. artic.* 8. *quaeſt.*5. Ioann. *Sanct. in ſelectis, diſput.21. num.*26. Dian. *reſolut.*215. *&* 4. *part. tractat.4. reſolut.*137. Dicaſtill. *num.*109. Vaſquez 1.2. *quaeſt.*113. *num.*4. N.Ant. *ſect.*12. quidquid in contrarium dicant Sanch. *libr.9.diſp.44.num.*16. Ochagauia *tract.*15. *q.12.n.9.fine*, Ioannes *Praepoſitus in* 3.*p.* D.Th. *q.*6. *de bonis matrimonij, dub.26.n.*188.

*Liceant ne inter coniuges moroſa delectationes?*

88. Quarta difficultas eſt: An ſit lethale peccatum delectatio moroſa capta de cogitatione copulae habitae, vel habendae ab altero coniuge, quandò talis copula non poteſt haberi de praeſenti? Eſt duplex ſententia, utraque ſatis probabilis. Prima affirmatiua, quam tenent Rodrig. *tom.* 1. *cap.*112.*fin.* Veg. *tom.1.cap.*81 *caſu* 2. Syluest. *verb. Delectatio, q.*2. Dicaſt. *dub.16.num.*191. Baſil. *lib.10.cap.16.n.*11. Et ratio illorum eſt: quia talis delectatio eſt quaſi inchoata pollutio. Quare cum iſta in tali caſu modo naturali, id eſt, intrà vas debitum ſit impoſſibilis, in tali caſu erit etiam talis delectatio illicita, ſicut de tactibus cum ſe ipſo *num. praeced.* diximus.

*Sententia negans.*

89. Secunda ſententia dicit, non eſſe talem delectationem de copula praeterita, aut futura inter coniuges peccatum, ſi non adſit periculum pollutionis, quia talis eſt delectatio, quale obiectum, de quo capitur, ut loquit Ariſt. *lib.10.Ethicorum, cap.4.&* 5. Sed copula inter coniuges eſt licita: ergò delectari de illa erit etiam licitum: ita ut ſi ob bonum aliquod honeſtum delectentur, nulla culpa ſit: ſi in ſola delectatione ſiſtant, erit veniale. Ità Sanch. *lib.9.diſp.44.n.*3. D.Anton. 2. *p.tit.5.cap.1.*§.6. Caiet. 1.2.*q.74.art.8. circà ſolut. ad* 4. Vaſq. 1.2. *q.74. diſp.*113. *n.*2. *&* 3. Auerſ. *ſect.*8. §. *Admitti tamen*, Dian. *p.3.tract.4.reſ.* 200. *&* 224. Curiel 1.2.*q.74.art.8.dub.3.*§.2. Zumel. *diſp.4.dub.*3. Bonac. *q.4.punct.8.n.*12. Coninch, *diſp.34.dub.*11. *concl.*1. N. Gabr. *diſ.7.num.*117. N.Ant. *num.*661. & citari ſolet D.Thom. pro hac ſententia. *q.15.de Malo, art.2.ad* 17. Sed immerito, nam S.Doct. ſolum docet, quod ſicut coniugatis eſt licita copula, ſic delectatio de illa; non autem determinat, an ſit licita talis delectatio praeſens de copula habita de praeterito aut de futuro? An vero de copula habita de praeſenti? Et de hac potius loqui videtur, ut patet ex argumento, cui reſpondet. ¶ Adducunt tamen Sanch. Vaſq. Auerſ. & alij hoc eſſe verum, etiamſi talis delectatio fiat cum commotione carnis, & partis naturalis: quia dicunt, quod hoc ipſo, quod per matrimonium ſit licita talis delectatio orta ex tactibus, verbis, aut oſculis, etiam ex cogitatione de copula habita, vel habenda.

*Media via incedendum eſt.*

90. Nos vero cum hac diſtinctione utrique huic ſententiae adhaeremus; quod ſi delectatio ſit in voluntate, vel etiam in appetitu, abſque commotione, vel alteratione ſpirituum deſeruientium ad generationem, & ſic abſque carnis titillatione, probabilior eſt ſecunda ſententia. Et tunc verificatur quod delectatio de obiecto licito non eſt peccatum. Nec currit tunc ratio prioris ſententiae: quia talis delectatio non eſt pollutionis initium. At ſi fiat, ut frequenter fieri ſolet commotione ſpirituum, & titillatione partium, aſſerimus eſſe lethale peccatum eum ſicut talis delectatio in vidua de copula praeterita, vel in ſponſa de copula futura, eſt peccatum mortale, ut rectè probant. N.Salamantin. *tr.13.de peccatis diſp.*11 *dub.3* §.4.*n.*46. quia talis delectatio non ordinatur ad copulam habendā, ut ſupponimus, quia eſt impoſſibilis, nec ad fouendū amorē, ut tactus, oſcula, & amplexus quae proinde licitè fiunt inter coniugatos: ergò ſiſtitur in ea delectatione: ergò eſt illicita, ſicut in vidua, & ſponſa de futuro diximus. Probatur hęc conſequentia: quia matrimoniū non dat ius niſi ad uſum corporū in ordine

ad

ad generationem, vel ad id, quod ad eam deſeruit, ut eſt mutuus amor, & beneuolentia inter coniuges: ergò quod illi non deſeruit, per matrimonium non poteſt boneſtari: ergò ſicut talis delectatio extra matrimonium, ut in viduis, & ſponſis de futuro, eſt illicita, ſi fiat cum dicta commotione carnis: ſic intrà illud. Vnde rectè D. Ambroſ. *lib. de Patriarchis*, & habetur *in capit. Nemo ſibi 32. q. 4. Nec hoc ſolum eſt adulterium, cum aliena peccare coniuge, ſed omne quod non habet poteſtatem, coniugij.* Sic Auctores prioris ſententiæ.

*Inter ſponſos ſunt, liciti tactus, & aſpectus non nimis turpes.*

91. Vltima difficultas eſt: Vtrùm inter ſponſos de futuro, ſint licita oſcula, amplexus, tactus, verba amatoria, &c. extrà pollutionis periculum? Reſpondetur, quod ſi tales actus ob captandam voluptatem fiant, erunt peccata venialia. Licet N. Ant. *n.662.* probabilius putet eſſe mortalia. Si ob ſignum amoris, nullum erit peccatum: dummodo ſponſalia inter eos ſint abſoluta; non verò ſi conditionata fuerint. Ratio eſt; quia ſicut ſponſalia ſunt inchoatio quædam matrimonij ſic etiam ſunt liciti in illo ſtatu actus, qui quodammodo ſunt copulæ inchoatio, & initium, Sanch. *lib. 9. diſp. 46. q. 4.* Auerſ. *q. 21. ſect. 8. fin.* Dian. *2. p. tract. 17. reſol. 6.* Bonac. *q. 4. punct. 8. num. 6.* Tolet. *lib. 5. cap. 14. num. 4.* Azor. *3. p. lib. 3. cap. 25. q. 3.* & alij apud ipſos. ¶ Sed hoc intelligendum eſt, niſi tactus ſint, vel aſpectus valdè turpes, & in ſecretioribus partibus: quia propinquant copulæ, quæ tunc non licet. Imò delectatio de illa modo *num. praced.* tacto, nec amplexus, oſcula, tactus ſunt liciti; etiamſi non ſint valdè turpes, ſi fiant cum magna carnis commotione: quia ſic multum accedunt, & diſponunt ad copulam, niſi fierent ad vitandam urbanitatis notam, & ſeruandam amoris ſignificationem conſuetam. Ità Sanchez, Auerſ. Dian. locis citatis.

## CAPVT XVI.

### *De Diuortio.*

INter ea, quæ ad matrimonium pertinent, diuortium computamus, quod potiùs eſt illi contrarium, ſeu bonis eius; eſt tamen valdè neceſſaria illius notitia ad plenam huius materiæ comprehenſionem, & ideò de illo hoc cap. ultimo agemus, quod continet quatuor puncta.

---


*Punctum I. Quomodo ratione adulterij liceat diuortium inter coniuges? Et quando ad illud teneantur? num. 1.*

*Punctum II. In quibus caſibus non ſufficiat adulterium, ut ius præbeat alteri coniugi diuortium petendi? num. 11.*

*Punctum III. An propter alia delicta præter adulterium poſſit fieri diuortium? Vbi de hæreſi, de ſollicitatione ad peccatum, de ſæuitia alterius coniugis, ſermo inſtituitur, num. 26.*

*Punctum IV. Qua auctoritate debeat diuortium perpetuum propter adulterium fieri? Et quomodo innocens poſſit ad ſacros Ordines aſſumi, aut in Religione profiteri? num. 42.*


## PVNCTVM I.

### *Quomodo ratione adulterij liceat diuortium inter coniuges? Et quando ad illud teneantur?*

*Duplex differentia diuortij.*

1. NOn loquimur hoc capite de diuortio, ſeu de ſeparatione, quoad matrimonij vinculum, quod fieri non poſſe, nec propter adulterium, nec propter alias cauſas, de quibus hoc, & ſequenti puncto agemus, diximus toto capite 4. Sed loquimur de diuortio ſecundum quod eſt ſeparatio, quoad torum, & habitationem. Hoc tamen diuortium poteſt fieri, vel ad tempus, vel in perpetuum: & hoc ultimum verum, & proprium diuortium dicitur *leg. Diuortium 2. ff. de diuortijs*, ibi: *Diuortium non eſt verum, niſi quod animo conſtituendæ perpetuæ ſeparationis fit.*

*Ex adulterio viro licet uxori ab illo diſcedere: & econtra.*

2. Et in primis poſſe virum uxorem dimittere quoad torum, & habitationem propter adulterium omnium eſt ſententia D. Thom. *in 4. diſt. 35. quæſt. unic. art. 1. & in addition. quæſt. 62. art. 1.* & habetur expreſſè Matthæi 5. 19. Vbi ob fornicationem uxorem licitè dimitti (utique quoad torum, & habitationem, ut eſt communis Eccleſiæ, & Doctorum intelligentia) docet Chriſtus Dominus: habeturque in *capit. ſignificaſti 4. capit. Ex litteris, capit. Gaudemus 8. de diuortijs*: Imò ex ipſo iure naturæ: nam frangenti fidem, non eſt ſeruanda fides. Et ideò non debet vir cum uxore habitare, illique debitum reddere, quàm infidelem circa coniugium inuenit. ¶ Difficultas verò eſt: An uxor poſſit etiam virum dimittere ob illius adulterium? Sed certè, cum coniuges pares ſint in ſeruandę fidei obligatione, par eſt illorum conditio, quoad ius faciendi diuortium, ob alterius adulterium, quod ex *Apoſtolo colligitur*, *1. ad* Corinth. 7. ubi dicit: *His, qui matrimonio coniuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere* (ſi non detur iuſta cauſa, illa tamen ſtante, ſubiungit) *quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Vbi optionem illi dat an velit diſcedere à viro, an illi reconciliari, quod non faceret, niſi illi talis diſceſſus liceret, nec licere poſſet abſque iuſta cauſa: ſi ergo iuſta cauſa poteſt dari talis diſceſſus, etiam ob adulterium viri erit licitus, quia nullam urgentiorem ad hoc inter Auctores reperies. Ità habetur in *capit. Præterea 32. quæſt. 5.* ex D. Hieronym. & *capit. Idololatria 27. quæſt. 1.* ex D. Auguſt. quod tenent Baſil. *lib. 9. cap. 16.* Perez, *diſp. 56. ſect. 1. num. 7.* Sanch. *lib. 10. diſput. 3. num. 6.* Villalob. *2. part. tract. 15. diff. 1. num. 3.* Trullench, *lib. 7. cap. 12. dub. 1. num. 4.* Bonacio. *quæſt. 4. punct. 5. num. 2.* Dicaſt. *diſp. 10. dub. 2. num. 8.* Auerſ. *q. 23. ſect. 1.* Coninch, *diſp. 35. dub. 1.* N. Ant. *diſp. 10. ſect. 1.* N. Gabr. *diſp. 8. q. 1.*

*Liceatne viro cum uxore adultera viuere?*

3. Sed maior difficultas eſt: An teneatur vir uxorem dimittere, quandò ſcit eam adulteram eſſe: ità ut peccet mortaliter cum ea cohabitando, petendo, vel reddendo debitum? Et ſupponimus non fuiſſe emendatam. Si enim de lapſu pœnituerit, & ab adulterijs ſe retraxerit, omnes conueniunt, non teneri virum eam dimittere, & docet D. Thom. *in 4. diſtinct. 35. quæſt. unic. art. 2.*

&

*& in addit. quæſt.62. art.2.* Igitur dubium eſt, quandò ipſa pertinax in peccato perſeuerat, & non vult ab adulterijs ceſſare? Circà quod eſt tanta confuſio inter Doctores, ut difficulter mentem eorum ad claritatem, & breuitatem poſſimus reducere. Ideò varijs opinionibus prætermiſſis.

*Peccat mortaliter maritus qui uxorem adulteram apud ſe retinet.*

4. Dicendum eſt virum ſcientem uxorem ſuam in adulterijs perſeuerantem, teneri per ſe ſub peccato mortali ab ea recedere; poſſe tamen ab hoc ex aliquibus capitibus excuſari, quæ poſteà recenſebimus. Ità D. Thom. locis proximè citatis, Sanch. *lib.*19. *diſp.*13. *à num.*6. Auerſ. *quæſt.*22. *ſect.*5. Trull. *dub.* 3. *num* 4. Bonac. *quæſt.* 4. *punct.*5. *num.*13. Caiet. *tom.*1. *opuſcul. tract.*29. Baſil. *cap.*17. *num.* 3. Sotus *in* 4. *diſtinct.*36. *quæſt.* 1. *art.*2. *concluſ.*2. Ledeſm. *quæſt.*62. *art.*2. *concl.*2. habeturque expreſsè *in cap. Dixit Dominus, cap. Si quis uxorem capit. Sicut crudelis* 32. *quæſt.* 1. *& capit. Si vir, de adulterijs*, ibi: *Si vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps.* Quibus capitibus non ſtatuitur nouum ius, ut aduertunt ferè omnes Auctores citati; ſed obligatio viri, quam habet ex iure ipſius naturæ, declaratur. Nam ut dicitur Prouerb. 18. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & inſipiens:* & licet in hoc omnes ferè Doctores conueniant, difficultas eſt inter illos, explicare, ex quo capite talis obligatio conſurgat? Et in quibus caſibus ab ea maritus excuſetur.

*Non prouenit hæc obligatio ex adulterio, nec ex prolis incertitudine.*

5. Et quidem talem obligationem ratione adulterij non reſultare omnes admittunt: Tum, quia innocens poteſt offenſam remittere. Nec Chriſtus Dominus Matth. 5. & 19. oppoſitum præcepit: ſiquidem uxorem dimittendam in tali caſu non præcipiendo, ſed indulgendo, & ad hoc facultatem præbendo ſtatuit, ut habetur *cap. Idololatria* 28. *quæſt.* 1. & docet D. Thomas *quæſt.* 62. *artic.*2. *ad* 5. Tum etiam: quia diuortium eſt pœna delicti: ergò innocens ad illam non tenetur; maximè quia in fauorem eius eſt aſſignata, & ſic iuri ſuo cedere poteſt. ¶ Nec ſimiliter conſurgit talis obligatio ex eo quod proles ſit incerta, & periculum quod loco proprij hæredis filius adulterinus ſupponatur. Nam ſi ob hanc rationem maritus dimittere uxorem teneretur, quandò in adulterijs perſeuerat, etiam teneretur ad hoc, vel ſaltem abſtinendi à copula cum ea, quandò ipſa eſt emendata, & pœnitentia ducta vult reconciliari marito. Nam demus ipſam hebdomada præcedenti adulteria commiſiſſe, & poſteà reſipiſcere, ſi modo maritus eam cognoſcat, incertum erit, cuius proles, quæ forte naſcetur, erit. Quare quia vir huius damni non eſt cauſa, nec ratione ſui euenit, non eſt dicendum cum tanto incommodo (ut eſt à propria coniuge ſeparari) debere illi occurrere. Ita Sanch. *num.* 11. *contrà* Ledeſm. *loc. cit.*

*Prouenit ex obligatione correctionis, & vitandi ſcandalum.*

6. Igitur talis obligatio inprimis prouenit ratione correctionis fraternæ: quia viro utpotè capiti incumbit, fœminam delinquentem corrigere, ut reſipiſcat: & loco correctionis obligat ſeparatio: quandò videlicet ſpes ſit, quod per diuortium ab illa, ſaltem ad tempus, ad meliorem ſenſum reducatur, & non ſit alia via eam corripiendi, & à delictis auertendi. Ità D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 35. *quæſt. unic. artic.*2. *& in addit. quæſt.* 62. *artic.*2. Prouenit etiam talis obligatio ratione ſcandali, ut ſi periculum ſubſit ſuſpicionis, quod ipſe talibus peccatis conſentit, ea tolerat, vel concinnari illa, patrocinarique videatur, ac proinde lenonis infamiam ſubeat, quo alijs maritis huiuſmodi delicti conſentiendi, occaſionem præbeat. Ità Sanchez, *loc. citat. concluſ.*3. *&* 4. Baſil. *libr.* 10. *cap.*17. *numer.*3. Sotus *concluſ.*2. Auerſ. *q.* 22. *ſect.*5. Trull. *libr.*7. *cap.* 12. *dub.*3. *num.* 3.

*Quibus caſibus vir non teneatur adulteram dimittere.*

7. Ex quo deducitur primò, non habere talem obligationem ex primo capite correctionis fraternæ maritum, qui vel indicat, quod per diuortium non ſolum non reſipiſcet mulier; ſed potius è ſua cuſtodia egrediens magis effrenata, liberiorque libidini indulgebit: vel ſibi imminere infamiam, vel lites, & contentiones odioſas, aliaque incommoda timet, vel periculo incontinentiæ exponitur: cum magnis ſtimulis carnis agitetur: vel denique poteſt verbis, flagris, cuſtodia arctiori, correctione aſpera, comminatione ſeparationis eam corrigere, ut inquit D. Thom. ad 1. aſſerens: *Quod peccatum fornicationis in uxore poteſt corrigi, non tantum tali pœna; ſed etiam verbis, & verbere.* ¶ Deducitur ſecundò, quod ex ſecundo capite non tenetur illam dimittere, quandò adulterium eſt occultum: quia tunc nullum ſequitur ſcandalum. Vel ſi ſit notorium, ſi ipſe notum faciat viciniſ, & amicis, ſe minimè illi conſentire, illudque conari auertere increpationibus, ſtrictiori clauſura fœminæ, caſtigatione moderata, & de facto id faciat. Si adhuc ſcandalum non ceſſauerit, non tenetur eam à ſe repellere cum periculo incontinentiæ in ſe, vel in illa, cum iactura domeſticæ gubernationis, ad quam illa indiget, cum periculo infamiæ, vel ſi lites, & contentiones ex tali diuortio propria auctoritate facto oriantur, vel plures expenſæ exigantur, ut auctoritate iudicis fieri poſſit: quia cum magno incommodo ſui non tenetur occurrere ſcandalo, cuius non eſt cauſa. Vndè rarò, aut numquam occurret caſus, in quo maritus ob uxoris adulterium ad faciendum diuortium teneatur. Sic Dicaſtill. *num.* 51. Perez *diſp.*56. *ſect.*3. *num.* 3. *&* 4. Sanchez, Soto, Trullench, Baſil. Auerſ. *loc. cit.*

*Per ſolam copulam naturalem cum alia fieri poſſe diuortium aliqui dicunt.*

8. Secunda difficultas eſt: Quid nomine adulterij intelligatur ſufficientis ad diuortium faciendum? Etiam in hac difficultate eſt maxima varietas inter Doctores. Eorum placita ad duas ſententias reducemus. Prima aſſerit, propter ſolam copulam carnalem habitam cum alia perſona, & conſummatam per effuſionem ſeminis intrà vas naturale, fieri poſſe diuortium: eo quod per illam ſolam poteſt fieri diuortium, qua poteſt proles generari: quia per eam ſolam fit coniux una caro cum alio, diuiditque à priori coniuge ſuam carnem: ſed hoc ſolum per copulam conſummatam intrà vas naturale alterius à coniuge fieri poteſt: ergo, &c. Ità Abulenſ. *in capit.*5. *Matth. quæſt.*233. licet oppoſitum dicat in *cap.* 9. *quæſt.* 67. *&* 7. *Innocentius in cap.*1. *de adulterijs, num.* 1. Palacius *in* 4. *diſtinct.*27. *diſp.*3. Auerſ. *quæſt.*23. *ſect.*1. & alij, quos refert Sanchez *libr.* 10. *diſp.*4. *num.*2. & ſpeculatiuè probabiliorem indicat Baſil. *libr.* 9. *cap.* 17. *num.* 5. cui adhæret Leand. *diſput.*25. *quæſt.* 11. & probabilem dicit *Filiucius* & non improbabilem Trullench, infrà citandi.

Vndè

Vndè ſecundum iſtam opinionem, nec per copulam ſodomiticam, nec per beſtialitatem, nec per alia peccata luxuriæ, non poteſt fieri diuortium.

*Verius eſt, fieri poſſe per quamcumque copulam, ſiue naturalem, ſiue ſodomiticam.*

9. Secunda, & verior ſententia dicit, propter omnem illum actum luxuriæ, quo coniux cum carne alterius commiſcetur per effuſionem proprij ſeminis, fieri poſſe diuortium, & ſic non ſolum per copulam conſummatam cum aliena ab uxore, vel uxoris cum alio viro; ſed etiam propter copulam ſodomiticam conſummatam, ſiue paſſiuè, ſiue actiuè contingat, ſiue cum viro, ſiue cum fœmina alia ab uxore, propter copulam cum beſtia, vel propter coniunctionem fœminæ cum alia fœmina: dummodo aliquo artificio ſemen unius intrà alterius vas, ſiue præpoſterum, ſiue naturale recipiatur, diuortium fieri poſſe. Ratio eſt; quia matrimonium ordinatur, ut coniuges fiant una caro, iuxtà illud Geneſ.2. *erunt duo in carne una*: ergò contrà fidem illius facit, qui carnem ſuam diſtrahit cum aliena carne ſe commiſcendo, hoc fit in omnibus peccatis enumeratis: ergò facit contrà fidem matrimonij, qui in aliquo eorum delinquit, ergò illi non eſt obſeruanda fides, & ſic innocens poterit ab eo ſeparari. Ità D.Thom. *in 4.diſt 35.quæſt.unic.art.5. ad 4. & in addit. quæſt.62.art.1.ad 4.* Sanch. *lib.* 10. *diſp.4. num.3.* Sotus, *in 4.diſt.35. quæſt. unic. art.1.* Trullench, *cap.12. dub.2. num.11.* Filiuc. *tom.1.tract.10.part.1.cap.10.num.367.* Villalob. *1.part.tract.10.diff.1.num.3.* Dicaſt. *num.23.* Bonac. *quæſt.4. punct.5. à num.4.* Conincb, *diſp.35. dub.1. num.5.* Petrus de Ledeſm. *quæſt.62. art.1. dub.4.* N.Gabr. *diſ.8.q.1.* N. Ant. *tract.11.n.665.*

*Per nulla alia peccata luxuriæ poteſt fieri diuortium.*

10. Ex quo deducitur, propter nullum peccatum præter dicta poſſe fieri diuortium. Vndè non per ſodomiam cum propria uxore: quia per eam non diuidit carnem ſuam accedendo ad aliam. Trullench, Bonac. *citat.* Sanch. *num.*8. Filiuc. *num.*370. Imo nec per talem copulam inuita uxore habitam cum illa poteſt fieri diuortium perpetuum; ſed duntaxat temporale, ſi multoties repetatur. Et idem dic de pollutione cum illa extrà vas naturale: ſicut infrà dicemus in caſu, quo alter ab alio coniuge ad aliquod peccatum prouocetur. Nec ſimiliter fieri poteſt diuortium propter deſideria, verba, tactus, oſcula, amplexus, cum aliena habita à viro, vel ab uxore cum alio, nec per pollutionem, ſiue facta fuerit adminiculo proprio, vel alieno. Imo nec etiam per copulam ſiue ſodomiticam, ſiue fornicariam non conſummatam per proprij ſeminis intrà vas naturale, vel præpoſterum effuſionem: quia per hæc non diuiditur caro admixta cum alia carne. Et idem dic de copula etiam conſummata habita cum mortua fœmina: quia perinde eſt, ac ſi eſſet cum ſtatua. Ita præter Doctores primæ ſententię, Sanch. Trull. Bonac. Ledeſm. Filiuc. citati pro ſecunda.

## PVNCTVM II.

### *In quibus caſibus non ſufficiat adulterium, ut ius præbeat alteri coniugi diuortium faciendi?*

*Si uterque adulteratur, nullus recedere poteſt.*

11. PLures caſus enumerat D. Thom. *in 4. diſt.35. quæſt.unic.art.1. & in addit. quæſt. 62. art.1.* in quibus propter adulterium nequit fieri diuortium, & ad quatuor omnes illos reducemus. Primus, ſi uterque coniux adulterium commiſerit, ſeu uterque in illud delictum inciderit luxuriæ, quod *puncto præcedenti* diximus ſufficere ad diuortium, etiamſi non eſſet in utroque eiuſdem ſpeciei, ut ſi vel uterque fornicatus fuerit, vel unus fornicationem, alter ſodomiam, aut beſtialitatem commiſerit: ſiue unus prior, alter poſterior. Si tamen uterque reus eſt illius delicti, neuter habet ius recedendi, vel ſeparationem exigendi, *cap. Ex litteris, cap. Significaſti 4. de diuortijs, cap. ult. & penult. de adulterijs*: quia iniuria unius per alterius iniuriam compenſatur.

*Etiamſi unus ſemel, alter multoties peccauerit.*

12. Nec ſatis eſt, ut unus poſſit recedere, quòd ipſe ſemel tantum, aut bis deliquerit, alter vero pluſquam centies: quia cauſa diuortij, quæ eſt fidei fractio alterius, par eſt in utroque. Et iura tribuentia compenſationem delicti, & iniuriæ, ſolum ad fractionem fidei attendunt, non verò ad quantitatem, vel numerum delictorum. Ità Baſil. *cap.17. num 9.* Trollench, *lib.7. cap.12. dub.2. num.2.* Auerſ. *quæſt.23. ſect.1.* Sanch *diſp.6. num.8.* Dicaſt. *diſp.10. num 26.* Conincb, *diſ 35. num 12.* Sot. *in 4. diſt.36. q. unic. art.1.* Villalob. *tract 5. diff.1 num.8. & diff.4 num.3.* Imò ſi unius delictum fuerit ſecretum, & alterius publicum, adhuc neuter habet ius reclamandi contrà alium, & diuortium exigendi: quia quantum ad cauſam ſufficientem diuortij, pares exiſtunt; daturque proinde unius iniurię per alteram compenſatio: & cum uterq; reus ſit adulterij, non poterit aliquis exigere diuortium; quod ſolum concedunt iura contra reum in fauorem innocentis. D.Thom. *ſupr. art.6. ad 5.* Dicaſt. Auerſ. & Conincb, *loc. citatis*, Sanch. *num.9.* Trullench, *num. 2* Diana *3. part. tract. 4. reſol. 257.* Ledeſm. *qu. 62. art.1. dub.1.* Enriq. *lib.11. cap.17. num.3.* Bonac. *quæſt.4. punct.5. num.14.* Si poſt reconciliationem alter relabatur, poteſt innocens facere diuortium: quia iam non datur compenſatio iniuriæ, cum prior per reconciliationem fuerit dimiſſa.

*Quid ſi unus emendatus ſit, alter in adulterijs perſeſtat?*

13. Sed difficultas modo eſt: ſi unus poſt adulterium emendatus eſt, & pœnituerit de illo, alter verò in repetendis adulterijs perſeuerat: an ille contrà iſtum ius habeat, exigendi diuortium? Duplex eſt præcipua ſententia, utraque ſatis probabilis. Prima dicit, quod quantumcumque alter emendatus ſit, ſi reconciliationem prioris delicti non obtinuerit, etiamſi illam poſtulauerit, vel delinquentem correxerit, non poterit ſeparari ab alio, qui adhuc in adulterijs perſiſtit: quia emendatio non extinguit iniuriam alteri per primum adulterium factam, & ſic ſemper datur illius compenſatio: nec quod alterum corripiat, faciet illum innocentem prioris delicti, quod coniugi alteri, ius præbuit ad diuortium. Ita Dicaſt. *num.* 28. Baſil. *libr.9. cap.17. in fine*, Petrus de Ledeſm. *quæſt. 62. art.1. dub.2.* Martinus de Ledeſm. *2. part. 4. quæſt. 64 art.2.* Hurtad. *diſp.11. diff.3* Leand. *diſp.25. quæſt.21.*

*Vera ſententia proponitur, & explicatur.*

14. Secunda, & probabilior ſententia aſſerit quod ſi emendatus, alterum admoneat, ut ſe corrigat, & acquieſcere nolit, ſed relabatur in adulterium, poteſt emendatus recedere, & ſeparationem poſtulare. Nam ſi ambo coniuges poſt

com-

commiſſum adulterium reconcilientur, & poſteà unius relabatur in tale delictum, omnes concedunt alterum poſſe recedere. Sed ſimiliter ſe habent in præſenti caſu: nam emendatus poſt admonitionem alteri factam offert illi reconciliationem, quam alter admittere tenetur, illique terminum præteritæ compenſationis imponit, quod iuſtè poteſt facere cum illo, & per conſequens iam non datur ius compenſandi præſens delictum cum præterito ab emendato perpetrato: ergò ſe habent ut reconciliati, nouumque adulterium ab uno commiſſum ius præbet alteri recedendi. Sic Sanch. *libr.* 10. *diſput.* 7. *num.* 4 Auerſ. *quæſt.* 23. *ſect.* 4. Coninc. *diſp.* 35. *dub.* 2. *concluſ.* 6. Bonacin. *num.* 15. Trullencq. *libr.* 7. *cap.* 12. *dub.* 2. *num.* 3. Enriq. *libr.* 11. *cap.* 7. *num.* 5. Reginald. *libr.* 31. *num.* 321. Villalob. 1. *part. tract.* 19. *diff.* 4. *num.* 2. N. Gabr. *diſ.* 8. *quæſt.* 2.

*Secundus caſus, quo adulterium non præbet ius recedendi.*

15. Secundus caſus à D. Thomâ aſſignatus, quo adulterium non præbet ius coniugibus ad diſcedendum eſt, quandò vir eſt particeps adulterij uxoris (idem eſt cum proportione de uxore reſpectu viri, ſi illum ad adulterandum induxit, vel in eius adulterium conſenſit) ut ſi eam proſtituat, & lenonis munus exerceat, vel ſi præbeat adulterandi facultatem, vel quandò ſciens, & potens excuſare adulterium, de hoc non curat; tunc enim non poteſt diuortium petere, ſiuè id fiat: quia volenti, & conſentienti non fit iniuria, ſiuè, quod veriùs eſt, quia non eſt æquum, ut obijciat uxori adulterium factum cum conſenſu illius, & ob eam cauſam ei debitum negat, vel à ſe repellat, *cap. Diſcretionem, de eo, qui cognouit conſanguineam uxoris ſuæ.* Ità Sanch. *diſp.* 5. *numer.* 4. Dicaſtill. *diſp.* 10. *num.* 34. Perez, *diſp.* 56. *ſect.* 3. *num.* 6. Trullenq. *dub.* 2. *num.* 4. Auerſ. *ſect.* 3. Bonacin. *num.* 14. Coninc. *diſp.* 35. *num.* 7. Enriquez *libr.* 11. *cap.* 17. *num.* 4. N. Gabr. *loc. cit.*

*Non dicitur vir cooperari uxoris adulterio, ſi det cauſam remotam.*

16. Qui notant, non ſufficere, ut dicatur virum in mulieris adulterium conſentire, ſi illud non auertat, cùm poſſet, ſed cum magno incommodo, vel ſi diſſimulans prudenter, velit de illo certificari, ut poſſit congrua remedia adhibere. Nec ſimiliter illa attribuenda ſunt adulteria uxoris, ſi cauſam remotam ad illa præbuit, ut ſi malè illam tractauit, ſi è domo eiecit, ſi alimenta, vel debitum negauit, ob quam rationem illa extraneis uſuram ſui corporis tradidit (niſi fortè eo animo id fecis, ut uxor per ſui proſtitutionem ſibi de his prouideret) quod eſt deciſum in *capit. Significaſti, de diuortijs, cap. Sequent. ex litteris eodem titulo.* Vbi non admittitur excuſatio fœminæ adulterantis, quod à viro iniuſtè dimiſſa ſit, quod ei de neceſſarijs non prouiderit maritus. Et rationem reddit Gloſſa in utroque loco: quia nullâ ratione debebat fornicatio committi, quæ ſemper eſt illicita.

*Tertius caſus, quo adulterium non præbet ius recedendi.*

17. Tertius caſus eſt, quandò mulier (idem cum proportione de marito) ſolùm materialiter adulterium commiſit, non formaliter: ut ſi dolo alius loco mariti ad eam intraret, & ipſa cogitans eſſe virum ſuum ſe ab illo cognoſci ſineret, vel ſi cogitans probabiliter virum è vitâ diſceſſiſſe, ad alias nuptias perueniret, & eas conſummaret, aut ſi per violentiam abſolutam cognita eſſet: quia in his caſibus expers eſt culpæ adulterij, & ſic non eſt æquum, ut à toto mariti ſeparetur, quæ illius fidem non fregit, nec contrà illum voluntariè deliquit, Dicaſt. *numer.* 39. Enriq. *ſupr. num.* 4. Sanch. *diſp.* 5. Perez, *diſp.* 56. *ſect.* 3. *num.* 6. Trull. *ſupr. num.* 6. Coninc. *diſp.* 35. *dub.* 1. *num.* 10. N. Gabr. *loco cit.* ¶ Sed notat Sanch. *num.* 15. quod ſi mulier non per violentiam abſolutam, ſed per metum grauem coacta eſſet conſentire, & de facto conſentit, cùm talis metus eam non excuſet à culpâ, cùm potiùs mortem ſubire deberet, quàm adulterium committere ſufficiens eſt cauſa viro diuortium petendi. ¶ Quamuis, ut aduertit Coninc. charitas ipſa expoſcat, ut non tanto rigore eam vir à ſe auertat, quæ magis timore mortis, quam alterius amore à coniuge ducta, torum violauit. ¶ Notat etiam Dicaſtil. quod mulier, quæ cogitans virum eſſe mortuum, fornicata fuerit extra ſecundum matrimonium, poterit eam vir à ſe repellere: maximè ſi vel grauida facta fuerit, vel prolem ſuſceperit: quia iniurioſum valdè eſt viro ingenuo, valdeque durum, & arduum, mulierem fornicariam ad ſuum conſortium admittere; licèt fidem matrimonij formaliter in illo caſu non fregerit. Quòd ſecùs accidere dicit, ſi vir iudicans uxorem eſſe mortuam, cùm alia fornicaretur: quia ex unâ parte fidem non fregit matrimonij: & ex aliâ non eſt adeò indecorum mulieri, virum admittere, qui cum aliâ fornicatione copulatus eſt: ſicut eſt indecorum viro fœminam incontinentem, ſecum permittere commorari.

*Quartus caſus, in quo non licèt diuortium propter adulterium.*

18. Quartus caſus eſt, quandò poſt adulterium innocens reconciliauit ſibi adulterum, ſiuè facto diuortio, ſiuè antè illud, tunc non poteſt ratione præcedentis delicti eum dimittere: quia per reconciliationem ceſſit iuri, quod habebat dimittendi, & iniuriam remiſit. Si verò poſteà reconciliatus, in adulterium labatur, poterit ab altero dimitti: quia per reconciliationem matrimonium reductum fuit ad priſtinum ſtatum, in quo per adulterium unius alter ius acquirit, dimittendi eum. Imò ſi reconcilians, & qui priùs fuerat innocens, poſt reconciliationem adulteretur, poterit a reconciliato dimitti: quia iam non datur compenſatio iniuriæ, cùm prior ab altero irrogata, per reconciliationem fuerit dimiſſa. Sanchez, *diſp.* 6. *num* 7. Dicaſt. *num.* 46. Perez, *num.* 8. Trullenq. *dub.* 2. *num.* 13. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 376. Auerſ. *ſect.* 6. N. Gabr. *diſ.* 8. *quæſt.* 2.

*Reconciliatio verbis, aut factis fieri poteſt.*

19. Hæc autem remiſſio offenſæ, ſeu reconciliatio poteſt fieri verbis, & factis: verbis, ſi expreſsè dicat, ſe remittere velle iniuriam, ſe velle reconciliare ſibi nocentem; factis ſi conſcius adulterij, & memor illius, liberè, & ſpontaneè, nullo timore, nullaue violentiâ ductus, copulam habeat cum adultera: quia talis acceſſus poſt notitiam adulterij liberè factus, videtur ſufficiens ſignum remiſſionis, D. Thom. *in* 4. *diſt.* 35. *quæſt. unic. art.* 1. Dicaſtill. *ſupr. num.* 47. Sanch. *num.* 19. & *diſp.* 14. *num.* 6. Coninc. *diſp.* 34. *dub.* 2. Auerſ. *ſect.* 7. Bonacin. *num.* 14. Trullenq. *num.* 8. Etiam ſunt ſigna remiſſionis, ſi in eâdem domo degant poſt talem notitiam, cum commodè poſſint ſeparari, ſi in eâdem menſâ comedant, in eodem lecto dormiant. Maximè ſi amplexus, oſcula, & tactus, inter eos amicabiliter fuerint: quia hæc omnia ſigna ſunt amicitiæ. Cæterùm ut tàm verbis, quàm factis cenſeatur facta reconciliatio, debent verba, & facta intentioni conformari. Si





Digitized by Google

enim verbis dicat, ſe velle reconciliari; animum tamen habeat oppoſitum, vel copulam, & cætera exercuerit, non animo reconciliandi illum ſibi, quin potius oppoſitum habuerit, in conſcientiâ non manet reconciliatus, & poteſt ab adultero ſecedere, quamuis in foro exteriori cogatur habitare cum eo: quia hæc iuris ceſſio, & condonatio iniuriæ ex eius animo dependet, quo proindè deficiente, nihil referunt verba, aut ſigna exteriora, ut coram Deo maneat illi reconciliatus, Sanch. *diſput.* 14. *numer.* 21. Auila, *ſect.* 8. Villalob. 1. *part. tract.* 5. *diff.* 1. *num.* 14. Triullenq. *ſup. num.* 11. Filliuc. *ſuprà num.* 394.

*Facta ſeparatione, poſſunt coniuges reconciliari.*

20. Reſtat nunc duplex difficultas enodanda. Prima: an facto diuortio per ſententiam iudicis, poſſit innocens alterum cogere ut ad ſe redeat, ſi velit, & ille teneatur in conſcientiâ ad conſortium coniugis innocentis redire? In quâ difficultate duo ſupponimus, & unum in dubium vocamus. Supponimus enim 1. poſſe, facta per iudicis ſententiam ſeparatione, mutuo conſenſu coniuges reconciliari, & in priſtinum ſtatum matrimonium reducere; ità ut non liceat ratione præcedentis delicti intentare diuortium, vel debitum negare. In quo omnes conueniunt: quia ſententia iudicis non prohibuit uſum coniugij, ſed ob inſtantiam innocentis, licitam ſeparationem conceſſit.

*Non tenetur innocens adulterum ſibi reconciliare.*

21. Secundò ſupponimus non teneri ampliùs innocentem, adulterum ad ſuum conſortium reducere, aut illi reconciliari, etiamſi emendatus fuerit: quia ratione præcedentis iniuriæ, & fractionis fidei, ius in perpetuum ab eo ſeparandi recepit à Chriſto Domino, Matth. 15. & 19. & habetur, *cap. Admonere* 33. *quæſt.* 2. & *cap. de Benedicto*. 32. *quæſt.* 1. ibi enim conceditur innocenti ius diuortij perpetui, non ratione contumaciæ alterius, ſed ratione præcisè adulterij commiſſi, etiam ſi in eo non perſeuerauerit. ¶ Benè verùm eſt, quod licèt innocens ex rigore iuſtitiæ, non teneatur reconciliari adultero: quia eſt abſolutè liber ab onere coniugali, tamen charitas, & honeſtas, licèt non obligent, requirunt, ut emendatum recipiat, quando id commodè poteſt, & alterius ſaluti expedit, in quo ſenſu intelligendi ſunt, textus *in cap. Si vir de adulterijs*, *cap. Quod autem* 32. *quæſt.* 1. in quibus aſſeritur, innocentem debere ſibi reconciliare emendatum: intelliguntur enim de debito honeſtatis, & decentiæ, non de debito obligationem generante.

*Tenetur adulter ad innocentem redire, quoties iſte poſtulauerit.*

22. Ad quæſitum ergò difficultatis reſpondetur, quod ſi coniux innocens, facto diuortio, etiam per ſententiam iudicis, voluerit ſibi reconciliare adulterum, & habitare cum illo, poteſt illum cogere, ut ad ſe redeat, & alter tenetur redire, quoties innocens poſtulauerit: quia ſententia diuortij facta eſt in pœnam adulteri, & in fauorem innocentis: ergò adhuc facto diuortio per ſententiam iudicis, poterit innocens reconciliare ſibi culpatum, & hic tenetur redire ad illum: quia numquàm ius acquiſiuit recedendi, niſi ſtatum incompoſſibilem cum matrimonio de licentiâ coniugis aſſumpſerit, ut ſi eſſet conſtitutus in ſacris vel in Religione profeſſus, de quo *punct.* 4. ſermo redibit. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 35. *quæſt. unic. art.* 6. *ad* 3. Ledeſ. *quæſt.* 62. *art.* 6. *concluſ.* 3. Sanch. *libr.* 10. *diſp.* 10. *num.* 4. Vbi plurimos refert, quibus adde Reginald. *libr.* 31. *num.* 322. Coninc. *diſp.* 35. *dub.* 2. *num.* 18. Gutierr. *de Matrimon. cap.* 120. *num.* 14. Diana, 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 157. Baſil. *libr.* 9. *cap.* 19. Auerſ. *quæſt.* 23. *ſect.* 6. §. *Aſſerendum*, Bonacin. *quæſt.* 4. *punct.* 5. *numer.* 16.

*Facta ſeparatione ſi innocens adulteretur, ſecundum aliquos tenetur reconciliationem alterius acceptare.*

23. Secunda difficultas eſt: an ſi coniux innocens antè diuortium, factâ ſeparatione, in adulterium labatur, dimiſſus poſſit reſtitutionem petere, & teneatur, illo petente, qui innocens fuerat antè diuortium, ad illius conſortium redire? Duplex eſt ſententia, utraque ſatis probabilis. Prima aſſerit, teneri, qui tale adulterium poſt diuortium commiſit, alteri reconciliari, ipſo petente, non ſpectata iudicis ſententia, & ſi noluerit, poterit coràm iudice conueniri, & reſtitutionem petere, à quo debet audiri, quia iniuria, quam innocens recepit, recompenſatur per iniuriam, quam modò alteri facit. Nec ſententia iudicis, quæ auferre non potuit vinculum matrimonij, abſtulit à coniuge ius, quod habebat, manente vinculo, nè alter carnem ſuam cum alio diuideret: proindeque per illius adulterium iniuriam recepit, per quam poterit recompenſari iniuria, quam alteri irrogauit. Ità D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 31. §. 6. D. Bonau. *in* 4. *diſt.* 35. *art. unic. quæſt.* 5. Perez, *ſect.* 3. *num.* 5. Dicaſt. *num.* 31. Conine. *num.* 14. Petrus Soto, *lect.* 12. *de matrimon.* antè finem, Auerſ. 5. *Quinto ulteriùs*, Baſil. *numer.* 6. Diana, 3 *part. tract.* 4. *reſol.* 257. Leand. *quæſt.* 23. N. Anton. *num.* 668.

*Sed oppoſita ſententia eſt verior.*

24. Veriùs tamen eſt ſecunda ſententia aſſerens, non teneri innocentem alteri reconciliari, etiamſi poſt diuortium deſierit eſſe innocens, propter adulterium. Attamen iudex ex officio independenter à partis inſtantia, poterit, & tenetur eos coniungere ad euitandum ſcandalum, ſi fuerit, vel periculum incontinentiæ. Et quod ex officio iudex poteſt, eos coniungere, omnes concedunt. Quod autem præciſo iudicis præcepto, innocens ex petitione dimiſſi, non teneatur ad illum redire, ob adulterium ab ipſo perpetratum poſt ſententiam iudicis de diuortio, probatur, tum quia iam res tranſijt in iudicata, eò quòd tempus appellationis præterierit, vel tres ſententiæ concordes fuerint latæ, & quod ſemel eſt benè definitum, minimè retractandum eſt, *cap. Quod benè* 6. *quæſt.* 4. Tum etiam, quia ſententia diuortij abſoluta fuit, & lata in odium adulteri abſolutè, non ſub conditione: *ſi innocens caſtè viuat*, & ſi abſolutè liberauit innocentem ab omni ſeruitute, qua adultero obligabatur, ſed ſententia abſoluta ritè lata, non eſt reuocanda, nec ſeruitus ſemel extincta reuiuiſcit: ergò, &c. Tum denique, quia poſt ſententiam iudicis amiſit omne ius adulter, quod habebat ad corpus coniugis, & ſic iſte poteſt ſine licentiâ illius corpus ſuum Deo per votum ſolemne caſtitatis conſecrare: ergò adulterium iſtius non eſt illi iniurioſum: ergò non datur compenſatio unius iniuriæ cum aliâ.

*Vide N. Gabr. diſſ. 8. num. 22.*

*Soluitur argumentum contrarium.*

25. Quare licèt ſententia iudicis (per quod argumentum contrarium ſoluitur) non abſtulerit ab adultero ius radicale, quod ratione vinculi habebat, & quod remanſit; abſtulit tamen ius proximum ad faciendum corpus alterius unam carnem cum corpore proprio: & ſic ſolùm erit contrà illud, quod innocens ius radicale alteri tribuat, matrimonium cum illo celebrando, non verò quod carnem ſuam diuidat, alteri commiſ-

cendo

cendo ſe, in quo ius proximum ſolùm matrimonij læditur, quod ablatum eſt ab adultero per diuortium. Nec indè ſequitur, illum fornicando adulterium non commiſiſſe, eò quòd alteri iniuriam non irrogauit. Commiſit quidem: quia ius Sacramenti violauit, non ob iniuriam alterius: ſicut qui ex conſenſu coniugis cum aliâ fornicatur, committit adulterium: quia facit contrà fidem Sacramenti matrimonij; licèt coniugi conſentienti non faciat iniuriam. Sententiam iſtam docet D. Thom. *in 4. diſt. 35. quæſt. unic. art. 6. ad 4. & in addit. quæſt. 62. art. 6. ad 4.* Soto, *art. 6. ad 3.* Sanch. *num. 30.* Reginald. *num. 330.* Filliuc. *cap. 10. num. 377.* Ledeſm. *concluſ. 2.* Gutierr. *de Matri. cap. 139. num. 10.* Enriq. *num. 3.* Bonacin. *num. 19.* & alij, quos refert Sanch. *loc. citato.*

## PVNCTVM III.

*An propter alia delicta, præter adulterium poſſit diuortium fieri? Vbi de hæreſi, de ſolicitatione ad peccatum, de ſæuitiâ alterius coniugis ſermo inſtituitur.*

*Ob alias cauſas præter adulterium poteſt fieri diuortium.*

26. QVamuis Chriſtus Dominus. Matth. 5. & 15. ſolùm aſſignauerit pro causâ diuortij adulterium alterius coniugis: ob quod hæretici ore vipereo in Eccleſiam inſultant, quod ob alias cauſas diuortium concedat, ipſa merito Spiritu Sancto edocta id decreuit in *Concilio Trident: ſeſſ. 24. Can. 8.* his verbis: *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter coniuges, quoad torum, ſeù quoad cohabitationem ad certum, incertumvè tempus fieri poſſe decernit, Anathema ſit:* Igitur Chriſtus Dominus aſſignans fornicationem pro cauſâ diuortij; vel locutus eſt de causâ, quæ regulariter, & communiter accidit, eſtque omnium celebrior, & notior, vel locutus eſt de cauſâ, quæ tunc iure diuino, & naturali inerat, non auferendo, quod alia iure humano, & Eccleſiaſtico aſſignari poſſet, vel locutus eſt de causâ, quæ ex vi matrimonij, & fidelitatis, quam exigit, requiritur, non tollendo cauſas, quæ ex alijs capitibus ſupervenire poſſint, vel locutus eſt de causâ, quæ per ſe ad diuortium perpetuum eſt ſufficiens, quod non tollit, quin dentur aliæ cauſæ, quæ ſolùm per ſe ſufficiunt ad diuortium temporale, quamvis per accidens etiam ſufficientes ſint pro diuortio perpetuo.

*Non ob omnia crimina poteſt diuortium fieri.*

27. Non tamen ob quæcumque crimina poteſt fieri diuortium, ètiamſi non ſint emendata: niſi aliàs eſſent officioſa, & pernicioſa coniugi. Quod rectè docet D. Thom. *in 4. diſt. 39. quæſt. 1. art. 6.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 12. §. 4.* quia nec ex iure id habetur, nec ex ratione probatur: aliàs quot diſſenſiones? Quot lites? Quot perturbationes paſſim orirentur, ſi ob quæcumque peccata coniugi liceret, à coniuge ſeparari? Et ità deciſum eſt, *cap. Præceptum, cap. Si uxorem 32. quæſt. 5. cap. Quæſiuit de diuortijs,* ubi Alexandr. III. ità inquit: *Quod mulier pro furto, vel alio crimine viri ſui ab eo ſeparari non debet.* Quod non tollit aliquandò licere, coniugem innocentem à vitioſo, ad tempus ſeparari ad correctionem, ut reſipiſcat, ſi talis correctio pro futurâ iudicetur, & ad id tenebitur, ſi ſibi ſit occaſio ruinæ, ut poſteà dicemus, & hoc ſenſu intelligendus eſt textus *in cap. cauſationes 27. quæſt. 7.* Tria ergò crimina communiter ab Authoribus, & à iuribus aſſignantur, ob quæ poteſt ad tempus diuortium fieri, ut eſt crimen hæreſis, & per hæreſim omnem à fide apoſtaſiam intelligimus: crimen ſcandali, ſeu ad peccata incitatio, & impulſus, in quo periculum animæ, vel corporis includemus: ſæuitia alterius coniugis, de quibus omnibus hoc puncto agemus, illud apud omnes certiſſimum ſupponentes, utrumque coniugem parem eſſe quoad hoc: proindeque, ſiuè uxor à viro, ſiuè vir ab uxore, poſſe ſeparari, vel ad tempus, vel in perpetuum. Proptereà quæ de uno coniuge dicta fuerint, reſpectiuè etiam de aliâ dictâ ſint, ſi æqualis ratio in utroque, vel fere æqualis reperiatur.

*Ob infidelitatem poteſt fieri diuortium.*

28. Igitur ob crimen hæreſis licitum eſt uxori, v. g. à viro ſeparari (imò aliquandò tenebitur, vel ob periculum infectionis, vel ob ſcandalum nè particeps delicti iudicetur) habetur, *cap. ult. de conuerſione coniugatorum, cap. Quæſiuit; cap. de illâ, cap. Quantò, de diuortijs, cap. Non ſolum, cap. Idolatria 28. quæſt. 1.* Et ex Apoſtolo colligitur ad Titum 3. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correctionem deuita.* Quæ ſeparatio, excepto vinculo, in omnibus alijs intelligitur: & ſic tàm quoad habitationem, quàm quoad torum; & debiti negationem, ut rectè docet Baſil. *libr. 9. cap. 22. num. 2.* Auerſ. *quæſt. 29. ſect. 9.* Sotus, *in 4. diſt. 37. quæſt. unic. art. 4.* Quod aſſerimus, etiamſi adhibita diligentia, & cautione, periculum peruerſionis non ſubſit. Tum quia per ſe ſemper imminet: ſerpit enim hæreſis, ut cancer, & niſi magna diligentia adhibeatur, vel in coniuge, vel in filijs, ſemper infectionis periculum imminet, & non tenetur tantam diligentiam, & cautionem adhibere. Tum etiam, quia ab Eccleſiâ abſolutè, & ſimpliciter conceſſa eſt iſta ſeparatio, & in pœnam infidelitatis iuſtè fieri poteſt. Ità Auerſ. *loc. citat.* Conine. *diſp. 35. dub. 4. num. 24.* Trullenq. *libr. 7. cap. 12. dub. 6. num. 2.* Dicaſt. *diſp. 10. dub. 5. num. 60.*

*Propriâ authoritate poteſt fieri tale diuortium.*

29. Sed inquires 1. An propriâ authoritate poſſit fieri talis ſeparatio, tàm quoad torum, quàm quoad habitationem? An verò ſententia iudicis fieri debeat? Reſpondetur fieri poſſe totalem ſeparationem authoritate propriâ (quidquid ſit, an in alijs delictis ſententia iudicis requiratur, de quibus hoc puncto, & ſequenti loquemur) ſiuè publica, ſiuè occulta hæreſis fuerit, *cap. de illo, de diuortijs,* ubi dicitur; fœminam, quæ propriâ authoritate, propter hæreſim, à viro receſſit, reddendam eſſe illi, ſi ad fidem conuertatur: ergò ſi non conuertitur, etiamſi propriâ authoritate receſſerit, non erit illi reſtituenda, & quia regulariter eſt periculum contagij, & ſi non fuerit hoc, in pœnam delicti eſt à iure ſtabilitum, Baſil. *num. 2.* Auerſ. *§. Tertio videns,* Sanch. *libr. 10. diſp. 19. num. 6.* Trull. *ſup. num. 2.* Filiuc. *tract. 10. part. 1. cap. 10. num. 396.* N. Gabr. *diſ. 8. num. 28.*

*Non datur compenſatio delicti.*

30. Secundò inquires: utrùm detur compenſatio delicti, ut ſi uterque in hæreſim labatur, vel unus in hæreſim alter in adulterium? Reſpondetur negatiuè. Tum, quia in iure non eſt ſtatutâ talis compenſatio, ſicut in adulterio. Tum etiam, quia ex causâ adulterij diuortium conceditur ſimpliciter in fauorem coniugis innocentis, qui fidem coniugij non fregerat, quo iure, qui reus eſt per fractionem fidei adulterando, uti non poteſt, & ſic datur ibi compenſatio delicti unius per deli-

ctum alterius, ſed ex cauſâ hæreſis ſtatuitur diuortium: tum ob periculum infectionis. Tum, & præcipuè, in pœnam delinquentis, à quâ non eximitur ex delicto alterius. Quarè unus coniux poteſt diuortium ab alio petere, qui hæreticus eſt etiamſi ille ſit hâc labe inquinatus: ſed reſipiſcere vult, & de peccato pœnitere. Similiter qui hæreticus eſt, poteſt ſeparari à catholico qui adulterium commiſit: adulterium namque, perpetuæ ſeparationis eſt ſufficiens cauſa, hæreſis verò non, niſi ad tempus, ut poſteà dicemus Baſil. *num.* 6. Auerſ. *ſup.* §. *Potius tamen*, Sanch. *libr.* 10. *diſp.* 16. Trull. *ſup. num.* 6.

*Poteſt Catholicus Hæretico reconciliari.*

31. Si tamen ceſſet infectionis periculum, poteſt coniux innocens hæretico reconciliari, & cedere iuri quod habebat ad petendum diuortium; vel ipſo diuortio facto, ad utendum illo: & ideò poteſt ad cohabitationem eum alio reuertere: quia licèt ſit pœna delicti, conſiſtit tamen in eo, quòd alius deſerere poſſit delinquentem, & ab onere coniugij liberari. Ideoque innocenti ius datur, non in fauorem eius ſimpliciter, ſed in pœnam delinquentis, recedendi ab hæretico, cui iuri ipſe cedere poteſt, ſi abſque periculo infectionis poteſt cohabitare cum illo. Baſil. *num.* 5. Auerſ. *quæſt.* 23. *ſect.* 9. §. *Sed certè.* Sanch. *diſp.* 15. *num.* 26.

*Non poteſt coniux ab Hæretico recedere, ſi ſit emendatus.*

32. Tertiò inquires: An poſt ſeparationem factam poſſit innocens in diuortio permanere: ità ut non teneatur reconciliari cum eo, qui in hæreſim lapſus eſt, etiamſi ad fidem conuertatur, & reconciliationem petat? Supponit hoc quæſitum non poſſe Catholicum ſeparari ab Hæretico, nec petere diuortium, ſi antequàm ſeparentur, ille reſipiſcat, & ad Fidem Catholicam conuertatur: In quo differt hoc crimen ab adulterio, quod propter iſtud poteſt innocens recedere, etiamſi adulter fuerit emendatus: quia per emendationem non aufertur iniuria, alteri irrogata, per fractionem fidei matrimonij: & ideò niſi alter remittat eam, ſemper manet cum iure, ad non ſeruandum illi fidem. At propter hæreſim ſolùm conceditur ius diuortij, vel propter contumaciam unius, vel propter periculum perverſionis alterius; quæ ceſſant, quandò ad fidem conuertitur, habetur in *cap. Non ſolùm* 28. *quæſt.* 1. *cap. de illâ*, *capit. Quæſiuit, de diuortijs.* Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 35. *quæſt. unic. art.* 1. *ad* 3. *& in Addit. quæſt.* 62. *art.* 1. *ad* 3. Sotus, *diſt.* 39. *quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 3. Sanchez, *libr.* 10. *diſp.* 15. *num.* 11. Villalobos, 1. *part. tract.* 15. *diff.* 8. *num.* 3. Auerſ. *ſect.* 9. §. *Quantò videri.* Trullenc. *dub.* 2. *num.* 3. Filliuc. *num.* 396.

*Si authoritate propriâ receſſit, tenetur reuertere, ſi alter iam emendatus petat.*

33. Ad quæſitum ergò ſub diſtinctione reſpondetur, vel enim diuortium, aut ſeparatio facta fuit authoritate propriâ, vel authoritate iudicis Eccleſiaſtici. Si authoritate propriâ Catholicus ab Hæretico receſſit, & hic ad Fidem conuertatur, & petat reconciliationem, tenetur Catholicus ad ſuum conſortium redire, habetur expreſsè illo *cap. de illâ, de diuortijs*, ibi: *Mulier, quæ viro ſuo labente in hæreſim ipſius conſortium ſine iudicio Eccleſiæ declinauit, viro, iam conuerſus fuerit, eſt reddenda, quæ etiamſi reuerti noluerit, compellatur.* Vndè Catholicus, abſque alterius licentiâ non poteſt aſſumere ſtatum incompoſſibilem cum matrimonio, ut Ordines Sacros, aut profeſſionem Religioſam. Si verò ità faciat, & alter conuertatur ad Fidem, poteſt repeti, & debet illi reſtitui: quia iniuſtè, & illegitimè ſtatum aſſumpſit, & ſic profeſſio fuit nulla: quia ſolùm ad tempus erat ſeparatio, cum obligatione redeundi, quandò alter conuerteretur. Et ſi poſt Ordines Sacros, aut profeſſionem Religioſam coniugi reſtituatur, poteſt reddere, non ità petere debitum: nec mortuo coniuge poterit ad alias nuptias conuolare, Baſil. *libr.* 9. *dub.* 21. *numer.* 2. Auerſ. *ſup.* §. *Scita videri*, Sanchez, *diſput.* 15. *num.* 14. Abulenſ. *in cap.* 19. Matth. *quæſt.* 76.

*Si authoritate Eccleſiæ receſſit, numquàm tenetur reconciliari.*

34. Si verò authoritate Eccleſiæ fuerit ſeparatus, non tenetur ad emendatum poſt ſeparationem reuertere. Poteſt ſtatum incompoſſibilem cum matrimonio, illo inuitò, ſumere, nec poteſt repeti, aut reſtitui, habetur in *cap. finali, de conuerſione coniugatorum, cap. de illâ, de diuortijs*, ibi: *Si iudicio Eccleſiæ ab eo receſſit, ad recipiendum eum nullatenùs dicimus compellendam*: quia in pœnam hæreſis perpetuo iure ad uſum matrimonij priuatur (vinculo coniugij permanente) & meritò, eò quòd ob perpetuam infamiam, quam per ſententiam iudicis contraxit, eſſet nimis grauè, & infamè alteri, illi adhærere, Abulenſ. *cap.* 19. Matthæi *quæſt.* 72. *&* 73. Sanch. *num.* 19. Baſil. *num.* 3. Trullench. *dub.* 6. *numer.* 4. Hurtad. *diff.* 8. *num.* 27. Coninc. *dub.* 4. *num.* 24. Dicaſt. *num.* 63. Auerſ. *ſect.* 9. §. *Concedendum*, qui §. *ſeq. Poteſtque*: ità inquit: Poteſtque coniux Catholicus hanc perpetuam ſeparationem, & ſtatus mutationem facere ob ſolam ſententiam, quâ alter coniux de hæreſi damnatus ſit, etiamſi in eâ nulla diuortij mentio facta ſit, nec ad inſtantiam coniugis Catholici ſit ſententia lata. Item, etiamſi ſententia lata ſit in occulto; etiamſi poſteà reus ſit ab Eccleſiaſticis cenſuris abſolutus: etiamſi quandò is fuit iudicatus, & accuſatus, erat per ſe correctus, & ad rectam fidem reuerſus. Quod etiam aſſerunt Filliuc. *numer.* 398. Trull. *num.* 3. licèt aliqui contradicant.

*Ob damna corporis, vel animæ poteſt unus ab alio ſeparari.*

35. Secundò: eſt ſufficiens cauſa ſeparationis ad tempus, ſi magnum corporis detrimentum timeatur, ut ſi coniux contagioſo morbo laboret; ſi ſit furioſus, & timeat, quod furore arreptus magnum damnum coniugi inferat: ſi Maleficus, ſi Energumenus, quòd omnes concedunt: quia non debet cum tanto incommodo ſui coniux, alterius ius illæſum conſeruare. Maximè ob periculum animæ id licere habetur, *cap. de diuortijs*, *cap. Idololatra* 28. *quæſt.* 2. ut ſi ad peccatum aliquod inducat: ſi vir uxorem proſtituat, vel proſtituere conetur: ſi deducat in locum, ubi ſolam cum viris, à quibus poſſit ſollicitari, relinquat: ſi viros in domum introducat, à quibus in lapſum inducatur: ſi vir fœminam ad ſodomiticam copulam cum ipſo habendam compellat, vel ipſa inuitâ, ſodomiticè eam cognoſcat, vel alio modo pollutionem extrà vas debitum procuret: ſi timeat quòd ob viri furtum, vel homicidium, à iuſtitiâ tamquàm delicti particeps malè pertractetur: ſi ſcandalum ex conſortio cum illo ſequatur, quo iudicetur, eam delictis viri cooperari. In omnibus his caſibus poteſt, & tenetur ab eo ſeparari, ſi admonitus non ſe emendauerit: quia unuſquiſque ſalutem ſpiritualem propriam omnibus anteponere debet, ſecundùm illud Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te*, Sotus *diſt.* 39. *quæſt. unic. art.* 4. Trullench. *dub.* 7. *num.* 1.

Hurtad.

Hurtad. *diſp.* 11. *diff.* 5. Baſil. *libr.* 9. *cap.* 22. *num.* 1. Auerſ. *quæſt.* 10. *ſect.* 10. Sanch. *libr.* 10. *diſp.* 17. *num.* 5. Bonacin. *quæſt.* 4. *punct.* 5. *num.* 25. N. Gabriel, & Antonius.

*Ex his cauſis ſolùm eſt diuortium ad tempus.*

36. Sed hoc diuortium ſolùm ad tempus datur, donec reus emendetur: ideoque ſi antè ſeparationem fuerit emendatus, non poteſt innocens ab eo diſcedere. Si tamen ſemper cauſa duret, & periculum probabiliter timeatur, ſemper poteſt in ſeparatione perſiſtere, & non tenetur: imò nec poteſt, reconciliari propter eandem rationem. Et notant Baſil. *num.* 2. Sanch. *num.* 10. Auerſ. *loc. citat.* Trullench. *libr.* 7. *cap.* 12. *dub.* 7. *numer.* 2. N. Ant. *ſect.* 3. non requiri ſententiam iudicis ad talem ſeparationem, ſed unumquemque authoritate propriâ poſſe, & teneri ab altero ſeparari. Tum, quia non eſt diuortium perpetuum. Tum etiam, ob lapſus periculum. Et ſic habetur in *cap. Idololatria* 28. *quæſt.* 1. *ex* D. Auguſt.

*Sæuitia eſt ſufficiens cauſa diuortij.*

37. Vltimò ob ſæuitiam alterius coniugis datur ſufficiens cauſa diuortij, tàm in viro reſpectu fœminæ, à quâ malum timetur: præcipuè in fœminâ reſpectu viri, *capit. Ex tranſmiſſa, de reſtitutione ſpoliatorum.* Etiamſi mulier cauſa ſit ſæuitiæ mariti: quia nimirùm ob adulterium, vel aliud delictum ab eâ perpetratum, timeat à viro malè tractari, vel grauiter feriri, *capit. de Benedicto* 32. *quæſt.* 1. quia adhuc ius retinet ſe tuendi, ne priuatis vexationibus à marito crucietur, Bonacin. Auerſ. Sanchez, Baſil. Dicaſtill. N. Gabr. & Ant. Hoc autem diuortium non eſt perpetuum, ſed ad tempus, quamdiù poteſt prudenter prouideri, ne damnum timeatur, adhibito remedio opportuno per cautionem eius, à quo malum timetur, vel iuratoriam, vel pignotitiam, vel fideiuſſoriam, iudicis arbitrio, attentis circumſtantijs occurrentibus, *capit. Litteras, capit. Tranſmiſſa* citatis. Et ideò non poteſt innocens, adhuc poſt ſententiam diuortij, aut Ordines Sacros recipere, aut in Religione profiteri; ſed ſi hoc faciat, poterit repeti, & tenetur ad emendatum coniugem redire, & debitum reddere, ſed non petere, nec poterit ad alias nuptias poſt mortem illius tranſire, iuxtà dicta num. 34.

*Quandò poſſit ob ſæuitiam propriâ authoritate recedere.*

38. Sed inquires 1. An poſſit hæc ſeparatio propriâ authoritate fieri? Reſpondetur, quòd ſi ſit periculum in mora; aut non poſſet iudex facilè adiri, vel ratione inopiæ non poſſit coniux coràm illo litigare, vel non facilè ſæuitiam probare: cùm tamen de illâ certa ſit, poteſt propriâ authoritate recedere: quia ius naturale ſuæ defenſionis debet præualere alterius iuri, *cap. Litteras citat.* Trull. *ſup. dub. ult. num.* 4. Auerſ. *loc. cit.* Sanch. *diſp.* 18. *numer.* 3. Villalob. *diff.* 11. *num.* 6. Dicaſt. *num.* 71. licèt in principio oppoſitum videatur innuere. Et ſi tunc apud iudicem repetatur, & illa offerat probationem, non debet reſtitui, donec res examinetur: quia poſteà erit damnum irreparabile. Si tamen poſſit innocens iudicem adire, & coràm illo ſæuitiam probare, non poteſt propriâ authoritate recedere, *capit. Significaſti, de diuortijs.* Aliàs paſſim ob quamcumque cauſam, diuortia procurarentur, Baſil. *cap.* 23. *num.* 7. Quidquid in oppoſitum dicat Trullench. *dub.* 3. *num.* 3. *ex* Hurtad. *diſp.* 11. *diff.* 6. *num.* 73.

*Si nulla ſit ſpes correctionis, poteſt eſſe perpetua ſeparatio.*

39. Si tamen tanta ſit alterius coniugis ſæuitia, ſeu rationabilis timor de graui malo inferendo, ut non poſſit de remedio ſufficienti prouideri, ut timor deponatur, tunc poterit eſſe diuortium perpetuum, *capit. Litteras citato, fine*, ibi: *Si tanta ſit viri ſæuitia, ut mulieri trepidanti, non poſſit ſufficiens ſecuritas prouideri, non ſolùm non debet illi reſtitui, ſed ab eo potiùs amoueri.* Et tunc poterit innocens ſtatum Religionis, aut Ordinis ſumere, inconſulto coniuge; nec poterit deinceps repeti, aut alteri coniugi reſtitui: non verò ipſe ſæuus. Quod verùm eſt in omnibus caſibus, in quibus poteſt innocens, inuito alio, ſtatum incompoſſibilem ſumere, quod non poſſit reus, abſque illius licentiâ ad eum conuolare. Aſſertum huius numeri tenent Auerſ. Sanchez, *diſput.* 18. *quæſt.* 3. Baſil. *numer.* 9. Trullench. *dub. ultim. num.* 7. Filiucius, *numer.* 406. Dicaſt. *num.* 69. qui benè addit hæc verba.

*Verba præclara Dicaſtillo.*

40. Non tamen poſſum non videre, aliquas ex his cauſis vix tutò poſſe credi ceſſaſſe omninò. Inſanus, & furioſus quàm facilè poteſt iterùm inſanire? Veneficum, præſertim Veneficam leuem ſexum fœmineum, quis tutò credet, non redituram ad veſaniam? Qui ità crudelis eſt, ut ſubita ira arreptus aliquandò periculosè vulnerauerit uxorem, & ſæpè ſolet ira corripi, quis credet inpoſterùm forè pacificum? Qui coniugem nactos eſt energumenum, & ſæpè huius miſeriæ obnoxium, quis credet penitùs liberatum? Ille cui ſemel uxor dedit venenum, undè poterit inpoſterùm eſſe tutus, ſi cibos comedat, quos ipſa parauit, & habitent ſimul? Itàque in praxi vix poteſt credi, hæc & ſimilia penitùs ceſſaſſe. Hactenus ille.

*Qualis ſæuitia eſt ſufficiens.*

41. Vltimo inquires. Qualis ſæuitia ſufficiens ſit ad diuortium? Reſpondetur non ſolùm præteritam ſæuitiam, quâ vir gladio fœminam minatus eſt, vel fœmina venenum viro porrigere tentauit, vel malè tractata fuit à marito, grauiterve percuſſa: quia hæc ſufficiens eſt ad diuortium, non in vindictam offenſæ, ſed ob timorem iniuriæ imminentis, & quod illa repetatur; ſed potiùs ob malum futurum, quod timetur, ſi graue ſit, cuius timor cadat in virum conſtantem: nam de leui non habetur ratio à iure, nec eſt ſufficiens cauſa diuortij. At verò mala tractatio, quæ reſpectu fœminæ inferioris conditionis cenſetur leuis, reſpectu nobilis, & honeſtæ fœminæ grauis poteſt iudicari: ut mortis comminatio, verbera iniuſta, ſi alapis frequenter cæderetur, ſi grauiter eam vir vulneraret, ſi cohabitatio eſſet nimis moleſta, frequentibus conuitijs, & iurgijs obnoxia, ſi malum non ſolùm in ſeipſa, ſed etiam in fœtu, cuius aborſum vir procurauerit, timeat, vel in filijs, conſanguineis, &c. Et non ſolùm quandò malum eſt intentatum à marito, ſed vel à conſanguineis eius, vel familiaribus. Et idem eſt de viro reſpectu fœminæ, ſi prudenter timeat ab illâ, vel ab eius conſanguineis, & familiaribus, vel occidi, vel grauiter cædi, vel injurioſè tractari. Hæc apud Authores paſſim inuenies.

## PVNCTVM IV.

*Quâ authoritate debeat diuortium perpetuum fieri propter adulterium? Et quomodò innocens poſſit ad Sacros Ordines aſſumi, aut in Religione profiteri?*

*Poteſt innocens adultero negare debitum propriâ authoritate.*

42. DVo in hoc puncto ſupponenda ſunt, ut apud omnes receptiſſima. Primum, quod ſi loquamur de ſeparatione præcisè quoad torum, & non quoad habitationem, nimirùm de negatione debiti, poteſt innocens conſcius de alterius adulterio propriâ auctoritate, negare debitum alteri petenti, ſiuè occultum fuerit adulterium, ſiuè publicum. Ità D. Thom. *in 4. diſt. 35. quæſt. unic. art. 3. in corp. & quæſt. 62. in addit. art. 3.* quem ferè omnes ſequuntur. Et ratio eſt: quia talis negatio debiti eſt actio priuata, & ſic priuatâ authoritate poteſt fieri. Tum etiam, quia matrimonium eſt obligatio ad debitum reddendum ſub tacitâ conditione, quòd alter fidem ſeruet coniugij: quia unum ex bonis matrimonij eſt fides coniugalis: ergò hoc ipſo, quòd alter fidem frangat, non tenetur innocens illi ſervare fidem. Tum denique: quia ſi conſcius de alterius adulterio, illi debitum redderet, iam reconciliaretur illi iuxtà ſuperiùs dicta: & ſic amitteret ius petendi ſeparationem, in foro exteriori. Requiritur autem ut ſit certus ſaltem moraliter de adulterio alterius, & non ſufficit probabilis ſuſpicio, ob quam nõ eſt priuandus alter iure certo. Talis autem certitudo haberi poteſt, vel ex teſtimonio aliquorum, qui ſunt fide digni, vel ex unius fide digniſſimi dicto, vel ex notorietate facti, ut ſi apud adulteram virum commorari ſciret, vel mulier in abſentiâ viri prolem ſuſciperet.

*Etiamſi cenſuris obligetur, non tenetur debitum reddere.*

43. Quarè qui conſciùs eſt modo dicto de alterius adulterio, poteſt negare debitum adultero; etiamſi ad concedendum cenſuris Eccleſiaſticis obligetur: quia Iudex Eccleſiaſticus fundatur in falsâ præſumptione de alterius innocentiâ, ob quam compellit coniugem debitum reddere: & ideò coràm Deo non manet illis ligatus, qui debitum modo dicto negat, nec ad illud reddendum tenetur, niſi fortè ratione ſcandali: quia videlicèt alij ſuſpicentur, vel cenſuras contemnere, vel contrà præceptum Eccleſiæ operari; ſed huic ſcandalo facilè occurrere poteſt, cum redditio debiti ſit actio occulta, & in publico poteſt teſtificare, imò iurare, ſe debitum non negaſſe. Et verùm dicet, cum re ipsâ, nihil adultero debeat. Soto *in 4. diſt. 33 quæſt. 1. articul. 3.* Martinus de Ledeſm. *part. 4. quæſt. 64. art. 3. notabil. 1.* Sanchez, *libr. 10. diſp. 12. à numer. 6.* Auerſ. *quæſt. 23. ſect. 2. §. Attamen ille.* Trullench. *libr. 7. cap. 12. dub. 3.* Hurtad. *diſp. 11. diff. 6. numer. 73.* Baſil. *libr. 9. cap. 18. num. 6.* Bonacin. *quæſt. 4. punct. 5. num. 10.* Nec diſſentit D. Thom. quandò *artic. 3. citat. in corp.* dicit, non teneri reddere debitum, niſi ad hoc per iudicem compellatur, quia loquitur ratione ſcandali, quandò huic occurri non poteſt aliquo opportuno remedio.

44. Supponimus, ſecundò: quod ſi coniux adulter conſentit in diuortium, & ſeparationem quoad habitationem, ſeu non reclamat aduersùs illum, qui priuatâ authoritate diuertere tentat, cùm tamen illud ſciat, & poſſit, ſi velit, reclamare: quod tunc innocens propriâ authoritate poteſt recedere, & ſeparatus manere poteſt tutus in conſcientiâ, & hoc ſiuè occultum, ſiuè publicum fuerit adulterium: ſi tamen fieri poteſt ſinè ſcandalo: quia ſcienti, & volenti non fit iniuria. Quòd præcipuè currit in adulterio notorio, quod nullâ tergiverſatione poteſt celari. Quia ſi tunc alter non reclamat, iudicandum eſt, ideò id non facere: quia conſcius ſui ſtatus, non vult condemnationem ſui in iudicio expectare. Ità Authores pro primâ, & ultimâ ſententiâ infrà citandi. Dubium ergò eſt: An poſſit innocens coniux adulteram dimittere, vel ab eâ recedere propriâ authoritate, ipſa reclamante, & contradicente. In quo eſt triplex ſententia: & omnes ſatis probabiles.

*Si alter non reclamet, poteſt innocens propriâ authoritate recedere.*

*Sententia aſſerens poſſe ſeparationem fieri propriâ authoritate, etiam quando alter reclamat.*

45. Prima aſſerit, quod ſi coniux ſit certus moraliter de adulterio alterius poteſt ab eo recedere, priuatâ authoritate, ſiuè adulterium publicum fuerit, ſiuè ſecretum; dummodò ſcandalum indè non ſequatur, ſi aliquâ via illud auertere poteſt, & ſi non potuerit, erit illicita talis ſeparatio, non ratione obligationis matrimonij, ſed ratione ſcandali ſecuti, & pro qualitate illius. Et hoc pro foro conſcientiæ, quamuis in foro exteriori oppoſitum iudicetur. Ità Dicaſtill. *diſp. 10. dub. 6. num. 73.* Soto *citatus*, Sanchez *num. 31. & 32.* Reginald. *libr. 31. num. 324.* Dian. *3. part. tract. 4. reſol. 157.* Ochagau. *tract. ultim. de Matrimon. quæſt. 7. numer. 1. pag. 774.* Bonacin. *numer. 10.* Enriquez, *libr. 11. cap. 17. num. 3.* Leand. *diſp. 26. quæſt. 40. & 41.* Et probant primò, *ex cap. de benedicto 32. quæſtion. 1.* ubi dicitur, non compellendum eſſe virum recipere uxorem, quæ ab ipſo receſſit, & fornicata eſt. Si autem ſententia iudicis requireretur, compellendus eſſet recipere illam, donec lata eſſet talis ſententia, & in *capit. Dixit Dominus 32. quæſt. 2.* ex D. Hieronymo dicitur: *Vbicumque fornicatio eſt, vel fornicationis ſuſpicio, liberè dimittitur uxor.* Vbi ponderant ly *liberè*, quod intelligatur, id eſt, *ſponte, & propriâ voluntate.* Secundò, quia Christus Dominus Matth. 19. & 5. concedit facultatem unicuique dimittendi uxorem cauſa fornicationis. Tertiò, quia Sanctus Ioſeph cùm eſſet iuſtus, propriâ authoritate voluit dimittere Sanctiſſimam Virginem, ob adulterij ſuſpicionem. Quartò denique, quia ipſa natura matrimonij id depoſcit, ut frangenti fidem, nulla expectata ſententia, non obſeruetur fides, tàm quoad debitum coniugale, quàm quoad habitationem.

*Secunda ſententia omninò oppoſita.*

46. Secunda ſententia ex diametro huic opponitur, aſſeritque, ſiuè occultum ſiuè publicum fuerit adulterium, non poſſe innocentem propriâ authoritate recedere, aut dimittere adulterum: Ità Bellarmin. *libr. 1. de matrimon. cap. 14.* Caſtro, *libr. 2. de lege pœnali, cap. 2.* Auerſ. *ſect. 2.* Ioann. de la Cruz *in directorio, part. 2. de Matrimonio, quæſt. 5. dub. 4.* Gloſſa, Hoſtienſis, & Cardinalis *in cap. Porrò, de diuortijs.* Et probatur primò ex hoc textu, ubi Pontifex declarat quemdam, qui uxorem ſuam titulo affinitatis dimiſerat, non potuiſſe abſque iudicio Eccleſiæ ab eâ ſeparari, & compellendum eſſe eam admittere. Sed hoc potiori iure, inquiunt, currit in diuortio ratione adulterij: quia

inter

Digitized by Google

inter affines nullum eſt matrimonium, & ideò periculoſiùs poſſunt ſimul habitare, & tamen deciditur ſeparari non poſſe, niſi de ſententiâ Eccleſiæ: ergò multò minùs coniuges; qui validè matrimonium contraxerunt, poterunt priuatâ authoritate diſcedere per alterius adulterium. Secundò ex D. Thom. *in 4. diſt. 35. quæſt. unic. art. 3. in corp. & in addit. quæſt. 62. art. 3.* ubi dicit Sanct. Doctor: *Alio modo, quantùm ad torum, & cohabitationem, & hoc modo non poteſt dimitti, niſi iudicio Eccleſiæ, & ſi aliàs dimiſſa fuerit, debet cogi ad cohabitandum.* Tertiò, quia dimiſſio, vel ſeparatio quoad habitationem eſt actio publica ad externam gubernationem pertinens: ergò abſque perturbatione fieri non poteſt priuatâ authoritate.

*Medium ſententiam eligimus.*

47. Tertia, & probabilior ſententia aſſerit, quod ſi adulterium fuerit publicum, & notorium, ità ut nulla poſſit tergiverſatione celari: ut quandò iudici, & alijs eſt notum, vel quandò adulter eſt illud confeſſus in iudicio etiam ciuili, vel quandò alter publicè morabatur cum adulterâ, vel eam ad domum adduxerat, vel facti permanentis notorietate eſſet publicum, ut ſi in longâ viri abſentiâ filiam ſuſciperet, vel grauida publicè cognoſceretur, vel aliâ viâ eſſet notorium, & publicum delictum, tunc poteſt innocens, non expectatâ iudicis ſententia, recedere; ſecùs verò ſi eſſet omninò occultum delictum: quia tunc non poteſt niſi per ſententiam Eccleſiæ ab adulterâ ſeparari. Ità Baſil. *cap. 18. num. 2. & 6.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. capit. 21. §. 5.* Bonacin. *num. 10.* Laym. *tract. 10. part. 3. cap. 7. num. 8. & 9.* Petrus de Ledeſm. *quæſtion. 62. art. 3. fin.* Sotus, *diſtinction. 36. art. 3. concluſ. 2.* Veracruz, *3. part. ſpecul. art. 5. concluſ. 5.* Enriquez, *cap. 17. numer. 2.* Coninc. *dub. 2. num. 2.* Villalob. *tract. 15. diff. 3. num. 3.* Trull. *dub. 3. num. 2.* N. Ant. *diſſert. 9. ſect. 4.* Quamuis ex his Enriq. & Soto non ſolùm quandò notorium, ſed quandò occultum fuerit, poſſe fieri propriâ authoritate aſſerant, ſi non ſequitur ſcandalum. Sed nobiſcum ſentiunt quantùm ad 1. partem concluſionis, & ſimiliter omnes Authores pro primâ ſententiâ relati: & quantùm ad ſecundam partem omnes pro ſecundâ ſententiâ adducti. Alij cum diſtinctione, quam aſſignauimus, loquumur.

*Authoritatibus, & rationibus dicta concluſio probatur.*

48. Probatur concluſio 1. *ex cap. Ex parte, de ſponſalibus.* Vbi dicitur: *Quia nemini licet uxorem, niſi ex manifeſtâ causâ fornicationis dimittere.* Ergò ſi econtrà talis fornicatio fuerit manifeſta, licebit talis dimiſſio. Clariùs *in cap. Significaſti, de diuortijs.* Vbi dicitur: *Si notorium eſt, mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam vir cogi non debet.* Ergò cogendus eſt, quandò adulterium manifeſtum non fuerit. Idem habetur *in Conc. Vien. capit. 2. in Nicæn. Canon. 51.* & Innocent. Papa, *Epiſtol. 1. ad exuperantium, cap. 1. & in Conc. Cart.* cui interfuit Magnus Auguſtinus, & refertur in *Agatenſ. cap. 2.* excommunicantur hi, qui uxores dimittunt, non expectato iudicio Eccleſiæ. ¶ Secundò probatur ratione: quia quandò adulterium eſt notorium, nec fit iniuria alteri diſcedendo ab eo, ex eo quod cum infamiâ publicetur eius delictum, nec ſcandalum poteſt ſequi ex tali ſeparatione; ſed potiùs ex cohabitatione ſequeretur. Si tamen eſſet occultum, proderetur delictum occultum, ad quod nemo habet ius propriâ authoritate. Similiter vix ſcandalum ſequi non poſſet, maximè quandò matrimonium erat publicum: nam per hoc quod coniux in partes remotas diſcedat, ut aliqui dicunt, non obviatur ſcandalo, ut conſtat, ſed ipſe ſolum vexationes ex alterius reclamatione imminentes euitat. ¶ Tertiò, probatur ex tertiâ ratione ſecundæ ſententiæ, quæ ſolùm intentum noſtrum probat, ut conſideranti patebit. ¶ Similiter primum argumentum primæ ſententiæ noſtram concluſionem probat, & non ampliùs cum illi textus poſſint de adulterio publico explicari, non verò de occulto.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

49. Ad ſecundum argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur Chriſtum Dominum illam facultatem conceſſiſſe dimittendi uxorem: Sed an publicâ, vel priuatâ authoritate id fieri poſſet, non declarauit. ¶ Ad tertium reſpondet D. Thom. *quæſt. 62. art. 3. ad 2. Ad ſecundum dicendum, quod Ioſeph voluit Virginem dimittere non quaſi ſuſpectam de fornicatione, ſed ob reuerentiam ſanctitatis eius, timens cohabitare ei: nec tamen eſt ſimile: quia tunc ex adulterio non ſolum procedebatur ad diuortium, ſed ulteriùs ad lapidationem, non autem nunc, quandò agitur iudicio Eccleſiæ.* ¶ Ad quartum dicimus, ex illâ regulâ: *Frangenti fidem non eſt ſeruanda fides,* ſolùm ſequitur, quod ſi fides frangatur in occulto, per actionem priuatam non ſervetur fides frangenti negando illi debitum. Si verò notoriè, & publicè, per actionem publicam, qualis eſt ſeparatio quoad habitationem. ¶ Ad primum, ſecundæ ſententiæ dicimus, in illo textu eſſe ſermonem de ſeparatione quoad vinculum matrimonij, ad quam iudicium Eccleſiæ requiritur; non de ſeparatione quoad habitationem, manente vinculo, de quâ nunc loquimur, & maior ad illam, quam ad illam authoritas requiritur. ¶ Ad ſecundum ex D. Thom. reſpondetur, ipſum Sanctum Doctorem ſe explicuiſſe verbis proximè ſequentibus, quæ ſunt. *Niſi poſſet ei vir incontinenti fornicationem probare.* Ex quibus conſtat, quod quandò aſſerit, debere ſeparari authoritate Eccleſiæ, & non poſſe priuata, intelligendum eſt, quandò delictum non eſt manifeſtum, ità ut poſſit incontinenti probari.

*Innocens legitimè ſeparatus poteſt Ordinari, & in Religione profiteri.*

50. Reſtat nunc, quod ad ſecundam partem dubij deueniamus. Quomodò ſcilicèt, innocens poſſit, ſtatum incompoſſibilem cum matrimonio ſumere, vel recipiendo Ordines Sacros, vel in Religione profitendo, poſt alterius coniugis adulterium? Dicimus licere coniugi innocenti, factâ legitimè ſeparatione, invito alio, ingredi Religionem, & in eâ profiteri, *cap. Agatoſa 27. quæſt. 2. cap. Conſtitutus, & cap. Veniens, de converſ. coniugat.* Et idem eſt de Ordinibus Sacris, quibus poteſt initiari, invito alio: nec debet repeti, aut illi reſtitui: quia legitimè ſtatum incompoſſibilem cum matrimonio ſumpſit, & per legitimum diuortium eſt ab omni iure alterius abſolutus, & ſic non expectato eius conſenſu, poteſt ſtatum, quem voluerit, ſuſcipere, manente ſemper matrimonio quoad vinculum, (niſi matrimonium conſummatum non eſſet: quia tunc per profeſſionem, non ità per Ordines, etiam quoad vinculum diſſolvitur) & ideò quamdiù vixerit, non poteſt reus ad alias nuptias pervenire.

*Non tenetur adulter in ſæculo manens ad votum caſtitatis.*

51. Non tamen propterea renetur adulter in ſæculo manens, vel Religionem ingredi, vel in ſæculo degens caſtitatem vouere. Hoc enim ex diſpoſitione iuris requiritur, quandò unus coniux de alterius licentiâ, vel ad Ordines aſſumitur, vel in Religione profitetur, non tamen eſt præſcripta talis conditio quandò iuſta ſeparationis cauſa intercedente, diuortioque ſecuto, talis ſtatus aſſumitur. Ità Sanch. *libr.* 10. *diſput.* 10. *num.* 15. Bonacin. *quæſt.* 4. *punct.* 5. *num.* 14. Dicaſt. *diſp.* 10. *dub.* 8. *num.* 89. Auerſ. *quæſt.* 8: *ſect.* 8. N. Ant. *ſect.* 5. Innocens verò non poterit ampliùs reconciliari cum adultero, quia legitimè aſſumpſit ſtatum incompoſſibilem cum matrimonio: nec ſi poſt ſuſceptos Ordines, vel profeſſionem adulteretur, datur compenſatio delicti. Cæterùm ſi poſtquàm ad Ordines Sacros fuit aſſumptus, poſteà uxorem, à quâ ſeparatus eſt, cognoſcat, peccat quidem peccato ſacrilegij propter votum caſtitatis, quod emiſit, non verò peccato fornicationis: quia verè ad mulierem non ſuam non acceſſit.

*Requiritur innocenti ſententia vel non iuxtà ſententias ſuprà aſſignatas.*

52. Sed inquires 1. An poſſit innocens conſcius, & certus de alterius adulterio, antè ſententiam iudicis de diuortio ad Ordines ſacros aſſumi, vel in Religione profiteri? Reſpondetur ad hoc, iuxtà triplicem ſententiam in hoc puncto aſſignatam diuerſimodè eſſe loquendum. Nam iuxtà primam non requirentem ſententiam iudicis ad diuortium, etiamſi occultum fuerit adulterium, poterit, non expectata iudicis ſententia, ſtatum incompoſſibilem aſſumere, etiam alio inſcio (ſi enim ſciat alter, nec contradicat, ſecundùm omnes poteſt ſinè iudicis ſententiâ, iuxtà dicta *num.* 44.) ſi hoc fieri poſſit ſinè ſcandalo, aut Religionis, vel ſtatus Clericalis detrimento: & tunc non poteſt repeti, nec debet reſtitui. At verò, quia difficulter ſinè tali ſcandalo, aut Ordinis, & Religionis decore, aut perturbatione id fieri poteſt, quandò adulterium non erat notorium, veriùs, & urgentiùs in hoc caſu dicendum eſt iuxtà noſtram ſententiam, id fieri non poſſe, quandò adulterium eſt occultum; ſed poſſe, quandò erat publicum, & manifeſtum. Sed iuxtà ſecundam ſententiam, quæ in nullo caſu poſſe fieri diuortium, altero reclamante, propriâ authoritate dicebat, nec etiam ad Ordines aſſumi, aut in Religione profiteri poterit, niſi poſt ſententiam iudicis de diuortio, & ſeparatione perpetuâ.

*Adulter, etiam poſt diuortium non poteſt, aut Ordinari, aut profiteri ſinè innocentis beneplacito.*

53. Secundò inquires. An adulter poſt legitimam ſeparationem poſſit Religionem ingredi, & in eâ profiteri, aut ad Ordines Sacros aſſumi, inſcio innocente, vel ſinè illius conſenſu? Reſpondetur, quod ſi innocens iam ſtatum irreuocabilem aſſumpſit, poterit reus abſque illius licentiâ, vel ſcientiâ, etiam ſtatum Religionis, aut Ordines ſuſcipere: quia iam non poteſt ampliùs reuocari, & inuitari ad reconciliationem. Si verò innocens ſtatum irreuocabilem non aſſumpſerit, non poterit reus, innocente repugnante, vel nolente reconciliari ad Ordines, vel profeſſionem admitti. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 35. *quæſt. unic. art.* 6. *ad* 3. *& in addit. quæſt.* 62. *art.* 6. *ad* 3. & eſt conforme his, quæ diximus *num.* 22. nimirùm adhuc poſt ſententiam diuortij poſſe innocentem adultero reconciliari, & iſtum teneri ad innocentem redire, ne quod in iſtius fauorem inductum eſt, cedat in eius præiudicium. Vndè ſi illo inuito ordinatus fuerit, aut profeſſus, poteſt repeti ab eo, & debet illi reſtitui; debitum reddere ipſi petenti, non petere poteſt, nec poſt mortem eius ad alias nuptias peruenire. Et idem aſſerimus, quandò innocente neſcio, adulter ad talem ſtatum eſt aſſumptus: eò quòd ius habet inſtaurandi matrimonium, & debebat adulter illius explorare voluntatem.

*Poteſt ex licentiâ tacitâ, vel expreſſâ innocentis.*

54. At verò facta iam legitima ſeparatione poteſt adulter de conſenſu innocentis, ad Ordines aſſumi, vel in Religione profiteri, quo aſſumpto ſtatu de licentiâ coniugis, non poteſt ampliùs repeti, aut illi reſtitui. Innocens verò manens in ſæculo non tenetur, aut Religionem ingredi, aut votum caſtitatis emittere: quia hoc Canones diſponunt, quandò unus de alterius licentia, ſtante illæſo matrimonio, ad Ordines tranſijt, vel ad ſtatum Religioſum, non verò facto legitimo diuortio. Ità Auerſ. *quæſt.* 23. *ſect.* 8. §. *In tali autem*, Sanch. *diſ.* 10. *numer.* 15. Bonac. *quæſt.* 4. *punct.* 5. *num.* 14. Dicaſt. *diſp.* 10. *dub.* 8. *num.* 88. Sotus, *in* 4. *diſt.* 36. *quæſt.* 1. *art.* 5. *ad* 3. Non verò requiritur expreſſa innocentis licentia, ſed tacita ſufficit, ut ſi ſciens alterum velle mutare ſtatum, cùm poſſet commodè, non contradicat. Imò etiamſi innocens monitus reconciliari recuſet, nec licentiam, aut conſenſum alterius mutationi velit concedere, poterit tunc adulter ſtatum perfectionis eligere. Tum, quia cùm requiſitus nolit reconciliari, iam obſirmatus cenſetur; nec velle ampliùs reconciliari, ſed facultatem alteri faciendi, quod voluerit, remittere. Tum etiam, quia non eſt æquum innocentem, ità ſuſpenſum alterum tenere, ut nec velit ad coniugale conſortium venire, nec permittere alium ſtatum ſibi conuenientem, aſſumere. Tum denique, quia ità habetur *in cap. Gaudemus, de conuerſione coniugatorum*, & ibi Expoſitores. Atque ità docent Reginald. *libr.* 31. *num.* 326. Bonac. *num.* 23. Ledeſ. *quæſt.* 53. *art.* 4. Dicaſtill. *num.* 87. Dian. 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 257. Auerſ. *ſect.* 8. §. *Benè autem*, Sanch. *num.* 15. *&* 16. Coninc. *dub.* 5. *num.* 26.

Et hæc dixiſſe ſufficiat de totâ hâc prolixâ materiâ, quæ utinam in laudem Omnipotentis Dei cedant, & Beatiſſimæ Virg. Mariæ de Monte Carmeli, Sanctiſſimæ Matris noſtræ Thereſiæ à Ieſu, & Angelici Doctoris, cuius diſcipulum in omnibus eſſe profitemur. Quæ dicta ſunt iudicio Sacroſanctæ Eccleſiæ humiliter ſubmittimus: & peritiorum correctioni, meliorique iudicio libenter ſubducimus.

TRACTA-

Digitized by Google

# TRACTATVS DECIMVS
# DE CENSVRIS.

CVm Cenſura ſit quædam pœna Eccleſiaſtica, priuans fideles, præcipuè participatione Sacramentorum, tàm actiuâ, quàm paſſiuâ, merito, poſtquàm egimus Tractatibus præcedentibus de Sacramentis in communi, & de ſingulis in particulari, modo nobis agendum eſt de Cenſuris, quarum notitia plurimum expedit Confeſſarijs, quos in his tractatibus inſtituere intendimus. Præſentem verò tractatum hoc ordine percurremus, ut priùs de Cenſuris in communi agamus; poſtmodùm in particulari de illis. Deinde de alijs pœnis Eccleſiaſticis, quæ licèt veræ Cenſuræ non ſint; cum illis tamen maximam ſimilitudinem, & conuenientiam habent; ut eſt ceſſatio à Diuinis, depoſitio, degradatio, & irregularitas.

## CAPVT I.

### *De Cenſuris in communi.*

Caput hoc continet decem & ſex, puncta..

*Punct.* I. *De nomine, & definitione cenſuræ, num.* 1.
*Punct.* II. *De numero cenſurarum, earumque multiplici diuiſione, num.* 11.
*Punct.* III. *De causâ efficiente cenſurarum, id eſt, de poteſtate, quæ eſt in Eccleſiâ ferendi illas, num.* 20.
*Punct.* IV. *Quibus modis poteſtas ferendi cenſuras acquiritur, & apud quos de facto inuenitur? num.* 27.
*Punct.* V. *Quæ conditiones requirantur, ut aliquis recipiat poteſtatem ferendi cenſuras? Et poſt acceptam poteſtatem, ut validè ferat illas? num.* 45.
*Punct.* VI. *De formâ ferendi cenſuras, & de ſolemnitate ad hoc requiſita, num.* 61.
*Punct.* VII. *An præcedere debeat monitio cenſuram, ità ut ſinè illâ, iſta non habeat effectum? num.* 80.
*Punct.* VIII. *Quot monitiones debent præcedere cenſuram? Et de formâ, & modo, quo ſunt faciendæ, num.* 92.
*Punct.* IX. *De conditione requiſitâ ex parte territorij ad hoc, ut cenſura licitè & validè feratur, num.* 99.
*Punct.* X. *De causâ, ob quam cenſura ferri poteſt, quæ eſt peccatum. Et an pro culpâ veniali poſſit grauis cenſura ferri? num.* 119.
*Punct.* XI. *An pro actu purè interiori poſſit ferri cenſura? Vbi etiam an debeat eſſe actus in ſuo genere exteriùs conſummatus, ut cenſura incurratur, n.* 136.
*Punct.* XII. *Vtrùm excommunicatio, vel alia cenſura lata contrà facientes aliquem actum, comprehendat etiam mandantes, & conſulentes? Et qualis reuocatio mandati, aut conſilij requiratur, ut non incurratur cenſura lata contrà conſulentes, & mandantes? num.* 145.
*Punct.* XIII. *De conditionibus ex parte ſubiecti requiſitis, ut aliquis cenſurâ ligetur, num.* 159.
*Punct.* XIV. *Vtrùm qui ſemel incurrit unam cenſuram, poſſit alijs pluribus ligari? num.* 172.
*Punct.* XV. *De cauſis excuſantibus à cenſurâ incurrenda. Vbi ſpecialiter de ignorantiâ, aut metu graui, num.* 186.
*Punct.* XVI. *Quomodò ſe gerere debeat, qui dubius eſt, an cenſurâ ſit innodatus? Vel quandò eſt certus de ſuâ innocentiâ, & à ſuperiori excommunicatur? n.* 207.

## PVNCTVM I.

### *De nomine, & definitione Cenſuræ.*

1. A Nomine Cenſuræ incipiendo, ſciendum eſt, nomen iſtud multipliciter modò ſumi: Quandoque enim accipitur pro quouis iudicio de ſe aliquâ, ut quandò notatur, quæ in eâ laudanda, vel reprehendenda ſunt, iuxtà illud Ouidij 6. *faſt.* *Sic agitur Cenſura, & ſic exempla parantur.* Olim verò Cenſura nomen erat officij: quo *Cenſor* dicebatur: iſte nimirùm, cuius munus erat præcipuum apud Romanos mores Populi corrigere, reprehendere, & punire. Vndè dixit Plinius *lib.* 14. *cap.* 4. loquendo de Catone: *Ille primus triumpho, & cenſura ſuper cætera inſignis.* Indè deriuatum eſt hoc nomen ad ſignificandam ſententiam ipſam Cenſoris, & punitionem, ac ſententiam, quâ reos coercebat: quo ſenſu dixit. Iuuenalis *Satyr.* 2. de Iunone: *Dat veniam coruis, vexat Cenſura columbas,* ut notaret illius iniuſtitiam, quâ peccatoribus ex malitiâ delinquentibus facilè parcebat, eos verò, qui ex ſimplicitate magis, quam ex deliberatione eeciderant, maximis pœnis inſequebatur. Hæc verò ſententia, & punitio poteſt actiuè, & paſſiuè ſumi. Actiuè accipitur pro ipsâ inflictione pœnæ ex parte iudicis: paſſiuè verò pro ipſo damno, & detrimento, quod ex tali punitione, & ſententiâ in reo reſultat. Et in hoc ſenſu accipitur ab Eccleſiâ nomen Cenſuræ: nimitùm pro illâ pœnâ, & priuatione bonorum ſpiritualium, quę infidelibus reſultat propter ſententiam iudicis Eccleſiaſtici, qua illos punire contendit. *Varij modi, quibus nomen Cenſura accipitur.*

2. Sed nunc inquires. Quid ſit Cenſura, & quomodò definienda ſit? ¶ Ad quod reſpondetur, omiſſis varijs definitionibus, quæ ab aliquibus inutiliter multiplicantur: quod *Cenſura eſt pœna Eccleſiaſtica, fori exterioris, quâ fidelis baptizatus priuatur uſu aliquorum bonorum ſpiritualium, ut à contumaciâ diſcedat.* Dicitur inprimis *pœna*, ut ſignificetur propter culpam inferendam eſſe: quâ proindè deficiente nulla Cenſura poteſt ligare fideles. Et in hoc conuenit Cenſura cum alijs rebus pœnalibus, differt verò à peccato mortali: quia licèt per illud priuetur homo gratia, & charitate; & ab Euchariſtiâ aliorumque Sacramentorum participatione arceatur, non tamen eſt per modum pœnæ, ſed culpæ: & ideò non eſt Cenſura. Vndè falſò dixit Gabriel *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. per quodcumque peccatum mortale Cenſuram incurrere peccatorem: nimirùm *Definitio Cenſuræ proponitur.*

Digitized by Google

rùm excommunicationem minorem, & quod priuetur per illud gratia : & virtutibus infuſis, uſuque paſſiuo Sacramentorum : quia non quæcumque indignitas ad recipienda Sacramenta Cenſura eſt, ſed quę per pœnam Eccleſiaſticam incurritur, quæ per nomen *pœnæ* in definitiooe poſitum ſignificatur.

*Definitio explicatur.*

3. Additur in definitione : quod ſit *fori exterioris :* quia huiuſmodi pœna debet imponi ab habente iuriſdictionem in foro iudiciali, & contentioſo. Quare pœnæ, quæ à Confeſſario in foro conſcientiæ imponuntur, rationem Cenſuræ non habent. Additur deindè, ut ſigoificetur ſubiectum capax recipiendi Cenſuras : *qua fidelis baptizatus :* quia cum Cenſura, ut pœna ab Eccleſiâ introducta, ſolùm poteſt ligare illos, qui ſub eius iuriſdictione degunt, ut ſunt fideles baptizati, reſpectu quorum habet Eccleſia ſpiritualem iuriſdictionem.

*Reliqua particula definitionis declarantur.*

4. Ponitur etiam in hâc definitione, qood Cenſura ſit, *priuatio aliquorum bonorum ſpiritualium*, ut ſic intelligamus huiuſmodi pœnam ſolùm per modum priuationis infligi. Non enim poſſent puniri peccatores per collationem alicuius pœnæ ſpiritualis, quæ in hâc vitâ vix inueniri poteſt, per quam homines punirentur. Et ut ſignificarur Cenſuram non omninò inhabilitare reum in ordine ad bona ſpiritualia, quibus priuat; nec auferre poteſtatem in æternum ad illa, ſed ipſam quaſi ligare, & ſuſpendere in ordine ad uſum ipſius. Dicitur qood per Cenſuram priuatur fidelis, *uſu aliquorum bonorum ſpiritualium* : non quidem omnium, ut ſtatim videbimur. Ac denique ut oſtendatur, Cenſuram debere eſſe pœnam medicinalem, ut dicitur *in cap. 1. de ſententiâ excommunicationis in 6.* ac proindè inferri per modum vinculi facilè diſſolubilis, poſitâ emendatione rei. Ponitur in definitione *ut à contumaciâ diſcedat* : Quamuis enim ad aliorum terrorem multoties Cenſura feratur juxtà illud *Prouerb. 19, caſtigato peſtilenti, ſtultus ſapientior erit*, præcipuè tamen infertur per modum medicinæ, ut delinquens à reatu emendetur, & ad meliorem frugem reuertatur, & ſic datur ſtatim abſolutio à Cenſurâ, ac contumacia tollitur, & emendatio ſequirur, *cap. Ex litteris de conſtitutionibus, cap. 1. de ſententiâ excommunicationis in 6.*

*Obiectiones contrà definitionem datam proponuntur.*

5. Sed contrà iſtam definitionem ſic explicatam triplicem obiectionem proponemus, per quarum ſolutionem notitia Cenſuræ meliùs capietur. Objicies igitur 1. Quod Eccleſia non habet dominium rerum ſpiritualium fidelium, & ſic illos priuare non poteſt gratiâ, charitate, aut alijs virtutibus : ergò non poteſt conferre Cenſuras, quibus fideles bonis ſpiritualibus priuentur. ¶ Secundò, quia Cenſura non ſolùm priuat fideles bonis ſpiritualibus, ſed etiam corporalibus, ut ingreſſu Eccleſiæ, adminiſtratione Sacramentorum, & eorum receptione ; ſepultura Eccleſiaſticâ, communicatione cum alijs, &c. Ergò inſufficiens eſt iſta definirio, quâ ſolùm dicitur priuari fideles aliquibus bonis ſpiritualibus. ¶ Tertiò, quia multoties Cenſura poteſt ferri in eos, de quorum emendatione deſperatur : ergò non datur per modum pœnæ medicinalis, in ordine ad reſipiſcentiam peccatoris : medicina enim fruſtrà ægro impertiretur, de cuius ſalute, & vita medicus deſperaret.

6. Sed pro intelligentiâ primæ obiectionis notandum eſt 1. quod ſpirituale, prout ad præſens pertinet, dupliciter accipitur 1. pro rebus à corpore, & materiâ omninò ſemotis, ut ſunt Angeli, Anima rationalis, &c. 2. pro rebus conducentibus, & pertinentibus ad finem ſpiritualem animæ, ut ſunt omnia illa bona, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, ſiuè ſint omninò ſpiritualia, ut gratia, charitas, &c. ſiuè corporalia ſint, ut Sacramenta Eccleſiæ, Vaſa Sacra, ſepulturæ, &c. Sacramenta enim per inſtitutionem Chriſti ad bonum ſpirituale animæ ordinantur. Templa, Vaſa Sacra, ſepulturæ per benedictionem, & Conſecrationem, Eccleſiæ, Beneficia, & iuriſdictio Eccleſiaſtica per connexionem cum rebus ſpiritualibus.

*Quid per bonum ſpirituale in præſens intelligatur.*

7. Notandum eſt 2. quod ex his bonis ſpiritualibus, quæ ad finem vitæ æternæ conducunt, alia ſunt propria perſonæ particularis, ut gratia, charitas, & omnia bona opera, ſecundùm omnem vim meritoriam, impetratoriam, & ſatisfactoriam. Super hæc Eccleſia iuriſdictionem non habet, nec poteſt illis priuare fideles, aut impedire, quo minùs peccator per contritionem ad gratiam & amicitiam Dei reuertatur, quod mereatur per bona opera, quod pro ſe, aut pro alijs impetretur, aut ſatisfaciat, & ideò quamuis ſit ligatus cenſura, poteſt antè abſolutionem à peccato recedere, & Deo per gratiam reconciliari, amicitiaque illius potiri. ¶ Alia ſunt bona ſpiritualia omnibus communia, ut ſunt Sacramenta, Sacrificia, Beneficia Eccleſiaſtica, ſpiritualis iuriſdictio, publica ſuffragia, & ſatisfactiones, cæteraque ſimilia, quorum diſpenſatio credita fuit Eccleſiæ à Chriſto Domino, quorum proindè actiuo, vel paſſiuo uſu poteſt aliquos priuare. Et de his intelligitur definitio : quia quamuis illorum non habeat Eccleſia dominium, habet tamen diſpenſationem, & adminiſtrationem, & ſic ex iuſtâ causâ aliquibus poteſt uſum illorum interdicere.

*Quibus bonis ſpiritualibus poſſit priuare Eccleſia.*

8. Sunt tamen alia bona ſpiritualia, quæ licèt communia, & uniuerſalia ſint, non poteſt illis Eccleſia priuare fideles, ut ſunt illa bona, quæ reſultant ex internâ neceſſitudine, & veluti cognatione, quæ inter fideles charitate coniunctos, ut membra ſunt unius capitis, reperitur : quemadmodùm inter ciues unius ciuitatis, & eiuſdem domus familiares talis neceſſitudo datur, ut eiſdem priuilegijs, honore, & claritate fulgeant. Ratione huius communicationis merita ſingulorum mouent Deum, ut toti illi communitati, & ſingulis membris eius facilem ſeſe pręſtet, & de illis quamdam ſolitiorem curam gerat, multaque conferat, quæ deindè in priuatos quoſque redundent : & deniquè quibuſdam fortaſſè minùs gratis affectu beneuolentiæ maioris proſequatur intuitu aliorum, ex quorum conſortio aliquid bonitatis, & ſplendoris adſciſcunt : & in hoc conſiſtit communio Sanctorum, ut inquit Gibalinus *de cenſuris, diſp. 1. quæſtion. 1. numer. 4.* Couarru. *in capit. Alma mater, part. §. 5. numer. 5.* His igitur bonis non poteſt priuare Eccleſia per ſuas cenſuras, ut inquiunt Authores citati & ratio eſt manifeſta : quia quandò manet fundamentum illius communionis bonorum internorum, tamdiù ipſam communionem manere neceſſe eſt : & qui non poteſt auertere radicem, & fundamentum huius communionis, nec etiam talium bonorum

*Alia bona ſpiritualia, quibus priuare non poteſt.*

norum

norum participatione poteſt priuare : ſed radix, & fundamentum huius communionis eſt fides, & charitas, quibus fiunt membra Chriſti fideles, & in quibus non habet Eccleſia iuriſdictionem : ergò ſicut non poteſt illis priuare per ſuas cenſuras, nec etiam communione bonorum cum cæteris Chriſti membris, quamuis omnibus ſint communia. Quarè Eccleſiæ iuriſdictio ad ſola externa, & publica bona ſpiritualia extenditur, ut ſunt Sacramenta, Sacrificia, Beneficia Eccleſiaſtica, ſpiritualis iuriſdictio, & ſatisfactiones, cæteraque ſimilia.

*Secunda obiectio diſſoluitur.*

9. Ad ſecundam obiectionem patet ex dictis *num. 6.* illa bona, quamuis corporalia, ſpiritualia dici, ſecundùm quod ad finem ſpiritualem modo dicto ordinantur : & his priuat directè Eccleſia per cenſuras, quamuis indirectè etiam rebus temporalibus priuet, ſecundùm quod ad ſpirituale bonum poſſunt conducere : quia Eccleſia, licèt directè poteſtatem habeat ſolùm circà res ſpirituales, & Eccleſiaſticas, etiam indirectè extenditur eius iuriſdictio ad res temporales, & ciuiles, ſecundùm quod ad finem ſpiritualem conducunt. Vndè poteſt priuare Reges, qui à fide deficiunt, Regno, & poteſtate ciuili, poteſt corrigere, & abrogare leges Imperatorum. Similiter etiam poteſt priuare fideles bonis corporalibus, ſecundum quod iudicat conueniens ad bonum illorum ſpirituale.

*Ad tertiam obiectionem reſpondetur.*

10. Ad tertiam obiectionem reſpondetur quod licèt cenſuræ ſint medicinæ, non ad punitionem per ſe, ſed ad correctionem, & emendationem ordinatæ, ut reus à contumaciâ diſcedat ſunt tamen pœnæ, & ideò per accidens poſſunt ad punitionem dumtaxat ordinari. Quarè licèt medicinæ, quæ pœnæ rationem non habent, conferri non debeant ægrotis, de quorum ſalute deſperatur, at cenſuræ ferri poſſunt in eos, qui non ſunt corrigendi, nec de hoc datur ſpes aliqua ut rectè docent D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 87. *art.* 8. *ad* 2. Coninc. *diſp.* 13. *num.* 11. Palaus, *diſp.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. tum in ultionem delicti : tum ad terrorem aliorum : tum denique ut à communicatione cæterorum auertantur, ne fortè illos inficiant : & hoc quandò qualitas delicti enormis adeò eſt, ut id depoſcat. Regulariter tamen tenetur iudex non proferre cenſuram excommunicationis, quam ipſi reo non prodeſſe cognoſcat, ut docet idem S. Doct. *in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſt. ultim. articul.* 2.

## PVNCTVM II.

### *De numero cenſurarum, earumque multiplici diuiſione.*

*Quot ſint cenſuræ ſecundum aliquos.*

11. QVoad numerum cenſurarum inquires 1. quot ſint ſpecies cenſurarum? Circà iſtam quæſtionem ſunt multiplices ſententiæ, quas omnes ad duas reducemus ; prima aſſerit ſpecies cenſurarum eſſe plures, quam tres, quæ communiter circumferuntur. Ità Petrus de Ledeſm. *in ſumm. tract. de cenſuris, cap.* 1. *concl.* 3. *pag. mihi* 323. N. Cornej. *tract.* 5. *de cenſuris in genere diſp.* 1. *dub.* 2. Sotus, *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1. *in princip.* Cordub. *libr.* 5. *quæſt.* 43. *dub.* 4. *caſu* 28. & 37. Bañez 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 8. *dub.* 1. *fol.* 245. Ioann. à S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 64. *diſt.* 18. *art.* 1. *concl.* 4. Couarruu. *in cap. Alma mater, part.* 2. § 2. *num.* 1. Gutierr. *qq. Canonicar. cap.* 3. Quamuis inter ſe diuidantur. Nam Cornej. Ledeſm. Cordub. Sanct. Thom. Gutierrez, dicunt eſſe ſeptem ſpecies cenſurarum nimirùm *excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, ceſſatio à diuinis, depoſitio, degradatio, & irregularitas ex delicto.* Alij verò, ut Sotus, Bañez, Couarruu. dicunt eſſe quinque : *excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, ceſſatio, & irregularitas ex delicto.* Quorum omnium placitum probatur : quia his omnibus pœnis Eccleſiaſticis conuenit definitio cenſuræ, ſuprà à nobis explicata.

*Vera ſententia tres eſſe ſpecies cenſuræ dicit.*

12. Secunda, & verior ſententia dicit, tantùm eſſe tres ſpecies cenſuræ, ſcilicèt, excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. Ità Suarez, *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 1. *ſect.* 3. Enriq. *libr.* 13. *ſumm. cap.* 2. Coninc. *diſput.* 13. *de cenſuris in genere ; dub.* 1. Candid. *diſq.* 22. *art.* 2. *dub.* 4. Valentia, *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 19. *punct.* 1. Stephanus de Auilâ 1. *part. dub.* 5. Bonacin. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *num.* 4. Palaus, *diſp.* 1. *punct.* 1. *num.* 3. Machado, *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 2. *docum.* 1. *num.* 1. N. Anton. *tract.* 12. *ſect.* 1. Et probatur 1. quia cum cenſurâ ſit pœna Eccleſiaſtica, illa ſolùm cenſenda eſt cenſura, quæ in iure Canonico ponitur ut talis : ſed nullibi in iure Canonico reperitur irregularitatem, ceſſationem, depoſitionem, aut degradationem eſſe cenſuras : & è contrà, quoties agitur in iure de cenſuris, tres à nobis recenſitæ enumerantur, ut conſtat ex *cap.* 1. *cap. Statutum, de ſententiâ excommunicationis in* 6. ergò, &c. ¶ Confirmatur : quia *in cap. Quærenti, de verborum ſignificatione.* Interrogatus Innocentius III. quid in Bullis Pontificijs nomine cenſuræ intelligatur? Reſpondit c. *Quærenti, quid per cenſuram Eccleſiaſticam debet intelligi, cum eiuſmodi clauſulam in litteris noſtris apponimus? Reſpondemus, quod per eam, non ſolùm interdicti, ſed ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententia valeat intelligi.*

*Tres aduerſariorum ſolutiones.*

13. Sed ad hunc textum adeò clarum tripliciter aduerſarij reſpondent 1. Pontificem ſolùm dixiſſe has tres eſſe veras cenſuras ; non autem negauit, alias cenſuræ rationem ſubire. ¶ 2. dicunt Pontificem ſolùm loqui de cenſuris, quæ poſſunt ab homine ferri : quia de hoc erat interrogatus, quæ ſolùm ſunt tres enumeratæ, non verò de his, quæ tàm ab homine, quàm à iure poſſunt induci, ut ſunt reliquæ, quæ ab ipſis recenſentur. ¶ 3. dicunt, Pontificem has tres poſuiſſe, non ut infimas, ſed ſubalternas ſub quibus aliæ continentur. Nam ſub interdicto continetur ceſſatio, ſub ſuſpenſione irregularitas, depoſitio, & degradatio.

*Impugnantur ſolutiones datæ.*

14. Sed contrà primam ſolutionem ſtat, quod ſummus Pontifex dogmaticè, & doctrinaliter reſpondet ad quæſitum, quid nomine cenſuræ intelligatur? Ergò eius propoſitio uniuerſaliter eſt intelligenda : ſiquidem propoſitio dogmatica, & doctrinalis in iure ſtatuta æquivalet uniuerſali : & ideò enumerando inter cenſuras excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, idem eſt, ac ſi diceret : *Omnis cenſura his tribus continetur.* Alias incongruè, & inſufficienter quæſito reſpondiſſet ſicut ſi ab ipſo ſciſcitaretur : Quid nomine Sacramenti intelligeretur à iure? Reſponderet, quòd baptiſmus, Pœnitentia, & Euchariſtia, incongruè, & inſufficienter præberet reſponſum, cùm alia præter iſta in Eccleſiâ reperiantur. ¶

Contrà

Digitized by Google

Contrà ſecundam eſt, quod etiam ceſſatio, degradatio, & depoſitio ab homine ferri poſſunt: ergò ſaltem hæ non ſunt cenſuræ. Prætcrquàm quod in iure ſemper ac habetur ſermo de cenſuris, nec de his tribus, nec de irregularitate mentio fit, ſiuè à iure, ſiuè ab homine ferantur, cùm tamen excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, ſemper ab eo numerentur, *cap.* 1. *cap. His, qui, cap. Statutum, de ſentent. excommunicat. in* 6.

*Vltima ſolutio impugnatur.*

15. Contrà tertiam eſt, quòd reliqua impedimenta Eccleſiaſtica, præter excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, veram rationem cenſuræ non habent, nec illis definitio cenſuræ conuenit: ergò diuiſio illa à Pontifice aſſignata non eſt in ſpecies ſubalternas, ſub quibus reliquæ contineantur. Conſequentia conſtat, & probamus antecedens. Nam ſi loquamur de ceſſatione à diuinis (ſi verè ab interdicto diſtinguitur) non eſt propriè pœna, ſiquidem tàm pro ſontibus, quàm pro inſontibus datur: omnes enim debent propter illam à diuinis abſtinere: eſt igitur quædam deſiſtentia, & omiſſio diuinorum officiorum in ſignum mœroris Eccleſiæ propter deſpectum, & inobedientiàm ſubditorum. Quamuis autem eſſet pœna, non verò cenſura, & ideò qui ceſſationem violaret, non propterea irregularitatem incurreret, ut oſtendunt Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 188. *Syluest. verb. ceſſatio à diuinis.* Cùm tamen ſi cenſura irretitus aliquis miniſtret in ſacris, fiat irregularis, ut omnes concedunt. ¶ Deinde degradatio, depoſitio, & irregularitas cenſuræ naturam non ſubeunt: ſi quidem iſta eſt medicinalis pœna, ad reſipiſcentiam, & emendationem, non ad punitionem ordinata, ideoque auferri debet, ipsâ emendatione ſecuta, & ſic eſt vinculum diſſolubile ex naturâ rei, uſu rerum ſpiritualium priuans, non poteſtate, inhabilitando ad eas in perpetuum. At verò degradatio, depoſitio, & irregularitas non ſunt pœnæ medicinales, quæ poſt emendationem debeant auferri, ſed pœnæ quædam contrà incorrigibiles, quos Eccleſiaſtica cenſura non emendauit, perpetuò inhabilitantes peccatorem ex naturâ ſuâ ad uſum rerum ſpiritualium. Ideoque cenſura per abſolutionem tollitur, hæ verò per diſpenſationem, ſiuè relaxationem legis, quæ ex vi ſuà petit perpetuitatem. Quapropter in pluribus facultatibus, ſeu priuilegijs ordinum 1. conceditur poteſtas abſoluendi ab omnibus cenſuris, deinde diſpenſandi in irregularitate ex delicto.

*Alia diuiſio cenſuræ explicatur ex parte cauſæ efficientis.*

16. Deinde diuiditur cenſura ex parte cauſæ efficientis, in eam, quæ à *iure*, & quæ ab *homine* eſt. Ab homine, quæ per ſententiam vel mandatum tranſitorium fertur. Quamuis enim omnes cenſuræ ab homine, qui iuriſdictionem habet, ferantur, quandò verò ſuperior per legem, vel ſtatutum talem cenſuram imponit, à iure ferri dicitur. Vndè ſolùm qui poteſt leges ſtatuta concedere, ut eſt Summ. Pontifex, & Concilia generalia pro totâ Eccleſiâ, Epiſcopus in ſuâ Diœceſi, &c. poſſunt cenſuras à *iure* imponere. Cenſuram verò ab *homine*, quilibet particularis ſuperior, qui habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam in foro exteriori, poteſt eam ferre, & hæc non durat mortuo ſuperiore, à quo lata fuit, immò ſuſpenditur, ſi ſuperioris poteſtas ſuſpendatur. Et ratio eſt: quia valor cenſuræ pendet à poteſtate ferentis: ergò hac ablata, vel ſuſpenſa cenſura vel aufertur, vel ſuſpenditur. Vndè ſi Epiſcopus propter aliquod delictum cenſuram ſtatuat, & vel moriatur, vel ad alium Epiſcopatum tranſeat, cenſura omninò corruit, niſi fortè eſſet iam incurſa: quia tunc ſemper durat uſque dum abſolutio obtineatur, ex iure communi decernente, cenſuram ſemel incurſam uſque ad abſolutionem durare. At cenſura, quæ fertur à iure, ſicut lex, & ſtatutum, ſemper durat, etiam ſuperiore defuncto, à quo lata fuit, niſi per ſucceſſorem reuocetur.

*Alia diuiſio cenſuræ ex parte ſubiecti.*

17. Vlteriùs ex parte ſubiecti diuiditur cenſura *in generalem, & particularem.* Generalis eſt illa, quæ fertur in omnes: ut ſi Epiſcopus ſub pœna excommunicationis furtum in Eccleſiâ prohibeat. Particularis eſt illa, quæ fertùr in particulares perſonas: ut ſi Epiſcopus aliquem, vel aliquos excommunicet, uſque dum ablata reſtituant, vel à peccato recedant. Et eſt diſcrimen inter has duas cenſuras, quod *generalis* ſemper fertur ſub conditione peccati omninò futuri, ut impediatur. *Particularis*, ob delictum præteritum, ut emendetur, vel pro illo fiat ſatisfactio; poteſt imponi aliquandò ſub conditione, v. g. niſi reſtituat: aliquandò abſolutè. Ità Candid. *artic.* 3. *dub.* 1. Conine. *dub.* 2. *numer.* 14. Bonacin. *num.* 5. Suarez, *de cenſuris, diſp.* 3. *ſect.* 3. Gibalin. *diſq.* 1. *quæſt.* 3.

*Alia diuiſio cenſuræ ex parte formæ.*

18. Denique ex parte formæ diuiditur cenſura in eam, quæ eſt *latæ ſententiæ*, quæ ipſo facto ligat antè ſententiam iudicis, & quæ eſt *ſententiæ ferendæ*, quæ non niſi poſt ſententiam iudicis incurritur. Cognoſcitur autem cenſuram eſſe *latæ ſententiæ*, quandò dicitur: *Confeſtim, ſtatim, illicò, prorſus, in continenti*, ipſo facto excommunicetur, vel ſuſpendatur; vel ſi feratur per verba de præſenti, aut de præterito: ut ſi dicatur: *Excommunicatur, ſuſpenditur, eſt excommunicatus, ſuſpenſus.* Cognoſcitur verò eſſe ferendæ ſententiæ, quandò dicitur, *præcipimus ſub pœna excommunicationis, interdicti, &c.* vel ſi verbis de futuro explicetur: *Excommunicabitur, ſuſpendetur.* Si verò dubium ſit, an uno, vel alio modo cenſura feratur, intelligendum eſt non de cenſurâ *latæ ſententiæ.* Quia in rebus pœnalibus, uti eſt cenſura, dubium eſt benignè interpretandum, *leg. in rebus, ff. de regulis iuris, cap. Odia, cap. In pœnis, eodem titul. in* 6. Et ſic pro ſententiâ ferendâ intelligendum eſt, quæ eſt mitior, & benignior pœna. Ità Filiucius *tract.* 11. *numer.* 18. Machad. *libr.* 1. *part.* 3. *tract.* 2. *document.* 5. *num.* 7. Auila, 2. *part. cap.* 2. *diſp. unic. dub.* 2. ¶ Cenſura *latæ ſententiæ* ipſo facto incurritur, non expectata iudicis ſententia, *textus in cap. Paſtoralis*, §. *Verùm, de appellationibus*, & eſt uſus communis Eccleſiæ, & ſententia Doctorum: & ideò cum in alijs pœnis exprimat ius multoties, tametſi priuatiuæ ſint, incurri non expectata iudicis ſententia, *Extrauaganti ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ, &c.* ubi dicitur, quod Clerici vendentes beneficia priuantur beneficijs, & dicitur *nullâ declaratione iudicis expectata.* At numquam talis clauſula ponitur pro cenſuris incurrendis, quia Eccleſia ſemper intelligit cenſuras incurri hoc ipſo quod ſint latæ ſententiæ. Et hæc pro nunc ratio ſufficiat: quidquid ſit de illâ, quam adducit Caietan. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. & alia quam ponit Soto *tom.* 1. *de iuſtitiâ, quæſt.* 6. *art.* 6. quas in tract. de legibus examinabimus.

19. Et

*Quæſtiuncula quædam diſſoluitur.*

19. Et ſi roges. An ſi excommunicatio ſub his verbis feratur, *anathema ſit, ſit excommunicatus* intelligendum ſit de cenſura latæ ſententiæ, vel ferendæ? Reſpondetur intelligendum eſſe de excommunicatione latæ ſententiæ, quæ ipſo facto incurritur, non expectata iudicis ſententia. Tum, quia illa forma anathematizandi frequens eſt in Concilijs aduerſus Hæreticos, & præſertim in Tridentino. Sed certum eſt voluiſſe Concilia ſub illa forma Hæreticos damnare, & anathematizare: ergò, &c. Tum etiam, quia etiamſi verbum *ſit* poſſit eſſe futuri temporis modi optatiui, & præſentis imperatiui; modus tamen loquendi in materia de cenſuris intelligi debet de imperatiuo: quia virtus legis non eſt optare, ſed imperare, præcipere, & punire, *leg. Legis virtus, ff. de legibus.* Ita Bonacin. *num.6.* Candid. *diſq. 27. art. 4.* Auila 1.*part.dub.7.* Hurtad. *de cenſur. in comm. diſſ.5.num.20.* contrà Sanchez *lib.7.de matrim.diſp. 12.num.2.& libr.2.moral. cap.38.num.91.* Laym. *tom.1.tract.5.cap.2. num.3.* Veracruz *in appendice ad ſpeculum coniugale, pag.23.* aſſerentes eſſe talem cenſuram ferendæ, non latæ ſententiæ.

## PVNCTVM III.

### *De cauſa efficiente cenſuras, id eſt, de poteſtate, quæ eſt in Eccleſia ferendi illas.*

*Dari in Eccleſia facultatem ferendi cenſuras eſt de fide.*

20. ESſe in Eccleſia poteſtatem ad puniendos fideles excommunicatione, & alijs cenſuris, priuando illos etiam bonis ſpiritualibus Fides Catholica docet. Quod definitum eſt in *Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 8. err. 3. & ſeſſ. 19. error 19. & in Bulla* Martini V. Et nouiſſimè contrà Lutherum à Leone X. conſtatque ex uſu totius Eccleſiæ ab initio ſui, & probant eruditè Bellarm. *lib.1. de Romano Pontifice, cap. 15.* Soto *in 4. diſt. 22.quæſt.1.art.1.* Suar.*tom.5.in 3.p.diſp.1.ſect.2.* Cornej. *tract.5.diſp.2. dub.1.* Valentia 4. *tom.diſp. 7.q.17.punct.1.* contrà aliquos antiquos Hæreticos id negantes, & contrà Lutherum, & Caluinum, qui quamuis concedant Eccleſiam poſſe excommunicare rebelles; non tamen priuare bonis ſpiritualibus, & communicatione interna ſuffragiorum, ſed tantum politicis exterioribus, & temporalibus bonis.

*Probatur authoritate Christi Domini.*

21. Sed veritas Catholica probatur 1. ex illo *Matth. 16. & 18.* ubi poſtquàm dixit Chriſtus Dominus: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis*, ſtatim addit: *Quod ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi tamquam ethnicus, & publicanus.* Vbi duplicem poteſtatem ligandi, atque ſoluendi Eccleſiæ traditam à Chriſto Domino Auctores, & Patres agnoſcunt: unam in foro interno, & pœnitentiali, ubi agitur cauſa inter Deum, & hominem, quæ ad bonum animæ internum ſpectat: aliā in foro externo contentioſo, & publico, in quo cauſa hominis ad hominem tractatur, quæ data eſt ad externam gubernationem Eccleſiæ, ad quam pertinet poteſtas ferendi cenſuras; & explicatur per illa verba: *Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*: id eſt, ſegregatus ab omni communicatione fidelium, & ab omni participatione ſuffragiorum communium, ſicut ethnicus eſt ſemotus ab omni communicatione cum Chriſtianis, & ſicut à publicanis auertebantur Hebræi, cum quibus vel cibum ſumere nefas iudicabant. Vndè dixit *Chryſoſtom.hom.4.in epiſt. ad Hebræos*, & refertur in *cap. Nemo contemnat. 11. quæſt.3. Nemo contemnat Eccleſiaſtica vincula: non enim homo eſt qui ligat, ſed Chriſtus qui nobis hanc poteſtatem dedit.*

*Ex Paulo eadem veritas oſtenditur.*

22. Secundò probatur ex *Apoſtol. 1. ad Corinth. 5.* ubi loquens de inceſtuoſo, qui nouercam, uxorem patris ſui, cognoſcebat inquit: *Iudicaui tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus eius ſaluus fiat.* Quòd communiter de excommunicatione intelligitur: & bifariam poteſt explicari, primò, *cum* D.Thom.*lect.1.in cap.1. ad Corinth.* quod per excommunicationem traditur homo Satanæ, quia deſtitutus communibus Eccleſiæ ſuffragijs exponitur vehementibus Dæmonis tentationibus, & extrà Eccleſiam extractus illius dominio ſubijcitur. Et ſic dixit D. Auguſt. *ſerm.62. de verb. Apoſt. Omnis Chriſtianus, qui à Sacerdote excommunicatur, Satanæ traditur: quia extrà Eccleſiam diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus.* ¶ 2. cum D.Chryſoſt.*in* Timoth. 1.*hom.5. &* Theodoreto, *ibidem*: quod ſicut in primitiua Eccleſia ad roborandam fidem conferebantur dona Spiritus Sancti ſenſibili quodam ſigno: ita excommunicatio ad perterrendum peccatores, vel repentino corporis morbo, vel ſenſibili Satanæ vexatione innoteſcebat.

*Ratione probatur doctrina Catholica.*

23. Tertiò probatur ratione: quia quælibet Reſpublica rectè ordinata facultatem habet, non ſolū dirigendi ſubditos per leges, & præcepta, ſed puniendi delinquentes maximè rebelles: quia poteſtas directiua non ſufficit ſine coercitiua: ergò etiam Eccleſia cenſuris, & pœnis habet poteſtatem ſubditos coercendi: & ſic appellantur à iure, *enſis, gladius Eccleſiæ. & in Trid ſeſſ.25. cap.3. neruus Eccleſiaſticæ diſciplinæ.* Aliàs nullius momenti eſſet iuriſdictio Eccleſiaſtica, ſi non haberet, quo contumaces corrigeret, *cap. Ex litteris, de offic. deleg. & lib.2. ff. de iuriſdict.* ¶ Confirmatur: quia Eccleſia habet plenam adminiſtrationem, & diſpenſationem Sacramentorum, ſacrificiorum, ſuffragiorum, bonorumque ſpiritualium communium, 1. ad Corinth.4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*: ergò habet poteſtatem priuandi rebelles huiuſmodi bonis: ſicut in qualibet Republica rectè ſtatuta datur poteſtas priuandi bonis communibus Reipublicæ (quorum diſtributio pertinet ad ipſam) ſubditos inobedientes.

*Obiectiones hæreticorum proponuntur.*

24. Sed obijciunt Hæretici, 1. quod in ſpiritualibus nemo læditur, niſi à ſeipſo: ergò Eccleſia non habet poteſtatem priuandi fideles per cenſuras bonis ſpiritualibus. ¶ Secundò. Quia excommunicatio pertinet ad iuriſdictionem fori exterioris: ergò non poteſt nocere in foro interiori: ac proindè nec priuare animam bonis ſpiritualibus. ¶ Tertiò Quia nimis durum eſt, & cum pietate piæ Matris Eccleſiæ non cohærens, fideles priuatione bonorum ſpiritualium punire. Vnde D. Chryſoſtom. *tom. 5. ſermon. de anathemat. ad medium* dixit: *Aut anathematizas viuentem, aut mortuum? Si mortuum, impiè agis: quia iam ſub iure humano non exiſtit, ſed Domino ſubſtat, vel cadit, ſi viuum, etiam impiè agis:* nam eum, *qui ad bonum conuerti poteſt, abſcindis.*

*Soluuntur propoſita obiectiones.*

25. Ad primam conſtat ex dictis *punct. praced. num.* 7. quod nemo poteſt lædi bonis ſpiritualibus proprijs, ut eſt gratia, charitas, meritum, &c. Niſi à ſeipſo. In bonis autem ſpiritualibus communibus ibidem explicatis, poteſt priuari ab Eccleſia, quæ illorum habet adminiſtrationem. ¶ Ad ſecundam: quod cum Sacramenta, ſuffragia, & beneficia ita ſint bona fori exterioris, ut ſimul in anima bonum ſpirituale operentur, per iuriſdictionem fori exterioris Eccleſia poteſt priuare fideles etiam bonis ad animam pertinentibus, priuando rebelles communicatione eorum, & receptione Sacramentorum, & ſuffragiorum communium. ¶ Ad tertiam, admiſſo verba illa eſſe Chryſoſtomi (quod negat Sotus *in 4. diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 1. Sed ſermonem illum falsò nomine eius diuulgatum fuiſſe. Nam Chryſoſtomus Catholicam Doctrinam loco *n.* 21. adducto apertè docet) per illa ſolum aliquorum abuſum poteſtatis excommunicandi, reprehendere, & temeritatem, qua excommunicabant aliquos in perpetuum. Vſus tamen prudens, & legitimus huius poteſtatis pius, & licitus eſt, quia eſt medicina ſalutaris pro tempore viuentem excommunicans, & à conſortio aliorum repellens, ut reſipiſcat, & ut pudore affectus conuertatur ſecondum illud 1. *ad Corinth.* 5. *Tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus eius ſaluus fiat.*

*Quædam replica, & impugnatio illius.*

26. Et ſi urgeas: quod ſi excommunicatio eſt medicina ſalutaris, non erit valdè extimeſcenda, cuius oppoſitum valdè receptum eſt in Eccleſia contrà *Eraſmum in colloquijs de Fide*, ubi dixit: *Excommunicationem territare pueros, non quidem viros fortes.* ¶ Reſpondetur, quòd licèt excommunicatio ſit pœna medicinalis; eſt tamen pœna grauiſſima; & ita à viro forti pertimeſcenda. Vnde diximus *tract. de Matr. cap.* 9. *n.* 23. comminationem excommunicationis incutere metum cadentem in virum conſtantem. Sicut membri putridi uſtio, vel abſciſſio medicina quidem ſalutaris eſt; ſed quia pœna grauiſſima eſt, pertimeſcenda. Quarè dixit D. Aug. 1. 1. *contrà aduerſarium legis, & Prophetarum, cap.* 17. *Si Eccleſiam non audieris ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus, quod grauius eſt, quam ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubigeretur.*

## PVNCTVM IV.

### *Quibus modis poteſtas ferendi cenſuras acquiratur? Et apud quos de facto inueniatur?*

*Quot modis acquiratur poteſtas ferendi cenſuras.*

27. Statuto iam eſſe in Eccleſia poteſtatem ferendi cenſuras, reſtat examinare: quot modis talis poteſtas acquiratur? Ad quod dicendum eſt imprimis, acquiri ratione muneris, dignitatis, vel officij quæ dicitur *poteſtas ordinaria*, & qui illa fungitur *iudex ordinarius*, & ſolum inuenitur in eo, qui habet iuriſdictionem in foro exteriori, ac proinde in ſuos ſubditos dumtaxat poteſt illam exercere, Et ratio eſt; quia poteſtas Eccleſiaſtica in foro exteriori: ordinatur ad punienda delicta, & ſubditos coercendos in foro exteriori: ergò qui habet iuriſdictionem in foro exteriori, habet poteſtatem ad ferendas cenſuras, quibus ſubditos coerceat: aliàs eſſet talis poteſtas nimis infirma, & inermis.

28. Huiuſmodi autem poteſtas iure ordinario in primis reperitur apud Summum Pontificem reſpecto omnium fidelium, qui non ſolum poteſt in Eccleſia cenſuras ferre, ſed earum numerum finem, formam, & effectum determinare, illas variare, aut immutare; quod alij Prælati præter ipſum non poſſunt, ut rectè probant Suar. *diſp.* 2. *ſect.* 2. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 3. *n.* 4. Eſcob. *lib.* 9. *ſect.* 1. *cap.* 2. *n* 9. Alterius *lib.* 3. *diſp.* 7. *cap.* 1. Gibal. *diſq.* 3. *q.* 2. *n.* 1. N. Ant. *nu.* 12. Et ratio eſt: quia cenſuræ ſunt ceremoniæ, & pœnæ Eccleſiaſticę, generales, & ad uniuerſalem Eccleſiæ gubernationem neceſſariæ: & ſic ille ſolum poteſt eas variare, ſtatuere, vel extendere, qui reſpectu totius Eccleſiæ habeat abſolutiſſimam poteſtatem. ¶ Atque hinc deducitur ſolutio illius difficultatis: quomodò Epiſcopus aliquem excommunicans, poſſit interdicere eius conſortium omnibus fidelibus, qui ſibi ſubditi non ſunt. Et cur ille excommunicatus non poſſit extrà ſui Epiſcopi territorium cum fidelibus alterius Diœceſis communicare? Reſpondetur, rationem huius poteſtatis Epiſcopalis eſſe, quod ipſe non inſtituit cenſuras, nec effectus earũ determinauit, ſed Summus Pontifex, qui ſtatuit excommunicationem ab aliquo ſuperiore latã, ad hos effectus ſe extendi, ut ſuo loco probabimus.

*In Summo Pontifice uniuerſalis hæc poteſtas reperitur.*

29. Secundò, habent hanc poteſtatem Ordinariam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi comparatione ad ſubditos ſuæ Diœceſis. Sed in hoc eſt notandum primò, non habere illam Epiſcopos, præciſè Titulares vulgò de *Anillo*; ſed qui habent proprias oues, & iuriſdictionem in foro contentioſo: quia hæc poteſtas Paſtorale munus conſequitur, non præciſè conſecrationem. Hinc nota ſecundò, quòd licèt Epiſcopus, vel Archiepiſcopus non ſit conſecratus; ſi tamen eſt confirmatus, fungitur hac poteſtate: quia poteſtas hæc non eſt ordinis, ſed iuriſdictionis, quam per confirmationem accepit, ut docet Auila *part.* 2. *diſp.* 1. *dub.* 1. Tertiò nota, quod hanc poteſtatem habent Epiſcopi ex iure diuino immediatè, quamuis mediante electione, & confirmatione Pontificis: Et ideò illa poteſtate non poteſt eos Pontifex priuare, *noſter* Coninc. *tract.* 5. *diſp.* 3. *dub.* 1. Quartò nota, quod Archiepiſcopi ſolum habent hanc poteſtatem reſpectu ſubditorum ſuæ Diœceſis; non verò reſpectu ſuorum ſuffraganeorum, niſi tempore, quo viſitant eos, vel quandò cauſa ad ſuum Tribunal deuoluta eſt, per appellationem, *cap. Venerabilibus, de ſententia excommunicat. in* 6. Ita Coninc, *diſp.* 13. *dub.* 4. *num.* 31. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 4. *num.* 2.

*Inuenitur hæc poteſtas in Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis.*

30. Tertiò, habent hanc poteſtatem Legati à latere in tota Prouincia ſuę legationis: quia in illa habent iuriſdictionem ordinariam, *cap. Legatis, de officio Legati in* 6. ¶ Quartò, Vicarius Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, qui dicitur Prouiſor Generalis, ut docet *Gloſſa in cap. Licèt, de officio Vicarijs in* 6. quia Vicarius facit unum Tribunal cum Epiſcopo. Vndè illo mortuo, ſuſpenſo, vel excommunicato, talis poteſtas ceſſat, vel ſi ab illo reuocetur, & talis reuocatio, ad Vicarij notitiam perueniat. ¶ Quintò Cardinales in proprijs Eccleſijs ſuorum titulorum, in quibus habent iuriſdictionem Epiſcopalem, *cap. His quæ, de maioritate, & obedientia.* Sextò, Abbates exempti, & Mithrati, Baculum, & Annulum ferentes, quamuis non ſint Benedicti, Sanch. *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 28. *num* 6.

*Habent illam Nuntius, Prouiſor, Cardinalis, & Abbas.*

31. Septi-

Digitized by Google

*Etiam Prælati Regulares.*

31. Septimò, habent etiam hanc poteſtatem Prælati omnes Regulares, ut ſunt Generales, Prouinciales, Præpoſiti, Rectores, Abbates, Priores, Guardianij, ſiue hoc habeant ex priuilegio eorum muneri perpetuo annexo, ſiue ex natura rei, hoc ipſo quod per dignitatem ſuam habeant iuriſdictionem ordinariam. Sic Auila *p.2. diſp.1. dub.1.* Palaus *diſp.1. punct.4. num.2.* Bonac. *q.1. punct.2. num.5.* Eſcob. *lib.9. ſect.1. cap.2. num.11.* Suarez *diſp.2. ſect.2. n.9. ex cap. Cum in Eccleſijs, de maioritate, & obedientia.* N. Ant. *n.18.* Sed hoc intelligendum eſt de iure communi. De facto autem attendenda eſt conſuetudo Religionum, & quid ſit in illis per ſpeciales leges determinatum.

*Reliqui, qui talem habent poteſtatem.*

32. Octauò habent hanc poteſtatem Concilia Generalia, ex licentia Pontificis congregata: & etiam Prouincialia: illa in tota Eccleſia, iſta duntaxat in ſua Prouincia, *cap. Graue nimis, de Præbendis, cap. 1. de iudicijs.* Et idem cum proportione dicendum eſt de Synodo Diœceſana. ¶ Nonò, Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante: quia tunc ſuccedit in loco Epiſcopi defuncti, *capit. Cum olim, de maioritate, & obedientia.* Vel ſi Epiſcopus captiuus detineatur: quia eſt ciuiliter mortuus, *cap. Si Epiſcopus, de ſupplenda negligentia Prælatorum in 6.* Ita Candid. *diſquiſit.22. art.5. dub.4.* Sayr. *lib.1. de Cenſuris, cap.3. num.37.* Similiter Vicarius electus à Capitulo ſede vacante ſecundum *Trident. ſeſſ.24. cap.16. de Reformatione.* Hi omnes, qui ordinarij iudices ſunt, poſſunt iuriſdictionem ſuam alijs committere, & delegare, *toto titulo de offic. Ordinarij, & cap. Cum Epiſcopus 7. de offic. Ordinarij in 6.* quia hæc eſt virtus poteſtatis Ordinariæ, quod hoc ipſo, quod talis poſſit alteri delegari, *leg. More, ff. de iuriſdictione omnium iudicum.*

*Parochus non poteſt cenſuras ferre.*

33. Sed inquires: an Parochus habeat poteſtatem ferendi cenſuras reſpectu ſuarum ouium? Reſpondetur negatiuè. Quia Parochus ſolum habet poteſtatem in foro conſcientiæ ad cognoſcendas cauſas hominis ad Deum; non verò in foro externo, & contentioſo, in quo agitur de cauſa hominis ad hominem: ergò non habet facultatem ferendi cenſuras; quia hæc ſolum ad corrigendos ſubditos in foro externo, eſt neceſſaria Ita Enriq. *lib.14. cap.24. num.4.* Gibalin. *loc. cit.* Machado *lib.1. part.3. tract.2. docum.2. num.4.* Bonac. *nu.5.* Palaus *num.2.* Suarez *ſect.2.* Et licèt ex iure communi eſſet hæc poteſtas Parochis conceſſa, contraria conſuetudine abrogata eſt, ut inquit Sotus *in 4. diſt.22. q.2. art.5.* Et ideò *Trident. in ſeſſ.25. cap.3. de Reformatione*, docet excommunicationem pro furtis (de qua aliqui aſſerunt poſſe à Parochis ferri) à ſolo Epiſcopo eſſe ferendam.

*Qui poſſint per delegationem.*

34. Secundò acquiritur huiuſmodi poteſtas ferendi cenſuras per *delegationem*, à qua dicuntur *Iudices delegati*: per commiſſionem videlicet eius, qui habet poteſtatem ordinariam. Tales autem iudices delegati non poſſunt ſuam poteſtatem alijs committere, & ſubdelegari, *toto tit. de offic. delegati*, niſi à delegante hoc ſibi fuerit commiſſum, vel ex generali priuilegio, aut particulari conceſſione: uti iuriſdictio delegata à Summo Pontifice poteſt ſubdelegari, *capit.3. de offic. delegati*, ex vi priuilegij generalis conceſſi à Sede Apoſtolica Delegatis Summi Pontificis. Poteſtas autem delegata ſemper pendet à delegante: & morte, aut ſuſpenſione, aut aſſumptione delegantis ceſſat, *cap. Gratum, de officio Iudicis Delegati, cap. Licet eodem titul.* Excipitur Coofilium Sanctæ Inquiſitionis, quod cum habeat iuriſdictionem delegatam à Papa, *cap. per hoc, de Hæreticis in 6.* non expirat eius facultas morte Pontificis, *cap. Ne aliqui eodem tit.* Excipitur etiam, quandò cauſa à iudice delegato inchoata fuit ſaltem per legitimam citationem: quia tunc poteſt eam proſequi reſpectu illorum tantum, quorum cauſam cognoſcere inceperat, antè mortem delegantis, *capit. Gratum, de officio delegati.*

*Acquiritur hæc facultas conſuetudine, & præſcriptione.*

35. Tertiò acquiritur facultas ferendi cenſuras per conſuetudinem legitimè introductam: quia ſicut per illam obligatio inducitur, iuriſdictio acquiritur, *capit. Dudum 2. de electione, capit. Romana, de ſententia excommunicat. in 6.* Qui tamen illam concedit, eſt Summus Pontifex, qui ex iuſta cauſa voluit, conſuetudinem vim legis habere, & hanc poteſtatem illi conferre. Sed notandum eſt, quòd qui ex conſuetudine facultatem accepit ferendi unam cenſuram, non propterea poteſt ferre aliam: quia conſuetudo faciendi unum non dat facultatem ad aliud diſtinctum, maximè ſi cum eo non habeat neceſſariam connexionem, Suarez *num.13.* Sayr. *lib.1. cap.6.* Bonac. *num.5.* Dian. *5. par. tract.9. reſol.24.* Idem dicendum eſt de præſcriptione. Quòd per illam poteſtas ferendi cenſuras acquiritur, *cap. Auditis, & cap. Cum olim, de præſcriptionibus.*

*Etiam acquiritur ratione delicti.*

36. Quartò, acquiritur hæc facultas ratione delicti: ut ſi ſubditus alteriùs Epiſcopi in territorio Epiſcopi Salmantini delictum committeret, cuius punitio ad ipſum ſpectat: quia aliàs non ſubditus, fit ſubditus ratione delicti, *cap. Placuit 6. q. 6.* & ratione delicti ſortitur forum illius, in cuius territorio tale peccatum commiſit, *cap. finali, de foro competenti.* Niſi fortè extrà territorium illud exeat, antequam illius cauſa ab Epiſcopo illius territorij cognoſcatur, & contrà illum ſententia excommunicationis fulminetur: quia tunc non poterit eum Epiſcopus excommunicare, licèt in eius territorio fuerit delictum commiſſum. Et ratio eſt: quia hæc eſt diuerſitas inter ſubditum ratione domicilij, & ſubditum ratione delicti, quod ille eſt abſolutè ſubditus: & ſic ubicumque commoretur, poterit à ſuo Paſtore puniri, ut *puncto ſequenti* dicemus; hic autem dumtaxat ſecundum quid eſt ſubditus, videlicet ratione delicti: ideoque ſolum puniri poteſt ab Epiſcopo, quandò eſt in eius territorio, in quo delictum commiſit. Ita Auila *2. part. diſp.2. capit.3. dub.3.* citans Sylueſtrum, Fabianum, & Armillam, N. Cornejo *diſp.6. dub.2. quæſt.3.* Diana *reſolut.36.* citans Hurtad. *de cenſuris in genere, diſſ.9. num.36.* niſi antequàm à territorio illius Epiſcopi aufugiat, citatione præueniatur. Quia tunc eum iudicium ab eo inchoatum fuerit, poteſt ab illo proſeqoi uſque ad finem.

*Non acquiritur hæc facultas reſpectu ſuperioris.*

37. Sed hæc regula intelligenda eſt, quod poteſt non ſubditus ab Epiſcopo excommunicari ratione delicti in eius territorio commiſſi, niſi talis reus fuerit illius ſuperior: ut eius Archiepiſcopus, vel Patriarcha. Qui licèt in territorio ſui Epiſcopi ſuffraganei delictum committat, ab eo cenſuris feriri non poteſt propterea, quæ ſtatim dicemus. Si tamen Archiepiſcopus peccaret in Diœceſi Epiſcopi ſibi non ſuffraganei poſſet ab eo excommunicari: quia cum aliàs ſuus ſuperior non ſit, & ratione delicti fiat ſuus inferior, po-

teſt contrà eum ſententiam ferre, ut docet Cornej. *diſp.2. dub.4. in explicatione ſecundæ conditionis.* Vel niſi reus delicti fuerit ſimpliciter exemptus à iuriſdictione Epiſcopali: ut ſunt Regulares, Reges, Reginæ, & eorum filij, *cap. Ne aliqui, de priuilegiis in 6.*

*Acquiritur etiam per titulum coloratum.*

38. Vltimò acquiritur talis poteſtas per titulum præſumptum, iuncto communi errore, ſeu æſtimatione publica, modo dicto *tr. de Matrim. cap.8.n.53.* quia ad euitanda omnia incommoda, quæ ſequerentur, ſi detecto errore, omnia illius iudicis acta eſſent reſcindenda: vult Pontifex, ob publicam Eccleſiæ utilitatem, concedere illi facultatem excommunicandi, aliaſvè cenſuras ferendi, & exercendi alios actus ſuæ iuriſdictionis, *cap. Infamis 3.q.7.* conformiter ad ius Ciuile, *in leg. Barbarius, de officio Prætoris,* ut ibidem explicuimus. Ita Suar *diſp.2 ſect.4.n.2.* Cornej. *diſp.3 dub.1 in fin.*

*Poſſitne aliquis ſeipſum, vel ſuperiorem cenſuris ligare?*

39. Sed quia diximus poteſtatem ferendi cenſuras debere in ſubditos exerceri, nunc inquires: An aliquis poſſit ſeipſum, vel æqualem, vel ſuperiorem excommunicare, vel aliâ cenſurâ ferire? Reſpondetur negatiuè, ſi hoc auctoritate propria faciat. Ita D.Thom. *in addit. quæſt.22. art.4.* Cornejo *dub.4. cit.* Soto *in 4. diſtinct.22. quæſt.2. art.2.* Auila *2.part.diſp 1.dub.7.* Et ratio eſt: quia actus ferendi cenſuras eſt actus iuriſdictionis per modum ſententiæ coactiuæ, *capit. A nobis, de ſententia excommunicationis:* ſed nemo poteſt ſententiam ferre coactiuam, niſi in ſibi ſubditum: ergò non poteſt ſe, æqualem, vel ſuperiorem excommunicare. ¶ Diximus in concluſione: *Auctoritate ſibi propria.* Quia benè poteſt æqualis, vel inferior per delegationem alterius ſuperioris excommunicare ſibi ſuperiorem, vel abſoluere: ut ſimplex Sacerdos poteſt per poteſtatem ſibi à Pontifice delegatam ſuum Epiſcopum excommunicare: quia tunc per commiſſionem fit ſuperior illius, dicto *cap. A nobis, de ſententia excommunicationis.* At de his & alijs plurimis legi poterit N. Gabr. à S. Vinc. in ſuo inſigni opere de cenſuris.

*Aliqua inferuntur ex dictis.*

40. Ex quo infertur: primò, non eſſe in Eccleſia poteſtatem excommunicandi Papam, vel eum ſuſpendendi: quia non eſt in ea ipſo ſuperior, qui virtute propria, aut per delegationem, poſſit contrà eum ſententiam coactiuam proferre. ¶ Sequitur, ſecundò, quòd ſi Epiſcopus ferat excommunicationem contrà furantes, etiamſi ipſe reus ſit furti, non incurrit talem excommunicationem: quia reſpectu ſui ipſius, exercere non valet iuriſdictionem coactiuam. Sed occaſione cenſuræ à ſe latæ poteſt à iure excommunicari, ut ſi communicet cum à ſe excommunicato, incurrit excommunicationem minorem à iure ſtatutam contrà communicantes cum excommunicatis, Diana *5. part. tract.9. reſol.52.* ¶ Sequitur tertiò, quod ſi duo Vicarij, vel Prouiſores ab eodem Epiſcopo aſſignentur, unus non poteſt alterum, aut excommunicare, aut ſuſpendere: vel unus Epiſcopus alium Epiſcopum: quia par in parem non habet iuriſdictionem. Ita Hugolin. *tab. 5. cap.2.§.11.num.21.*

*Triplex obiectio contrà dicta proponitur.*

41. Sed contrà reſolutionem iſtam objicies: primò, quòd Epiſcopus, vel Pontifex poteſt ſibi indulgentias concedere, ut docet D.Thom. *in 4. diſtinct.2. quæſt.1. art. 4. quæſt. 4.* aliàs eſſet deterioris conditionis, quàm alij, ſi alijs indulgentias impertiri, ſibi verò non poſſet: & tamen conceſſio indulgentiarum eſt actus iuriſdictionis: ergò licèt ligatio per cenſuras ſit iuriſdictionis actus, poteſt idem in ſeipſum illum exercere. ¶ Secundò: quia etiam diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis; & tamen poteſt, qui habet poteſtatem ordinariam, vel delegatam diſpenſandi cum alio in votis, & in legibus, etiam ſecum diſpenſare, ut probant Sanchez *de Matrim. libr.8. diſp.3. à num.6. uſque ad 12. & libr. 4. moral. cap. 37. à num. 48.* Filliucius *de Sacrament. Matrim. quæſt.2. cap.10. à num.295. & idem* Filliucius *tract.20. cap.10. num. 272. & 273.* Leand. *tract.2. de irregular. diſp.27. quæſt.11.* Bonacin. *de legib. quæſt.2. punct.5. num. 10. & de cenſur. diſp.7. quæſt 5. punct.1. num. 8.* Pellizar *tract.8. cap. 2. ſect. 2. ſub ſect.3. quæſt. 24. num.177.* N. Antonius à Spiritu Sancto *in direct. regular. tract.4. diſp.4. ſect.6. num.286.* ergò ſimiliter in noſtro caſu. ¶ Tertiò: quia poteſt aliquis per commiſſionem abſoluere ſibi æqualem, vel ſuperiorem, ut patet in Confeſſario, quem Papa eligit ſibi. *Et in cap. Finali de pœnitentijs, & remiſſionibus* conceditur facultas Epiſcopis, & Prælatis exemptis eligendi Confeſſorem, qui abſoluat eos à caſibus ſibi reſeruatis: ergò ſimiliter poterit alteri delegare facultatem ut ſe excommunicet, ſi in tale delictum ceciderit.

*Soluitur prima obiectio.*

42. Ad 1. omiſſis aliorum ſolutionibus, reſpondetur cum D. Thom. loco proximè *citat. in ſol. ad 3.* ibi: *Ad 3. dicendum quod excommunicatio profertur per modum ſententiæ, quam nullus in ſeipſum ferre poteſt: eo quod in iudicio idem non poteſt eſſe iudex, & reus. Indulgentia autem non per modum ſententiæ datur, ſed per modum diſpenſationis cuiuſdam, quam homo poteſt facere ad ſeipſum.* Sed nota ex eodem D.Thom. *in corp.* ibi; quod Pontifex, vel Epiſcopus poteſt dupliciter conſiderari, quod ſibi indulgentias concedat 1. directè, & immediatè. Sed quia vix iuſta dari poſſet cauſa, ut ſecum in hoc immediatè diſpenſet, & diſpenſatio ſine iuſta cauſa non valeat, rarò poterit ſibi immediatè indulgentias concedere. Quamuis Enriq *lib.6. de pœnis cap. 7.n.5 & lib 7. de indulgentijs, cap.28.n.1.* Suarez *de indulgentijs diſp.62. ſect. 5 n.22.* hoc poſſe, abſolutè concedant. 2. indirectè, & mediatè, nimirum concedendo indulgentias illi, qui tali die ieiunauerit, & ipſe poteſt eas lucrari ſibi ieiunando: & hoc modo D. Thom. & communiter Doctores aſſerunt, poſſe ſibi indulgentias impertiri.

*Secunda obiectio diſſoluitur.*

43. Ad 2. reſpondetur, concedendo poſſe, qui habet facultatem diſpenſandi cum alijs, ſecum etiam vel in voto, vel in legibus diſpenſare, propter tantorum Doctorum auctoritatem, & aliorum, quos omittimus: & quia eſt expreſſa D. Thom. loco modo adducto & *2.2. qu.185 art.8. in corp.* Alias Summus Pontifex à nullo poſſet in votis diſpenſari, & ſic eſſet deterioris conditionis, quàm alij. Sed hoc ideò eſt: quia actus diſpenſationis non eſt actus iuriſdictionis contentioſæ, quæ teſtium probationes, & citationem partis exigat: & ſic non petit diſtinctionem perſonarum, ſed ſolum iudicium prudens requirit, quod examinet: an ſit iuſta cauſa diſpenſandi? Quod unuſquiſque in ſeipſo facere poteſt. Nec eſt actus iuriſdictionis punitiuæ, aut coactiuæ, quæ non poteſt aliquis reſpectu ſui exercere, ſed iuriſdictionis voluntariæ, in qua poteſt idem eſſe ſuperior, & inferior ſui ipſius, ſubditus, & ſuperior, ut probat Abbas, *cap. Ex litteris de probat.* & conſtat *ex leg. Si conſultem,*

*conſultus, ff. de adoptionibus, & leg. unic. ff. de officio conſulti*, & latè Palaus *leg. Eos in princip. numer.* 2. *C. de appellationibus.* At ferre cenſuras eſt actus iuriſdictioois contentioſæ, imò punitiuæ, & coactiuæ, ut proharum eſt.

*Ad tertiam obiectionem fit ſatis ex D.Thom.*

44. Ad 3. ohiectionem reſpondet D.Thom. *in addit. quæſt.* 2. *art.* 4. *ad* 3. ibi: *Ad* 3. *dicendum, quod abſolutio, & ligatio in foro confeſſionis eſt quoad Deum tantum, apud quem alius alio ſuperior redditur inferior per peccatum: ſed excommunicatio eſt in iudicio exteriori, in quo aliquis non amittit ſuperioritatem ex hoc ipſo quod peccat. Vndè non eſt ſimilis ratio de utroque foro.* ¶ Ex dictis inferimus, neminem poſſe in propria cauſa ferre cenſuram, *cap. Inter querelas* 23. *quæſt.* 4. tum quia nemo poteſt eſſe iudex in propria cauſa, cum nemo poſſit eſſe ſibi ſubditus, & ſic non poteſt eſſe actor, & iudex: quia qua parte eſt actor, debet eſſe ſubditus: qua parte eſt iudex dehet eſſe Superior. Tum etiam, quia eſt cootrà ius naturæ, eundem eſſe actorem, & iudicem: quia magnam iniuriam alteri parti irrogaret, *leg. unic. C. Ne quis in ſua cauſa.* Atque ita tenet, Suarez *diſp.* 2. *ſect.* 4. *num.* 7. Bonae. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *num.* 4. Cornej. *tract.* 5. *diſp.* 2. *dub.* 4. oiſi quandò cauſa eſt adeò puhlica, ut oegari non valeat, ut docet *Abbas in cap.* 1. *de offic. delegati in* 6. *& in cap. Cum veniſſent num.* 10. *de iudiciis*, & Villalob. *tract.* 16. *diff.* 6. *num.* 5. Vel quandò cenſura fertur io propriam defenſionem ad vitandam iniuriam, quam ſobditus vult irrogate Superiori. Quia cum vim vi repellere liceat, licebit uti proprijs armis ad id faciendum, *cap. Dilecto, de ſententia excommunicat. in* 6. Booae. & Suarez *ſuprà* Filiuc. *tract.* 11. *cap.* 2. *quæſt.* 9. *nu.* 42. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſolut.* 52. N. Anton. *tract. de cenſuris diſput.* 1. *num.* 17.

## PVNCTVM V.

### *Quæ conditiones requirantur, ut aliquis recipiat poteſtatem ferendi cenſuras? Et poſt acceptam poteſtatem, ut validè ferat illas?*

*Concluſio generalis ſtabilitur.*

45. Circà quæſitum buius puncti reſolutoriè reſpondemus, quod ut aliquis poteſtatem iſtam ordinariam, vel delegatam accipiat, debet eſſe homo fidelis; baptizatus, Ordioe Clericali inſignitus, & viator, ſed ot tali poteſtate iam recepta validè utatur, debet eſſe mentis compos, intentionem ligandi habere, & iuriſdictionem non ligatam, vel à ſuperiore impeditam, & cum libertate operari. Concluſio quoad omnes partes eſt communis inter Doctores, ſed pro intelligentia, & explicatione illius aliquas quæſtiones reſoluendas proponemus.

*Iure Ordinario non poſſunt fœminæ ferre cenſuras.*

46 Inquires ergò 1. Ao fœmina ſit capax habendi poteſtatem ferendi cenſuras ordinariam, vel delegatam? Et quidem loquendo de poteſtate ordinaria, vel delegata ioferiori à Summo Pontifice communis ſententia tenet fœminam eſſe incapacem illius. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. Palaus *diſp. punct* 4. *num.* 3. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 16. & è N.N. Gabriel à S.V. Lezana *verbo cenſura*, Cornejo *diſp.* 2. *de cenſur. dub.* 3. Anton. *in direct. Confeſſ. tract.* 12. *num.* 13. & ſequitur Stephanus à S. Paulo *tract.* 5. *de ſacram. dub.* 11. & conſtat ex *cap. de monialibus, de ſententia excommunicationis, cap. Dilecta de maioritate.* Et ratio eſt quia fœmina eſt incapax Ordinis Clericalis, ut diximus *tract. de Ordine, cap.* 16. *num.* 1. & Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, quæ eſt poteſtas clauis, & ſemper Ordinem ſupponit: ſed poteſtas ferendi cenſoras requirit Ordinem Clericalem in ſubiecto, ut iam diceoius, & etiam iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ut conſtat ex dictis: ergò, &c. Sed difficultas eſt inter Doctores. An Summus Pontifex de plenitudine poteſtatis poſſit committere fœminæ facultatem excommunicandi, cæteraſque cenſuras ferendi? Circà quod eſt duplex ſententia; utraque ſatis probabilis.

*Aliqui dicunt poſſe Pontificem facultatem ferendi cenſuras fœminis concedere.*

47. Prima aſſerit fœminam ſolum ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico eſſe incapacem talis poteſtatis: ac proinde poſſe à Summo Pontifice illam recipere. Ita Gibalin *diſq.* 3. *quæſt.* 2. *nu.* 5. Candid. *diſq.* 22. *art.* 7. *dub.* 14. Hugolin *tab.* 1. *cap.* 2. §. 7. *num.* 5. Palaus *hac diſp.* 1. *punct.* 4. *num.* 4. Leand. *tract.* 1. *de cenſuris in communi, diſp.* 2. *quæſt.* 31. & inclinat Suarez, *diſp.* 2. *ſect.* 3. *num.* 7. & Dicaſt. *de cenſuris dub.* 6. *num.* 126. Et ratio illorum eſt: quia poteſtas ferendi cenſuras non eſt poteſtas ordinis, & ſic poteſt eas committere Summus Pontifex purè Laicis, ut poſteà dicemus, ſed iuriſdictionis ſpiritualis: atqui fœmina non eſt incapax iuriſdictionis ſpiritualis: ergò, &c. Minor probatur: quia Abbatiſſæ habent ſpiritualem iuriſdictionem in moniales ſibi ſubditas: & ſic iſtæ in conſcientia illis obedire tenentur, poſſuntque præcepta illis imponere, & in virtute Spiritus Sancti præcipere. ¶ Et confirmatur. Quia *in cap. Dilecta de maioritate*, Honorius III. iubet obſeruari ſuſpenſiooem, quâ quædam Abbatiſſa ſuſpenderat Clericos ſibi ſubiectos, ab officio: ſed talis ſuſpenſio eſt ccoſura: ergò fœmina poteſt à Summo Pontifice facultatem recipere ferendi cenſuras.

*Verior eſt negatiua ſententia.*

48. Probabilior tamen eſt ſecunda ſententia, quæ dicit fœminas iure diuino eſſe incapaces talis poteſtatis: ac proinde non poſſe Summum Pontificem talem poteſtatem ipſis præbere. Ita D.Thom. *loco proximè citato*, N. Ant. *n.* 13. Conio. *diſp.* 13. *nu.* 33. Cornej. *diſp.* 2. *de excommunic. dub.* 5. Auila 1. *part. dub.* 6. ubi citat Paludanum, Ledeſ. & Sot. pro hac parte, qoi oltimus à Candid. pro contraria ſententia refertur. Et probatur: quia hæc poteſtas iure diuino data eſt Apoſtolis, & eorum aliqua ratione ſucceſſoribus, quia pertinet ad claues Eccleſię, ſed fœminę nullo modo Apoſtolorum ſucceſſores ſont, nec claues Eccleſię habere poſſunt, cum ipſis vel docere in illa interdicatur 1. *Corint.* 14. ergò ex inſtitutione Chriſti ſuot iocapaces talis facultatis. Quod optimè ponderat Iooocentius III. *in cap. Noua de pœnitentiis, & remiſſionibus*, ex eo quod nec Chriſtus Beatiſſimæ Virgini, aut Mагdalenæ, aut alteri fœminæ ſibi charitate cooiunctæ hanc poteſtatem tribuit, neque Eccleſia unquam eam alicui mulieri cooceſſit, ut à ſimili ponderabamus *tract. de Ordine, cap.* 9. *num.* 7.

*Argumentum ſententia contraria diſſoluitur.*

49. Vndè ad argomentum eootrariæ ſententiæ reſpondemus negando minorem. Ad cuius probationem reſpondetur Abbatiſſam nullam iuriſdictionem ſpiritualem habere reſpectu monialium: quia nullam poteſtatem clauis Ordinis, aut iuriſdictionis habet, ut docet D. Thom. *in* 4.

*diſt.*19.*quæſt.*1.*art.*1.*quæſt.*3.*ad* 4. Vndè imponere non poteſt pręcepta ſpiritualia ſeu in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ: quia hæc præcepta ſunt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſeu ſpiritualis: ſed ſolum politica, aut domeſtica ut mater familias, aut pater filijs, aut ciuibus Magiſtratus, quibus obedire ſubditi tenentur in conſcientia, ſi ex intentione obligandi procedant, iuxtà grauitatem, & qualitatem rei præceptæ. Ita Portel *in dub. regul. verb. Abbatiſſa*, Pellizarius *tract.*10.*cap.*4.*ſect.*3.*num.*109. Bonacin.*quæſt.* 1.*punct.*2.*num.*4. Candid.*diſq.*22.*art.*7.*dub.*5. Valentia, Valdelus, Sayr. Hugolin. Ledeſm. quos refert, & ſequitur Diana 5.*part.tract.*9.*reſol.*15.

*In quo differat præceptum ſpirituale à ciuili.*

50. Etſi fortè roges: In quo differunt hæc duo genera pręceptorum, de quibus modo locuti ſumus? Reſpondetur, quod ſpirituale præceptum, quod imponitur in virtute Spiritus Sancti, &c. quod eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis, eo ipſo quod datur, obligat ſub mortali; ciuile autem, vel domeſticum præceptum ſolum obligat ex quantitate, qualitate, vel natura rei, quæ præcipitur. Vndè ſi Priorisſa monialibus præceptum imponeret, ne confabularentur inter ſe in Clauſtris, vel tempore ſilentij, eas ſub mortali non obligaret. Si autem præciperet, ne cum perſonis ſuſpectis, cum ſcandalo, aut repetitione, loquerentur, quia qualitas rei grauis eſt, obligationem grauem induceret. ¶ Nec obſtat, quod moniales Abbatiſſæ promittant obedire: quia ſolum promittunt ſecundum poteſtatem, quam ipſa habet imperandi, & morem illarum obediendi, quę non eſt alia, niſi quam aſſignauimus. ¶ Ad Confirmationem dicimus, in illo cap. ſolum loqui Summum Pontificem de ſuſpenſione lato modo ſumpta, pro ſimplici prohibitione, aut priuatione, non de ſuſpenſione, quæ cenſura eſt, cuius violatio irregularitatem inducit. Et ſic præcipit ibi cuidam Abbati ut per cenſuras obliget tales Clericos Abbatiſſæ obedire, in quo ſupponit, ſuſpenſionem ab illa factam non fuiſſe cenſuram.

*An infidelis poſſit ferre cenſuras?*

51. Secundò inquires. An ut aliquis poſſit ferre cenſuras, debeat eſſe baptizatus? Reſpondetur affirmatiuè: quia non poteſt munera Eccleſiæ exercere, qui non eſt intrà illam: ſed infidelis non baptizatus non eſt intrà Eccleſiam, cum baptiſmus prima ianua Eccleſiæ ſit, ergò non poteſt exercere Eccleſiaſtica munia: proindeque nec ferre cenſuras. Ita Bonae. *num.*3. Enriq. *lib.*3.*cap.*23. *num.*1. Hugolin. *tab.*1.*cap.*2. *num.*1. qui cum N. Ant. *num.*13. aſſerit poſſe Summum Pontificem hanc poteſtatem ferendi cenſuras concedere infideli non baptizato. Sed oppoſitum eſt verius, quod tenet Suar. *diſp.*2.*ſect.*3.*num.*2. Candid. *diſq.* 22.*art.*7. *dub.*2. quia tam iure diuino, quam naturali incapax eſt iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, qui omninò eſt extrà Eccleſiam.

*Debet eſſe in Ordine Clericali, qui poteſt ferre cenſuras.*

52. Tertiò inquires. An qui poteſtatem ferendi cenſuras ſuſcipit, debeat aliquem ordinem, vel ſaltem primam tonſuram habere? Reſpondetur affirmatiuè, *ex cap. Indicatum*, *diſt.*89. & docet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 2. & hoc non, quia ferre cenſuras ſit actus ordinis, ſed quia ordinem debet ſupponere, in ſubiecto capaci ferendi illas: eo quod debet eſſe in Ordine Eccleſiaſtico, & Clericali conſtitutus, qui iuriſdictionem Eccleſiaſticam poſſit habere. Vndè laicus purè talis non eſt capax huius poteſtatis: nam laici ſpiritualia tractare non poſſunt, *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de conſtitutionibus.* Sed poteſtas ferendi cenſuras pertinet ad iuriſdictionem ſpiritualem, ergò, &c. Quod verum aſſerimus: etiamſi ſint Religioſi profeſſi; nullo tamen ordine, aut tonſura initiati: quia quoad hoc laici, id eſt, non in ordine Clericali conſtituti, iudicantur, Auila 1.*part.dub.*6.*concluſ.*2. Sotus *in* 4.*diſt.*29. *quæſt.*1. *art.*3. Bonae. *num.*3. & 6. Suarez, *diſp.*2.*ſect.*3. *num.*8. Palaus *diſp.*1. *punct.* 4. *num.*3. & cum N. Cornejo, Lezana, & Anton. Stephanus *loc.cit.* ¶ Ex commiſſione tamen Summi Pontificis poteſt purè Laicus cenſuras ferre: quia quod in ſubiecto ordo ſupponatur ad talem facultatem eſt de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, in quo poteſt Pontifex diſpenſare. Alius autem præter ipſum minimè: quia in iure communi, quod eſt lex ſuperioris, nempe Pontificis, non poteſt inferior aliquis diſpenſare. Ita Auila, Palaus, Bonae. Anton. *proximè citati* Conine, *diſp.*13. *num.*32. Candid *diſq.* 22.*art.*7.*dub.*2. Et ſic merè laicus non poteſt inſtitui Vicarius Epiſcopi: quia Prouiſor de iure ordinario habet iuriſdictionem ſpiritualem, quæ, ut diximus, de iure communi petit ordinem in ſubiecto, in quo iure non poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut rectè docet Couarruu. *cap. Alma mater*, 2.*part.*§.11.*num.*3.

*Sufficit ad talem poteſtatem prima tonſura.*

53. Sed ut Clericus poſſit cenſuras ferre, non requiritur, quod ſit in ſacris conſtitutus: imò neque ordinibus minoribus initiatus; ſed ſufficit tonſuratum eſſe: quia prima tonſura in ordine Clericali conſtituit, *cap. Cum contingat de ætate, & qualitate ordinandorum*, & docet D. Thom. *in* 4. *diſt.*18. *quæſt.*2. *art.*2. & *in addit. quæſt.* 22. *art.* 2. Suarez *diſp.*2.*ſect.*3.*num.*11. Soto *in* 4.*diſt.*22. *qu.* 2.*art.*5. Auila 1.*p.dub.*6.*concl.*2. N. Ant. *num.*13. Itaque ſola prima tonſura initiatus poteſt cenſuras ferre; dummodo non ſit coniugatus: quia in tali caſu, etiamſi ordinibus minoribus initiatus ſit, cenſuras ferre non poteſt, *cap.*2.*de Clericis coniugatis.* Imò etiamſi ſit Eccleſiæ alicui addictus, & gerat habitum Eccleſiaſticum, ob quę gaudet priuilegio fori, & Canonis, *ex cap. unic. de Clericis coniugatis in* 6. eſt tamen totius Eccleſiaſticæ iuriſdictionis incapax, ac proinde ferre cenſuras non poteſt. D. Thom. *loc proximè cit. ex* 4. *ſentent.* Cornej. N. *diſp.*2.*dub.*4. Auila, Candid. Conine, Palaus *locis proximè adductis.*

*Debet eſſe viator qui cenſuras ferre poſſit.*

54. Quartò inquires. An homo, qui cenſuras poteſt ferre, debeat eſſe in via, ſeu viator? Reſpondetur affirmatiuè. Vndè nec Angeli, nec Beati, nec Damnati, vel exiſtentes in purgatorio qui omnes ſunt extrà ſtatum viatorum, non poſſunt ferre cenſuras: quia cum cenſuræ ſint gladij Eccleſiæ militantis, ſolum qui ſunt intrà illam, poſſunt illis ferire. Hugol. *tab.*1.*c.*2.§ 2. Reginal. *lib.*9. *n.*114. Bonae. *diſp.*1.*q.*1.*p.*2.*n.*3. Cand. *diſp.*22. *art.* 7.*dub.*2. Ant. & Cornejo *loc.cit.* Si verò aliquandò Angelus bonus de facto aliquem excommunicaret, cenſenda eſſet valida talis cenſura: ſecus vero ſi Angelus malus, non quia ille poteſtatem habeat cenſuras ferendi, ſed propter rationem, quam ex D. Thom. *tract. de ordin. cap.*4.*num.*16. diximus.

*Debet eſſe mentis compos, & intentionem habere.*

55. Quintò inquires. An debeat eſſe compos rationis, qui cenſuris ferire contendit? Reſpondetur affirmatiuè. Vndè nec amentes, ebrij, ſtulti, nec pueri ante uſum rationis (quidquid ſit, an ſint capaces recipiendi talem facultatem in illo ſtatu)

in

inſani, furore extrà ſe rapti, validè poſſunt cenſuras ferre: quia actiones, quæ non ſunt humanę, qualiter ſe habent, quæ ab enumeratis exercentur, homines ligare non poſſunt, ut latè probat Suar. *ſect.* 3. *num.* 4. Bonac. *punct.* 2. *num.* 3. Candid. *dub.* 2. *citato*, Cornej. *diſp.* 2. *dub.* 4. *illatione* 5. *& ſeq.* Anton. Gabr. à S. Vinc. & Stephanus *loc. cit.* ¶ Imò debet habere intentionem ligandi illis: qui cenſuras fert: quia actiones ab intentione ſumunt efficaciam, *cap. Cum voluntate, de ſentent. excommunic.* ex quo ſequitur 1. quòd ſi Prælatus ad terrorem ſub pœna excommunicationis, aut alterius cenſuræ, aliquid præcipiat abſque animo ligandi eis delinquentes, iſti talem cenſuram non incurrent, etiamſi contrà præceptum faciant. Sequitur 2. quòd ſi Prælatus, quandò ſub cenſura aliquid præcipit, aliquem vult eximere à tali cenſura, hic non incurret eam, etiamſi contrà illius præceptum operetur. Sequitur 3. quod, qui excommunicatus ad inſtantiam partis ſolum iuxtà intentionem partis, manet excommunicatione ligatus.

*Debet facultatem habere expeditam.*

56. Sextò inquires. An ut aliquis validè poſſit cenſuras ferre: debeat iuriſdictionem habere expeditam, quoad uſum illius? Reſpondetur affirmatiuè. Vndè qui à ſuperiore prohibetur cenſuras ponere, inualidè illas fert. Quarè nec Inquiſitores, Epiſcopos poſſunt excommunicare, aut ſuſpendere, cum ſit ipſis Inquiſitoribus generaliter inhibitum, ne contrà Epiſcopos procedant, *cap. Inquiſitores, de Hæreticis in* 6. Nec Epiſcopi Inquiſitores, cum ſint officiales Summi Pontificis, qui cenſuris ligari non poſſunt, Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 51. ex Megalio *in* 3. *lib.* 1 *cap.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 43. ¶ Etiam eſt invalida cenſura lata contrà eum, qui anteà legitimè appellauerat: quia per antecedentem appellationem ſuſpenditur uſus iuriſdictionis, *cap. Si à iudice de appellat. in* 6. ſimiliter non poteſt cenſuras ferre Vicarius Epiſcopi captiui, & ab hoſtibus detenti: quia tunc uſus Epiſcopalis iuriſdictionis ad capitulum devolvitur, donec libertati reſtituatur, *cap. Si Epiſcopus, de ſupplenda negligentia Prælat. in* 6.

*Epiſcopus hæreticus, ſchiſmaticus ſuſpenſus, excommunicatus, non poteſt ferre cenſuras.*

57. Similiter Epiſcopus excommunicatus, hæreticus, ſchiſmaticus, ſuſpenſus, cenſuras ferre non poteſt: quia, ut inquit D. Thom. *in addit. quæſt.* 22. *art.* 3. *in arg. ſed contrà.* Vinculum ſpirituale, qualis eſt excommunicatio, aut ſuſpenſio, fortius eſt corporali vinculo: ſed qui ligatus eſt vinculo corporali, non poteſt alios corporaliter ligare: ergò nec ſpiritualiter per cenſuras, qui eſt cenſuris innodatus. Et conſtat *ex cap. Exceptionem de exceptionibus.* ¶ Ex quo ſequitur Vicarium Epiſcopi excommunicati, aut ſuſpenſi non poſſe cenſuras ferre: quia eius facultas omninò ab illius facultate dependet argumento *ex cap.* 1. *de officio Vicarij in* 6. Et idem dicendum eſt de habente poteſtatem delegatam ab Epiſcopo excommunicato, propter eandem rationem, *cap. Licet, de offic. delegati.*

*Debet eſſe publicè, & nominatim excommunicatus.*

58. Sed difficultas eſt in hac parte: An ſufficiat iudicem occultè eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, ut cenſuræ ab ipſo latæ nullæ ſint? Reſpondetur negatiuè: ſed quamdiu non conſtat de eius impedimento, validè cenſuras fert. Quia Eccleſia ad euitada plura incommoda, quę ſequerentur, & perturbationes in Republica, ſi reſcinderentur omnia acta, quæ iudex, qui fuit per multum tempus hæreticus occultè, aut excommunicatus, peregit, noluit uſum poteſtatis illius ligare, donec de delicto, aut impedimento conſtiterit. Quamvis ipſe peccet mortaliter tales cenſuras ferendo: quia licèt validè; non tamen licitè hoc poteſt, Suarez *diſp.* 14. *ſect.* 1. *à num.* 8. Sayr. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 34. Dian. 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 50. Sot. *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 2. *art.* 1. Leand. *tract.* 1. *diſp.* 2. *qu.* 37. Cornej. *diſp.* 2. *dub.* 4. *conclſ.* 1. qui in 2. cum Sayr. *num.* 35. aſſerit in excommunicatione non ſufficere quod aliquis ſit publicè excommunicatus, ut cenſuræ ab ipſo latæ ſint inualidæ, ſed debet eſſe nominatim denuntiatus, vel publicus percuſſor Clerici, in quo differt ab alijs impedimentis: quia alia, ſufficit, ſi nota fuerint, ut acta ab illo iudice ſint inualida. In excommunicatione autem, ultrà publicitatem, requiritur prædicta denunciatio, & probant ex *extrauagant.* Martini V. quæ incipit. *Ad euitanda ſcandala.* Vbi aſſerit excommunicatum toleratum in his, quæ ad officium publicum expectant, vitandum non eſſe, etiam ab his, qui tale ſciunt. Et conſequenter valida ſunt, quæ ab ipſo, tanquàm à miniſtro publico procedunt; aliàs in his vitandis iam eſſet. Quod etiam tenet Auila *part.* 2. *diſput.* 6. *dub.* 3. Dian. *loc. cit. reſol.* 135. Leand. *quæſt.* 39. Bonacin. *diſp.* 2. *de cenſur. quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 3.

*Cenſuram, quæ metu fertur, non valere, aliqui tenent.*

59. Septimò inquires: An requiratur ad valorem cenſuræ, quod liberè feratur? De libertate phyſica nemo eſt, qui dubitet, & conſtat ex *cap. Cum voluntate, de ſentent. excommunicat.* ſed de libertate morali, ſeu à coactione dubium eſt inter Doctores: An nimirum valida ſit cenſura, quam iudex metu graui coactus profert? In quo eſt duplex ſententia prima negatiua, quam tenet Cornej. *ſupra cit.* ſecutus Hugolinum §. 4. *num.* 2. Sayr. *lib.* 1 *cap.* 16. *num.* 9. & probant *ex cap. unic. de ijs, quæ vi, & metus cauſa fiunt in* 6. Vbi aſſeritur, quod abſolutio per vim, & metum extorta, non valet. Ex quo ſic arguit Hugol. quandò veteri iure aliqua facta ſunt paria, id, quod iure nouo de uno ſtatuitur, extendi debet ad alterum: ſed iura ligandi, & ſoluendi ſunt paria; ut dicitur *in cap. Verbum, de pœnitentia, diſp.* 1. ubi aſſeritur eum, qui non habet poteſtatem abſoluendi, nec ligandi habere: ergò ſi non poteſt abſoluere à cenſuris validè, qui eſt metu coactus, nec illis ligare poterit: 2. arguit Cornej. quia iura promptiora ſunt ad ſoluendum, quam ad ligandum. Ergò ſi abſolutio, quæ fauorabilis eſt, ab eo, qui eſt metu coactus, iure irritatur, etiam ligatio.

*Verius eſt, eſſe validum.*

60. Secunda, & verior ſententia eſt affirmatiua, quam tenent Conine, *diſp.* 13. *dub.* 5. *num.* 36. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 5. *num.* 2. Suarez *diſp.* 2. *ſect.* 5. *num.* 6. Bonacin. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 12. *num.* 2. Villalob. *tract.* 16. *diff.* 6. *num.* 7. Et ratio eſt: quia actus metu graui factus iure naturæ eſt validus, quia eſt ſimpliciter voluntarius: ergò niſi iure poſitiuo irritetur, validus relinquitur: ſed nullum datur ius poſitiuum irritans cenſuras à iudice metu coacto latas, quia licèt in iure irritetur abſolutio illarum: non inde benè probatur, irritari ligationem: eſt enim diſpar ratio. Tum quia irritatio abſolutionis cedit in fauorem poteſtatis Eccleſiaſticæ, ne eius vis eneruetur, ſi per metum cogerentur iudices Eccleſiaſtici cenſuras iuſtè latas auferre; non autem eneruatur poteſtas Eccleſiaſtica, per hoc quod iudex, ſuppoſita grauitate cauſæ, cogatur cenſuras ferre, ſed magis roboratur. Sicut non eneruatur poteſtas iudicis ciuilis

per hoc, quod cogatur ſententiam iuſtam proferre, quamuis io ipſa coactione fiat aliqua irreuerentia proferenti. Tum etiam, quia cum ſit magis obuium, quod iudices Eccleſiaſtici cogantur, à Principibus, cenſuras auferre, quàm inferre potuit circà illud prouidere ius Canonicum irritando talem abſolutionem, nihil curando de iſto, ſed relinquendo illud ſuæ propriæ naturæ. ¶ Per quod patet ad obiecta in oppoſitũ. Vndè quamuis per ſe paria ſint poteſtar ligandi, & ſoluendi, per accidens ob aliquas circumſtantias poſſunt à iure ſeparari: ſicut *in cap. Tua nos, de ſentent excommun.* incendiarius poteſt ab Epiſcopo nominatim excommonicari: & incendiarius nominatim excommunicatus ab Epiſcopo, à ſolo Pontifice poteſt abſolui. Et quamuis iura magis ad abſoluendum quam ad ligandum inclinent per ſe, per accidens ob rationes conducentes bono communi in aliquo caſu poſſunt oppoſitum decernere: quod in præſenti accidit.

## PVNCTVM VI.

### *De forma ferendi cenſuras, & de ſolemnitate ad hoc requiſita.*

*Debet eſſe cenſura ſigno ſenſibilĩ proferri.*

61. CErtiſſimum eſt apud omnes, requiri aliquam actionem ſenſibilem manifeſtantem voluntatem ſuperioris, qua vult cenſuram aliquam ferre, ad ferendum eam: & ſic non ſufficere, ut aliquis excommunicetur, vel ſuſpendatur, quod Pontifex velit eum excommunicare, aut ſuſpendere, niſi hoc verbis, ſcripto, ant ſigno aliquo oſtendat. Sicut nec præceptum aliquod ſuperioris obligabit, ipſo non ſignificante exterius voluntatem præcipiendi: & hoc præcipuè in cenſuris, quæ ſunt pœnæ fori exterioris, & ſic per actionem exteriorem manifeſtandæ. ¶ Similiter eſt certum apud omnes, non adeſſe verba, aut ſigna determinata pro forma ferendi cenſuras: ſed illa eſſe ſufficientia, quibus intentio iudicis declaratur, quia ex iure naturæ id non requiritur, nec ex iure diuino cautum eſt, aut poſitiuo aliquo determinatum, ut eſt omnibus incócuſſum, & docent Cornej. N. *diſp.* 4. *de cenſ. dub.* 1. Auila 2. *part. cap.* 2. *diſp. unic. dub.* 1. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 2. *num.* 6. Bonac. *quæſt.* 1. *punct.* 7. *num.* 2. Candid. *diſq.* 22. *art.* 16. *dub.* 3. N. Ant. *ſec.* 6.

*In ſpecie ſignificari debet cenſura, quæ imponitur.*

62. Debent tamen apponi verba in ipſa cenſuræ latione determinata, quibus in ſpecie determinetur cenſura, quæ imponitur. Vndè non ſufficit, quod ſuperior dicat: *Qui hoc fecerit, maneat cenſura ligatus*, quia ibi ſolum in genere cenſura exprimitur, & ſic nil efficitur. Et ratio eſt: quia ſententia cenſuram ferens efficit à parte rei id, quod præcipit, iuxtà illud: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis*: ſed à parte rei genus præciſè ſine ſpecie poni non poteſt: ergò ſententia, quâ cenſura ſolum in genere aſſignatur, ineſficax eſt ad effectum. Ita Cornej. *loc. cit.* Bonac. *n.* 3. Candid. *dub.* 4. Machad *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 2. *docum.* 7. N. Ant. *n.* 58. Imò ſi intrà eandem ſpeciem cenſuræ duæ ſpecies, aut quaſi ſpecies reperiantur, non ſufficiet propter eandem rationem, quod exprimatur cenſura in ſpecie ſubalterna, niſi ſecundum ſpeciem ultimam ſignificetur. Et ideò ſi ſuſpendere vellet aliquem Epiſcopus, exprimere debet, quod à beneficio, vel officio ſuſpendit. At verò, ut aliquem excommunicationis cenſurâ ſiget, ſufficit dicere: *excommunico te*, non exprimendo, an maiori, vel minori excommunicatione, quia hoc ipſo de maiori intelligitur, *cap. Si quem, de ſentent. excommun.* ſiue: quia excommunicatio eſt analogum ad maiorem, & minorem excommunicationem, & analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiore ſignificato, ſiue quia Eccleſiæ uſu hæc verba: *excommunico te*, aut *excommunicatus*, pro maiori excommunicatione ſunt communiter uſurpata. Cornej. & Bonacin. *ſupra citati.* Soto, *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. Candid. *diſq.* 22. *art.* 16. *dub.* 5. N. Ant. *loc. cit.*

*Quid ſi ſub diſtinctione duplex cenſura feratur?*

63. Sed dubium eſt: An ſi ſub diſtinctione cenſura feratur, ſufficiat ad ligandũ eum, contrà quem fertur? Vt ſi dicat ſuperior: *Si nõ reſtituas intrà menſem, excommunico, aut ſuſpendo te*: an talis ſententia habebit effectum? Duplex ſententia datur circà hoc, utraq; ſatis probabilis. Prima negatiua: quam tenet Hugolin. *tab.* 5. *cap.* 20. §. 3. *nu.* 4. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 32. *num.* 4. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 7 *num* 3. Nauar. *in ſumm. cap.* 27. *num.* 161. *verſ* 4. Sylueſt. *verb. Suſpenſio, quæſt.* 6. *num.* 5. N. Ant. *nu.* 60. & probant: Tum, quia cum aliqua in ſpecie cenſura non determinetur, non eſt ratio, cur una, & non altera incurratur: & ideò cum non determinet ſententia aliquam ſpeciem, nihil faciet. Tum etiam, quia ſententia ſine certa quantitate prolata non meretur nomen ſententiæ, *leg.* 3. *C. de ſententia, quæ ſine certa quantitate profertur.* ¶ Verior tamen eſt ſecunda ſententia affirmans, quandò iudex aliqua ex illis ligare intendit, quamuis indeterminatam relinquat, quam tenet Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 2. *nu.* 12. Bonacin. *num.* 4. Candid. *diſq.* 27. *art.* 17. *dub. unic.* Machad. *num.* 5. Cornej. *dub.* 4. & inclinat Dian. *p.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 63.

64. Ratio aſſertionis eſt; quia vel illa diſiunctiua ſumitur in vi diſiunctæ aut in vi copulatiuæ propoſitionis, ut aliqui aſſerunt: Si hoc ſecundum dicatur, utraque cenſura incurretur, ſi reus contrà præceptum delinquat. Si primum quod eſt verius illius optioni datur, quam maluerit pœnam incurrere: & ſic quam elegerit, incurret, & non aliam: ſicut in iudicio ciuili poteſt Magiſtratus reum ad triremes, vel ad carcerẽ perpetuum condemnare, & in eius electione erit eligere, quod vult. Et in confeſſione poteſt pœnitenti imponi, aut ieiunium, aut eleemoſyna: & nemo dicet aliquam ex his ſententijs eſſe irritam, aut omninò indeterminatam. Per quod obiecta in contrarium ſoluuntur. Sed in caſu quæſtionis, inquit Bonac. Cand. & Alterius, quòd ſi reus neutram eligat utrique ſubiacebit; ſed melius Suarez, quod ſi unam frangit, aliam eligere cenſetur: quia quandò ex diſiunctiua una pars deſtruitur, manet altera.

*Non requiruntur verba, ſed ſufficiunt ſigna.*

65. Sed inquires, 1. An debeat cenſura verbis exprimi? An verò ad valorem illius ſufficiat, quòd ſignis voluntas iudicis declaretur? Ad quod reſpondetur, non requiri ad valorem verba, ſed ſufficere, ſi ſcripto, aut ſigno aliquo manifeſtetur voluntas ſuperioris, ut ſi interrogatur: an velit Petrum excommunicare? Caput inclinet: ideoque mutus poteſt cenſuras ferre, ut contra nonnullos docent Suar. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *n.* 3. & 4. Cornej. *dub.* 1. *Item de excomm. diſp.* 4. *dub.* 1. Villal. *tr.* 16. *diff.* 6. *nu.* 10. Candid. *diſq.* 22. *art.* 16. *dub.* 1. N. Ant. *n.* 56. Et ratio eſt: quia nec iure diuino verba exiguntur. Solum enim aſſerit Chriſtus Dominus: *Quodcumq; ligaue-*

*ligaueritis, &c.* non determinando: an verbis, vel ſignis id fiat, nec ex natura rei: cum ſufficienter per ſigna mens ſuperioris ſignificetur, nec iure poſitiuo: quia nullum id exigens datur. Et certè non omitteret hoc, ſi neceſſarium fore iudicaret: ſicut *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 3 aſſignauit verba neceſſaria eſſe ad abſolutionem ſacramentalem propter ſpecialem rationem, quæ in illa ſententia datur. De quo egimus *tract. de Pœnitentia.*

*Debent ſigna, aut verba non eſſe ambigua.*

66. Requiritur tamen, quod ſigna, vel verba non ſint ambigua, vel indifferentia; ſed quod ſint ſufficienter determinata, & ſignificent practicè de præſenti, determinando perſonam, & delictum, ob quod cenſura imponitur: quia ſi de futuro ſignificent, non erit cenſura latæ ſententiæ, ſed ferendæ: & niſi in determinatam perſonam, quandò particularis eſt, vel in omnes, ſi uniuerſalis dirigantur, nihil efficiunt. Quia tunc ſignum, ut vox, accipitur, ut docet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 2. quandò determinatè rem ſignificat, *ut ex ipſo tract. de Matrim. cap.* 3. *n.* 71. diximus. Vndè non eſt ſufficiens ſignum, quod Pontifex, vel Epiſcopus alicuius communicationem vitet, ut cenſeatur excommunicatus: quia propter alias rationes hoc poteſt efficere: ſicut nec eſt econtrà ſignum abſolutionis, quòd Pontifex, vel Epiſcopus excommunicatum, ad ſui communicationem admittat, *arg. ex cap. Cum deſideres de ſent. excommunicat. & Clement. final. eodem tit.* Tradit Cornej. *ſup. tit.* Candid. *diſq.* 12. *art.* 16. *dub.* 9. Gibal. *diſq.* 6. *q.* 1. *nu.* 21. quamuis hinc ipſe inferat, non poſſe, niſi verbis, cenſuram ferri, ſed malè.

*Poteſt cenſura ferri ſub conditione.*

67. Inquires 2. An poſſit cenſura ſub conditione ferri? Reſpondetur affirmatiuè, *ex cap. Præterea* 2 *de appellationibus, cap. Romana, de ſent. excommun. in* 6. Imò frequenter ſub conditione fulminatur: nam vel imponitur pro delicto præterito, vel futuro: Si pro præterito, datur ſub conditione: *Si non ſatisfacit: Si non reſipiſcit, &c.* Si pro futuro ſub conditione, quod cõmittatur: *ſi furtum feceris: ſi hominem occideris, &c.* & ideò loquendo de conditione concernente materiam cenſuræ, omnes id aſſerunt. Quid autem dicendum ſit de conditione impertinenti, nullam connexionem cum materia cenſuræ habente, apud Doctores eſt diſſidium, quod quia parui momenti iudicamus, prætermittimus, illud probabilius iudicantes quod licèt illicitè fiat; validè tamen fieri poteſt.

*Cenſura lata ſub conditione uſque ad euentum illius non habet effectum.*

68. Sed ſciendum eſt, quòd ſi cenſura ſub conditione feratur, non incurritur, niſi poſt euentum illius: non quia ſuſpenſa maneat, ſed quia, impleta conditione, vires habere cenſetur, & tunc ferri iudicatur, Cornej. *diſp.* 4. *dub.* 2. *in princ.* Alter. *li.* 3 *diſ.* 9 *cap.* 2. Couarru. *in cap. Alma mater,* 1. *par.* §. 10. *n.* 6. & N. Ant. à ſpiritu S. *n.* 66. Vndè ſi appelletur antè aduentum conditionis, non habet vim cenſura, nec incurritur ipſa conditione ſecuta: quia idem eſt, ac ſi appellatio interpoſita eſſet antecedenter: quomodò ſupr. *n.* 56. diximus, non ſortiri ſuum effectum, & eſt expreſſum in dicto *cap. Præterea* 8. Si verò pendente cõditione aliquis forum mutet, adhuc incurret cenſuram adueniente conditione: quia per ſententiam in ipſum præuentus eſt à iudice, antè fori mutationem. Quomodò per fori mutationẽ non amittitur iuriſdictio: quia ubi iudicium cœptũ eſt, ibi finiri debet, *leg. Vbi cœptum, ff. de iudicijs.* Ita Hugol. *loc. cit. n.* 4. Coninc. *diſp.* 13. *dub.* 2. *n.* 19. quod limitat ex Suar. *diſp.* 3. *ſect.* 5. *n.* 6. quandò mutatio domicilij fit in fraudem ad effugiendum iudicium: non verò quandò ob iuſtam cauſam poſt inceptum iudicium domicilium mutaretur.

*Si à creditore terminus prorogatur, non incurritur cenſura in termino à iudice aſſignato.*

69. Ac deniq; ſi creditor prorogaret terminum à iudice pro cenſura aſſignatum, pendente adhuc conditione, impleto termino à iudice aſſignato, & ſolutione non ſecuta, cenſura non habebit effectum: quia cum poſſit creditor totum debitum remittere, quo caſu non incurretur cenſura, poteſt etiam ad libitum terminum prorogare. Maximè quia cenſura impoſita eſt ad inſtantiam illius, ideoque eius voluntatem & intentionem non tranſilit, ut diximus *n.* 55. Ita Nauar. *in Manu. cap.* 27. *n.* 14. Sylueſt. *verb. Excomm.* 1. *n.* 1. *caſu* 1. quos refert, & ſequitur N. Cornej. *dub.* 2. *q.* 3. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 8. *num.* 5. Ant. *num.* 70.

*Valet cenſura in termino prorogato, ſi debitor non ſoluat.*

70. Sed difficultas eſt inter Doctntes. An tranſacto termino prorogato, ſi debitor non ſoluat, cenſura ſortiatur effectum? Circà quod eſt duplex ſententia: prima negatiua: ſi fuit tempus à creditore prorogatum, inconſulto iudice: quia prorogare, aut ſuſpendere cenſuram actus eſt iuriſdictionis, quam minimè habet creditor. Ita Hugol. *tab.* 1 *cap.* 20. § 6. *n.* 5. Enriq. *lib.* 13 *cap.* 20. *in comment. lit.* I. Sayr. *lib.* 1. *de cenſ. cap.* 11. *nu.* 20. Syluest. *verb. Excomm.* 2. *n.* 1. *caſ.* 13. Nauar. *c.* 27. *n.* 15. quos duos ultimos refert Leand. *diſp.* 4. *q.* 20. ubi reprehendit N. Cornej. quòd illos pro contraria ſententia citet, ſed immeritò, cum neque ipſos nominet, quandò de hac re agit: quòd non facit loco à Leandro citato; licèt proximè illi, longè tamen in diuerſo ſenſu: ibique ſolum Sayr. & Hugol. adducit. Sed qui alios reprehendit, ſeipſum reprehendere poteſt: verùm qui curat alienos defectus inueſtigare, nunquàm feſtucam in proprio oculo videt. ¶ Secunda, & probabilior ſententia affirmat N. Cornej. *ſuprà cit. q.* 4. (non 3. ut citat Leand.) Coni. *diſ.* 14. *dub.* 16. *n.* 199. Suar. *diſp.* 3. *ſect.* 6. *n.* 11. Palaus *n.* 6. Leand. *loc. cit.* Et probatur: quia creditor cenſuram non ſuſpendit, aut prorogat, ſicut terminum, ſed hoc ipſo, quòd ad Inſtaotiam illius lata ſit, iudex ſuſpendi vult ad termini prorogationem ab ipſo aſſignatam: nec deſignatio temporis à iudice facta fuit ad finiendam obligationem, ut aliqui volunt, ſed nè ultrà tempus abſque conſenſu creditoris prorogaretur.

*Forma aſſignata à iure in ferendis cenſuris.*

71. Inquires 3. Quę ſolemnitas debeat obſeruari de rigore iuris ad hoc, ut debitè cenſura proferatur? Reſpondetur formam, ſeu ſolemnitatem ad cenſuram ferendam aſſignatam eſſe ab Innocent. IV. *in cap. Cum medicinalis,* (quod eſt primum) *de ſent. excomm. in* 6. in hunc modum: *Quiſquis igitur excommunicat, excommunicationem in ſcriptis proferat, & cauſam excommunicationis expreſſè conſcribat propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum verò huiuſmodi ſcripturæ teneatur excommunicato tradere infrà menſem, ſi fuerit requiſitus: ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtramentum, vel litteras teſtimoniales confici, ſigillo authentico conſignatas. Si quis autem iudicum huiuſmodi conſtitutionis temerarius extiterit violator, per menſem unam ab ingreſſu Eccleſiæ, & Diuinis Officijs nouerit ſe ſuſpenſum.* Et poſtmodum: *Et hac eadem in ſuſpenſionis, & interdicti ſententijs volumus obſeruari.* Ratio autem, ob quam Summus Pontifex Innocentius has ſolemnitates aſſignauit pro ferendis cenſuris, eſt, ut iudices contineret, ne præcipites, ac temerarij

eſſent

eſſent in ferendis cenſuris, gladium Eccleſiæ diſtringendo potius ad mactandas oues, quàm ſanandas: & ſic ait: *Vt iudices non feſtinatò, temerè, & imprudenter, ex quacumque leuiſſima cauſa, unico verbo, cenſuræ gladio quem iugulent: nam dum ſententia ſcribitur, quid magis deceat, aduertitur, mens componitur, & ira ſedatur.* Et propter alias rationes, quæ paſſim ab Auctoribus aſſignantur.

*Quæ pœnæ aſſignentur contrà fractores huius legis.*

72. Sed pro intelligentia textus ſuprà adducti notandum eſt: primò, quòd ultrà pœnas ipſo facto incurrendas, quas Pontifex ponit, alias aſſignat à ſuperioribus inferendas contrà fractores huius præcepti, ut quòd protinus abſoluatur reus à cenſura: quòd cogatur iudex expenſas omnes ſoluere, & arbitrio ſuperioris alijs pœnis ſubiacere; & quòd ſi intrà menſem, in quo ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, & Diuinis Officijs, ſe illis ingeſſerit irregularitatem incurrat. Ex quo ſequitur, peccare mortaliter iudicem, qui omiſſa ſolemnitate dicta, cenſuras ferre contendit: quia frangit præceptum Pontificis in re graui, & ſub grauiſſima pœna ſtabilitum. Quod peccatum committit, & conſequenter pœnas aſſignatas incurrit, qui unam vel alteram ex his ſolemnitatibus omittit: ut ſi verbis, & non ſcriptis, cenſuram proferat: ſi cauſam ob quam fertur in ſcriptura non aſſignat: ſi seu intrà menſem, exemplar poſtulanti, non concedit: quia omnes copulatiuè Pontifex iubet, & ad finem ab ipſo intentum omnes copulatiuè ſunt neceſſariæ: qualibet proinde deficiente, frangitur conſtitutio illius. Ita Gibalin. *diſq. 6. quæſt. 1. num. 11.* Alterius *diſp. 4. cap 8.* Sayr. *lib. 1. Theſauri, cap. 13. num. 16.* Bonac. *diſp. 1. quæſt. 1. punct. 8. num. 1.*

*Non requiritur dicta ſolemnitas, ad valorem cenſuræ.*

73. Secundò notandum eſt, ſolemnitatem in dicto *cap. Cum medicinalis*, aſſignatam non eſſe ſubſtantialem, & de neceſſitate rei ad valorem cenſuræ; ſed accidentalem, & neceſſariam neceſſitate præcepti. Quarè valida eſt cenſura, etiamſi non in ſcriptis ſed verbotenùs dumtaxat proferatur: vel ſi ſcriptis mandetur, aliá non obſeruentur, quæ in dicto cap. præcipiuntur. Quòd in eo planè ſupponitur, quandò dicitur: *Superior, ad quem recurrit, cenſuram ipſam ſine difficultate relaxet.* Vbi ſupponit, cenſuram validam eſſe, cum inter pœnas, iudici non obſeruanti talem ſolemnitatem aſſignatas ponat: quòd ſi percuſſus cenſurâ ſuperiorem appellet, ab eo cenſura ſtatim relaxetur: quòd non diceret, ſi cenſura inualida eſſet ſine dicta ſolemnitate. Atque ſic tenent Gibalin *diſq. 8 quæſt. 1. num. 19.* Candid. *diſq. 22. art. 18. dub. 5.* Palaus *diſp. 1. p. 5. n. 10.* Machad. *lib. 1. part. 3 tract. 2. document. 13. nu. 3.* Auila 2 *part. cap. 2. diſp. nnn dub. 3.* N. Cornej. *diſp. 6. dub. 1. & de excommun. diſp. 6. dub. 1.* Leand. *diſp. 4. quæſt. 2.* pluribus alijs adductis. Nec oppoſitum conuincit, *cap. finale, de ſententia, & re iudicata*, quod citant Ripa, & Sayr. contrarium ſentientes; in quo irrita dicitur ſententia abſque ſcriptura lata: quia loquitur de ſententia, quæ non includit cenſuram: ac proinde loquitur de ſententia præciſè punitiua criminis, vel deciſiua litis; non de illa, quæ potiùs ad præcauendum delictum, vel illud emendandum, ordinatur, ut eſt iſta de qua loquimur.

*Non requiritur talis ſolemnitas, niſi feratur cenſura per modum ſententiæ.*

74. Imò nec requiritur talis ſolemnitas adhuc ex neceſſitate præcepti, quandò cenſura fertur, vel à iure, vel etiam ab homine, per modum præcepti, ob delictum futurum præcauendum, vel per modum legis, aut ſtatuti generaliter ad omnes: ut ſi Prælatus ſub pœna cenſuræ iubeat, ne aliquis hoc, vel illud faciat; vel etiam particulariter uni, illi iubendo, ne ſub pœna cenſuræ in talem domum ingrediatur. Sed ſolum requiritur talis ſolemnitas, quandò cenſura à iudice per modum ſententiæ fertur, cognita cauſa, citatione præmiſſa. Nam in dicto *cap. Cum medicinalis*, dicitur: *Si quis iudicum*; ergò loquitur de illa, quæ à ſuperiore, ut iudex eſt, profertur: & additur, quòd detur copia reo poſtulanti illam, ut ſi velit ad ſuperiorem appellare poſſit: quod in ea apponatur cauſa, ob quam fertur, ut conſtet de iuſtificatione ſententiæ. Quæ omnia quæ diximus, planè probant: & ita docent Sayr. *lib. 1. cap. 13 num. 18.* Gibalin. *diſq. 6. q. 2. num. 25.* Cornej. N. *duplici loco allegato.*

*Debet cauſa in particulari in ſententia ſcribi.*

75. Notandum eſt 3. quòd quandò in dicto cap. petitur conſcriptio cauſæ ob quam fertur cenſura, non ſolum cauſam in genere poſtulat ſcribendam, ſed in ſpecie. Quarè non ſatisfacit iudèx ſuæ obligationi, ſi dicat: *Ob contumaciam Petrum ſuſpendo, vel excommunico*, vel ſi dicat: *Ex rationabili cauſa motus talem excommunico, &c.* ſed debet exprimere in particulari delictum dicendo: *Quia talis recuſauit hoc, vel illud facere, licet legitimè monitus, eum excommunico, ſuſpendo, aut interdico.* Vt ſic datâ illius ſententiæ copia reo, ſciat, cuius delicti cauſa puniatur, ut emendetur: & coram ſuperiore conſtet de iuſtificatione iudicis: & ne cenſuram ferens, nunc unam, nunc aliam alleget cauſam, propter quam tulit ſententiam, Gibal. *diſq. 6. quæſt. 5. propoſ. 2. ex* Tabien. *verb. Excommunic. 42. num. 3.* Cornej. *dub. 5. quæſt. 2.* Suarez *diſp. 3. ſect. 13. nu. 5.*

¶ Imò etiam requiritur, ſcripturam eſſe publicam, ſiue authenticam, vel ſigillo authentico, ſigillatam ab ipſo iudice, vel ab alio eius nomine ſubſcriptam, vel quæ ſaltem idoneis teſtibus probari poſſit, per illam ſcripturam prolatam eſſe ſententiam, ita ut habeat vim probandi latam cenſuram: Tum apud eum: tum apud ſuperiorem: tum apud alios quoſcumque: quia talis probatio eſt finis illius canonis, quâ ratione iubetur tradi exemplar reo petenti copiam. Alterius *lib. 3. diſp. 4. cap. 2. verſ. Si quæras quis*, Suarez *ſect. 13. num. 3.* Cornejo *dub. 1. quæſt. 3.* Gibalin. *num. 9.* Non autem unum, vel aliud determinatè requiritur, aut copulatiuè utrumque, ſed unum, vel aliud ex dictis vagè; dummodò habeat vim probandi, ſiue ſigillata fuerit, ſiue ſubſcripta, ſiue teſtibus idoneis comprobata.

*Debet à iudice ſcriptura referri.*

76 Notandum eſt quartò, talem ſententiam poſt ſcripturam debere à iudice (Epiſcopo inferiori) legi, ſeu proferri, ut conſtat ex dicto textu in *cap. Cum medicinalis*, & dicto textu, *in capit. finali, de ſententia, & re iudicata.* Vbi præcipitur, ut iudices per ſeipſos ferant ſententiam, exceptis Epiſcopis, quibus ob dignitatis prærogatiuam, licebit per alios recitare ſententiam. Ita Sayr. *num. 3.* Hugolin. *tabul. 1. capit. 21. §. 1. numer. 2.* Gibalin. *numer. 9. in expoſit. 2. propoſit.* Probabile tamen eſt ſufficere, quòd iudex id faciat per Notarium, aut alium miniſtrum; & tunc verificatur ipſum proferre illam; quia iudex dicitur facere, quòd per ſeipſum, vel per miniſtros facit. Nec in *capit. Cum medicinalis*, dicitur, quòd per ſeipſum ſententiam proferat, ſed quòd illam proferat, & *cap. Illud finale*,

jam

iam diximus *num.* 73. non intelligi de ſententia cenſuram continenre. Ita Villalob. *tract.*16.*diſſ.* 7.*num.*1.Cornej *dub.*2.*quæſt.*4.Machad *ſupra cit. num.*1. Alterius *lib.*4.*diſp.*4.*cap* 2.

*Ex iuſta cauſa poteſt ſolemnitas dicta prætermitti.*

77. Notandum eſt quintò,circà pœnas in dicta conſtitutione aſſignatas, non incurrere illas iudicem, qui ex iuſta,& urgenti cauſa, cenſuram oretenus proferret, aut aliam ex dictis ſolemnitatibus omitteret: quia tunc non eſſet culpabilis omiſſio: proindeque propter illam non eſt incurrenda pœna,ut ſi Epiſcopus capi videret Clericum, & periculum eſſet in mora, quòd ſuſpenderetur, aut cruciaretur,non erit ſpectanda ſcriptura:& in alijs urgentiſſimis caſibus: quia ibi dicitur: *Si quis temerarius extiterit violator*: & non eſt violator temerarius, qui ex iuſta cauſa mouetur. Imò etiamſi ex ignorantia inuincibili aliquid dictæ conſtitutionis omittat, non incurret dictas pœnas, Candid.Cornej.& Auila, *ſupr.cit.* & Bonac.*q.*1.*punct.*8.*nu.*2. Sed licèt ex omiſſione culpabili Epiſcopus abſque ſcriptis cenſuram proferat,peccabit quidem mortaliter: non tamen aſſignatas pœnas incurret:quia in pœnis debet mentio de Epiſcopis fieri, ut incurratur,*cap. Quia periculoſum, de ſententia excommunic. in* 6. In præſenti autem conſtitutione de Epiſcopis mentio non fit. Candid.*diſq.*22. *art.*19.*dub.*2.Machad.*num.*3.

*Prælati Religionum tenentur obſeruare dictam ſolemnitatem.*

78. Prælati autem Religionum dictam conſtitutionem obſeruare tenentur in ferendis cenſuris ſub pœnis in ea taxatis, niſi priuilegio, aut conſuetudine oppoſitum ſit eis conceſſum: vel niſi conſtitutiones illorum à Summo Pontifice confirmatæ aliter fieri decernant. Si autem confirmatæ à Papa non ſint, non poſſunt auferre,quod eſt de iure communi: quia per ſanctiones particulares non derogatur iuri Canonico.Ratio,quare comprehendantur in dicta conſtitutione Prælati regulares,ea eſt:quia quandò iura nolunt cõprehendere Regulares,id ſolent exprimere (quod in præſenti non accidit)ut conſtat ex Clement.1. *de priuilegijs.Ita* Auila 2.*p.cap.*2.*diſp.vnic.dub.*3.Cornej.*de cenſ.in gen.diſp.*6.*dub.* 1. Gibal.*diſq.*6.*q.*1.*nu.*16.Bonac *diſp.*1.*q.*1.*punct.*8.*n.*2.N.Ant.*nu.*100. Quamuis oppoſitum teneant Enriq.Sayr.Syluest. iudicantes,Prælatos Regulares non teneri obſeruare in ſuis iudicijs ordinem iuris: quod etiam tenet Candid.*diſq.*22.*art.*18.*dub.*2. Tolet. *in ſum. lib.*1.*cap.*9.*n.*3.*ad fin. Et* Villal. *tom.*1.*tr.*16.*diff.*7. *n.*2.refert conſtitutionem Leonis X. eximentem Prælatos Ordinis Sancti Franciſci ab hac ſolemnitate. Quam etiam conſtitutionem refert Enriquez *lib.*13. *cap.*16. *num.*2. Etiam circà hoc refert Diana 5. *part.tract.*9. *reſolut.*20.priuilegium, quòd habetur *in compendio Minorum, verb. Excommunicat.* §.7. *Et* Llamas 1.*part.Method,cap.*9.*num.* 25.dicit eſſe conſuetudine præſcriptum talem ſolemnitatem non obſeruare.

*Etiamſi cenſura nulla ſit, talem pœnam incurrit iudex eam ferens.*

79. Vltimò denique notandum eſt,dictas pœnas incurrere iudices, qui abſque ſolemnitate, *in cap. Cum medicinalis*, aſſignatas cenſuras ferunt; etiamſi cenſuræ ſint nullæ, vel ex defectu ferentis: quia eſt impeditus ab uſu iuriſdictionis, vel ex parte rei: quia ſatisfecit intrà tempus aſſignatum, vel appellationem interpoſuit. Sic Alterius *libr.*3 *diſp.*4 *cap.*3 *dub.*4.Gibalin. *num* 14. qui citat Felinum *in cap. Tua nos, de iure iurando, num.* 7. & *cap. Ex tenore, de reſcriptis, num.* 7. ubi aſſerit, quòd quandò aliqua lex intendit affectum punire, etiamſi effectus nòn ſequatur, pœna illius incurritur: ſicut lex prohibens matrimonium cum conſanguinea ſub pœna excommunicationis, aut inhabilitans coniugatum ad contrahendum cum muliere, mortua propria uxore, cum qua, viuente priori, contraxerat, ut diximus *Tract. de Matrim. cap.*12. *num.*63. affectum punire contendit, non effectum. Et ſic, licèt matrimonium intentatum in utroque caſu ſit nullum; pœna tamen legis incurritur: ſic in caſu noſtro, prolatio ſententiæ ſine ſolemnitate debita punitur: quidquid ſit, an vera cenſura, vel non incurratur. Talis enim iudex verè actum prohibitum per legem exercet, quamuis actus non ſortiatur effectum. Nec pœna eſt acceſſorium cenſuræ, ſed ſententiæ illegitimè prolatæ. Et quandò actus conſummatur,qui immediatè per legem prohibetur, pœna legis incurritur, quamuis effectus mediatus, quem intendit lex euitare, non ſequatur. Et per hoc ſoluuntur omnia, quæ ab aliquibus contrarium opinantibus objiciuntur.

## PVNCTVM VII.

### *An præcedere debeat monitio cenſuram, ita ut ſine illa iſta non habeat effectum?*

*Diſcrimen inter excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum.*

80. PRo intelligentia eorum, quæ hoc puncto dicenda ſunt, ſupponendum eſt: primò, eſſe diſcrimen in hac parte inter excommunicationem, ſuſpenſionem,& interdictum, quòd excommunicatio ſemper debet ferri per modum cenſuræ,ac proinde per modum pœnæ medicinalis, & propter contumaciam delinquentis, numquam tamen per modum pœnæ præciſè talis ad punitionem præcedentis delicti ordinatæ. At ſuſpenſio, aut interdictum perſonale,& poſſunt ferri per modum cenſuræ quarum proinde fractio irregularitatem inducat,& per modum pœnæ purè talis. Quandò hoc ſecundo modo feruntur, non petunt contumaciam nec enim pœnæ tantum ad reſipiſcentiam peccatoris ordinantur, ſed etiam & maximè, ac principaliter ad punitionem delicti, & ſic pro peccato purè præterito infligi poſſunt. Sic habetur de ſuſpenſione *in cap. Tà literis* 33 *de teſtibus, & atteſtationibus, cap. Cum in cunctis* 7. *de electione*, de interdicto, *c.ſacro* 48. *de ſententia excommunicationis, cap.*1. *eodem tit. in* 6. Et ratio diſcriminis eſt; quod cum excommunicatio priuet pluribus bonis ſpiritualibus, æquum non eſt, eam ferre, niſi contrà contumaces nolentes Eccleſiam audire ſub pœna cenſuræ eos comminantem. Et idem dicendum eſt de interdicto uniuerſali,quod plurimos tangit innocentes: & ſic non niſi ob contumaciam, & duritiam alicuius ferri debet, quòd non currit in ſuſpenſione,& particulari interdicto. Et ita tenent Palaus *diſp.*1. *punct.*5.*n.*5. Bonac.*q.*1.*punct.*9.*nu.*8 Conine,*diſp.*13.*num.*83. Gibalin *diſq.*6.*q.*2.*n.*4. Dian.5.*p.tract.*9.*reſ.*18.

*Non requiritur monitio, quandò cenſura fertur per modum legis, aut ſtatuti,*

81. Secundò ſupponendum eſt, nullam monitionem eſſe neceſſariam, diſtinctam à præcepto in cenſuris, quę à iure feruntur ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ, nec quandò tale præceptũ datur per modum ſtatuti generalis, vel etiam per modum particularis præcepti in ordine ad delictum

Digitized by Google

ctum futurum: ut ſi Prælatus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſubdito imperet, ne in talem domum ingrediatur, &c. Ratio eſt: quia ius ipſum ſatis admonet, cum lex ſemper loquatur: & ſimiliter præceptum quamdiu durat, ſemper admonet ſubditum, ne ſit mandati tranſgreſſor. Vndè in bis caſibus nulla monitio ab ipſo præcepto diſtincta requiritur, Palaur *loc. cit. num.* 11. Cornej. N, *de cenſ. in gener. diſp.* 5. *dub.* 1. Bonac. *quæſt.* 1. *punct.* 9. *num.* 1. Niſi in ipſo iure, aut præcepto monitio expreſsè exigatur, ut *in Clem. unic.* §. *finali, de ſtatu Monachorum*, excommunicantur ipſo facto qui viſitationes impedire præſumunt, niſi moniti reſipiſcant: quod eſſe ſpeciale in illa excommunicatione teſtatur ibi Gloſſa. Etiam ſuſpenduntur, *Clement.* 1. *de decimis* Religioſi, qui decimas Eccleſiæ debitas ſibi ſumunt, niſi intrà menſem moniti deſtiterint. In præſenti ergò ſolùm eſt ſermo de cenſura, quæ fertur per modum ſententiæ ob delictum præteritum, cum ordine ad futurum, ut quandò fertur excommunicatio propter furtum, niſi reſtituatur, vel propter aliud delictum, niſi corrigatur.

*Vt cenſura validè feratur, debet admonitio præcedere.*

82. His ſuppoſitis, dicendum eſt, antequàm cenſura feratur modo dicto, præmittendam eſſe monitionem quæ tàm de iure poſitiuo, quàm naturali, & diuino requiritur: imò ex ipſa ſententia cenſuræ poſtulatur: ita ut cenſura lata ſine ulla monitione ſit nulla. Concluſionem per partes probabimus. Et quidem de iure diuino eſſe requiſitam conſtat ex illo Matth. 18. *Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquàm ethnicus.* *Et 2. ad* Theſſalon. 3. *Si quis non obedierit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & cum illo non commiſceamini, ut confundatur.* Eſt etiam de iure naturæ iuxtà illud principium: *Contrà inauditam partem ſententia ferenda non eſt.* Quòd autem talis monitio ex iure poſitiuo habeatur, patet ex *cap. Sacro, de ſentent. excommunicat. cap. Romana, eodem tit. in* 6. loquendo de excommunicatione, & de interdicto, *cap. Statum, de ſentent. excommunicat. in* 6. de ſuſpenſione, *cap. Reprehenſibilis, de appellationibus*, & alijs iuribus. Et ratio eſt à priori: quia cenſura ferenda non eſt, niſi ob contumaciam, & inobedientiam Eccleſiaſticæ poteſtati: ſed contumax, & inobediens dici non poteſt, qui non eſt admonitus: fortaſſis quippe ſi tali pœna comminatus eſſet, ab illa perterritus obediret. Ita Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 8. *num.* 4. Cornej. *loc. cit.* Bonac. *q.* 1. *punct.* 9. *num.* 1. Coninc, *diſp.* 13. *dub* 9. *num.* 79. Palaus *diſp. punct.* 5. *num.* 5. Gibalin. *nu.* 1. N. Lezana, *num* 7. *verbo cenſura* quem ſeq. Stephan. à S. Paulo.

*Debet admonitus eſſe per comminationem cenſuræ, qui per illam ligatur.*

83. Ex quo deducitur, non ſufficere, ut cenſura feratur, quòd aliquis ſit admonitus per ſimplex præceptum, niſi in illo pœna cenſuræ contineatur. Aliàs nunquàm admonitio requireretur: quia cum cenſura peccatum ſupponat, ut incurratur, etiam præſupponit legem præcipientem, aut prohibentem. Et ratio eſt: quia ad incurrendam cenſuram requiritur, ut contemptus cenſuræ, & contumacia contrà illam præcedat: quia non ſolùm requiritur contumacia contrà poteſtatem Eccleſiaſticam directiuam, cuius eſt præcipere, ſed contrà coërcitiuam in foro exteriori, ad quam pertinet cenſuras ferre: ſed qui non eſt admonitus per præceptum cenſuram continens, nec cenſuræ contemptor eſt, nec contrà poteſtatem Eccleſiaſticam coërcitiuam eſt contumax: ergò cenſuram non incurrit. Et ideò qui ſcit legem aliquam aliquid præcipere, ſed non ſcit, illud præcipere ſub excommunicatione, v.g. licèt peccet legem frangendo; excommunicationem autem non incurrit, Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. Coninc, 82. Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 11. *num.* 7. Cornej. *dub.* 2. *quæſt.* 9. Auila 2. *par. cap.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 5. Diana 5. *par. tract.* 9. *reſol.* 55. Hugolin. *tab.* 1. *cap.* 9. §. 5 Gibalio. *num.* 9. & Palaus *diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 7.

*Inualida eſt cenſura lata abſque monitione, præmiſſa.*

84. Quod verò talis monitio ſit eſſentialis cenſuræ, ita ut ſine illa ſit inualida, probatur: Quia Eccleſia non habet facultatem ferendi cenſuras, niſi contrà nolentem audire ipſam: Matth. 18. *Quod ſi Eccleſiam non audierit*: ſed qui non eſt monitus ab Eccleſia, non poteſt dici eam nō audire: ergò non poteſt ab ea per cenſuras mulctari. ¶ Confirmatur: Quia cenſura ſolum poteſt ferri in eum, qui ob contumaciam aliter mederi nequit; ſed contumax non eſt, qui non eſt admonitus, & qui fortè, ſi admonitus eſſet, reſipiſceret: ergò, &c. Vndè Eccleſia de plenitudine poteſtatis nequit ſine admonitione cenſuras ferre, ut tenent Auctores ſtatim citandi. ¶ Ex quo ſequitur, non poſſe ferri validè cenſuras ob delictum præcisè præteritum, aut præſens, quod non habet reſpectum ad futurum. Et ideò non poteſt Eccleſia excommunicare aliquem, quia ieiunium Quadrageſimale fregit, vel quia carnes feriâ ſextâ comedit, niſi ut emendetur in poſterum: nec propter furtum iam factum, niſi ut reſtituatur, vel impoſterum non fiat, admonitione præſuppoſita. Non enim dicitur contumax, qui peccauit, ſed vel qui ſatisfacere requiſitus, non vult, vel à peccatis deſiſtere. Ita docent Sanch. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *num.* 13. & 21. Sot. *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. Cornej. *diſp.* 5. *dub. ult.* & *de excom. diſp.* 1. *dub.* 1. Auila *dub.* 10. Coninc, *n.* 83. Gibalin. *n.* 5. & *diſq.* 6. *quæſt.* 2. *n.* 2. Palaus *n.* 8. Hugolin. *loc. cit.* N. Ant. *n.* 75.

*Opinio probabilis dicit validam eſſe.*

85. Sed contra ea, quæ modo diximus, eſt probabilis ſententia, aſſerens non eſſe admonitionem requiſitam ex neceſſitate cenſuræ: ac proinde ad valorem illius; ſed neceſſitate præcepti: & ſic quòd licèt peccabit iudex ferens illam monitione non præmiſſa, cenſura tamen valebit. Ex quo infert, quod Eccleſia de plenitudine poteſtatis poteſt ferre cenſuram, non præmiſſa admonitione, & quod ob delicta purè præterita, non habito reſpectu ad futurum, poteſt eam ferre. Ita Cordub. *in ſuo quæſtionario lib.* 2. *q.* 17. *fol.* 13. *colum.* 2. Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 8. Bonac. *num.* 4. Caiet. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. *ad* 2. Qui citat Gloſſam, & Felinum, Dian. 5. *part, tract.* 9. *reſol.* 18. qui perperam pro hac parte citat Cornejum, & Coninch, cum expreſsè teneant oppoſitum. ¶ Probatur hæc ſententia: 1. *ex prima ad* Corinth. 5. ubi excommunicauit Apoſtolus inceſtuoſum abſentem nulla monitione præmiſſa, & *in cap. Tanta, diſt.* 86. D. Gregor. excommunicauit quoſdam, quia malum conſilium Epiſcopo dederunt, ſinè ulla monitione, & ob delictum iam præteritum, & in *cap. Duo ſunt diſt.* 96. Innocentius excommunicauit Arcadium ob delictum præteritum, & D. Ambroſius excommunicauit Theodoſium ob occiſionem Innocentium quam fecerat in cæde Theſſalonica. § 2. quia qui non ieiunauit in Quadrageſima, iam non audiuit Eccleſiam: ergò poterit ab ea excommunicari, & confir. Quia cenſura eſt pœna: ergò non implicat, quod pro delicto præterito applicetur.

86. Reſpon-

Digitized by Google

*Argumenta contraria ſententia ſoluuntur.*

86. Reſpondetur ad 1. vel illam cenſuram Apoſtoli eſſe comminatiuam; quæ vim monitionis habet iuxtà dicta *num.* 81. vel iam Apoſtolum inceſtuoſum monuiſſe, ſi ipſo facto per illa verba excommunicauit eum: quia ipſe non operaretur contrà ſuam doctrinam de præmittenda monitione ad Titum 3. *Hæreticum hominem poſt unam, & alteram correctionem euita.* ¶ Reliqui textus, vel non loquuntur de cenſura rigoroſa, vel, ſi de rigoroſa, non latæ, ſed ferendæ ſententiæ, vel ſi de lata ſententia loquuntur, non præcisè ob delictum præteritum imponuntur, ſed cum reſpectu ad futuram ſatisfactionem, vel emendationem: & ideò *in cap. Tanta*, non eſt ſermo de propria excommunicatione, ſed quoad Laicos, de priuatione præcisè acceſſus ad ſumendam Eucharistiam, quoad Presbyteros de depoſitione ab officio Sacerdotali, ut etiam Pater Suarez exponit *diſp.* 4. *ſect.* 5. *num.* 32. *in cap. Duo ſunt*, Arcadius excommunicatur, quia Chryſoſtomum iniuſtè eiectum noluit reuocare: & Theodoſium multoties Ambroſius monuit, ut à cæde Theſſalonica deſiſteret, vel eum ab Eccleſia ejiceret, niſi pœnitentiam publicam ageret. ¶ Ad rationem reſpondetur, non ſufficere inobedientiam contrà præcepta Eccleſiæ poteſtate directiua per leges utentis, ſed requiritur contumacia contrà claues Eccleſiæ, poteſtate coercitiua ſub pœna excommunicationis aliquid imperantis iuxtà dicta *numer.* 83. ¶ Ad confirmationem conſtat ex multoties dictis, quod cenſura non eſt pœna ad punitionem ordinata, ſed medicina ad correctionem peccantis; & non quamlibet culpam exigere, ſed contumaciam, quæ ſinè admonitione præuia, non poteſt haberi.

*Non ſufficit notorium eſſe delictum, ut monitio non debeat præcedere.*

87. Sed inquires 1. An quandò delictum eſt notorium, requiratur, quod aliqua monitio præcedat, ut poſſit ferri cenſura? Pro intelligentia notandum eſt, dupliciter, quoad præſens, poſſe delictum eſſe notorium: 1. notorietate ipſius delicti: quia nimirum notorium eſt, & publicum Petrum tale delictum perpetraſſe: 2. notorietate contumaciæ: quia videlicet eſt notorium, ipſum poſt monitionem pertinacem futurum, ſi in publico, & coram omnibus aſſeueranter, & ſub iuramento dixiſſet ſe non pariturum, quamtumuis admoneatur. Si 1. modo ſit notorium delictum, certum eſt requiri monitionem, ut feratur cenſura contrà delinquentem: quia licet aliæ pœnæ, quæ præcisè ſunt tales, & ad punitionem ordinantur, nec contumaciam in delinquente requirunt, poſſint ob notorietatem delicti abſque citatione à iudice applicari: ut conſtat ex Clement. *Paſtoralis*, §. *Cæterum de ſententia, & re iudicata.* At verò in cenſura, quæ medicinalis eſt, & non niſi ob contumaciam ferri poteſt, non ſufficit notorietas delicti, ſed requiritur monitio præcedens. Quia contumax dici non poteſt, niſi qui admonitus parere recuſat. Loquendo vero de notorietate ipſius contumaciæ modo explicato, eſt duplex ſententia.

*Quando contumacia eſt certo, non requiri monitionem aliqui dicunt.*

88. Prima aſſerit, non requiri monitionem in illo caſu, in quo nulla ſpes fructus datur. Et ratio eſt: quia non minus requiritur, quod præcedat monitio ad cenſuram, quàm correctio fraterna ad delationem: nam ex ordine ſeruando in correctione fraterna aſſignato à Chriſto Domino Matth. 18. ſtatuit Eccleſia ordinem ſeruandum in monitione præuia ad cenſuram, idenque ſicut ibi Chriſtus Dominus trinam correctionem præcedere docuit: unam ſecretò: alteram coram duobus teſtibus, tertiam coram Eccleſia: etiam hic trinam monitionem præcedere ſtatuit ipſa Eccleſia, ut *ſequenti punct.* dicemus: ſed in ordine correctionis fraternæ non requiritur, quod præcedat monitio, quandò nullus fructus ſperatur, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 2. ergò ſimiliter in præſenti. Atque ita docent Sayr. *lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 23. Hugolin. *tab.* 1. *cap.* 18. *num.* 1.

*Verius eſt, tunc requiri monitionem.*

89. Secunda, & verior ſententia dicit, adhuc in illo caſu requiri monitionem, ut cenſura licitè feratur. Et ratio eſt; quia cenſura debet ferri ob contumaciam, non qualemcumque, ſeu quæ ſolum in affectu ſit talis, ſed quæ in effectu ſit conſummata, & completa: ſed in illo caſu licèt conſtet de contumacia in affectu, non tamen datur in actu conſummata, & completa: quia hæc niſi poſt monitionem inueniri non poteſt: ergò adhuc tunc requiritur monitio, quæ ſi de facto præcedat, forrem mutabit animum perterritus tali pœna imminenti, qui ſe iactabat non pariturum, quandò ipſam à longè proſpiciebat. Hanc tenent Suarez, *diſp.* 3. *ſect.* 10. *num.* 8. Dian. 5. *part. tract.* 9 *reſol.* 19. Gibal. *n.* 19. Cornej. N. *diſp.* 5. *dub.* 2. *quæſt.* 4. N. Anton. *num.* 85. ¶ Ad rationem oppoſitam reſpondetur, fraternam correctionem fundari in ſpe fructus, quæ haberi poteſt ex coniecturis moralibus, quâ proindè deficiente, non requiritur, quod præcedat correctio. Monitio autem præcedens ad cenſuram fundatur in ſpe fructus habenda iudiciali ordine in foro contentioſo, quæ deficere non poteſt, niſi quandò exterior monitio præcedit, & contumacia ſubſequitur.

*Quid ſi lex ſub pœna cenſuræ ferendæ aliquid præcipiat?*

90. Secundò inquires. An quandò lex, vel præceptum ſub pœna ferendæ cenſuræ datur, & aliquis contrà legem delinquit, debeat præcedere monitio, ut à iudice ipſo facto excommunicetur, vel alia cenſura feriatur? In quo ſupponimus, quod ſi ab ipſo iudice præceptum ſit impoſitum ſub pœna ferendæ cenſuræ, poterit ipſo facto excommunicare tranſgreſſorem illius, nulla monitione præmiſſa, quia cum ipſe per præceptum moneat, non ſolum à iure; ſed ab ipſo iudice monitio facta procedit. In quo caſu locutus eſt Sanch. *lib.* 2. *de matr. diſp.* 24. *n.* 28. qui ſolet referri pro ſententia aſſerente, non requiri monitionem, quandò ius cenſuram comminatur, de quo eſt præſens dubium. Sed non in hoc ſenſu loquitur Sanch. ſed in eo quem diximus, quem ſequitur Cornej. loco infra citando. Sed quandò à iure comminatur cenſura, ſeu à lege, vel ſtatuto, an requiratur monitio, ut ipſo facto reus excommunicetur, eſt duplex ſententia.

*Requiritur monitio, ut cenſura ipſo facto feratur.*

91. Prima negatiua, quam tenet Auila *part.* 2. *diſp.* 1. *dub.* 5. Bonac. *num.* 4. & probatur, quia ſufficienter lex admonet, & ipſa ſufficit pro trino: imò pro mille admonitionibus, cum ſemper loquatur, ut cernitur in caſu, quo ipſo facto cenſuram incurrendam imponat quo modo diximus, *n.* 81. non requiri, quòd monitio præcedat: ergò etiam non requiritur quandò lex illam comminatur, aliàs ad nihil deſeruiret, quod lex ſub pœna excommunicationis ferendæ aliquid præciperet, ſi poſteà iudex non poſſet eam ipſo facto applica-



Digitized by Google

re delinquenti, niſi præcedente monitione canonica. ¶ Secunda ſententia affirmatiua eſt, quam probabiliorem iudicamus. Nam cenſura datur propter inobedientiam præcepti illam ferentis, ſed in caſu noſtro licèt delinquens ſit inobediens iuri cenſuras comminanti, non verò iudici illas ferenti: ergò niſi ab ipſo moneatur, & poſt monitionem delinquat, non poterit ipſo facto à iudice excommunicari. ¶ Confirmatur. Quia cenſura non utcumque petit monitionem, ſed proportionatam illi: ergò ſicut cenſura à iure lata petit monitionem à iure: ita cenſura lata ab homine monitionem ab homine; ſed in præſenti cenſura fertur ab homine: ergò non ſufficit monitio, quæ ut à iure, niſi quandò ipſum ius ſub pœna latæ ſententiæ monet: & ideò *in cap. Reprehenſibiles, de appellationibus*, ſolum excipitur ab onere denuntiationis, quandò cenſura eſt ipſo iure lata. Ità Palaus *diſp. 1. punct. 5. n. 7.* Layman *ab ipſo citatus 1. part. tract. 5. part. 1. cap. 5. n. 6.* Diana *5. part. tract. 9. reſol. 19.* Gibalin. *n. 17.* Cornej. *ſupra cit. quæſt. 5.* Suarez *n. 18.* qui citat Caiet. *in ſumm. verb. Clericorum peccata, ad medium.* N. Ant. *n. 87.* Et per rationem dictam patet ſolutio ad argumentum contrarium.

## PVNCTVM VIII.

### *Quot monitiones debent præcedere cenſuram? Et de forma, & modo, quo ſunt faciendæ.*

*Trina monitio præcedere debet cenſuram.*

92. AD hoc ut cenſura legitimè feratur, non ſolum una monitio debet præcedere, ſed trina: vel una pro tribus, ſeu quæ virtualiter tribus æquivaleat, *cap. Omnes decimæ 16. quæſt. 7. cap. Contingit 2. de ſentent. excommunicat. cap. Conſtitutionem, de ſententia excommunicat. in 6. cap. Romana, eodem titulo, & lib.* Et hæc trina monitio, ſeu una pro tribus in iure quandoque dicitur *competens*, ſed ferè ſemper *canonica*: & ideò quandò in Auctoribus dicitur, quod canonica monitio requiritur, vel non requiritur ad aliquid, de hac trina accipiendum eſt: & uno, vel altero modo, nimirum, vel trina monitio, vel una pro tribus licitè fieri poteſt: ideoque in iure non petitur iuſta cauſa, ut iudex unam pro tribus monitionibus apponat, dummodo ſufficiens tempus deſignet, quod pro omnibus poſſit deſeruire. Atque ita docent Auila *2. part. cap. 5. diſp. 1. dub. 7. concl. 5.* Enriq. *lib. 13. de excomm. cap. 17. n. 3. litt. O.* N. Cornej. *diſp. 5. dub. 2. quæſt. 1.*

*Quando datur trina monitio, vel una pro tribus.*

93. Tunc datur trina monitio, quandò ſeparatim pro unaquaque tempus ſufficiens deſignatur (quod ad minus debet eſſe duorum dierum ſpatium, ut colligitur *ex cap. Conſtitutionem de ſententia excommunicat. in 6. & tradit.* Hugolin. *tab. 1. cap. 18. §. 2. n. 4.* Suarez *diſp. 3 ſect. 9. num. 3.* & eſt commune) ut ſi ſuperior admoneat ſub excommunicatione, quòd ſatisfaciat intrà duos dies, & illis tranſactis, iterum admoneat ad alios duos dies: & ſic tertio, vel poteſt fieri ſimul (& tunc dicitur unam pro tribus æquiualere) ut ſi dicat: *Admoneo te intrà decem dies, & valeat pro trina admonitione*, vel ſi terminum ſex dierum aſſignet, admonens eſſe peremptorium, & ultimum, & tunc ſufficit una pro trina, non vero ſi non admoneat eſſe ultimum: quia non iudicaretur ſufficienter contumax cenſuræ, eò quod credere poſſet, alium terminum ſupereſſe, Bonac. *quæſt. 1. punct. 9 num. 5.* ſufficit tamen ſi dicat: *Mandamus, ut intrà ſex dies reſtituas, ſin minus ipſo facto excommuniceris:* quia tunc trina virtualiter monitio reperitur, & terminus, etſi unus, virtualiter triplex eſt. Palaus *diſp. 1. pu. 5. n. 8. ex* Suar. *diſp. 3. ſect. 11. n. 7.*

*Tempus competens inter unam, & aliam admonitionem debet tranſire.*

94. Non autem ſufficit, ſi, ex eodem tempore admoneat dicens. *Admoneo te*: & iterum, atque iterum repetat: quia debent tranſire competentia temporis intervalla. Hugolin. *ſupr. num. 2.* ſed hoc verum eſt, niſi ſit periculum in mora: ut ſi Clericus ad ultimum ſupplicium duceretur; quia tunc non requireretur, quod præcederet trina monitio; aliqua tamen ſemper debet dari, & cum determinato tempore deſignato ad deliberandum, Cornej. *dub. 2. quæſt. 3.* Et generaliter prudentis iudicis arbitrio relinquitur pro diuerſitate, vel qualitate negotiorum, aut circumſtantiarum, terminos ampliare, vel reſtringere, dicto *cap. Conſtitutionem, in fine.* Et ſic poteſt ex rationabili cauſa redigere illa tria intervalla vel ad diem, vel ad brevius tempus; dummodò tria temporis ſpatia concedantur, Gibal. *diſp. 6. quæſt. 2. n. 7.* Coninch, *diſp. 13. dub. 9. n. 79.* Bonac. *n. 7.* Suarez *diſp. 3. ſect. 9. n. 3.*

*Quomodo facienda ſit monitio.*

95. Inquires primò: quomodo dicta monitio debeat fieri? Reſpondetur inprimis debere fieri ab ipſo iudice, vel nomine illius, qui habet citationis vim, quæ nomine, & auctoritate eius, à quo fertur, debet fieri: & quia cenſura non incurritur niſi per inobedientiam, & contumaciam contrà mandatum ſuperioris, quæ non datur, niſi nomine eius monitio fiat. Suarez *diſp. 1. ſect. 11. num. 1.* Bonacin. *ſupr. num. 4.* & quando incommodum alicuius particularis fertur, ad inſtantiam illius debet fieri. Si verò in bonum commune, ex proprio motu iudicis poteſt procedere: quia ex officio ad hoc tenetur, *cap. Venerabilibus, §. Porrò, de ſententia excommunicationis in 6.* non requiritur, quod fiat in ſcriptis; benè tamen coram teſtibus idoneis, quibus in foro exteriori probari poſſit, *cap. Sacro de ſentent. excommunicat.* Diana *ſuprà reſol. 19.* Gibalin. *n. 10.* Cornej. *dub. 2. qu. 7.*

*In propria perſona debet fieri monitio.*

96. Quandò cenſura ferenda eſt contrà plures generaliter, ſufficit, quod in Eccleſia coram populo fiat admonitio: quia ſic ſufficienter poſſunt venire in notitiam cenſuræ, & poſtquam ad eorum notitiam venerit, contumaces erunt, ſi contrà fecerint. Si verò contrà communitatem interdictum, v.g. ponatur, non ſunt ſinguli monendi, ſed illi ob quorum culpam fertur: quia hi contumaces emendandi, aut frangendi ſunt, Suar. *diſp. 3. ſect. 8. n. 2.* Bonac. *n. 11.* Alterius *lib. 3. diſp. 3. cap. 3.* Gibalin. *n. 8.* ¶ Si verò contra particularem perſonam, debet monitio in propria perſona fieri, ne, ſi fortè ad eius notitiam non venerit, abſque contumacia cenſura feriatur. Ità Coninch, *n. 80.* Cornej. *dub. 2. q. 8.* Couarruu. *cap. Alma mater 1. part. §. 9. n. 5.* Bonac. *ſupr. n. 8.* Præterquam in his caſibus, in quibus monitio poteſt fieri ad domum, vel ſi non habeat, in Eccleſia, aut loco publico: 1. Quando reus abſconditur, aut vi, aut fraude monitionem in propria perſona fieri impedire contendit, quia tunc ſufficienter contumax iudicatur, *cap. Finali de dolo, & contumacia*, Auila *part. 2. cap. 5. diſp. 1. dub. 7. concluſ. 3.* ſed dolus conſtare debet teſtibus, aut manife-

ſtis

ſtis indicijs: dolus enim non præſumitur, niſi probetur: *leg. Dolum, ff. de dol.* Bonacin. *num.* 9. Cornej. *ſup. quæſt.* 8. Secundus caſus. Quandò ſemel citatus eſt, aut monitus in propria perſona; reliquæ poſſunt fieri ad domum, vel in Eccleſia, vel tribunali, ut patet ex deciſione Rotæ *in deciſ. nobis deciſion.* 399. ut teſtatur Bonacin. tertius caſus. Quando in foro probari poteſt, citationem, vel monitionem primam factam ad domum ad rei notitiam perueniſſe: tunc reliquæ fieri poſſunt ad domum. Colligitur ex Clement. 3. *de electione*, & docent Suarez, Bonacin. Cornej. *citati* Gibalin. *diſq.* 6. *quæſt.* 2. *n.* 8. *in fine.*

*Non eſt neceſſaria trina monitio ad valorem cenſuræ.*

97. Vltimò inquires: utrum hæc trina monitio non ſolum ſit neceſſaria de neceſſitate præcepti (quod apud omnes eſt commune: & peccare mortaliter, qui abſque illa ſinè urgentiſſima cauſa cenſuram ferret) ſed etiam de neceſſitate cenſuræ, ita ut ſit inualida, quæ abſque trina monitione fit? Reſpondetur negatiuè: quia ſolum aſſignatur à iure ad ſolemnitatem accidentalem cenſuræ, non ad ſubſtantialem. Et ſic *in cap. Romana de ſententia excommunicat. in* 6. dicuntur cenſuræ iniuſtæ, quæ abſque competenti, ſeu canonica monitione fiunt. Vbi, ut notatur ab Auctoribus, non *inualidæ*, ſed *iniuſtæ* dicuntur. Et *iniuſtæ* nominantur: quia ſunt contrà iuſtitiam legalem, id eſt, iniquè latæ contrà legem ordinem præſcribentem. Et econtrà *in cap. Sacro, de ſentent. excommunicat.* ſupponitur poſſe eſſe cenſuras iuſtas abſque trina monitione præmiſſa; quamuis ſint digni pœnâ iudices abſque illa ferentes. Nec iuſtæ dici poſſent, ſi nullæ forent. Dicuntur autem iuſtæ in iſto, cap. (ut ſic uterque textus concilietur) quia non ſunt contrà iuſtitiam commutatiuam, aut diſtributiuam. ſed ex parte rei iuſtè feruntur: ex parte verò iudicis iniuſtè: quia contrà legem præſcribentem modum delinquit. Ità Auila 2. *part. cap.* 1. *diſp.* 1. *dub* 9. Bonacin. *num.* 9. Gibal. *num.* 12. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſolut.* 19. Coninch, *num.* 81. Cornej. *de cenſur. in gener. dub.* 3 *& de excommunicatione*, *diſp.* 5. *dub. ultim.* N. Anton. *ſect.* 7. *diſp.* 1. ubi plura.

*Duplex caſus excipitur.*

98. Excipitur duplex caſus, in quibus niſi præcedat trina monitio canonica, vel una pro tribus, non valet cenſura. Primus, quandò iudex excommunicat excommunicatione maiori, aut ſuſpendit, aut interdicit communicantem cum excommunicato à ſe, *cap. Statuimus, de ſententia excommunicationis in* 6. *cap. Statutum eodem tit. & lib.* Et ratio huius conſtitutionis forſitan eſt, quod cum unuſquiſque maximè procuret cenſuram à ſe latam obſeruari, prudenter timeri poſſet, quod temerè talem cenſuram ferret. Quare ſi ab alio Epiſcopo excommunicatus eſſet, quamuis illicita, valida tamen eſſet talis cenſura, quia iura ſolum irritant cenſuram latam contrà communicantes cum excommunicato à ſe, non verò ab alio: & ratio illa congruentiæ in hoc caſu ceſſat: quia non eſt ita ſollicitus aliquis, ut obſeruetur cenſura ab alio impoſita, ſicut illa, quæ ab ipſo fertur. ¶ Secundus caſus eſt, quandò delegatus, ea conditione facultatem ferendi cenſuras acciperet, ut non, niſi trina canonica monitione præmiſſa, eas ferret. Et ratio eſt, quia delegatus nullam facultatem habet, niſi dependenter à delegante: ergò in illius voluntate eſt reſtringere, aut ampliare illius licentiam: ergò ſicut ad talia loca, vel perſonas poſſet illam reſtringere, ita ad talem modum ferendi eas. De utroque caſu docent Gibalin. *loc. cit.* Hugolin. 4. *ab* 1. *cap.* 18. *n* 4. Sayr. Cornej. Bonac. Auila, Anton. & Coninch, *ſupra citati.* Sed hic ultimus, caſus intelligendus eſt, quandò delegatus ea intentione facultatem concedit, ut taliter velit uſum eius ligare, aut impedire, ſecus tamen ſi de illa non conſtet, ut in ſimili diximus *tract. de matrim. cap.* 3. *punct.* 4. *n.* 101. & infra *cap.* 2. *n.* 25. in alio ſimili caſu dicemus.

## PVNCTVM IX.

### *De conditione requiſita ex parte territorij adhoc, ut cenſura licitè, & validè feratur.*

*Diverſæ conditiones ad cenſuram requiſitæ.*

99. PRopter conditiones aſſignatas, quæ præcedere debent, ut ferantur legitimè cenſuræ, aliæ requiruntur ut comitantes ipſam ſententiam, ſinè quibus validè, & licitè fieri non poteſt: aliæ ſubſequentes. Illæ ſe tenent vel ex parte temporis aut loci. Iſtæ quæ ſubſequuntur, ſolum ſunt veluti ceremoniæ quædam, ut cenſura lata divulgetur: ut ſunt denunciationes. Et quia tam circà illas, quam circà tempus, quo fieri debet cenſura, minima eſt difficultas, ideò breuiter de illis loquemur, ut poſtmodum ex profeſſo de conditione requiſita ex parte loci, ſeu territorij ex profeſſo diſcurramus.

*Quibus diebus ferenda ſit cenſura.*

100. Igitur cenſura diebus non feriatis ferri debet, quandò per modum ſententiæ datur: quia ad illam requiritur iudicialis cauſæ cognitio, quæ diebus feriatis non poteſt haberi, *cap. Finali, de ferijs.* Erit tamen valida, quamvis illicita, ſi dicto tempore imponatur, ut docent Palaus *diſp.* 1. *punct.* 5. *num.* 13. Cornej. *de cenſur. in gener. diſp.* 6. *dub.* 3. Sayr. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 17. Vndè per modum legis; aut præcepti poteſt Prælatus ſub dictis diebus feriatis imponere cenſuram: quia ad hanc cauſæ cognitio non requiritur: & etiam illam, quæ fertur per modum ſententiæ, quandò contumacia rei eſt ita notoria, quod cauſæ cognitione non indigeat, argumento *ex cap. Euidentia, de accuſationibus.* Cenſuræ autem denuntiatio frequenter fieri ſolet feriato die: ſi præcedat cauſæ cognitio, die non feriato: quia facta tali die in plurium poteſt deuenire notitiam. Sayr. *capit.* 14. *numer.* 7. Cornej. & Palaus *locis citatis.*

*A quo denuntiatio fieri debet.*

101. Qui ſemel cenſuram incurrit, denuntiari debet, & publicari, ut ſic rubore perfuſus citius reſipiſcat. Habetur *cap. Paſtoralis,* §. *Finali, de appellationibus.* Clement *finali, de cenſibus.* Hæc ſi lata fuit ab homine, ab ipſo debet denuntiari, à quo lata fuit: & idem eſt, ſi lata fuit à ſtatuto, & iure ſpeciali ipſius Epiſcopi. Si fuit incurſa cenſura lata iure communi, denunciatio fieri debet ab Ordinario loci, in quo fuit incurſa. Clement. 1. *de privilegijs.* Sed antè denuntiationem latam à iure præcedere debet citatio rei, dando illi terminum ad allegandum pro ſe, aliàs denuntiatio erit nulla: quia contrà inauditam partem nihil poteſt in iudicio definiri, ut ex Couarruu. *cap. Alma mater, part.* 1. §. 9. *num.* 6. docet Cornej.

Cornej. *diſp.* 7. *num.* 3. Auila *part.* 2. *cap* 5. *diſp.* 1. *dub.* 5. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 19. Bonacin. *quæſt.* 1. *punct.* 9. *num.* 4. Si tamen qui citatus eſt, delictum fateatur, & ſatisfactionem offerat, non eſt denuntiandus: quia eo ipſo quod reus ſubdatur Eccleſiæ eſt abſoluendus, cum ſit pœna medicinalis cenſura, quæ ceſſare debet, obtenta iam ſalute delinquentis, condignaque ſatisfactione oblata. Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 10. *n.* 17.

*Duo neceſſaria ſupponuntur.*

102. Sed ad principale huius puncti quæſitum deuenientes, ſupponendum eſt 1. aliud eſſe loqui de cenſura, quæ fertur per modum ſtatuti, aut legis generalis, quæ non imponitur cum cognitione cauſæ, cum citatione partis, aut ſtrepitu iudiciario, ſiuè tales cenſuræ à iure, ſiuè ab homine ſint ſtabilitæ, ut ſi præceptum continens cenſuram ab Epiſcopo imponatur generaliter in omnes, qui furati fuerint in loco ſacro: aliud de cenſura per modum ſententiæ, ob delicta præterita, cum ordine ad ſatisfactionem futuram, ut ſi alicui, vel aliquibus mandatum ſub pœna excommunicationis imponatur, ut intrà tale tempus reſtituant, vel à peccato reſipiſcant. ¶ Secundò ſupponendum eſt, quòd cum Summus Pontifex ſit Paſtor univerſalis, & non habeat determinatum territorium, ſed totus mundus ſit territorium illius, & omnes fideles ſint illius ſubditi, nullis cancellis illius iuriſdictio continetur: & ſic ſiuè cenſura lata ſit ab eo per modum legis, aut ſtatuti, ſiuè per modum ſententiæ omnes ligat ubicumque exiſtant, nullo territorio determinato.

*Prælati Regulares nullo territorio adſtringuntur.*

103. Tertiò ſupponendum eſt ut inter Doctores communiſſimum, præſentem quæſtionem non habere locum in Prælatis Religionum, qui non habent territoria diuiſa, ſicut Epiſcopi; ſed totus mundus eſt eorum proprium territorium in ordine ad coercendos ſubditos ſuos, quos cenſuris poſſunt ferire, ubivis exiſtant, ſicut præceptis obligaré. Et ideò Prouincialis excommunicare poteſt ſubditum, extrà ſuam prouinciam delinquentem, & Prior eum, qui extrà monaſterium delinquit, aliàs non poſſet imponere præceptum ſub cenſura obligans; ne aliquis hoc vel illud extrà domum faciat, & ſic tota diſciplina regularis corrueret: dominium ergò Prælatorum Regularium ratione voti obedientiæ, immediatè reſpicit perſonas: & ſic ea ſententia proſequi ubivis poteſt, non ſic Epiſcopi, quorum dominium immediatè eſt in territorium, & ratione huius in perſonas, quamdiù ſub tali territorio degunt: & ſic ipſo inuito, domicilium mutare poſſunt, & illius ſubterfugere iuriſdictionem. Ideoque, quamuis ſubditos commorantes extrà ſuam Diœceſim non poſſit cenſuris coërcere, poſſunt tamen Prælati Regulares ſubditos excommunicare, ubicumque exiſtant, ubicumque Prælati reperiantur. Ità Cornej. *diſp.* 6. *dub.* 2. *quæſt.* 4. Sylueſt. *verb. Excomm.* 2. *num.* 15. Candid. *diſq.* 22. *art.* 28. *dub.* 6. Sanch. *lib.* 6. *ſumm. cap.* 8. *num.* 33. Auila 2. *part. cap.* 3. *diſp.* 2. *dub.* 4. his ſuppoſitis. N. Anton. à *Spiritu S. tract. de cenſuris num.* 123.

*Epiſcopus extrà ſuum territorium cenſuras ferre non poteſt.*

104. Inquires 1. An Epiſcopus (idem eſt de alijs Prælatis, Regularibus exceptis) extrà proprium territorium exiſtens, poſſit cenſuras ferre per modum ſententiæ contrà ſuos ſubditos? Reſpondetur negatiuè. Habetur *in cap. Epiſcopi* 9. *quæſt.* 2. Clement. *quamuis de foro competenti*, & alijs iuribus infrà adducendis. Et ratio eſt: quia nemo poteſt pro tribunali ſedere extrà ſuum territorium, *leg. ultim. ff. de iuriſdictione omnium iudicum.* Sed cenſura per modum ſententiæ, non niſi cum cauſæ cognitione ferri poteſt quæ iudicem pro tribunali ſedentem exigit: ergò, &c. ¶ Confirmatur; Nemo poteſt in alieno territorio iuriſdictionem contentioſam exercere: ſed ſententiæ ſub cenſura latio, eſt actus iuriſdictionis contentioſæ, & ideò contrà invitum fertur cum cauſæ cognitione: ergò, &c. Quarè licet Epiſcopus poſſit ſuas oues confiteri extrà ſuum territorium: quia hoc pertinet ad iuriſdictionem voluntariam, quæ in alieno territorio poteſt exerceri: quia non petit cauſæ cognitionem cùm ſtrepitu iudiciario: non tamen poteſt eas cenſuris ligare; ſed erit irrita omninò, & inualida talis cenſura, ut ſupponitur, *cap. Nouit. de officio delegati.* Et ibi *Gloſſa, verb. Terminus, cap. Vt animarum de conſtitutionibus in* 6. ubi dignus pœna dicitur, qui patet iudici extrà territorium ius dicenti. Sic Palaus *diſp.* 1. *punct.* 5. *num.* 3. Coninch, *diſp.* 13. *dub.* 5. *num.* 39. Auila 2. *part. cap.* 3. *diſp.* 2. *dub.* 1. Cornej. *dub.* 2. & *de excomm. diſp.* 6. *dub.* 3. N. Ant. *n.* 119.

*Dantur caſus ab illa regula excepti.*

105. Sed in aliquibus caſibus licitè, & validè poſſunt ferri cenſuræ, ab Epiſcopo in aliena Diœceſi exiſtenti. 1. quandò eſt adeò manifeſta contumacia (ſuppoſita monitione) ut non indigeat cauſæ cognitione, *cap. cum ſit, de appellationibus, cap. Manifeſta* 2. *quæſt.* 1. vel quandò iam eſt cauſa cognita in proprio territorio: quia tunc ceſſat ratio, quarè non poſſit in alieno. Similiter poteſt cenſuras ferre per modum ſtatuti, aut præcepti, pro futuris delictis præcauendis: quia non requirunt cauſæ cognitionem: 2. caſus eſt: Si Epiſcopus iniuſtè ſit expulſus à ſua Diœceſi: in quo caſu poteſt in locis viciniorihus iuriſdictionem contentioſam exercere in ſuos ſubditos, petitâ, licèt non obtentâ, licentiâ ab Ordinario illius loci: Clementin. *Quamuis, de foro competenti.* Tertius, quandò illius loci Ordinarius conſentit, quia ſi tunc poteſt ſubditum alienum iudicare, *cap. Nullus Primas* 9. *quæſt.* 2. multò melius proprium. Quo in caſu eſt neceſſarius conſenſus partium: quia nullus inuitè poteſt trahi extrà proprium territorium. Ità Bonacin. *quæſt.* 1. *punct.* 11. *num.* 3. Palaus & Auila *loc. cit.* Candid. *diſq.* 22. *art.* 25. *dub.* 2. 3. & 5. Sayr. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. Cornej. *utroque loco cit.* Ant. *ſect.* 9. ſed notat Candid. *dub.* 3. *citat.* & *art.* 28. *dub.* 3. & Ant. *num.* 122. cum Sayro loco citato, poſſe abſoluere à cenſuris Epiſcopum extrà ſuum territorium exiſtentem: quia hoc fit ſinè cauſæ cognitione, & ſinè ſtrepitu iudicij, iuriſdictione voluntaria, non contentioſa: ſed hoc intelligendum eſt extrà iudicialiter, non verò iudicialiter pro tribunali, ut notat idem Candid. *dub.* 6.

*Poſſitne Epiſcopus ſubditum extrà Diœceſim exiſtentem excommunicare?*

106. Secundò inquires: An Epiſcopus exiſtens intrà proprium territorium poſſit ligare cenſuris proprium ſubditum in alieno territorio exiſtentem pro delicto commiſſo in proprio territorio illius Epiſcopi? Vt ſi ſubditus Epiſcopi Salmantini furatus fuerit Salmanticæ, & poſteà in Diœceſi Abulenſi commoretur; poteritnè ab Epiſcopo Salmantino cenſuris ad reſti-

tutionem

Digitized by Google

tutionem obligari? Duplex in hoc ſententia reperitur: prima negatiua; quam tenet Baſil. *de Matr. lib.* 5. *cap.* 7. §. 2. *num.* 20. Gabriel. *in* 4. *diſt* 18. *quæſt.* 2. *concl.* 6. Et probant 1. quia ſicut iuriſdictio Epiſcopi limitatur circà perſonas, ut non, niſi ad ſubditas extendatur: ſic circà locum, ut non exeat à propria Diœceſi. Et ideò Boniſac. VIII. *cap. ut. ne animarum de conſtitutionibus in* 6. dicit, *cum extrà territorium ius dicenti non pareatur impunè.* 2. quia Rex Hiſpaniæ punire non poteſt ſubditum in ſuo Regno delinquentem, ſi in Anglia commoretur. 3. quia contumacia, ob quam cenſura imponitur, extrà ſuum territorium conſummatur; tametſi in illo peccatum perpetratum fuerit. 4. quia non poteſt illum citare, ut compareat Clement. *Paſtoralis de ſententia, & re iudicata*: ergò neque excommunicare, quia excommunicatio abſque monitione, & minus abſque citatione fieri non poteſt, ut diximus *punct. præcedenti.*

*Veriſſimum eſt poſſe ob delictum factum in ſuo territorio.*

107. Communis tamen, & vera ſententia affirmat. Aliàs facilè contemneretur iuriſdictio Eccleſiaſtica, & tale delictum impunitum prorſus maneret, ſi delinquens à proprio Paſtore non poſſet puniri, in cuius territorio peccauit: cum non poſſet ab alio, in cuius territorio degit: quia illius non eſt ſubditus. Quapropter hanc ſententiam docent Auila *dub.* 2. *concl.* 2. Candid. *diſq.* 22. *art.* 27. *dub.* 1. *concl.* 2. Bonac. *num.* 13. Cornej. *de cenſur. in gener. quæſt.* 2. *& de excomm. diſp.* 6 *dub.* 4. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol* 32. Coninch, *num.* 62. N. Ant. *num.* 127. ¶ Ad contraria argumenta reſpondetur, illud verum eſſe, quandò delictum ſubditi exiſtentis in alieno territorio, non eſt perpetratum in proprio; quia quandò ita eſt, tam ratione perſonæ, quam delicti, eſt ſubditus illius Epiſcopi, & ſic poteſt extrà ſuum territorium eum punire. In quo differt ab eo, qui præcisè ratione delicti eſt ſubditus: qui ſolum, quando eſt in proprio territorio, poteſt ab Epiſcopo condemnari, ut poſteà dicemus. ¶ Ad 2. reſpondetur, quòd Rex ſolum poteſt punire ſubditos per vim coactiuam corporalem, quæ in alieno territorio fieri non poteſt, ne pax inter Principes turbetur, tumultus, & ſtrepitus in populo oriatur: at excommunicatio, & quælibet alia cenſura eſt ſpiritualis pœna, quæ ipſo facto incurritur, hoc ipſo quod ab Epiſcopo in ſuo territorio exiſtenti feratur: & ſic abſque vi, & ſtrepitu incurritur. Vndè ipſe Epiſcopus non poterit alijs pœnis corporalibus ſubditum punire extrà ſuum territorium, etiamſi delictum commiſſum fuerit intrà illud. ¶ Ad 3. dicimus, quòd licèt contumacia ſit culpa proxima, ob quam fertur cenſura; remota, & principalis eſt delictum; cuius ſatisfactio, & emendatio per cenſuram intenditur; ideoque hoc ſufficit fuiſſe intrà territorium perpetratum, quamvis illa extrà fuerit commiſſa.

*Citatio in alieno territorio fieri non poteſt.*

108. Ad 4. fatemur, citationem fieri non poſſe extrà territorium, ut tenet Cornejo *dub.* 2. *concl.* 5. Auila *concluſ.* 3. & 4. Hurtado, Couarruu. & Barboſſa, quos refert, & ſeq. Diana *reſol.* 34. Ant. *loc. cit.* Et ratio eſt: quia citatio eſt actus exterior cum ſtrepitu exteriori factus: eſt etiam actus iuriſdictionis contentioſæ, ſiuè quatenus promulgatur à iudice, ſiuè quatenus ab eius miniſtro exercetur. Quia tam promulgatio mandati, quàm eius intimatio ad actum iudicialem pertinet. At licèt impoſitio, ſeu promulgatio cenſuræ ſit actus iuriſdictionis cum ſtrepitu iudiciario factus: & ſic, ut diximus *num.* 104. non poſſit in alieno territorio exerceri: hoc quod eſt incurrere illam, poteſt fieri in alieno territorio, ſi lata fuit in proprio: quia nec eſt ſtatus iudicialis, nec actio exterior; ſed interior paſſio, quæ ſecum trahit effectum. Et ad probationem dicimus, quòd quia illa poſt delictum patratum malitiosè fugit, impediuitque, ne ab Epiſcopo citari poſſet in propria perſona, ſufficit, quòd in propria domo, aut in loco publico moneatur, & citetur, intrà proprium territorium.

*Extenſio concluſionis præcedentis.*

109. Quod diximus in præcedenti concluſione, verificatur, etiamſi ſubditus, ſit extrà Diœceſim, quandò delictum commiſit, ſi res, circà quam deliquit, in proprio territorio manet: & ſic poteſt eum Epiſcopus excommunicare, etiamſi inueniatur in alieno territorio: ut ſi Epiſcopus ſub excommunicatione imperet omnes Clericos ad Diœceſanam Synodum venire; ligat etiam Clericos, qui extrà Diœceſim exiſtunt. Si Clericus tali Eccleſiæ aſſiſtere debeat, & extrà Diœceſim ſit, poteſt ab Epiſcopo excommunicari, niſi intrà decem, aut alios dies ad aſſiſtendam redeat. Et ſi ſecùs fecerit, excommunicationem incurret. Tum, quia illud peccatum non reſidentiæ intrà territorium conſummatur. Tum etiam, quia fictione iuris peccat in proprio territorio, in quo reſidere tenetur. Si quis enim non faciat, quod facere tenetur, peccare dicitur, ubi facere tenebatur, argumento *ex leg. Qui non facit. ff. de regulis iuris.* Ità Suarez *tom.* 5 *in* 3. *part. diſp.* 5. *ſect.* 4. *num.* 8. Auila *dub.* 1. *concluſ* 3. Bonac *num.* 7. Cornej. *dub.* 2. *q.* 2. *concl.* 3. *& de excomm. diſp.* 6. *dub.* 5. *qu.* 4. Candid. *diſq.* 22. *art.* 26. *dub.* 5.

*Quid ſi delictum conſummatum ſuit in alieno territorio, & in proprio inchoatum?*

110. Sed difficultas eſt: An quandò delictum ſubditi inchoatum eſt in proprio territorio, & in alieno conſummatum, poſſit ab Epiſcopo proprij territori excommunicari, propter illud? Sit exemplum. Tulit Epiſcopus in hac Diœceſi excommunicationem contrà ſtuprum committentes. Aliquis à ſua Diœceſi virginem extrahit, in qua tactibus, aut oſculis ſtuprum inchoauit, ſed extrà illam conſummauit illud: incurretnè excommunicationem illatam contrà ſe? Duplex eſt in hac difficultate ſententia prima affirmatiua: quam tenet Villalob. *tom.* 1. *tract.* 16. *difficul.* 16. *num.* 4. Sayr. *de cenſur. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. Quos refert Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 37. Et probatur: quia iſte in utroque territorio deliquit: ergò in utroque puniri poteſt, quia ratione delicti ſit utriuſque fori, aliàs qui lethaliter in hoc territorio hominem vulnerauit, non incurret excommunicationem latam in illo contrà homicidas, ſi in alio territorio moriatur.

*Non poteſt ob illud excommunicari ſubditus extrà exiſtens.*

111. Secunda eſt negatiua quam amplectimur cum Suarez, *diſp.* 5. *ſect.* 4. *num.* 7. *& ſect.* 5. *num.* 9. Diana *loco citato*, *& reſol.* 33. Candid. *dub.* 7 & 8. Bonacin. *num.* 10. Cornej. *concluſ.* 4. *& de excomm. quæſt.* 5. N. Anton. *num.* 130. Et ratio eſt: quia cenſura lata non eſt utcumque contrà delinquentes, ſed contrà committentes, v. g. ſtuprum, illudque conſummantes: ſed qui extrahit virginem à ſuo territorio, licèt peccet in hoc, & tactibus, & oſculis ſtu-

prum inchoando, peccato tamen ſtupri conſummari, ibi non delinquit: ergò licet puniri poſſet ab Epiſcopo aliâ pœnâ proportionatâ illi crimini inchoationis delicti, *leg. 1. C. Vbi de crimine agitur.* ibi, *Commiſſa vel inchoata*; non tamen illâ pœnâ excommunicationis. ¶ Et per hoc patet ad argumentum. Ad inſtantiam tamen adductam fatemur incurrere excommunicationem latam contrà occidentes in Eccleſia: vel in hoc territorio, qui ibi hominem lethaliter vulnerauit; licèt alibi talis homo moriatur, ut docent Cornej. Suarez, Diana, *suprà citat.* Candid. *dub. 9.* Bonacin. *num. 12.* Sed hoc ideò eſt, quia licèt homicidium conſummatum fuerit extrà, quoad ultimum effectum, putà mortem, tota tamen actio occiſiua cauſata eſt intrà proprium territorium: ratione cuius poteſt dici homicidium intrà cauſatum; aliàs à nullo hic homo poſſet puniri: non à proprio Superiore: quia in eius territorio mors non eſſet conſummata: nec ab alio, in cuius territorio inuenitur: quia in eo minimè peccauit.

*Non poteſt ſubditum punire extrà territorium delinquentem.*

112. Tertiò inquires. An Epiſcopus poſſit punire cenſuris ſubditum, qui in alieno territorio exiſtens ibi peccauit? Reſpondetur negatiuè. Habetur expreſſè in *cap. Vt animarum, de conſtitutionibus in 6.* ubi Bonifacius VIII. ait, non incurrere excommunicationem latam contra furantes à ſuo Ordinario, qui extra eius territorium furatur. Et ratio eſt: quia iuriſdictio Epiſcopi ſicut limitatur quoad perſonas ſuæ Diœceſis; ità quoad locum illius. Quarè licèt ſit Paſtor illius ouis, quoad forum conſcientiæ, & ſic eius confeſſiones audire extra territorium poſſit, non verò quoad forum contentioſum: quia ratione delicti ſortitur forum illius territorij, in quo deliquit: & fit ſubditus Ordinarij illius loci, ut diximus *num. 36.* Ità Soto *in 4. diſtinct. 22. quæſt. 2. art. 1. §. Reſpondetur,* Auila *2 part. cap. 3. diſp. 2. dub. 2. concluſ. 1.* Bonacin. *num. 6.* Candid. Cornej. *concluſ. 1. & de excomm. dub. 5.* Anton. *num. 124.* ¶ Sed hoc intelligendum eſt, niſi ad proprium territorium veniat, & ibi conueniatur coram ſuo Ordinario de furto extra territorium commiſſo. Tunc enim poteſt cogi ab illo, ut reſtituat, ut fert quotidiana praxis. Nam licèt Epiſcopus cognoſcere non poſſit de delicto extra ſuum territorium commiſſo; benè tamen quandò pars læſa jus ſuum requirit coram Ordinario delinquentis: quia tali conuentione appoſita, iuriſdictionem habet ad emendandum delictum extra ſuum territorium commiſſum, Soto, *sup. verſ. Hæc autem ſententia,* Suarez *diſp. 5. ſect. 5. num. 5.* Candid. *diſq. 22. art. 27. dub. 2. & 3.* Auil. *locis citatis, dub. 2. concl. 6.* Cornej. *loc. adduct.*

*Non poteſt Epiſcopus in locis exemptis excommunicare.*

113. Quod diximus de Epiſcopo non potente ligare cenſuris ſubditum extra territorium delinquentem: idem dicendum eſt, ſi delinquat intra propriam Diœceſim; ſed in loco exempto: quia quoad uſum iuriſdictionis locus exemptus intra Diœceſim loco exiſtenti extra illam æquiparatur, *capit. Cum Epiſcopus, de officio Ordinarij in 6. cap. 1. de priuilegijs, eodem libr. & Clement. Archiepiſcopo, de priuilegijs.* Sed quid nomine loci exempti quoad hoc intelligatur, diſſidium eſt inter Doctores: quidam enim aſſerunt, non comprehendi Eccleſias, & Monaſteria Regularium; ſed oppida, aut Parochias: quæ licèt intra Diœceſim ſint, alienæ tamen iuriſdictioni Eccleſiaſticæ ſubiacent. Ità Cornej. & Suar. *diſp. 5. ſect. 4. num. 6.* Coninch, *num. 63.* quia Eccleſiæ Regularium aut Monaſteria non ſunt exempta, ſed ipſæ perſonæ. Et quia nullus poſſet delinquentem punire, ſi non Epiſcopus; cum non poſſint Prælati illius Monaſterij, ſi fuit ſecularis qui delinquit intra illud.

*Per loca exempta etiam Religioſorum Monaſteria intelliguntur.*

114. Sed hoc nullius eſt momenti, quia etiam homicidam ad Eccleſiam confugientem non poteſt Eccleſia punire, nec Magiſtratus. Et falſum eſt loca Monaſteriorum exempta non eſſe, ſicut perſonæ ſunt exemptæ à iuriſdictione Epiſcopali, cum tàm loca, quam perſonas exemptas appellet *Tridentinum ſeſſ. 14. capit. 5. de Reformatione, ad finem.* Ideoque Monaſteria, aut Eccleſiæ Regularium ſunt quidem de territorio Epiſcopi quoad ſitum; non autem quoad iuriſdictionem. Vndè ſi Epiſcopus furantibus excommunicationem imponat; non incurrit eam, qui in Eccleſia, aut Monaſterio Regularium exemptorum furatur. Si excommunicet audientes talem concionatorem, non excommunicantur, qui in Eccleſia Religioſorum eum audiunt. Si excommunicet cum Monialibus loquentes, non excommunicantur, qui Moniales exemptas in earum Conuentibus alloquuntur. Si autem excommunicet eos, qui ad earum Conuentus accedunt, ligat excommunicatio accedentes: quia via, per quam itur, ſui territorij eſt quoad iuriſdictionem non verò Monaſterium. Ità Auila *2. part. cap. 3. diſput. 2. dub. 5.* Enriq. *libr. 13. cap. 26. num. 12* Candid. *art. 26. dub. 3.* Sayr. *de cenſur. lib. 1. cap. 6. num. 4. & cap. 7. num. 9.* Bonac. *num. 8* Et probabile dicit Dian. *5. p. tract. 9. reſol. 37. in fin.*

*Ratione delicti poteſt ſuperior alienum ſubditum cenſuris ligare.*

115. Quartò inquires: An Epiſcopus ligare poſſit cenſuris alienum ſubditum in ſuo territorio delinquentem? Reſpondetur affirmatiuè: quia fit ſubditus illius ratione delicti, & ratione eius ſortitur forum illius, *cap. finali, de foro competenti,* ut diximus hoc *cap num. 37.* ubi etiam aſſeruimus, quod ſi exeat à territorio, antequàm ab Epiſcopo cauſa illius cognoſcatur, non poteſt in illum cenſuras ferre: quia delictum non facit ſimpliciter ſubditum, niſi quandiu in eius territorio reus exiſtit, in quo differt ab eo, qui eſt ſubditus ratione perſonæ: hic enim ſemper ſimpliciter, & ubique eſt ſubditus: & ſic pro delicto in proprio territorio commiſſo poteſt in alieno excommunicari, ut diximus *num. 107.* Ille verò non ita. Et ita pro delicto commiſſo in proprio territorio non poteſt ligari cenſuris, quandò eſt extrà illud. Excipimus ibi; quandò preuentus eſt citatione, antequam diſcederet: quia tunc ratione iudicij inchoati habet Epiſcopus iuriſdictionem in illum. Syluest. *verb. Excommunicatio 2. num. 10.* Cornej. *de cenſur. in gener. diſp. 6. dub. 2. q. 3. & de excommun. diſp. 6. dub. ult.* Auil. *dub. 2.* Coninch, *num. 56.* Dian. *5. p. tractat. 9. reſol. 36.* N. Anton. *num. 137.*

*De his omnibus conſuli etiam poterit* N. Gabr. *tract. de cenſuris hic* & N. Lezana *verbo cenſura.*

*Alienigenas non ligat cenſura territorij.*

116. Vltimò inquires: An liget non ſubditos in ſuo territorio exiſtentes excommunicatio lata ab Epiſcopo pro delictis futuris præcauendis: ut ſi præcipiat ſub pœna excommunicationis, ne quis in Eccleſia furetur, vel pro præteritis emendandis: ut ſi præcipiat ſub pœna excommunicationis,

Digitized by Google

tionis, ut qui furtum fecit, reſtituat, vel qui furis notitiam habet, illum manifeſtet? Et an tale præceptum in ſubditos impoſitum liget non ſolum pręſentes, ſed qui tẽpore futuro erunt tales? Circa quod, omiſſis aliorum placitis, dicimus, primò: quòd ſi præceptum impoſitum ſit per modum ſtatuti, aut legis pro delictis futuris præcauendis ligat alienigenas in tali loco exiſtentes, ſi animò ibi ſint commorandi maiore parte anni, ſecùs verò ſi ſolùm tranſeunter ibi commorentur. Hoc ex profeſſo tractatu de legibus examinabitur, pendet enim ex illa quæſtione: *An leges territorij obligent alienigenas per illud tranſeuntes?* Nunc probatur breuiter prima pars concluſionis, quia lex, & ſtatutum datur in fauorem territorij; & ſic ligat omnes, qui in eo commorantur: ſecunda pars conſtat, quia ſi breui tempore ibi exiſtit, non acquiritur iuriſdictio, & ſubiectio, *leg. Quæſitum 3. ff. de legatis.* Ità Sanch. *de Matrim. lib. 3. diſp.* 18. *num. 6. & 16.* Cand. *diſq. 22. art. 28. dub. 3. & 10.* citans Leſſium *& dub. 7.* citans Suares, Syluest. *&* Sayr. Bonac. *num.* 21.

*Non tenentur alienigenæ cenſuris per modum ſententiæ prolatis.*

117. Dicimus ſecundò, quòd ſi Epiſcopus cenſuram impoſuit per modum ſententiæ, aut præcepti particularis pro aliquo caſu particulari, ut ſi præcepit ſub excommunicatione, ut omnes, qui ſcierint fures huius, vel illius rei, eos reuelent: non tenentur non ſubditi illi obedire: & ſic ſi ad eorum notitiam venerint illius furti delinquentes non tenentur eos reuelare: undè non ſubiacent excommunicationi, ſi non reuelent, *capit. A nobis 25. de ſentent. excommunicat.* quia excommunicatio per modum ſententię, aut pręcepti per ſe reſpicit perſonas tunc ſubditas præſcindendo à territorio, Auila *2. part. cap. 3. diſp. 2. dub. 3. concl. 3.* Armill. Syluest. Couarr. *&* Tabien. Sayr. *libr. 1. cap. 7. num. 22. & cap. 18. num. 7.* Còninch, *num. 59. & 60.* Suar. *diſp. 5. ſect. 5. num. 8. & 53.* citans Hugolin. Cornej. *de excomm. diſp. 6. dub. ult. in fin.* Dian. *5. par. tract. 9. reſ. 36. in fin.* Candid. *diſq. 22. art. 25. dub. 2. & 5. & art. 28. dub. 6.*

*Idem dicendum eſt de ſubditis, qui non erant tales, quando cenſura lata eſt.*

118. Eodem modo cum proportione philoſophandum eſt circa ſubditos futuros, quandò lex, vel ſententia profertur. Quòd ſi illa lex ſit perpetua & non reuocata, ligat non ſolum eos, qui ſubditi ſunt, quandò profertur; ſed qui alio tempore ſubditi fiunt: quia intentio ferentis illam eſt, ut ſemper duret: & ſic, licèt ſit ab homine, habet ſe tamquàm cenſura lata à iure, ſaltem pro tempore, quo ille viuit. Et idem eſt de ſententia generali præcipienti, ut omnes, qui furta ſciant, quandocumque fiant, ea manifeſtent. At verò ſententia particularis, ſeu quæ factum particulare reſpicit; *ut omnes manifeſtent huius furti complices, ſi ſcierint:* datur per modum præcepti tranſeuntis: & ſimul, & ſemel omnem ſuam vim exercet: proindeque eos ſolummodo reſpicit, qui ſubditi ſunt tempore, quo profertur: & ſic qui poſt talem ſententiam datam ſubditi fuerint, non ligantur excommunicatione lata per ipſam, etiamſi ſcientes fures non reuelent. Ità ferè omnes Auctores citati. Et quia tam iſti, de quibus locuti ſumus hoc numero, quàm illi, de quibus diximus *num. præced.* non fuerunt ſubditi Epiſcopi, quandò ſententia prolata fuit, aut præceptum impoſitum, non tenentur illud obſeruare; ideoque non ſunt rei delicti, ſi illud frangant, ac proindè non fiunt ſubditi illius Epiſcopi ratione delicti, & ſic nullo capite per cenſuram ab eo impoſitam poſſunt ligari. Per quòd ſoluitur obiectio, quàm ferè apud omnes Auctores dictos reperies.

## PVNCTVM X.

### *De cauſa, ob quam cenſura ferri poteſt, quæ eſt peccatum. Et an pro culpa veniali poſſit grauis cenſura ferri?*

*Aliqua cauſa culpabilis requiritur, ut cenſura licitè & validè ferantur.*

119. NOtum eſt omnibus, cauſam aliquam requiri, ut ſuperior cenſuras ferre poſſit tàm licitè, quàm validè. Vndè ſi pro ſuo arbitrio nulla extrinſecâ cauſa iuſta, & rationabili motus, cenſuras contra aliquem ferret: & ipſe grauiter peccaret abutendo poteſtate ſibi tradita non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem: & cenſuræ eſſent protſus nullæ: ſicut nulla eſt ſententia lata in cauſa ciuili, contra innocentes pro ſolo arbitrio Magiſtratus. Imò requiritur ex parte ſubiecti, in quod fertur, cenſura, aliqua culpa; quia illa pœna eſt, & ſic non niſi pro culpa debet applicari. Et talis culpa proportionata debet eſſe cum cenſura; & ideò maior culpa requiritur pro grauiori cenſura: & illa quæ ſufficit pro ſuſpenſione, aut interdicto, non ſufficit pro excommunicatione, quæ eſt grauior omnibus alijs. Et ratio eſt: quia inter pœnam, & culpam proportio obſeruari debet, & maximè quandò pœna eſt medicinalis: imprudens enim, & ſæuus eſſet medicus, qui pro leui infirmitate acerbiſſimas pœnas applicaret ægroto; & membrum ſecare, aut exurere contenderet, quod leuiori, & mitiori medicamine poſſet ſanare. Ità Auila 1. *part. dub. 9. concluſione unic.* Bonacin. *diſput. 1. quæſt. 1. punct. 3. numer. 2.* Candid. *diſquiſit. 22. artic. 7. dub 1.* Suarez *diſput. 4. ſect. 4. num 1.* & è N.N. Gabr. *a.* S. Vinc. hic, Anton. *ſect. 5.* Cornejo *diſp. 8. dub. 1. & 2.* Lezana. *num. 10.* Stephan. A. S. P. *de ſacram. diſp. 5. num. 264 & alij.*

*Debet peccatum eſſe contra præcepta Eccleſiæ, ut pro illo ferantur cenſuræ.*

120. Non autem qualecumque peccatum etiam grauiſſimum ſufficit, ut propter illud cenſura feratur, ſed debet eſſe peccatum contra præcepta Eccleſiæ, ſeu ſpecialiter ab Eccleſia prohibitum. Vndè non poteſt imponi pro peccato contra ius Diuinum, & naturale, ſi ſpecialiter ab Eccleſia non prohibeatur. Sunt enim cenſuræ inſtitutæ ad medendum contumaciam, & inobedientiam contra Eccleſiam iuxta illud Matth. 18. *Quod ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi, &c.* non eſt autem contumax, & inobediens Eccleſiæ, niſi qui præcepta illius contemnit, aut admonitus frangit, D. Thom. *in 4. diſt. 18. & in addit. quæſt. 21. art. 3.* Soto *in 4. diſt. 22. quæſt. 2. art. 1. concluſ. 2.* Suarez *ſect. 5. num. 6.* Coninch, *diſp. 13. dub. 8. num. 73.* Gibalin. *diſq. 2. q. 2. num. 8.* Palaus *diſp. 1. punct. 7. num 6.* Candid *art. 8 dub. 1 concl. 3.* Qui etiam docent, non utcumq; debere eſſe prohibitum tale delictum per pręceptum Eccleſiaſticum, ſed hoc præceptum pœnam illius cenſuræ debere continere propter ea, quæ ſup. *n.* 83. diximus. Et indè intulimus cenſuram ferri non poſſe pro peccato omninò præterito, vel præſenti, niſi etiam habeat tractum ſucceſſiuum ad futurum: proindeque non poſſe imponi cenſuras contra eũ, qui ieiunia Eccleſiaſtica non obſeruauit: qui in

Paſchate Euchariſtiam non ſumpſit, niſi in ordine ad futurum: videlicet niſi ſe emendauerit, niſi condignam ſatisfactionem adhibuerit, propter rationem ibi datam. Et ideò in *capit. Ex parte, de ſignificatione verborum*, enumerans Pontifex cauſas, ob quas cenſura ferri debet, inquit: *Quia reus citatus noluit parere iudici: aut à commiſſo delicto iuſſus ſe emendare noluit.* Vndè eſt communis Doctorum ſententia, quod ſtatim ac à peccato reſipuerit, emendatus fuerit, vel ſatisfecerit, tollenda eſt ab eo cenſura: quia eſt per modum medicinæ, quæ ſalute conſecuta, ceſſare debet, *cap. Qua fronte, de appellationibus, cap. Ex litteris, de conſtitutionibus.*

*Ob culpam alienam nemo poteſt ligari cenſuris.*

121. Sed inquires: An requiratur, quòd inobedientia, & contumacia, ob quam fertur cenſura ſit propria? An verò pro aliena culpa poſſit quis ligari cenſuris? Reſpondetur negatiuè, loquendo de excommunicatione: imò etiam de interdicto, aut ſuſpenſione perſonali (quidquid ſit de generali interdicto) quod ſupponimus tangere poſſe innocentes, *cap. Si ſententia, de ſententia excommunicat. in 6.* non ut pœna illorum; ſed ut pœna acerbior delinquentium, ut reſipiſcant, videntes quòd innocentes ſuis cauſis grauantur, & ut neceſſaria defenſio ipſius iuriſdictionis Eccleſiaſticæ: ſicut in bello iuſto innocentes occiduntur. Tale tamen interdictum pœna non eſt innocentium, niſi in quantum ſunt aliquid pertinens ad delinquentes, vel cum illis connexionem habens. Cuius ſignum eſt, quòd ſi mutent domicilium, ita ut non ſint de illa Ciuitate, Regno, aut Collegio, quæ ſunt interdicta; non ſunt ipſi interdicti. Quod ſecùs accidit in eo, qui eſt ſpecialiter interdictus: hic enim quocumque vadat, interdictus eſt, donec abſoluatur, *capit. Si habes 24. quæſt. 3.* Ratio aſſertionis deſumitur *ex capit. 2. de conſtitutionibus*; ibi: *Quæ culpa caret, in damnum vocari non debet.* Ergò qui eſt innocens ob culpam alterius, non debet tantum damnum, quale eſt cenſura, ſubire. Maximè, quià hæc eſt pœna medicinalis, quæ ægrotis, non valentibus, debet applicari, Matth. 9. *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.* Et hoc præcipuè currit in excommunicatione, quæ grauiſſima pœna eſt, pluribus priuans bonis ſpiritualibus, quibus æquum non eſt priuari innocentes. Ideoque ferri non poteſt in communitatem ob alicuius ex illa delictum *capit. Si ſententia, de ſententia excommun. in 6.* Ità Cornej. *loc. ſuprà citat.* Hugolin. *tabul. 1. capit. 17. §. 8.* Gibalin. *diſq. 3. quæſt. 1. num. 3. & 4.* Bonacin. *num. 3.* Suarez *diſput. 4. ſect. 1, numer. 2.* N. Anton. *à Spiritu S. num. 39.*

122. Sed objicies contrà dicta: quòd innocens poteſt puniri propter peccatum alterius: ergò non requiritur culpa propria, ut aliquis cenſura puniatur. Ans. prob. Tum, quia multoties Deus filios propter peccata parentum puniuit, Exod. 20. & 34. Deuteronom. 5. Hierem. 32. & multoties ſubditos propter peccata Principum; ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 108. artic. 4. ad 2.* & innocentes propter populi nequitiam: ut patet in diluuio, & in Sodomis; ubi tot innocentes periere ob delicta effrænatorum hominum. Tum etiam, quia plures leges Ciuiles, & Regulares Religioſorum ſolum obligant ad pœnam, quæ incurritur, ſi frangantur; tametſi in tali fractione nulla reperiatur culpa. Tum denique, quia dantur plures textus ſupponentes cenſuras imponi poſſe contrà veros innocentes. Nam *cap. inditet. 3. q. 7.* præcipitur, quod Iudex Eccleſiaſticus in ferendis cenſuris ſecundum allegata, & probata procedat; & tamen continget eſſe innocentem, qui ſecundum allegata nocens probatur. In *cap. Epiſcopo 11. q. 3.* dicuntur excommunicati innocentes, quos Epiſcopi quidam excommunicauerant, & in *cap.* Oduardus, *de ſolutionibus*, præcipitur relaxari excommunicationem latam contrà Clericum: qui ob rerum inopiam non poterat ſatisfacere creditori. Etſi relaxatio præcipitur, veram fuiſſe cenſuram ſupponitur, & tamen in eo non erat culpa, qui ſatisfacere non poterat.

*Solutio obiectionum præcedentium.*

123. Reſpondetur negando antecedens: & ad 1. probationem dicimus, illam non fuiſſe propriè pœnam reſpectu filiorum, ut erant perſonæ ſingulares, ſed ut erant aliquid parentum: quia filius aliquid eſt patris: & ut ſic aliquid mali perpeti poteſt ob delictum illius quod non eſt pœna reſpectu filij propriè ſumpta, ſed lato vocabulo, in quantum pœna eſt priuatio boni, & poteſt dari priuatio boni abſque delicto illius qui priuatur (& ſi non per modum pœnæ rigoroſæ, ſed pœnalitatis) in quantum ad maius bonum conducit. Sic infirmus priuatur membro, ſi conducit ad maius bonum totius: & homo priuatur pecunijs, quandò ad tuendam famam, vel ſalutem conducit. Ac denique in bello iuſto priuantur vita innocentes, in quantum conducit ad bonum Reipublicæ, & publicam pacem tuendam. Sic puniuntur filij, & ſubditi ob delictum parentum, aut Principum: quod propriè non eſt puniri, ſed grauari. Quo ſenſu dicitur *in cap. Quoniam frequenter, ut lite non conteſtata*, quòd licèt pœna non detur ſine cauſa, aliquandò datur ſine culpa. ¶ Ad 1. text. in 3. probat. adductum dicimus, iudicem, qui ſecundum allegata, & probata fert cenſuram, iuſtè ex parte ſua illam proferre, ſed in foro Dei, in innocente, qui reipſa eſt talis, nullum parit effectum, ſed eſt invalida, quamvis in foro exteriori quaſi cenſura ligatus ſe gerere debeat, propter ea, quę poſteà dicemus. In 2. autem textu non vocantur illi innocentes excommunicati iure, id eſt, verè, & validè, ſed facto: quia ab ipſis Epiſcopis excommunicatoribus à conſortio fidelium arcebantur. Eodem modo tertius textus exponendus eſt. Niſi mauis dicere, ibi *relaxari* non ſumi in proprio ſenſu, prout dicit à cenſura valida abſolui, ſed lato modo: id eſt, declarari in foro exteriori nullam fuiſſe talem cenſuram. ¶ Ad 2. dicimus, illas propriè non eſſe pœnas, ſed ut inquit D. Th. 2. 2. *q. 189. art. 9.* in ſtatutis Religionum ſunt conditiones, cum quibus acceptatur ſtatus: & in legibus ciuilibus ſunt quaſi conuentiones, vel tributa impoſita à Superioribus ad maiorem ſuarum legum obſeruantiam.

*Ob peccatum veniale cenſura minor poteſt ferri.*

124. Sed inquires: An ſemper debeat eſſe culpa mortalis, ob quam incurritur cenſura? An verò validè ferri poſſit ob culpas veniales? Notandum pro intelligentia eorum, quæ ſunt dicenda, nō ſolum excommunicationē in maiorem, & minorem diuidi; quod eſt frequentiſſimū, ſed etiam ſuſpenſionem, & interdictum, quamvis, ut communiter ferantur, ſemper ſint cenſurę maiores, nimirū ſuſpenſio ab officio, vel beneficio ad multū tempus,

&

Google

& interdictum pro aliqua ciuitate, vel communitate, & ad omnem uſum, quo ex ſe habet priuare, ſunt cenſuræ maiores; de quibus idem quoad præſens iudicium ferendum eſt, ac de excommunicatione maiori. At ſuſpenſio ad breue tempus, vel etiam interdictum particularis perſonæ, & ad breue tempus, & priuando aliquo uſu dumtaxat, minor cenſura dici poteſt. Et idem iudicium eſt de illis, ac de excommunicatione minori quoad præſens. Quæ minores cenſuræ ferri poſſunt ob culpas veniales: quia ſicut veniale eſt leue in ordine peccati, ſic iſtæ in ordine cenſuræ. Et ſic videmus, quod ob communicationem ciuilem cum excommunicato vitando, minor excommunicatio incurritur, cum tamen apud omnes talis communicatio, niſi fiat in contemptum cenſuræ, limites peccati venialis non excedat. Ità Suarez *diſp.4. ſect.4.num.2.* Coninch, *diſp.13. num.67.* Candid. *diſq. 22. art.7. dub.1. concluſ.3.* Palaus *diſput.1. punct. 3. num. 2.* Bonacin.*num.6.* Auila *2.part. cap.5. diſp.1.dub.2.* idem tenet pro excomm. minori N. Ant. *ſect.5.*

*Obiectio, & ſolutio illius.* 125. Nec contrà hoc facit, quòd excommunicatio minor priuat receptione Sacramentorum: quæ priuatio videtur grauiſſimum malum. Nam cum talis excommunicatio, ſicut aliæ cenſuræ dictæ poſſint facillimo negotio auferri à quocumque Sacerdote; qui poteſt à venialibus abſoluere, leue detrimentum iudicatur. Ità ſe habet quæcumque excommunicatio minor, lata à iure, vel ab homine generaliter, quæ eſt facilè auferribilis, & à quocumq; Sacerdote poteſt abſolui. At verò ſi aliqua ex his cenſuris, ſpecialiter ab homine lata, reſeruaretur, ut non poſſet niſi ab ipſo, aut difficulter abſolui: cum reddatur difficilis ablatu, iam cenſetur graue damnum: proindeque non poſſe niſi ob peccatum mortale ferri, docet optimè Diana *5.part. tract.9. reſol. 47.* ex Hurtad. *de cenſuris in comm. diſſ. 10. num.42.*

*Non poteſt ob peccatum veniale maior imponi excommunicatio.* 126. Loquendo verò de his cenſuris abſolutè ſumptis: ac proindè de excommunicatione maiori, de ſuſpenſione, & interdicto, ut ſic dicamus, maioribus, qualiter imponuntur communiter: dicendum eſt, numquam imponi, aut incurri poſſe, niſi pro peccato mortali, inualidamque eſſe cenſuram latam præcisè ob peccatum veniale. Ratio eſt: quia eſt contrà æquitatem, & iuſtitiam, quòd ob culpam leuem grauiſſima pœna imponatur; nam inter culpam in ratione culpæ, & pœnam in ratione talis debet ex iure ipſo naturæ proportio aliqua ſeruari: & proportio non ſtat in eo, quòd tantum ſit malum pœnæ, quantum malum culpæ; ſed quod culpæ, quæ in ratione culpæ eſt leuis, pœna in ratione pœnæ leuis correſpondeat: & quo grauior, grauior pœna illis imponatur: ergò non poterit pro leui culpa imponi maior cenſura, quæ ex ſe eſt pœna grauiſſima, & ſi imponatur, non ligabit reum, nec ullum effectum habebit.

*Proſequitur explicatio concluſionis, & probatio illius.* 127. Et proportio dicta maximè ſeruanda eſt in medicinalibus pœnis. Nam medicinæ grauiores, & aſperiores pro grauioribus infirmitatibus ſunt applicandę, non pro leuibus. Quis enim non accuſabit imprudentiæ, vel crudelitatis medicum, qui pro curatione leuis ægritudinis ſecaret, ureret, aut cruentaret? Sic excuſari non poſſunt ab imprudentiæ nota Prælati, qui ob leues culpas graues cenſuras imponunt. Imò nihil efficiunt, cum ex æquitate naturæ proportio dicta debeat obſeruari, & ex iure diuino Chriſti, qui ad lucrandum fratrem deperditum (quod abſque graui culpa commiſſa, non verificatur) imponendam ſtatuit cenſuram. Math.18. *ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Et etiam hoc habetur ex iure poſitiuo, *cap. Nemo Epiſcoporum, cap. Nullus Sacerdotum 11. quæſt. 3. Concil. Trident. ſeſſ.25. cap. 3. de reformatione in principio.* Quæ iura licèt loquantur de excommunicatione maiori; idem propter eamdem rationem ſentiendum eſt de alijs cenſuris tenent Suarez *tom.5 in 3.part.diſp.4.ſect.4.n.2.* N.Cornej.*de excomm.diſp.3.dub.3.* Coninch, *n.67.* Soto, *in 4.diſt.22.quæſt.1.art.2.concl.1.* Bonac.*n.6.* Auila *2 part.cap.5.diſp.1.dub.2.* Gibalin.*diſq.2.quæſt.2. n.2.* Sanch.*lib.1. Decalogi cap.4. n.3.* Palaus *diſp.1. punct.7 n.2.* Candid.*concl.2.* N. Ant.*n.37.*

*Aliqua ex dictis inferuntur.* 128. Ex quo infertur 1. Nec Summum Pontificem poſſe pro culpa leui cenſuram grauem imponere: quia proportio dicta inter pœnam, & culpam, non ſolum ex iure poſitiuo, ſed etiam naturali, & diuino exigitur: 2. prius eſſe quod aliquis culpam lethalem committat, quam quod cenſuram grauem incurrat. Vndè ea omnia, quæ excuſant à commiſſione culpæ mortalis, excuſant etiã ab excommunicatione, v.g. incurrenda: 3. quod ſi à Prælatis aliquid, quod in ſe abſolutè, & inſpectis omnibus, eſt leue, ſub pœna cenſuræ præcipiatur, nec obligabit ad peccatum mortale tale præceptum, nec cenſura incurretur ob fractionem illius. Secundum ſequitur ex 1. quod probatur: quia præceptum ſub cenſura ab homine impoſitum non habet maiorem vim obligandi, quam præceptum iuris naturæ, aut diuini: ſed præceptum diuinum, aut naturale non obligat ſub mortali, ſi cadat ſuprà materiam, quæ, inſpectis omnibus, eſt leuis: & ſic præceptum de non mentiendo, de non furando, ſi per materiam leuem frangatur, non eſt peccatum mortale. Vndè merito reprehenduntur ab Auctoribus Prælati, qui ex ſupina ignorantia, vel animi temeraria leuitate, cenſuras imponunt ob res, quæ nec ſecundum ſe, nec in ordine ad regimen pacificum, vel ad alium finem intentum graues prudenter iudicantur. Ità Caſtr. *lib.1. de lege pœnali, cap.1. document.2.* Soto *ſupr.* Cornej.*dub. 3. citat in ſolut.3. obiect.* Gibalin. Coninch, Candid. Palaus *locis adduct. &* Suarez, *ſect.6. num.9.*

*Obiectio, & ſolutio illius.* 129. Sed objicies: quod in *Canon. ſi quis ſuadente 17. quæſt.4.* excommunicantur, qui leuiter Clericos percutiunt: & ideò Clemens III. *in cap. Peruenit de ſententia excommunicationis*, committit abſolutionem excommunicationis, ob percuſſionem leuem incurſam, ordinarijs: in quo ſupponit, leuem percuſſionem eſſe ſufficientem ad incurrendam talem cenſuram: cum tamen leuis percuſſio Clerici limites peccati venialis non excedat. ¶ Sed hoc nihil obſtat: quia loquitur Innocentius de percuſſione, quæ licèt in ratione peccati ſit grauis, & per peccatum mortale fiat: in ratione tamen percuſſionis eſt leuis: id eſt, non enormis, ut eſſet mutilatio, aut occiſio ipſius, aut magna effuſio ſanguinis. Et conſtat eſſe peccatum mortale Clericum percutere, licèt non cum tanta enormitate percutiatur.

*Difficilior obiectio proponitur.* 130. Sed difficilior eſt obiectio ſecunda quæ ſic ſe habet. Nam Prælati poſſunt prohibere ſub

pœna

Digitized by Google

pœna excommunicationis rem ex ſe leuem, vel indifferentem, & nemo dicet oun obligare tale præceptum, aut non incurri cenſuram, per fractionem illius. Quis enim negabit, incurri excommunicationem latam ab Inquiſitoribus contrà eos, qui non conueniunt ad Eccleſiam tempore, quo edictum Sanctæ Inquiſitionis legitur? Quis dicet, non incurrere excommunicationem eum, qui non interfuit publicæ proceſſioni, ob pacem vel ceſſationem peſtis ordinatam, quandò ſuperior ſub pœna excommunicationis, præcipit talem aſſiſtentiam? Quis non aſſirmabit incurrere excommunicationem ſubditum Regularem, qui ingreditur domum; cuius ingreſſus eſt à ſuo Prælato ſub excommunicatione prohibitus? Quis non dicet, Clericum nutrientem comam contrà præceptum, ſi imponatus, ſui ſuperioris, ſub excommunicatione huiuſmodi ornamentum prohibens, incurrere talem cenſuram? Aliàs numquam Prælatus, niſi quod eſt de iure naturali, & diuino præceptum poſſet ſub cenſura iniungere: nec verificaretur aliqoid eſſe malum, quia prohibitum iure humano. ¶ Confirmatus. Quia hoc ipſo quod Prælatus ſub præcepto continenre cenſuram aliquid præcipiat, fractio talis præcepti erit peccatum mortale; quamuis materia aliàs non eſſet grauis, ſed leuis, & ſorte indifferens: ergò in materia leui poterit cenſura grauis incurri, ſuppoſito præcepto ſuperioris ſub cenſura illam præcipientis, aut prohibentis.

*Soluitur obiectio præcedens.* 131. Sed pro ſolutione obiectionis notandum eſt, aliquam poſſe dici materiam leuem dupliciter: vel in ſe abſolutè conſideratam: vel tam in ſe, quàm inſpectis omnibus circumſtantijs acceptam. Illa enim, quæ leuis, vel indifferens eſt ex parte ſua, poteſt eſſe grauis vel ratione ſcandali, aut periculi procedendi ad grauiorem culpam; vel ex fine intento à ſuperiori ad quem maximè conducit: vel ex alijs circumſtantiis, quibus omnibus inſpectis, quamuis, præciſo ſuperioris præcepto, non ſit peccatum lethale in illa delinquere, hoc tamen ſuperaddito, fit grauis materia: quia ad bonum regimen conducit multum eam prohibere, vel ratione ſcandali, quod generare poteſt, vel ratione nocumenti, periculi, &c. Dicimus ergò, quòd quandò materia eſt ex ſe leuis, aut indifferens, multum tamen ad finem Legiſlatoris conducens ratione alicuius circumſtantiæ ex enumeratis, prudenter, & iuſtè imponitur præceptum ſub cenſura, cuius fractio erit peccatum mortale, ac proindè tunc cenſura incurretur. Quod accidit in caſibus enumeratis in obiectione, & ſimilibus. At ſi res leuis ſit in ſe, & in ordine ad finem intentum leuiter conducens, vel diſparatè ſe habens, non poteſt cadere ſub præcepto grauiter obligante, nec ligabit cenſura in eo contenta. Ità Auctores citati. Qui dicunt, relinquendum eſſe arbitrio prudentum cognoſcere, quandò leuiter, aut grauiter ad finem Legiſlatoris intentum talis materia conducat, qui inſpectis circumſtantijs, perſonâ, qualitate rei, & locis id iudicare debent.

*Vide hic N. Aut. tract. de cenſuris diſ. 1. n. 42. & in directorio regul. p. 2. tract 3. d. 6. n. 89.*

*Solutio data amplius explicatur.* 132. Ex quo ſequitur, multoties grauiter ab una lege præcipi, quod leuiter ſub alia continetur: quia ad finem illius multum conducere poteſt, non iſtius. Ideoque plures Canones, qui videntur prima facie rem leuem ſub excommunicatione præcipere grauiter obligabant illo tempore: quia ad finem intentum talis materia erat multum conducens; cum tamen modò non obligent: quia non ſit modò grauis materia ex adiuncta circumſtantia: ut comeſtio ſanguinis, & ſuffocatorum; tametſi ex ſe indifferens, tempore Apoſtolorum ratione ſcandali erat materia grauis ſub præcepto grauiter obligante prohibibilis; non autem modò, quia iam periculum ſcandali ceſſauit. Comeſtio unius pomi non poteſt eſſe modò grauis materia, quæ ſub præcepto obligante ad mortale prohibeatur; ſed in Adamo fuit grauiſſima: quia prohibita fuit illi in tributum quoddam humanæ ſubiectionis: ut inquiunt Sanch. *lib. 1. Decalog. cap. 4. num. 6.* Gibalin. *diſq. 2. quæſt. 2. num. 5.* Debet tamen conſtare, & eſſe certiſſimum, quod materia eſt leuis, inſpectis omnibus, ac ferè nullius momenti, ut præceptum ſuperioris maximè cenſuram continens non obliget: quia in dubio ſemper pro præcepto iudicandum eſt, ut rectè aduertit N. Cornej. *diſp. 3. dub. 3 in ſolut. 3. difficult.* Et ut perplexitates, dubiaque, & offendicula conſcientiæ euitentur, curandum eſt maximè Prælatis, ob materias leues, quas non conſtat, ad diſciplinam religioſam conducere, ſubditos cenſuris non grauare, ne deſpectui habeantur, & conſcientiæ illorum innodentur, ut rectè notauit Diana 5 *part. tract. 5. reſol. 47. in fine.*

*Aliqua notanda ſupponuntur.* 133. In confirmatione adducta num. 130. tangitur grauis difficultas: An hoc ipſo quòd in præcepto ſuperioris cenſura contineatur, cenſeatur ſub mortali obligare, etiamſi hoc non exprimatur in illo? Et ſupponimus, nec eſſe de materia, quæ, omnibus inſpectis, eſſet leuis, quia ſic iam diximus non obligare grauiter, etiamſi hoc ipſo exprimeretur: nec eſſe de materia ex ſe graui: quia tunc abſque dubio grauiter obligabit; ſiuè ſub cenſura latæ ſententiæ, vel ferendæ imponatur: Quia præceptum ſuperioris de re graui ſemper grauiter obligat, etiamſi non coniungatur cum cenſura. Nec ab eo auferiur grauitas obligandi ex eo, quod cenſura in eo inueniatur, ſed potius talis grauitas augetur, ut eſt per ſe notum: quare dubium eſt, quandò materia eſt ex ſe leuis, vel indifferens, ſed quæ multum ad finem intentum Legiſlatoris poteſt conducere: & quæ præciſo præcepto, non eſſet peccatum mortale: An videlicet hoc ipſo quòd ſub cenſura præcipiatur, cenſendum erit grauiter obligare tale præceptum? Et hanc eſſe intentionem Legiſlatoris, etiamſi hoc non exprimat in illo. Et poteſt eſſe ſermo vel de præcepto continente cenſuram latæ ſententiæ, vel ſolummodò ferendæ. Quibus ſuppoſitis.

*Præceptum ſub cenſura latæ ſententiæ ſemper obligat ſub mortali.* 134. Dicendum eſt 1. quod ſi loquamur de præcepto continente cenſuram latæ ſententiæ, tale præceptum obligabit hoc ipſo ſub mortali: ac proindè qui fregerit illud, ipſo facto cenſuræ latæ ſubiacebit. Ratio eſt: quia qui vult aliquid, etiam velle cenſetur omne, quod ad illud neceſſariò requiritur, *cap. Prætereà, de officio delegati.* Sed ut cenſura grauis incurratur, neceſſariò requiritur peccatum mortale præcedere, ut dictum eſt: ergò ſuperior, qui vult ipſo facto incurri cenſuram, vult obligare ſub peccato mortali ad obſeruandum præceptum continens illam. Ità tenent Bonacin *num. 8.* Caſtro, *libr. 1. de lege pænali,*

*nali, cap.5. docum. 4. in fine*, Auila 2.*part. cap.5. diſp.* 1. *dub.*2. Cornej. *diſp.* 3. *dub.* 3. Soto *in* 4. *diſt.*22.*quæſt.*1.*art.*3. Suarez *diſp.*4.*ſect.*6.*num.*11. *& alij.*

*Quid, ſi præceptum ſit cenſura ferenda.*

135. Dicendum eſt 2. quod ſi loquamur de præcepto ferendæ ſententiæ cenſuram continente, ſi in eo non contineatur clauſula: *quod abſque ulla monitione talis cenſura poſſit à iudice applicari* (quo caſu ipſum præceptum ſe habebit ut monitio iuxtà dicta ſuperius) non obligat ſub mortali. Si tamen talis clauſula apponatur, (ſine qua ſemper, ut diximus punct.7. monitio debet præcedere) obligabit eo ipſo grauiter. Hæc ſecunda pars concluſionis conſtat: quia comminatio pœnæ non adiungitur legi, niſi tranſgreſſio legis ſit digna tali pœna: & maximè, quandò ita adiungitur, ut ſine monitione poſſit incurri: quia hoc ipſo, abſque alio peccato, poteſt talis pœna ſubiri: ergò tranſgreſſio talis legis erit peccatum mortale, eritque intentio Legiſlatoris ſub illo obligare ad eius obſeruantiam. ¶ Quod autem non detur talis obligatio, quandò lex monitionem requirit, probatur: Quia eo ipſo quod requiratur monitio, & aliàs non eſt materia multum grauis, eſt ſignum nolle præcipientem obligare; niſi poſt monitionem. Cæterum hoc ipſo quòd monitionem præcedere ad incurrendam cenſuram requiratur, ex vi præcepti imponentis cenſuram non exigitur obligatio grauis, cum hęc ſolum ex vi illius probaretur, quatenus erat neceſſarium, ut incurreretur cenſura: ſed hæc poſt monitionem incurritur, & poſt monitionem iam datur peccatum mortale, non quia contrà primum præceptum, ſed quia contrà præceptum monens delinquitur: ac proindè ſolum erit peccatum mortale, quandò poſt monitionem requiſitam ad incurrendam cenſuram (quam ſuprà punct.8. diximus debere eſſe trinam, aut unam pro tribus) contrà præceptum agitur. Ità Soto *cit. art.*2. Caſtro *lib.*1. *de lege pœnali ante documentum* 3. quos refert, & ſequitur Auila 2.*part. cap.*5. *diſp.*1.*dub.*3. citans etiam pro hac parte Armiliam, Sylueſt. Caiet. *&* Conrad.

## PVNCTVM XI.

*An pro actu purè interiori poſſit ferri cenſura? Vbi etiam an debeat eſſe actus in ſuo genere exterius conſummatus, ut cenſura incurratur?*

*Ob actum purè interiorem non poteſt ferri cenſura.*

136. REquiri actum peccaminoſum exteriorem, ut incurratur cenſura: ac proindè ob peccatum purè mentale non poſſe aliquem cenſura ligari, & talem actum ab Eccleſia ſub pœna cenſuræ non poſſe præcipi, conſtat ex illo 1. ad Corinth.4. ubi Deus ſolummodo cordium ſcrutator dicitur, & ex illo communi proloquio, *quod Eccleſia non iudicat de occultis*, deſumptum ex *Canon. conſuluit* 2. *quæſt.*5. *Canon. cogitatio, de pœnitentia quæſt.* 1. & ex ipſa ratione. Quia licèt Eccleſiæ poteſtas ſit ſpiritualis reſidet in hominibus, qui humano modo, id eſt, ſenſibili debent operari: & ſic non poteſt niſi circà res exteriores, & ſenſibiles uſum habere. Quemadmodum poteſtas conficiendi Sacramenta ſpiritualis quidem eſt, ſed non niſi ad ſenſibilia ordinatur: quia in hominibus reſidet, qui non, niſi ſenſibili modò, poſſunt operari. Vndè non ſolum cenſura lata ab homine, ſed etiam à iure, pro actu purè interno eſt nulla: quia, ut inquit D. Thom. 1.2. *quæſt.* 91. *art.*4. de his poteſt homo legem ferre, de quibus poteſt iudicare. Ità communiter Doctores Gibalin. *diſq.*2. *quæſt.*2. *num.*7. Palaus *diſp.*1.*punct.*7. *num.*3. Sayr. *lib.*1.*cap.*9. *num.* 14. Cornej. *diſp.* 8. *dub.*3. Auila 1.*part. dub.*10. *concluſ.* 1. Diana 6. *part. tract.* 9. *reſol.*48. Coninch, *diſp.*13.*dub.*8. *num.*71. Bonacin. *quæſt.*1. *punct.* 3. *num.* 4. Candid. *diſq.*22. *art.*7. *dub.* 1. N. Anton. *diſ.* 1. *numer.* 44. N. Stephan. *numer.*264.

*Ob hæreſim purè internam non incurritur excommunicatio.*

137. Ex quo ſequitur, non incurri excommunicationem ob hæreſim purè mentalem: niſi exterius verbo, vel ſigno exprimatur. Imò etiam ille, qui extrinſecè exercet actum hæretici, aut infidelis ſine interiori aſſenſu, vel errore intellectus: ut ſi timore ductus idola adoraret, aut negaret Eccleſiæ dogmata abſque animo, & aſſenſu interiori, non incurreret excommunicationem latam contrà hæreticos, in foro conſcientiæ, & coram Deo, quamuis in foro exteriori iudicetur ut excommunicatus: quia cenſura lata contrà hæreticos ſolum hæreticos verè, & propriè tales comprehendit. Sed quandò actus exterior ex interiori non procedit, homo non eſt verè, & propriè hæreticus: quia ad hæreſim formaliter talem error in intellectu requiritur: ergò, &c. Ità Auctores omnes ſuprà citati.

*Quando actus interior eſt de ſubſtantia exterioris, iſto præcepto, ille debet apponi.*

138. Similiter ſiquis apponat actum externum, qui ſub cenſura pręcipitur abſque ullo actu interiori, non incurrit cenſuram contentam in tali præcepto. Vt ſi ſub cenſura pręcipiatur, quòd omnes tali die ſumant Euchariſtiam: ſi quis omninò diſtractus Euchariſtiam ſumat, ponit quoad ſubſtantiam, quod præcipitur; & ſic non eſt tranſgreſſor præcepti. Sed hoc verum eſt, niſi actus interior ſit de ſubſtantia ipſius exterioris: (ut in ſententia probabiliori: quam ſecuti ſumus *tom.*1. de ſubſtantia orationis eſt interior attentio intellectus) ſi ſub excommunicatione præciperetur recitatio Officij Canonici, aut auditio ſacri: qui omninò diſtractus recitaret illud, vel audiret iſtud, talem excommunicationem incurreret: quia ſubſtantiam præcepti non apponeret. Ità Suarez *diſp.*4 *ſect.*2.*num.*27. *& ſect.*3.*num.*18. *&* 20. Bonac. *num.*5. Filiuc. *tract.* 11. *cap.*7.*quæſt.* 3.*n.*166. Leand. *tract.*1. *de cenſuris diſp.*8.*quæſt.*7. N.Ant. *n.*47.

*Actus interior ut coniunctus cum exteriori cadit ſub Eccleſiæ poteſtate.*

139. Sed pro intelligentia horum, & ſolutione aliquarum obiectionum, quæ contrà datam concluſionem ſolent apponi, notandum eſt, quòd licèt Eccleſia actum purè interiorem nequeat præcipere, aut prohibere, bene tamen illum, ut ſimul cum exteriori coniungitur, tamquam cauſa cum effectu, vel effectus cum cauſa, vel tamquam modus neceſſarius rei, quæ præcipitur. Quia ſic qui erat in ſe inſenſibilis, fit ſenſibilis per aliud, uti in confeſſione accidit, in qua actus interiores abſoluuntur ſecundum quod per confeſſionem manifeſtantur, & fiunt ſenſibiles per illam. Et hoc modo punit Eccleſia ſimoniam mentalem, non illam, quæ tantum in interiori habetur: & ſic in *cap. Finali de ſimonia* dicitur, quod donatio procedens ex animo ſimoniaco,

Digitized by Google

moniaco, ſi non probatur exterius, ab Eccleſia non punitur; ſed quæ ex animo interiori inuoluit largitionem pecuniæ aut beneficij: ſimiliter in *Concil. Toletan.* 1. *in confeſſione fidei*, dicitur: *Qui dixerit, aut crediderit, mundum hunc non eſſe à Deo Omnipotenti factum, Anathema ſit.* Vbi leg. *Aut* non ſumitur disjunctiuè, ſed copulatiuè, ac ſi dicat *qui credendo dixerit, vel dicendo crediderit.* Et eodem ſenſu in *cap. Ad abolendum, de hæreticis.* Excommunicatur, qui aliter quam Romana Eccleſia, docuerit, vel ſenſerit. Et Clement. *de Hæreticis, §. Verum.* Excommunicantur Inquiſitores, qui odio, vel amore aliquid faciunt, aut facere omittunt. Vndè ſi odium Inquiſitoris ſolum ſit interius, & non moueatur ex illo ad aliquid faciendum, vel omittendum contrà iuſtitiam, talem excommunicationem non incurret. Et in *Canon. ſi quis diſ.* 30. ex *Concil. Grangenſ. cap.* 8. Anathematizatur, qui in die Dominica ieiunat in contemptum talis diei. In his caſibus actus interior ſub excommunicatione præcipitur, ſed ut coniunctus cum exteriori. Et eodem ſenſu, quandò dicitur: *Si quis ſcienter hoc fecerit, ſit excommunicatus:* ubi non ipſa ſcientia prohibetur, ſed actus exterior cum illa coniunctus.

*Aliquæ obiectiones proponuntur.*

140. Sed adhuc objicies contrà concluſionem: quod videtur, quòd actus purè interior cadat ſub iuriſdictione Eccleſiæ. 1. Quia Eccleſia poteſt diſpenſare in voto purè interiori tam quoad actum, quam quoad materiam: ut ſi ſit votum faciendi tot actus amoris Dei. Imò etiamſi non manifeſtetur tale votum, poteſt Prælatus Regularis generaliter omnia vota ſuorum ſubditorum irritare, & tamen relaxatio voti eſt actus iuriſdictionis; 2. quia etiam reſeruatio eſt actus iuriſdictionis, & poteſt Pontifex, vel Prælatus Regularis, reſeruare ſibi plura peccata, purè interiora, ſuorum ſubditorum, ut nunc ſupponimus. 3. quia quandò Eccleſia definit aliquid tamquam de fide obligat ad actum interiorem, quo aſſentiatur fidelis propoſitioni à ſe definitæ. 4. denique: quia delictum exterius, quantumuis occultum poteſt ſub excommunicatione prohiberi: & ſic qui intrinſecè & extrinſecè fuerit hæreticus ab Eccleſia excommunicatur, etiamſi fuerit occultus. Ergò ſimiliter delictum interius: quia non minus eſt occultum unum, quam aliud

*Soluuntur obiectiones propoſitæ.*

141. Reſpondetur ad 1. quod Eccleſia ſolum diſpenſat in votis, quæ ſibi manifeſtantur; & ſic fiunt per manifeſtationem ſenſibilia: ſicut ſolum à peccatis abſoluit, quæ in confeſſione ſenſibilia fiunt. At Prælati Religionum non ratione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſed ratione pleni dominij, quod habent etiam in voluntates ſubditorum, poſſunt irritare vota purè intrinſeca: ſicut pater reſpectu filiorum, & vir reſpectu uxoris: in quibus non datur iuriſdictio Eccleſiaſtica, ſed plenum dominium explicatum. ¶ Ad 2. reſpondetur, quod reſeruatio non eſt actus iuriſdictionis directè exercitus circà peccata interiora, ſed ad ſummum circà miniſtrum inferiorem, cui limitatur iuriſdictio, ut non poſſit abſoluere à talibus peccatis interioribus, ſibi in confeſſione manifeſtatis. ¶ Ad 3. reſpondetur: quòd quandò Eccleſia aliquid de fide definit, ipſa non obligat ad aſſenſum interiorem, ſed ſolum ad exteriorem, ex iure verò diuino obligantur fideles ad aſſentiendum his, quæ ab Eccleſia definiuntur. § Ad 4. dicimus, quòd delictum exterius, licèt in occulto perpetratum, eſt ſolum per accidens occultum; quia non adeſt, undè probetur; per ſe tamen manifeſtum eſt, & ſenſibile: & ſic Eccleſia poteſt imponere cenſuras pro delictis occultis per accidens, ut de facto imponit excommunicationem à iure propter hæreſim occultam, licèt ab homine non poſſit talis cenſura imponi, quamdiu ſibi non apparet. Ita Auila 1. *part. dub.* 10. *concluſ.* 2. Coninch. *diſp.* 3 *dub.* 3 *in fine*, Candid. *ſupr. cit.* Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 10. *dub.* 1.

*Si exterior actus interiorem prauum plenè non ſignificat, non incurritur cenſura.*

142. Sed inquires 1. An ſi actus exterior procedat ab interiori malo, ſed non ſit plenè ſignificatiuus illius, ſufficiat ad incurrendam cenſuram pro tali actu poſitam, ut ſi, v.g. aliquis mente aſſentiens hæreſi, & de illâ cogitans percuteret menſam, aut femur dicens: *Ita eſt*, in quo non plenè ſignificatur, eum hæreſim in mente habere? Reſpondetur negatiuè. Sed ut incurratur cenſura pro tali actu poſita, neceſſarium eſt, eum ſignificare hæreſim in mente habitam, ita quòd ſi aliquis eſſet præſens, cognoſceret eum in talem errorem incidiſſe. Quia ille actus exterior ſub eâ ratione malitiæ eſt omninò occultus Eccleſiæ: quia ex materia non habet talem malitiam, nec eſt ſignum intrinſecæ malitiæ: & ſic malitia illa hæreſis tam per ſe, quam per accidens eſt occulta Eccleſiæ. Atque ita tenent Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæreſis punitione*, *cap.* 18. *fol.* 232. Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 20. Turrianus *de cenſuris*, *lib.* 1. *diſp.* 4. *dub.* 2. Gibalin. *diſq.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 16. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſ.* 49. Coninch, *diſp.* 13. *dub* 8. *num.* 71. Leand. *tract.* 1. *diſp.* 8. *quæſt.* 5. N. Ant. *n* 46. Ex quo infertur, quòd ſi aliquis hæreticè iudicaret, comeſtionem carnis, v.g. in Quadrageſima eſſe licitam, aut fornicationem ſimplicem: & ex illo errore carnem comederet, aut in fornicationem incideret, niſi aliundè manifeſtaret hæreſim, quam in mente habebat, nec oſtenderet illos actus ex tali errore procedere, non incideret in excommunicationem latam contrà hæreticos propter eamdem rationem.

*Debet perfectè exterior actus interiorem ſignificare.*

143. Addimus, quòd licèt actus eſſet ex ſe malitiæ ſignificatiuus, ſed non perfectè, non incurreretur propter illum cenſura lata contrà exercentes talem actum: ut ſi aliquis affectu occidendi Clericum mitteret ſagittam in ipſum, ſed caſu dumtaxat leuiter vulnerauit eum; ita ut abſolutè ex parte effectus omninò eſſet leuis talis læſio: quia in *Canon. ſi quis*, excommunicatur ille, qui grauiter modo dicto *num.* 129. Clericum vulnerauit in effectu; ſed licèt hic in affectu grauiter vulnerauit Clericum, in effectu autem leuiter: ergò non incurret talem excommunicationem. Ità Soto *in* 4 *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art* 2. Sanch. 2. *Decalogi cap.* 8. *num.* 7. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 41. Portel. *de excommunicat. in addit. num.* 11. Suarez *ſect.* 3. *num.* 5. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 16 *num.* 3. Sayr. *num.* 7. Gibalin. *num.* 14. Bonacin. *num.* 7. N. Ant. *num.* 47. § Similiter ſi actio de ſe eſſet inſufficiens ad effectum exteriorem; & hic aliundè ſequatur, non incurritur excommunicatio propter talem actionem impoſita: Vt ſi eſſet lata excommunicatio contrà homicidas, & aliquis animo occidendi hominem eum percuteret, ſed non lethaliter: & mors aliundè ſequeretur; hic non incurreret talem excommunicationem; quia

ad

ad cenſuram incurrendam ille actus exterior requiritur, qui prohibetur ſub illa, ſed per prohibitionem homicidij ipſa mors ut ſecuta ex animo occidendi, & ex lethali vulnere requiritur: ergò, &c. Ità Bonacina *ſupr. num.* 16. Suarez *num.* 6.

*Debet eſſe actus conſummatus, ut incurratur cenſura.*

144. Secundò inquires: An peccatum, ob quod incurritur cenſura, non ſolum debeat eſſe exterius, ſed ex genere ſuo conſummatum, & completum ſecundum proprietatem verborum, quibus lex imponitur? Reſpondetur affirmatiuè, niſi aliud per legem exprimatur, *argumento ex cap. Perpetuæ ſanctionis, de electione in 6.* Et ratio eſt: quia odia ſunt reſtringenda, ſicut, & fauores ampliandi: ergò lex continens cenſuram, quæ eſt pœnalis, & ſic odioſa: ſecundum proprietatem verborum debet interpretari. Ideoque, niſi aliud exprimatur, de actu ex genere ſuo completo debet exponi, ut ſi ſtuprum vetet ſub excommunicatione; qui tactus, oſcula, &c. Cum conſanguinea habuerit, non incurret illam; ſed qui actum carnalem conſummatum; nec qui conatur percutere Clericum grauiter, ſi non percutiat; vel quia ſe defendit, vel ex alia cauſa. Coninch *num.* 75. *&* 76. Hurtad *diſſ.* 13. *num.* 58. *&* 59. Sanch. *de matrim. lib.* 3. *diſp* 2. *num.* 5. Suarez *num.* 7. *Auil.* 1. *part. dub.* 11. *&* 2. *part cap.* 5. *diſp.* 3. *dub* 5. Diana *reſ.* 59. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 10. Gibal. *num* 9. Bonac. *num.* 12. N. Ant. *num.* 48. Steph. A. S. P. *loc. cit.* ¶ Sed diximus: *niſi aliud per legem exprimatur.* Quia ſi per illam exprimatur ſe velle punire affectum, & conatum, non requiritur actus ex genere ſuo completus ad incurrendam cenſuram, quæ in lege continetur iuxta dicta *num.* 79. & ideo *in cap.* 1. *de homicidijs in 6.* excommunicantur mandantes occidere per aſſeſinos, & tunc, etiam morte non ſecuta; appoſito tamen mandato, excommunicatio incurritur. Similiter in *Clement. de pœnis, cap.* 1. excommunicantur Religioſi mendicantes, qui in concionibus verbis conantur auertere populos à ſolutione decimarum: quam incurrunt, etiamſi effectus non ſequatur.

## PVNCTVM XII.

### *Vtrum excommunicatio, vel alia cenſura lata contra facientes aliquem actum, comprehendat etiam mandantes, & conſulentes? Et qualis reuocatio mandati, aut conſilij requiratur, ut non incurratur cenſura impoſita contra conſulentes, & mandantes?*

*Mandans, aut conſulens non continetur ſub præcepto, niſi exprimantur.*

145. Circa primum huius puncti quæſitum dicendum eſt, quod quando à iure, vel ab homine imponitur cenſura contra facientes aliquod opus, non comprehendit mandantes, vel quouis alio modo ad tale delictum concurſum præbentes, niſi implicite, vel explicite in tali præcepto nominentur. Hoc ultimum dicimus: quia ſiuè præceptum dicat expreſſe, *quod mandans, vel conſulens homicidium, ſit excommunicatus*, ſiuè dicat ſolummodo: *committens homicidium, aut quacumque ratione illius cauſa exiſtens ſit excommunicatus*, omnes aſſerunt, mandantes, aut conſulentes comprehendi: proindeque ſi ſequatur homicidium, non ſolum exequens, ſed etiam mandans, & conſulens erunt excommunicati. In dubio vero an comprehendantur vel non, mandantes, & conſulentes, ſub præcepto? Dicendum erit non comprehendi, quia cum pœnæ ſint reſtringendæ, in dubijs eſt benignior pars amplectenda. Ità Bonac. *diſp.* 1. *qu.* 5. *punct.* 6. *num.* 1. Auila 2. *part. cap* 5. *diſp.* 3. *dub.* 2. *&* 6. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſ.* 57. N. Ant. *num.* 49.

*Probatur rationibus concluſio.*

Prima vero pars concluſionis probatur primò à poſteriori. Quia quoties ius vult comprehendere ſub lege cenſuram continente mandantes, aut conſulentes, id exprimit, ut conſtat ex *cap. Felicis, de pœnis in 6. & Clement. ſiquis ſuadente eodem titulo*: ergò quando non exprimit, non comprehenduntur. A priori: quia cenſuræ, cum ſint pœnales, ac proindè odioſæ, non debent extendi de uno caſu in alium ſimilem, ſed ſolum ſunt accipiendæ pro illo caſu propriè, & rigoroſe accepto, qui in forma præcepti exprimitur: ſed mandans, aut conſulens aliquod delictum non dicitur propriè, & rigoroſe illud facere, *cap. Siquis viduam, diſp.* 50. ubi dicitur; diuerſa eſſe mandare, & facere. Ideoque cernimus mandatum, aut conſilium factum præcedere; & ſic non ſunt ipſum factum: ergò cenſura lata contra facientes non comprehendit (niſi exprimat) conſulentes, aut mandantes. Ità tenent Sanch. *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 49. *nu.* 2. Caiet. *in ſumm. verb. Excomm.* Auil. *dub.* 2. *concl.* 1. Conin. *diſp.* 14. *nu.* 188. Bonac. *loc. cit.* Dian. *reſ.* 57. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 7. *nu.* 12. Gibal. *diſq.* 5. *quæſt.* 3. *nu.* 1. Et licèt aliqui ex his nonnullas limitationes ponant, nos vniuerſaliter cum Diana, Gibalin, Auila, Bonac. abſque ulla limitatione (quæ verè non habet fundamentum) concluſionem propoſitam intelligimus.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

146. Sed obijcies, quod id dicitur nos facere quod per alios facimus. Quapropter *in cap. Quante* 47. *de ſent. excomm.* dicitur, *Facientes, & conſentientes pari pœna plectendos.* ¶ Reſpondetur, quod interpretatiuè, & impropriè dicitur nos facere, quod per alios facimus, & ideò licèt ad fauorabilia ſufficeret, ut id quod de facientibus dicitur, ad conſulentes, & mandantes extenderetur, non vero in odioſis, & pœnalibus, quæ ſtrictè, & in proprio ſenſu ſunt interpretanda: imò etiam infauorabilibus verificatur. Et ſic nemo dicet, me lucrari indulgentiam applicatã ieiunantibus, per hoc, quod alios ad ieiunium inducerem; niſi ipſe ieiunarem. Et textus ille intelligitur de ſimilibus pœnis, quæ poſſunt imponi conſentientibus, ac imponuntur facientibus; non de illis, quæ de facto ſunt impoſitæ. Et plures pœnæ poſſunt imponi pro aliquo delicto, quæ tamen ſi non imponantur, non incurrit eas illud committens: & patet exemplo: ſi ego in ſacello meo conſentirem, quòd Clericus excommunicatus Miſſam celebraret: ſi illi veſtimenta, & Vaſa ſacra porrigerem, non propterea incurrerem irregularitatem; quam ipſe excommunicatus incurreret, in illo ſtatu actum ordinis exercẽs.

*Quando mãdatum auxit voluntatem, cenſetur in effectum influere.*

147. Sed inquires primo: An in caſu dicto *n.* 145. quòd, lex vel præceptum continens cenſuras expreſſe nominet mandantes, & conſulentes, illi comprehendantur, qui id mandatum, vel cõſilium ſimplex dederunt, minimè influens in effectum? Vt ſi alius eſſet iam determinatus ad occidendum Clericum; & ego illi mandarem, vel conſulerem talem occiſionem: an tunc incurrerem excommunicationem, quæ lata eſt in iure contra conſulentes, aut mandantes Clerici percuſſionem? Et quidem ſi meum mandatum, aut conſilium auxit illius voluntatem, vel auxit ut citiùs ardentiùsvè talem



Digitized by Google

percuſſionem exequeretur, nulli dubium eſt me incurrere talem excommunicationem, Clerici morte, aut percuſſione ſecuta; quia tunc verificatur, me influxum moralem præſtitiſſe in illum actum, vel ſecundum modum, vel ſecundum ſubſtantiam. Et tunc cognoſcetur, me aliquo modo influere, vel augendo voluntatem, vel de facto illam generando, quandò alius confeſſus fuerit ſe motum à me actum exercuiſſe; vel ſi ſtatim ac mandatum, vel conſilium accepit, ardenti animo executioni inſtitit. Quia ſi poſt multos dies id effecit, indè non poteſt colligi, me fuiſſe cauſam illius voluntatis: quia licèt eam tunc excitauerim, per moras temporis forſitan elanguit voluntas ex tali conſilio concepta, & in priorem ſtatum reducta eſt, in quo erat ante meum conſilium, & mandatum. Si tamen dubium ſit, an influxerit, nec ne conſilium, aut mandatum meum? tametſi in ordine ad reſtitutionem tenear iudicare influxiſſe: quia poſſeſſio ſtat pro alio; in ordine verò ad excommunicationem ita: quia cum ſit odioſa, in dubijs iudicandum eſt contrà illam. Ità Doctores infrà citandi: Quæſtio ergò præſens eſt, quandò conſtat prudenter, & probabiliter mandatum, aut conſiliũ ſimplex fuiſſe, & nullo modo concurriſſe ad actũ.

*Quando conſiliũ aut mandatum non influit in actũ non incurritur cenſura.*

In quo dicendum eſt, minimè incurrere cenſuram latam contrà mandantes, aut conſulentes, qui ſolum ſimplex mandatum, aut conſilium dedit ei, qui erat iam determinatus opus exequi nec ullo modo auxit eius voluntatem. Ità Candid. *diſq.*22. *art.*14.*dub.*1.*concl.*2. Gibal.*diſq.*2.*q.*3.*n.*21. Conin. *n.*175. citans, Syluest. & Nauar. Auila *part.*2.*dub.*3. *concl.*5. & *dub.*4. Dian.*reſ.*57. N. Ant.*n.*52. Et ratio eſt: quia non incurrit excommunicationem, niſi qui facit opus prohibitum ſub excommunicatione, qua ratione qui mandaret percuſſionem Clerici, non incurreret excommunicationem, ſi mandatarius eam executioni non mandaret (nam loquimur, quandò cenſura non imponitur contrà conſulentes, & mandantes, præcisè propter mandatum, aut conſilium, ſed propter opus, quod indè originatur) ſed in caſu noſtro mandans aut conſulens non influit in opus, ſub cenſura prohibitum, ut ſupponimus, ergò non incurret eam. ¶ Ex quo ſequitur, quod ſi mandatum fuerit bonum, aut conſilium, etiamſi opus prohibitum ſub cenſura ſequatur ex illo, non incurrit eam mandans, aut conſulens, ut ſi parato occidere Clericum conſulerem, quod eum percuteret, & hoc contentus eſſet, ſi ab hoſte inſecuto conſulerem quod non fugeret; ſed potius illi occurreret, & ſe defenderet, & mors inde ſequeretur ſi fluuium tranſituro debili equo conſulerem, ut pedeſter tranſiret, & poſtea in aquis periret, ego non incurrerem excommunicationem, aut irregularitatem: quia bonum conſilium dedi, opus licitum conſului, nec peccaui conſulens minus malum, parato iam deterius, & maius exequi: & ſic cum non ſim reus culpæ, nec cenſuræ dignus ero. Ità Sotus *lib.*6. *de iuſtitia, q.*1.*art.*5. Dian.*loc.cit.* Bonac.*q.*1.*punct.*6.*n.*5. Auil.*ſup.dub.*3. Candid. *dub.*1.*concl.*3. Gibal.*diſq.*5. *quæſt.*3.*num.*9.

*Quid ſi reuocatum fuerit mandatũ, antequã ſequeretur effectus?*

148. Inquires ſecundò: An ſi poſt mandatum vel conſilium de percuſſione Clerici, v.g. ego reuocem mandatum, vel conſilium, & mandatarius nihilominus percuſſionem exequatur, ego incurram excommunicationem latam contrà conſulentes, vel mandantes percuſſionem Clerici etiamſi reuocatio fuerit efficax, & ex animo? Quia ſi inefficax fuerit, aut perfunctoriè facta, ita ut mandatarius prudenter conijciat, me non ex animo mandatum reuocare, non eſt dubium me incurrere talem cenſuram. Sed loquitur quæſtio, quando reuocatio conſilij, aut mandati facta fuit pro viribus, omnibus modis, quibus moraliter fieri poteſt. Quod bifariam poteſt accidere, vel ita quod mandatario intimata fuerit, vel ita quod ad eius notitiam non peruenerit: quia erat valdè diſtans à mandante, & quamuis ipſe procurauerit cum notum facere reuocationis, non potuit. In utroque ſenſu loquimur, & prius de illo caſu, quo mandatario fuerit reuocatio efficax intimata; ſupponentes; ut ferè commune apud Doctores, idem iudicium ferendum eſſe de cenſura incurrenda vel nõ incurrenda, ac de irregularitate, & de obligatione reſtituendi, in caſu, quo peruenit ad notitiã mandatarij reuocatio; non vero in caſu, quo talis notitia ad eum non peruenit: quia quamuis quoad excommunicationem, & irregularitatem, quæ etiam tunc eſt ex delicto, idem iudicium ſit de utraque, non verò quoad reſtitutionem. Quia adhuc in ſententia illorum, qui aſſerunt, tunc non incurrere excommunicationem, tenetur reſtituere damnum illatum alteri ex ſuo conſilio vel mandato.

*Prima ſententia aſſerens incurrere in illo caſu cenſuram.*

149. Igitur circà quæſitum prima ſententia aſſerit mandantem, aut conſulentem incurrere excommunicationem, ſi percuſſio Clerici executa eſt ab ipſo mandatario, etiamſi mandans mandatum ſuum reuocauerit, & illi reuocationem intimauerit. Si tamen voluntas illa, quam ratione conſilij, aut mandati concepit, perſeueret, & eſt cauſa aliqua executionis, etiamſi mandans totis viribus conetur, & voluntatem intrinſecè coram Deo retractare, & extrinſecè mandatarium ab executione auertere. Quia dicunt, quòd ſi verè illa voluntas ex mandato, aut conſilio concepta influit, verè mandans eſt cauſa occiſionis, influitque in eam, quantumuis voluntatem retractet, & toto conatu intendat impedire mortem. Vndè illa ſecuta, incurret excommunicationem, ſi Clericus fuit occiſus; aut irregularitatem, ſi fuit alius, non alia ratione, niſi quia verè & phyſicè influit in effectũ. Ità Conin.*à n.*180. Mol. *de iuſtitia, to.*4.*diſp.*52.*n.*2. Nau. *c.*57.*n.*253. Bonac.*n.*7. Quamuis hic Author ſolùm de conſulente id aſſerat, non verò de mandante: quia iudicat per reuocationem mandati non tam mandatario prorſus auferri voluntatem occidendi in eo conceptam ratione mandati. Si tamen illa adhuc perſeueraret, conſequenter dicit, incurrere cenſuram mandantem. Et perſeuerare poſſe probat bene Conin. quia mandante verè, & ex animo reuocante mandatum, poſſet mandatarius credere, ſolum ficto animo, & ad euitanda incommoda futura tale mandatum reuocare: non quia efficaciter illud vellet; ſed potius ſibi placitum eſſet, ſi exequeretur. Et in conſulente hoc clarius apparet: quia potuit tales rationes illi proponere, quandò dedit conſilium, quod per oppoſitas inſtantias in reuocatione adhibitas numquam id, quod prius edoctus fuerat, dedoceret, ut voluntatem conceptam deponeret.

*Verius eſt non incurrere, ſi reuocatio nota fuit mandatario.*

150. Verior tamen eſt ſecunda ſententia, quæ docet, quòd ſiuè mandans ſiuè conſulens, ſi verè, & ex animo reuocauit voluntatem, & illam efficaciter mandatario propoſuit, efficiendo ex parte ſua omne quod potuit, ut eũ ab executione auerteret,

teret, & modis omnibus id ſollicitauit: ſi mandatarius occiſionem exequatur, credendum eſt ex malitia ſua id feciſſe. Et ſic non incurret excommunicationem, qui illi conſilium, aut mandatum dedit. Ità N. Anton. *num.* 54. *&* N. Cornejo *de cenſ. in gener. diſput.* 8. *dub.* 4. loquendo de mandante, & nihil de conſulente aſſerit. Sed de utroque docet Palaus *diſp.* 1. *punct.* 7. *n.* 15. Auila *p.* 2. *c.* 5. *diſp.* 3. *dub.* 7. *concl.* 1. Suar. *diſp.* 44. *ſect.* 3. *n.* 11. de mandante *& n.* 13. de conſulente. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. a. *p.* *c.* 5. *n.* 7. Gib. *diſq.* 5. *q.* 3. *n.* 26. *&* 27. Cæleſt. *in comp. Theolog. Moral.* *tr.* 5. *c.* 9. *diff.* 3. Tab. *verb. excomm.* 5. *caſ.* 1. *n.* 35. Hurt. *de cenſuris in com. diff.* 15. *n.* 67. Quos duos ultimos refert, & ſequitur Dian. 5. *p. tr.* 9. *reſ.* 58. Et ratio eſt: quia Eccleſia non intendit, imo non poteſt cenſuris ligare niſi rebelles, aut contumaces: ſed in tali caſu ille non eſt rebellis, & contumax: ergò non ligatur cenſurâ latâ ab Eccleſia.

*Idem dicendum eſt de irregularitate.*

151. Imò nec etiam irregularitatem incurret. Quia loquimur de illa, quæ ob delictum incurritur non ob defectum ſignificationis, aut lenitatis: quæ minimè incurri poteſt, quandò mandans quamuis influxerit aliquo modo phyſicè in effectum; non tamen moraliter, ut eſt in caſu noſtro. In quo tametſi illa voluntas phyſica perſeueret in mandatario, & cauſa fuerit aliquo modo occiſionis, non tamen perſeuerat moraliter, ſecundũ quod eſt effectus conſilij, aut mandati. Quia conſiliũ, aut mandatum, cum ſint reſpectu cauſæ liberæ, & voluntariæ, poſſunt ceſſare, licèt phyſicè in effectu perſeuerent, & tunc ad minus ceſſant, quandò reuocatio nota eſt mandatario. In quo differt à cauſis neceſſarijs, de quibus loquitur argumentum contrarium. Hæ enim, niſi phyſicè reuocentur, ſemper habent influere in virtute applicantis illas: & ideò quamuis in caſu argumenti, & in alijs, in quibus cauſa naturalis (ut venenum, ſagitta miſſa, vulnus illatum) applicata eſt paſſo, incurreretur excommunicatio: quia moraliter non retractantur, niſi phyſicè retrahantur ab effectu; nõ verò in caſu, de quo nunc loquitur. Verumtamen etiam in dictis caſibus non incurri, dicemus reſolutione ſequẽti.

*Quid dicendum ſit in caſu, quo reuocatio non peruenit ad mandatarium.*

152. Difficilius autẽ eſt in ſecundo caſu, quandò reuocatio mandati, aut conſilij non innotuit mandatario: ut ſi is per triginta, aut centum leucas diſtaret à mandante, & antequam exequeretur, mandans voluntatem retractauit, confeſſus eſt, & in gratia conſtitutus: & modis omnibus procurauit reuocare mandatum; ſed prius quam reuocatio ad alterius notitiam perueniret, iam occiſio fuit ſecuta? Et idem eſt de eo, qui venenum dedit, & antequam occiſio ſequeretur, retractauit animum, & quibus modis potuit, procurauit euitare effectum, qui tamen ex tali cauſa de facto ſecutus eſt: & alijs ſimilibus caſibus. Circà quod eſt duplex ſententia, utraque ſatis probabilis: prima tenet, in tali caſu mandantem, aut conſulentem incurrere excommunicationem, aut irregularitatem. Hanc tenet N. Corn. *loco proximè citato, & de excom. diſp.* 3. *dub. ult. per totum*, Auil. 2. *p. c.* 7. *diſp.* 5. *dub.* 7. *concl.* 2. citans Toletum, Syluest. *&* Oſtienſ. Cand. *dub.* 2. Conin. *diſp.* 14. *dub.* 15. *n.* 176. ubi aſſerit omnes hanc ſententiam tenere, ſed falsò hoc dicit, cum ſint tot grauiſſimi Doctores, qui oppoſitum doceant, Bonac. *q.* 1. *punct.* 6. *nu.* 6. Cæleſt. *loc. proximè cit.* Quod probant 1. Quia ſi reuocatio mandatario latuit, ita ſe habuit in ordine ad effectum ac ſi numquam eſſet appoſita ac proindè tam phyſicè, quam moraliter dicitur mandantem in talem effectum influere. 2. quia ſtat optimè aliquem eſſe in gratia, & excommunicationem incurrere: quià gratia non eſt cum excõmunicatione incompoſſibilis; & ideò poſt incurſionem illius poteſt homo ſe ad Deum conuertere per contritionem, & charitatem: quo modo conſtituitur in gratia, & tamen niſi poſt abſolutionem non liberatur à cenſura: ergò quantumuis retractata fuerit voluntas, ſi effectus ſequitur, poteſt incurri excommunicatio.

*Non incurrit cenſurã, qui retractauit mandatum etiam ſi hoc non conſtet exequenti.*

153. Verior tamen eſt ſecunda ſententia: quæ negat in tali caſu incurrere excommunicationem mandantem, aut conſulentem. Hanc tenent N. Salmant. *tr.* 13. *de peccatis, diſp.* 5. *dub* 6. *n.* 86 *propè finem, & n.* 87. N. Ant. *n.* 54. Monteſin. 1. 2. *qu.* 71. *art.* 5. *diſp.* 2. *q.* 1. *nu.* 75. Arauxo *ibi dub.* 3. quatenus aſſerit poſt retractationem non influere moraliter in effectum, qui dedit cauſam actus, vel omiſſionis; quam non poteſt reuocare, Filliuc. *c.* 8. *q.* 13. *nu.* 162. *apud* Bonac. *ſupr. nu.* 36. Gaſpar Hurtad. *de cenſ. diff.* 15. *nu.* 68. Gibal. *diſq.* 5. *q.* 3. *n.* 22. Innocentius, *&* Tabiena, quos refert, & ſequitur Caſtro Palao. *diſp.* 1. *punct.* 17. *num.* 15. quam probabiliſſimam dicit Auil. *ſupr. dub.* 2. *concl.* 2. *in fine*, & probatur 1. quia quandò omiſſio, vel actus ſolum eſt voluntarius in cauſa, retractata cauſa, non eſt in ſe ipſo culpabilis effectus (ut præter Salmant. Monteſinos & Arauxo, docet Suar. *de peccatis diſp.* 3. *ſect.* 4. *nu.* 9. Valentia 2. *tom. diſp.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 4 *dub.* 3. Molina *tom.* 4. *diſp.* 52. *nu.* 2. ut patet exemplo eius, qui in principio nauigationis eiecit Breuiarium in mare, qui non peccat actualiter in ſequentibus omiſſionibus, ſi contritus coram Deo voluntatem retractatauit: & in eo, qui in febrim incidit ſua culpa præuidens quòd plura ieiunia Quadrageſimæ omiſſurus eſſet; ſi conuertatur ad Deum, & voluntatem retractet, non peccat, quando actu inſtat præceptum (aliàs ſimul eſſet in gratia, & abſque nouo conſenſu in peccatum mortale incideret: quod eſt falſum) ſed cenſuram incurri non poteſt abſque eo quod cum peccato omittatur, quod præceptum eſt, vel efficiatur, quòd eſt prohibitum; ergò non incurrit excommunicationem, qui modo dicto retractauit voluntatem.

*Efficaci argumento probatur noſtra concluſio.*

154. Secundò: quia cenſura eſt pœna medicinalis non ad punitionem; ſed ad emendationem ordinata: ergò qui iam eſt emendatus, & ſanus, non erit dignus illâ: ſicut ægrotus, qui eſt ad ſanitatem reſtitutus; non indiget medicina: *quia non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus.* Et cernitur in correctione fraterna, quæ cum ſit medicina ad lucrandum fratrem ordinata; non eſt opus eam applicare, aut debitum ea uti, quandò frater eſt iam lucratus, & emendatus. ¶ 3. quia excommunicatio, & aliæ cenſuræ requirunt contumaciam in ſubiecto: ideoque monitio requiritur, & ſine illa non eſt valida, ut ſuprà diximus. Et ſic abſoluendus eſt reus, ipſo petente, ſtatim ac vult reconciliari Eccleſiæ, & modis, quibus poteſt, ſatisfacere, ut dicitur *in cap. Qua ſi ontè, de appellationibus*: ſed qui voluntatem retractauit, & modis, quibus poteſt, conatus eſt effectum impedire, iam non eſt contumax: ergò non poteſt tunc cenſuram incurrere.

*Duplex reſponſio Cornejo ad rationem noſtram.*

155. Reſpondet Cornejo duplici huic ultimæ rationi; quòd licèt talis contumax non ſit, nec iam infirmus, dignus eſt ea pœna plecti. Tum ad ſalutem ipſius, ut de cætero in ſimilia non relabatur

peccata. Tum etiam ad terrorem aliorum, ut à ſimilibus peccatis abhorreant, in quo (ait) differt cenſura à correctione fraterna. Quia hæc ordinatur ad bonum particulare illius ſubiecti: ac proinde ſi tale ſubiectum eſt iam lucratum, & ſanatum, non debemus uti illa; at cenſura eſt medicina ad bonum commune ordinata: & ideò licèt reſpectu huius non ſit opus illa uti in ordine ad talem actum; benè tamen in ordine ad bonum cõmune, & etiã illius ſubiecti ad ſimiles actus præcauendos.

*Ex ipſo Auctore ſolutiones data euertuntur.* 156. Sed contrà ipſum Cornejo argumentor eiuſdem verbis. Qui poſtquàm *diſp. 8. de cenſ. in tom. dub 4. fol. mihi* 570. col. 2. ſtatuerat, cenſuram poſſe imponi ob peccata præcisè præterita: quia eſt pœna medicinalis: cum ſibi obiecisſet, quod omnis pœna huius vitæ eſt medicinalis ordinata ad ſalutem eius, cui imponitur; & tamen aliæ pœnæ poſſunt pro peccatis merè præteritis imponi: his verbis doctiſſimè reſpondet, quibus tam obiectio propoſita, quàm ſolutio rationum noſtrarum ab ipſo adhibita manent enervatæ.

*Reſpondetur negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt, quod aliæ pœnæ ſunt medicinæ præſeruatiuæ per ſe ordinatæ ad euitanda futura peccata vel eiuſdem hominis, vel aliorum; reſpectu autem eiuſdem peccati præteriti non ſunt medicinæ ſanatiuæ, ſed puræ pœnæ in vindictam illius inflictæ. Cuius ſignum eſt: quod ut iſtæ pœnæ infligantur, non attenditur voluntas eius, qui peccauit, nec an in eodem peccato perſeueret, necne, ſed ſolum attenditur, ipſum peccaſſe. In quo diſtinguuntur iſtæ pœnæ à cenſuris, quæ ita ſunt medicinales, ut non ſolum intendant euitare futura peccata, ſed per ſe primò intendant ſanare peccatorem à peccato commiſſo, & extrahere eum ab ſtatu damnationis in quo manet ratione talis peccati.* Hactenus vir doctiſſimus. Si ergò per cenſuram per ſe primò intenditur extrahere hominem ab ſtatu damnationis, & ſanare eum à peccato commiſſo: ergò eam incurrere non poteſt, quia iam eſt ſanatus à peccato commiſſo, & à ſtatu damnationis ad ſtatum gratiæ reuocatus.

*Soluuntur ſententiæ contrariæ fundamenta.* 157. Per quæ manent contraria fundamenta ſoluta. Nam ad 1. dicimus, quòd qui efficaciter reuocauit mandatum, aut voluntatem, licèt influat phyſicè in effectum, non tamen moraliter, & culpabiliter, quòd erat neceſſarium ad incurrendam cenſuram. Sicut ebrius, aut amens, qui percutit Clericum non manet excommunicatus: quia licèt eum phyſicè percutiat, non tamen culpabiliter, & moraliter. ¶ Ad 2. fatemur, non eſſe incompoſſibilem gratiam cum excõmunicatione in facto eſſe benè tamen in fieri: & ideò licèt poſſit exiſtens in gratia eſſe excommunicatus; non tamen poteſt excommunicari. Et ratio eſt: quia ad incurrendam excommunicationem requiritur contumacia, quæ cum gratia eſt incompoſſibilis; ad hoc autem ut in excommunicatione perſeueret, cõtumacia non requiritur; requiritur tamen ut ab ea liberetur quod abſoluatur, & quamdiu non abſoluitur manet cẽſurâ ligatus. Sicut in omnium ſententia ad incurrendam excommunicationem requiritur peccatũ; ad perſeuerandum autem in illa peccatum non requiritur: ſi quidem, illo ablato, manet ligatus, quamdiu à legitimo miniſtro non abſoluitur.

*Diſcrimen inter mandantem, & conſulentẽ notatur.* 158. Sed in calce huius puncti notare oportet diſcrimen, quod eſt inter mandantem, & conſulẽtem in ordine ad effectus prædictos: Quod mandans (& idem eſt de petente, rogante, promittente aliquid, ſi illud faciat; comminante, ſi non faciat: ſiquidem omnes hi nomine mandantis includũtur) ſolum in gratiam ſui vult tale fieri: & voluntatem faciendi in mandatario generat per ſolum imperiũ & authoritatem: & ideò reuocato efficaciter mandato, eoque mandatario innoteſcente, ad nil amplius tenetur. Et ſic ſi adhuc timeat, mandatarium executurum mandatum ex ſua malitia, non tenebitur ad monendum offendendum, ut caueat ſe, quia illi inſidiæ parantur, ex iuſtitia; ex charitate autem tenebitur, ſi abſque incommodo, aliouè dãno id poteſt facere: & fructus ex monitione ſperetur. At conſulens, qui ſolum voluntatem in alio poſuit occidẽdi; ſed illum edocuit, rationibus mouendo, à qua notitia, & ſcientia, quantumuis modo rationibus contrarijs eum urgeat, non poteſt auertere, quæ fortè non erunt ita validæ ad perſuaſionem ceſſationis ab opere, ac fuerunt appoſitæ ab ipſo edoctæ ad perſuadendum actum; niſi omninò conſtet, alium rationibus à ſe primò propoſitis minimè moueri; ſed alijs à ſe inuẽtis: ſi timeat ipſum executurum opus, quod illi conſuluit, tenebitur ex iuſtitia monere lædendum, ſi ſpes fructus detur, ut ſe caueat vel in particulari à tali homine, vel in generali dicendo inſidias illi parari: oporteréque cautũ, & circumſpectum ſe gerere. Et ſi ſecus fecerit, cum poſſet, & ad reſtitutionem tenebitur, & cenſurâ pro tali actu latâ ligabitur: quia iam non modis omnibus, quibus potuit, damnum alterius euitauit, in quod aliquo modo influxit.

## PVNCTVM XIII.

### *De conditionibus ex parte ſubiecti requiſitis ut aliquis cenſurâ ligetur.*

159. QVinque conditiones requiruntur, ut aliquis cenſura ligari poſſit: prima, quòd ſit ſubditus: ſecunda, quòd ſit homo, vel fœmina in quo non diſcriminantur: tertia quòd ſi baptizatus: quarta, quòd ſit rationis compos: quinta, quòd ſit perſona determinata.

Circà primum eſt certum, cenſuram ferri non poſſe in non ſubditum: quia eſt actus iuriſdictionis, qui non niſi in ſubditos exerceri poteſt: qua ratione probabimus *n.* 39. nec ſuperiorem, neque æqualem, nec ſe ipſum aliquem poſſe ligare cenſuris. Vndè intulimus, Summum Pontificem à nemine poſſe excommunicari; cum nõ habeat ſuperiorem ſe: & à ſe ipſo minimè: quia licèt ſuis præceptis teneatur ex virtute directiua; non ex correctiua. Et ſic licèt ipſe iracundia motus Clericum percuteret, non remaneret excommunicatus. Diximus etiam, quòd nec Epiſcopus manet obligatus ſub cenſura ad id, quòd ſub cenſura ipſe præcepit. Vndè ſi ipſe per ſtatutum omnes fures excommunicaret, non remaneret excommunicatus, quantumuis furaretur. *Requiritur quòd ſit ſubditus.*

Sed difficultas eſt: An ſi Romanus Pontifex in hæreſim laberetur, poſſet compelli à Concilio generali ad comparendum, ut de ſuo crimine iudicaretur? Negat N. Corn. *de cenſ. in gen. diſp. 9. dub. 4. obiect. 2.* Cand. *diſq. 22. art. 9.* §. 2. Nauar. *in ſum. c. 27. n.* 13. quia prima ſedes à nemine iudicatur. Vndè dicunt, prius deponendum eſſe, & poſteà ipſo facto maneret excommunicatus propter hæreſim: poſſetque alijs cenſuris à Concilio obligari ad comparendum. Alij verò ſatis probabiliter dicunt, poſſe in illo caſu hæreſis, & non in alio Concilium contrà Romanum Pontificem procedere, eũ excom- *Summus Pontifex, ſi in hæreſim labatur poteſt à Concilio generali excõmunicari.*

excommunicare, & obligare cenſuris ad comparendum: & accuſari poſſe, ac iudicari à Synodo, ex virtute ſpeciali à Deo ad hoc recepta ab Eccleſia, ne tota illa periclitaretur. Et colligitur *ex c. Si Papa diſt.* 40. ubi dicitur non poſſe Summum Pontificẽ iudicari, & condemnari à Concilio, niſi ſit à fide deuius. Atque ita docent N. Ant. *diſ.* 1. *nu.* 23. Soto *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 2. Enriq. *l.* 13. *c.* 25. *nu.* 3. *&* ipſe Corn. re melius inſpecta, *de excom. diſp.* 2. *dub.* 7. *quæſit.* 2. nobiſcum tenet, imò aſſerit ipſo facto deſinere eſſe Papam, qui in hæreſim incideret: quod cum Turrecrem. *l.* 4. *ſummæ p.* 2. *c.* 18. *&* 19. optimè probat, & ab obiectionibus vindicat.

*Priuilegiati nequeunt cenſuris ligari ab Epiſcopis.*

160. Sed adhuc licèt aliquis ſit ſubditus, ſi tamen eſt priuilegiatus, nequit à ſuperiore ligari cenſuris. Qua ratione Reges, & Reginæ, Imperatores, & Imperatrices; quamuis ſubditi ſint quoad ſpiritualia Epiſcopis, & ſic iure antiquo poſſent ab eis excommunicari, aut interdici, iure tamen nouo non niſi à Summo Pontifice poſſunt ligari cenſuris: quod decens fuit illis concedere ob ſuam ſupremam dignitatem. Et licèt non detur ius expraſſum tale priuilegium illis conferens; credendum tamẽ eſt illos habere illud, cum id ab omnibus Authoribus admittatur. Ità D. Ant. 3. *p. tit.* 25. *c.* 75. circà finem Corn. *diſp.* 9. *dub.* 4. *de cenſ. in gen. in fine*, Palaus *diſp.* 1. *punct.* 6. *n.* 3. Auil. 2. *p. cap.* 4. *diſp. unic. dub.* 4. N. Ant. *n.* 24. Epiſcopi verò ſub generali cenſura interdicti, aut ſuſpenſionis non continentur; niſi de his mentio fiat: & ideò licèt peccent contrà præceptum continens illam, non tamen eam incurrunt, quia ipſis conceditur *in cap. Quia periculoſum, de ſent. excomm. in* 6. quòd niſi exprimantur, non ſubiaceant dictis pœnis. Idem dicendum eſt de Cardinalibus; ſed quia in dicto cap. ſolum ſit mentio de ſuſpenſione, & interdicto, non verò de excommunicatione, communis fert Doctorum ſententia ſubiacere legibus, aut mandatis, ſub excommunicatione præcipientibus; etiamſi de iſtis expreſſa mentio non fiat: incurrereq; talem excommunicationem, ſi contrà dictas leges agant, Palaus *ſupr.* Candid. *dub.* 6. Sayr. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 16. Bonac. *q.* 1. *punct.* 4. *nu.* 11. Suarez *diſp.* 1. *ſect.* 5. *nu.* 30.

*Creaturæ irrationales, Angeli, & dæmones ſunt incapaces cenſuræ.*

161. Secunda conditio eſt, quòd ſit homo. Bruta enim cæteræuè creaturæ irrationales ſunt incapaces cenſuræ: & quamuis interdictum locale ſit in locum, non eſt in pœnam ipſius loci; qui ſicut eſt incapax culpæ ſic etiam cenſuræ; ſed in pœnam delinquentis, *cap. Si ciuitas, de ſent. excomm. in* 6. ſi quandò verò irrationalis creatura, ut locuſta, & bruchus fidelibus nocentes anathematizantur, hoc non fit, quia in eas feratur cenſura (quandoquidem iſta nequit ferri niſi propter peccatum, ut dictum eſt, cuius incapaces ſunt tales creaturæ) ſed quia deteſtantur, & execrantur à nobis maledicendo illas, petendoque à Deo, ut eas deſtruat, & in nihilum reducat. Sicut hoc modo unuſquiſque debet anathematizare ſua peccata, Palaus *diſp.* 1. *punct.* 6. *nu.* 1. Auil. *p.* 2. *c.* 4. *diſp. unic. dub.* 3. Vndè ſuperſti ioſam iudicamus conſuetudinem, ſeu corruptelam, quæ in aliquibus locis viget, præcipiendi locuſtis, aut bruchis, quòd ſub pœna excommunicationis à tali termino egrediantur. Denique neque Angeli, ſiuè boni, ſiuè mali ſunt capaces cenſuræ: quia non ſunt ſubiecti Eccleſiæ iuriſdictioni, quæ ſenſibilis eſt, & non, niſi in ſenſibilia poteſt exerceri: maximè iuriſdictio per cenſuras, quæ ſunt pœnæ medicinales ad reſipiſcentiam, vel emendationem ordinatæ: & Angeli, ſi boni ſunt, non indigent medicina: ſi mali, ſunt incurabiles, & non eſt ſpes, quòd à contumacia diſcedant. Et quandò dæmones exorciſmis anathematizantur, talis anathema ſumitur pro maledictione, & deteſtatione, volendo virtute ordinis, & exorciſmorum Eccleſiæ eos à corporibus, vel alijs locis eijcere.

*Sententia aſſerẽs poſſe mortuos excommunicari.*

162. Sed difficultas eſt inter Doctores: an debeat eſſe viator homo, qui cenſuris valeat ſubiacere? Propter mortuos: de quibus dubitatur inter illos; an poſſint excommunicari? Affirmant poſſe Abbas *in cap. Si quis Romanus in ſingul.* 725. Hugol. *tab.* 1. *cap.* 17. §. 2. *n.* 3. Ricard. *in* 4. *diſt.* 18. *art.* 5. *q.* 4. Gabriel, *ibi, quæſt.* 2. *art.* 2. *concl.* 5. Et probatur 1. quia *in ca. Sanè* 24. *q.* 2. dicitur hæreticos poſt mortem eſſe anathematizandos, & *in ca. Neque* 88. *diſt.* refertur D. Cyprianum propter ſpeciale crimen quendam mortuum anathematizaſſe. ¶ Secundò, quia qui erat excommunicatus, & antè abſolutionem deceſſit, manet adhuc excommunicatus, ut præter Authores citatos, docent Auila *ſupr. dub.* 8. *concl.* 1. Valent. *diſp.* 7. *q.* 17. *punct.* 4. & ſic poſſunt mortui abſolui, ut multoties abſoluuntur, *cap. A nobis* 2. *cap. Sacris, de ſent. excomm.* ergò poterunt poſt mortem excommunicari; quia eiuſdem rationis videtur eſſe poſſe ligatum eſſe, & ligari. ¶ Tertiò, quia ſi quis mandauit ſeruo, ut Clericum occideret, & antè executionem moreretur, non reuocato mandato, ſequereturque occiſio Clerici, mandans ſubiaceret excommunicationi, quam antè executionem non incurreret: ergò poteſt aliquis poſt mortem excommunicari. ¶ Quartò, quia Eccleſia poteſt applicare indulgentias, eaſque concedere defunctis: ſed indulgentiarum conceſſio, & applicatio eſt actus iuriſdictionis: ergò habet iuriſdictionem in mortuos: & ſic poterit eos excommunicare.

*Mortui excommunicari non poſſunt.*

163. Communior autem, & verior eſt ſententia negans: eo quòd Chriſtus Dominus Matt. 18. ſolum dedit iuriſdictionem Eccleſiæ in eos, qui degunt ſuper terram: *Quæcumque ligaueritis ſuper terram*; mortui autem non dicuntur degere ſuper terram. Et ratio ipſa hoc perſuadet: quia mortui nec ratione corporis ſunt capaces cenſuræ, quòd inanimatum eſt, & incapax ſubiectionis; nec ratione animæ. Tum quia iſta eſt purè ſpiritualis: & Eccleſiæ iuriſdictio, utpote ſenſibilis, ſolum in ſenſibilia poteſt exerceri. Tum etiam: quia vel eſt in Purgatorio, aut in cælo: & ſic eſt amica Dei, nullam habens contumaciam, ob quam debet ferri cenſura: vel eſt in inferno: & ſic eſt incapax curationis, aut emendationis: undè etiam pœnæ medicinalis. Ità Palaus *nu.* 1. Candid. *dub.* 7. Suar. *diſp.* 5. *ſect.* 1. *n.* 3. Bonac. *n.* 1. Auil. 2. *part. c.* 4. *diſp. unic. dub.* 8. *concl.* 2. N. Corn. *de cenſ. in gener. diſp.* 9. *dub.* 1. N. Ant. *num.* 19.

*Bifariam poteſt aliquis excommunicari.*

164. Sed pro ſolutione argumentorum notandum eſt, dupliciter poſſe aliquem excommunicari, vel directè, & propriè, priuando eum bonis ſpiritualibus per iuriſdictionem exercitam circà illum: ſic non poteſt Eccleſia excommunicare non ſibi ſubditos, ut infideles, aut mortuos: vel indirectè, & impropriè: nimirum impediendo ſibi ſubditos, ne cum alijs communicent, ne pro illis ſuffragia applicent: & tunc iuriſdictio directè exercetur circà ſubditos, quamuis indirectè, & quoad effectum extendatur ad extraneos. Ità Eccleſia poteſt excommunicare mortuos, impediendo ne



Digitized by Google

fideles eos in loco ſacro ſepeliant ad terrorem,& exemplum viuorum : ne pro illis ſuffragia, or ſactificia offerant. Er hoc modo intelligendi ſunt textus in argumento 1. adducti.

*Soluuntur contraria argumẽta.*

165. Ad 2. dicimus, quod ſecundum aliquos non maneret tunc excommunicatus. Sed ſicut per mortem extrahitur à iuriſdictione Eccleſiæ, & fit incapax cenſuræ; ita amplius non manet illa ligatus. Ità Suar. *diſp.*5.*ſect.*1.*nu.*11.Cand. *diſq.*22.*art.*9.*dub.*10.Conin.*diſp.*13 *dub.*6.*n.*43. Et ſi abſoluitur mortuus, non eſt directè, ſed indirectè auferendo à viuis prohibitionem eum humandi in loco ſacro, aut applicandi ſuffragia pro eo. Sed verius dicendum eſt, manere excommunicatum. Quia ea eſt natura cenſuræ, ut non tollatur niſi per abſolutionem; etiamſi ſubiectum, poſtquàm eam incurrit, exeat à iuriſdictione ſuperioris, qui illam tulit. Sicut qui in Diœceſi Salmantina incurrit excommunicationem latam à ſuo Ordinario, ligatus manet illa, etiamſi mutet domicilium,& fiat ſubditus alteriùs, donec abſoluatur. Nec refert, quod mortuus fortè ſit in gratia. Quia hæc non eſt incompoſſibilis cum excommunicatione in facto eſſe, ut diximus *nu.*157. Nec proptereà ſequitur, quòd dicit argumentum, poſſe ligari excommunicatione. Quia licèt nõ requiratur ſubiectio actualis, ut ſit excommunicatus, benè tamen, ut excommunicetur. ¶ In caſu autem tertij argumenti, non excommunicabitur, quia iam non eſt ſubiectus Eccleſiæ: quæ ſubiectio requiritur, ut actualiter incurrat excommunicationem. Ità Palaus *nu.*3. Cornejo *diſp.*9.*dub.*5.*& de cenſ diſp.*9.*dub.*1.*concl.*1. Bonac.*nu.*3. Candid.*art.*9.*dub.*4 ¶ Ad 4. dicimus, Eccleſiam non poſſe applicare indulgentias pro defunctis, ex authoritate, & iuriſdictione liberans eos à pœnis, ſed per modum ſuffragij, applicando eis partem Theſauri Eccleſiæ: undè fiat ſolutio Deo pro illorum pœna: In quo non exercetur actus iuriſdictionis. Sicut quando unus fidelis pro alio ſatisfactionem applicat, reſpectu cuius nullam habet iuriſdictionem. Et ideò licèt ſit actus iuriſdictionis reſpectu Theſauri Eccleſiæ, qui applicatur, non reſpectu mortuorũ, quibus applicatur.

*Infideles nõ baptizati cenſuris ligari non poſſunt.*

166. Tertia conditio eſt, quod ſit homo baptizatus: & ſic in Iudæos, Idololatras, Sarracenos non poteſt Eccleſia cenſuras ferre: quia in illos non habet iuriſdictionem iuxtà illud Apoſt. 1. *ad Cor.*5.*Quid mihi de his, qui foris ſunt iudicare?* Indirectè autem poteſt in illos cenſuras ferre ut diximus priuando fideles eorum communicatione. Poteſt tamen Eccleſia Hæreticos, Sciſmaticos, apoſtatas, excommunicare: quia baptizati ſunt, & ſic non poſſunt ſubterfugere Eccleſiæ iuriſdictionem, *cap. Iudæis diſt.*45. Alter.*lib.*3.*diſp.*10.*cap.*4. Palaus *diſp.*1.*punct.*6.*nu.*1. N. Ant.*nu.*20.

*Requiritur quod ſit rationis cõpos ſubiectum capax cenſura.*

167. Quarta conditio eſt, quod ſit rationis cõpos. Ideoque pueri, & perpetuò amentes non poſſunt ligari cenſuris. Quia ad cenſuras incurrendas culpa requiritur, quam illi committere non poſſunt: ſed aliqui dicunt, quòd licèt ſint excommunicationis incapaces, quia hæc non niſi ob culpam propriam incurritur; non verò interdicti, aut ſuſpenſionis: quia, ut diximus *n.*121. propter alterius culpam poſſunt ferri. Ideoque ſi ciuitas interdiceretur, etiam infantes, & amentes manerent interdicti, & deberent excludi à diuinijs officijs, ſicut alij. Sayr. *lib.*1.*c.*8.*n.*3. Candid.*diſq.*22.*art.*9. § 2. ¶ Sed verius dicendum eſt, non comprehendi ſub interdicto locali (idem de ſuſpenſione) quia ſunt incapaces pœnæ, & iuriſdictionis exercitæ circà eos: ideoque excludendos non eſſe à diuinis officijs, Suar. *diſp* 36.*ſect.*2.*n.*7. Auila *p.*5.*diſp.*4.*ſect.*2.*dub.*5. Cornejo *de cenſ. in gen.diſp.*9.*dub.*3. Illi verò, qui ſolum ad tempus ſunt rationis impotes, ut dormientes, ebrij, & ad tempus amentes, ſi quandò dederunt cauſam cenſuræ, erant abſque uſu rationis, non poſſunt ligari cenſuris. At ſi tempore, quo erant rationis compotes, cauſam dedere, cenſuram incurrent: quia ſolum requiritur libertas, quandò apponitur cauſa voluntaria: & ſic fiet irregularis, qui præuidens in ebrietate hominem occiſurum, ſe inebriat & tunc ſequitur effectus. Et ille, qui dedit mandatum, aut conſilium occidendi Clericum, incidit in excommunicationem, etiamſi antequàm mandatum reuocaret, incideret in amentiam, & tunc eſt ſecutus effectus. Si tamen talis amentia eſſet perpetua, abſoluendus eſſet, etiamſi ſigna pœnitentiæ anteà non dediſſet: quia cenſura eſt medicinalis pœna ad correctionem ordinata. Ideoque qui non poteſt corrigi, abſoluendus eſt ab ea, Palaus *ſup.n.*1. Suar.*diſp.*5.*ſect.*1.*nu.*20. Conin.*diſp.*13.*dub.*6.*nu.*45. Candid.*art.*9.*dub.*3. Cornejo *diſp* 9.*dub.*3.*illatione* 5.

*Pueri antè pubertatẽ ſunt capaces cenſura.*

168. Sed difficultas eſt: An poſtquam puer nactus eſt uſum rationis, ſed non eſt pubertatem adeptus, poſſit ligari cenſuris. Vel de facto ligetur ab his, quæ ſunt à iure, vel ab homine latæ? Ad quòd dicimus 1. poſſe impuberes ligari cenſuris à iure, vel ab homine, per modum præcepti latis; quia ſunt capaces doli, & peccati, ac tranſgreſſionis præcepti, quod ad incurrendam cenſuram requiritur. Cæterum ad excommunicationem, quæ fertur per modum ſententiæ, Hugol. *de cenſ tab.*1.*cap.*17.§.3.*nu.*5. Sayr.*lib.*1.*cap.*8.*nu.*4. Villaloh.*tr.*16.*diff.*14.*nu.*5. dicunt non eſſe capaces: quia ad illam requiritur, quòd in iudicio compareat, quòd citetur, quòd ſe defendat, ac proindè quòd ordinem iudicialem agnoſcat: quod in illa ætate rarò inuenitur. Et ideò in *cap. ult. de iudicijs in* 6. impuberes non admittuntur in iudicio ad ſe defendendum. ¶ Sed verius dicendum eſt, poſſe in illa ætate ligari cenſuris, etiam per modum ſententiæ generalis, vel particularis latis: eo quòd licèt ordinem iudiciarium non agnoſcant, poſſunt ab alio inſtrui, & per tutorem, aut procuratorem ſe defendere. Ità Palaus *diſp.*1.*punct.*6.*nu.*2. Suar.*diſp.*5.*ſect.*1.*nu.*19. Coninch *diſp.*13.*dub.*6.*nu.*45. ¶ Secundò dicendum eſt, non ligari de facto cenſuris, quæ ſunt à iure, vel ab homine latæ, impuberes, niſi exprimantur: quia licèt Eccleſia poſſit in eos ferre cenſuras, credendum eſt ipſam feciſſe, quod conuenientius eſt facere, non autem eſſet conueniens illos cenſuris punire: quia impuberes potius virgis, quam cenſuris corrigi debent. Sic N. Ant. *n.*22. Leand. *diſp.*2.*q.*12. citans Suar. Soto, Azor. Granados, & alios. Idem ut probabile tenent Diana 5 *part. tr.*9.*reſ.*46. referens Sà, Hugol. & Sayr. *Vnde vi monitorij* (verba ſunt Cæleſt. *in compendio Theologiæ moralis, tract.*3.*cap.*6.*num.*9.) *non tenentur impuberes reuelare: quia illi excuſantur à cenſura antè pubertatis annos: idque intelligitur tam de cenſuris à iure, quam ab homine.*

169. Quinta & ultima conditio eſt, quòd ſit perſona determinata. Vndè Communitas, Collegium, aut Ciuitas non poteſt excommunicari. Habetur expreſſus textus *in cap. Romana, de ſent. excomm.* *Non poteſt communitas excommunicari.*

*comm.in 6.* Et ratio ibi aſſignata eſt: quia non eſt credibile totam communitatem deliquiſſe, ſed fortè aliquos eſſe innocentes: nec eſt Dei, aut Eccleſiæ iudicium condemnare iuſtum cum impio. Ità docet D. Thom. *in addit. q. 22. art. 5.* Palaus *diſp. 1 punct. 6. nn. 3.* Soto *in 4. diſt. 28. q. 2. art. 2. concl. 1.* Enriq. *lib. 13. cap. 25. n. 4.* Bonac. *nu. 8.* Imò ſi excommunicatio feratur in aliquē ex communitate; qui tale fecit, non determinando eum, nulla erit talis cenſura: quia eſt ſententia incerta, & indefinita, quæ nullum effectum parit. Sicut qui ex pluribus hoſtijs ſibi propoſitis unam vellet conſecrare non determinando aliquam, nihil efficeret: quia verba conſecrationis debent ferri in determinatam. Ità Candid. *diſq. 22. art. 9. dub* 2. ſed dicta in hoc numero non ſunt intelligenda de cenſuris latis per modum præcepti, aut per modum ſtatuti: quia hæ poſſunt totam communitatem comprehendere. Vt ſi Prælatus ſub pœna excommunicationis huic communitati aliquid præciperet, omnes tranſgreſſores illius præcepti illam incurrerent, & ſic non communitatem, ſed particulares talis cenſura reſpiceret. At cenſura lata per modum ſententiæ in communitatem reſpicit immediatè ipſam, in qua plures innocentes fortaſſe reperirentur; qui propter culpam aliorum æquum non eſt, quòd puniantur.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

170. Et ſi obijcias, quòd poteſt tota communitas propter delictum alicuius particularis ſuſpendi, aut interdici: ergò etiam excommunicari. ¶ Ad hoc reſpondet D. Thom. *in addit. q. 22. art. 5. ad 2. Ad ſecundum dicendum, quod ſuſpenſio non tanta pœna eſt, quanta excōmunicatio, quia ſuſpenſi non fraudantur Eccleſiæ ſuffragijs, ſicut excommunicati. Vndè etiam aliquis ſinè peccato proprio ſuſpenditur, ſicut & totum Regnum ponitur ſub interdicto pro peccato Regis, & ideò non eſt ſimile de excommunicatione, & ſuſpenſione.*

*Inualida eſt cenſura lata in communitatē, non examinatis illius delinquentibus.*

171. Sed inquires: An non ſolum illicitè, verum etiam inualidè feratur excommunicatio in aliquam communitatem, vel à Pontifice, vel ab alio ſuperiore? Reſpondetur, quòd ſi nullum examen præceſſit, inquirendo, an omnes perſonæ illius communitatis fuerint culpatæ? Tam illicitè, quam inualidè fertur excommunicatio contrà totam communitatem: & tunc nec ipſos delinquentes comprehendet. Et ratio eſt: quia talis ſententia continet errorem intolerabilem contrà ius diuinum, & naturale: cum feratur indiſtinctè contrà culpatos, & innocentes: & ſententia errorem intolerabilem continens, nulla eſt in omnium opinione. At verò ſi ſufficiens examen præcedat, & abſque reſtrictione ad delinquentes talis ſententia feratur, etiam erit nulla à quocumque ſuperiori prolata, propter eandem rationem. Si tamen, facto diligenti examine, omnes illius communitatis culpati reperiantur, poteſt illa communitas & licitè, & validè à Summo Pontifice excommunicari: quia non erit iure naturæ illicita, cum non contineat errorem intolerabilem, ſed ſolum iure Eccleſiaſtico, quod obſeruare Pontifex non tenetur. Reliqui autem ſuperiores, licèt validè, illicitè tamen in totam communitatem ſimilem ſententiam ferrent. Illicitè quidem: quia illis prohibetur in *cap. Romana tirato*, in quo præſcribitur eis forma ferendi talem cenſuram. Validè autem: quia tunc innocentes non tangeret: quòd intendit euitare Pontifex, quandò irritauit in dicto cap. cenſuram latam contrà totam communitatem. Ità Auila 2. *p. c. 4. diſp. unic. dub. 6.* Enriq. *lib. 13. c. 25 n. 4.* Alterius *lib. 3. diſp. 10. c. 6. verſ. Dico 2.* Petrus de Ledeſ. *de excomm. c. 5. concl. 6. verſ. A eſta duda* N. Ant. *nu. 28.* Et ideò quicumque ſuperior, ut poſſit licitè, & validè abſque dubio in communitatem excommunicationem ferre, non debet per unam ſententiam omnes, & ſingulos illius communitatis excommunicare; ſed per plures ſententias ſingulos, quos culpatos repererit, ferire, vel per unam æquiualentem pluribus: ut ſi dicat: *excommunico* Petrum, & Paulum, &c. nominando ſingulos illius communitatis, vel ſaltem magnates, & reliquos virtualiter recenſendo. Vt ſi dicat: *excommunico Præpoſitum, Decanum, Archidiaconum, & alios huiuſmodi huius communitatis.*

## PVNCTVM XIV.

### *Vtrùm qui ſemel incurrit unam cenſuram, poſſit alijs pluribus ligari?*

*Quando ſunt diuerſæ rationis cenſuræ poſſunt ab eodem incurri.*

172. IN præſenti puncto ſupponimus, quod ſi cenſuræ ſint diuerſæ rationis, qui ſemel eſt unâ innodatus, poteſt alias plures incurrere: ut qui ſemel eſt excommunicatus, poteſt ſuſpendi, aut interdici ſaltem propter alia delicta: quod omnes aſſerunt: ſiquidem ex hoc quod aliquis unam cenſuram incurrat, non eſt ratio obſtans, quare alias incurrere non valeat: cum diuerſorum bonorum ſint priuationes, ſingulæ. Sed aliquid difficultatis eſt, quando ſunt eiuſdem rationis.

*Poteſt, qui unam cenſuram incurrit, alia eiuſdem rationis ligari.*

173. Dicendum eſt itaque, quòd ſemel innodatus una cenſura poteſt aliam, & aliam incurrere, etiam eiuſdem rationis: ut qui ſemel eſt excommunicatus: poteſt iterum atque iterum excommūnicari propter diuerſa delicta. Et quamuis ab una excommunicatione abſoluatur, manebit alterâ ligatus, donec abſoluatur ab illa. Conſtat ex Clem. 2. *de ſent. excomm. & cap. Cum pro cauſa, cap. Officium, eodem tit.* Et ratio eſt quia multiplicatis cauſis debent multiplicari effectus: ſed cauſa excommunicationis eſt, v. g. percuſſio Clerici, vel hæreſis: ergò qui utramque culpam committit, duplicem cauſam excommunicationis apponit, proindeque duplicem excommunicationem incurret. Ità docet D. Thom. *in addit. q. 22. art. 6.* Palaus *diſp. 1. punct. 6. n. 5* Soto *in 4. diſt. 22. quæſt. 2. art. 2. concl. 3.* Suar. *diſp. 5. ſect. 2. n. 5.* Auil 2. *part. cap. 4. diſp. unic. dub. 7.* Bonac. *quæſt. 1. punct. 5. nu. 1.* Cornejo *de cenſuris in genere diſp. 9. dub. ult.*

*Obiectiones contrariæ.*

174. Sed obijcies 1. quòd excommunicatio eſt priuatio totalis illorum bonorum, quibus priuatur excommunicatus ab Eccleſia: ſed priuatio totalis nō ſuſcipit magis, & minus: ergò ſemel incurſa una excommunicatione non poteſt incurri alia. Secundò, quia cæcitas eſt priuatio viſus qui ſemel eſt cæcus, non poteſt aliam cæcitatem recipere: ergò ſimiliter: quia excommunicatio eſt priuatio bonorum ſpiritualium: qui ſemel eſt excommunicatus, non poterit alia excommunicatione ligari. Patet conſequentia ex paritate rationis. Ideò enim qui ſemel eſt cæcus, nequit aliam cæcitatem ſubire, quia cæcitas, utpote priuatio, ſumit ſuam unitatem tam ſpecificam, quàm numericam à forma, qua priuat. Quæ ratio etiam probat, quòd ſemel excommunicatus non poteſt alia excommunicatione ligari.

175. Ad primum, reſpondetur ex D. Th. *in*

*Soluũtur propoſitæ obiectiones.*

*addit.q.22.art.5.ad 2.*ibi: *Ad 2.dicendum, quòd priuatio, quamuis non recipiat magis, & minus ſecundum ſe, recipit tamen magis, & minus ſecundum ſuam cauſam, & ſecundum hoc excommunicatio poteſt iterari: & magis elongatus eſt à ſuffragijs Eccleſiæ, qui pluries eſt excommunicatus, quam qui ſemel tantum.* ¶ Ad ſecundam obiectionem dicimus, quod licèt in priuationibus phyſicis, ſemel una totali priuatione in ſoppoſito inuenta, non poſſit alia dari in eo eiuſdem rationis, bene tamen in moralibus, quæ non tam à forma, quàm à cauſa, per quam liberè, & moraliter inducuntur, rationem ſpecificam, & indiuiduam habent, ut conſtat in peccato mortali, quod licet ſit totalis priuatio gratiæ, non tollit, quò minus detur aliud peccatum habituale eiuſdem rationis in eodem ſubiecto, ſecundum quòd eſt per diuerſum actum cauſatum. ¶ Sed reuerà excommunicatio non tam conſiſtit in priuatione, quàm in quodam impedimento morali ex præcedenti contumacia cauſato: & per hoc quòd multiplicatur contumacia, multiplicatur tale impedimentum, & ſic magis elongatur, & impeditur ſubiectum à participatione bonorum ſpiritualium, quibus priuat excommunicatio. Et hinc prouenit quòd ablato uno impedimento per abſolutionem, maneat homo priuatus talibus bonis ab alio impedimento remanente, donec illud etiam auferatur. Sicut ſi eſſent duo obſtacula lucis, ad hoc ut intraret in cubiculum, non ſufficeret auferre unum, ut tenebræ ab eo fugarentur, quæ ſunt priuatio lucis; niſi aliud etiam diſſiparetur, quod illius ingreſſui obſtabat.

*Propter idē delictum poſſunt plures excommunicationes incurri.*

176. Sed inquires primò: An propter idem delictũ poſſit aliquis pluries à diuerſis iudicibus excommunicari, vel excommunicatione lata ab homine, & à iure, ut ſi Pontifex ſub pœna excommunicationis prohibeat furtum, & idem faciat Epiſcopus per præceptum particulare: furans in tali caſu incideret in duplicem excommunicationem? Vel lata ab homine, ut ſi Epiſcopum percuteret, & excõmunicaretur ab Epiſcopo originis, domicilij, & beneficij, & à Papa? Reſp. affirmat. Quia licèt excommunicatio priuet omnibus bonis, & ex parte priuationis non detur magis, & minus, datur tamen ex parte cauſæ: quia ibi datur diuerſa contumacia formaliter, & inobedientia ad unum, & ad aliud præceptum: & ſic ex pluribus cauſis, & titulis ſeparatus eſt ab Eccleſiæ ſuffragijs, & per unam, & alteram inobedientiam impeditur ab illis: proindeque niſi ab omnibus abſoluatur, ſemper manet excommunicatus. Ità Suar. *diſp.5.ſec.2.n.13.* Palaus *ſup.n.6.* Fillic. *tract.11.c.5.nu.142.* N. Corn. *loc.cit.* Bonac. *num.13.* Alterius *lib.3.diſp.10.cap.7.* contrà N. Ant. *nu.34.* & plures alios.

*Explicatio præcedentis doctrinæ.*

177. Sed hoc ultimum intelligendum eſt modò quiſque ſuperior tulerit cenſuram tamquàm ſuam, & intenderit facere nouũ ius, & nouam imponere pœnã; ſed ſi hoc non ita ſit, minimè. Quia ſecũda excommunicatio impoſita à ſuperiore erit tamquam innouatio, & publicatio illius, quæ à priori, vel à iure lata fuerat: & ſic eadem cum illa cenſenda eſt, & contrà faciens ſemel unam tantum excommunicationem incurret. Ità Cand. *diſq.22.art.12.dub.2.* Sayr. *l.1.c.10.n.11.* Bonac. *ſup.n.11.* & Corn. *loc.cit.* Ideoque ratione eiuſdem delicti, & perſeuerante eadem contumacia, numquam de facto reus excommunicatur, niſi una tãtum excommunicatione: quia reliquæ denunciationes, quæ poſteà fiunt, ſolum ſunt aggrauationes eiuſdem cenſuræ, & manifeſtationes illius. ¶ Similiter: ſi ab eodem ſuperiore pluries eadem excommunicatio ferretur, vel à pluribus habentibus eandem poteſtatem, unam tantum excommunicationem incurreret, qui contrà eorum præceptum operaretur: quia licèt pluries repetita ſit excommunicatio, & conditores præcepti plures ſint materialiter, formaliter eſt unus actus multiplicatio cenſuræ, & in poteſtate, unus ſuperior, & ſic, v.g. deferens ſemel arma Sarracenis, unam tantùm excommunicationem incurret, quamuis ab Alexandro III. *in cap. Ita quorumdam, de Iudæis*, & Clemente III *in cap. Quod olim, eodem tit.* ſit repetita excommunicatio. Similiter in Bulla Cœnæ quolibet anno repetuntur ab eodem Pontifice excommunicationes in ea contentæ; & non propterea qui pluribus annis vixerit, incidet in plures excommunicationes, ſi ſemel tantùm contrà aliquod præceptum illius operatur.

*Si duplex ſit malitia in actu duplex poteſt incurri cenſura.*

178. Secundò inquires: An ſi aliquis eliciat actum duplici ſpecie malitiæ infectum, quarũ quælibet per diuerſas excommunicationes à iure, vel ab homine prohiberetur, incurrat tot excommunicationes, quot ſunt malitiæ in ipſo actu? Reſp. ſub diſtinctione. Nam vel tales malitiæ ſunt ſpecie diuerſæ moraliter, vel non? Si primum: tot incurret cenſuras eiuſdem, vel diuerſæ rationis, quot fuerint malitiæ in actu pœna cenſuræ prohibito: ut ſi furtum eſſet ſub pœna excommunicationis prohibitum, & ſimiliter quodlibet ſacrilegium, ſi quis in loco ſacro furaretur: in quo actu & furti, & ſacrilegij malitia eſſet inuenta, duplicem illam cenſuram incurreret. Similiter ſi in aliqua Diœceſi eſſet homicidium ſub pœna excõmunicationis prohibitum, ſi quis in illa Clericum occideret, & incideret in excommunicationem contrà homicidam latam in illa diœceſi, & in excommunicationem contrà ſacrilegum à iure ſtabilitam in Canon. *Si quis ſuadente, &c.* Et ratio eſt: quia qui actum duplici malitia infectum exercet, perindè eſt, ac ſi duplicem actum moraliter ſpecie diuerſum multiplicaret: in quo caſu certum eſt, utramque excommunicationem incurrere. *Si* tamen malitiæ illius actus non eſſent circumſtantiæ mutantes ſpeciem, ſed ad ſummum aggrauantes intrà eandem; quamuis ſi fortè ſeparatæ eſſent à ſubſtantia actus ſub diuerſa cenſura, eſſent prohibitæ ab illo, quando tamen per unum ſimplicem actum exercentur, unam tantum cenſuram inducunt: ut ſi aliquis eodem actu percuteret Clericum, qui eſt Diaconus, Subdiaconus, & Sacerdos, unam tantummodò excommunicationem incurret. Ità Cand. *diſq.22.art.15.dub.2.* Bonac. *nu.8.* N. Cornejo *loc.cit.* Dian. *5.part.tr.9.reſol.60.* Suarez *diſp.5.ſect.3.nu.13.*

*Per actus non multiplicatos moraliter multiplex cenſura nõ incurritur.*

179. Inquires tertiò: An toties multiplicetur cenſura, quoties repetitur tranſgreſſio contrà præceptũ eam continens? Reſpondetur, quod ſi tranſgreſſio actu formaliter, & moraliter diuerſa iteratur, multiplicatur cenſura iuxtà multiplicationem numericam illius: ut ſi quis modo Clericum vulneraret & poſt duos dies iterum ipſum percuteret: quia cenſura lata eſt contrà tranſgreſſores illius, præcepti: hic de nouo illud tranſgreditur, noua igitur cenſura ligatur: ſed ſi moraliter talis actus non interrumpatur, non incurrit niſi unam cenſuram: quia tunc licèt multiplex fuerit actus phyſicè; unus tantũ cenſetur moraliter, & una tranſgreſſio præcepti: ut ſi quis pluribus percuſſionibus ſucceſſiuè

moraliter

moraliter continuatis eundem Clericum percuteret, unam tantum excommunicationem incurreret, *cap. Cum pro cauſa, de ſententia excomm.* Ità N. Cornej. *loc. cit.* Cand. *diſq.* 22. *art.* 10. *dub.* 2. & 6. Bonac. *n.* 5. Suarez *ſect.* 3. *n.* 3. Hugol. *tab.* 1. *c.* 56. *n.* 5.

*Duplex illatio ex dictis.*

180. In quo inſeetur contrà N. Ant. *diſ.* 1. *n.* 33. pro ſe citans Caramuelem in ſua theologia fund. *n.* 740. quòd ſi iudex ſæcularis duos homines eadẽ actione morali extraheret ab Eccleſia, unam tantum excõmunicationẽ incurreret, quia prohibita eſt talis extractio propter reuerentiam debitã loco ſacro: & hic per unicam tantum actionẽ moralem unicam tantum irreuerentiam committeret. Idem dicendum eſt de eo, qui eodem tempore ſimul cum duobus excommunicatis cõmunicaret: quòd unam tantum incurreret cenſurã, quia reuerſa diſtinctio perſonarum in ſimili materia ad multiplicanda peccata parùm, aut nihil conducit. De hoc ultimo caſu aſſerit Cornej. *de excom. diſp.* 8. *dub. ult. quæſit. dict.* 2. De utraque ut probabile defendũt Alterius *to.* 1. *l.* 3. *diſ.* 10. *c.* 8. Bonac. *n.* 7. & abſolute de utroque caſu tenẽt Cand. *art.* 10. *dub.* 2. Suar. *n.* 4. & 8. Leand. *tract.* 1. *de cenſ. diſp.* 3. *q.* 41.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

181. Sed obijcies contrà dicta in hoc duplici num. quòd ſi aliquis eadem nocte cum eadẽ muliere ſemel, ac iterum vel tertio fornicaretur, tales actus eſſent plures moraliter, etiamſi unus poſt alium immediatè ſequeretur: & ſic pluralitatem eorum teneretur in confeſſione detegere: proindeq; ſi eſſet excommunicatio lata contrà fornicantes, plures excommunicationes incurreret: ergò ſimiliter, qui ſucceſſiuè Clericum ſemel, ſecũdò, & tertiò percutit, plura peccata committet, & pluribus excommunicationibus ligabitur. ¶ Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequẽtiam. Et ratio diſparitatis eſt: quia ſunt plura peccata, quæ habent in actu terminum præfinitum, ultrà quem non poſſunt progredi, nec unico actu plures illius generis perfici. Talis eſt fornicatio: quæ quando cõpletur, conſummatur actus, nec ultrà progredi poteſt: & ſic eodem actu non poteſt aliquis plures illas completas perficere. At percuſſio non habet terminum prędefinitum: & ſic amplius, & amplius uſque ad mortem, in quã completur, poteſt extẽdi: undè eadem ſimplici percuſſione totũ fieri poteſt, quod per plures: quare ſicut iſtæ non faciunt plura peccata, quando in eodẽ actu virtualiter continentur; nec etiam, quando in eodẽ actu moraliter continuato. Sicut ſi eſſet excommunicatio lata contra extrahentes triticum à tali domo, ſiquis eadem nocte repetitis actionibus triticum extraheret, unam tantum incurreret excommunicationem: quia illa extractio habet tractum ſucceſſiuum, & poſſet unica ſimplici actione fieri, quod fit pluribus.

*Quod ex doctrina tradita ſequitur.*

182. Vndè inferimus, quòd ſi Sacerdos excommunicatus, eodem tempore plures fideles ſucceſſiuè confiteretur, nec plura numero peccata committeret, nec plures incurreret irregularitates. Secundũ ſequitur ex primo, quod ſic probatur. Quia illa actio abſolutionis ex ſe habet tractum ſucceſſiuum, nec cõpletur omninò in abſolutione unius, ita ut non poſſit extendi ad alium: cum plures eadem actione poſſet ſimul abſoluere: ergò ſi moraliter omnes illa coniunguntur, erunt unum moraliter peccatum: ſicut unum duntaxat eſſet peccatũ, ſi unica abſolutione plures abſolueret: in utroque enim caſu multiplicitas obiectorum materialiter ſe haberet ad ſacrilegium ex parte Sacerdotis multiplicandum: in quo ſolum attẽditur: quod irreuerentiã irrogat rei ſacræ. Vndè ſicut plura vaſa ſacra furans vel uno actu, vel pluribus ſucceſſiuè abſque diſcontinuatione morali: unicam tantum irreuerentiam facit, & ſacrilegium committit, ſic in noſtro caſu. Ita tenent, quamuis alia ratione ducti, Lugo, *de pœnit. diſp.* 16. *n.* 558. *p.* 303. Rodr. *to.* 2. *c.* 44. *n.* 43. Fagund. *præc.* 2. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 9. Leand. *hic q.* 42. & *de pœn. tr.* 5. *diſp.* 8. *q.* 19. Dian. 1. *part. tr.* 7. *reſ.* 43. & 4. *p. tract.* 4. *reſ.* 45.

*Qui blaſphemat in duodecim Apoſtolos unum peccatum cõmittit.*

183. Idem dicendum eſt de eo, qui eodem actu blaſphemaret contra duodecim Apoſtolos, vel diuerſis actibus ſucceſſiuè moraliter non interruptis: quod ſi eſſet excommunicatio lata contrà blaſphemos, unam tantum incurreret excommunicationem. Quia illa irreuerentia ſanctis irrogata eſt moraliter una: cum omnes conueniant in eadem ratione, ob quam digni veneratione exiſtunt, & aliàs non habet terminum prædefinitum, & quando utraque hæc ratio concurrit in actione, etiamſi multiplicetur phyſicè vel ex parte ſua vel ex parte obiectorum, eſt una moraliter. In quo differt ab iniuria eadem murmuratione contrà totam familiam irrogata vel à percuſſione plurium hominum ſimul, vel ſucceſſiuè, vel à furto de rẽ graui facto ſimul, vel ſucceſſiuè eadem nocte pluribus dominis. Hæ enim iniuriæ multiplicantur ratione ſubiectorum, quos attingunt: quæ non ſe habent de materiali in illis, ſed formaliter: quia damnum attenditur ſecundum detrimentum rei familiaris, quam unuſquiſque propriam poſſidet, ſiuè ſit honoris, pecuniæ, & vitæ, & cum in dictis caſibus unuſquiſque in his, quæ ſibi ſunt propria, damnificetur, & diuerſum ſit ius in utroque indiuiduo: illa actio ſumit diuerſam indiuiduationem moralem ex diuerſitate ſubiectorum, quæ tangit. De his tribus caſibus ultimis aſſerunt Authores, quos pro noſtra ſententia quæſito ſeq. citabimus. De primo autem caſu tenent Enriq. *lib.* 5. *cap.* 8. *nu.* 4. Leand. *de pœnit. tract.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 24. & *hic diſp.* 3. *quæſt.* 4. & probabilem reputat Bonac. *de Sacramentis diſp.* 4. *quæſt.* 3. *ſect.* 2. *punct.* 2. *nu.* 16. Trull. *lib.* 5. *in Decalogum, cap.* 4. *nu.* 8. & Diana 5. *part. tr.* 9. *reſol.* 59.

*Quid ſi plures Clericos eadẽ actione vulnerauit.*

184. Vltimò inquires: An ſi aliquis unico actu plures Clericos percutiat, vel diuerſis abſque interruptione morali: ut ſi in eadem rixa plures ex illis vulneret, plures excommunicationes incurrat? Duplex eſt ſententia: prima aſſerit, unam duntaxat incurrere excommunicationem: quia ibi unũ duntaxat moraliter eſt delictum. Et in caſu quo per unum actum plures percuteret Clericos tenẽt Suar. *diſp.* 5. *ſect.* 3. *n.* 8. Bonac. *q.* 1. *punct.* 5. *n.* 7. licèt *n.* 8. tutiorem dicat oppoſitam, & ut probabilem defendit Dian. 5. *p. tr.* 9. *reſ.* 59. & ſimiliter probabilem dicunt Cornej. Candid. Alter. infrà citandi; & abſolutè tenet Leand. *tr.* 1. *de cenſ. diſp.* 3. *q.* 43. & 44. & conſequenter ad ſuam doctrinam aſſerit, idem eſſe dicendum, quandò ſucceſſiuè in eadem rixa plures Clericos percuteret. Quod proculdubio eſt probabile, ſuppoſita probabilitate prioris modi dicendi, ut ipſe eruditè probat. Nam quod ſit diuerſum peccatum nõ prouenit ex hoc, quod ſint diuerſæ actiones, vel una phyſicè: quià hoc materialiſſimum eſt, quando continuantur moraliter: ut conſtat in eo, qui pluribus actionibus ſucceſſiuè eumdẽ Clericum percuteret ſolum; ergò ex parte ſubiectorum, quælibet poteſt multiplicitas

proue-

Digitized by Google

prouenire;ergò ſi admittitur eſſe unum peccatum, unamque excommunicationem incurrere;qui eodem actu plures Clericos vulnerat;idem dicendum erit de eo,qui eadem actione morali plures feriret.

*Plures incurrit excommunicationes, qui ſimul vulneraret plures Clericos.*

185. Sed quia nos *tr. de pœn.c.7. n.*10. oppoſitum amplexati ſumus : nimirum,eſſe in illo caſu plura numero peccata moraliter detegẽda in confeſſione,idem modo aſſerimus,eo quod unitas moralis actionis, quæ eſt contrà iuſtitiam, non ſumitur ſolum ex tempore, aut continuatione phyſica actionis;ſed ex ſubiecto , quod attingit; quod, ut diximus, in iuſtitia ſe habet ut terminus, eo quod hæc virtus ius alterius formaliter reſpicit ut terminum : proindeque multiplicato iure , quod læditur , iniuſtitia moraliter multiplicatur : & ſic eſt in caſu dicto duplex delictum formaliter , duplex erit etiam excommunicatio, quæ incurritur. Quæ non ſolum prohibet percuſſionem Clericorum ob reuerentiam ipſis debitam; ſed ut Miniſtri Eccleſiæ conſeruentur incolumes. Dictum in hoc numero, ut probabiliùs, & ſecuriùs tenet N. Corn. *ſupr.cit.dub.ult.& de excom.diſ.*8.*dub.ult. q.*3. Alter. *lib.*3 *diſp.*10.*ſ.*8.Diana *loc.cit.reſ.*58. & 59. & 3.*p. tr.*4.*reſ.*164.Hugol.*tab.*1.*c.*16.§.3.*n.*8.Cand.*diſq.* 22.*art.*10.*dub.*7.Mach.*lib.*1.*p.*3.*tr.*2. *docum.*6.*n.*3. N. Ant.*nu.*33.

## PVNCTVM XV.

### *De cauſis excuſantibus à cenſura incurrenda, ubi ſpecialiter de ignorantia, aut metu graui.*

*Quæ poſſint excuſare ab incurſione cenſuræ.*

186 PLura ſunt,quæ excuſare poſſunt ab incurrenda cenſura vel ex parte rei, vel ex parte iudicis ferentis illam : & ſunt illa omnia , quæ ex parte ſubiecti excuſare poſſunt à peccato , & ex parte iudicis, quæ inualidam reddunt eius ſententiam.Ex parte igitur rei ingens neceſſitas operandi contrà præceptum excuſat, quia cum præcepta Eccleſiaſtica cum magno incommodo non obligent , illa neceſſitas, quæ excuſat à præcepto etiam excuſat à cenſura adhærente illi : quia hæc non niſi ob tranſgreſſionem præcepti incurritur. Vndè ſi eſſet præceptum impoſitum ſub cenſura, ne quis in die feſto opera ſeruilia exerceret, ſicut neceſſitas excuſaret ab eo : ita ab incurſione cenſuræ. Si eſſet præceptum ſub excommunicatione poſitum, ut omnes audirent ſacrum, vel concionem tali die,quòd proceſſioni generali aſſiſterent, vel promulgationi edicti ſanctæ Inquiſitionis, ea incommoda iuxtà prudentis arbitrium quæ excuſarent à peccato contrà facientes , etiam ab excõmunicatione redderent immunes. Vel ſi eſſet excommunicatio lata contrà furantes,vel non reſtituentes, paruitas materiæ, inaduertentia,impoſſibilitas ſoluendi,digna compenſatio, vel iuſta præſcriptio, quæ excuſarent à culpa in illo præcepto, præciſa excommunicatione , etiam à cenſura incurrenda eximerent. Nam cenſura iuncta præcepto illi adhæret,& conditiones ſequitur illius;imponiturque , non ut obligatio noua , ſed ut præceptũ roboret,& ab eius tranſgreſſione deterreat.

*Ex parte iudicis poſſunt aliqua excuſare ab incurſione cenſuræ.*

187. Etiam ex parte iudicis non incurritur cenſura,vel quia lata eſt in non ſubditum,vel ſi ſubditus erat, ſuo tempore appellationem interpoſuit: vel lata fuit ad petitionẽ partis, & illa remittit debitum, vel prorogat terminum ſoluendi. Si iudex non habebat iuriſdictionem,vel quia depoſitus eſt vel aſſumptus ad aliam dignitatem, vel habebat ligatum uſum ſuæ iuriſdictionis : quia erat innodatus cenſura ; vel ſi non cum forma ſubſtantialiter requiſita eam tulit:ut ſi abſque monitione præmiſſa:vel quia in nocẽtem ſententiam tulit;ſed ſecundum allegata,& probata inuentus innocens : quia iudex,utpote perſona publica,non poteſt ferre cẽſuram per modum ſententiæ , niſi ob ſcientiã publicam, & fori exteriorit; quæ ſecundum allegata, & probata accipitur. An verò ſi innocens ſecundũ allegata, & probata nocens appareat , valeat cenſura lata contrà eum? Dicemus in fine huius puncti. Quare modo ſolum reſtat duplex circà quæſitũ puncti difficultas enodanda,prima de ignorãtia quandò excuſet à cenſura?Secunda de metu graui.

*Quomplex ſit ignorantia.*

188. Et circà primam difficultatem notandum eſt ignorantiam aliam eſſe iuris, aliam facti, aliam pœnæ. Ignorantia iuris illa eſt,quandò quis ſciens ſe hoc facere,neſcit,aliqua lege,præcepto, vel ſtatuto eſſe prohibitum;quod adhuc bifariam poteſt fieri,vel quia neſcit aliquo iure diuino,vel Eccleſiaſtico eſſe prohibitum:ut ſi ignoraret,furtum eſſe iure diuino prohibitum; & hoc modo, ſi ignorantia fuerit inuincibilis,ab omni culpa excuſabit; vel quia ſcit, v.g.furtum,vel homicidium eſſe iure diuino, & naturali vetitum ; neſcit tamen eſſe iure Eccleſiaſtico prohibitum. Et tunc licèt peccet contrà legem naturalem & diuinam, non verò contrà Eccleſiaſticam. Et ad hanc ignorantiam iuris reducitur ignorantia pœnæ per ius impoſitæ, ut ſi quis noſſet eſſe iure Eccleſiaſtico prohibitum monaſteria ingredi monialium ; neſciret verò eſſe hoc ſub excõmunicatione vetitum. Ignorantia facti eſt , quandò ignorat ſe facere contrà legem , licèt ſciat legem eſſe , quæ talem actum prohibeat : ut ſi aliquis putans ſe feram occidere, occidit Clericum.

*Alia ignorantia diuiſione.*

189. Rurſus ignorantia alia eſt inuincibilis, alia vincibilis : inuincibilis dicitur, non quia non poſſit abſolutè vinci ſed quia adhibita prudenti diligentia,quam in re graui oportet adhibere:& quę ab hominibus illius ſtatus, cõmuniter ſolet apponi, adhuc ſuperata non eſt : & ſi omnis diligentia neceſſaria adhibita eſt, erit omninò inculpabilis;ſi verò aliqualis negligentia appoſita,ſed nõ talis,quę ad culpam grauem ſufficiat,erit venialiter culpabilis; abſolutè tamen, & in ordine ad peccatũ mortale incurrendũ ob omiſſionem talis rei,quæ præcipitur, dicetur inuincibilis. Et inuincibilis ignorantia dicitur à præcepto excuſare, non quia liberet ab obligatione illius;alias qui datâ operâ,illam procuraret;omninò ab eo liberaretur:ſicut qui datâ opera tendit ad locum, ubi ieiunium non obligat, ab eius obligatione liberaretur;ſed quia excuſat eo tempore , quo adeſt, à tranſgreſſione præcepti,tametſi hominem tunc abſolutè,ſub obligatione præcepti relinquat. Et ob hanc ignorantiam inuincibilem reducitur actualis inconſideratio vel inaduertentia:quæ ſolum ab ignorantia differt in eo, quòd ignorantia dicit habitualem neſcientiam rei; ſiuè quia numquam de illa notitiam habuit; ſiuè quia ſemel habita fuit penitus oblita, & abolita. At inconſideratio, vel inaduertentia,ſuppoſitâ ſcientiã habituali rei , dicit quaſi actualem ignorantiam : & quia habitibus non meremur, nec demeremur,ſed actibus,in ordine ad excuſandum,vel non,à culpa,vel à cenſura,idem iudicium ferendum

ferendum eſt de incooſideratione actuali, vel inaduertentia, ac de ignorantia, & ideò de illis non loquemur: quia quòd dictum fuerit de iſta illis applicandum erit.

*Quot modis ignorantia culpabilis dicatur.*

190. Ignorantia vincibilis ſecundum aliquos in triplici tantum eſt differentia. Alia eſt affectata: alia craſſa; alia ſupina. Illa dicitur affectata, qua quis non vult intelligere, ut benè agat; ſed magis ut liberius peccet, neſcire affectat, quod tenetur facere. Ignorantia craſſa eſt, qua quis deſidioſus tepeſcens, & lata negligentia ſe gerens, non curat addiſcere, quod tenetur. Et craſſa dicitur, ſumpta metaphora à pinguibus hominibus: qui quantum carnibus abundant, tantum ſpiritu, & ſolertia, ac ſolicitudine carent. Supina ignorantia eſt qua aliquis diſtractus varijs negotijs, alijſque occupationibus diuerſis, negligit ſcire, quod ſibi incumbit, ſumpta ſimilitudine ab hominibus pigris, qui ſupini iacentes in lecto, de tali negotio non curant, ac ſi ad illos minimè pertineret. Præter has tres ignorantias Sanch. *lib.* 1. *Decal. cap.* 16. *nu.* 6. *&* Candid. *diſq.* 22. *art.* 31. *dub* 3 Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 4. aliam enumerant, quia iudicant poſſe eſſe ignorantiam culpabilem mortaliter; quin ſit affectata, craſſa, aut ſupina. Quia, inquiunt, quandò homo aliquam adhibet curam, & diligentiam pro capienda notitia rei, ad quam tenetur; ſed non tantam, quantam qualitas negotij, & perſonæ depoſcit, eſt culpabilis ignorantia, & vincibilis. Cæterum ſi deficiat grauiter in tali ſolicitudine, & indagine, erit lethale peccatum; quamuis ſi parum deficiat, erit dumtaxat veniale. Sed hæc ignorantia à craſſa, & ſupina diſtinguitur: quia his laborans nullam, vel ferè nullam adhibet diligentiam ad debitam capiendam notitiam. Quod an verum ſit? Poſteà dicemus.

*Ignorantia inuincibilis excuſat à cenſura.*

191. His ſuppoſitis, apud omnes ferè receptiſſimum eſt, ignorantiam inuincibilem, ſiuè facti, ſiuè iuris, ſiuè particularis, ſiuè communis, etiam à Summo Pontifice lati, quæ omninò reddit actum inuoluntarium; & ſic à culpa omninò immunem (quia hæc ſine voluntarietate malitiæ, & notitia illius committi non poteſt) etiam excuſare à cenſura. Ideoque ſi quis ignoraret inuincibiliter, vel probabiliter opinans contrarium (quia etiam inuincibiliter ignorare dicitur, cuius contrarium probabiliter iudicatur) eſſe prohibitum ſub excommunicatione aliquid: quod malum eſt, quia prohibitum; non verò alias ex natura rei: ut tali die carnes comedere, non incurreret illam, etiamſi ſecus faceret (ſimiliter dicendum eſt de conſideratione, & actuali inaduertentia, quæ omninò inuincibilis eſſet) Imò ſi ignorantiam culpabilem haberet, ſed ſolum venialiter, non incurreret illam. Quia ut diximus *num.* 126. excommunicatio non incurritur, niſi ob culpam mortalem: quæ in tali caſu non adeſſet. Verum eſt, quod ignorantia iuris communis non præſumitur in foro exteriori, niſi probetur, *cap. Ignorantia, de regulis in* 6. ibi: *Ignorantia facti excuſat, non autem iuris.* Quia ſemper in foro exteriori præſumitur, quemlibet notitiam habere eorum, quæ pertinent ad ſuum proprium ſtatum.

*Qui ſciens eſſe malū, ſed non cōtrà legem Eccleſiaſticam nō incurrit cenſuram.*

192. Sed difficultas eſt, quandò aliquis ſcit, aliquid eſſe iure diuino prohibitum, neſcit verò, an iure Eccleſiaſtico, per ſpecialem legem cenſuram continentem ſit vetitum. Circà quod dicimus primò, quòd ſi aliquis ſciat, v.g. furtum vel homicidium eſſe malum ex natura rei, neſciat verò, eſſe ſpeciali lege Eccleſiaſtica prohibitum, non incurrit cenſuram tali præcepto annexam, ſiuè ſit ignorantia facti, vel iuris communis, vel particularis. Et ideò quamuis peccet mortaliter contrà ius diuinum, quod violat; non verò incurrit dictam cenſuram, *cap. Si vero, de ſententia excommunicat. cap. Apoſtolica, de Clerico excommunicato, miniſtrante.* Et ratio eſt primò: quia ſi eſt, excommunicatio lata contrà occidentem Clericum, eſt lata contrà Sacrilegos; ſi contrà inceſtuoſus, illos dumtaxat comprehendit. Sed qui occidit hominem, ignorans eſſe Clericum (quomodo eſt ignorantia facti) vel qui accedit ad mulierem non ſuam, ignorans eſſe conſanguineam, non peccat peccato ſacrilegij, aut inceſtus: ergò non incurrit cenſuram latam contrà inceſtuoſos, aut ſacrilegos, licèt aliàs peccet contrà ius diuinum, & naturale prohibens tales actus: ſecundò: quia qui ignorat, aliquid eſſe contrà ius Eccleſiaſticum, ſciens eſſe contrà ius diuinum, contra hoc delinquit, hoc contemnit; illud verò non, nec contrà illud peccat: ergò non poteſt puniri ab eo per cenſuram: quia hæc non, niſi ob contemptum, inobedientiam, & contumaciam contrà Eccleſiam fieri poteſt, iuxtà illud Matthæi 18. *quod ſi Eccleſiam non audierit.* Ità tenent Soto *in* 4 *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. *caſu* 4. *concl.* 1. Auila 2. *part. cap.* 5 *diſp.* 5. *dub.* 6 *concl.* 2. *&* *dub.* 7. Candid. *diſq.* 22. *art.* 31. *dub.* 68. *&* 69. *&* 2. Sanch. *lib* 9 *de Matrim. diſp.* 32. *num* 9. *&* 24. Suar. *diſp.* 4 *ſect.* 8. à *nu.* 20. Cornejo *diſp. ult. de cenſur. in gener. dub.* 2. *quæſt* 2. Petrus de Ledeſm. *de Matrim.* 3. *part. quæſt.* 55. *art.* 6. *dub.* 5. *ad* 4.

*Qui habet ignorantiā cenſuræ, nō incurrit eā.*

193. Dicimus ſecundò, quòd ſi aliquis ſciret actum eſſe prohibitum, etiam iure Eccleſiaſtico; neſciret tamen inuincibiliter, tale ius cenſuram continere, illam non incurreret, ſi talem actum exerceret, ut ſi ſciret, eſſe prohibitum ingreſſum ad clauſtra Monialium iure Eccleſiaſtico; non tamen ſub pœna excommunicationis: ſi illa ingrederetur, peccaret quidem lethaliter contrà ius Eccleſiaſticum; non tamen maneret ſub excommunicatione ligatus. Et ratio eſt, quia excommunicatio non fertur niſi ob contumaciam: ideoque petit eſſentialiter monitionem præcedere ſub comminatione cenſuræ, ut diximus *nu.* 83. ergò quandò illius notitia non adeſt, ſicut deficit contumacia, & contemptus cenſuræ; ita non incurritur illa. In quo differt hæc pœna ab alijs, quæ iure Ciuili, aut Eccleſiaſtico pro aliquo delicto aſſignantur: quòd aliæ pœnæ, cum non petant contumaciam, ex natura rei, ex ipſo delicto contrà legem conſequuntur. Ideoque ſuppoſita prohibitionis notitia, non requiritur notitia ipſius pœnæ: ut accidit in homicida, qui quamuis neſciat eſſe capitale ſupplicium tali delicto annexum, iuſtè ſuſpendetur. At cenſura, cum petat contumaciam contrà ipſam poteſtatem Eccleſiaſticam per cenſuras coercitiuam, non incurritur, niſi notitia talis pœnæ habeatur. Maximè, quia iſta ad emendationem, & reſipiſcentiam ordinatur; illa verò ſolùm ad correctionem. Sic Sanchez *nu.* 13. Enriq. *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 21 *num.* 1. *&* *cap.* 23. *num.* 2. Coninch *diſput.* 13. *num.* 91. Candid. *dub.* 6. *&* 32. *dub.* 1. Diana 3. *part. tr.* 6. *reſol.* 41. *&* 4. *part. tr.* 2. *reſ.* 36 Cornejo hic cit. *quæſt.* 3. Et idem dicendum eſt de interdicto, & ſuſpenſione, quod de excommuni-

cationem

cation: diximus: ad quas etiam contumacia, & monitio dicta requiritur.

*Etiam ab irregularitate ignorantia excuſat.*

194. Sed difficultas eſt in irregularitate: An iſta incurratur à neſciente, eſſe talem pœnam pro tali peccato impoſitam. Et loquimur de irregularitate, quæ incurritur ratione delicti. Nam illam, quæ ob defectum ſignificationis, aut lenitatis imponitur, non eſt dubium in tali caſu incurri. Sed adhuc non incurri irregularitatem, quando ignorantia omnino excuſat à peccato, omnes aſſerunt: ut ſi excommunicatus Clericus ignoraret, eſſe ſibi prohibitam miniſtrationem in ſacris, non incurreret irregularitatem tali miniſtrationi annexam: quia rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit: *cap. Cognoſcentes: de conſtitutionibus, cap. Apoſtolicam, de Clerico excommunicato miniſtrante.* Vbi dicitur, Clericum etiam concubinarium miniſtrantem non incurrere irregularitatem, ſi abſque notitia iuris talem miniſtrationem prohibentis procedat. Ex quo deducitur, quod etiamſi aliàs actum iure diuino illicitum eſſe cognoſcat; ſi tamen ignorat ius Eccleſiaſticum illum prohibens, non incurret irregularitatem. Et ideò occidens hominem, ignorans tale delictum eſſe per ſpecialem legem Eccleſiaſticam prohibitum, non incurreret irregularitatem: quia eſt pœna Eccleſiaſtica, & ſic ſolum ob delictum contra ius Eccleſiaſticum perpetratum, eſt incurrenda.

*Non excuſat ab irregularitate ignorantia pœna.*

195. Quando vero adeſt notitia iuris Eccleſiaſtici talem actum prohibentis probabilius iudicamus, incurrere irregularitatem, qui talem actum exercet, etiamſi neſciat, talem pœnam eſſe à iure tali delicto aſſignatam. Quia irregularitas, ut diximus *nu.* 12. non eſt cenſura, nec eſt pœna medicinalis ad reſipiſcentiam ordinata, nec petit contumaciam in ſubiecto: & ſic ob delictum purè præteritum poteſt incurri: ergo ſicut aliæ pœnæ, quæ has conditiones non requirunt, ſed ex delicto ipſo facto conſequuntur, ipſo facto incurruntur etiam à non habente illarum notitiam: quia pœna non requiritur, quòd ſit voluntaria, quin potiùs contra voluntatem imponitur. Ità etiam irregularitas ex delicto. Ità Auila *ſupr. dub.* 10. *concl.* 1. D. Anton. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 76. Caiet. 1.2. *q.* 73 *art.* 3. Soto *in* 4 *diſt.* 22. *qu.* 1. *art.* 2. *ad finem*, Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 5. *nu* 9. Candid. *diſq.* 22. *art.* 32. *dub.* 2. *concl.* 3. quamuis *concl.* 1. oppoſitum probabile dicat: & nos idem aſſerimus, videantur dicenda à nobis, *cap.* 7. *num.* 53.

*Secundum aliquos ignorantia culpabilis datur, quæ excuſet à cenſura.*

196. Sed inquires primò: An dari poſſit ignorantia vincibilis moraliter; quæ tamen excuſet ab incurſione cenſuræ? Aliqui diſtinguentes ignorantiam grauiter culpabilem à craſſa, & ſupina, ut diximus *nu.* 190. iudicant dari poſſe ignorantiam moraliter vincibilem; quæ tamen excuſet à cenſura lata vel ab homine per modum ſtatuti, vel à iure ſiuè ſit ignorantia facti, ſiuè iuris, *ex cap. 2. de conditionibus in 6.* ubi omnes ignorantes excuſantur à cenſura incurrenda; *dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.* At dari poteſt alia ignorantia, quæ non ſit craſſa, aut ſupina; & tamen ſit culpabilis mortaliter: ergò, &c. Min. prob. quia ignorantia craſſa, aut ſupina eſt illa, quæ ſumma, ac latiſſima negligentia habetur: ſed poteſt dari negligentia valdè lata ſufficiens ad mortale, quæ non ſit latiſſima, ac ſumma: ergo, &c. Ità Tanner. *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 10. *dub.* 3 *nu.* 47. *Caleſtin. in compendio Theologiæ Moralis, tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. Quod refert, & ſequitur Diana 5. *part. tract.* 9. *reſ.* 17. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 23 *nu.* 2. Petrus de Ledeſm. 3. *part. quæſt.* 45 *art.* 3. *punct.* 1. *dub.* 2. *concl.* 2. Palaus *de cenſur. diſp.* 1. *punct.* 8 *num.* 7. Sanch. *lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 32. *num.* 31. Auila 5. *part. cap.* 5. *diſp.* 5 *dub.* 8. *concl.* 2. loquendo de cenſuris ab Ordinarijs impoſitis, non à Summo Pontifice, quia in dicto *cap.* 2. de his ſolum fit ſermo. Sed alij volunt, nomine Ordinariorum ibi Summum Pontificem venire: qui etiam eſt Ordinarius: qui ratio decidendi æquè currit in eo, ac in alijs.

*Practicè verum eſt, omnē culpabilē ignorantiam à craſſa nō diſtingui.*

197. Cæterùm licèt hæc ſententia ſit ſpeculatiuè probabilis; practicè tamen difficulter poſſunt diſtingui hæ ignorantiæ: & vix practicè inuenitur ignorantia culpabilis mortaliter, quæ craſſa non ſit, aut ſupina. Nam ignorantia craſſa non eſt illa, quæ habetur abſque ulla diligentia adhibita ad aſſequendam veritatem; ſed quæ praua, aut exigua fuerit: quæ moraliter eadem eſt cum illa, quam mortaliter culpabilem vocant hi Authores. Et hoc ipſo quòd Deus propter illam ignorantiam culpabilem poſſit, & velit hominem pœna æterna puniri, non eſt ratio, quare non poſſit, & velit Eccleſia, eum pœna Eccleſiaſtica mulctare. Ità Conin. *nu.* 95. Suar. *diſp.* 4. *ſect.* 10. *n.* 10. Vaſq. *de excom. dub.* 15. *princ.* Corn. *ſupr. cit.* Candid *diſq.* 22. *dub.* 4.

*Quādo dicitur in præcepto: Qui ſciēter fecerit non cōprehenduntur ignorantes etiā craſſè, aut ſupinè.*

198. Inquires 2. An quando in præcepto ponitur: *Qui ſcienter hoc fecerit: Qui facere præſumpſerit: Qui temerariè id fecerit*, excuſetur à cenſura incurrenda, qui tale fecerit per ignorantiam vincibilem? In quo eſt certum, quòd ſi ignorantia non ſit affectata; licèt ſit craſſa, aut ſupina, excuſabit à cenſura in tali lege contenta. Quia per tales clauſulas lex voluit ſignificare, maiorem notitiam requiri, ut cenſura incurratur, quàm illa, quæ in alijs legibus exigitur. Vndè minor ignorantia, & minùs inuoluntaria ſufficit ad excuſandum à tranſgreſſione talis legis. Cum ergò ignorantia craſſa, aut ſupina ſit, quæ non excuſat in alijs legibus; in his quæ tales clauſulas continent, etiam talis ignorantia excuſabit. Sed difficultas eſt: An ignorantia affectata excuſet etiam à cenſura, quando lex ſimiles clauſulas continet? Prima ſententia eſt negatiua. Et probatur 1. quia talis ignorantia potiùs auget voluntarium, quam illud minuat, quia ideò eligitur, ut liberius homo cum tali ignorantia peccet: 2. quia hæc ignorantia æquiualet ſcientiæ, & dolo, *cap. Eos qui, de temporibus ordinationum in 6.* Et ideò idem operatur, quod operaretur ſcientia, ſi adeſſet. Ità Suar. *diſp.* 4. *ſect.* 10. *num.* 3. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 23. *nu.* 3. Petrus de Ledeſm. *cap.* 8. *in ſum. de excommun dub. ult. dict.* 3. Auil. *p.* 2. *cap.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 9. *concl* 3. Candid. *diſq.* 22. *art.* 35. *dub.* 3. Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *de peccatis, diſp.* 1. *punct* 18. *num.* 1. Villalob. *tract.* 16. *diff.* 12. *num.* 10.

*Idem dicēdum eſt de ignorantia affectata.*

199. Secunda nihilominùs, & probabilior ſententia dicit, quòd quando in lege dicitur: *Si quis ſcienter, præſumptuosè, vel cum dolo, vel temeritate id fecerit, maneat ligatus tali cenſura*, non incurrit eam, quando aliquis per ignorantiam illud operatur, etiamſi affectata fuerit. Primò, quia hic non verificatur propriè, & formaliter, cum ſcientia id fecerit: nec dolum habere formale, ſed ad ſummum virtuale, aut æquiualens. Sed lex odioſa, & pœnalis eſt interpretanda ſtrictè ſecundum proprietatem verborum, ut multoties diximus; ergò talis non incurrit illam cenſuram. Vndè quamuis ignorantia affectata æquiparetur dolo, aut ſcientiæ, quantùm

tùm

Digitized by Google

tùm ad hoc, quòd non excuſet à culpa & quantùm ad alias pœnas; non ad illam, pro qua lex ſcientiam formalem & dolum petit. ¶ Secundò: quia ſicut in alijs legibus requiritur culpa mortalis, ut cenſura ab ipſis lata incurratur; ſic in iſtis ſcientia requiritur: ſed in alijs niſi per culpam mortalem formaliter talem, cenſura illarum non incurritur: ergò in iſtis non, niſi qui operatur per notitiam illarum formalem, cenſuris ab ipſis latis ligatur. ¶ Tertiò: quia qui affectat ignorare, quòd per talem legem præcipitur, licèt velit liberius, & abſque morſu actum exequi; aliqualem oſtendit legis reuerentiam: quia non vult, contrà illam ſcienter operari, nec contemnere, quòd in ipſa præcipitur: ſed legiſlator per illa verba hanc audaciam, & temeritatem, qua quis contrà remorſum conſcientiæ, contrà notitiam, ſibi legem proponentem agere audet (in quo pœnas illius videtur contemnere) damnat. Ergò, &c. Ità Celeſtin. *in Theolog. moral. tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. Hurtad. *de cenſur. in comm. diſſ.* 11. *num.* 92. quos refert, & ſequit. Diana; 3. *part. tract.* 9. *reſol.* 17. Idem docet alios referens idem Diana, 3. *par. tract.* 6. *reſol.* 7. *& p.* 7. *tract.* 4. *reſol.* 14. *& tract.* 5. *reſol.* 11. Cornejo, *diſp. ultima, dub. ultimo, in fin.* licèt oppoſitam dicat probabilem. Duard. *in* Bulla Cœnæ *lib.* 2. *quæſt.* 36. *num.* 3. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *punct.* 4. *num.* 9. Sanch. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 10. *num.* 38. Sylueſt. *verb. Culpa, q.* 11. Tabien. *verb.* Dolus, *num.* 2. N. Ant. *diſ.* 1. *num.* 176.

*Reijcitur aliquorum ſententia.*

200. Sed non approbamus, quòd ex hac ſententia infert Panormitanus, *cap. Cognoſcentes, de conſtitutionibus in* 6. & probabile reputat Candid. *art.* 35. *dub.* 4. *&* Rodriguez, *p.* 1. *ſumm. cap* 80. *concluſ.* 15. *num.* 11. Sylueſt. *verb. Ignorantia q.* 8. *dub.* 4. *& excommunicatio* 6. §. 6. *notabil.* 4. *verſ.* 2. D Antonin. 3. *par. tit.* 24. *cap.* 1. §. 2. quòd ſi quis cum ignorantia affectata, vel in communi ſententia, craſſa, aut ſupina Clericum occideret, non incurreret excommunicationem Canonis: *ſi quis ſuadente diabolo*: quia per illa verba audaciam, & temeritatem requiri videtur. Sed certè hoc non petitur in dicto Canone, & quòd quis non ex ignorantia invincibili, non cum moderatione inculpatæ tutelæ in defenſionem ſui Clericum percutiat, ſed vel ex odio, malitia, &c. Quòd non niſi ex ſuggeſtione dœmonis, & ſuaſione illius fieri notum eſt. Et ideò non eſſe hoc ius de illis, quæ formalem ſcientiam, aut dolum requirunt, docet rectè Sanchez, *lib.* 9. *de matrimonio, diſp.* 32. *num.* 41. Couarr. *cap. Alma mater, part.* 1. §. 10. *num.* 16. *in fine.*

*Idem, quod dictum eſt, de ignorantia antecedenti, dicendum eſt de concomitante.*

201. Quòd huc uſque dictum eſt de ignorantia invincibili antecedente, ſeu quæ eſt cauſa actus, & ſine qua non fieret, idem dicendum eſt de ignorantia concomitante, ſeu quæ non eſt cauſa actus, & ſine qua actus fieret: ut quandò aliquis ita eſt affectus odio circà Clericum, ut intendens occidere hominem, qui verè Clericus erat, ſed ab ipſo ignorabatur, etiam occideret ipſum, & forte libentius, ſi eum agnoſceret, etiamſi poſt factum complaceat ſibi de illo, vel etiamſi antecedenter haberet hunc actum: *Vtinam hic Clericus eſſet, ut illum occiderem: vellem occidere Clericum mihi inimicum, ſicut iſtum hominem occido*: in his caſibus ſi verè fuit ignorantia invincibilis facti, vel in alijs ſimilibus, ſi eſſet ignorantia iuris, verè non incurreret excommunicationem latam contrà Clerici percuſſores. Et ratio eſt: quia nec habitualis ille affectus, nec actualis conditionatus iam dictus, nec complacentia, aut ratihabitio poſteà habita, de facto influunt in percuſſionem Clerici exteriorem: quia de facto non adeſt notitia illius: Et ideò ſolùm ſunt ſigna, quòd influerent, ſi de facto talis notitia adeſſet. Sed excommunicatio ponitur propter exteriorem actum percuſſionis, vel occiſionis, ſecundùm quòd de facto prouenit ab actu interiori, & eſt ſignum illius, vt diximus *num.* 142. ergò, &c.

*Eiuſdem concluſionis probationem proſequimur.*

202. Secundò: quia licèt hic homo peccato intrinſeco ſacrilegij peccauerit per illam voluntatem, qua vellet, Clericum occidere, vel qua factum approbat poſt notitiam: tamen illa extrinſeca occiſio non fuit ſacrilegium formaliter, ſed cenſura lata eſt contrà formaliter, & exterius ſacrilegos, ut omnes aſſerunt: ergò, &c. Prob. maior: quia voluntarium non eſt, quòd abſque cognitione procedit. Vndè licèt illa occiſio non fuerit contrà voluntatem, & ſic non fuerit involuntaria; non tamen fuit à voluntate, & ſic non fuit voluntaria poſitiuè: ſed ad quodlibet peccatum requiritur, quòd ſit poſitiuè voluntaria, ut docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 3. ergò illa exterior occiſio non fuit peccaminoſa, ſecundùm quòd erat ignorata, nimirum ſecundùm circunſtantiam ſacrilegij. ¶ Aliud eſt, ſi diceret: *Volo occidere hunc hominem, quicumque ille ſit*: vel: *ſiue ſit Clericus, ſiue Laicus*: quia tunc talis actus interior verè eſt cauſa exterioris, & ille peccaret peccato ſacrilegij, & voluntariè actualiter in occiſionem Clerici influeret: ac proindè excommunicationem latam in Canone incurreret. Hæc omnia tenent. Auila, 2. *part. cap.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 6. *concluſ.* 3. Monteſ. *tom.* 2. *in* 1. 2. *quæſt.* 86. *art.* 3. *dub.* 8. *quæſt.* 8. *à num.* 108. Filiuc. *tract.* 1. *cap* 8. *quæſt.* 9. *diſt.* 2. *num.* 147. Caietan. 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 3. Suarez, *diſp.* 4. *ſect.* 8. *num* 9 Bocacin *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 14. Candid. *diſq.* 22 *art.* 34. *dub.* 2. Cornejo, *ſuprà dub.* 2. *quæſt.* 1. Palaus, *tom.* 1. *tr.* 2. *de peccat. diſp.* 1. *punct.* 17. *num.* 3. N. Anton. *diſ.* 1. *num.* 173.

*Metus grauis à cenſura incurrenda excuſat.*

203. Vltimò inquires: An metus grauis, ſeu qui poteſt cadere in virum conſtantem, excuſet ab incurſione cenſuræ? Et inquirimus de metu graui. Nam metum leuem non excuſare à cenſura, eſt notum apud omnes. De metu igitur graui dicendum eſt primò, quòd ſi res, quæ metu agitur, ſolum eſt prohibita iure Eccleſiaſtico ſub cenſura, non incurrit cenſuram latam vel à iure, vel ab homine, qui tali metu coactus illam exercet. Ratio eſt manifeſta: quia ubi non eſt culpa, non habet locum cenſura: ſed præcepta Eccleſiaſtica non obligant cum graui incommodo, & periculo vitæ, ſalutis, famæ, aut rerum familiarium: ut patet in ieiunio, auditione ſacri, &c. Ergò qui ex metu graui alicuius damni temporalis, aliquid agit contrà ius Eccleſiaſticum, non peccat: & conſequenter non incurrit cenſuram. Vt ſi ſub pœna excommunicationis præciperetur auditio ſacri, aut concionis, tali die, ſi quis cogeretur ex metu graui id non facere, ſicut eſſet immunis à culpa, ita etiam à cen-

ſura. Ità Doctores in ſequenti cõcluſione citandi.

*Qui agit contrà præceptum diuinum & Eccleſiaſticum ex metu graui, peccat, ſed excuſatur à cenſura.*

204. Dicendum eſt ſecundò, quòd ſi res eſſet aliàs ex iure diuino, aut naturali præcepta, & prohibita etiam iure Eccleſiaſtico, ſi quis metu graui cogeretur, contrà tale præceptum facere, quamuis grauiter delinqueret, non tamen cenſuram incurreret, aut aliam pœnam Eccleſiaſticam, v. g. eſt iure diuino & naturali prohibita occiſio hominis cuiuſcumque, & occiſio Clerici, & etiam iure Eccleſiaſtico; illa ſub pœna irregularitatis, hæc ſub pœna excommunicationis: ſi quis metu graui cogeretur Laicum, vel Clericũ occidere, peccaret quidem mortaliter; nullam tamen ex his pœnis incurreret. Et ratio eſt; quia licèt præcepta iuris naturæ, aut diuini obligent, quocumque metu, & damno imminente, non verò præcepta Eccleſiaſtica, ut diximus: ergò in tali caſu occidens hominem, licèt peccet contrà ius Diuinum, non tamen contrà ius Eccleſiaſticum: ergò non eſt puniendus pœna iure Eccleſiaſtico ſtabilita, maximè cenſura, quæ contumaciam contrà Eccleſiæ poteſtatem requirit. Ità, Coruej *de cenſur. in comm. diſp. ultim. dub.* 3. Palaus, *de cenſur. diſp.* 1. *punct.* 8. *num.* 9. Coninch, *diſp.* 13 *dub.* 12. *num.* 102. Sot. *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 4. *coll.* 33. Suarez *diſp.* 4 *ſect.* 3. *num.* 14. Henriq *lib.* 13. *cap.* 21. *num.* 2. & 3. Bonacin. *quæſt.* 2. *punct.* 3. *n.* 2. Candid. *diſq.* 32. *art.* 41. *dub.* 3. *diſt.* 5. & 7. N. Anton. *diſ.* 1. *num.* 179.

*Quando res eſt grauiſſima metus non liberat à cenſura.*

205. Dicendum eſt tertiò contrà N. Anton. *numer.* 180. quòd ſi aliquis cogatur in contemptum præcepti Eccleſiaſtici aliquid, quòd eſt cenſura prohibitum exercere, vel res, quæ prohibita eſt ſub cenſura, ſit grauiſſima, non excuſabitur ab illa per metum quantumuis grauem, ſed potius ſubeunda eſt mors, quam contrà tale præceptum, licèt ſolum ſit Eccleſiaſticum, operetur, v. g. prohibetur ſub cenſura, ne quis in Eccleſia loquatur, & ob irriſionem pœnæ Eccleſiaſticæ cogitur aliquis loqui, peccat contrà præceptum Eccleſiæ, & eſt reus cenſuræ, qui potius non elegit mori, quam tale facere. Cogitur Clericum percutere in contemptum ſtatus Eccleſiaſtici, ligatus manet cenſura, qui tale agit. Cogitur quis Epiſcopum, vel Cardinalem vulnerare, licèt non ſit in Eccleſiæ contemptum, manet excommunicatus, ſi exequitur: quia eſt res grauiſſima. Cogitur excommunicatus vitandus, ut aliquem pœnitentem extrà periculum mortis abſoluat, manet irregularis, ſi id faciat: quia per cenſuram non ſolum prohibetur illi exercitium ordinis ſub pœna irregularitatis; ſed fit inhabilis ad abſoluendum: quia ab eo tollitur iuriſdictio, & eſt res grauiſſima, abſoluere ſacramentaliter, qui iuriſdictione caret. Quòd non fieret, ſi ſolum per cenſuram auferretur ab eo exercitium ordinis; non verò redderetur inhabilis ad illud: ut ſi in ſacris miniſtraret excommunicatus, metu graui coactus: quia tunc non incurreret irregularitatem.

*Concluſio propoſita probatur.*

206. Ratio concluſionis dictæ eſt: quia certius eſt, Eccleſiam velle in omni caſu ſub præcepto, & ſub pœna obligare, ne quid fiat in contemptũ eius, aut in re grauiſſima, quæ maximè cedit aut in animarum perniciem, aut in ipſius Eccleſiæ dedecus, & iniuriam grauiſſimam, undè venit explicandus textus *in cap. Sacris, de his, quæ vita.* Vbi dicitur, excommunicationem incurrere, qui metu ductus communicat cũ excommunicato. Et rationem reddit: *Quia licèt metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorſus excludit (cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere) excommunicationis labe credimus inquinari.* Nam dicimus textum loqui vel de metu leui, qui à culpa non liberat, etiam contrà præceptum Eccleſiaſticum; vel quandò incutitur in contemptum cenſuræ Eccleſiaſticæ. Et conſtat de hoc ultimò loqui: cum dicat, eſſe mortale communicationem cum excommunicato: quàm apud omnes conſtat, præciſo contemptu, non eſſe niſi veniale, & ex graui metu nullum. Quia, ut ſuperius diximus, præcepta purè Eccleſiaſtica, quale eſt illud, non obligant, imminente graui damno. Concluſionem dictam tenent Coninch, *ſup. num.* 102. Cornejo, *pag.* 592. Bonacin. *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 2. Machad. *lib* 1. *part.* 3. *tract.* 2. *docum.* 18. *num.* 4. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 21. *num.* 2. Palaus, *de cenſur. diſp.* 1. *punct.* 8. *num.* 9.

## PVNCTVM XVI.

*Quomodò ſe gerere debeat, qui dubius eſt, an cenſura ſit innodatus? Vel quando eſt certus de ſua innocentia, & à ſuperiori excommunicatur?*

*Securius eſt, quòd dubius de cenſura abſoluatur.*

207. AD praxim valdè neceſſaria ſunt, quæ dicenda ſunt in hoc puncto, quæ, ut clarius percipiantur, omiſſis varijs ſententijs, quæ ſelectiora ſunt, & probabiliora eligemus, ſupponentes conſultiſſimum eſſe, ut qui dubius eſt, an ſit excommunicatus (Idem de alijs cenſuris eſt intelligendum, quòd de excommunicatione dixerimus) ſe abſolui, ſaltem ſub conditione, procuret, & intereà ſe gerat ut excommunicatum, quantùm poteſt ſine ſcandalo, aut infamia propria, Similiter eſt certum, quòd ſi ipſe dubius eſt de excommunicatione, & alij perſuaſi ſunt eſſe excommunicatũ, tenetur in foro exteriori, ſe gerere ut excommunicatũ ratione ſcandali, ne videatur cenſuram Eccleſiaſticam contemnere. Quare dubium eſt, quomodo ſe gerere debeat in foro conſcientiæ, vel in exteriori, quandò ceſſat periculum ſcandali?

*Quando eſt dubium iuris, etiam in foro exteriori non cenſetur, cenſuratus.*

208. In quo caſu, ſi dubium ſit iuris, nec in foro externo, nec interno tenetur ſe ut excommunicatum gerere, & abſtinere ab ijs, quæ excommunicatis ſunt prohibita. Quia, cum fauores ſint ampliandi, & pœnæ reſtringẽdæ, quandò ius inducens pœnam dubium eſt, in benigniorem partem eſt interpretandum. Quò ſenſu dixit D. Thom. *quodlibet*, 4. *a.* 14. quòd quoties dubitatur an iudex contrà aliquem excommunicationem protulerit, & præmiſſa diligentia, adhuc dubium manet, non tenetur ſe gerere ut excommunicatum: quia tunc eſt dubium iuris. Quod ſecùs accidit, inquit Sanctus Doctor, ſi certus ſit, eſſe excommunicationem latam, dubius autem, an iuſta fuerit: quia tunc ut excommunicatus ſe debet gerere. Quia, quandò non conſtat oppoſitum, pro iuſtitia ſententiæ iudicium ferendum eſt: eo quòd non ſubditi, ſed ſuperioris ſit, eam examinare. Ità Valent. *diſp.* 7. *q.* 19. *punct.* 2. cum Couar *in* Clementin. *ſi furioſ.*, *p.* 1. §. 1. *n* 3. Diana, 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 44. & 4 *part. tract.* 3. *reſol.* 33.

209. Si

Digitized by Google

*Idem dicendum eſt de dubio facti.*

209. Si verò ſit dubium facti ( ut qui ſcit excommunicationem latam eſſe contrà percutientes grauiter Clericos, dubitat verò an percuſſio à ſe facta fuerit grauis ) nec etiam tenetur ſe ut excommunicatum habere. Et ratio eſt: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: hic poſſidet ius communicandi cum alijs fidelibus, & recipiendi ſacramenta: ergò in dubio non eſt priuandus ſuo iure: & conſequenter non debet ſe gerere ut excommunicatum. Ità Dian. *loc. cit.* Tannerus ( ab ipſo citatus ) *tom.4. diſp.6. quæſt. 10. dub.4. n.60.* Sanchez, *lib.1 ſumm. cap.10. à num.42.* Laym. *lib.1. tract.5. cap.5.* §.4. *num.*38. Palaus, *diſp.1, punct.*8. *num.*8. Candid. *diſq.22. art.23. dub.1.*

*Idem dicendum eſt, ſi dubium ſit, an lata ſit vel ferenda cenſura?*

210. Similiter: ſi eſt dubiom, an ſententia fuerit latæ, vel ferendæ ſententiæ, non tenetur ſe gerere ut excommunicatum, ut diximus *n.* 18. tunc enim eſt dubium iuris. Si cenſura lata fuit ſub conditione, & dubium eſt, an fuerit, nec ne, adimpleta? Etiam eſt dubium iuris: quia ut diximus ſuprà uſq; ad euentum conditionis excommunicatio nullam vim babet. Vel erit dubium facti: & in utroque eueotu non debet, ut excommunicatum ſe gerere. Si tamen dubium ſit, an ſuperior intentione ligandi excommunicationẽ protulerit, vel ſolum ad terrorem, vel qui ſemel excommunicationem incurrit, an ſit abſolutus, vel non? Vel an tempore debito, interpoſuit appellationem? tenetur, donec de veritate conſtet, ſe ut excommunicatum gerere: quia in his caſibus poſſeſſio ſtat pro ſuperiore, cuius melior erit conditio. Palaus, *loc. rit. ex* Couarruu. *in cap. Alma mater, part.1.* §.2. *n.4* Sanch. *c.10. citat. n.* 57. & 59. Si verò ſit dubium, an ſuperior, qui cenſuram tulit, habuerit, nec ne poteſtatem? Videndum erit, an ſit in pacifica poſſeſſione talis poteſtatis? Et tunc poſſeſſio ſtat pro illo, ſecus verò ſi non pacificè tali poteſtare potiatur: quia tunc erit dubium iuris; cum non conſtet de poteſtate ferentis: ac proindè de valore iuris, ſeu mandati, Sanchez, *num* 60. Candid. *ſupr. dub.7.*

*Obiectio, & ſolutio illius.*

211. Sed contrà dicta hucuſque objicies, quod quandò quis eſt in dubio iuris, vel facti: an irregularitatem incurrerit, ſe habiturus eſt ut irregularem, ut plures, & grauiſſimi Doctores docent, & in irregularitate proueniente ex homicidio nos non negabimus: ergò ſimiliter in excommunicatione: quia rationes à nobis propoſitæ vel in utroque caſu, vel in nullo habent vim, ut ex ſe conſtat. ¶ Reſpondetur, quod, quantum attinet ad dubium iuris, idem cenſendum eſt de irregularitate, ac diximus de excommunicatione. Et conſtat *ex cap. Is qui, de ſentent. excommunicat. in 6.* ubi dicitur, neminem irregularitatem incurrere, niſi illa ſit in iure expreſſa; ſi verò ſit dubium facti, & irregularitas ſit inducta ex homicidio, cenſendus eſt irregularis, qui dubius eſt de tali delicto commiſſo. Quia id expreſſum babemus in iure, *cap. Ad audientiam, cap. Significaſti el ſegundo, cap. penult. de homicidio.* In alijs verò irregularitatibus, ſiuè ſit dubium iuris, ſiuè facti; poſſeſſio ſtat pro ipſo delinquente, qui non debet, ut irregularem ſe gerere: Et ratio eſt, quia omnia iura clamant, in dubio delicto reum abſoluendum. *Regul. fauorabiliores 168 ff. de regulis iuris, & reg. cum ſint eodem tit. in 6.* ergò non eſt ab illa recedendum, niſi detur textus in oppoſitum, qui non, niſi in caſu homicidij, datur. Ità Sanchez, *ſumm. lib.1. cap.10 n.48.* Suarez, *hic diſp.40. ſect 6. num.*8. Salas, 1.2. *quæſt.21. tract. 8. diſp. unic. ſect.18 num.168.*

*Qui innocens eſt, non incurrit cenſuram, etiamſi ſecundùm allegata appareat nocens.*

212. Sed inquires: An ſiquis ſit certus de ſua innocentia, & ſecundum allegata, & probata appareat nocens, teneatur obedire ſententiæ ſibi ſub excommunicatione comminanti, vel ſi lata fuerit contrà ipſum, ſe ut excommunicatum gerere. V. g. ſum certus, quòd non debeo Petro centum, ille à me petit in iudicio: in quo probar, me illi illa centum debere, & iudex ſub excommunicatione latæ ſententiæ præcepit, ut intrà menſem ſoluam. Teneorne ſoluere? vel tranſacto menſe, ſi non ſoluo me ut excommunicatum gerere? Reſpondetur, non teneri me tali præcepto obedire in veritate, & coram Deo: ac proindè me non incurrere talem excommunicationem, quæ non, niſi ob peccatum graue, poteſt incurri: primò: quia illa ſententia falſæ nititur præſumptioni, habetque errorem intolerabilem, qualis eſt, obligare innocentem ad id, quòd non tenetur: ergò non tenetur in conſcientia illi conformari: ſecundò: quia non eſt credibile, Chriſtum Dominum tribuiſſe poteſtatem Eccleſiæ priuandi innocentem tot bonis, quibus per excommunicationem priuatur. Coram illis verò, qui certi ſunt de excommunicatione; incerti verò de mea innocentia, teneor me gerere ut excommunicatum ratione ſcandali, ne videar cenſuram contemnere. Soto, *in 4. diſt.22, art.3 verſ. Ir tamen,* Caiet, 2.2 *quæſt 60. art.4 ad* 2. Coninch, *diſp. 23. dub.12.* Suarez, *diſp.4 ſect.7. à n.*11. Palaus, *n.*15. Sed ſi in publico violem talem cenſuram, grauiter quidem delinquam contrà ius diuinum, mihi præcipiens, omne ſcandalum actiuum vitare; non tamen in foro conſcientiæ reus ero pænarum; quæ contrà frangentes cenſuras latæ ſunt: & ſic non ero irregularis, ſi in ſacris miniſtrauero: quia re ipſa cenſuram non violo, nec contrà præceptũ ago Eccleſiaſticum. In foro tamen exteriori cogar eas pœnas ſubire. Suarez, *num.* 20, Coninch, *num.* 119. Palaus, *num.* 16.

## CAPVT II.

### *De abſolutione à cenſuris.*

CHriſtus dominus non ſolum dedit poteſtatem Eccleſiæ ligandi fideles per cenſuras, ſed etiam ſoluendi eos per abſolutionem. Ideòque per iſtam à miniſtro habente poteſtatẽ, cenſuris innodatos ab illis liberos manere, tam eſt certũ de fide, quàm quòd poteſt Eccleſia cenſuras ferre. Nam ſimul, & ſemel facultatem ligandi, & abſoluendi illi Chriſtus communicauit. Sed non leuis eſt difficultas, & confuſio circà abſolutionem, quæ requiritur, circà miniſtrum competentem, & qualitates ex parte abſoluendi requiſitas: quod hoc præſtabimus capite, illud in ſeptem puncta diuidentes.

---

*Punct. I. De neceſſitate abſolutionis, eiuſque multiplicitate, num. 1.*

*Punct. II. De forma, quæ obſeruari debet in abſolutione*

*tione à cenſuris num.* 14.
*Punct. III. De conditionibus requiſitis ex parte abſoluendi, ut licitè, & validè illi abſolutio conſtratur, num.* 27.
*Punct. IV. De ijs, qui poſſunt à cenſuris abſoluere, & de conditionibus ex parte illorum requiſitis, ut validè, & licitè abſolutio impendatur, numer.* 36.
*Punct. V. De caſibus, & cenſuris reſeruatis Pontifici, à quibus poſſunt Epiſcopi abſoluere iure ordinario, numer.* 51.
*Punct. VI. De facultate, quam habent Prælati Regulares abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus, vel cenſuris reſeruatis Summo Pontifici, vel Ordinarijs, num.* 69.
*Punct. VII. De caſibus, & cenſuris reſeruatis, à quibus abſolui poſſunt fideles recipientes Bullam Cruciatam, numer.* 82.

## PVNCTVM I.

### *De neceſſitate abſolutionis, eiuſque multiplicitate.*

*Tenetur cenſuratus quàm citiùs à cenſurà abſolui.*

1. ANtè omnia placuit adnotare, quemlibèt cenſura ligatum teneri ſub mortali abſolutionem eius ſolicitare, quam primum potuerit. Et ſic qui poteſt abſolui, & differt, peccat, magis, minuſuè iuxtà dilationem interpoſitam: & quælibet dilatio eſt mortalis ex genere ſuo, niſi ob paruitatem materiæ, vel ex alijs capitibus excuſetur: ſiquidem ſua culpa ſe priuat receptione Sacramentorum, auditione ſacri, alijſque bonis ſpiritualibus, non ſine ſalutis animæ diſpendio, contemnit Eccleſiæ poteſtatem, aut præbet occaſionem ita ſuſpicandi, & volens, ac lubens vult ab Eccleſiæ gremio exulare. Ità Gibalin. *diſq.* 9. *quæſt.* 1. *n.* 13. Alter. *lib.* 2. *diſp.* 8. *cap.* 3. Couarruu *in cap. Alma matre. part.* 2 §. 7. *num* 10. *& in* Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Reformatione in fine*. Qui ità permanet per annum excommunicatus, habetur ſuſpectus de hæreſi, & ſic citari poteſt, ut de fide reſponſurus, appareat.

*Quotuplex ſit abſolutio?*

2. Igitur abſolutio alia eſt abſoluta, ut eſt illa, quæ communiter fit, alia conditionata, vel dependenter à conditione præſenti, præterita, vel futura. Quæ dependenter dumtaxat à conditione præterita, vel præſenti datur: *ſi ſatisfeciſti: ſi es paratus ſatisfacere*; propriè non eſt conditionata: quia non ſuſpendit effectum. Sed ſi conditio eſt, vel fuit, ſtatim abſoluitur, ſi non; minimè: ſed manet ligatus. De abſolutione ſub conditione de futuro ſtatim dicemus. Alia abſolutio eſt ad cautelam: quandò neſcitur, aut dubitatur, an incurrerit, necne, cenſuram? Et hæc præſtari poteſt à quocumque confeſſario reſpectu cuiuſcumque cenſuræ, in foro conſcientiæ facta promiſſione, vel de ſatisfaciendo parti, ſi conſtet ad hoc teneri; vel de comparendo ſuperiori, ſi fuerit ex reſeruatis. Alia denique eſt ad reincidentiam, ut eſt illa, quæ datur pro tempore determinato: ut illo tranſacto, reincidat in eandem cenſuram, & hoc bifariam fieri poteſt.

*Quotuplex ſit abſolutio ad reincidentiā?*

3. Primò: ſi abſolutè datur abſolutio quoad omnes effectus cenſuræ, ſed cum onere vel ſatisfaciendi, vel comparendi, vel aliquid aliud faciendi. Quod ſi non fecerit, in priſtinam relabatur cēſuram. Et talis cenſura reſeruatur ei; cui fuerat prior reſeruata: ſecundò: quandò ſolum ad determinatum effectum datur abſolutio, manente cēſura quoad alios: ut quandò Pontifex ad beneficij, vel priuilegij collationem excommunicatū habilem reddit, & ad hunc effectum abſoluit, ut colligitur ex *cap Venient* 38 *de teſtibus cp. Et atteſtationibus*: quomodò ſolus Papa abſoluere quit: quia non eſt in poteſtate inferioris, quòd non habeat cenſura permanens in ſubiecto, omnes effectus, quos ex iure communi poteſt habere. Hos enim habet ex intentione Pontificis, quam nullus inferior poteſt impedire, niſi dumtaxàt ad effectum dicendi teſtimonium, quandò aliâ viâ res cognoſci nequit ex conceſſione Pontificis, dicto *cap. Veniens* 2. *de teſtibus*, Palaus, *diſp.* 8. *punct.* 11. § 2. *num.* 12. Sayr, *lib.* 2 *cap.* 16. *num.* 55. Coninch, *diſp.* 14. *num.* 217. & hoc modo præſtita abſolutio, non tam dicitur abſolutio, quam diſpenſatio, ut cenſura manens ad hunc effectum non liget.

4. Sed circà abſolutionem datam ad reincidentiam eſt quædam difficultas inter Doctores; An ſcilicet ut aliquis, obtenta tali abſolutione, reincidat in excommunicationem, requiratur noua culpa ex parte illius? An verò ſufficiat præcedens, ob quam fuit primò excommunicatus? In quo certum eſt, quòd ſi aliquis ſub hac forma abſoluatur: *Ego te abſoluo ab excommunicatione, ita tamen ut in eam reincidas, niſi, cum commodè poſſis, hoc vel illud facias*: non poteſt abſque noua culpa in cenſuram reincidere: nimirum per violationem præcepti illud faciendi. Quomodo reincidunt in excommunicationem reſeruatam, qui in caſu neceſſitatis, à non habente poteſtatem abſoluendi extrà illum, abſoluuntur, tacitè vel expreſſè ſub conditione præſentandi ſe ſuperiori, quandò poſſunt commodè, ſin minùs in eandem excommunicationem reincidant, ut conſtat ex *cap. Eos, qui* 22. *de ſententia excommunicationis in* 6. difficultas ergò eſt, quandò aliquis ita àbſoluitur: *Ego te abſoluo ab excommunicatione, ita tamen ut niſi intra menſem ſatisfacias, in eam reincidas*. An tunc requiratur noua culpa, ut illam incurrat, & quamuis tranſacto menſe, inculpabiliter, non ſatisfaceret, excõmmunicatione ligatus maneat? In quo eſt duplex ſententia, & utramque ſatis probabilem dicit Diana, 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 15.

5. Prima dicit, non requiri nouam culpam, ſed quòd de facto non apponatur ſatisfactio intrà illud tempus, ut poſteà maneat ligatus cenſura, qui ſic abſolutus fuit. Et ratio eſt; quia tunc non datur noua cenſura, ſed ea, quæ anteà erat, à qua abſolutus eſt ſub ea conditione: ergò illâ non adimpletà etiamſi per illum non ſteterit, incidit in eandem cenſuram: quemadmodum in ea permaneret, ſi non eſſet abſolutus, etiamſi per ipſum non ſtaret, quouſque abſolueretur. Et explicant exemplo iudicis ciuilis: qui ad tempus abſolueret reum ab exilio, vel alia temporali pœna; qui ſine noua culpa, tranſacto illo tempore, redit ad priſtinam pœnam. Ità Cornejo, *diſp.* 11. *dub. ultim. in fin.* Gibalin. *diſq.* 9 *quæſt.* 2. *n.* 11. Candid. *diſq.* 22. *art.* 57. *dub.* 4. Bonac. *quæſt.* 3. *punct.* 3. *n.* 16. Suarez, *diſp.* 7. *ſect.* 8. *num.* 27. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 10. *quæſt.* 4. Hurtad. *diſp.* 4. *de excommunicat. diff.* 3.

*Non requiri nouam culpam, ut cenſura ad reincidentiam iterum incurratur, aliqui aſſerunt.*

6. Secunda,

*Verius eſt, nouam culpam requiri.*

6. Secunda, & verior ſententia dicit, requiri nouam culpam ad incurrendam talem cenſurā: primò: quia cenſura eſt pœna medicinalis: ergò abſque contumacia, & culpa non poteſt incurri: ſecundò, quia præcedens cenſura ex conſenſu partis fuit penitus deſtructa. Non enim fuit ſuſpenſa, ſed impertita eſt cum tali onere: nam ſuſpendere cenſuram quoad effectum, manente ipſa, fieri non poteſt, niſi authoritate Pontificis, ut diximus *num.* 2. ergò ut renaſcatur, noua contumacia requiritur, aliàs præciſè ob culpam præcedentem daretur: quod capite præcedenti fieri nō poſſe, multoties diximus. Ex quo apparet diuerſitas inter cenſuram, & aliàs pœnas temporales: quod illæ incurri poſſunt ob culpā præciſè præcedentem; & cum habeant tractum ſucceſſiuum ut exilium: poſſunt ſuſpendi quoad unam partem, & non quoad aliam. Imò tunc verè non ſuſpenduntur, ſed remittuntur ex parte. Vndè ſequitur, quod Pontifex, qui poteſt effectus cenſuræ ſuſpendere, vel quoad omnes, vel quoad aliquos, poteſt ad reincidentiam abſoluere, ſuſpendendo ſcilicet pro tempore cenſuram cum onere hoc, vel illud faciendi: ſi minus ſinè noua culpa incurratur eadem cenſura. Sed quandò ad omnes effectus ab ea abſoluit, non eſt credendum, ipſum velle manere cenſuram, niſi ita exprimat. Quia niſi aliud exprimat, eum velle modo ordinario abſoluere credendum eſt: ac proinde cenſuram tollere cum tali onere: & tunc ſinè noua culpa non incurretur. Ità Palaus, *hic. cit. num.* 10. Coninch, *num.* 216. Auil. 2. *part. cap.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 14 Enriq. *lib.* 13. *cap.* 29. *num* 2. Leand. *de cenſur. in gener. tract.* 1. *diſp.* 11. *quæſt.* 17. Rodrig. Machad. Laym. *apud ipſum.*

*Cenſura non ceſſat, per hoc quod aliquis ſit in gratia.*

7. Abſque aliqua abſolutione ex enumeratis *num.* 2. non poſſe auferri cenſuram, conſtans eſt apud omnes Doctores. Vndè non ceſſat cenſura per hoc, quod aliquis ſit in gratiâ per contritionem, aut conuerſionem ad Deum, vel per aliquod Sacramentum, quod oblitus cenſuræ recepit: eo quod eſt ab Eccleſia ligatus, & ſic ab illa eſt abſoluendus: aliàs facilè ſcelerati cenſuras illuderent, dicentes, ſe iam conuerſos fuiſſe ad Deum, & in gratiâ conſtitutus: & poſſet Sacerdos contritus ſacrum celebrare, etiamſi eſſet excommunicatus. Imò poſſet Confeſſor ſacramentaliter abſoluere contritum, qui erat excommunicatus, quin prius eū ab excommunicatione abſolueret: quæ ab omnibus reputantur abſurda. Vndè pro illo etiam in gratia conſtituto, non poterunt offerri ſacrificia nomine Eccleſiæ, vel ſuffragia applicari, & ſi applicentur, illi non proderunt: quia excommunicatus ante abſolutionem his bonis priuatus eſt. Poterunt tamen ſuffragia particularia, & bona opera alicuius pro illo applicari, & illi proderunt; quia his excommunicatio non priuat. Ità Cornejo, *dub.* 1. Coninch, *num.* 49. Dian. 5. *part. tract.* 9. *reſ.* 75. Suar. *diſp* 9. *ſect.* 3. *n* 2.

*Non tollitur cenſura niſi abſolutione.*

8. Similiter non tollitur cenſura morte ferentis, vel per hoc, quòd fiat illi non ſubditus excommunicatus, ſiue quia mutauit territorium, ſiue quia ſuperior eſt ad aliam dignitatem aſſumptus. Quia cenſura dependet quidem à ſuperiore in fieri, ſed non in facto eſſe, nec ſe habet ut præceptum, quòd morte præcipientis expirat, vel eius aſſumptione; ſed ſe habet ut pœna, quę ſecundum ius durat, uſque dum ab ea abſoluatur, *cap. Si Epiſcopus* 15. *q.* 3. *cap. Paſtoralis de offic. iudic. ordinar.* Coninch, *diſp.* 4. *dub.* 15. *num.* 198. Palaus, *diſp.* 5. *punct.* 15. §. 1. *num.* 2. Nec etiam ceſſat cenſura per mortem excommunicati, etiamſi cum ſignis contritionis decedat. Ideòque nec corpus eius ſepeliri, nec pro eo ſuffragia offerri poterunt, iuxtà dicta *capite. præced.* Ità Coninc. *num.* 201. Palaus, *n.* 3. Gibalin. *diſp* 9. *quæſt.* 1. *num.* 2. *&* 3.

*Etiam ſatisfacta parte, & emendatione ſecuta, cenſura non tollitur.*

9. Sed inquires primò: An ſatisfacta parte, vel ſecuta emendatione delicti, ob quòd lata fuit cenſura, hæc auferatur abſque abſolutione? Reſpondetur negatiuè. Et hoc non ſolum in foro exteriori, ſed nec coram Deo, aliàs nullius eſſet valoris abſolutio facta ab Eccleſia: quia Eccleſia regulariter non concedit beneficium abſolutionis, niſi adhibita ſatisfactione partis & emendatione ſecuta. Quarè, licèt ex eo, quod aliquis parti ſatisfaciat, vel à delicto reſipiſcat debeat ſtatim abſolui, ut dicitur *c. Cum conſideres, de ſentent. excommun. cap. Qua fronte, de appellationibus*, cæterùm non inde ſequitur, ſtatim ac ſatisfactio, vel emendatio ponitur ceſſare cenſuram; ſed potius abſolutione ab Eccleſiâ conceſſa indigere. Ità Cornejo *ſup. diſp.* 11. *dub.* 1 Gibalin. *num.* 3. Candid. *diſq.* 22. *art.* 53. Palaus *ſup. num.* 4. Coninch, *num.* 199.

*Abſolutionem ſub conditione eſſe nullam ſunt, qui dicant.*

10. Secundò inquires: An poſſit abſolutio impertiri ſub conditione? v. g. *Abſoluo te, ſi intrà menſem ſatisfeceris:* Aliqui negant, ſed eſſe omninò nullam talem abſolutionem. Ità D. Ant. 3. *p. ti.* 24. *cap* 77. §. 1. Syluest. *verb. Excommunicatio* 1. *num.* 19. *&* *verb. Abſolutio* 3. §. 1. Et ex parte Auil. 2. *part. cap.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 15 Et probant primò: quia actus legitimus, id eſt, qui fit ſecundum legem, conditionem non admittit. *Reg.* 5. *de regulis iuris, & leg. Actus legitim, ff. eod. tit.* ſed abſolutio eſt actus legitimus: ergò, &c. 2: quia non poteſt abſolutio in foro pœnitentiali à peccatis dari ſub conditione: ergò nec in foro exteriori, aut interiori, à cenſuris. Et loquitur hæc ſententia de conditione propriè tali, ut eſt conditio pendens in futurum, nō verò de conditione de præterito, aut de præſenti: quia ſic poſſe dari abſolutionem nemo dubitat, ut conceditur frequenter ad cautelam: *Si incurriſti*, vel *ſi ſatisfeciſti*: ut etiam in abſolutione Sacramentali poſſe dari ſub conditione iſta, nemo dubitat: ut *ſi diſpoſitus es, abſoluo te, ſi ſufficientem materiam tribuiſti.*

*Poteſt validè abſolutio ſub conditione impendi.*

11. Sed veriùs dicendum eſt, ſub conditione de futuro poſſe validè abſolutionem conferri. Quia eadem eſt poteſtas in Eccleſia ligandi, atque ſolvendi: ſed cenſura poteſt ferri ſub conditione, ut diximus *capit. præced.* ergò abſolutio. Regula autem illa, quod actus legitimus conditionem non admittit, non eſt uniuerſalis ad omnes actus, ut conſtat in cenſuræ impoſitione, in voto, in matrimonio, & alijs contractibus, qui ſub conditione poſſunt celebrari; ſed de illis actibus, quorum naturæ repugnat, reſpicere conditionē, à futuro tempore dependentem: & enumerantur *l. actus legit. ff. de reg. iur.* & inter illos enumeranda eſt abſolutio ſacramentalis: quia hæc licèt indirectè dependeat ex intentione miniſtri, ut applicet debitam formam, aut materiam; non tamen quoad effectū dependet directè ab illa, ſed ſemel applicatâ materiâ, & formâ, non ſtat in voluntate miniſtri, quod abſolutio ſuſpendatur, vel non; ſed ſtatim ex intentione, & voluntate Chriſti ſuppo-

ſita diſpoſitione recipientis ſuum effectum producit. Abſolutio autem vel ligatio cenſuræ, cum ſit ex iure humano, omninò pendet ex voluntate miniſtri. Et ideò ſicut ſuſpendere poteſt ligationem uſque ad conditionis euentum, ſic etiam abſolutionem: & tunc habebit effectum ſuum, quãdo conditio adimpleta fuerit, & non anteà. Ità Bonacin. *diſp.* 1. *q.* 3 *punct.* 7. Gibalin. *diſq.* 9. *q.* 2. *n.* 3. Dian. 5 *p tract* 9 *reſol.* 14. Palaus, *ſuprà cit. n.* 2. Cornej. *diſp.* 11. *dub.* 2. Suar *diſp* 7 *ſect.* 8 *n* 8. Coninc. *n.* 213. Cand. *diſq.* 22 *art.* 57 *dub* 2. Enriq *lib.* 13. *cap.* 29 *n.* 4. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 16 *diff.* 22. *n.* 1.

*Non eſt licita regulariter abſolutio ſub conditione.*

12. Cæterùm talis abſolutio regulariter dari non poteſt ſub conditione. Tum, quia abſolutio non debet eſſe in pendenti, & ſuſpenſo, argumento ex c. *Ad hæc, de appellat.* Tum etiam, quia non conuenit, ut reus iudex ſuæ abſolutionis conſtituatur: ſed magis præſtat diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ut ſatisfacta parte: reus ſe præſentet humiliter Eccleſię, ut ab ea abſoluatur. Attamen hoc nullo iure eſt prohibitum, nec ita malum, & indecens, ut non poſſit aliquandò honeſtari, in caſu quo prudentia dictet, attentis circumſtantijs, fore talem modum abſolutionis utilē: & tunc abſolutio non manebit ſuſpenſa, ſiquidem non retrotrabitur; ſed tunc vim habet quandò conditio apponitur. Ità Cornej. *loc. cit.* Coninc *n.* 214 Gibal. *diſq.* 9. *q.* 2. *n.* 5. Suar *diſp.* 7 *ſect.* 8. *n.* 11. Dian. *ſup. reſ.* 14. Palaus, *n.* 2. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 12 *diff.* 22. *num.* 3. N. Ant. *diſ.* 1. *n.* 191.

*Qui abſoluitur ſub conditione, hac poſita manet à cenſura liber.*

13. Sed hinc oritur difficultas: An ſi ſub conditione aliquis abſoluatur, vel excommunicetur, his verbis: *Abſoluo te ſi intrà menſem ſolvas*; vel ità feratur excommunicatio: *Excommunico, te quouſq; ſolvas*, ſolutione appoſita, ſtatim ſequatur abſolutio, & liberetur à cenſura ſine noua abſolutione? Reſp. affirmatiuè: quia abſolutio, cum ſit fauorabilis, potius eſt amplianda: ergò tam excommunicatio, quam abſolutio dictæ ita ſunt interpretandæ, & hanc fuiſſe mentē ſuperioris intelligendum eſt, ut conditione appoſita ſequatur abſolutio, vel quòd excommunicatio ſolū duret uſq; ad euentum conditionis. Et quamuis tunc ſine noua abſolutione liberetur à cenſura nō verò ſine abſolutione, nam illa verba: *excommunico te, donec ſolvas*, utrũq, habent, & vim ligationis, & abſolutionis; ligant enim uſq; ad aduentū conditionis, & illà ſequutà abſoluunt. Ità Enriq *lib.* 13 *cap.* 29 *n.* 2. Palaus, *ſupr. cit.* §. 1. Vazq. *de excōm. dub.* 18. Coninc *diſp.* 14 *n.* 219 Cornej *loc. cit.* Gibal. *num.* 29. Auil. 2. *part. cap.* 7 *diſp.* 2. *dub.* 6.

## PVNCTVM II.

### *De forma, quæ obſeruari debet in abſolutione à cenſuris.*

*Non ſufficit voluntas ſuperioris, niſi exprimatur, ad abſoluendum à cenſuris.*

14. CErtiſſimum eſt, non ſufficere voluntatē ſuperioris abſoluendi, niſi hanc verbis, vel ſignis exprimat ut aliquis à cēſura abſolutus maneat. Quia talis voluntas ad homines dirigitur per modum conceſſionis, ut excommunicatus cum alijs communicare valeat, & alij cū illo, tam in politicis, quã in ſacris: & ſic, niſi voluntas ſuperioris exterius manifeſtetur, nihil ad abſolutionem conducet. Cęterũ ad hoc nulla verba determinata requiruntur, ſed quæcumq; illa quæ ſufficiunt ad ſignificandam voluntatem miniſtri, qua vult à cenſuris abſoluere etiam ſufficiunt, ut validè talis abſolutio impertiatur (quæ antē requirantur, ut legitimè concedatur poſteà dicetur) quia in iure, cuius eſt formam ſtatuere, nulla determinata verba aſſignantur ad abſoluendũ, ſicut neque etiam ad ligandum eſſe requiſita diximus *c. præc n.* 61. Imò nō requiritur ad valorem abſolutionis, quòd exprimatur cauſa, ob quã cenſuratus incurrit cenſurã; niſi quandò eſt ligatus pluribus cenſuris, & abſolutionem petit ab eo, qui poteſt ab omnibus, vel à pluribus ſe liberare. Et hoc nō quia neceſſaria ſit manifeſtatio talis cauſę ad formam abſolutionis; ſed ut ſciatur, à qua cenſura, vel à quibus eũ abſoluere intendit ſuperior. Vndè non requiritur cauſæ expreſſio, vel quandò cenſuratus ab eo, qui ab una tantũ poteſt abſoluere; abſolutionē petit; vel quandò ipſe determinat, quòd ab hac, vel illa abſoluatur, vel quandò miniſter intendit ab omnibus, à quibus poteſt, ipſum abſoluere, & ad omnes habet poteſtatem. Ità Cornej. *de cenſ. in gener. diſp* 11. *dub.* 3. Palaus, *diſp.* 1. *punct.* 11. §. 3. *n.* 1. Gibal *diſq.* 9. *q.* 5. *num.* 2. & 3. Suar. *diſp* 6. *ſect* 9. *num.* 2. 5. & 6.

*Non requiritur, quod in abſolutione cenſura in ſpecie exprimatur.*

15. Inquires 1. An in abſolutione à cenſura debeat exprimi cenſura, à qua cenſuratus abſoluitur, vel in ſpecie, dicendo: *Abſoluo te ab excommunicatione, vel ſuſpenſione*, vel in genere, dicendo: *Abſoluo te à cenſuris*? An verò ſufficiat dicere *abſoluo te*? Reſpondetur ſub diſtinctione. Vel cenſuratus petit abſolui ab hac, vel illa cenſura, vel ab omnibus, quibus eſt ligatus, vel non petit, ut contingit, quandò inuitus abſoluitur, vel quãdò in Sacramentali confeſſione abſoluitur à peccatis, non reminiſcens cenſurarum, quas incurſit? Dicimus ergò, quod ſi petenti conferatur abſolutio, non requiritur ad valorem illius expreſſio cenſuræ, à qua eſt abſoluendus; ſed ſufficit dicere: *Ego te abſoluo*: quia iam per petitionem cenſurati determinatur illud verbum, ut intelligatur de abſolutione à cenſuris. Sicut dicit D. Thom. 3 *p. q* 84. *art.* 3. ſufficere, ut quis abſoluatur à peccatis in Sacramento, quod dicatur: *Ego te abſoluo*, non exprimendo: *à peccatis*; quia iam per cōfeſſionem pœnitentis intelligitur cadere ſuprà peccata. Si verò non petenti abſolutio impertiatur, non ſufficit dicere: *abſoluo te*, ut maneat abſolutus: ſed debet cenſura in genere, vel ſpecie exprimi, à quã abſoluitur: quia verbum *abſoluo*, niſi aliundè determinetur, indifferens eſt ad abſolutionem à cenſuris, & à peccatis. Ità Suarez, *diſp.* 7. *ſect.* 9. *numer.* 4. & 5. Palaus, *loc. cit.* Sayr. *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 3. Candid. *diſq.* 22 *art.* 57 *dub.* 3. Cornejo, *loc. cit.* Dian. 5. *p. tract.* 9. *reſol* 31. Alter. *tom.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 7. *cap.* 1.

*Abſens abſolui poteſt.*

16. Inquires 2. An poſſit à cenſura abſolui, qui eſt abſens, vel neceſſariò requiratur quod ſit præſens, ſicut ad abſolutionem ſacramentalem requiritur? Reſpondetur affirmatiuè. Quia ſicut abſens poteſt cenſurari, ità à cenſuris abſolui per procuratorem, nuntium, aut epiſtolam quia tàm actus ligandi, quam abſoluendi ex voluntate iudicis dependent, quæ etiam ad abſentes poteſt extendi, *cap. de manifeſta* 2. *q.* 1. *cap. Quantos* 2. *q.* 5. Cæterum ut licitè fiat, debet urgens cauſa dari, nam abſque illa erit illicita; quamuis valida, talis abſolutio: quia expedit reum eſſe præſentem, quandò abſoluitur, ad maiorem cautelam, & humi-

humiliationem ipſius. Ità Enriq. *lib* 13. *cap*.29. *n*.1. Auila, a *p*. *cap*.7. *diſp*.2. *dub*. 1. Gibal. *diſq*.9. *q*.4.*n*.5. Alter. *lib*.4.*diſp*.6.*c*.5. Sanch. *lib*.2. Decalog. *cap*.15.*n*.14. Sayr. *lib*.2.*de excom*.*cap*.21.*n*.12. Palaus, *num*.10. Qui benè notant, quod quandò per procuratorem abſolutio conſequitur, debet procurator habere ſpeciale mandatum cenſurati de obtinenda abſolutione ut conſtet de reſipiſcentia mandantis: debetq; procurator ea facere, quæ facturus eſſet cenſuratus, ſi præſens eſſet.

*Forma ſeruanda in abſolutione à cenſuris.*

17. Tertiò inquires. An ſit aliqua ſolemnitas in iure præſcripta, ut debitè, & dignè abſolutio cenſuræ conferatur? Reſpondetur affirmatiuè. Nam *in cap*. *Per tuas, de ſentent*. *excomm*.1. requiritur, quod cenſuratus abſolutionem petat, & minimè, niſi petenti, conferatur. Ibi: *Niſi gratiam abſolutionis imploret, non debet audiri, ut ſententiam Eccleſiaſticam contemnere videatur*. Aliquandò verò, iuſta interueniente cauſa, poteſt non petenti abſolutio impertiri, ut puncto ſequenti dicemus. ¶ Secundò, ut colligitur ex *cap*. *Ex tenore, cap de cætero, de ſentent.excommunic*. prius debet reus præſtare iuramentum de non committendo amplius tale delictum, ob quod fuit cenſura ligatus. ¶ Tertiò requiritur, quod reus priùs ſatisfaciat parti, ſi fuit cum damno alterius cenſura incurſa. ¶ Quartò, ut conſtat ex *cap*. *A nobis* 2. *de ſentent*. *excommunicat*. debet Sacerdos, qui abſoluit, dicere unum ex Pſalmis Pœnitentialibus, & interim flagellare excommunicatum (niſi fœmina fuerit) in humeris eum fune, virga, vel corrigia, & poſteà dicere: *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter*, & poſteà: *Saluum fac Domine hunc famulum tuum &c. Eſto ei Domine turris fortitudinis, &c. Nihil proficiat inimicus in eo, &c. Domine exaudi orationem meam, &c. Dominus vobiſcum, &c. Oremus. Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram: & hunc famulum tuum, quem excommunicationis (vel) ſuſpenſionis ſententia ligatum tenet, miſeratio tuæ pietatis clementer abſoluat. Per Chriſtum, &c*. & poſteà dicat: *Authoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum Petri, & Pauli mihi conceſſa abſoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurriſti propter hanc vel illam cauſam: & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, &c*. Sed circà has ſolemnitates (quarum nulla requiritur ad valorem abſolutionis) aliqua notanda ſunt.

*Aliqua notantur, circà formam abſolutionis.*

18. 1. Notandum eſt circà ſecundam (de primâ punct. ſequenti dicemus) quod iuramentū petendū à cenſurato, non requiritur, quod petatur ab impuberibus, etiamſi abſolutionem petant poſt pubertatem, ab excommunicatione incurſa, antę illam, Ità colligit ex *c*.1 *& final de ſent. excomm*. Palaus, *n*.4. & docent Sayr. *lib*.2.*c*.17 *n*.3. Syluest. *verb*. *Abſolutio* 3 *n*.3 Auil. 2 *p* *c* 7.*diſp*.3.*dub*.2.*verſ*. *Circa primum*. Secundò notandum eſt, dictum iuramentum non debere accipi à quocumq; cenſurato, etiam pubere; ſed ab eo, qui ob delictum enorme excommunicationem incurrit: nimirum ob grauem Clerici percuſſionē, ob ſcandaloſam violationem Eccleſię, ab uſurario publico, ab incendiario, à percuſſore Epiſcopi, vel Cardinalis, quandò offenſa fuit notoria &c. non verò quandò incurſa eſt ob alia peccata, quæ non ſunt ità grauia, & ſcandaloſa: & hoc tàm in foro exteriori, quàm interiori. Sic Suar. *diſp*.19.*ſect*.2.*num*.10. Hurtad. *diſp*.14 *de excom*. *diff*.4. Coninch, *diſp*.14. *dub*.16.*n*.204. Dian. 5.*p*.*tract*.9.*reſ*.23. Palaus, *loc*. *cit*.*n*.4. Auil. 2.*p* *cap*.7.*diſp*.3 *dub*.2. Enriq *lib*.13. *cap*.18.*n*.4. Gibal. *diſq* 9. *q*.4. *in fin*.

*Forma dicta non eſt neceſſario obſeruanda.*

19. Circà 4. ſolemnitatem (de 3 ſtatim dicemus) notandum eſt, quod illa ſolemnitas in foro conſcientiæ non debet obſeruari, quandò abſolutio in publico impertitur, ad hoc ut vitetur nota, & ſcandalum: ut ſi confeſſarius coram aliis adſtantibus antè abſolutionem Sacramentalem abſolueret reum à cenſuris Si tamen in ſecretò impertiatur, expediens erit cum illa ſolemnitate reū abſoluere, ut terrorem cenſuræ concipiat, & cautior deindè euadat Si tamē omittatur ſiuè in foro externo, vel interno, nullū erit peccatum, ſaltem mortale; niſi in ſolemni abſolutione ad ſatisfactionem Eccleſiæ. Ità Auil. Hurt. Palaus, Conin. *loc*.*cit*. & addit N. Anton. *diſ*.1.*n*.145. *&* Dian. *ex* Suar. *&* Turrian Regulares habere priuilegium abſoluendi abſque ceremonijs ibi aſſignatis.

*Debet pars realiter ſatisfieri ante abſolutionem.*

20. Circà 3. conditionem requiſitam de ſatisfacienda parte notandum eſt, quod quandò delictum, ob quod cenſura incurſa eſt, fuit in damnū alterius perpetratum, ut homicidiū, percuſſio Clerici, furtum, debet realis ſatisfactio partis præcedere, antequàm abſolutio impertiatur, niſi in his caſibus: 1. quandò pars remiſit iniuriam: quia ſatisfactio partis, quæ requiritur, non debet fieri Eccleſię, vel iudici, ſed ipſi, qui damnificatus eſt, ut notat Gutier. *lib*.1.*qq*. *Canon*. *c* 5.*n*.29. Gibal. *diſq*.3.*q*.4.*n*.7. Tum, quia iam Eccleſiæ ſatisfactum eſt ob contumaciā, & inobedientiam, ſe ſubijciendo clauibus, petendo abſolutionem, & iurando de non amplius talem contumaciā habendo. Tū etiam, quia quandù damnū infamiæ principaliter tangit infamatū, & minus principaliter bonū publicū, ſufficit remiſſio eius, qui damnū perpeſſus eſt, *c*. *Quamuis*, *iuxtà Gloſſ*. *de pact*. *in* 6. Vndè quamuis percutiendo Clericū, etiam reus Eccleſiam offenderit, ſufficit, quod illi ſe ſubmittat, petendo veniam, & ille ſatisfactionē acceptet, vel ſimpliciter remittat, vel ſi anteà erant amici, ad priſtinā redeant amicitiam, vel familiariter ſe tractent, ut poſſit abſolui cenſuratus. Ità Auil. 2. *p*.*c*.5.*diſp*.3.*dub*.11. citans Nau. Sylu. *verb*. *Contumacia*, *q*.4. ¶ 2. ſi pars læſa nolit condignū ſatisfactionem ab offendente oblatā acceptare: quia iā per ipſum non ſtat, quominus condignè offenſo ſatisfaciat, & ideò poterit tunc abſolui à cenſura. Ità Candid. *diſq* 12.*art*.53 *dub* 3 *concl* 8.

*Quandò ſatisfactio partis poteſt non præcedere.*

21. Tertiò, quandò cenſuratus impotens eſt ad ſatisfaciendum, quia tunc poteſt abſolui, reali ſatisfactione non præmiſſa. Imò ad talem abſolutionē poſſe iudicem compelli, vel in foro conſcientiæ teneri confeſſarium, dicit Coninch, *diſp*. 14.*n*.200. quia iam non eſt inobediens, aut contumax, & ut conſtat ex *c*. *Qua fronte*, *de appellationibus*, ceſſante contumacia debet cenſuratus abſolui. Sed in tali caſu, qui non poteſt exhibere realem ſatisfactionē, & alias conſtat ſe ad illam teneri (in hoc enim caſu loquimur, Nam ſi quis habeat opinionem probabilem, quod non tenetur: vel ſit dubius, cum in dubijs melior ſit conditio poſſidentis, non poteſt obligari ad ſatisfaciendū: ſed ad ſummū præſtare debet iuramentū, quod ſi conſtiterit de obligatione ſatisfactionis, illam exhibebit, ut ex Turriano *notat* Diana,

5.*part.tract 9.reſol.*11.) debet cautionem præſtare, vel pignoratitiam, vel fidei iuſſoriam, vel ſi has non poteſt, iuratoriam, & qui poteſt ſecundam partem realiter ſatisfacere, hanc debet apponere, præſtita cautione de alia, *cap.* Odoardus, *de ſolutionibus*, *cap. Ex parte* 23. *de verborum ſignificat.* Si tamen ſtatim ſatisfacere non poteſt niſi cũ magno detrimento, & incommodo, poteſt præſtando cautionem abſolui, niſi pars per dilationem idem damnum, vel incommodum patiatur. Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 47. Coninch, 208. Auila, *ſupr. fol.* 194 *col.*2. Qui etiam notat, quòd ſi eſt creditor in loco diſtanti, neceſſe non eſt abſolutionẽ ſuſpendere, uſque dum ad eum pecuniæ perueniant, ſed ſufficit, pecunias in loco tuto deponere, quia iam ſatisfactio ſufficiens eſt exhibita.

*Qui non præmiſſa ſatisfactione abſoluit, peccat, & tenetur reſtituere.*

22. Quamuis abſolutio impertita, non præmiſſa partis ſatisfactione (vel reali, quandò poteſt; vel fideiiuſſoria, aut pignoratitia, quandò non eſt poſſibilitas ad realem) valida ſit; peccat tamen mortaliter abſoluens: & tenetur reſtituere parti damna indè ſecuta: quia ex officio, & iuſtitia tenetur bono partis conſulere, niſi de conſenſu illius talem abſolutionem conferat. Ità Auila, 2. *p.cap.7.diſp* 3.*dub.*5.2. & 3.*concluſ* Conine. *n.* 205. & 209. Candid. *diſq.*22.*art.*53 Enriq. *lib.* 13.*cap.*29 *num* 2. ¶ At verò ſi aliquis abſolutus eſt, præſtita cautione de ſatisfaciendo ſi poſteà non ſatisfaciat, quandò poteſt, non manet excommunicatus, niſi poſteà excommunicetur, ut colligitur ex *capit. Ad reprimendum, de foro Ordinarij*: quia abſolutio illi impenſa fuit abſoluta, & non ſub conditione, licèt tanquam modus adiecta fuerit abſolutioni obligatio ſatisfaciendi, ſicut diximus *tract. de Matrim.cap.*7.*n.*5. eſſe abſolutum matrimonium, & non conditionatum; quamuis contractum fuerit cum onere hoc, vel illud faciendi: quòd validum manet, etiamſi obligatio non impleatur. Ità Auil. *loc. cit. dub.*10. *in fin.* Dian. 5. *p. tract.* 9.*reſol.*11. Gibal. *diſq.*3.*q.*4. *num.* 7.

*Quid dicendũ ſit, quando in priuilegio conceditur facultas abſoluendi, ſatisfacta parte?*

23. Sed inquires: An quandò in Iubilæo vel in Bulla Cruciatæ, vel alio priuilegio conceditur alicui facultas abſoluendi à cenſuris, facta partis ſatisfactione, ſi obliuione, malitia, vel ignorantia abſoluentis abſoluatur aliquis à talibus cenſuris, non præmiſſa partis ſatisfactione, talis abſolutio valeat? Circà quam quæſtionem duo ut certa ſupponimus: 1. quod ſi in conceſſione exprimatur, quod aliter abſolutio data non valeat, erit protſus nulla talis abſolutio. Vt ſi in priuilegio dicatur: *Poteſt abſoluere à cenſuris, facta partis ſatisfactione, & aliter abſolutio non teneat*: quia, ut diximus *cap. præcedent. n.* 34. facultas delegata omninò pendet à poteſtate delegantis, qui illam reſtringere vel ampliare poteſt pro libito. Ideoq; ſi delegans vult, quod abſolutio non valeat niſi cum tali conditione, nullum effectum habebit. Quarè dubium eſt, quandò in conceſſione nullitas non exprimitur. ¶ Sed ſiuè exprimatur, ſiuè non, ſupponimus 2. poſſe delegatum in tali caſu validè, & licitè abſoluere impotentem ſatisfacere realiter, ſi cautionem, quam poteſt, præbeat: quia illa conditio appoſita eſt in priuilegio ut ſeruetur illæſum ius alterius, quantum fieri poteſt, ſeruato iuris ordine; at in iure ſolum habetur, ut quis præſtet ſolutionẽ realem, quandò poteſt, & ſi non poteſt, cautionem præbeat; ergò hoc modo intelligenda eſt illa clauſula appoſita in priuilegio: & aliàs eſt conſonum Eccleſiæ intentioni, ut ceſſante inobedientia, & contumacia, cenſura auferatur. Atque ita docet Vazq. *de excom. diſp.* 20. Sayr. *lib.*2.*cap.*17.*n.*11. Coninc. *num.* 206. Gibal. *diſq.* 9.*quæſt.*4.*n.*7. Palaus, *n.*6. Dian. 5. *p. tract.* 9. *reſol.* 11. Candid. *art.*53.*dub* 3. Auila, 2.*part cap.*7.*diſp.*3 *dub* 8.

*Quandò conceditur poteſtas abſoluendi, ſatisfacta parte, ſi hoc non detur, nullam eſſe abſolutionem aliqui dicunt.*

24. Circà quæſitum ergò numeri præcedentis datur duplex ſententia, utraq; ſatis probabilis: 1. aſſerit, quod quandò conceditur facultas abſoluendi, *ſatisfacta parte* (etiamſi aliud non exprimatur) & cenſuratus poteſt vel per realẽ ſatisfactionem, vel per cautionem parti ſatisfacere, ſi talis ſatisfactio omittatur, nulla erit talis abſolutio, Ità Suar. *diſp.*7.*ſect.*5.*n.*42. Vazq. *de excom. dub.* 20. Turrian. *de cenſ. lib.* 2. *diſp.*24.*dub.ultim.* Couinch, *n.* 281. Soto, *in* 4.*diſt.*22 *q.*2.*art.*3 *poſt.* 2.*concl* Enri. *lib.*7.*de indulgentijs, cap.*13 *n.*2. Quod probant 1. quia delegans concedit facultatẽ abſoluendi delegato ſub illa conditione: *ſi pars ſatisfacta fuerit*: ergò niſi facta ſatisfactione partis, nulla erit talis abſolutio. Quia, ut dicebamus, tota poteſtas delegati ex facultate conceſſa à delegante dependet, à quo poteſt reſtringi, & limitari: 2. quia delegans non eſt cenſendus contrà præſcriptum iuris, & alterius præiudicium, concedere facultatem delegato abſoluendi: ergò neq; dare illi talem licentiam, niſi ſatisfacta parte.

25. Secundà, & probabilior ſententia dicit, valere abſolutionem in illo caſu, niſi in conceſſione facultatis facta delegato exprimatur, quod abſolutio ſit nulla, niſi facta ſatisfactione partis conferatur: quod nec in Bulla, nec in Iubilæis, aut alijs priuilegijs vix reperitur, ſed quod abſolutè poſſint abſoluere ſatisfacta parte. Et ideò licèt peccet, qui abſque tali ſatisfactione abſoluit; abſolutio tamen data ſubſiſtit, ac ſi ab ipſo delegante conferretur. Probatur 1. quia talia verba cenſenda ſunt apponi à delegante, ſicut in iure habentur; ſed in iure ſolum exigitur ſatisfactio partis ad licitam abſolutionem, nõ ad validam; ergò, &c. Ideoque non apponuntur ut limitatiua poteſtatis, ſed ut notificent de obligatione delegatum: & ſufficit, quod ſinè tali ſatisfactione non poſſit licitè abſolutio conferri, ut alterius præiudicio occurratur. ¶ 2. quia per illam clauſulam nõ intendit delegans inducere nouam formam abſolutionis, nec limitare poteſtatem: ergò etiã non appoſita tali ſatisfactione, habet abſolutio formam ſimpliciter neceſſariam, ut valida exiſtat: ſicut quandò in conceſſione facultatis dicitur: *ſeruata iuris forma*, non limitatur facultas, nec noua forma inducitur. Vndè Couarr. *in cap. Alma mater, part.* 1. § 9.*num.*8. dicit, quod ea quæ in iure inſunt, & non alio modo, exprimuntur, ac in iure habentur, non inducunt nouam formam; ſed eo modo petunt apponi, quo in iure habentur: ergò ſicut in iure non exigitur talis ſatisfactio ad valorem abſolutionis, ſed ut licitè conferatur, ità quandò talis clauſula apponitur eodem modo, ac in iure, ineſt in conceſſione facultatis.

26. Tertiò: quia quandò procuratori conceditur facultas, ut nomine alterius contrahat matrimonium, præmiſſis denuntiationibus, validè, licet non licitè, contrahit procurator, illis omiſſis, ut diximus *tract. de matrimon. cap.* 3. *num.*

*num.* 101. & tenent Authores ibi citati; non alia ratione, niſi quia quandò apponitur in conceſſione facultas: cum conditione, quæ eſt in iure, & eo modo, quo eſt in iure, ſolum eſt ad notificandam obligationem, non ad limitandam poteſtatem: ergò ſimiliter in præſenti. Ità tenent Sanch. (qui malè à Palao, citatur pro contraria ſententia) *de matrimon lib.* 3. *diſp* 33 *concl.* 2. *verſ. Et confirmatur, & n.* 6. Auil. 2. *p. cap.* 7. *diſp.* 3 *dub.* 9. *concl.* 2. Candid. *ſup. dub.* 2. Bonacin. *diſp.* 2. *q.* 3. *punct.* 9. *n.* 3. Rodrig *p.* 1. *cap.* 83. *n.* 4 Hurtad *diſp.* 4. *diff.* 5. *n.* 22. Diana, 5. *p. tract* 9. *reſol.* 212. citans Tanner. & Fabrum, & probabile dicit Palaus, *num.* 6. & *tract. de* Bulla Cruciat. *punct.* 3. § 5.

## PVNCTVM III.

### *De conditionibus requiſitis ex parte abſolvendi, ut licitè, & validè illi abſolutio conferatur.*

*Debet peti abſolutio à cenſurato.*

27. PRæter ſatisfactionem partis, quæ debet à cenſurato apponi ut licitè conferatur ipſi abſolutio, de qua diximus *punct. prae.* etiam ibidem diximus requiri, quod ipſe petat abſolutionem, ſe humiliet, & oſtendat eſſe emendatum, *cap. Per tuas, de ſentent. excommunicat.* Sed circà hoc eſt duplex difficultas: prima: an ſit valida abſolutio conceſſa non petenti: quia vel ignorabat ſe eſſe irretitum cenſura, vel de illa non cogitabat: Vel etiã inuito, & renitenti, poſitiueque repugnanti abſolutioni, ſi cõcedatur, valeat: Secunda: an ſit licita talis abſolutio data poſitiuè repugnanti? In quo certum eſt apud omnes validam eſſe: imò aliquandò licitam abſolutionem conceſſam neſcienti, & non petenti illam, quia cenſura non eſt culpa, ſed pœna: ergò ſicut imponi poteſt abſque voluntate cenſurati, ità abſq; illa tolli. Ità D. Thom. *in addit. quæſt.* 24. *art.* 2.

*Quandò abſolutio impertita nolenti eſt valida?*

28. Sed ut ſciatur, quandò validè conferatur abſolutio repugnanti, & renitenti ad illam, notandũ eſt, quòd excommunicatus, v. g. à iure, vel ab homine duplicem voluntatem repugnantẽ poteſt habere: aliam non recedendi à peccato vel contumacia, ob quam eſt cenſura impoſita, aliam non petendi abſolutionem, licèt reipſa ſit à peccato emendatus. Si primam habeat, & peccatum ſit ex illis, quæ habent tractũ ſucceſſiuum, ut hæreſis, furtum, quod ad reſtitutionem obligat inpoſterum, non poteſt abſolui inuitus niſi ab eo, qui ſuprà ius, & præceptũ cenſuram præſcribens poteſtatem habet, quia ius, & præceptũ ſemper operantur, nec poſſunt ab inferiore impediri. Si verò peccatum nõ habeat tractum ſucceſſiuũ, ſed ipſo facto compleatur, ut fornicatio, blaſphemia, &c. aut alia peccata prçterita, ob quç eſt incurſa cenſura à iure, vel ab homine, etiamſi nolit abſolui, vel pœnitentiam agere, poteſt abſolui.

*Qui eſt emendatus, etiam inuitus poteſt abſolui.*

29. Idem dicendum eſt de illo, qui emendatus à peccato non vult abſolutionem exigere: quia ius iam non amplius operatur. Et ſic tranſacto peccato, ob quòd eſt cenſura impoſita, poteſt ab illa abſolui etiam repugnans: quia cenſura non eſt culpa, ſed pœna, & ſic à nolente poteſt auferri. Ità D. Tho. *in addit. q.* 24. *ar.* 2. N. Cornej. *diſp.* 11. *dub.* 5. Gibalin *diſq* 9. *q.* 4. *a.* 2. Diana, 5. *part, tract.* 9. *reſol.* 10. Coninch, *diſp.* 14 *n.* 224. Palaus, *diſp.* 1. *punct.* 11. § 3 *n* 9. Auil. 2, *part. cap.* 7. *diſp.* 2. *dub* 2. ¶ Sed notant Cornejo, Palus, Auil. & Coninch, quòd per bullam, aut priuilegium conceſſum in fauorem pœnitentis, non poteſt inuitus aliquis abſolui: quia uſus priuilegij ex voluntate eius, in cuius fauorem eſt conceſſum, dependet. Vndè ſi priuilegium eſſet conceſſum in fauorem confeſſoris, ut priuilegia Mendicantiũ poſſet validè confeſſor extrà forum pœnitentiæ inuitum abſoluere à cenſura quia tunc uſus priuilegij ex voluntate ferentis abſolutionem ſolummodo dependet. ità N. Anton *num* 239.

*Illicitè non petens abſoluitur à cenſura.*

30. Sed circa ſecundam difficultatem: an licitè poſſit abſolui inuitus abſque peccato ex parte abſoluentis? Dicimus, quòd ſi cenſura lata ſit à iure, vel ab homine per modũm præcepti generalis, & adſit rationabilis cauſa: quia nimirum eſſet magis medicinalis abſolutio, quam cenſura, vel ex alijs circumſtantijs prudenter iudicetur eſſe magis conueniens abſoluere cẽſuratum, etiamſi à contumacia non diſcedat, poterit licitè abſolui. Si ſit verò ab homine lata per modum ſpecialis ſententiæ, quandò lata fuit iuſtè, regulariter non debet abſolui inuitus, ſed magis aggrauandæ ſunt cenſuræ, ut reſipiſcat. Ex rationabili tamen cauſa poterit etiam repugnans abſolui, ſi non cedit in præiudicium partis, aut ſcandalum, & cenſurarum contemptus non timetur. Ità Cornejo, *ſup. cit.* Palaus, *num.* 9 Gibalin. *num.* 4. Diana, *reſol.* 10. Suarez, *diſp.* 7 *ſect.* 7. Sayr. *lib.* 2 *cap* 22 *num.* 27 N. Ant. *num.* 239.

*Poteſt unus abſolui ab una cenſura, & non ab alia.*

31. Inquires primò: An aliquis poſſit abſolui ab una cenſura, & non ab alijs eiuſdem, vel diuerſæ rationis? Reſpondetur affirmatiuè: quia cenſuræ non habent inter ſe connexionem quoad ſolutionem, ſicut peccata, ut non poſſit una auferri, & non alia. Peccata enim, quia quodlibet trahit ſecum auerſionem à Deo, quæ non poteſt auferri niſi per conuerſionem ad Deum, quç incompoſſibilis eſt cũ peccato quolibet, nõ poſſunt auferri aliqua, vel aliquod, manentibus alijs. Cenſuræ verò dicunt ab Eccleſia ſeparationem, vel priuationem bonorum ſpiritualium, ſecundũ quod cauſatæ ſunt per diuerſas ſententias: & ſic per abſolutionẽ poteſt auferri una cauſa, ratione cuius homo excluditur ab Eccleſia: & bonis ſpiritualibus, manente alia: ideòque ab una poteſt abſolui cenſura, manente alia. Ità D. Th. *in addit. quæſt.* 24. *art.* 3. quam omnes communiter ſequuntur. Sed notat Sanctus Doctor *in corpore illius articuli*, quòd ſi abſoluens habeat facultatem abſoluendi ab omnibus, per unam tantum abſolutionem poteſt omnes cenſuras auferre. Sed ſi unus iudex poteſt ab una; alius ab alia, ab utroque debet abſolutio impertiri.

*Quandò cenſeatur iudex ab omnibus abſoluere.*

32. Cæterum non eſt iudicandum, iudicem, aut confeſſarium habere voluntatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, quas poteſt, niſi id expreſsè exprimat, quandò cenſuratus unam ſolùm cenſuram manifeſtat, & ab ea petit abſolui, alias doloſè celans, *cap. Cum pro cauſa, e Officij, de ſententia excommunicat.* quia æquum non eſt, ut cenſuratus ex dolo, & fraude commodum reportet. Couarruu. *cap. Alma mater* 1 *part* §. 11. *n.* 13. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 3. *num.* 2. Gibalin. *diſq* 9 *quæſt.* 2 *num.* 18. Palaus, *num.* 2. Auila, 2 *part. cap.* 7 *diſp.* 2. *dub.* 3. *concl.* 3. Cand *diſq.* 22. *art.* 5. 2 *dub.* 4. *concl* 8. & 9. Si tamen ex obliuione, aliavè cauſa, &

non

Digitized by Google

non ex dolo, unam, vel aliam cenſuratus non manifeſtet & iudex, vel confeſſarius abſolutè ſine reſtrictiooe abſoluit, ſentiendum eſt, niſi aliud conſtet, ipſi velle ab omnibus abſoluere: manebitque cenſuratus ab omnibus abſolutus. Si tamen hic unius tantum cenſuræ memoriam faciat, & iudex non generaliter, ſaltem implicitè, abſoluat, ſolum ab illa, quam manifeſtat manebit abſolutus. Auila, Gibalin. *&* Candid. *citati*. Idem ſentiendum eſt, quandò in eandem excommunicationem incidit, ſed propter plures actus; ut ſi bis, aut ter Clericum percuſſiſſet, vel in hæreſim incidiſſet; quòd ſi non exprimat omnes, vel iudex impendat abſolutionem generalem, ab illa tantum manebit abſolutus, quam in petitione expreſſit.

*Qui abſoluitur à peccatis, & a cenſuris eiſdem verbis manet abſolutus ab utriſque.*

33. Sed pro maiori horum notitia inquires ſecundò: An ſi aliquis abſoluatur ab habente poteſtatem illis generalibus verbis, quæ præmitti ſolent ante abſolutionem ſacramentalem: *Abſoluo te ab omnibus cenſuris quantum poſſum, & indiges*, & tunc non recordetur vel cenſuræ, quam incurrerat; vel peccati, ob quòd inciderat in eam, & poſteà recordatus fuerit, ſicut tenetur iterum ſubijcere clauibus peccata, ut directè abſolvatur ab illis; ſic etiam debeat abſolui à cenſuris, quæ ſibi oblitæ fuerunt? Reſpondetur negatiuè; ſed poterit à peccatis oblitis, ob quæ in cenſuras incidit, ab alio abſolui, etiam ſi hic poteſtatem non habeat abſoluendi à cenſuris: quia ab iſtis directè manet abſolutus: quandoquidem directa abſolutio à cenſuris non dependet ex notitia, quá debet habere iudex de illis, ſicut abſolutio à peccatis; ſed ex mera voluntate abſolventis: qui, cum ſciat, vel ſcire debeat, unam cenſuram, vel plures poſſe tolli, non ablatis omnibus, quandò ab omnibus abſolutionem impendit, directè vult ab omnibus abſoluere. Non ſic in peccatis, in quorum abſolutione confeſſarius eſt iudex, & ſolum ſecundùm notitiam, quam habet in confeſſione, profert ſententiam: & ideò directè ſolum intendit abſoluere ab illis, quæ ſibi manifeſtantur, & ſi ab omnibus dicit ſe abſoluere hoc ideò facit, quia ſcit, unum tolli non poſſe, quin indirectè alia deleantur. Ità Coninch, *num.* 225. Auil. 2. *part. cap.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 16. Gibalin. *diſq.* 9. *quæſt.* 2. *num.* 18. Alter. *libr.* 4. *diſp.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1.

*Aliqua inferuntur ex dictis.*

34. Ex quo infertur primò, quòd quandò in Iubilæo, vel per Bullam aliquis generaliter ab omnibus cenſuris abſoluitur, ſi tunc obligatus fuerit alicuius, manet ab illa abſolutus. Et ſi oblitus fuerit peccati, ob quòd incidit in cenſuram, ſi poſteà recordetur, poteſt à quocumque abſolui à peccato, etiamſi aliàs à cenſura non poſſet eum abſoluere: quia iam hæc eſt ablata per illam abſolutionem generalem. Sequitur ſecundò, quòd cum Prælatus in viſitatione abſoluit ſuos ſubditos generaliter ab omnibus cenſuris, manet unuſquiſque liber ab eis, etiamſi tunc non recordetur alicuius; nec tenetur poſteà abſolvi, etiamſi recordetur illius. Ità Auil. *ſup.* citans Nauarrum. Angel, *&* Syluestr. Couarruu. *cap. Alma mater part.* 1. §. 11. *num.* 12. Sed hoc limitandum eſt, quandò aliqua ex dictis cenſuris non petit ſatisfactionem partis; quia ſi talem petit, non manet in generali abſolutione abſolutus ab ea: quia non eſt præſumendum abſoluentem impendere velle abſolutionem, contrà præſcriptum iuris, & in præiudicium alterius. Auila, *dub.* 9. Gibalin. *num.* 18. Bonacin. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 6. *num.* 4.

*Qui deciperet ſuperiorem celando cauſam non manet abſolutus.*

35. Inquires tertiò: An ſi aliquis ſuperiorem deciperet celando cauſam motiuam abſolutionis, valeat talis abſolutio? Vt ſi diceret, ſe ſatisfeciſſe parti; quòd tamē nō fecerat. Vel ſi dicat ſe in defenſionem ſuā Clericū occidiſſe; cum tamen ita non eſſet. Vel hæreticus dicat ſe ab hæreſi receſſiſſe, quòd erat falſum? Reſpondetur, minimè manere abſolutum, ſi fuit cauſa motiua abſolutionis, vel principalis, & ex iure neceſſario requiſita (manere tamen, ſi in aliquo accidentali, & minùs principali iudicem deciperet: quòd omnes concedunt) tum quia talis abſolutio datur ſub illa tacita conditione de præterito: *Si ita factum eſt*, & ſic nulla eſt, ſi conditio non præceſſit. Tum etiam: quia fauor, vel gratia obtenta cum occultatione cauſæ motiuæ eſt ſubreptitia, ac proindè non ſubſiſtit, *cap. Ex parte, de Officio Ordinarij. cap. Officium, de ſentent. excommu.* ſi autem conſtaret (quòd non præſumitur, niſi manifeſtè conſtet) iudicem conſcium falſitatis adhuc velle impendere abſolutionem, illa procul dubio valeret, quia, ut ſupponimus, habet poteſtatem, qua uti poteſt à cauſa motiua independens. In hoc enim abſolutio à ligatione differt, quòd hæc à cauſa re ipſa exiſtenti dependet: quaproindè deficiente non ſubſiſtit, illa verò ſolummodo à voluntate ſuperioris: & ſic poterit pro libito eam impendere Hugolin. *tab.* 1. *cap.* 19 §. 4. *num.* 4. Candid. *art.* 52. *dub.* 2. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 20. Auil. 2. *part cap.* 7. *diſp* 2. *dub.* 4. Palaus, *num.* 8. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 3. *numer.* 3.

## PVNCTVM IV.

*De ijs, qui poſſunt à cenſuris abſoluere. Et de conditionibus ex parte illorum requiſitis, ut validè, & licitè abſolutio impendatur.*

*Quæ conditiones requiruntur in abſoluente.*

36. OMnes illæ conditiones, quas *ſupr. cap. præcedent. punct.* 5. diximus requiri ex parte miniſtri, ut validè ferat cenſuras, etiam ad abſoluendum ab illis, proportione ſeruata, requiruntur. Nimirum: quòd ſit *homo baptizatus*; *Clericali Ordine inſignitus, rationis compos, &* *quòd iuriſdictionem habeat legitimam*, vel *Ordinariam*, vel *delegatam*: quòd *illam exerceat reſpectu inferiorum*: quòd *non metu coactus*, ſed *liberè abſolutionem impendat*. Vbi dedimus diſparitatem quarè ſit irrita iure poſitiuo abſolutio per metum grauem extorta; quamuis ligatio per cenſuras ſolum ſit illicita, non inualida. ¶ Sed circà illam conditionem, quòd *debeat ſubdito abſolutio conferri*, notandum eſt, quòd Epiſcopus exiſtens in alieno territorio poteſt abſoluere ſuum ſubditum ab excommunicatione, quam ipſe tulit in illum per ſpecialem ſententiam in foro animæ: & etiam in exteriore, ſi fiat abſque ſtrepitu iudiciali, ſecùs verò ſi cum illo fieri debeat: quia in alieno territorio iuriſdictio voluntaria exerceri poteſt, non verò contentioſa. Ità Auila, 2. *part. cap.* 7 *diſp* 1. *dub.* 12. Sylueſt *verb. Abſolutio.* 2. *num.* 3. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 27. *num.* 3.

37. Si

*Quid de ſubdito, qui exiſtit in alieno territorio.*

37. Si autem ſubditus illius in alieno territorio exiſtens fuerit ab Epiſcopo illius ſpecialiter excommunicatus, rediens ad proprium, non poteſt à ſuo Epiſcopo abſolui, niſi de licentia illius in cuius territorio delinquit. Si tamen non ſpecialiter fuiſſet ab illo excommunicatus, ſed per ſententiam generalem latam in omnes, qui tale delictum commiſerint, poteſt ad proprium territorium rediens à ſuo Epiſcopo abſolui: quia cum non ſit particulariter reſeruata ei, à quo lata eſt, poteſt à quolibet ſuperiori auferri, ut infrà dicemus de cenſura lata ab homine per præceptum, aut ſtatutum generale, à qua poteſt cenſuratus à quolibet confeſſario, vel ſuperiori abſolui. Sed quod modò diximus tenet Dian. *5. part. tr. 9. reſol.* 8. Coninc. *ſupr. num.* 258. Gibalin. *diſq. 9. quæſt. 3. num.* 15. Candid. *diſq* 22. *art. 47. dub. 3. & art.* 51. *dub.* 2. Turrian. *de cenſur. lib.* 2. *diſp.* 15. *dub.* 5.

*Qui à peccatis reſeruatis poteſt abſoluere, etiam poteſt à cenſuris illis annexis.*

38 Sed ut ſtatuamus regulam generalem circà eos, qui poſſunt abſoluere à cenſuris, ſciendum eſt, quòd qui habet facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, quibus ſunt annexæ cenſuræ, etiam habet facultatem abſoluendi ab illis. Et ratio eſt: quia ut abſoluantur peccata reſeruata, debet prius pœnitens abſolui à cenſuris, quibus eſt irretitus: quia abſolutio ſacramentalis cadere non poteſt ſuprà excommunicatum v. g. ergò qui concedit facultatem abſoluendi à peccato, etiam concedit facultatem abſoluendi à cenſura, ſine quo abſolui, non poteſt peccatum. Ità Candid. *diſq. 22. art. 51. dub.* 4. Auila, *loc. citat.* Gibalin. *diſq. 9. quæſt.* 3 *num.* 21.

*Quid poſſit qui poteſt abſoluere à caſibus, vel cenſuris Pontifici reſeruatis.*

39. Secundò ſciendum eſt, per facultatem abſoluendi conceſſam in Iubilæo, aut in Bulla Cruciatæ à cenſuris reſeruatis Summo Pontifici, etiam poſſe abſolui excommunicatos nominatim denuntiatos, ſiuè à iure, ſiuè ab homine ſalem excommunicationem habeant: quia nihil eſt in tali conceſſione, quod abſolutionem harum cenſurarum excludat, ſi in priuilegio facultas concedatur ad omnes: & eſt conſorme hoc Summi Pontificis intentioni, qui ea ratione ductus talem facultatem concedit, ut poſſint fideles lucrari Iubilæum, confiteri, & aliâ Sacramenta recipere; quibus actibus obſtat quæcumque cenſura in homine reperta. Ità Hugol. *tab.* 2. *cap.* 10 § 4. *num.* 4. Sayr. *lib. 2. cap.* 20. *num.* 29. Gibalin. *num.* 22.

*Qui à reſeruatis Summo Pontifici poteſt abſoluere, etiam à reſeruatis Epiſcopis.*

40. Et hinc inferunt aliqui, quòd ſimilem poteſtatem habens à Summo Pontifice per Iubilæum, Bullam, aut priuilegium, abſoluendi ab omnibus caſibus, vel cenſuris ſibi reſeruatis, poſſit etiam abſoluere à caſibus, vel cenſuris ab Epiſcopis ſibi reſeruatis per modum ſententiæ particularis: primò: quia Papa habet ſuper omnes Chriſtianos iuriſdictionem immediatam quoad omnia ſpiritualia, quam nemo poteſt ab eo tollere: ergò hoc ipſo, quod ipſe ab omnibus reſeruatis ſibi facultatem abſoluendi concedat, etiam dat illam ad abſoluendum à particularibus reſeruatis: ſecundò: quia qui poteſt magis, poteſt minus, *reg. 35. de Regul. iur. in* 6. ſed cenſura reſeruata Pontifici eſt plus, & maioris ponderis qualibet alia reſeruata: ergò qui ad illam generaliter habet facultatem, etiam ad iſtam. Sic Alterius, *lib. 4 diſp. 4. cap.* 2. Suarez, *diſp. 7. ſect.* 5. *num.* 134. Hugolin. *tab.* 1. *cap.* 13. §. 4 *num.* 10. Hurtad. *diſp. 15 de excomm diff. 3. in fine*, Coninch, *num.* 245. Candid *diſq. 22. art* 46. *dub. 1. concluſ.* 3. ¶ Sed hæc ſententia modo ſuſtineri non poteſt propter decretum SS. D.N. Alexandri VII. Breui ſpeciali expedito anno ſ665. die 24. Septembris: In quo inter alias propoſitiones prohibet iſtam: *Mendicantes poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.* Ex quo manifeſtè conſtat non omnes, qui facultatem habent abſoluendi à caſibus reſeruatis Pontifici poſſe abſoluere à caſibus ab Epiſcopis per decretum proprium in generali, vel in particulari reſeruatis. Imò adhuc præciſo iſto decreto prædicta ſententia tenenda non eſt propter ea, quæ diximus *tract. 6. de pœnitent. cap. 13. num.* 51. & 52.

*Quoties in Bulla conceditur facultas à cenſuris etiam de reſeruatis intelligitur.*

41. Imò quotieſcumque in priuilegio conceditur facultas abſoluendi à cenſuris, etiam de reſeruatis Summo Pontifici intelligitur, aliàs nihil concederetur: ſiquidem à non reſeruatis poteſt quilibet abſoluere, ut poſteà dicemus. Ità Candid. *diſq.* 22. *art. 51. dub.* 4 Alterius *lib. 4. diſp. 4. cap. 2 pag.* 413. Nauar. *in c. Ità quorumdam, de iudæis, notab. 11. num* 21. Azor, 1. *part. lib.* 8. *cap.* 10. Bonacin. *quæſt. 3. punct. 5 num.* 11. qui hoc limitat, ut non intelligatur de cenſuris contentis in Bulla Cœnæ; niſi de eis ſpecialis mentio fiat: quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis verò ſimiliter conceſſurus, ſi ei ſpecialiter peterentur, *c. In generali Regula* 82. *de Regulis iuris in* 6. ſed cenſuræ contentæ in Bulla Cœnæ ſpecialiter reſeruantur: ergò non veniunt in generali conceſſione. Ità præter Bonacin. *num.* 12. tenent Alter. *lib. 4. diſp. 4. cap.* 2. Candid. *concl.* 21. Hugolin. *tab. 1. cap.* 10. §. 4. *num.* 8. Suarez, *diſp.* 21. *ſect. 3. num. 3. & diſ. 7. ſect. 5 num.* 21. Imò licèt concedatur facultas abſoluendi à reſeruatis in Bulla Cœnæ, non poteſt ab hæreſi abſolui, niſi exprimatur: quia eſt ſtrictiſſimæ reſeruationis, & beneficium Principis latè eſt interpretandum, quandò eius intentio id patitur Bonacin. *num.* 13. Candid. *concl.* 12. Azor. 1. *part. lib* 8. *cap.* 10. *dub.* 12. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 3. Hugol. *tab. 1. cap.* 13. §. 4. *num.* 10.

*Epiſcopus abſoluere poteſt à cenſuris latis à iure non reſeruatis.*

42. Tertiò ſciendùm eſt, quòd à cenſuris à iure communi latis, quæ reſeruatæ non ſunt, poteſt quilibet Epiſcopus abſoluere iure Ordinario, *cap.* Nuper. *de ſentent. excomm.* ubi licèt ſermo ſit de minori excommunicatione, idem intelligunt Doctores de maiori, & alijs cenſuris. Et ratio eſt: quia hoc ipſo quòd non reſeruentur in iure, videntur committi iuriſdictionem habentibus. Ità Cornejo, *de excomm. diſp. 11. dub.* 1. Palaus, *diſp. 5. punct.* 11. § 5. Enriq. *lib. 13. cap.* 27. *numer.* 3. Gibal. *num.* 2. Hugol. *tab. 1. cap.* 10. *num.* 5. Suarea, *diſp. 7. ſect. 3. n* 2. Idem concedunt Authores Capitulo ſede vacante, vel eius Prouiſori, Prælatis Religionum, & alijs iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus.

*Quid Parochus, & alij dicunt.*

43. Sed difficultas eſt: An Parochi, & alij Confeſſores Ordinarij, qui poſſunt abſoluere à mortalibus, poſſint etiam abſoluere à cenſuris à iure latis, non reſeruatis: Prima ſententia negat: quia ad talem abſolutionem requiritur iuriſdictio in foro exteriori, ſicut ad hoc ut cenſuræ imponantur: ſed Parochus, & alij Confeſſores non habent iuriſdictionem in foro exteriori; ergò ſicut proptereà non poſſunt cenſuris ligare,

non poterunt ab illis abſoluere. Ità Couarruu. *cap. Alma mater part.* 1. §. 12. *num.* 5. Durand. *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. Paludan. *ibi, quæſt.* 5. *art* 4. Tabien. *verb. Abſolutio* 2. *num.* 4. D. Antonin 3. *part. tit.* 17. *cap.* 11.

*Poteſt Parochus, & quilibet Confeſſor abſoluere à cenſuris à iure latis.*

44. Secunda verò, & probabilior ſententia docet poſſe Parochum, & quemlibet alium confeſſarium abſoluere à cenſuris in iure latis, quæ ſpecialiter non reſeruantur: quia licèt hoc ex iure ordinario non habeant; ex Summi Pontificis conceſſione illud habere probatur *ex cap. Nuper* 29. *de ſentent. excomm.* ubi Innocentius III. ità inquit. *In ſecundo verò caſu* (videlicèt, quod excommunicatio non eſt reſeruata) *à ſuo Epiſcopo, vel à proprio Sacerdote poterit abſolutionis beneficium obtineri. Quamuis enim & tunc non iuris, ſed iudicis ſententia ſit ligatus, quia tamen conditor canonis eius abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem alijs relaxandi.* Quibus verbis innuitur ratio huius ſententiæ: quia videlicèt eo ipſo quod à iure aliqua cenſura non reſeruetur, videtur ipſum ius concedere facultatem cuilibet proprio Sacerdori, ut ab ea abſoluere poſſit. Ità D. Thom. *in addit. quæſt.* 24. *art.* 1 Cornejo, & Palaus, *loc. citat.* Gibal. *n.* 6. & 20. Soto, *in* 4. *diſt.* 22 *quæſt* 2. *art.* 2. *concluſ.* 3. Enriq. *lib.* 13 *cap.* 28. *num* 5. & *cap* 32. *n.* 2. Auila, 2 *part. cap.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 4. Cand. *diſq.* 22. *art.* 47. *dub.* 2. Coninch, *num.* 230. Vazq. *de excommun. dub.* 19. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 17. *diff.* 18. *num.* 8. Hugolin. §. 5. *num.* 3. Diana, 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 5. citans Præpoſitum, Turrianum, Tannerum, & Hurtadum. N. Anton. *diſ.* 1. *num.* 113. Quæ abſolutio deſeruit tam pro foro exteriori, quàm pro interiori; ex eo quod priuilegia Principis ſunt amplianda: & cum ibi non reſtringatur talis facultas ad forum conſcientiæ, etiam de foro exteriori debet intelligi, quod præcipuè iura reſpiciunt. Ità Gibalin. *num.* 7. Hugol. §. 5. Palaus, *num* 4. quam abſolutionem poteſt Confeſſor, vel Parochus impendere ſiuè intrà confeſſionem, ſiuè extrà confeſſionem ſacramentalem, ut bene aduertunt Coninch, & Auila, *locis citat.*

*Quis poteſt abſoluere à cenſuris in iure reſeruatis?*

45. Ab illis verò cenſuris, quæ in iure ſunt reſeruatæ, poteſt abſoluere, qui illas tulit, & non alius; niſi ſit vel ſuperior, vel ſucceſſor, vel delegatus ab eo. Et ſic cenſuræ latæ à Pontifice illi ſolum ſunt reſeruatæ: & quæ ab Epiſcopo feruntur, & reſeruantur, ab ipſo auferri poſſunt, non autem ab Archiepiſcopo, niſi vel in gradu appellationis, vel tempore viſitationis. Et ratio eſt: quia eadem eſt poteſtas ligandi, atque ſoluendi: & eius eſt abſoluere cuius eſt ligare ergò qui ligauit per cenſuras ſibi reſeruatas, ſolus poterit abſoluere ab eis. At verò in articulo mortis poterit quilibet Sacerdos, etiamſi excommunicatus ſit, vel depoſitus, abſoluere à quibuſuis cenſuris quomodolibet in iure reſeruatis ex conceſſione *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. Imò etiam quandò eſt difficilis, vel impoſſibilis aditus ad ſuperiorem, conceditur eadem facultas cuilibet confeſſario abſoluendi à cenſuris illi ſuperiori reſeruatis, ut habetur expreſsè *capit. Nuper à nobis* 29. *de ſentent. excommunicat*, ibi in fine: *Verum ſi difficile ſit ex aliquâ iuſta causâ, quod ad ipſum excommunicatorem abſoluendus accedat, concedimus indulgendo, ut (præſtita iuxtà formam Eccleſiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit) à ſuo abſoluatur Epiſcopo vel proprio Sacerdote.* Sed hoc intelligendum eſt modo infrà dicendo *n* 63.

*Quid facere debet, qui abſoluit in periculo mortis à cenſura reſeruata?*

46. Sed hic aduertendum eſt, quòd quandò aliquis in periculo mortis, vel ratione alicuius impedimenti nequit ſe præſentare ſuperiori, debet confeſſor eum abſoluere, accepto iuramento, quòd ſe præſentabit, quandò ſibi fuerit oportunum. Et ſi oportunitate accepta, id omittat, in eandem reincidet excommunicationem, *cap. Eos qui, de ſentent. excommun. in* 6. *cap. de Cæteru, cap. Eâ noſcitur, de ſentent. excomm.* & licet tale præceptum non iniungat, ſe præſentandi, vel ob ignorantiam, obliuionem, &c. Semper tenetur abſolutus, quandò potuerit, ſe præſentare: quia talis obligatio non ex voluntate Confeſſoris, ſed ex iure pendet. Candid *diſq* 56. *dub.* 2. Sanchez. *lib.* 2. *oper. moral. cap.* 13. *num.* 30. *in fine.* Sed quandò abſoluitur à reſeruatis non habentibus cenſuram annexam, non requiritur, quod onus ſe præſentandi imponatur: quia tale onus comparendi tunc, nullo iure cauetur. Suarez, *tom.* 4. *in* 3 *part diſp.* 30. *ſect.* 3. *num.* 6. Sanch. *lib.* 2. *ſumma cap.* 13. *num.* 24.

*Etiam Laici vel non Sacerdotes poſſe in periculo mortis abſoluere, aliqui dicunt.*

47. Sed inquires primo. An in articulo mortis in quo diximus ex Concil. Trident. poſſe omnes Sacerdotes à cenſuris quibuſuis abſoluere quantumuis reſeruatis, poſſint etiam omnes Clerici ſola prima tonſura, aut alijs ordinibus præter Sacerdotium inſigniti, vel etiam Laici nullo ordine decorati? Primà ſententia dicit, poſſe purè Laicum, vel qui ſolum habet primam tonſuram, in tali caſu à cenſuris abſoluere, etiam Papæ reſeruatis, in abſentia proprij Sacerdotis. Ità Enriq. *lib.* 13. *cap.* 24. *n.* 1. *in comment. littera* C. Candid. *diſq.* 22 *ar.* 56. *concl.* 6. Angel. *verb. Abſolutio.* 3. *num.* 39. Gloſſa, Panormitan. & Felinus, quos citat. Auil. D. Antonin. 3. *part. tit.* 17. *cap.* 4. *caſ.* 7. Ledeſm. 2. *part.* 4. *quæſt.* 26. *art.* 1. & probabile dicit Auil. & Cornejo, infra citandi, & Sànchez, *libr.* 2. *ſumm. cap.* 13 *num.* 13. qui dicit, teneri in caſu, quo Sacerdos abſit, abſoluere ab excommunicatione in articulo mortis, quemlibet alium ibi exiſtentem; quia cum hæc ſit opinio ſatis probabilis, tenetur illam exequi. Ex quo nullum ſequitur inconueniens; & aliàs poteſt beneficium magnum, & ſolamen ægroto impertiri. Et probant Authores citati hac ratione ſuam ſententiam: quia nimirum. Eccleſia poteſt non Sacerdotibus, imò purè Laicis, ut diximus, *cap. præcedent. num.* 52. hanc facultatem præbere: ergò dicendum eſt illam conceſſiſſe pro illo articulo mortis: ſicut quia poſſunt ſimplices Sacerdotes abſoluere à peccatis, ſeu ſunt capaces huius poteſtatis, pro articulo mortis Eccleſia ſimilem poteſtatem conceſſit: ſed hoc argumentum ſolum probat Eccleſiam poſſe concedere hanc facultatem; ſed non adeſt textus, in quo eam concedat, ſicut datur, in quo concedit facultatem ſimplicibus Sacerdotibus abſolvendi in articulo mortis à peccatis.

*Soli Sacerdotes abſoluere poſſunt à reſeruatis in periculo mortis.*

48. Quare probabilius dicendum eſt non poſſe niſi ſolum Sacerdotes. Ità Auila 2. *part. cap.* 7. *diſp.* 2. *dub.* 3. *concl.* 1. Cornejo, *diſ.* 21. *dub.* 4. Suarez, *diſp.* 7. *ſect.* 6. *num.* 6. Coninch, *num.* 236. Sayr. *libr.* 2. *cap.* 21. *numer.* 3. Palaus, §. 3. *num.* 4. Villalob. *tract.* 16. *diff.* 20. *num.* 18. Et ratio eſt: quia nullo iure niſi Sacerdotibus

talia

talis facultas conceditur, & in Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ubi, ne hac occaſione aliquis pereat, conceditur Sacerdotibus facultas abſoluendi à peccatis reſeruatis, quæ cum abſoluere non poſſent, niſi prius abſoluant à cenſuris, ideò illis conceditur poteſtas abſoluendi ab illis. Quæ ratio non currit in non Sacerdotibus. ¶ Ex qua ratione infert Cornejo quod, quandò neceſſitas non adeſt abſolutionis ſacramentalis, nec etiam Sacerdotes hac facultate funguntur. Sed melius Suar. *num.* 7. Hugol. §. *ult. num.* 7. dicunt adhuc tunc talem habere facultatem: quia licèt Concilium illa cauſa moueatur, æquè concedit facultatem abſoluendi tam à peccatis, quàm à cenſuris, & ideò licèt ad abſolutionem à peccatis neceſſarium non eſſet, quod in aliquo caſu præcederet abſolutio à cenſuris, nihilominus tamen ab iſtis poſſet dictus Sacerdos abſoluere.

*Qui habet facultatem abſoluendi à cenſuris, poteſt ab interdicto, & ſuſpenſione abſoluere.*

49. Ex quo infero ego contrà Candid. *diſq.* 22. *art.* 47. *dub.* 3. citantem Enricum, & Sayrum, aſſerentes, eum, qui habet facultatem generalem abſoluendi à cenſuris (ut Parochi, & alij Confeſſores habent illam de cenſuris à iure latis abſque reſeruatione, & ut ſtatim dicemus, à cenſuris latis ab homine per modum ſententiæ generalis) non poſſe abſoluere à ſuſpenſione, vel interdicto perſonali: quia earum abſolutio ad receptionem Sacramenti non requiritur, ſicut abſolutio ab excommunicatione. Sed licèt ita eſſet, illa conceſſio generalis abſoluendi à cenſuris, non ob hoc dumtaxat conceditur: quia facultas ab omnibus abſoluendi cenſuris non eſt reſtringenda uni tantum ſpeciei, cũ ſit uniuerſalis, & fauorabilis, & fauores potius ſunt ampliandi, quam reſtringendi. Quarè meritò Doctores *n.* 44. citati ab omnibus cenſuris à iure latis non reſeruatis dicunt poſſe abſoluere confeſſarium, qui poteſt abſoluere à mortalibus. Et quos *n.* 51. adducemus, dicunt poſſe abſoluere ab omnibus latis ab homine per modum ſententiæ generalis, non excludendo ab hac generali ſuſpenſionem, & interdictum: & ſic ſolent præmitti antè abſolutionem ſacramentalem illa verba: *Abſoluo te ab omni excommunicatione maiori, vel minori, ſuſpenſione, vel interdicto, in quantum poſſum, & indiges.*

*Quis poteſt à cenſuris ab homine latis abſoluere?*

50. Inquires ſecundò: quis poſſit abſoluere à cenſuris latis ab homine? Reſpondetur: quòd ſi loquamur de illa, quæ fertur per modum particularis ſententiæ contrà determinatam perſonam, ab illo tantum, à quo fertur, poteſt abſolui, vel à ſuperiore, vel à ſucceſſore, vel à delegatis, & non ab alijs, eſt communis ſententia. Quandò verò, ſatisfacta parte, iudex, vel notarius in foro exteriori ſcriptis teſtatur, cenſuratum iam parti ſatisfeciſſe, vel eſſe emendatum, finitamque eſſe litem, vel per hoc cenſetur ipſum abſoluere, vel cuilibet Sacerdoti abſoluendum remittit. De illa verò cenſura, quæ ab homine fertur per modum ſententiæ generalis, præcepti, vel ſtatuti, ad futura delicta præcauenda, eſt difficultas inter Doctores. Quidam enim tenent, non poſſe abſoluere ab ea, niſi tantum qui eam tulit, vel ſucceſſor, vel delegatus, aut ſuperior: quia talis cenſura ſimpliciter eſt ab homine, eo quòd non eſt in corpore iuris inſerta: ſed ſecundum regulas iuris, cenſura lata ab homine, ab eo dumtaxat poteſt tolli: ergò, &c. Ita Vaſq. *de excomm. diſp.* 19. *num.* 9. Suarez *diſp.* 7. *ſect.* 2. *num.* 23. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 9. *num.* 302. Villalob. *tract.* 16. *diff.* 18. *num.* 12. Alterius *lib.* 4. *diſp.* 2. *cap.* 4.

*Quando generaliter feruntur in omnes, Confeſſarij poſſunt ab illis abſoluere.*

51. Probabilior verò eſt ſecunda ſententia, quæ dicit, de cenſuris latis hoc modo ab homine idem iudicium ferendum eſſe, ac de latis à iure non reſeruatis; ſi illæ ſimiliter non reſeruentur: ac proinde ſicut ab illis poteſt quilibet Confeſſor abſoluere, ſic ab iſtis. Et ratio eſt: quia cenſura, quæ fertur per modum legis, ſtatuti, præcepti, aut ſententiæ generalis in omnes, qui hoc delictum commiſerint, vel in omnes, qui hoc facientes non manifeſtauerint, non determinando perſonas, ſe habet adinſtar cenſuræ à iure latæ, & illi æquiparatur in omnibus, præterquam quòd morte, vel aſſumptione ferentis ſpirat; in alijs verò æquo paſſu currunt: & aliàs non requirit citationem partis, ſicut illa, quæ fertur per modum ſententiæ particularis: ergò illi, qui poſſunt à cenſura lata à iure abſoluere, poterunt ab iſta: quia verſamur circà materiam fauorabilem, quæ amplianda eſt, quantum res ipſæ permittunt. Ita Tolet. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 20. Palaus §. 4. *num.* 10. Syr. *libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 5. & *cap.* 20. *num.* 2 Conin. *num.* 257. Gibal. *diſq.* 9. *quæſt.* 3. *num.* 8 Cornej. *dub.* 3. Soto *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *concl.* 3. Dian. 5. *part.* *tract.* 9. *reſol.* 4. Bonacin. *num.* 6. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 28. *nu.* 5. Auila 2. *part. cap.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 9. Hurtad. *diſp.* 5. *diff.* 6. Candid. *diſq.* 22. *art.* 47. *dub.* 3. *concl.* 4. Laym. *tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 3. Leand. *tract.* 2. *diſp.* 17. *quæſt.* 22. N. Ant. *diſ.* 1. *num.* 212.

## PVNCTVM V.

### *De caſibus, & cenſuris reſeruatis Pontifici, à quibus poſſunt Epiſcopi abſoluere iure Ordinario.*

*Poſſunt Religioſi exempti ſubijcere ſe Epiſcopis, ut abſoluantur.*

52. DVo ſunt genera cenſurarum reſeruatarum (idem ſentiendum eſt de caſibus reſeruatis) quarum abſolutio Epiſcopis à iure remittitur; & cum hoc illis conueniat, non attenta qualitate perſonæ particularis, ſed tanquam quid annexũ ſuę dignitati, & officio, ex iure ordinario ipſis cõpetit. 1. eſt circà cenſuras ex delictis occultis contractas. 2. circà cenſuras ex delictis publicis prouenientes in caſu neceſſitatis, quandò non eſt facilis recurſus ad Pontificem. Sed circà utrumque genus cenſurarum præmittendum duximus, liberum eſſe Regularibus exemptis, qui aliquam ex talibus cenſuris incurriſſent, ſe ſubijcere Epiſcopis, ut ab illis ab eis abſoluantur; Prælatis quidem per ſe, ſubditis de licentia Prælatorum. Tum, quia hoc eſt fauorabile, & ſic non deperditum per exemptionem; quæ etiam fauorabilis eſt: & quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum. Tum etiam, quia dantur priuilegia, quæ refert Sanch. infrà citandus, concedentia Religioſis (idem de Monialibus exemptis) de licentia Prælatorum, ut poſſint ſe ſubijcere Epiſcopis quoad munus abſoluendi eos à cenſuris, & caſibus reſeruatis. Ita Enriq. *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 25. *n.* 2. & *lib.* 14. *de cenſ.* 1. *ult. in fin.* Auil. 2. *p. cap.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 6. Sanch. *lib.* 2. *ſum. cap.* 11. *num.* 10. & *lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 32. Dian. 1. *p. tract.* 5. *reſ.* 6. Baſil. *de Matr. lib.* 8 *cap.* 15. *num.* 14. Qui notant, quòd ſi Prælatus iniuſtè licentiam concedere recuſet, poteſt ſubditus Regularis ſe ſubijcere

Epiſcopis ſine illa, quoad hoc munus abſolutionis, ſecùs verò ſi iuſtè eam denegaret: quia ita intelligitur decretum Pauli V. *anno* 1545. editi circà hanc materiam.

*Decretum Concilij Tridentini.*

53 Igitur circà primum genus reſeruatarum cenſurarum, quarum abſolutionem poſſunt Epiſcopi impendere, hoc decernit Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* ubi ita inquit: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare. Et in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua, per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, & non eorum Vicarijs ſit permiſſum.* ¶ Circà quod decretum notandum eſt primò, quod cum in eo dicatur *in Diœceſi ſua*, ſufficere, quòd vel Epiſcopus, vel ſubditus in Diœceſi exiſtat: quia ſic verificantur verba Concilij. Vndè ſi ſubditus ſit extrà Diœceſim, poterit ab Epiſcopo intrà illam exiſtenti à dictis caſibus abſolui. Et econtrà: ſi Epiſcopus extrà Diœceſim exiſtat, & ſubditus intrà illam, quia eſt actus iuriſdictionis in foro tantum conſcientiæ exercitus, qui poteſt in alieno territorio effici, & reſpectu abſentium, ut dictum eſt ſup. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 10. *&* 11. Sanch. *à n.* 16. Dian. 1. *p. tr.* 5. *reſ.* 2.

*Aliqua nota circà decretum Concilij.*

54. 2. nota, quòd cum in tali decreto dicitur, *in foro conſcientiæ*, ſolum tollere, quòd in foro, cõtentioſo poſſit abſoluere. Quarè non ſolum intrà Sacramentum Pœnitentiæ; ſed etiam extrà illud pro foro animæ. Et ut maneat coram Deo abſolutus, abſoluere poteſt ſubditum ab his caſibus, quia forum conſcientiæ non ſolum eſt intrà confeſſionem, ſed etiam extrà illam, ſi tamen occultò fiat, & non pro foro externo deſeruiat, Diana, & Suar. *loc. cit.* Sanch. *n.* 13. *& lib.* 8. *de Matr. diſp.* 34. *n.* 29 Candid. *diſq.* 22. *art.* 5. *dub.* 4. *concl.* 7. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *n.* 1. ¶ Nota 3. quòd cum in tali decreto dicitur, quod ab alijs caſibus præter hæreſim poteſt Epiſcopus abſoluere per ſe, vel per ſuum Vicarium; ab hæreſi ſolum per ſeipſum, intelligendum eſt, quòd ad alios caſus poteſt Epiſcopus generalem concedere facultatem ſuo Vicario; ad hæreſim verò non ita (niſi aliundè eis ſimilis facultas tanquam ordinaria conceſſa ſit, quam ex vi huius conceſſionis poterunt alijs delegare, qualem Epiſcopis belgij conceſſam probat fusè & doctè Pater Loth *tract.* 1.) quod non tollit, quo minus in caſibus particularibus, pro illis poſſit facultatem præbere ſuo Vicario, vel alijs, quia cum ſit fauorabile hoc decretum ampliandum eſt, quantum verba patiuntur. Et cum hæc facultas competat Epiſcopis iure ordinario, quia eſt annexa ſuæ dignitati, & officio, poterit alijs eam delegare, niſi aliunde id ſibi probibeatur, Nauar. *lib.* 1. *conſil. tit. de Conſt. conſ.* 1. *q. ult. n.* 86. Enriq. *lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 7. Vega *tom.* 2 *ſum. cap.* 125. *caſ.* 12. Granad. *contr.* 1. *de Fide, tr.* 15. *diſp.* 14. *ſect.* 2. *n.* 7. N. Ant. *tr.* 12. *diſ.* 1. *n.* 121. ¶ Nota 4. nomine Epiſcopi in dicto decreto; venire etiam Abbates, & alios Prælatos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, ut docet. Enr. *loc. cit. n.* 1. Auil. *p.* 7 *diſp.* 8. *n.* 6. Sanch *lib.* 2. *ſum. cap.* 11. *n.* 5. *& de Matr. lib.* 8. *diſp.* 2. *n.* 12. Et ſimiliter hac facultate gaudet Capitulum ſede vacante: quia ſuccedit in omnibus, quæ iure ordinario competunt Epiſcopis, ut eſt iſta poteſtas, quæ non perſonis particularibus conceditur, ſed eſt ipſi dignitati, & officio annexa, Enriq. *lib.* 9. *de Pœnit. cap.* 16. *n.* 1. Auil. *p.* 7. *diſp.* 10. *dub.* 6. Sanch. *loc. cit. in ſum. n.* 4. *& de Matr. n.* 10. Bonac. *ante cit.*

*Eſſe reuocatam dictam facultatem dicunt aliqui.*

55. Sed inquires 1. An dicta facultas ſit reuocata per Bullam Cœnæ quoad caſus in ea reſeruatos? Duplex eſt grauiſſima ſententia: 1. affirmatiua, quia in ea habetur, ne à caſibus, vel cenſuris in ea contentis alius, quam Romanus Pontifex abſoluere valeat, ad quod etiam adducuntur declarationes tam Summorum Pontificum quàm Sacræ Congregationis, & diuerſæ ſententiæ Supremi Tribunalis Inquiſitionis: quibus moti id aſſerunt Nauar. *cap.* 27. *n.* 275. *verſ.* 14. Bonac. *q.* 3. *punct.* 2. *n.* 1. 5. *Primò hoc decretum*, Sanch. *loc. cit. ſum. n.* 27. Alter. *tom.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 21. *cap.* 2. Lezan. N. *in ſum. q. Regul. verb. Bullæ Cœna, nu.* 55. Dian. 1. *p. tract.* 5. *reſ.* 2. *&* 4. *p. tract.* 4. *reſ.* 239.

*Æquè verum eſt, reuocatam non eſſe.*

56. Cęterùm eſſe probabilem ſententiam negatiuam arbitramur (ſi excipias hęreſim, de quà modò non loquimur ob ſpeciales rationes quę in illa occurrunt) & ideò Rodrig. *in Bull.* §. 9. refert Cardin. *Quirogam* Inquiſitorem Generalem, facta conſultatione cum Epiſcopis in Concilio Tolet. *anno* 1586. dixiſſe, nihil derogatum eſſe poteſtati, quam concedit Concilium Epiſcopis per Bullam Cœnę, & Comitolus relatus à Leãdro infrà adducendo teſtatur Cardinalem Carrafę nomine Congregationis, idipſum ſibi reſpondiſſe. Quarè declarationes Cardinalium in oppoſitum adductæ, vel non ſunt authenticæ, ita ut ſufficiant ad expoliandos Epiſcopos hac facultate, quam illis Tridentinum conceſſit, vel ſi eſſent, ſolum illas dediſſe, ut inquit Granados, innixos opinione probabili: quod non tollit probabilitatem alterius. Et eodem modo ad ſententiam Sacri Tribunalis reſpondet idem Auctor infrà adducendus.

*Probatur præcedens doctrina.*

57. Ratio pro hac ſentẽtia eſt iſta: quia in Bulla Cœnæ non ſit expreſſa mentio Concil. Trid. ut conſtat, nec priuilegij, aut facultatis Epiſcopis ab eo conceſſi: ſed per clauſulam generalem alicuius Bullę; non derogatur priuilegio, aut facultati particulari conceſſæ à Concilio generali (maximè à Tridentino, quod celeberrimum eſt, & præ manibus habetur, & eſt nouiſſimum) niſi de tali Concilio fiat expreſſa mentio, *cap. Ex parte, de Capellis Monach. & ibi Gloſſ. verb. Nulla mentio, cap. Nonnulli, de reſcriptis, & ibi Gloſſa, verb. Fecerunt mentionem:* ergò, &c. ¶ Sed obijcies, in dicta Bulla dici: *Etiam prætextu quarumuis facultatum priuilegiorum, & 1. per nos, & dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij decreta:* ſed hæc verba loquuntur de Concilio Tridentino; cum omnibus ſit notum, in nullo alio Concilio ſimilem facultatem abſoluendi à caſibus Bullæ Cœnæ reperiri.

*Solutio præcedentis obiectionis.*

58. Reſpondetur 1. ex Pellizar. *tr.* 8. *cap.* 3. *ſect.* 2. *ſubſect.* 2. *n.* 77. talia verba apponi ob abundantiorem cautelam, ſi fortè in aliquo Concilio non generali talis facultas fuerit conceſſa, uti ſimiles clauſulę ſolent apponi in Bullis Pontificijs, etiamſi nunc nulla appareat neceſſitas illas apponendi. Quia *abundans cautela non nocet, leg. Teſtamentum,* C. *de teſtamentis.* ¶ 2. ex Fagund. Becan. Granad. & ipſo Pellizar. dictam clauſulam derogatiuam debere intelligi de caſibus Bullæ publicis; non verò de occultis: & ideò ſolum tollit quamlibet facul-



Digitized by Google

tatem priuilegium, ſi adſit conceſſum ad hoc ab aliquo Cōcilio, vel Pontifice; non vero illam, quę ſolùm datur pro caſibus occultis. Hanc ſententiam tenent Rodrig. *loc. cit.* Conin. *diſp.* 14. *dub.* 6. *n.* 243. Auil. 2 *p. ca.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 6. Bañ. 2, 2. *q.* 12. *art.* 4. *dub.* 2. Fagund. *de præc. Eccleſia, tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *nu.* 32. Enr. *lib.* 6. *de Sacram. cap.* 14. *n* 7. Veg. 2. *tom. ſum. cap.* 125. *caſ.* 11. Aragon 2. 2. *qu.* 11. *art.* 3. *verſ. Dubium eſt*, Nuño *tom.* 2. *in add. ad* 3. *p. q.* 8. *art.* 5. *dub.* 10. *fin.* Becan. *tom.* 2. *q.* 15. *q.* 2. *nu.* 5. *verſ.* 4. Granad. *contr.* 1. *de Fide tract.* 5 5. *diſp.* 14. *ſect.* 2. Petr. de Ledeſm. *in ſum. tom.* 2. *tract.* 2. *cap.* 6. *poſt.* 20. *concluſ. diff.* 7. Leand. plures alios referens, *tract.* 2. *de excom. diſp.* 17. *q.* 45. Mariſcoto *lib.* 2. *variar. cap* 38. *n.* 4. refert, ſic reſoluiſſe Rotam. 27, *Nouemb.* 1571. N. Aot. *n.* 219. Poſt hæc ſcripta venit ad nos decretum à SS. D. N. Alexandro VII. expeditum anno 1665. die 24. Septembris, de quo ſuprà mentionem fecimus; & in quo videtur hęc ſententia reprobata: nam inter alias propoſitiones, quas ibi prohibet Summus Pontifex eſt iſta: *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum quando publica ſunt, & id non derogare facultati Trident. in quo de occultis criminibus ſermo eſt, anno* 1629. 18. *Iuly in Conſiſtorio Sacræ Congreg. Emminentiſſ. Cardin. viſa, & tolerata eſt.* Poſt quod decretum non videtur amplius talem ſententiá poſſe ſuſtineri. Atq; adeò, ſi mens Summi Pontificis eſt dictam ſententiam pœnitus reprobare, eam ex nunc improbabilem iudicamus, omninoq; reijcimus, ut Summi Paſtoris decretò obtemperemus.

*Quid nomine delicti occulti intelligatur?*

59. Inquires 2. quid intelligatur in dicto decreto nomine delicti occulti? Reſpondetur, non illud dumtaxat dici occultum, quod per accidens non eſt manifeſtum; ac proinde, quod per teſtes probari non poteſt, ut quidam perperam aſſerunt ſed quod non eſt publicum, nec notorium, aut famoſum. Et ideò, quamuis poſſit probari teſtibus, ſi de facto non eſt deductum ad forum contentioſum, vel niſi ſciatur à maiori parte viciniæ, Parochiæ, Collegij, vel Monaſterij, ita quòd ex viginti vicinis, undecim ad minùs ſciant, illud occultum dicitur, à quo poſſit Epiſcopus abſoluere. Ita Bonac. *citat.* §. 5. *Quartò delicta*, Enriq. *lib.* 14. *cap.* 20. *n.* 4. Sanch. *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 34. *n.* 55. *& in ſum. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 19. Auil. 2. *p. c.* 7. *diſp.* 1. *dub* 11. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 71. Palaus *de leg. tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 11. §. 1. *n.* 1. Pelliz. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *ſect.* 2. *ſubſect.* 2. *num.* 69. N. Ant. *num.* 221.

*Quando dicatur delictum deductum ad forum contentioſum.*

60. Inquires 3. quando delictum ad forum contentioſum deductum iudicatur? Reſpondetur, quòd quando ad forum contentioſum delatum eſt, etiamſi uno ſolo teſte fuerit probatum, ad forum contentioſum deductum eſſe cēſetur: & ideò ab eo abſoluere non poteſt Epiſcopus. Ita Bonac. *ſup. n.* 1. *fin.* Enriq. *lib.* 14. *cap.* 7. *n.* 5. Si verò in foro contentioſo reus ſe purgauerit, vel defenderit, etiamſi hoc falſis teſtibus, & via iniqua fecerit, ibiq; abſolutus fuerit, poterit ab Epiſcopo abſolui: nam ceſſat ratio, ob quam delictum dicatur deductum ad forum contentioſum: & perinde eſt, ac ſi non eſſet deductum, cum non fuerit probatum, & redactum ſit ad ſtatum priſtinum, manens occultum ſicut prius, Conin. *diſp.* 14. *dub.* 16 *n.* 243. Auil. 2. *p. cap.* 17. *diſ.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. Bonac. *n.* 2. *cit. loc.* Enri. *lib.* 14. *cap.* 7. *n.* 5. Sanch. *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 34. *n.* 57. *& in ſum. li.* 2. *cap.* 11. *n.* 21, Cand. *diſq.* 22. *art.* 49. *dub.* 3. N. Ant. *n.* 221. Imò delictum cenſetur occultum, etiamſi complicis delictum deductum ſit ad forū contentioſum. Quia, ut dicitur in *l.* 1. *C. Res inter alios acta: Res inter alios acta non poteſt afferre præiudicium alijs, quibus res iudicata non nocet.* Nauar. *lib.* 2. *Conſil. conſ.* 2. *de ſent. & re iudicat.* Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *num* 2. Sanch. *lib.* 2. *ſum. cap.* 11. *nu.* 21. Sed duplex remanet difficultas.

*Duplex difficultas proponitur.*

61. 1. An quandò reus punitus eſt in foro exteriori, & iudicium eſt finitum, cenſeatur delictum occultum, ita ut ab Epiſcopo poſſit abſolui ab eo? 2. An ſi delictum eſſet in uno loco publicum, & in alio occultum, & reus ſe transferret ad locum, ubi occultum eſt, poſſet ab Epiſcopo illius loci abſolui? Circa 1 difficultatem, aliqui negatiuam partem defendunt: quia in illo caſu iam delictum eſt publicum, & verè deductum ad forum contentioſum; ſed Concilium hanc facultatem concedit Epiſcopis ſolum pro delictis occultis, & non deductis ad forum contentioſum: ergò, &c. Ita Bonac. *ſup. n.* 2. *fin.* Gutierr. *lib.* 1. *qq. Canonicar. cap.* 4. Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 3. §. 1. *n.* 18. Et propter eandem rationem: quia in caſu ſecundæ difficultatis delictum verè, & abſolutè eſt publicum, non poſſe ab eo abſoluere Epiſcopum, etiamſi in ſua Diœceſi ſit occultum, docent Bonac. *n.* 3. qui citat Suar. *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 2. tenet etiam Candid. *diſq.* 22. *art.* 49. *dub.* 5. & 6.

*Vtraque difficultas deciditur.*

62. Nihilominus dicendum eſt, in utroque caſu poſſe Epiſcopum abſoluere à tali delicto. In primo quidem: quia Concilium ſolum excipit delictum deductum ad forum contentioſum, quamdiu in eo lis eſt pendens; non verò ea iam finita. Siquidem intentum eius eſt conſeruare iudicum auctoritatem, & iuriſdictionem, & euitare ſcandalum, quod facilè ſequeretur, ſi delicta publica ſine punitione remitterentur. At in noſtro caſu nihil detrahitur auctoritati, aut iuriſdictioni iudicum, cum iam ſint functi ſuo officio, & finitum ſit iudicium: nec ſequeretur ſcandalum, quia ut ſupponimus, iam reus eſſet punitus. Ita Reginald. *lib.* 30. *n.* 29. Auil. *p.* 7. *diſſ.* 10. *dub.* 7. Sanch. *lib.* 2. *ſum. cap.* 11. *n.* 21. Leand. *tract.* 2. *de excomm. diſp.* 7. *q.* 57. N. Ant. *n.* 221. ¶ Etiam in ſecundo caſu poſſet Epiſcopus abſoluere, ſi locus eſſet diſtans, in quo eſt publicum delictum: & non ſit timor, quòd in illo, in quo abſoluendus eſt reus, publicetur: quia in tali loco verè eſt occultum delictum, ex cuius abſolutione nullum proinde ſequetur ſcandalum: quod euitare intendit Concilium. Vndè ſicut excommunicatus publicus, & vitandus in uno loco poteſt in alio eſſe occultus, & non vitandus ſic in noſtro caſu. Ita Sanch. *lib.* 2. *ſum. cap.* 11. *nu.* 20. Trull. *in Bulla Cruciata, lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 2. Leand. *q.* 57. Duard *in Bulla Cœnæ, lib.* 3. §. 2. *quæſt.* 11. Auil. 2. *p. cap.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. N. Ant. *n.* 221.

*Quando adeſt impedimentum eundi ad Pontificem, poteſt Epiſcopus abſoluere.*

63. Circà ſecundum genus caſuum reſeruatorum à quibus Epiſcopi poſſunt abſoluere, dicendum eſt, poſſe Epiſcopos ſuos ſubditos abſoluere ab omnibus caſibus, & cenſuris reſeruatis Apoſtolicæ Sedi, etiam in Bulla Cœnæ contentis, etiam ab hæreſi, quamuis delicta ſint publica, ſi adeſt impedimentum, ut non poſſit reus Papam adire, ut habetur in *cap. de cætero, cap. Nuper* 29. *de ſent. excom.* Et ex benigna Pontificis intentione; quem non eſt credendum, velle cum magno detrimento ſibi reſeruationem retinere. Et quamuis in Canonibus dictis ſolum fiat mentio de excommuni-

municatione contracta ob Clerici percuſſionem: quia hæc celebrior eſt, imò frequentior; tamen ad omnes alias extendunt communiter Doctores; quia in omnibus eadem ratio currit, Auila 2 *p.cap.* 7. *diſp.*1 .*dub.*6. Conin.*diſp.*14.*n.*241. Palaus *diſp.* 1 .*punct.*2.§.5.*n.*6. Hugol. *tab.*1 .*cap.*4.§.9. *nu.*12. Sayr.*lib.*2.*cap.*20.*n.*25. Cornej.*de excomm.diſp.* 11. *dub.*2.§. *Ad exactam*. Et iſtam facultatem competere etiam Capitulo Sede vacante, quod in omnibus ſuccedit Epiſcopis, tenent Sanch.*lib.*8.*de Matr. diſp.*2.*n.*10. Enr.*lib.*9.*cap.*16.*n.*1. Si tamen impedimentum eſſet tale, ut Epiſcopus non poſſet adiri, poſſe tunc reum abſolui à quolibet Confeſſario à prædictis caſibus teſtantur, Dian. 5.*p.tract.* 9.*reſ.* 6. Tanner.citat. ab ipſo, *tom.*4.*diſp.*6.*q.*10.*dub.*6. *n.*122. Sylueſt.*verb. Abſolutio* 2.*in fin.* Enriq.*lib.*6. *cap.*9.*n.*7. & conſtat *ex cap.Nuper à nobis* 29.*de ſent. excom.in fin.* Vbi indifferenter Epiſcopo, & proprio Sacerdoti talis facultas conceditur. Quod ad minus intelligendum eſt, in caſu quo non poſſet Epiſcopus adiri, ut ſup.*num.*45. dicebamus.

*Quæ impedimenta ſint ſufficientia?*

64. Impedimenta autem ratione quorum poſſet legitimè recurſus ad Sedem Apoſtolicam impediri, communiter enumerantur, quod ſit periculum mortis, vel grauis læſionis imminens in via, infirmitas longa, licèt non mortifera, vel debilitas, quæ ad illam reducitur, ętas ſenilis, vel impubes, etiamſi poſt pubertatem petatur abſolutio delicti, ante pubertatem tamen commiſſi, obligatio aſſiſtentię ratione alicuius officij, alterius poteſtati ſubiectio: ut filij, qui ſunt ſub cura parentum, obligatio alendi filios, aut familiam, ſeruitus, niſi dominus cauſa fuerit delicti à ſeruo commiſſi, vel illi velit licentiam eundi Romam concedere, fragilitas ſexus, nimirum fœminæ cuiuſcumque conditionis, *cap. Ea noſcitur, cap. Quamuis, cap. Mulieres, de ſentent. excom.* & ſpecialiter Moniales, *cap. de Monial. eod. tit.* ac denique aliud quodcumque impedimentum, quod prudentum arbitrio, vel impoſſibilem, vel difficilem reddat talem recurſum: ut habetur in *cap. de cætero cit. de ſent. excom.* ibi: *Vel alias iuſtas excuſationes, quibus ab itinere rationabiliter excuſetur, ita ut ſine periculo, Apoſtolico ſe nequeat conſpectui præſentare.*

*Ad quid tenentur, qui eſt impeditus?*

65 Sed non tenentur ſe præſentare per epiſtolam, aut procuratorem, qui legitimè ſunt impediti, vel mittere epiſtolam, vel procuratorem pro abſolutione obtinenda: quia iura id non exigunt, niſi ut adeat Epiſcopum pro abſolutione, Cornej. *ante cit.* § *Secundò nota*, Enriq.*lib.*9.*de Pœnit.cap.*9. *num.* 1. Auil.2.*p.cap.*5. *diſp.*5.*diſp.*1. *dub.*6. *nota ſecunda*, Dian.5 *p.tract.*9.*reſol.*6. Conin. *diſp.*14.*nu.* 241. Palaus *loc.cit.* Sanch.*lib.*2.*ſum.cap.*13. *nu.*14. Imò licèt poſſit per ſeipſum adire legatum Pontificis, vel alium ab eo obtinentem priuilegium, non tenetur ad eum recurrere (quamuis conſultius, & ſecurius erit id facere) ſed poteſt abſolui ab Ordinario; ſi ſemel non poteſt à Summo Pontifice, per ſe ipſum diſpenſationem obtinere: quia poſito impedimento recurrendi ad Papam, reſtituitur Epiſcopis poteſtas abſoluendi ab his caſibus: quæ ipſis per reſeruationem fuerat ablata. Ita Cornej. *diſp.* 11. *dub.*2. *qu.*3. Auil. 2. *p. cap.* 7. *diſput.* 1. *dub.* 6. §. 4. *nota*, Enriq. *lib.*12. *de Matrim. cap.*3. *num.*1. *lit.H.* Dian. 5.*p. tract.*9. *reſ* 6. Quamuis non negemus eſſe probabile tunc non poſſe, ut docent Conine, Nauarr. Bonac. Candid.

*Debet illis præcipere, ut compareant, quandò poſſunt.*

66. Quibus Epiſcopus abſolutionem impendit à reſeruatis Pontifici, debet imponere pręceptum (& ſecundum aliquos iuramentum ab eis accipere) quod data opportunitate, quàtocius potuerint, ſe Pontifici præſentabunt (idem dicendum eſt, quando à quolibet Confeſſario ratione periculi mortis ab his caſibus, & cenſuris abſoluuntur) quòd ſi non ſe præſentent, in eàdem incident excommunicationem à qua fuerunt abſoluti, *cap. Ea noſcitur.* 13. *cap. Quamuis* 58 *de ſent. excom.* ſufficit tamen, quod ſe per procuratorem præſentent. Quia quod per alios facimus, per noſmetipſos facere cenſemur, Caiet. *verb. Excom. caſ.*69. Corn. *de excom. diſp* 11. *dub.*2. *in fin.* Leand. *tract.*1. *diſp.*11.*q.*21. Ænr. *lib.*13 *de excom. cap.*29. *nu.*3. Auil. 2.*p.cap.*7.*diſp.*3. *dub.*4. ¶ Talis præſentatio non requiritur ad obtinendam à Pontifice abſolutionem: iam enim ſunt verè abſoluti, ſed ut pareant præcepto Pontificis id pręcipientis, & ut conſtet ipſi, ſatisfactam eſſe partem, vel emendationem ſecutam. Vndè inferunt Auil. *dub.*4. Cornej. *dub.* 2.*q.*4. Enriq. *nu.*2. *cum* Nauarr. *in editione noua, cap.*26.*n.*27. §. *An autem*, quòd ſi apertè conſtet, partem eſſe ſatisfactam, aut reum omninò emendatum, non requiritur talis præſentatio: quia hæc eſt mens, & finis Pontificis, ad quem magis eſt attendendum, quà ad illius verba. Sed nos hoc non admittimus (licèt ob auctoritatem tantorum virorum probabile iudicemus) quia non ſolum proponitur onus ſe præſentandi, ut conſtet Pontifici de ſatisfactione partis; ſed tanquam pars pœnitentiæ, quæ ordinatur ad ſpecialem obedientiam, & ſubmiſſionem Eccleſiæ præſtandam. Ita Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 30 *ſect.* 3. *num.*6. Sanch. *lib.*2. *ſumm. cap.* 13. *num.* 29.

*Qui liberentur ab onere comparendi.*

67. Ab onere comparendi coram Pontifice ablato impedimento, liberantur. 1. qui per Iubilęum, per Bullam, vel per priuilegium à dictis caſibus abſoluuntur (loquendo de illis, à quibus extrà caſum neceſſitatis, vel impedimenti, poſſunt abſolui per illa) quia tunc abſolutio nomine ſuperioris, & & ex eius delegatione impenditur. Ita Corn. *diſp.* 11. *dub.*2. *in fin.* Enriq *lib.*6.*cap.*2 *n.*2. Suar. *tom.*4. *in* 3.*p. diſp.*30.*ſect.*1.*n.*6. Sanch. *lib.*2.*ſum.cap.*13.*n.* 31. Secundò pueri, qui ante pubertatem in caſum, vel cenſuram reſeruatam inciderunt, etiamſi poſt pubertatem abſolutionem depoſcant: qui abſolui poterunt abſq; obligatione comparendi, *cap.*1. *cap. Quamuis* 58. *cap. fin. de ſent. excom.* & docent Corn. *ſup.* Auil. & Conin. *nu.*242. ſed notat Auil. *diſp.*3. *dub.* 4. quòd ſi abſoluantur in mortis articulo à confeſſore, qui non habet poteſtatem abſoluendi à tali caſu, extrà mortis periculum, debet onus eis imponere ſe præſtandi Epiſcopo. Epiſcopus namque eſt, qui iure communi poteſt à cenſura, ante pubertatem contractà abſoluere, *cap. finali cit.* ibi: *Pueris, qui in Canonem inciderunt ſententiæ promulgatæ, ſiue ante, ſiue poſt pubertatem poſtulent ſe abſolui, poteſt Diœceſanus Epiſcopus abſolutionis beneficium impertiri: cum propter defectum ætatis, in qua fuit commiſſus exceſſus, rigor ſit manſuetudinis temperandus.*

*Mulieres non tenentur comparere.*

68. Tertiò, eximuntur ab hoc onere comparendi mulieres, cuiuſcumque ſint conditionis quę abſolui poterunt à quacumque cenſura ab Epiſcopo, abſque onere comparendi Pontifici. Quod (licèt non omnes hac uniuerſalitate admittant) docent Nauar. *lib.*5. *conſil. de ſent. excomm. conſ.*14.

quam-

Digitized by Google

quamuis cum formidine. Sed abſque illa Auila 2.*p.*1.7.*diſp.*3.*dub.*4.videtur ſupponere, Palaus *diſp.* 2 *punct.*5. §.5.*num.*5. clariùs *diſp.*3. *punct.*a3. §.4. *num.*8.Cornej.*diſp.*11.*dub* a.*de excomm.* Et quidem de Monialibus habetur, *cap. de Monialibus* 33. *de ſentent. excomm.* ubi ex iure Ordinario earum abſolutio remittitur Epiſcopis, ſicut in *cap. final.* tit. abſolutio impuberum. Sed de omnibus probatur 1. quia quandò impedimentum eſt perpetuum, non eſt iniungenda obligatio comparendi, ut cõſtat ex *cap. Quamuis* 38. *de ſent. excom.* ſed mulieres ſemper, & perpetuò habent impedimentum, ratione cuius conceditur Epiſcopis, ut eas abſoluant: nam omnes DD. aſſignant ſexus fragilitatem pro impedimento ſufficienti; & hoc manifeſtum eſt eſſe perpetuum in illis 2. quia quandò in *cap. Quamuis, cap. Mulieres, cap. Ea noſcitur, de ſent. excomm.* conceditur Epiſcopis poteſtas, fœminas à reſeruatis abſoluendi, non aſſignatur aliud impedimentum, niſi quia fœminæ ſunt; non quia infirmæ, valetudinariæ, nobiles, &c. ſed quia mulieres, ratione cuius Pontifices iudicarunt habere ſufficiens impedimentum Romam eundi: ſed poſt abſolutionem, & ſemper remanet, quod ſint mulieres: ergò nunquam tenebitur comparere: & ſic tale onus eis non eſt imponendum.

## PVNCTVM VI.

### *De facultate, quam habent Prælati Regulares abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus, vel cenſuris reſeruatis Summo Pontifici, vel Ordinarijs.*

*Poſſunt Prælati à cenſura Canonis ſuos ſubditos abſoluere.*

69 Circà præſens punctum ea reliquimus, quæ de iure antiquo poſſent Prælati Regulares ex vi Concilij Trident. vel ex vi priuilegiorum, & quia longiorem depoſcebat diſputationem, & quia aliqua reuocata ſunt, alia in dubium conuerſa, alia limitata: & videri poterunt apud Auctores infrà referendos: ea ſolùm proponentes, quæ de facto omnibus inſpectis poſſunt. Circà quod. ¶ Dicendum eſt 1. quòd licèt iure antiquo non poſſent Prælati ſuos ſubditos abſoluere ab excommunicatione Canonis ob percuſſionem enormem, & atrocem alterius Religioſi ſui Ordinis contracta ſi publica eſſet, quia licèt in *cap. Monachi, de ſent. excom.* eis concederetur talis facultas abſque limitatione aliqua ad leuem, vel enormem percuſſionem; in *cap. Canonis, eod. tit.* reſtringitur ad percuſſionem leuem dumtaxat: etſi percuſſio facta eſſet reſpectu alicuius Clerici ſæcularis, etiamſi leuis, ſolum ab Epiſcopo poterat obſolui, ex *cap Religioſi, de ſentent. excom. in* 6. iuncto, *cap. Illorum, eod. tit.* modò tamen poſſunt Prælati Regul. Prouinciales, & Priores Conuentus, vel eorum Vicarij in eorum abſentia, abſoluere ſuos ſubditos ab excommunicatione contracta ob percuſſionem etiam grauem, & publicam, vel alterius Religioſi, vel etiam Clerici ſæcularis ex priuilegio Bonifacij IV. & Clementis VIII. & ex alijs à Palao relatis. Ita Palaus, *hic diſp.* 3. *punct.* 21. §.4.*nu.*10. *in fin.* Bordonus *in conſilijs Regularibus tom.*1. *reſol.*28. *n.*4. 50. & 59. citans Sayrum, & Rodrig. Dian. 4.*p.tr.*9.*reſ.*49. & 50 *in fin.* Boſius *deciſ.*1. *dub.*19 *n.*198. N. Anton. *in directorio Regularium tom.*1. *tract.* 2. *diſp.*1. *sect.*1. *num* 24.



*Poſſunt Prælati abſoluere ſubditos ab omnibus reſeruatis.*

70. Dicendum eſt 2. poſſe Prælatos Regulares abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſeruatis (exceptis ijs, quæ in Bulla Cœnæ continentur, de quibus ſtatim, ex priuilegio noſtræ ſacræ Religioni conceſſo à Sixto IV. quod eſt Carmelitarum mare magnum, & ex alio ab eodem Pontifice conceſſo Ordini ſancti Dominici, ut refert N. Lezan. *tom.*1. *cap.* 18. *num.*34. & ex priuilegio Gregorij XIII. conceſſo Theatinis: quod adducit Bordon. *ſup. reſ.* 3. *nu.*25 & ex alijs, quæ adducit N. Anton. *ſup. n.*27. Et hinc deducitur, poſſe etiam abſoluere ab omnibus reſeruatis Epiſcopis, ut diximus *n.*40. Etiamſi excommunicationes, vel aliæ cenſuræ latæ fuerint in aliquam determinatam perſonam per modum ſententiæ particularis, propter ea, quæ *n.*80. dicemus, ex Candid. Ioan. de la Cruz, & Rodrig. Ita docent duo Carmelitæ ſuprà relati Lezan. *nu.*37. & N. P. Ant. *ſupra n.* 27. qui addunt hanc facultatem cõpetere Prælatis ex vi ſui muneris, & officij, & ſic iure Ordinario: proindeque poſſe eam alijs delegare, niſi oppoſitum in aliquo priuilegio exprimatur, quod in ſupradictis non exprimitur.

*Eandem habent poteſtatem Prælati abſoluendi ſubditos, quam Epiſcopi ſuos.*

71. Difficultas maior eſt inter DD. An modò poſſint Prælati Regulares abſoluere verè ſuos ſubditos à caſibus, & cenſuris reſeruatis, in Bulla Cœnæ contentis? Et eſto generaliter ad omnes caſus Bullæ Cænæ habeant facultatem: an etiam illa fungantur in ordine ad abſoluendum ab hæreſi occulta? Sed antequam ad reſolutionem deueniamus, unum ſupponere duximus ferè communiter receptum, nimirum Prælatos Regulares habere eandem poteſtatem reſpectu ſuorum ſubditorum iure communi, quam habent Epiſcopi in ſuos diœceſanos: proindeque ſecundum ius antiquum poſſe illos abſoluere ab omnibus caſibus, & cenſuris à quibus Epiſcopi iure Ordinario poſſunt ſuos diœceſanos, de quibus diximus *pun. praced* Ita Rodr. *qq. regul. qu* 61. *art.*9 *in fin.* Palaus *tom.*1. *tract.*4. *diſp.*4. *punct.*3 §.2. *num.*5. Saneb. *lib.* 8. *de Matrim. diſp.*2. *nu.*13. Enriq *lib.*6. *cap.*16. *n.*8. & *lib.*7. *cap.*25. *nu.*2. Garc. *de Benef. p.*7. *cap.*11. *nu.* 14. Candid. *tom.*2. *diſq.*13. *art.*25 *dub.*2. *dict.*3. & *tom.*1. *diſq.*22. *art.*49. *dub.*1. Lezana *tom.*1. *cap.*18. *n.*8. & 31. Fragoſſo *tom.*2. *lib.*11. *diſp.*24. §.14. *nu.*13. N. Anton. *in direct. reg. tom.*1. *tract.*2. *diſp.*5. *sect.*1. *n.*23. & 26. Leand. *tract.*2. *diſp.*17. *q.*73.

*Pij V. Priuilegium proponitur.*

72. Et omiſſis alijs priuilegijs, quæ ab his Auctoribus, & alijs adducuntur, unum clariſſimũ in medium proponemus, quod eſt omnium celeberrimum, & refertur à Rodrig *tom.*1. *qq. Regul. q.*61. *art.*9. *in fin* quod etiam refert Inojoſa *in directorio deciſ. Regular. verb. Confirmatio gratiæ, fol.*121. & Palaus *loc cit.* conceſſum per conſtitutionem Pij V. editam 21. *Iulij anno* 1571. ubi Sanctus hic Pontifex nolens eſſe deterioris conditionis ſubditos Prælatorum Regularium, quàm Epiſcoporum, id ipſum Prælatis eorum conceſſit reſpectu ſuorum ſubditorum, quod Concilium Tridentinum conceſſerat *ſeſſ.*24. *cap.* 6. Epiſcopis reſpectu ſuorum inferiorum, his verbis: *Quia Sacrum œcumenicum Concilium generale Tridentinum conceſſit Epiſcopis, ut abſoluere poſſent in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis. & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ. 24. cap. 6. habetur: ne Prior Prouincialis, & ſuperiores Prælati dicti Ordinis* ſcilicet Sancti Dominici, & per communicationem aliorum Ordinum Prælati *tam in dicta*

*Prouincia, quàm extrà eam, vbilibet, in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, & ſæculares, exiſtant, eiſdem Priori Conuentuali, & ſuperioribus Prælatis, ut ipſi per ſeipſos idem omninò poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quoad abſoluendi, & diſpenſandi huiuſmodi, quàm alias quaſcumque facultatis eiſdem auctoritate, tenore etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus præſentes litteras perpetuò durare, & valere.*

*Si priuilegia non ſunt reuocata, poſſunt Prælati abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ.*

73. Ex quo priuilegio, & alijs, quæ Auctores prædicti congerunt, infertur quòd ſi non ſint reuocata, poſſunt Prælati ſuos ſubditos abſoluere ab omnibus caſibus, & cenſuris, à quibus diximus, *punct. præced.* poſſe Epiſcopos abſoluere ſibi ſubiectos: proindeque à contentis in Bulla Cœnæ, etiam ab hæreſi, ſi fuerint occulta delicta. Vnde inferunt, poſſe Prælatos, ſi forte in aliquo ex his caſibus inciderent, eligere quem voluerint, confeſſarium, & illi ſuam facultatem delegare (quæ ex iure Ordinario conuenit illis) ut ipſos à tali caſu, vel cenſurâ abſoluat, aliàs deterioris eſſent conditionis quàm ſubditi. Quemadmodum Sacra Congregatio Cardinalium conceſſit Epiſcopis, ut eligerent ſacerdotem, quem voluerint, ut ipſos abſoluat ab omnibus caſibus, à quibus ipſi poſſunt abſoluere alios, ut teſtatur Sanch. *lib. 8. de matrimon. diſp. 3. num. 3.* Suar. *tom. 5. diſp. 41. ſect. 2. num. 9. &* Candid. *ſup. concl. 2.* Sayr. *lib. 7. de cenſuris, cap. 14. nu. 5.* N. Anton. *loco citato, §. 2. in principio.* Nunc reſtat difficultas: an dicta priuilegia ſint reuocata, quantum attinet ad caſus, & cenſuras contentas in Bulla Cœnæ, ita ut nunc de facto ab illis abſoluere non poſſint? Circà quod eſt triplex ſententia.

*Sententia aſſerens non poſſe Prælatos abſoluere Religioſos à caſibus Bullæ Cœnæ.*

74. Prima dicit, Prælatos Regulares nunc non poſſe ſuos ſubditos abſoluere à caſibus in Bulla Cœnæ contentis. Ita Leaana *tom. 1. cap. 18. num. 38. & cap. 19. num. 17.* Machad. *tom. 2. lib. 5. part. 3. tract. 2. document. 5. num. 1.* Dian. *1. part. tract. 5. reſol. 6. & part. 6. tract. 6. reſol. 54. & part. 8. tract. 7. reſolut. 50.* licet hoc negotium *2. part. tract. 2. reſol. 72.* indeciſum relinquat remittens illud aliorum iudicio. Trullen. *lib. 1. in Bullam Cruciatæ, §. 9. dub. 3.* Tambur. *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 14. quæſt. 15. num. 1.* Ioann. à Cruce, *de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 15. concl. 1.* Bordonus *in Conſilij Regularib. tom. 1. reſol. 3. num. 4.* Et probant primò ex verbis Bullæ Cœnæ, ubi ſic habetur in fine; *Etiam prætextu quarumuis facultatum vel indultorum, quibuſcumque perſonis quarumuis Ordinum etiam Mendicantium, &c.* Secundò: quia adeſt circà hoc expreſſa declaratio Cardinalium de mandato Clementis VIII. in quo omninò prohibentur, Regulares à dictis caſibus abſoluere. ¶ Tertiò: quia datur decretum Vrbani VIII. datum die 17. Nouembris anno 1628. probibens, ne Regulares poſſint abſoluere à caſibus Bullę Cœnæ; vel Ordinarijs reſeruatis.

*Sententia dicens, poſſe ab hæreſi, abſoluere.*

75. Secunda ſententia huic extremè oppoſita dicit, poſſe nunc Regulares Prælatos, vi priuilegiorum ſuorum abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus in Bulla Cœnæ contentis, etiam ab hæreſi occulta. Ita Hieron. Rodrig. *in compend. Regular. reſol. 3. num. 3.* Pierinus *tom. 1. conſtit. 4* Sixti IV. *§. 5. num. 6.* referens Filliucium, Fragoſo *tom. 2. lib. 11. diſp. 24. nu. 151.* Bauni *tom. 1. tract. 4. quæſt. 32. fol. 109.* citans Candidum, Sanchez, & Rodriguez, Bordonus, *tom. 1. reſol. 3. in fin.* Referens Boſium, Palaus *tom. 1. tract. 14. diſp. 4. punct. 3. §. 3. numer. 1.* ubi ſic habet. [Quam facultatem etiam pro Hiſpania conceſſit Gregorius XIII. *die 18. Martij* 1584. ut in viuæ vocis oraculis, *pag.* 133. ſic in compendio priuilegiorum Societatis verb. *Abſolutio. §. 7. & §. 8.* dicitur, facultate conceſſa Minoribus de obſeruantia, ultramontanis, poſſunt Præpoſitus Generalis, & Prouincialis Societatis Ieſu ultramontani abſoluere noſtros ultramontanos ſibi ſubditos & diſpenſare cum eis, quoties opus fuerit, vel à relapſu in hæreſim, vel apoſtaſiam, & eorum pœnas à iure ſtatutas commutare, augendo, vel minuendo, penſatis qualitate, & quantitate, alijſque debitis circumſtantijs: dummodò talium relapſorum crimina publica, aut notoria apud Sæculares non ſint, & ex hoc ſcandalum oriri poſſit.] Idem aſſerit Suarez *tom. 4. de Religione, cap. 21. num. 1. & 2.* ubi refert eandem conceſſionem Gregorij XV. & aliam Alexandri VI.

*Media ſententia eligitur.*

76. Cæterum inter has duas extremas opiniones media nobis via incedendum eſt, & dicendum, quòd à crimine hæreſis etiam occulto non poſſunt Prælati Regulares (ſaltem in Hiſpania) abſoluere ſuos ſubditos, ab alijs verò contentis in Bulla Cœnæ poſſunt. Primam aſſertionis partem tenent præter Doctores citatos pro prima ſententia Palaus, *§. 2. num. 6.* (neſcio an ſibi contrarius) Portel. *in additionibus ad dub. Regul. verb. Abbas, num. 11.* Thomas Hurtad. *tom. 1. tract. 5. cap. 4.* Pellizar *tract. 8. cap. 2. nu. 34. & 39.* Leand. *tract. 2. de excommunicat. diſp. 16. quæſt. 78.* N. Antonius *tom. 1. tract. 2. diſp. 1. ſect. 1. num. 47.* Ideoque de hoc delicto hæreſis non poſſunt Prælati Regulares ſuos ſubditos punire, aut iudicare; ſed illos remittere debent Dominis Inquiſitoribus, ex conſtit. Pauli V. quam refert Barboſſa, *de poteſtat. Epiſcopi 2. part. allegat. 40. num 39.* quia hoc Sanctum Tribunal plura habet priuilegia, per quæ reuocantur omnia, aliàs Ordinibus conceſſa, abſoluendi ab hæreſi, & ideò Pius V. prohibet Religioſos Prælatos ſub grauiſſimis pœnis, quòd ſubditos de hæreſi iudicare poſſint, ſed eos ad Sanctum Tribunal remittant, ut idem Barboſſa teſtatur *num. 40.*

*Non ſunt per Bullam Cœnæ reuocata priuilegia Regularium.*

77. Secundam verò partem noſtræ aſſertionis, videlicèt per Bullam Cœnæ reuocata non eſſe prædicta priuilegia: ac proinde poſſe nunc Regulares ab omnibus caſibus contentis in Bulla ſuos ſubditos abſoluere (excepta hæreſi, in noſtra Hiſpania præcipuè, propter priuilegia particularia Inquiſitorum) tenent præter Doctores citatos pro ſecunda ſententia Bañez *2. 2. quæſt. 4. dub. 2. poſt 2. concl.* Aragon *ibi art. 3.* Candid. *tom. 1. diſq. 22. art. 49. dub. 1.* Souſa *in Bulla Cœnæ, cap. 23. diſp. 100. concl. 7. num. 13.* Suar. *tom. 4. in 3. part. diſp. 30. ſect. 2. num. 7.* Inojoſa *in Direct. verb. Confirmatio gratiæ, fol. 121.* Leand. *tract. 2. diſp. 17. quæſt. 66. & alij,* & probatur: primò, quia non obſtante dicta clauſula Bullæ, adhuc poſſe Epiſcopos facultate ſibi conceſſa à Tridentino, abſoluere ſuos ſubditos à caſibus Bullæ, diximus *n. 56.* quia in ea non fit expreſſa mentio huius Concilij generalis, quod erat neceſſarium ad reuocandam gratiam ab ipſo conceſſam: ſed ſecundum priuilegium Pij V. illud priuilegium generale Concilij, extenditur ad Prælatos Regulares, eodem mo-

do,

Google

do, ac in Epiſcopis inuenitur: ergò, non obſtante clauſula Bullæ, manent Prælati cum dicta facultate, ſicut manent Epiſcopi.

*Alia ratione concluſio probatur.*

78. Secundò arguit Rodriguez, quòd non eſt credibile Pontificem velle, Regularibus illudere, & hodie deſtruere, quòd heri ædificauit: ſed Pontifices, cum ad Eccleſiæ regimen vocantur, ad inſtantiam Regularium, eorum priuilegia rata, & firma eſſe volunt: ergò non eſt credibile ſtatim per Bullam quotannis publicatam ea velle derogare, & deſtruere, ſicut propterea docent communiter Doctores apud Portel *de dubijs Regularibus, verb. Abbas, num.* 10. quòd per prædictam clauſulam Bullæ Cœnæ non reuocatur facultas Bullæ Cruciatæ concedentis confeſſarijs, ut ſemel in vita, & ictum in morte poſſint abſoluere pœnitentes à caſibus reſeruatis in Bulla Cœnæ, excepta hæreſi, quia eſſet hodie deſtruere, quod heri ædificabatur: & per unam Bullam quotannis reuocare, quod per aliam quotannis conceditur.

*Contraria argumenta ſoluuntur.*

79. Ad argumenta contraria *num.* 74. adducta reſpondetur: ad primum conſtat ex modo dictis. Quibus adde, quòd licet per clauſulam illius Bullæ alia priuilegia reuocentur; non vero illa, quæ expreſsè ad caſus in tali Bulla conceſſos facultatem concedunt, niſi de eis particularis mentio fiat, ut conſtat in facultate Epiſcoporum, & Bullæ Cruziatæ, quæ non reuocatur per eam. Vndè Iulius II. *conſtitut.* 14. declarauit, quòd non obſtante clauſula illa, poſſunt, qui facultatem babent abſoluendi à caſibus Bullæ, illa uti. Quam conſtitutionem confirmauit Paulus IV. Gregor. XIII. Clemens VII. *apud* Peyrin. *&* Suarez *tom.* 4. *de Religione, tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 20. *num.* 18. ¶ Ad ſecundum dicimus, illam declarationem Cardinalium ad ſummum intelligendam eſſe quoad abſolutionem ſæcularium à caſibus Bullæ; non quoad Religioſos. Ita declaraſſe Sacram Congregationem de mandato Clementis VIII. teſtatur Peyrin. *ad conſtitutionem* 4. Sixti IV. *num.* 16. vel dicendum eſt, eam loqui de caſibus Papalibus in dicta Bulla contentis; ac proinde de publicis iuxtà dicta *num.* 59. non vero de occultis, qui Papales non ſunt; cum conueniant Epiſcopis iure Ordinario, ut inquit Sanch. *lib.* 4. *Decalogi, cap.* 54. *num.* 27. *&* Dian. *part.* 1. *tractat.* 11. *reſolut.* 28. *&* 3. *part. tractat.* 2. *reſolut.* 13. ¶ Ad tertium conſtat ex modo dictis. Quibus adde, quòd in decreto Vrbani VIII. nec verbum continetur, quo in generali, vel in particulari reuocentur priuilegia per Concilium generale conceſſa. Imò ſolum in illo reuocantur priuilegia illa à Tridentino extincta, licèt poſt illud fuerint confirmata, ut conſtat ex clauſula illius decreti apud Baſſæum, quæ ſic ſe babet: *Per confirmationes priuilegiorum: quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt nequaquàm reuixiſſe priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atque extincta; ſi quæ habebant abſoluendi à caſibus Ordinario reſeruatis: quemadmodum nec indulta abſoluendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſueuerunt, utpote ſublatæ per annuam ipſius Bullæ publicationem vires ac robur acquiſiuiſſe ex ſequentibus priuilegiorum confirmationibus: ac proinde Regulares cuiuſuis ordinis, &c.* Sed priuilegium, quo nitimur, non eſt extinctum per Concilium, ſed potius ab ipſo initium ſumpſit: ideoque non eſt per dictum decretum Vrbani reuocatum.

*Quid poſſint Prælati circà nouitios?*

80. Præter dicta poſſunt Prælati Regulares (Prouinciales videlicet, vel illorum Vicarij in ipſorum abſentia, vel alij ab ipſis deputati) abſoluere Nouitios ſui Ordinis ab omnibus caſibus (exceptis illis, qui in Bulla Cœnæ continentur) ante ingreſſum Religionis incurſis, & à cenſuris ipſis annexis; in quas non reincidunt, ſi poſteà à Religione exeant. Ita Clemens VII. conceſſit anno 1530. ut refert Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 20. *art.* 21. Candid. *tom.* 1. *diſq.* 22. *art.* 48. *dub.* 1. citans Ioann. de la Cruz *de voto obedientia, lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *concl.* 4. virtute cuius priuilegij, inquit poſſunt etiam abſoluere eos ab excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto, etiam ab homine latis per modum ſententiæ particularis, & ſpecialiter reſeruatis Epiſcopo (facta ſatisfactione partis.) Tum: quia cui conceditur facultas ad id, quòd eſt maius ad id quod eſt minus, conceſſa cenſetur, *reg.* 35. *de Regul. iuris in* 6. ſed in eo conceditur facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris Papalibus, quod maius eſt: ergò etiam ab alijs minoribus. Tum etiam: quia per hoc nullum fit iudici ferenti talem cenſuram præiudicium: cum iam pars ſatisfacta ſit, ad cuius inſtantiam ipſe cenſuram tulit. Sed hoc ultimum, quod Candidus dicit, modò ſuſtineri non poteſt, propter ea, quæ ſup. *n.* 40. *in fin.* diximus.

*Non obſtat decretum Vrbani. Oſtans.*

81. Nec decretum Vrbani VIII. proximè adductum eſt contrà hoc: tum propter dicta. Tum etiam; quia licet hæc facultas per priuilegium, aut Bullam habitam reuocata ſit in dicto decreto, non vero illa, quæ per conſuetudinem, & uſum eſt obtenta: ut eſt illa, qua, qui habet facultatem à reſeruatis Papæ, poſſit abſoluere ab illis, quæ Ordinarij ſibi ſpecialiter reſeruarunt, ut teſtatur Alterius *lib.* 4. *diſp.* 4. *cap.* 2. Suarez *hic diſp.* 7. *ſect.* 5. *nu.* 13. Hugolin. *tab.* 1. *cap.* 13. §. 4. *n.* 10. Hurtad. *diſp.* 15. *de excomm. num.* 3. *in fine.* Tum denique: quia talis reuocatio per Vrbanum facta non eſt intimata, aut notificata Religionibus, aut Prælatis earum, ut omnes fatentur: ſed niſi priuilegij reuocatio intimetur ciuitati, aut Religioni fruenti illo, remanet prilegium in ſuo robore, ut teſtatur Sotus *lib.* 2. *de iuſtitia, quæſt.* 2. *art.* 4. Enriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 1. Quintanaducñas *in ſumm. Theologiæ Moralis, tractat.* 3. *ſingul.* 15. *numer.* 4. ergò per dictum decretum Vrbani neque hoc, neque aliud priuilegium Prælatorum eſt reuocatum.

## PVNCTVM VII.

### *De caſibus, & cenſuris reſeruatis, à quibus abſolui poſſunt fideles recipientes Bullam Cruciatam.*

*A quibus caſibus per Bullam Cruciatam poſſit abſolutio impendi?*

82. VT dubitationibus circà hoc punctum exagitandis aditus pateſiat, aliqua, circà quæ vix datur inter Doctores controuerſia, ſupponenda ſunt. Primò, ergò ſupponendum eſt, quòd ab omnibus caſibus Epiſcopis reſeruatis poteſt unuſquiſque per Bullam toties, quoties abſolui, etiamſi ſint publici: quia ita in illa expreſsè continetur, videlicet quòd ab omnibus alijs caſibus, qui nõ ſunt Pontifici reſeruati, toties, quoties

poſſit unuſquiſque abſolui, ſed qui ſunt reſeruati Epiſcopis tantum, non ſunt de reſeruatis Pontifici; ergò, &c. ¶ Secundò ſupponendum eſt, quòd ab omnibus caſibus Pontifici reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, (dempta hæreſi) etiamſi publici ſint; poteſt recipiens Bullam, ſemel in vita (id eſt, pro anno publicationis,) & ſemel in morte abſolui. Ita habetur in eadem Bulla. Cui conceſſioni nimimè derogatur per Bullam Cœnæ, ut probant Dian. 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 96. Ludouicus à Cruce *diſp.* 1. *cap.* 20. *dub.* 4. *num.* 8. Trull. *lib.* 1. *in Bullam.* §. 1. *dub.* 23 *num.* 2.

*Poteſt abſolui per Bullam, qui non confitetur.*

83. Tertiò ſupponendum eſt, dictam abſolutionem poſſe à confeſſario impendi extrà confeſſionem (licèt conuenientius, & conſultius ſit quòd intrà illam recipiatur) quia abſolutio à cenſuris nullam connexionem habet cum abſolutione à peccatis. Et quamuis in Bulla petatur, quòd ſit Confeſſor, qui abſoluere poteſt; hoc non exigitur, ut ſit actualiter exercens munus confeſſoris, ſed quia debet eſſe approbatus ad confeſſiones, ut ſcire queat, quandò abſolutionem impendere debeat; quandò ſatisfactionem partis iniungere, quà formà, & modo id facere oportet. Vndè licèt circà hoc fuerit olim maior dubietas, quia in Bulla dicebatur *confeſſione audita*, poſtquàm hæc verba ablata ſunt, vix ulla remanſit controuerſia, & ideò hoc tenet Conine, *diſp.* 14. *dub.* 16. *num.* 253. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 34. *num.* 30. Auila 2. *part. cap.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 13. Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 13. *à num.* 5. Enriq. *lib.* 7. *de indulgentijs, cap.* 3. *num* 2. N. Ant. *in ſuo directorio confeſſariorum diſ.* 1. *num.* 236.

*Alia duo, ut certa ſupponuntur.*

84. Quartò ſupponendum eſt, quod per indulgentiam Bullæ non ſolum poteſt quis abſolui à peccatis, quæ poſt receptionem illius commiſit, ſed etiam ab illis, quæ receptionem præceſſerunt; quia minimè in Bulla coarctatur facultas ad una, & non ad alia. Sicut per Iubilæum non ſolum conceditur facultas abſoluendi à peccatis poſt illius publicationem commiſſis; ſed etiam antè illam. Quod omnibus eſt notum, aliàs inutile eſſet tale indultum Villal. *tom* 1. *tract.* 27. *concl.* 9. §. 2. *num.* 6. Imò etiam poteſt unuſque ab illis caſibus, & cenſuris abſolui, in quas, vel in quos incidit ex confidentia Bullæ; quia in illa non excluduntur ab abſolutione peccata ex confidentia commiſſa ſicut quando agit de compoſitione circà ablata, excludit illa, quæ ex confidentia Bullæ auferuntur. Mendo *in Bullam diſp.* 23. *cap.* 1. *num.* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. *nu.* 162. ¶ Quintò ſupponendum eſt, quod intrà annum publicationis Bullæ poteſt unuſquiſque duplicem Bullam ſumere, & bis in vita poterit per illam abſolui à caſibus, & cenſuris Papalibus. Enriq. *lib.* 7. *de pœnit. cap.* 16. *nu.* 1. Auila 2. *par. cap.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 7. Non autem poteſt plures, quam duas accipere: quia Pontifex ſolum indulſit, ut durante anno publicationis, poſſit unuſquiſque duplicem Bullam ſibi accipere, ut teſtatur Rodriguez *in explicatione Bullæ Cruciatæ*, §. 12. *num.* 2.

*Semel dumtaxat poteſt quis abſolui à Papalibus caſibus.*

85. Vltimò denique ſupponendum eſt, quòd cum in Bulla dicatur, poſſe unumquemque abſolui per eam *in vita ſemel, & ſemel in morte* ab omnibus caſibus reſeruatis, non ita intelligendum eſt, quòd qui ſemel abſolutus eſt ab uno caſu reſeruato virtute illius, iterum ab alio, in quo poſteà incidit, abſolui poſſit, & ſic de reliquis, uſque dum de omnibus verificetur abſolutum eſſe, ut contendit Leander *tract.* 2. *de excomm. diſp.* 17. *quæſt.* 83. & latè illud probat: ſed unitas requiſita à Bulla nimirum quòd *ſemel in vita* abſolui poſſit, tenet ſe ex parte abſolutionis, ita quòd una dumtaxat abſolutio in vita impendatur, ſiue pro omnibus ſimul, ſiue pro illis, qui tunc adeſſent, eſſent eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei, ſi enim hæc unitas ſolum ex parte peccatorum ſe teneret hoc ſenſu, quod ſemel tantum à peccatis huius ſpeciei, v. g. ſimoniæ in adeptione Beneficij quis abſolueretur, non poſſet aliquis pluribus irretitus peccatis illius ſpeciei abſolui (quia Leander contendit, quòd *ſemel* intelligatur ex parte peccatorum, non ex parte abſolutionis, ut ſic inferat, quòd qui non eſt abſolutus ab uno poſſit ab illo abſolui, etiamſi ab alijs ſit iam abſolutus virtute Bullæ) illud eſt planè abſurdum: ergò ex quo ſequitur. Quarè intelligenda ſunt illa verba, quòd *ſemel in vita, & ſemel in morte* ab omnibus abſolui poſſit per unam dumtaxat abſolutionem, quæ etiam omnes caſus, ſi fortè eſſent, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ ſpeciei comprehendat. Ita Petrus de Ledeſm. *in ſumm.* [illegible] *tom.* 1. *tract. de Pœnit. cap.* 13. *concl.* 2. *dub.* 1. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 27. *clauſul* 9. §. 2. *num.* 5. Mendo *in Bull. diſp.* 23. *cap.* 1. *num.* 7.

*Qui uno anno priuilegio Bullæ uſus non eſt, in alio non poteſt uti.*

86. Sed inquires primò: An qui in uno anno uſus non eſt priuilegio Bullæ in ordine ad abſolutionem à reſeruatis, uti eo poſſit anno ſequenti, ita ut in eo ſemel poſſit abſolui propter Bullam, quam de nouo ſuſcipit, & pluries propter præcedentes Bullas, quibus non eſt uſus? Affirmat Nauarrus *lib.* 5. *conſilior. tit. de priuilegiis, conſil.* 17. cuius opinionem ſequitur ut probabilem (licèt probabiliorem dicat oppoſitam) Leander *tract.* 2 *de excommun. diſp.* 17. *quæſt.* 83. & citat Trullen. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub* 3. *num.* 3. ubi etiam in praxi tutam indigitat, licèt oppoſitam ſequatur loco à nobis adducendo. Et Machado, & Enriquez. Illudque probant: quia gratia ſemel facta durat ſemper, donec reuocetur, *cap. Si ſuper gratia, de officio delegati in* 6. ¶ Sed oppoſitum eſt omninò tenendum: quia priuilegium Bullæ ſolum pro anno publicationis eſt conceſſum, ut patet ex eius verbis: *Illos frui poſſe priuilegio Bullæ, qui intrà annum à die publicationis, &c.* Ergò tranſacto anno ſpirat priuilegium; nam quòd conceditur pro determinato tempore, pro illo dumtaxat habet vigorem, aliàs in nihilo differret priuilegium temporale, & perpetuum: de quo intelligitur textus in contrarium adductus. Quemadmodum nemo dicet, quòd ſi quis anno publicationis non viſitauit altaria, aliaſvè indulgentias lucratus eſt, poterit illas lucrari in anno ſequenti, etiamſi nouam Bullam non ſumat: quòd in damnum, & præiudicium Cruciatæ non parum vergit. Ita Trullen. § 9. *dub.* 2. *num.* 2. Ludouicus à Cruce *in Bullam diſp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 3. *num.* 2. Bardi *in Bullam, tract.* 6. *cap.* 1. *ſect.* 2. *num.* 11.

*An poſſit toties quoties à caſibus occultis.*

87. Secundò inquires: An virtute Bullæ poſſit abſolui, qui eam ſumpſit, toties quoties à caſibus Pontifici reſeruatis, ſi ſint occulti? Vt ab excommunicatione ob duellum, ob ingreſſum clauſtri Monialium, & ab alijs, qui ſunt Pontifici reſeruatis, ſiue ante Tridentinum, ſiue poſt illud. Negant Bañez 2. 2. *quæſt.* 64 *art. ult. in fin.* Ludouicus à Cruce *diſp.* 1. *in Bullam, cap.* 13. *dub.* 13. *nu.* 3.

Fran-

Digitized by Google

Franciſcus Bardi *part. 2. in Bull. Cruciat tract.6. cap. 1. ſect.10.num.87.* Machad. *lib.1.part.3.tract.8. document.4.num.3.* quia in Bulla ſolum conceditur facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis (non diſtinguendo, ſi publici ſint, vel occulti) ſemel in vita, & ſemel in morte: ergò, &c. ¶ Sed nihilominus dicendum eſt, poſſe, excepta hæreſi, de qua ſtatim: quia confeſſarius electus per Bullam poteſt toties quoties à caſibus, qui non ſunt Papales, ſed Epiſcopo reſeruati, abſoluere pœnitentem, ut diximus *num* 82. ſed caſus reſeruati Pontifici, ſi ſint occulti, iam non ſunt illi reſeruati: cum talis reſeruatio ablata ſit per *Concilium ſect.24. cap.6.* & reddita Epiſcopis facultas ordinaria: quæ ſibi ante reſeruationem competebat: & ſic iam non ſunt caſus Papales, ſed Epiſcopales: ergò ab illis poterit toties quoties abſolui. Ita Sanchez *lib.4.ſumm.cap.54.num.27.* Trull. *§.7. cap.2.dub.6.num.5.* Dian. *1.part.tract.11.reſol.28.* Leand. *tract.2.de excomm.diſp.17.quæſt.85.* Mendo *in Bullam, diſp.23.cap.5.nu.61.* N. Ant. à Spiritu S. *in ſuo directorio confeſſariorum tract.12.diſ.1. num.222.*

*Ab hæreſi non poteſt abſolutio impendi per Bullam.*

88. Inquires tertiò: utrum à crimine hæreſi externa poſſit quis abſolui per Bullam toties quoties, ſi ſit occultum? Vel ſaltem ſemel in vita, & ſemel in morte, ſi non ſit occultum, ſed publicum? Vel ad minus, ſi non ſit publicum? Reſpondetur, quòd ſiue occultum ſit, ſiue publicum, non poteſt nec toties quoties, nec ſemel in vita, nec ſemel in morte abſoluere ab eo confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ. Tum quia in Bulla Cruciatæ dicitur: *excepto el crimen de la heregia.* Et licèt in Bulla Latina ea non habeatur: quia tamen Gregorius XV. motu proprio declarauit, nec ſuam mentem, nec aliorum Pontificum unquam eſſe, ad crimen hæreſis in tali Bulla facultatem præbere, meritò addita ſunt in Bulla Hiſpana à Commiſſario generali. Tum etiam: quia Domini Inquiſitores obtinuerunt à Sede Apoſtolica reſeruationem ab hoc crimine, etiamſi occultum fuerit ſuo Tribunali, cum clauſula, ut nec vi Bullæ Cruciatæ poſſint alij confeſſarij ab ea abſoluere, ut teſtatur Enriquez *lib. 6.cap.16.num.2.* quem ſequitur Trullenq. *hic cit. dub 7. numer. 7.* Arragon *2. 2. quæſt. 31. art. 3.* Quintanaduenas *in tract. de Iubilæo duar. hebdomad. cap.25.num.1.* Dian. *part.5.tract.12.reſol.35. & part.8. tract.7.reſol.67.* qui ſincerè, & ex mente hanc noſtram tenent reſolutionem, ſicut communiter alij Doctores. Hoc dicimus propter Leandrum *tract.2.de excomm.diſp.17.quæſt.85. & 86. &* Mendum *diſp.23. in Bullam, cap.8.* per totum: qui, quamuis nobiſcum verbis conſentiant, tot argumenta pro parte contraria congerunt, tot inſtantias adducunt, ita clauſulam Bullæ, & priuilegia Tribunalis Inquiſitionis explicare contendunt, ut ea prorſus eneruare videantur, ac oppoſitum ex mente complecti: de occultis non iudicamus: ſed ex ſignis, & coniecturis animus uniuſcuiuſque haud difficulter poteſt adipiſci.

*Ab alijs criminibus Sanctæ Inquiſitioni reſeruatis poteſt abſolui per Bullam.*

89. Quartò inquires: An poſſint pœnitentes abſolui ſemel in vita, & ſemel in morte, ab alijs criminibus, quæ formaliter hæreſes non ſunt, & in primo Canone Bullæ Cœnæ continentur: ut ſunt apoſtaſia à fide, & quæ committunt fautores, receptores hæreticorum, eiſque credentes, legentes, imprimentes, retinentes, aut defendentes libros hæreticorum hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, Schiſmatici, & pertinaciter ſe ſubtrahentes ab obedientia Sedis Apoſtolicæ? Negant aliqui: quia omnes dicti caſus ſub nomine hæreſis in Bulla Cœnæ continentur: ſed à crimine hæreſis non poteſt aliquis virtute Bullæ abſolui, ut dictum eſt: ergo. Hanc defendunt Petrus de Ledeſma *tom. 2. ſumm.tract.1, cap.6. in fin.* Alter. *tom. 1. lib. 5. diſp 2. cap.9. in fin.* Azor. *tom. 1. lib.8.cap.19.quæſt.2.* Rodrig. *in Bullam Cruciatæ, §.9. n.70.* alios refert Dian. *1.part.tract.5. reſol.7.* licèt ipſe rem hanc aliorum iudicio remittat.

90. Alij (quorum ſubſcribimus ſententiæ) affirmant in caſu quo abſque errore intellectus dicta crimina committantur, etiamſi publica ſint: quia in Bulla ſolum crimen hæreſis excipitur: ergò cum exceptio firmet regulam in contrarium, ab alijs criminibus enumeratis, ſi abſque intellectus errore committantur (quomodò non ſunt hæreſes formaliter) abſoluere poſſunt confeſſarij in virtute Bullæ. Ita Enriq. *lib 6.de Pœnit. cap. 16.num,2.* Giptius *in tractatib.de caſibus reſeruatis, cap.6. num.48.* quos refert, & ſequitur Mendo *diſp.23. cap.10. num.94.* iuncto *num.99.* Rodriguez *part.1. §.9. ſect. 3. num.91.* Duardus *in Bull. Cœnæ, libr.3.§.2.quæſt.8.nu.8.* quos, & alios refert, & ſequitur Leand. *tract.2.de excomm.diſp.17.q.87.* Suarez *de fide, diſp.24.ſect.1.num.11.* Trullenq. *nu. 13.* Sanch. *lib.2.ſumm.cap.12. num 12.* Portel. *in addit ad dub.Regul.verb. Libri prohibiti, num 14.* N. Ant. *in ſuo direct.confeſſar.num.223.*

*Quid inferatur ex dictis?*

91. Ex qua ratione numero præcedenti adducta infertur, poſſe toties, quoties per Bullæ priuilegium abſolutionem impendi ob crimina: quæ ſunt Sanctæ Inquiſitioni reſeruata, & non contenta in Bulla Cœnæ, nec reſeruata Summo Pontifici, ut ſunt ſortilegium, maleficium, ſuperſtitio, magia, adoratio dæmonum, ſolicitatio in confeſſione, lectio librorum hæreticorum, Sodomia, blaſphemiæ hæreticales, & omnia alia delicta, quæ in edictis Sanctæ Inquiſitionis continentur, & quorum punitio priuatiuè pertinet ad Sanctum Inquiſitionis Tribunal, quoties hæc crimina non ex errore contrà fidem procedunt: ſed ex auaritia, concupiſcentia, ira aliavè paſſione oriuntur: quia hæc delicta, quando abſque errore contrà fidem committuntur, verè non ſunt hæreſes ex una parte, & ex alia non ſunt Pontifici reſeruata, ſed Inquiſitoribus: ergò cum per Bullam concedatur facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris non reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, toties, quoties; ſequitur, ab his poſſe toties, quoties reum abſolui. Ita Suarez *loc. cit.* Filliuc. *tom. 1. tract. 16.cap.3. num.49.* Raphael de la Torre *2.2.tom. 2.quæſt.96.art.4.diſp.5.in fine,* Martinus Delrius *in Inquiſit. Magicar. part.3. lib.5. ſect.17.* quos duos refert, & ſequitur Mendo *loco citato*, Trullenq. *ubi ſuprà, & in Decalog. lib.1. cap.3.dub.6.num.4.* Franciſcus Bardi *in Bullam, tractat.6. cap.2. ſect. 6. numer. 45.* quem refert, & ſequitur Leander *loc. citat. quæſt.88.* Ortiz *in ſumm. cap.24.num.11.* Seraphin. de Freitas *in addit.ad tract.de confeſſarijs ſollicitantib.quæſt.21.n.25.* qui duo ultimi dicunt, poſſe fœminam ſollicitatam abſolui à confeſſario, etiamſi non denuntiet; ſi tamen denunciare promittat. Et idem docet Nauarr. *lib.5. conſil. de hæret. conſil.3. &* Sanctarelus *tract. de hæreſi, cap.9. dub.unic. num.16.* Sed in hoc non aſſentimur illis,

niſi

niſi in caſu magnæ neceſſitatis, in quo eſſet oota, ſcandalum, vel inſtaret communio ad lucrandum Iubilæum, aliudve ſimile: eo quod detur præceptum Dominorum Inquiſitorum de non impendenda abſolutione ſollicitata, niſi prius denunciet: quod ex pia illorum intentione poteſt colligi non obligare in caſu magnæ neceſſitatis, ſi tunc detur promiſſio denunciandi. Ita Rodriguez *tom.2. ſumm.cap.34. num.6. quem refert, & ſequitur* Dian. 1.*part.tract.4.reſol.*27. Trull. *in Bullam lib.*1. §.7. *cap* 2.*dub.*8. *num.*7.

*An poſſit abſolui excommunicatus ab homine, quando lis pendet?*

92. 5. inquires: An poſſint confeſſarij virtute Bullæ abſoluere nominatim excommunicatum ab homine, vel à iure, cuius delictum eſt deductum ad forum contentioſum, in quo adhuc lis eſt dependens? Sed circà hoc certum eſt apud omnes, & licitè, & validè poſſe, ſi pars eſt iam ſatisfacta, & lis abſoluta; quiá tunc iam eſt iudex functus ſuo munere, & nulli infertur præiudicium. Quarè dubium eſt, quandò pars non eſt ſatisfacta, & lis eſt dependens in iudicio. Circà quod dicimus primò, validam eſſe talem abſolutionem. Dicimus ſecundò, eſſe illicitam, niſi conſtaret, partem eſſe iam ſatisfactam, vel reum ſecum illa concordaſſe, vel niſi iudex, & para longè abeſſent, vel iudex malitioſè, denegaret abſolutionem, vel adeò rigidè eam impendere vellet, quòd nollet eum abſoluere, niſi parti realiter ſatisfeciſſet, etiam cum præiudicio ſui ſtatus, vel alia cauſa orgens occurriſſet abſoluendi reum, accepta prius ab eo cautione ſufficienti de partis ſatisfactione: quia in his caſibus ceſſat ratio perturbationis ordinis Iudicialis, & præiudicium iudicis, ob quam dicimus eſſe illicitam talem abſolutionem, ut ſtatim probabimus.

*Validè in dicto caſu abſoluitur.*

93. Prima ergò concluſio probatur: quòd videlicèt ſit valida talis abſolutio: primò, quia Bulla concedit facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris reſeruatis à iure, vel ab homine: ſi fuerint Pontifici reſeruatæ, ſemel in vita, & ſemel in morte, ſi alijs fuerint reſeruatæ præter Pontificem, toties, quoties: ergò cum talis gratia, & fauor non excipiat caſus, vel cenſuras latas ſpecialiter, nec ad forum contentioſum deductas, ſentiendum eſt, etiam iſtas in illa vniuerſali gratia comprehendi: 2. quia qui habet facultatem abſoluendi à caſibus, quibus ſunt annexæ cenſuræ, etiam poteſt ab ipſis cenſuris abſoluere: eò quòd abſolutio à crimine, cui eſt annexa cenſura, nō poteſt obtineri, quin prius ipſa cenſura auferatur: ſed nemo dubitat, poſſe per Bullam abſolui pœnitentem ab omnibus, ob quæ cenſuratus eſt, modo dicto in hoc quæſito: ergò etiam ab ipſis cenſuris poteſt validè abſolutionem obtinere. Ita inſinuat Conin. *diſp.*4.*dub.*16.*n* 207. tenet abſolutè Enriq. *lib.*7.*cap.*11.*n.*4. & *lib.*8.*cap.*60 *n.*4. Lezan. *tom.* 3. *qq. Regul.verb. Cruciata, p.*2.*cap.*3.*num.*25. Sanch. *lib.*6. *ſum.cap.*17.*num.*42. & 43. Franciſc. Bardi *in Bullam Cruc.p.*2.*cap.*3 *ſect.*1. *nu.*5. Trull. *in Bull.lib.*1. §.7.*cap.*2.*dub.*10.*à n.*2. Diana 1.*p.tract.* 11.*reſ.*26. & 5.*p.tract.*9.*reſ.*1. Auil. 2.*p. cap.*7.*diſp.* 3.*dub.*10.*concl.*1. citans Couarr. & Medin. & aſſerens plures, & grauiſſimos Theologos, & Iuriſperitos Salmanticenſes eam tenuiſſe.

*Illicitè abſoluitur per Bullam ab homine excommunicatus.*

94. Secunda verò concluſio, videlicet illicitam eſſe talem abſolutionem niſi in caſibus ibi aſſignatis, & ſimilibus præcipuè ſi in hoc, ubi excommunicatio eſt publica, abſolutio obtineatur, vel ubi litigatur coram iudice, probatur: quia huiuſmodi abſolutio eſſet ſcandaloſa, & iudicis perturbaret iuriſdictionem, ante quem lis eſt dependens. Vndè ſicut propterea excepit Concilium *ſeſſ.*24.*cap.*6. à caſibus, & cenſuris, à quibus poterant Epiſcopi abſoluere illos, vel illas, quæ ad forum contentioſum erant deductæ: ne ſcandalum ſequeretur, vel perturbaretur iudicum iuriſdictio: ita dicendum erit in præſenti. Ita Gaſpar Hurtad. *diſp.*14.*de excom.diff.*5.*nu.*24. Conin. *diſp.* 14.*dub.*6.*nu.*207. & Auila loc. proximè cit. Sed addit Auil. grauiſſimos DD. tenere, licitam eſſe talem abſolutionem pro foro conſcientiæ, non externo: quia ſic nec ſcandalum ſequitur, nec iudicum perturbatur iuriſdictio, cùm æquè poſſint procedere contrà reum, ac ſi non eſſet abſolutus. Quam doctrinam admittit ipſe in caſibus in concluſione exceptis, maximè quandò abſolutio impenditur in loco diſtanti ab illo, in quo litigatur, & præmittitur ſatisfactio, ſi poteſt fieri, vel præſtatur cautio ſufficiens, ſi non poteſt: & citat Enriq. Manuel. Rodriguez, Perez, Polancum, & alios. Quod etiam docet Gibalin. *diſq.*9.*q.*1.*n.*28. *in fine*, citans Sayrum, Sanch. Acoſtam, & alios.

## CAPVT III.

### *De effectibus excommunicationis maioris.*

POſtquàm egimus de Cenſuris in communi accedimus nunc ad tractandum de illis in particulari: & quia excommunicatio eſt omnium frequentior, celebrior, & maior; de illa in primis diſputabimus. Plura erant circà excommunicationem exagitanda tam de illius cauſa efficienti, formali, finali, & materiali, quàm de conditionibus, quæ illam præcedere, ſubſequi, & comitari deberent, & de abſolutione illius, & conditionibus ad eam petitis. Cæterùm de his omnibus toto cap. 1. & 2. latè egimus: quia quæ in eis dicta ſunt de Cenſuris in communi, excommunicationi applicari poſſunt: præcipuè, quia de illa locuti ſumus ſpecialiter multoties. Quarè ne eadem repetamus, illa omnia prætermittimus, quæ ex dictis conſtare poſſunt. Et modò ad effectus huius cenſuræ accedimus declarandos, per quos ab alijs diſcernitur, & quaſi conſtituitur in ratione talis.

### Igitur caput hoc continet quatuordecim puncta.

*Punct.I. De definitione excommunicationis, eiuſque effectibus in communi, num.*1.

*Punct.II. Qui dicantur excommunicati tolerati? Qui verò vitandi? Et quales ad hoc requirantur conditiones, num.*9.

*Punct.III. De* 1. *effectu excommunicationis, qui eſt priuatio adminiſtrationis actiuæ Sacramentorum, & Miſſæ celebrationis, num.*24.

*Punct.IV. De* 2. *effectu excommunicationis, qui eſt priuatio participationis poſitiuæ Sacramentorum, num.*41.

*Punct.V. De* 3. *effectu excommunicationis, qui eſt priuatio ſuffragiorum, indulgentiarum, & orationum Eccleſiæ, num.*51.

Punct.

*Punct. VI. De 4. effectu excommunicationis, qui eſt priuatio communicationis cum alijs in diuinis officijs, num, 60.*

*Punct. VII. De 5. effectu excommunicationis, qui eſt priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, num. 74.*

*Punct. VIII. De 6. effectu excommunicationis, qui eſt priuatio Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, numer. 82.*

*Punct. IX. De 7. effectu excommunicationis, qui eſt incapacitas Beneficiorum, & aliarum dignitatum, num. 95.*

*Punct. X. De 8. effectu excommunicationis, qui eſt priuatio fructuum, & prouentuum Beneficij, num. 111.*

*Punct. XI. De 9. effectu excommunicationis, qui eſt priuatio communicationis forenſis, num. 117.*

*Punct. XII. De 10 effectu excommunicationis, qui eſt priuatio communicationis politicæ, & ciuilis cum alijs fidelibus, num. 125.*

*Punct. XIII. In quibus caſibus excuſentur à peccato fideles communicantes cum excommunicatis? num. 140.*

*Punct. XIV. De excommunicatione minori, illius natura, & effectibus, & cæteris omnibus, quæ illam comitantur, num. 158.*

## PVNCTVM I.

### *De definitione excommunicationis, eiuſque effectibus in communi.*

*Quid ſit excommunicatio?*

1. EXcommuoicatio maior (de hac enim toto hoc eapite agemus, niſi aliud exprimamus, quæ ſemper nomine excommunicationis abſolutè ſumpiæ intelligitur) defioitur, quod *eſt cenſura priuans hominem fidelem omni Eccleſiaſtica communione.* Non dicimus, priuare excommunicationem omni communione, ſeu communicatione cum fidelibus abſolutè, & ſimpliciter: id enim falſum eſſet, quia ut diximus *cap. 1. nu. 7.* plura ſunt bona ſpiritualia, in quibus homo excommunicatus, ſi in gratia exiſtat, cum alijs fidelibus tanquàm eum membris eiuſdem corporis myſtici communicat, ſed dicitur in defioitione: *Omni Eccleſiaſtica communione*: id eſt, io bonis omnibus, quæ ſobiacent Eccleſiæ iuriſdictioni, & diſtributiooi, quæ, ut ibi explicuimus, ſunt in duplici differentia: alia ſunt bona cioilia, alia ſacra, ſeu ſpiritualia. Communicatio in bonis ciuilibus politicis, ſeu naturalibus, conſiſtit in actionibus, quæ pertineot ad homioum ſocietatem, ut confabulatio, mutua cohabitatio, ſalutatio, &c. Alia ſpiritualia, ſeu ſacra: illa, nimirum, quæ homini ad vitam æternam conducunt. Et hæc etiã ſunt in duplici differentia: alia purè exteriora, ut aſſiſtentia ad diuina officia, communicatio in eiſdem ceremonijs, Eccleſiaſtica ſepultura &c. alia ſunt mixta, ex interiori, & exteriori, ut participatio Sacramentorum, uſus ſacrificij, applicatio ſuffragiorum, & orationum communiunt ad impetrandum à Deo aliquod beneficium. Quorum omnium communione priuat excommunicatio maior; quod per illam particulam: *Omni Eccleſiaſtica communione* ſignificatur.

*Adæquatè diuiditur excommunicatio in maiorem, & minorem.*

2. Ex quo ſequitur. Primò, diſcrimen inter maiorem, & minorem excommunicationem: hæc enim ſolum priuat aliquibus bonis Eccleſiaſticis, nempe receptione Sacramentorum; illa omnibus, ut explanatum eſt. Sequitur 2. eſſe adæquatam diuiſionem illam, qua excommunicatio diuiditur in *maiorem, & minorem.* Nam omnis excommunicatio minor priuat receptione Sacramentorum omoium. Maior hac, & communione in omnibos bonis Eccleſiaſticis, inter quas non datur mediom. Et conſtat ex *cap. Si quem de ſentent. excomm. cap. 1. de exceptionibus in 6.* & ibi *Gloſſ. verb. Specie*, Suar. *diſp. 8. ſect. 2. à num. 2.* Enriq. *lib. 13. cap. 2. à num. 2.* Cornej. *de excomm. diſp. 1. dub. 3.* Vndè illa excommunicatio, quæ dicitur maxima, ſcilicet, *anathema*, non dicitur talis, quia ſit ab excommunicatione maiori diuerſa, vel qoia in effectibus differat ab illa, ſed ſolùm quia maiorem ſolemnitatem accidentalem ſecum trahit: quia nimirum fertur candelis accenſis, & extinctis, pulſatis campanis. & ſic dicitur: *à mata candelas*, etſi in *cap. Engeltrudam 3. q. 4.* dicitur *excommunicatio* diuerſa ab *anathemate*, loquitur de excommunicatione minori, ut rectè probant Auctores citati.

*Quibus nominibus excommunicatio appellatur?*

3. Hæc autem excommunicatio maior, quandoque nomine excommunicationis ſignificatur. Quòd nomen abſolutè ſumptum intelligitur de illa. Quandoque *anathema* dicitur. Dicitur excommunicatio ab *ex*, quod eſt extrà, & *communicatio*: quia per illam fidelis extrà Eccleſiam eijcitur, & à communione cum alijs arcetur, præcipuè à receptione Euchariſtiæ, quæ *communio* communiter dicitur: *Anathema* autem eſt vox æquiuoca, quæ & deriuatur à verbo, quod Hebraicè idem eſt, quòd maledico, execror, deteſtor, ut inquit D. Hieron. *ad Galat. cap. 1.* Sot. *in 4. diſt. 22. qu. 1. art. 1.* & conſtat ex *lib. Numer. cap. 21.* ubi poſtquam Hebræi deſtruxerunt loca Amorrhæorum, illa vocauerunt *Horma*, id eſt, *anathema*, & *Ioſue 16.* cum vellet Ciuitatem Iericho ſubuertere, dixit: *Sit Ciuitas hæc anathema*, id eſt, deteſtabilis, & execrabilis. Et quia excommunicatus maledicitur, & excluditur à communione fidelium, dicitur *anathema*, penultima correpta, id eſt, execrabilis, & odibilis. Sumitur etiam Græcè, & idem eſt ac *ſuſpendo*: & per hoc ſignificabantur dona ex voto in Templo Dei appenſa, ob memoriam accepti beneficij, & à profanis ſeparata. Conſtatque ex illo *Iudith. 16.* ubi Iudith vaſa Holofernis, & conopæum ipſius obtulit in templo in *anathema obliuionis*, nimiſum iniuriæ receptæ, & in memoriam beneficij à Deo ſibi collati. Et quia talia dona nemini ea licebat contingere, à contrario ſenſu excommunicatus dicitur *anathema* Græcè, penultima correpta: quia neminem licet cum eo communicare. Ita D. Auguſt. *lib. 4. quæſt. in num. cap. 40. & 41.* D. Thom. *in epiſt. ad Roman. cap. 9.*

*Quos effectus inducit excommunicatio.*

4. Igitur pœnæ, ſeu effectus, quos excommunicatio inducit, ſunt decem. Primus eſt priuatio ſuffragiorum communium Eccleſiæ. Secundus eſt priuatio tàm actiuæ, quàm paſſiuæ participationis Sacramentorum. Tertius priuatio rerum ſacrarum, & diuinarum. Quartus priuatio, & inhabilitas ad receptionem ordinum, & illorum uſum. Quintus, priuatio uſus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Sextus, inhabilitas ad exercendos actus legitimos in iudicio. Septimus, incapacitas ad conferenda beneficia Eccleſiaſtica. Octauus, incapacitas ad obtinenda beneficia Eccleſia-

ecleſiaſtica, & fructus illorum. Nonus, incapacitas ad obtinendum reſcriptum, ſeu priuilegium. Decimus, priuatio communicationis ciuilis, & forenſis cum alijs fidelibus. Quibus addi ſolet undecimus, quòd excommunicatus per integrum annum in excommunicatione perſeuerans ſit ſuſpectus de hæreſi. Duodecimus, quòd Ordinibus Sacris initiatus, ſi excommunicatus actum Ordinis exerceat, ſit irregularis. De quibus omnibus effectibus hoc cap. diuiſim pertractabimus.

*Quid ſit excommunicatio iuſta, vel iniuſta?*

5. Sed nunc inquires 1. An ſi excommunicatio ſit iniuſta, hos omnes effectus ſecum afferat? Pro reſolutione notandum eſt, excommunicationem eſſe iuſtam, quando à legitimo ſuperiore, ordine iuris ſeruato, propter graue delictum fertur. Iniuſta verò eſt, cui aliquid ex his deficit. Et eſt in duplici differentia: alia ita eſt iniuſta, quòd ſit valida: illa nimirum, quæ vel ex odio, irâ, aliavè paſſione fertur, vel in qua deficit aliqua ſolemnitas accidentalis in iure requiſita, ut quòd detur in ſcriptis, quòd non niſi trina monitione præmiſſa proferatur, &c. Alia ita eſt iniuſta, quòd ſimul ſit invalida: ut ſi non detur cauſa ſufficiens ex parte excommunicati, ſi non præcedat aliqua monitio, ſi iudex non habeat iuriſdictionem, vel eam ligatam quoad uſum habeat, &c. ¶ Igitur excommunicatio, quæ ita eſt iniuſta, ut ſit nulla, nihil operatur, nec ullum ex enumeratis effectibus producit tàm in foro externo, quam interno, ſi cauſæ nullitatis ſufficienter manifeſtentur; ita ut ſcandalum non ſequatur. Et tunc ſe gerere poteſt excommunicatus, ac ſi excommunicatus non eſſet: quia ſententia nulla non eſt ſententia; & quòd nulliter factum eſt, factum non cenſetur. *Clement. Paſtoralis, de re iudicata.* Ita Gutier. *Canon. qq. cap. 4. num.* 36. Auil. 2. *p. cap.* 6. *diſp.* 1. *dub.* 1. Dian. 5. *p. tract.* 9. *reſ.* 26. Nauar. *cap.* 27. *nu* 3. *in fin.* Si verò cenſura ſit valida, quamuis iniuſta, eoſdem operatur effectus, ac ſi iuſta eſſet, tàm in foro interiori, quàm exteriori: quia quantum ad eſſentialia non differt à iuſta, proindeque eoſdem parit effectus, ac illa. Ita Auctores citati.

*Quid ſi iudex in cauſa dubia ſententiam ferat.*

6. Inquires ſecundò: An ſi cauſa, ob quam lata eſt cenſura, dubia eſſet, vel probabilis pro utraque parte, & iudex ſententiam ferret contrà unam obligando eam ſub pœna excommunicationis, illa teneatur parere illi? Etſi ſecùs fecerit, talem cenſuram incurret? v. g. litigat Petrus, & Paulus coram Epiſcopo circà ſolutionem debiti, & aduocatus utriuſque probabiles rationes, & textus adducit ad perſuadendum; ita ut res ſit in dubio, an ſoluere, vel non ſoluere teneatur? & iudex ſententiam fert contrà Petrum, quòd teneatur ſoluere, & eum ſub excommunicatione ad ſolutionem obligat. Petruſne tenetur ad ſolutionem? Et ſi non ſoluat, excommunicatione ligabitur? Reſpondetur affirmatiuè, etiamſi advocatus illi dicat, ſibi iniuſtitiam eſſe factam, & ſic erit excommunicatus, tàm in foro animæ, quàm exteriori. Et ſi eſt Clericus, & in ſacris miniſtret, manebit irregularis: quia iudex in tali caſu ius habet ad determinandum unam, vel alteram partem: & cùm iuſtè, & legitimè procedat, tenetur unuſquiſque illi obedire. Aliàs cùm nunquàm detur euidentia, & præcipuè quandò aliquid in iudicio, ventilatur: quia ferè nunquàm aliquis litigare nititur, cognitâ iuſtitiâ alterius partis, nunquàm lites finirentur, nunquàm iudicis ſententiæ iuſtæ, & legitimæ haberent robur, ſuperfluaque eſſet iuriſdictio Eccleſiaſtica. Ita Vaſq. *de excommun. dub.* 11. *num.* 13. Soto *in* 4. *diſtinct.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ante* 2. *concl.* Auil. 2. *p. cap.* 6. *diſput.* 1. *dub.* 3. Dian. *tom.* 5. *tractat.* 9. *reſol.* 29. [Quod eſt valdè notandum (inquit ipſe) à iudicibus laicis, quandò excommunicantur ab Epiſcopis, licèt pro ſe habeant opinionem probabilem.] Sed hoc limitat benè Auila, quandò eſt dubium iuris, ſi verò eſſet dubium facti; quamdiu eſt dubium, tenetur parere iudici, quia ſemper pro ſuperiore eſt iudicandum. Si verò poſteà conſtaret, Petrum ad tale debitum non teneri, nec peccaret inobediendo, nec deberet ſe gerere ut excommunicatus: quia ſententia iudicis innixa fuit falſæ præſumptioni.

*Quod peccatum ſit violare cenſuram.*

7. Inquires 3. quod peccatum committat, qui excommunicatus cenſuram violat: contrà id, quod prohibet, operando? Reſpondetur, eſſe peccatum mortale violare cenſuras ex genere ſuo, niſi paruitas materiæ excuſet: quia eſt contrà præceptum de re graui, & ſub grauibus pœnis obligans: & ſic eſt credendum, grauiter velle ſuperiorem obligare per illud. Vndè, qui in officijs ſacris & ſpiritualibus cum excommunicato communicat, vel excommunicatus, qui eis ſe ingerit, grauiter peccant, non verò ſi in politicis, & ciuilibus; ſed regulariter tantum erit hoc peccatum veniale: quia hæc non reputatur grauia materia, ſicut illa. Quapropter comedere, ſalutare, confabulari cum excommunicato, &c. ſecluſo contemptu, non erit peccatum mortale; cum illo verò recitare, eum ſepelire, ipſum ad ſacra admittere, illius ſacrificio aſſiſtere, ab eo beneficia obtinere, ſi ſit vitandus, erit peccatum mortale. Ita communiter DD. Videantur D. Thom. *in addit. qu.* 23. *art.* 3. Suar. *diſp.* 16. *ſect.* 1. *num.* 9. Gibal. *diſq.* 8. *q.* 1. *nu.* 1. & è NN. Ioannes Bets *&* Gabr. à S. Vincent. *hic*, Lezana *verbo, excommun.* Cornejo *hic*, Anton. *de cenſuris diſp.* 2. Stephan. à S. P. *de Sacram. diſput.* 5. *num.* 267. *& ſeq. &c.*

*Non committit duplex peccatum frangens præceptum ſub cenſura prohibens.*

8. Qui verò delinquit contrà præceptum continens cenſuram, non committit duplex peccatum; ut ſi ſub motiuo iuſtitiæ prohiberetur furtum ſub cenſura, & aliquis furaretur, unum dumtaxat peccatum committeret: quia tunc ſolum lædit iuſtitiam, & illa inobedientia contrà præceptum ſub cenſura prohibens, non induit ſpecialem malitiam, niſi quæ in ipſa iniuſtitia imbibitur. Ita Palaus *diſp.* 1. *punct.* 7. *nu.* 16. Auil. 2. *par. cap.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 11. Laym. *lib.* 1. *tractat.* 5. *p.* 1. *cap.* 5. *num.* 1. Hurtad. *de cenſur diſſ.* 17. *num.* 73. Secùs dicendum eſſet, ſi præceptum illud ex alio motiuo extrinſeco, furtum prohiberet, uti eſt præceptum prohibens furtum in loco ſacro ob motiuum Religionis, quia tunc duplex committeret peccatum in confeſſione detegendum, ob duplicem ſpecie malitiam in tali actu repertam; non quia præciſè eſſet contrà præceptum ſub cenſura prohibens; ſed quia ex diuerſo motiuo: quod generale eſt omnibus præceptis.

## PVNCTVM II.

### *Qui dicantur excommunicati tolerati; qui verò vitandi? Et quales ad hoc requirantur conditiones?*

*Quis excommunicatus vitandus? Et quis tolerandus?*

9. PLures ex effectibus excommunicationis dependent ex hoc, quod ſit excommunicatus vitandus, vel non vitandus, qui dicitur toleratus. Quarè antequam ad illos explanandos deueniamus: quia ibi paſſim de vitandis, vel non vitandis excommunicatis loquemur, placuit modo aperire utriuſque conditionem. Pro quo ſciendũ eſt, quod licet olim omnes excommunicati eſſent vitandi; hac proportione quod ſi publicè eſſent excommunicati, publicè vitandi eſſent, ſi ſecretò, ſecretò, modo vero poſt conſtitutionem Concilij Conſtantienſis, quæ incipit: *Ad euitanda ſcandala*, quam approbauit, & confirmauit Martin V. *in extrauag. Ad euitanda*, ſolum nominatim excommunicati, & denunciati, & notorij percuſſores Clericorum ſunt vitandi, reliqui tolerati. Et quamvis decretum hoc in exemplaribus, quæ modo extant, non reperiatur, ſatis eſt, quòd fuerit ſcriptum, & à Martino V. editum, ut ab omnibus amplectatur, quod communi Eccleſiæ plauſu, uſu, & conſuetudine eſt receptum. Sed illius fideliſſimus teſtis, quòd extiterit, eſt D. Antonin. 3. *p. tit.* 26. *c.* 3. qui vixit circa tempora illius Concilij, & affert huius decreti teſtes oculatos, illud de verbo ad verbum recitans, quod etiam præſtat Sot. *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 5. Gibal. *diſq.* 6. *q.* 1. *num.* 9. ex quibus fideliter tranſcriptum ſic ſe habet.

*Decretum Concilij Conſtantienſis.*

10. *Ad euitanda ſcandala, & multa pericula, quæ conſcientijs timoratis contingere poſſunt Chriſti Fidelibus, tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, vel alijs quibuſcumque diuinis, vel extrà, prætextu cuiuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententia, vel cenſura eiuſmodi fuerit in vel contrà perſonam, Collegium, Vniuerſitatem, vel locum certum, aut incertum à iudice publicata, vel denunciata ſpecialiter, vel expreſſè. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & alijs in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque; ſalvo, ſi quem pro ſacrilega manuum iniectione in Clericum, ſententiam latam à Canone adeò notoriè conſtiterit incurriſſe, quòd factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari: nam à communione illius, licèt denunciatus non fuerit, volumus abſtineri iuxtà Canonicas ſanctiones. Per hoc tamen huiuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos, ſeu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.*

*Duo ſunt excommunicatorum genera qui debent vitari.*

11. Secundum iſtud decretum duo tantum genera excommunicatorum, qui vitandi ſunt, reperiuntur. Primum illorum, qui ſunt nominatim excommunicati, & denunciati. Secundum illorum, qui notorij, & publici ſunt Clericorum percuſſores. Reliqui verò ſiue excommunicati ſint à iure, vel ab homine, ſiue publicum ſit, eos eſſe excommunicatos, ſiue ſecretum, non tenemur, nec in publico, nec in ſecreto eos vitare; ſed communicare licitè poſſumus cum eis, tàm in rebus ſacris, quàm in politicis. Quarè in Gallia, Anglia, Germania licitè Catholici cum Hæreticis communicant; quamvis notorium ſit eos ob hæreſim eſſe anathematizatos; nec ex vi præcepti cenſuræ tenentur eos euitare. Ità D. Antonin. Soto, Gibalin. ſupra citati, Caiet. 2. 2. *q.* 12. *art.* 2. Turrecremat. 2. *p. ſumm. Eccleſiaſt. cap.* 100. Aragon. 2. 2. *q.* 10. *art.* 9. Nauarr. *in Manual. in ultima impreſſione, cap.* 9. *n.* 8. & *cap.* 27. *num.* 35. ubi mutat ſententiam, quam olim tenuerat Auil. 2. *p. cap.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 2. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 2. Suar. *diſp.* 9. *ſect.* 2. *n.* 5. Coninch, *diſp.* 14. *dub.* 2. *num.* 9. Sanch. *lib.* 2. *ſumm. cap.* 9. *à num.* 3. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 4. *num.* 5. Gutierr. *Canonic. qq. cap.* 1. *num.* 14. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. Cornej. *diſp.* 3. *de excomm. dub. ultim.* Enriq. *lib.* 13. *cap.* 9. *n.* 1. & 3. N. Anton. *diſ.* 2. *de cenſuris, ſect.* 2. & cum Lezana, Stephan. *num.* 266. Diximus ex vi præcepti cenſuræ neminem teneri excommunicatum vitare: quia ut notat Auila, & Soto aliundè ex iure diuino, & naturali poſſet ad id obligari; ut ſi eſſet periculum, quòd ab eo inficeretur, ſi ſcandalum ſequeretur, ſi ex ſubſtractione ab illius communicatione, ſpes eſſet, quòd confuſus reſipiſceret.

*Difficilis obiectio proponitur.*

12. Sed eſt contra modo dicta difficilis obiectio: quod Concilium Baſilienſe, quod celebratum eſt poſt Conſtantienſe, recepit dictum decretum Concilij Conſtantienſis, & illud reſtrinxit: additque, quod vitandi ſunt omnes notoriè excommunicati, quacumque ex cauſa eſſent excommunicati: ergo non ſolum ſunt vitandi, qui nominatim ſunt denunciati, & publici percuſſores Clericorum, ſed omnes, quorum excommunicatio eſt notoria, ut ſunt publicè hæretici, ſimoniaci, uſurarij, &c. Maximè, quia ea, quæ in hoc Concilio decreta ſunt circa cenſuras Eccleſiaſticas, fuerunt approbata à Nicolao V. in quadam Bulla, quæ poſt Concilium Baſilienſe habetur in *tom.* 2. *Conciliorum*. Ratione huius argumenti aliqui grauiſſimi Doctores tenent, ſtandum eſſe decreto Concilij Baſilienſis; proindeque eſſe vitandos publicè excommunicatos, etiamſi nominatim non fuerint excommunicati, & denunciati, nec publici percuſſores Clericorum.

*Soluitur propoſita obiectio.*

13. Reſpondetur ad hanc obiectionem. Primò, quòd quando Concilium Baſilienſe aſſerit, notoriè excommunicatos eſſe vitandos, loquitur de illis, de quibus in *Conſtitutione Ad euitanda*, Concilium Conſtantienſe fuerat locutum: nimirùm de notoriè percuſſoribus Clericorum: & ſic in nihilo reſtrinxit Concilium fauorem in dicta conſtitutione conceſſum. Hanc reſponſionem approbat Auila, & ſibi ſufficiens videtur. ¶ Secundò, & meliùs, reſpondetur cum Turrecremata, qui interfuit Concilio Baſilienſi, quòd factum fuit illud decretum poſt ſchiſma Concilij: & ſic nullum habet robur, aut auctoritatem. Quapropter omnia, quæ acta ſunt in tali Concilio, poſtquàm illegitimè erat congregatum, reuocata ſunt ab Eugenio IV. exceptis aliquibus decretis, inter quæ non continetur illud de cenſuris. Et quando Nicolaus V. approbauit Concilium Baſilienſe quantum ad cenſuras, intelligendum eſt de abſolutionibus ibi factis à quibuſcumq; cenſuris; non de decreto circa cenſuras ibi facto.

¶ Tertiò, reſpondetur cum Palao, & Gibal; & alijs, quòd licèt à principio tale decretum habuiſſet auctoritatem iam per conſuetudinem contrariam legitimè introductam eſt abrogatum: quarè ſtandum eſt potiùs in hac re decreto Concilij Conſtantienſis: quod licet ab initio non fuiſſet legitimum (ut aliqui volunt) vel tale decretum in exemplaribus non extet, & non approbatum eſſet à Martino V. (de quo aliqui dubitant) ſufficit, quòd communi plauſu, conſuetudine, & praxi Eccleſiæ ſit approbatum, receptum, & practicatum, ut illi ſtandum ſit, non verò decreto Concilij Baſilienſis. Ità Doctores, *num.* 15. relati.

*Alia obiectio, & ſolutio illius.*

12. Sed objicies, quòd ſaltem ex iure diuino tenemur euitare quemlibet excommunicatum publicum, maximè ſi ſit hæreticus; ergò ſtandum eſt decreto Concilij Baſilienſis id præcipientis, utpotè iuri diuino magis conſormi. Probatur antecedens ex illo Matth. 18. *Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquàm ethnicus, & publicanus*, ad Titum 3 *Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correptionem devita. Et in epiſtol.* 2. Ioann. *Nolite enim in domum recipere, nec AVE ei dixeritis.* ¶ Reſpondetur, hanc obiectionem probare, quod diximus *num.* 11. in fine: non quia ſit ex iure diuino aliquis, aut excommunicatus, aut vitandus; aliàs omnis inobediens, & pertinax eſſet hoc ipſo excommunicatus, quod nemo dicet; ſed per modum conſilij nobis iniungitur, quòd ab ijs, qui inobedientes ſunt, fugiamus, ut ipſi confuſi reſipiſcant, & nos contagionis periculum euitemus. Quarè ex vi præcepti cenſuræ non habetur talis euitatio præcepta, ſed vel ex lege charitatis, vel Religionis, quandò imminet contagionis periculum, vel ſperatur ex tali ſeparatione emendatio. His tamen præciſis, nullum eſt præceptum euitandi tales homines, etiamſi ab Eccleſia ſint publicè excommunicati.

*Quis dicatur nominatim excommunicatus.*

13. Sed inquires, primò, quis dicatur nominatim excommunicatus, quem euitare ex vi præcepti cenſuræ debemus? Reſpondetur, quòd ille, qui expreſſo nomine proprio, vel aliquibus ſignis, quæ ſufficienter ipſum declarent, excommunicatur, ut ſi dicatur: *Excommunico Prætorem Salmantinum.* Et ita debet perſona declarari, ut nulla dubitatio circà eam poſſit ſuboriri. Ex quo fit, quòd ſi ſint duo eiuſdem nominis vel officij, ut duo iudices ordinarij, *dos Alcaldes*, debet illi exprimi ſub particularibus notis, ita ut dubium non maneat, Soto *in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4.* Auila 2. *part. cap. 6 diſp. 2. dub.* 3. Nec ſufficit, quòd nominatim excommunicetur, ut ſit vitandus; ſed quòd publicè denuncietur, ſeu declaretur excommunicatus, propter verba illius conſtitutionis *Ad euitanda*, ibi: *Niſi ſententia, vel cenſura eiuſmodi fuerit à iudice publicata, vel denunciata ſpecialiter, vel expreſsè*, Gibal *diſq. 6. q 1. n.* 18. Suar. *diſp. 9 ſect* 2. *n.* 8. Conin. *n.* 10. Syluest. *verb. Excommunicatio 5. num.* 24. Couar. *cap. Alma mater, p. 1. §. 6. n.* 7. Quarè, qui à iure excommunicatus eſt, ſufficit, quòd ab homine denuncietur talis, ut debeat euitari. ¶ Hæc autem denunciatio, non ſufficit ſi fiat in Conſiſtorio iudicis coram litigantibus; ſed in loco publico debet fieri tempore Miſſæ maioris, vel concionis, vel quòd chatta affigatur in publico loco, vel ſecundum Regionis conſuetudinem, Auil. *loc. cit. concl.* 3. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 4. *num.* 6. Coninch, *diſp.* 14. *dub.* 2. *num.* 9. Hurtad. *diſp.* 2. *diff.* 3.

*Requiritur, quod excommunicatus citetur.*

14. Sed notandum eſt, primò, quòd ante denunciationem debet prius citari, ut ſe defendat, pro ſe loquatur, qui eſt excommunicatus à iure; niſi aliàs delictum ſit publicum, & notorium. Vndè nullus denunciari poteſt excommunicatus niſi per ſuum Superiorem. Quarè licet Religioſus exemptus crimen committat, ob quod à iure excommunicetur, denunciari non poteſt ab Epiſcopo, qui non eſt iudex illius: à quo proinde citari non poteſt. ¶ Notandum eſt 2. quod ſi quis declaratus incurriſſe excommunicationem, appellauerit intrà terminum legitimum à tali denunciatione, poteſt ſe gerere, ut non excommunicatus denunciatus, quantum ad hoc, ut alij poſſint cum ipſo communicare, & non teneantur illum vitare, Gibal. *diſq. 9. q. 1. n. 19. in fin.* Bonac. *diſp. 1. q. 2. pu.* 2. *n.* 7. Diana 5 *p. tract. 9. reſol.* 30. Auil. *p. a. cap.* 5. *diſp. 5. dub. 11. concl.* 2. ubi ſic ait: [Appellatio ſuſpendit declarationem excommunicationis, v.g. iudex declarat, me incurriſſe excommunicationem latam ab homine, vel à iure. Ego appello à declaratione allegans, quòd non feci id, propter quod impoſita eſt talis excõmunicatio, vel quòd factum eſt dubium, talis appellatio ſuſpendit declarationem: Vndè talis denunciatus non eſt vitandus poſt appellationem. Sic Nauar. *conſ.* 22. Addit Nauar. *conſ.* 20. quòd licet à facto vero notorio non poſſit appellari; tamen à ſententia iudicis declarantis factum eſſe notorium poteſt appellari, quia iudex poſſet hoc iniuſtè declarare.]

*Quid ſi publicetur crimen, cui annexa eſt excommunicatio.*

15. Sed quid dicendum eſſet, ſi aliquis damnatus, denunciatus, & publicatus eſſet, quòd commiſerit crimen, cui annexa eſt excommunicatio; ut ſi condemnatus eſſet de hæreſi, &c. Sufficeret hoc; ut vitari debeat, ſi non expreſsè declaratus ſit excommunicatus? Duplex datur ſententia, utraque probabilis prima affirmatiua; quia hoc ipſo, quòd declaretur, crimen commiſiſſe, cui annexa eſt excommunicatio, per conſequentiam legitimam declaratur, ipſum incurriſſe excommunicationem. Ità Auila *hic n.* 13. *cit.* Villalob. *tract.* 17. *diff.* 3. *n.* 4 Enriq. *lib.* 13. *cap.* 15. *num.* 4. Suarez *diſp* 9. *ſect* 2. *n* 10. Sayr. *lib.* 2 *cap.* 12. *n.* 20. ¶ Secunda eſt negatiua (& verior) niſi expreſsè denuncietur excommunicatus; quia in *Concilio Conſtantienſi*, & in *Extrauagante ad euitanda* Martini V. dicitur, neminem eſſe euitandum, niſi de cenſura contrà eum lata fuerit denunciatus ſpecialiter, & expreſsè: ſed quandò declaratur tantummodò, crimen incurriſſe, non denunciatur ſpecialiter, & expreſsè excommunicatus, ſed per quamdam conſequentiam, & virtualiter: ergò, &c. Vndè cum hoc decretum in fauorem animarum dimanauerit, extendendum potius eſt, & in proprio ſenſu intelligendum, ita ut accipiatur de expreſſa, & formali declaratione cenſuræ, quàm reſtringendum, ut intelligatur de tacita, & virtuali. Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 1. cap* 10. *num.* 118. Sanch. *in ſumm. tom. 1 lib. 2. cap. 9. num.* 4. Diana *reſol.* 62. Palaus *num.* 6. Alterius *tom. 1. lib. 1 diſp.* 6. *cap.* 2. Bonacin. *diſp. 2 quæſt. 2. punct. 1. §. 1. num.* 1. qui hoc dicit probabiliſſimum. Leand. *tract.* 2. *diſp. 2. de excomm. qu.* 8. N. Anton. *ſuprà citat. num.* 255. Gibalin. *num.* 19. Qui addit cum Sanch. non ſufficere, ſi declaretur in genere reum incurriſſe omnes illius criminis pœnas, vel

cen-

cenſuras, niſi in ſpecie eum eſſe excommunicatum denuncietur: quia in dicta *extrauaganti* petitur, quòd ſpecialiter, & expreſsè publicetur excommunicatus.

*Quis dicatur notorius percuſſor Clerici?*

16. Secundò inquires: Quis dicatur notorius percuſſor Clerici? Reſpondetur, quòd licet olim antè Conſtantienſe Concilium ſufficeret notorietas iuris, ſcilicet per confeſſionem rei in iudicio, vel per ſententiam iudicis, nunc non ſufficit, niſi detur notorietas facti, ut aliquis vitandus iudicetur: ita ut factum ipſum non poſſit tergiverſatione ulla celari: quia in dicta extrauaganti habetur: *Sententiam latam à Canone adeò notoriè conſtiterit incurriſſe, quod factum nulla poſſit tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari.* Ità Aragon. 2.2.*quæſt.*10. *art.*9. *column.*7 Auil 2. *part. cap.*6. *diſp.*2.*dub.*4.*in fin.* Suarez *diſp.*9 *ſect* 2.*num.*11. Bonacin.*hic cit.num.*3. Cordub.*ſumm. quæſt.*187.*pu.*4 *in fin.* Palaus *num* 7. Conineb, *dub.*2. *num.*51. N.Stephan. *n.*266. ¶ Et ex clauſula Concilij modo adducta infert Auil.*ſupr.* Cœleſtin. *in compendio Theolog. Moral. tract* 3.*cap.*9.*diff.*3. referens Couarruu & Fagundez, & Dian. *reſol.*61. non eſſe vitandum percuſſorem Clerici etiam publicum, niſi etiam detur notorietas iuris per illius confeſſionem in iudicio, vel per iudicis ſententiam: quia ad hoc neceſſe eſt, quòd nulla tergiverſatione, nullovè ſuffragio poſſit crimen celare. Sed antè iuris notorietatem modo dicto poteſt reus dicere, ſe in defenſionem percuſſiſſe, ſe ebrium eſſe, quando id fecit, ſe ignoraſſe tali facto cenſuram eſſe annexam, aliovè ſuffragio, & tergiverſatione crimen celare: ergò, &c. *quamobrem, rarò continget, percuſſionem Clerici, ita notoriam eſſe facto, ut non poſſit aliquo iuris remedio, aut probabilitate aliqua excuſari*, verba ſunt Dianæ *loc. cit.* quem ſequitur N. Anton. à Spiritu ſancto *num.*258. ubi conſuli poterit.

*Requiritur notorietas iuris, & facti.*

17. Itaque requiritur notorietas iuris modo dicto, & etiam facti, & tunc datur notorietas facti, quandò ad maioris partis viciniæ, Collegij, aut Monaſterij notitiam crimen deuenit, ſi in illis ſint decem perſonæ, quæ communitatem facere poſſunt: vel creditur, mox venturum crimen ad maioris partis notitiam. Quarè ſi ego videam Petrum percuſſiſſe Clericum, etiamſi hoc fuerit coram quatuor teſtibus, aut quinque, non teneor illum vitare: quia licet mihi ſit manifeſtum crimen, non tamen eſt notorium. Auil. Aragon, Palaus, Conineb, *ſuprà cit.* Couarruu. *cap. Alma mater part.*1. § 2.*num.*7. Hurtad.*diſp.*2. *diff.*2. *in fin.* Bonac. *ſuprà cit. num.*7. Leand.*diſp.*2.*de excommun. quæſt.*13. Imò in magnâ ciuitate non ſufficit, ſi coram quatuordecim teſtibus delictum ſit commiſſum: nec requiritur, ut coram maiori parte; quia hoc ferè eſſet impoſſibile; ſed arbitrio prudentum id relinquitur, attenta qualitate teſtium, tempore, loco, &c. Hurtad. *diſp.*2. *diff.*3. Nauarr. *cap.*25.*n.*73. Bonacin.*n.*6. ¶ Sufficit, autem ſama communis à fide dignis orta, quæ planè, & integrè probetur: quia præſtat moralem certitudinem quæ in his rebus moralibus pro ſufficienti iudicatur. Palaus *n.*8. Hugol.*tab.*2 *cap.*23.§.10.*n.*2. Sayr.*lib.*2.*cap.*12.*n.*22. Gibalin.*diſq.*7.*q.*1.*n.*1. Bonac.*n.*9.

*Qui in uno loco eſt denunciatus, non eſt vitandus, ubi eſt occultus.*

18. Sed rogabis: An qui in uno loco eſt denunciatus, excommunicatus, vel notorius percuſſor Clerici, debeat evitari in alio, in quo eſt ſecreta talis excommunicatio, aut crimen? Aliqui affirmant. Tum: quia in dicta *extrauaganti. Ad euitanda* præcipimur euitare excommunicatum publicè damnatum, vel notorium Clerici percuſſorem; nec reſtringit præceptum ad locum publicationis, vel percuſſionis. Et ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Tum etiam: quia denunciatio afficit perſonam, eamque ſemper comitatur. Ità Enriq.*lib.*13 *cap.*24.*n.*1. Vaſq. *de excomm.dub.*8.*n.*2. Bonac.*diſp.*2.*quæſt.*2.*punct.*6. §.2. *n.*48. ¶ Verius tamen dicendum eſt, non eſſe vitandum. Primò, quia excommunicatus publicus in uno loco, in alio non eſt talis. Atqui Concilium dicit, non eſſe vitandum, niſi qui publicus eſt, vel per denunciationem, aut Clerici percuſſionem: ergò intelligendum eſt, quòd ibi cuitetur, ubi eſt publica cenſura, & delictum. Secundò, quia Concilium intendit euitare ſcandalum, quòd ex tali communicatione orietur: huius tamen minimè eſt periculum, ubi non eſt notorium, & denunciatum, & quamuis denunciatio perſonam afficiat, eſt reſpectu illorum, in quorum notitiam deuenit. Quarè ubi non datur talis notitia, nec in publico, nec in ſecreto tenemur eũ euitare. Quidquid ſit, an ſecreto poſſimus euitare illum, & ab eius communicatione recedere. Palaus *n.*9. Sanch *lib.*2 *ſumm.cap.*11.*num.*20. & ex parte Auil.2.*part.cap* 6. *diſp.*11. *dub.*12. Gibalin. *diſq* 9 *quæſt.*1.*n.*23. Diana 5.*part. tract* 9.*reſ.*134. citans Layman. & Præpoſituo.

*Dicta intelligenda de interdictis, & ſuſpenſis.*

19. Quæ hucuſque dicta ſunt de excommunicato vitando, vel non vitando, intelligenda ſunt de interdicto, & ſuſpenſo in illis rebus, in quibus vi interdicti, aut ſuſpenſionis, prohibetur communicare cum alijs. Quia dum non ſunt denunciati, poteſt quis communicare cum illis, ac ſi ſuſpenſi, aut interdicti non eſſent: quia Concilium de impeditis tàm per excommunicationem, quàm per quamcumque ſententiam, aut cenſuram loquitur, ut conſtat ex eius verbis adductis *n.*10. Ità Gutierr.*canonic.qq.cap.*1 *num.*43. Gibalin.*n.*15. Palaus *punct.*5 *num.*8. Sayr.*n.*21. Caiet. 3.*part. quæſt.*82. *art.*9. Auila 2.*part. cap.*6. *diſp.*2. *dub.*5. Qui in fine illius dubij addit, idem dicendum eſſe de irregulari: quòd ſi non ſit denunciatus, non eſt vitandus. Ideoque poſſe fideles à Parocho, qui publicè homicida eſt; non tamen denunciatus, petere, & recipere ſacramenta. Tum: quia Concilium tàm de impeditis per cenſuram, quàm per quamcumque ſententiam loquitur. Tum etiam: quia iam non poſſet quis bis Miſſam ab excommunicato tolerato audire, vel cum illo confiteri: ſiquidem per primam Miſſam, aut abſolutionem ille incurreret irregularitatem; pluriniſque pateret aditus ſcrupulis, quibus occurrere nititur Concilium per ſuum decretum fauorabile conſcientijs.

*Excommunicati tolerati cum alijs communicare non poſſunt.*

20. Tertiò inquires: An ipſi excommunicati, poſſint communicare cum alijs, ſe ingerere ad hoc, vel in diuinis, vel in humanis, quamdiù ſunt tolerati? Reſpondetur negatiuè, etiamſi ſecretò fuerint excommunicati: quia in *cap. Cum non ab homine, cap. Cum deſideres, de ſententia excommunicationis,* Id prohibetur illis: ſed per extrauagantem, *ad euitanda* ex Concilio Conſtantienſi, & Martino V. id ipſis non permittitur, ut conſtat ex illius verbis: *Per hoc tamen ipſos excommunicatos, ſuſpenſos, aut interdictos, aut prohibitos non intendi-*

*mus in aliquo releuare, aut quomodolibet ſuffragari:* ergò, &c. Ità Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 9. *num.* 53. Coninch, *diſp.* 4. *dub.* 2. *in fin.* Hurtad. *diſp.* 2. *de excomm. diff.* 4. Gibalin. *num.* 11. & 24. Cornej. *diſp.* 10. *de excommunic. dub.* 6. ¶ Hinc oritur grauis difficultas: An licitè poſſit quis abſque neceſſitate communicare cum huiuſmodi excommunicatis toleratis, in diuinis, vel humanis? Et ratio dubitandi eſt; quia excommunicatis eſt prohibita omnis communicatio cum fidelibus: ergò etiam fidelibus erit prohibita omnis communicatio cum illis: maximè ſi fiat abſque neceſſitate; aliàs illorum peccato cooperarentur.

*Licitè fidelibus cum toleratis communicare.*

21. Circa quam difficultatem eſt certum, licere fidelibus cum excommunicatis toleratis communicare (adhùc præciſa neceſſitate) in rebus politicis, & humanis, ac ſi excommunicati non eſſent. Quia ſi in ſolo caſu neceſſitatis id licitum foret, nullus eſſet fauor Concilij, & extrauagantis Martini V. quia in caſu neceſſitatis licèt cum non toleratis communicare: nec ſatis prouideret Concilium conſcientijs fidelium, ne agitarentur ſcrupulis, ſi ſolum in caſu neceſſitatis talem communicationem concederet. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 5. *num.* 2. Coninch, *diſp.* 14. *dub.* 3. *conclus.* 1. Hurtad. *loc. cit.* ¶ Idem dicendum eſt de communicatione in diuinis, ſi non excommunicatus excommunicatum ad eam non inducat: quia illi ex vi cenſuræ nulla communicatio prohibetur; aliàs non eſt cauſa, ut cum illo excommunicatus communicet: ergò ex nullo capite delinquit. Palaus, & Coninch, *ibi concl.* 2. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. Imò etiam ſtante neceſſitate, vel ſpeciali utilitate, poteſt excommunicatum inducere, ut Miſſam celebret, Sacramenta miniſtret: ut ſi alium non inueniret, qui æquè benè hæc beneficia ſibi præſtaret. Nec ex hoc ſequitur, ipſum inducere excommunicatum ad peccandum: quia utitur iure ſuo, non inducens ad actum malum intrinſecè, ſed qui honeſtè fieri poterat: nec illicitam ſacramentorum adminiſtrationem perſuadet; ſed ad id, quòd licitum eſt, quamuis illicitè fiat ex improbitate miniſtri. Et hoc, licèt probabiliter timeat, ipſum illicitè miniſtraturum: quia ad hoc non concurrit, ſed ad adminiſtrationem Sacramenti, quæ licitè fieri poterat. Cornej. *diſp.* 10. *dub.* 3. Suarez *diſp.* 11. *ſect.* 1. *num.* 15. Palaus *num.* 3. Conin. *concl.* 3.

*An poſſint fideles abſque neceſſitate in diuinis communicare cum toleratis?*

22. Sed difficultas eſt, an peccet, qui excommunicatum toleratum inducit (abſque neceſſitate, vel ſpeciali utilitate, vel abſque eo, quòd utatur iure ſuo poſtulando actionem, ad quam ex munere ſuo excommunicatus tenetur) ut ſacrum celebret, ſibique Sacramenta miniſtret, vel cum illo recitet? Duplex circa hoc verſatur ſententia. Prima aſſerit peccare: non quia contra præceptum cenſuræ agat, quia ab illo eximitur per dictum decretum Concilij, ſed quia agit contra Religionem, & charitatem inducendo alium ad actum, quem licitè facere nequit. Niſi aliàs ille eſſet paratus tales actiones exercere; quia tunc ſicut ceſſaret inductio ad malum: ita peccatum, quòd ſolum eſt tale ex hac parte; vel niſi alius ex munere ſuo ad tales actiones teneretur: ut ſi, ſi eſſet Parochus; cui incumbit, ſacramenta ſubditis miniſtrare: quia tunc utitur iure ſuo, nec rem illicitam petit, ſed quæ ab alio illicitè fit; fieri tamen poſſet ſecundum ſe licitè. Ità Baſil. Pontius *de matrimon. lib.* 5. *cap.* 18. §. 9. Valent. *tom.* 4. *diſput.* 7. *quæſt.* 11. *punct.* 3. Auil. 2. *part. cap.* 6. *diſp.* 8. *dub.* 1. Suarez *diſp.* 11. *ſect.* 4. *num.* 10. Coninch, &c.

*Abſque peccato poſſunt fideles communicare cum toleratis.*

23. Secunda, & verior ſententia dicit, non peccare fidelem petentem ab excommunicato tolerato ſacramenta, aliaſvè actiones ſacras, in ſuam utilitatem exercendas, nec contra præceptum cenſuræ, nec contra aliud quodcumque; ſiuè ille paratus eſſet, ſiuè non, ſiuè magna intereſſet utilitas, ſiuè nulla, ſiuè ad hoc ex munere ſuo teneretur, ſiuè non: quia Concilium Conſtantienſe, & Martinus V. *in ſua extravaganti*, *Ad euitanda* concedit fidelibus communicationem tam in rebus diuinis, quàm humanis cum excommunicato tolerato, ac ſi talis non eſſet: ſed ſi ex Religione, aut charitate à tali communicatione deberent abſtinere fideles, nihil fauoris, aut gratiæ concederet illis Eccleſia: ergò, &c. Quarè dicendum eſt, quòd Eccleſia concedendo fidelibus, quòd licitè cum toleratis communicent, etiam indirectè conceſſit ipſis excommunicatis, quòd in his rebus, (dummodo à fidelibus petantur) cum illis communicent: quia ridiculum videretur, fidelibus concedere facultatem communicandi cum excommunicatis, ſi ipſis non concederet facultatem communicandi cum illis. Quia, ut loquitur Panormitanus *in cap. Quia Clerici de iure Patronatus, num.* 7. prohibito uno correlatiuo, prohibetur, & aliud, ſimili exiſtente ratione: ergò è contra conceſſo uno correlatiuo, aliud concedi cenſetur: cum ergò communicatio mutua, ex utraque parte ſit correlatiua, Concilium concedens fidelibus, ut cum excommunicatis communicare poſſent, excommunicatis indulſit, ut poſſent cum alijs communicare, illis petentibus. Nec per hoc directè releuat in aliquo excommunicatos, ſed indirectè, & per accidens. Ità Cornej. N. *diſp.* 10. *de excomm. dub. ult.* §. 1. *quæſt.* 2. Palaus *num.* 5. Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 9. *num.* 8. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 6. & 10. Diana *reſol.* 88. & 133. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. *concl.* 1. Hurtad. *ſuprà cit.* Sayr. *num.* 10. Gibalin. *num.* 13. Bonac. *punct.* 2. §. 3. *num.* 4. Alterius *libr.* 1. *diſput.* 27. *cap.* 2.

## PVNCTVM III.

### *De primo effectu excommunicationis, qui eſt priuatio adminiſtrationis actiuæ Sacramentorum, & Miſſæ celebrationis.*

*Peccat excommunicatus Sacramenta miniſtrando.*

24. CErtum eſt apud omnes in hoc puncto, prohibitam eſſe excommunicato, ſiuè toleratus ſit, ſiuè non, adminiſtrationem Sacramentorum, & Miſſæ celebrationem: peccareque mortaliter quodlibet ex his exercendo, niſi in caſibus, in quibus dicemus hoc puncto excuſatum eſſe: quia ita prohibetur illis in *cap. Si celebrat. de Clerico excommunicato miniſtrante*, & alijs iuribus; & cum ſit res grauiſſima, & ſub graui pœna prohibita, non poteſt non grauiter obligare. Sed hæc prohibitio non ita ſtrictè accipienda

pienda eſt, quòd non ſolùm illicitè, ſed inualidè excommunicatus ſacramenta adminiſtret. Nam reliqua omnia præter Matrimonium (de quo eſt aliqua controuerſia à nobis deciſa *Tract. de Matrimon.cap.3.punct.4.n.46.* ubi diximus, validum eſſe matrimonium, cui Parochus excommunicatus, etiam vitandus aſſiſtit) & præter Pœnitentiæ Sacramentum (de quo erit ſermo ſtatim *n.28.*) valida eſſe; etiamſi ab excommunicato vitando conferantur, ferè omnes concedunt. Ità D. Thom.3.*part.quæſt.64. art.9. ad* 3. Auila 2.*part. cap.1.diſp.3.dub.*1.Bonac.*quæſt.2.punct.2.*§.3.*n.*1. Palaus *diſp.2. punct.8. num.*1. è N.N.Cornejo *de excomm.diſp.*10.§.1. N. Gabriel. *hic*, Stephanus à S.Paulo *n.*267. Anton. *n.*291. Et ratio eſt: quia concurrunt omnia eſſentialia ad ſacramentum: nimirum materia, forma, & intentio miniſtri: in eoque poteſtas ordinis per characterem, quæ licet impediatur ab Eccleſia, quo minus licitè exerceatur, non verò quò minus abſolutè poſſit exerceri.

*Sacramentum Pœnitentia inualidè ab excommunicato miniſtratur.*

25. Sicut eſt certum, reliqua Sacramenta præter Pœnitentiam, eſſe valida, ſi ab excommunicato vitando conferantur; ità certum eſt, Sacramentum Pœnitentiæ ab ipſo conceſſum eſſe nullum: ac proinde, integrè repetenda eſt confeſſio ab eo, qui ab excommunicato vitando eſt abſolutus; etiamſi cum ignorantia talis excommunicationis ad eum acceſſerit. Si verò cum notitiâ illius, & ſcientia prohibitionis communicádi in rebus ſacris cum huiuſmodi excommunicatis, illi confeſſus eſt, præter repetitionem confeſſionis tenetur hoc nouum peccatum confiteri, ſicut qui malè diſpoſitus ad hoc accedit Sacramentum. Ratio verò, quare ſit nullum Sacramétum Pœnitentiæ ab excommunicato vitando impertitum, ea eſt: quia ad hoc Sacramentum non ſufficit poteſtas Ordinis, ſicut ad alia; ſed requiritur iuriſdictio, *capit. Omnis utriuſque ſexus, de Pœnitentijs & remiſſionibus.* Sed excommunicatus vitandus, vel nullam iuriſdictionem habet, vel eam impeditam, & ligatam, *cap. Ad probandam, de ſententia, & reiudicata, cap. Romana, de officio Vicarij in* 6. qui textus etſi loquantur de iuriſdictione contentioſa; etiam de voluntaria intelliguntur communiter: ergò, &c. Palaus *num.*2. Suar. *diſp.*21.*ſect.*2. *num.*12. Auila 2.*part. cap.6.diſp.3. dub.*1.*concl.*3. Couarr. *cap. Alma mater, part.*1. §.6. *num.7. concl.*7. Coninch, *diſp.*14.*dub.*5.*per totum*, Cornej. *diſp.*10. *de excomm.* §.1.*dub.* 5. Bonacin. §.4. *num.*1. Enriq. *lib.*13. *cap.*3. *num.*2. Anton. à Spir.S. & Steph. *loc. cit.* quod ſimiliter intelligendum eſt de confeſſione facta de venialibus, quæ etiam eſt nulla: ſiquidem etiam hæc aliquam iuriſdictionem requirit, quam concedit Eccleſia omnibus Sacerdotibus, & à qua excommunicatos etiam priuat.

*Quædam limitatio præcedentis doctrinæ.*

26. Sed limitant prædictam doctrinam Cornejo, Palaus, Coninch, Bonacin. Auila, Steph. Anton. & alij, in caſu quo eſſet ille excommunicatus vitandus, in loco, in quo eſſet error communis de tali excommunicatione, ſuppoſito titulo ſaltem colorato: ut ſi publicus percuſſor Clerici in Hiſpania ſe transferret ad Indos, ubi de tali crimine non daretur notitia, & ibi ab Epiſcopo titulum Beneficij Curati reciperet, vel licentiam audiendi confeſſiones. In tali caſu, inquiunt, valida eſſent ſacramenta ab eo impertita; quamvis illicitè ex parte ſua illa conferret: quia in caſu erroris communis Eccleſia ſupplet iuriſdictionem, argumento ex *leg. Barbarius Philippus, ff. de officio Prætoris*, ut latè diximus *tract. de Matrim. cap.* 8. *num.* 52. Vndè inferunt, quod ſi non eſſet error communis ſed particularis illius, qui Sacramentum recipit, invalidè illud reciperet: quia iam ceſſat ratio boni communis, ob quam Eccleſia in tali caſu iuriſdictionem confert. Et è contra intulimus nos ex hac doctrina *loc.citat.* quòd ſi pœnitens ſolus ſciret, vel pauci, illum eſſe excommunicatum vitandum; ſi tamen eſſet de hoc communis ignorantia, validè ab eo Sacramentum reciperet, niſi ex parte diſpoſitionis debitæ, quam non afferret, illud annullaret. ¶ Verumtamen licèt hæc doctrina veriſſima ſit, & ad alia plura neceſſaria; ad præſens verò nihil conducit: quia, ut diximus *num.* 18. hoc ipſo quòd in aliquo loco ſit excommunicatio ſecreta, vel crimen percuſſionis Clerici non ſit notoriũ, iam non eſt excommunicatus vitandus, licet in alio loco eſſet, ubi de crimine, vel denuntiatione conſtabat. Vndè ſicut hoc Sacramentum ab excommunicatis toleratis collatum validum exiſtit, niſi diſpoſitio debita ex parte pœnitentis deficiat, ut omnes communiter docent, ita etiam in præſenti caſu.

*Non poſſe validè Pœnitentiam adminiſtrare in caſu neceſſitatis aliqui dicunt.*

27. Sed difficultas eſt. An ſit validum Sacramentum Pœnitentiæ, in caſu extremæ neceſſitatis, nimirùm mortis, collatum à Sacerdote excommunicato vitando, ſi non adſit alius, qui moribundum abſoluere poſſit? Negat Nauarr. *cap.* 27. *num.*27. Couuarr. *cap. Alma mater, part.*1. §.11.*num* 8. Et citat pro hac ſententia Auila D. Thom. *in* 4.*diſtinct.*19.*quæſt.*1.*art.*2.*quæſt.*2. *art.* 3. ſed malè, quia ibi ſolum loquitur de licita collatione huius Sacramenti, de qua poſteà; non verò de valida, de qua nunc loquimur. Probatur, primò hæc ſententia: quia excommunicati vitandi, maximè ſi ſint hæretici à gremio Eccleſiæ præciſi, non habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam: ergò Sacramentum Pœnitentiæ ab ipſis collatum, etiam in caſu extremæ neceſſitatis, eſt nullum. Patet conſequentia: quia ad valorem huius Sacramenti requiritur ex parte miniſtri, & ordo, & iuriſdictio: ergò ſicut ſi non haberet Ordinem Sacerdotalem, nullum conferret Sacramentum in caſu neceſſitatis; ità ſi iuriſdictione caret. ¶ Secundò, quia propter neceſſitatem extremam ipſius Sacerdotis non datur ei poteſtas conferendi Sacramentum Pœnitentiæ: ut ſi metu mortis cogeretur ad abſolvendum aliquem quomodo nec licitè, nec validè poſſet eum abſolvere, ut ex communi ſententia ſtatim dicemus: ergò ſimiliter non datur illi talis poteſtas propter alterius extremam neceſſitatem.

*Validum eſt Sacramentum Pœnitentiæ in caſu neceſſitatis.*

28. Communis tamen, & vera ſententia dicit, validum eſſe Sacramentum Pœnitentiæ, collatum à Sacerdote excommunicato vitando, in articulo mortis: quia credendum non eſt de pia matre Eccleſia, velle in tali periculo priuare fructu huius Sacramenti adeò neceſſario, in extremis laborantem; proindeque velle conferre facultatem, & iuriſdictionem excommunicato, ut eum abſolvat. Quod poſt *Concilium Tridentinum* eſt indubitatum: nam *ſeſſ.*14. *cap.*7. concedit omnibus Sacerdotibus, ut à quibuſcumque caſibus, & cenſuris poſſint abſoluere quoſcum-

que pœnitentes in articulo mortis? Et lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, argumento *leg. 1. §. Generaliter, ff. de legatis præſtandis.* Et qui totum dicit, nihil excludit, *leg. Iulianus, ff. de legatis* 3. maximè in fauorabilibus, quæ reſtringenda non ſunt, ſed potiùs amplianda. Ità Cornej *dub.* 3. Caiet. *in ſumm. verb. Abſolutio.* Angelus, *verb. Confeſſor* 3. Auil. *concluſ.* 4. Palaus *loc. cit.* Suar. *ſect.* 1. *num.* 9. Bonac. *num.* 3. N. Aot. *diſ.* 2. *ſect.* 5. & addunt Auil. Sayr. Suar. & Cornej. quod licèt ſit hæreticus, ſchiſmaticus ab Eccleſiâ præciſus, ſi verè intentionem debitam apponit, validum confert Sacramentum; quia Concilium in illo loco terminis generalibus utitur: *Omnes Sacerdotes: ab omnibus cenſuris, & peccatis: quoſcumque pœnitentes*: ergò ſicut ſecunda, & tertia generaliter intelliguntur, nemine dempto ſic prima.

*Soluuntur argumenta.* 29. Ad primum argumentum contrarium reſpondetur, quòd licèt excommunicatur careat iuriſdictione, vel uſu illius, ab Eccleſia ei conceditur pro caſu extremæ neceſſitatis: quia iuriſdictio ex Eccleſiæ voluntate dependet, quòd conferatur, vel auferatur; non ſic poteſtas Ordinis; & ideò non eſt ſimile. ¶ Ad ſecundum dicimus, admiſſo antecedenti, negando conſequentiam; quia in primo caſu, cum ſit indebitè diſpoſitus, qui excommunicatum cogit ad abſolvendum; & aliàs non ſit neceſſitas urgens, ut ſupponimus; quia in illa poſſet Sacerdos abſque tali metu abſolutionem impertiri; eſt contra ius diuinum, & intrinſecè malum tale Sacramentum illi miniſtraſe. In caſu verò noſtro non eſt ex parte infirmi indiſpoſitio, ut ſupponimus, ad recipiendum Sacramentum; & aliàs urget magnum periculum, ob quod euitandum pia mater Eccleſia tali excommunicato iuriſdictionem concedit.

*Qua Sacramenta poteſt excommunicatus in caſu neceſſitatis licitè conferre?* 30. Hactenùs egimus de validitate, vel inualiditate Sacramentorum, quæ ab excommunicatis conferuntur. Nunc de licita, vel illicita illorum adminiſtratione agamus. In quo certum eſt, nullum Sacramentum poſſe licitè conferri extra caſum neceſſitatis ab excommunicato ſiuè tolerato, ſiuè non tolerato; quia illis prohibetur in *cap. Apoſtolicæ, de Clerico excommunicato miniſtrante, cap. Si celebrat, eodem titulo.* Et ſic peccat mortaliter, qui abſque urgenti neceſſitate aliquod confert Sacramentum: quia frangit præceptum Eccleſiæ in re grauiſſima. In caſu verò neceſſitatis, poteſt ſinè ſolemnitate baptiſmum conferre; ut ſi inſtaret periculum mortis, & non eſſet alius, à quo puer baptizari poſſet: imò peccaret mortaliter, ſi requiſitus baptiſmum non conferret, ut inquit Nauarr. *in Manual. cap.* 21. *num.* 6. Cornej. *diſp.* 10. §. 1. *dub.* 2. Etiam poteſt conferre Sacramentum Pœnitentiæ, ſuppoſito, quòd ipſe in gratia eſſet, quod probant rationes, & Auctores *num.* 28. adducti. Nec eſt contrarius huic ſententiæ D. Thom. *in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 2. ad 3. & 3. part. quæſt. 82. art. 7. ad 2.* aſſerens, ſolum baptiſmum poſſe ab hæretico validè, & fructuosè conferri in extrema neceſſitate, & conſequenter non Sacramentum Pœnitentiæ: quia, ut benè explicat Suarez *diſp.* 11. *ſect.* 1. *num.* 4. loquitur de hæretico in hæreſi permanente, quomodo indignè conferret Sacramentum, & ſic illicitè; non verò ſi ad Deum conuerteretur ſufficienter, ut poſſet in gratia conſtitui, quo modo nunc loquimur. ¶ Et ſi dicas: quod hoc modo etiam illicitè Baptiſmum conferret: & D. Thomas ponit diſcrimen quoad hoc, quòd eſt licitè conferre, vel non; inter Baptiſmum, & reliqua Sacramenta. Reſpondetur, quod ut benè inquit Auila *ſupra dub. 3. concl.* 2. [quod Baptiſmus hoc habet ſpeciale inter reliqua Sacramenta, quòd habet duplicem miniſtrum, unum ſolemnitatis, alterum neceſſitatis, qui neceſſitate urgente poteſt adminiſtrare hoc Sacramentum ſine ſolemnitate. Vndè quamvis ſit in peccato, non peccabit mortaliter in tali adminiſtratione.]

31. Quod adeò verum eſt, poſſe licitè à miniſtro excommunicato Sacramentum Pœnitentiæ recipi, quòd etiamſi recipiens probabiliter timeat, illum indignè adminiſtraturum, poteſt nihilominus ab illo petere, & recipere: quia rem ex ſe licitam poſtulat, quæ validè, & licitè poteſt ab eo conferri, ſi conuertatur ad Deum, hæreſim deſeras, vel peccata, in quibus exiſtebat, deteſtetur. Quod ſufficit, ut extremè laborans licitè, & fructuosè ab eo Sacramentum recipiat. Auil. *concl.* 3. Cornej. *dub.* 3. N. Anton. *diſ.* 2. *ſect.* 5. ¶ Non tamen poteſt ab eo licitè Sacramentum Pœnitentiæ recipere (atque adeò validè) ſi ſcandalum magnum ſequatur, ſi periculum infectionis immineat, ſi hæreſis, ex qua infectus eſt, ſit circa ſubſtantiam huius Sacramenti, ratione cuius meritò timeatur, eum abſque debita intentione illud adminiſtraturum Sayr. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 20. ¶ Quod diximus de Pœnitentia, quòd in caſu neceſſitatis poteſt, validè, & licitè miniſtrari à Sacerdote excommunicato vitando, idem ſentiendum eſt de Euchariſtia, quandò infirmus confiteri non poteſt; vel de extrema unctione, ſi nec Euchariſtiam, aut Pœnitentiam poteſt recipere. Quia ideò conceditur, licite poſſe Pœnitentiam miniſtrare in periculo mortis, ne ſalus infirmi periclitetur; ſi forte non eſt contritus, ſed attritus, & cum conſcientia peccati mortalis, ut per Pœnitentiæ Sacramentum fiat de attrito contritus. Eadem ratio currit, ſi confiteri non potuit, vel ſigna præbere pœnitentiæ reſpectu Euchariſtiæ; vel ſi nec hanc recipere potuit reſpectu extremæ unctionis: quia etiam hæc Sacramenta faciunt de attrito contritum: ergò, &c. Ità Palaus *n.* 8. Auila *concl.* 5. Suar. *diſp.* 11. *ſect.* 1. *n.* 16. Cornej. *dub* 4. *Dicta extenduntur.*

32. Sed eſt aliqualis difficultas circa Euchariſtiam, quandò iam præceſſit confeſſio, & imminet poſteà periculum mortis, nec adeſt miniſter idoneus, qui illam ægroto conferat: an poſſit conferri à miniſtro excommunicato non tolerato? Negat Auil. ſuprà *concl.* 4. citans Victoriam, Cano, & Palacios. Negat etiam Sayr. *num.* 21. Hurtad. *diſp.* 4. *diff.* 2. *num.* 22. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 10. *num.* 2. quod probant: quia Euchariſtia non eſt ita neceſſaria ad ſalutem, ac Pœnitentia: cum non ſit inſtituta per ſe ad tollenda peccata. ¶ Et ſi dicas: eſſe neceſſariam ſaltem neceſſitate præcepti diuini, quòd datur de recipienda illa, in illa hora. ¶ Reſpondent, hoc præceptum diuinum dari, quandò decenter, & debite poteſt adminiſtrari; ſecùs verò ſi indebite, & indecenter, ſicuti ab excommunicato denunciato adminiſtraretur. ¶ *Quid dicendum eſt circa Sacramentum Euchariſtiæ?*

Sed

Sed probabiliùs dicendum eſt, poſſe tunc excommunicatum vitandum Euchariſtiam infirmo miniſtrare, vel iam conſecratam ab alio conferendo, vel Miſſam celebraodo, ſi nulla extet hoſtia conſecrata; ſi tamen prius in gratia conſtituatur, & ſi oppòrtunitas ſit, abſolvatur ab excommunicatiooe: & ſi hoc non potuèrit, ſe ad Deum per veram con-ritionem conuertendo. Tùm propter præceptum diuinum tunc maxime urgens de recipienda Euchariſtia: quod præualere debet præcepto poſitiuo, de non miniſtrando illam excommunicato: quæ proinde ex vi excommunicationis, non miniſtrabitur indecenter in illa hora. Tum etiam quia licet hoc Sacramentum in re ſuſceptum non ſit neceſſarium neceſſitate medij, eſt tamen valde utile ad recipiendas vires, & robur ad reſiſtendum tentationibus inimici. Et ſi forte per Pœnitentiam non fuit infirmus in gratia conſtitutus, nec eſt contritus, ſimpliciter eſt neceſſarium ad ſalutem æternam conſequendam. Et non eſt credibile de pia matre Eccleſia, velle fideles priuare hoc viatico, & ſubſidio pro illa hora. Ità Sot. *in 4. diſt. 13. quæſt. 1. art. 9.* Corn. *dub. 4.* Suarez 3. *p. quæſt. 82. diſp. 72. ſect. 4. & de cenſur. diſp. 11. ſect. 1. n. 17.* Pal. *n. 7.* Bon. *q. 2. punct. 2. §. 4. n. 8.* Præpoſit. *in 3. p. q. 2. dub. 8. n. 44.* N. Ant. *diſ. 2. n. 285.*

*Alia Sacramenta etiam in periculo mortis, non poteſt excommunicatus miniſtrare.*

33. Reliqua autem Sacramenta non poteſt excommunicatus vitandus, etiam in periculo mortis miniſtrare: poteſt tamen matrimonio aſſiſtere, ſi grauis, & urgens daretur neceſſitas illud in articulo mortis contrahendi, vel ad conſulendum fœminæ honori, quæ cognita eſſet ab infirmo, vel ad legitimandos filios ex illa fortè ſuſceptos, vel ad animæ periculum præcauendum, ſi anteà cum ea in concubinatu vixiſſet, aliuſque non adeſſet Sacerdos, niſi Parochus excommunicatus, qui poſſet de illius licentia aſſiſtere. Cornej. *ſup.* Vaſquez *de excommun. dub. 7. num. 7.* Baſil. Pont. *de matrimon. lib. 5. cap. 16. §. unic. num. 11.* Dian. *5. p. tract. 9. reſ. 83.* Anton. à Spirit. S. *num. 288.* ¶ Sed extrà caſum neceſſitatis peccaret Parochus mortaliter matrimonio aſſiſtens excommunicatus; non tamen irregularitatem incurreret: quia non exercet actum ordinis aſſiſtendo matrimonio. Imò Dian. *loc. cit. reſol. 79. ex* Hurtad. *diſp. 15. de matr. diff. 8.* aſſerit non peccare, ſed licitè, & validè aſſiſtere: quia licèt cum alijs communicet in diuinis id efficit ob utilitatem, imò ob neceſſitatem contrahentium: quia abſque eo vel eius licentia nequeunt matrimonium celebrare. Sed hoc nihil probat: quia etiam nequit abſolvi pœnitens niſi à Sacerdote. Nequit Euchariſtiam recipere, nequit ungi, aut confirmari: & tamen ſi hæc Sacramenta extrà caſum neceſſitatis à miniſtro excommunicato vitando conferrentur, peccaret ille proculdubio mortaliter. Sed circà hoc videantur, quæ diximus *tract. de Matrimon. cap. 8. punct. 4. num. 48.* ¶ Ipſi contrahentes ſi excommunicati celebrent matrimonium, peccant mortaliter: imò duplicis peccati ſunt rei; unius quia excommunicati recipiunt Sacramentum, alterius quia illud conferunt. Sunt enim contrahentes miniſtri matrimonij, ut ſuo loco diximus. Hoc ultimum negat Dian. *reſ. 85. cum* Præpoſ. *n. 51.* quia dicunt, Canones ſolum prohibent Clericis excommunicatis miniſtrare Sacramenta. Sed hoc nihil probat: quia etiam laicus excommunicatus, ſi extrà neceſſitatem baptizet, peccabit contrà præceptũ cenſuræ, prohibens ne excommunicatus aliquod conferat Sacramentũ.

*Poteſt excommunicatus licitè Sacramenta conferre, ſi metu graui cogatur.*

34. Sed quæres 1. An excommunicatus vitandus poſſit licitè miniſtrare Sacramenta, quæ aliàs validè poterat, ſi abſque ſui graui incommodo ab hoc abſtinere non poſſet: ut ſi metu mortis, vel infamiæ, vel alterius grauis incommodi ad hoc cogeretur; ſuppoſito, quòd eſſet in gratia? Reſpondetur affirmatiuè. Quia Eccleſiæ præcepta non obligant cum graui incommodo, aut damno niſi in contemptum legis Eccleſiaſticæ ab hoc cogeretur, vel Sacramentum nullum efficeret: ut accidit in pœnitentia, defectu iuriſdictionis, & prauæ diſpoſitionis illius, qui per violentiam abſolutionem extorqueret: quia tunc ex iure diuino tenetur, non adminiſtrare illud: ac proinde quocumque damno imminente. Similiter, qui denunciatus eſſet in uno loco, aut notorius percuſſor Clerici, & in alio eſſet occultus, & eſſet infamiæ periculum ſi non miniſtraret, aut Sacramenta conferret, poſſet licitè illa miniſtrare, ſuppoſito, quòd eſſet in gratia, & non poſſet commodè ab excommunicatione abſolvi. Cornej. *diſp. 10. §. 1. dub. 1.* Conin. *diſp. 14. n. 34.* Palaus *punct. 8. n. 4.* Diana *reſol. 83.*

*Excommunicatus toleratus omnia Sacramenta miniſtrare poteſt.*

35. Quęres 2. An excommunicatus toleratus poſſit licitè, & validè Sacramenta conferre? Reſp. affirmatiuè. Et quidem, quòd poſſit validè omnia alia præter Pœnitentiam, conſtat ex *d. num. 24.* Quòd poſſit etiam Pœnitentiam, probatur: quia non redditur tunc nullum Sacramentum, aut ex parte confeſſoris, aut ex parte pœnitentis. Non ex confeſſoris: quia quamdiù non eſt vitandus habet ab Eccleſia iuriſdictionem ex Concilio Conſtantienſi, & Extrau. Martini V. Nec etiam ex parte pœnitentis; ſi aliàs recte diſpoſitus ſit, quia non peccat petendo Sacramentum ab excommunicato tolerato, iuxtà *d. n. 23.* ¶ Poteſt ſimiliter licite, etiamſi non ſit Parochus, ſed alius quicumque confeſſor, quia hoc ipſo, quòd Concilium dederit facultatem, quòd ab illis Sacramenta petantur, eis indirecte conceſſit, ut licite poſſent illa conferre. Gibal *diſq. 9. q. 1. n. 24.* Sot. *in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4.* Nau. *tract. de Miſcell. 47. de Oratione, n. 3.* Palaus *diſp. 2. punct. 5. n. 6. & punct. 7. n. 4.* Cornej. *diſp. 10. §. 1. dub. ult. q. 2.*

*Conditiones requiſitæ ut licitè Sacramenta miniſtret.*

36. Sed ut licite hoc fiat, iſtæ conditiones ab Auctoribus numerantur: 1. quod ſit peritus, & non ſe ultrò ingerat iuxta *d. n. 20. 22.* quòd aliàs, ſit in gratia: quod eſt generale; ut debite Sacramenta conferantur. 3. quòd hoc cedat in fauorem ipſius pœnitentis, qui non ita commode poſſet ab alio abſolui. Sed hęc conditio vere non requiritur: quia, ut diximus *n. 23.* etiamſi pœnitens haberet alterius copiam Sacerdotis qui æque bene poſſet illum abſoluere, licite poteſt illam ab excommunicato tolerato poſtulare: & conſequenter licite poſſet ipſe, illi hoc Sacramentum impendere ut tenet etiam N. Ant. *tract. de cenſ. diſ. 2. ſect. 5.* 4. quòd, ſi poteſt prius ab excommunicatione ſe abſoluat. Sed neque hanc conditionem neceſſariam iudicamus: ſiquidem excommunicatus toleratus, adhuc excommunicatus manens æque poteſt à fidelibus tractari ex conceſſione Concilij Conſtantienſis, ac ſi excommunicatus non eſſet: ergò etiamſi non

abſoluat ſe ab excommunicatione, cùm poſſet, ſi petatur, poteſt licitè miniſtrare Sacramentum.

*Poteſt excommunicatus toleratus licitè celebrare, poſtulante populo.*

37. Quæres 3. An poſſet excommunicatus Sacerdos celebrare, id populo petente? Reſpondetur, quòd ſi vitandus ſit, minimè poteſt: quia illicitum eſt ipſi miniſtrare; nec licitè ab eo hoc poteſt populus petere. Si verò ſit toleratus, etiamſi non ſit Parochus, id licitè poteſt (ſuppoſito, quòd ſit in gratia) quia poſt Concilium Conſtantienſe, licitè poteſt populus id ab eo petere. Cornej. *diſp.* 10. §. 1. *dub. ultim.* Suar. *diſp.* 11. *ſect.* 4. *num.* 13. 19. & 25. Nauarr. *ſumm. cap* 9. *n.* 10. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 12. *cap.* 3. *num.* 72. Bonac. *q.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num* 5. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 8. *num.* 4. Qui addit, quòd ſi dies feſtus occurrat, nec adſit Sacerdos, qui Miſſam populo dicat, poteſt excommunicatus toleratus, etiamſi non petatur, celebrare: quia præſumitur populus, petere ſacrificium neceſſarium ad adimplendum præceptum. Sed dicta intelligenda ſunt, niſi ſequatur ſcandalum: uti ſequeretur, ſi populo non conſtaret de priuilegio dicto Concilij Conſtantienſis.

*Incurrit irregularitatem excommunicatus Sacramenta conferens.*

38. Quæres 4. quam pœnam incurrat, qui illicitè Sacramenta miniſtrat? (illicitè dicimus quia, ſi licitè ex aliqua cauſa ex dictis, vel celebret, vel Sacramenta miniſtret, ſicut caret culpâ; nullam incurrit pœnam) Reſpondetur ergo, quòd quando excommunicatus vitandus, vel non vitandus illicitè adminiſtrat Sacramenta, quæ ad eorum collationem exercitium ordinis requirunt, incurrit irregularitatem, *cap. Vltim. de Cleric. excommun. miniſtrant. capit. Si quis* 11. *quæſt.* 3. non verò ſi matrimonio aſſiſtat, ut diximus *n.* 33. vel Baptiſmum priuatim conferat: quia hæc Sacramenta abſque exercitio Ordinis exercere valet. Fiet tamen irregularis, ſi ſolemniter baptizet, vel ſi nuptias ſolemniter benedicat: quia hoc eſt munus proprium Sacerdotis. ¶ Circà Pœnitentiam eſt difficultas; quandò invalidè conferetale Sacramentum, an fiat irregularis? Dubitat Cornej. *diſp.* 10 §. 1. *dub. ult.* & indeciſum relinquit. Ricardus verò in 4. *diſt.* 18. *art.* 7. *q.* 5. aſſerit, non incurrere. Quod probabile iudicat Suar. *diſp.* 11. *ſect.* 3. *num.* 14. quia ſecundùm regulam iuris non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. Maximè, quia pœna irregularitatis incurritur propter actum conſummatum, qui non datur, quandò nullum eſt Sacramentum, quod recipitur.

*Etiamſi inualidè conferat Pœnitentiam ſit irregularis.*

39. Sed verius dicendum eſt, incurrere irregularitatem, excommunicatum Pœnitentiam conferentem, etiam invalidè. Primò, quia eſſet deterioris conditionis excommunicatus toleratus, quàm vitandus: ſiquidem invalidè confert ſemper illud Sacramentum: & ſic numquam incurreret irregularitatem, quam incurreret ille, qui validè hoc Sacramentum miniſtrat: & ſic minori pœna, imò nullâ plecteretur, qui maiorem culpam committit. ¶ 2. quia nec excommunicatus toleratus incurreret irregularitatem, quandò pœnitens ſacrilegè recipit Sacramentum Pœnitentiæ: quia tunc eſt nullum, & incurreret illam, quando rectè diſpoſito abſolutionem impendit: & ſic ex delicto alterius commodum reportaret: 3. quia ſecundum modum communem loquendi Sacramentum abſolutè miniſtrat; quamvis aliàs nullum, ſicut qui indignum, & malè diſpoſitum abſolvit. Quarè dicendum eſt, hanc irregularitatem eſſe de illis pœnis, quę ob attentationem actus imponuntur: & tunc datur actus conſummatus contrà præceptum, quandò miniſter intentat contrà ius pœnitentem abſoluere: & ſic ſufficientem ſortitur effectum, ut præſtet impedimentum à iure ſtatutum. Ità Suar. *loc. cit.* Palaus *n.* 12. N. Ant. *hic cit. n.* 195.

*Quam pœnam incurrat, qui ab excommunicato recipit Sacramentum?*

40. Qui ab excommunicato vitando Sacramenta recipit abſque graui neceſſitate, peccat mortaliter; quia contrà præceptum cenſuræ in re graui operatur, iuxta dicta *n.* 7. & minorem excommunicationem incurrit. Qui verò ordinem recipit ab Epiſcopo excommunicato, præter hanc excommunicationem, incurrit ſuſpenſionem ab exercitio ordinis ſuſcepti, *cap. Cum illorum* §. *final. de ſentent. excomm* Suar. *n.* 31. Bonac. *n.* 9. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 10. *n.* 1.

## PVNCTVM IV.

### *De ſecundo effectu excommunicationis, qui eſt priuatio participationis paſſiuæ Sacramentorum.*

*Nullus excommunicatus recipere poteſt Sacramenta.*

41. OMnibus excommunicatis etiam toleratis, prohibitum eſt, aliquod recipere Sacramentum. Quia qui contumax, & inobediens eſt Eccleſiæ, dignus eſt, quòd maximis illius bonis priuetur, *cap. Cum illorum, cap. Si quem, de ſentent. excomm. cap. Celebrat. de Cleric. excomm. miniſt.* Et ſic peccat mortaliter, qui aliquod recipit Sacramentum, quia in re grauiſſima frangit Eccleſiæ præceptum. Nullam tamen pœnam incurrit, quia in iure nulla aſſignatur, niſi recipiens ordines, à quorum exercitio ſuſpenditur, *cap. Cum illorum, citat.* Excuſatur tamen à culpa quilibet excommunicatus Sacramenta recipiens, ſi metu mortis, aut grauis damni; & non in contemptum cenſuræ, coactus, id faciat: quia Eccleſiæ præcepta cum magno diſcrimine non obligant: vel ſi ignorantia facti, vel iuris laboret, vel magna neceſſitas urgeat ad euitandam infamiam, ſcandalum, vel damnum aliquod magnum temporale. Conin. *diſp.* 14. *dub.* 5. *n.* 31. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 1. §. *n.* 4. Dian. 5. *p. tract.* 9. *reſol.* 84. Filliuc. *to.* 1. *tract.* 12. *cap.* 3. *n.* 56 Præpoſit. *in* 3. *p. q.* 2. *de excom. dub.* 7. *num.* 39. N. Anton. à Spiritu ſancto *diſ.* 2. *num.* 272.

*Validè illa recipere poteſt.*

42. Sed hæc prohibitio non ita univerſaliter eſt accipienda, ut etiam inualidè Sacramenta recipiat: quandoquidem omnia præter Pœnitentiam, de qua ſtatim, validè recipit quoad ſubſtantiam ut omnes confitentur; non quoad fructum, quia ſolum repellitur à receptione Sacramentorum; non verò inhabilitatur, quia characterem retinet Baptiſmi, ratione cuius eſt capax illa recipiendi: ſed quia obicem ponit, quandò contrà præceptum ad illa accedit, non recipit fructum illorum. Et ſimiliter Sacramentum Pœnitentiæ validè recipit, qui volens prius abſolui à cenſura, quàm à peccatis, priùs confitetur: imò decentiùs, & conuenientiùs hoc modo fit. Nec per hoc Sacerdos audiens confeſſionem, excommunicato illicitè communicat,

quia

quia communicat in neceſſarijs, ut pœnitentem tùm à peccatis, tùm etiam à cenſuris priùs liberet.

*An Sacramentum Pœnitentiæ validè poſſit recipi ab excommunicato?*

43. Quarè difficultas eſt. An validè recipiat Sacramentum Pœnitentiæ; ita ut confeſſionem repetere non indigeat, qui excommunicatus recipit illud? In quo eſt certum, quòd ſi ſciat ſe eſſe excommunicatum, & ſibi grauiter prohiberi receptionem Sacramenti, peccare mortaliter in ipſa receptione, & nullam eſſe confeſſionem, ac proindè repetendam eſſe: quia abſque debita diſpoſitione accedit. Quare dubium eſt, quandò ex parte excommunicati non deficit diſpoſitio neceſſaria, an ex hoc ipſo quòd excommunicatus eſt, invalidè recipiat hoc Sacramentum. Quod in his caſibus contingere poteſt. 1. ſi cum ignorantia iuris, aut facti ad confeſſionem accedat: quia videlicet ignorat inuincibiliter, vel non aduertit, ſe eſſe excommunicatum, vel eſſe prohibitum excommunicatis recipere hoc Sacramentum. 2. ſi urgeret grauis neceſſitas recipiendi Euchariſtiam ad euitandam infamiam, vel aliud damnum, & confeſſor non haberet poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione, vel ipſe non poſſet tam citò parti ſatisfacere. 3. ſi accedens ad confeſſionem prius peteret abſolutionem à cenſura, & poſteà à peccatis & confeſſor, vel ex obliuione, vel ex malitia abſolueret eum à peccatis, & non excommunicatione. Quæritur ergò: An his caſibus validum Sacramentum reciperet, ita ut non teneretur repetere confeſſionem, ſed dumtaxat deberet ab excommunicatione abſolui? Circa quod eſt duplex ſententia.

*Sententia aſſerens in omni euentu inualidam eſſe confeſſionem excommunicati.*

44. Prima aſſerit, invalidum Sacramentum recipere excommunicatum in tali caſu. Ità Sylveſt. *verb. Confeſſio* 1. *q.* 3. §. 5. Gabriel *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 2. Vaſquez *de excomm. dub.* 4. Gaſp. Hurtad. *diſp.* 4. *de excomm. diff.* 3. *num.* 28. Quod probant: primò, quia æqualiter excommunicatus non toleratus arcetur à participatione paſſiua Sacramentorum, atque arcetur ab illorum actiua adminiſtratione. Sed ſi cum ignorantia facti, vel iuris abſolueret alium, invalidum conferret Sacramentum, ut omnes concedunt: ergò etiam reciperet. ¶ 2. quia applicatio ſuffragiorum, indulgentiarum, &c. Eccleſiæ facta excommunicato eſt nulla: & ſimiliter electio, & collatio beneficiorum in omni euentu: ergò ſimiliter Pœnitentiæ receptio. ¶ 3. quia eſt membrum ab Eccleſia abſciſſum: ergò fructum recipere nequit ab Eccleſia, nec cum illa in bonis eius participare. ¶ 4. quia Eccleſia vult excludere excommunicatum, quantum poteſt, à receptione ſuorum bonorum: & ſic dicit, quòd habeatur, ut *ethnicus, & publicanus*, id eſt, ità præciſus à participatione ſacrorum, ſicut ethnici: ergò vult, quod invalidè illi conferantur Sacramenta, eos inhabilitando, ſaltem ad confeſſiones, ut inhabilitat in aliquibus caſibus fideles ad matrimonium. Vndè ſicut Ignorantia inuincibilis non facit, quòd validè recipiant matrimonium, qui aliàs ſunt inhabiles per aliquod dirimens impedimentum, ſic in præſenti.

*Sententia vera tenet oppoſitum.*

45. Secunda, & verior ſententia dicit in dictis caſibus validè excommunicatum, ſiuè toleratus ſit, ſiuè non, recipere Sacramentum Pœnitentiæ, ſi aliàs omnem requiſitam diſpoſitionem afferat: imò fructuosè, cum ex parte ſua nullum apponat obicem gratiæ. Ratio eſt: quia Eccleſia non irritat tale Sacramentum: ergò validè recipitur ab excommunicato, antecedens probatur: quia non irritat illud inhabilitando perſonam, ſicut irritat matrimonium inter conſanguineos. Tum, quia non eſt prohibitio ſpecialis pro receptione Pœnitentiæ, ac pro receptione Ordinis, Confirmationis, aut Euchariſtiæ; quia eiſdem verbis Eccleſia prohibet recipere hoc, & reliqua Sacramenta: ſed non prohibet alia inhabilitando perſonam ad ea: ergò nec iſtud. Tum etiam, quia Eccleſia non poteſt reddere directè fideles inhabiles ad aliquod Sacramentum, ſiquidem ex iure diuino ſunt capaces illorum ratione characteris Baptiſmi, & ſi reſpectu matrimonij inhabiles facit, ideò eſt, quia eſt contractus; & inhabilitando directè ad contractum, quod facere poteſt, indirectè inhabilitat ad Sacramentum Matrimonij, quòd rationem contractus ſupponere debet. ¶ Nec etiam irritat Sacramentum Pœnitentiæ, auferendo poteſtatem à miniſtro ad illud conferendum. Tum, quia præceptum cenſuræ ſolum tangit cenſuratum; non verò ſuperiorem, nec huius limitat poteſtatem, ſeu iuriſdictionem; ſed illi prohibet eius paſſiuum uſum, & cum ſemper ſubditus maneat, ſemper miniſter habet eandem iuriſdictionem erga illum; alias in præiudicium cederet ſuperioris, ſi ſubditum à ſua iuriſdictione excommunicatio eriperet. Tum etiam, quia iura dumtaxat prohibent excommunicatum recipere Sacramenta, ut in reliquis apertè conſtat: ergò non eſt ratio, quarè dicatur, tollere à miniſtro poteſtatem conferendi illa, maximè, quia eſt lex pœnalis, quæ ultra id, quod ſonat, ampliari non debet. Ità Caiet. *in ſum. verb. Abſolutio. impedim.* *Angel. verb. Confeſſio* 105. *num.* 10. Diana *reſ.* 53 & 82. Suar. *diſp.* 10. *ſect* 3. *num.* 9. Coninch, *num.* 26. Corn. *de excomm. diſp.* 10. §. 2. *dub ult.* Sayr. *lib.* 2. *c.* 2. *num.* 2. Auil. 2. *p. c.* 6. *diſp.* 3. *dub.* 4. Præpoſ. *in* 3. *p. de excomm. q.* 2. *dub.* 7. *num* 40. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 12. *cap.* 3. *num.* 58. & 59. Bonacin. *punct.* 2. §. 1, *num.* 1. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 7 *num.* 4. N. Ant. *diſ.* 2, *num.* 174.

*Argumenta contraria ſoluuntur.*

46. Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad 1. dicimus, quod licet quoad illicitum uſum æqualiter receptio paſſiua, & actiua adminiſtratio prohibeatur excommunicatis; non verò quoad valorem Sacramenti. Nam ab excommunicato aufert iuriſdictionem, ſiquidem eum intendit punire; non ſubiectionem, quod in præiudicium ſuperioris vergeret. ¶ Ad 2. neganda eſt conſequentia. Quia applicatio ſuffragiorum, electio beneficiorum, collatio ex mera voluntate Eccleſiæ dependet, quibus meritò vult priuare omninò ſibi contumaces, & inobedientes. Valida autem Sacramentorum receptio non dependet ex Eccleſiæ voluntate; ſed ex Chriſti inſtitutione: qui omnes baptizatos ad illa recipienda reddit capaces. Prætetquàm quòd in iure habetur expreſsè, nullam eſſe collationem beneficiorum, electionem, &c. factam excommunicato; non verò habetur, eſſe nullam, ſed prohibitam Sacramentorum receptionem, ut in reliquis omnibus cernitur. ¶ Ad 3. dicimus, quòd quantum ad aliqua eſt excommunicatus omninò præciſus ab Eccleſia: ad illa, ſcilicet, quæ ſolùm ex voluntate Eccleſiæ dependent, ut electio,

ctio, collatio beneficiorum, ſuffragiorum applicatio, &c. Ad alia verò, quæ non ſolum ex ipſius voluntate dependent, ut ſunt Sacramenta, eſt membrum præciſum, ne licitè, vel fructuoſè illa recipiat, niſi per accidens ratione ignorantiæ oppoſitum eueniat. ¶ Ad 4. conſtat ex dictis *num.* 45.

*Peccat mortaliter miniſter conferens excommunicato Sacramenta.*

47. Qui extra caſum neceſſitatis excommunicatis vitandis Sacramenta conferret, mortaliter delinqueret: quia eſt prohibitum grauiter, in *cap. Significauit, cap. Cum deſideres, de ſent. excomm.* Et cum ſit res grauiſſima, peccatum erit mortale contra tale præceptum operari: Sed conferens Sacramenta non tenetur illa denegare petenti, & aſſerenti, ſe eſſe ab excommunicatione abſolutum: maximè ſi ſit fide dignus, & non conſtet illi de oppoſito, vel immineat periculum ſcandali; ſed illi credere poteſt. Imò etiamſi non dicat, ſe eſſe abſolutum poteſt miniſter conferre illud petenti, quem ſcit, fuiſſe excommunicatum, ſi neſciat an ſit abſolutus, vel non; Quia præſumendum eſt, abſolutum eſſe; eo quòd nullus præſumitur velle delinquere, Suar. *diſp.* 10. *ſect.* 2. *num.* 12. Nauar. *cap.* 29. *num.* 36. Bonac §. 2 *num.* 3. Coninch, *diſp.* 14. *dub.* 5. *num.* 32. Palaus *num.* 7.

*Quam pœnam incurrat, qui excommunicato confert Sacramenta.*

48. Miniſter, qui excommunicato vitando confert Sacramentum, præter peccatum, quod committit, incurrit excommunicationem minorem, ſicut alij communicantes cum illo. Et ſi excommunicatus eſſet à Papa per ſententiam particularem, incurreret excommunicationem maiorem reſeruatam ipſi Pontifici, *cap. Significauit, de ſentent. excomm.* niſi in his caſibus. Primus, ſi non eſt Clericus, qui tale confert Sacramentum; proindeque laicus baptizans, vel contrahens matrimonium, qui eſt miniſter illius, huius maioris excommunicationis eſt immunis. Secundus, ſi inconſiderat, vel ignorat etiam culpabiliter, excommunicatum eſſe, cui tale confert Sacramentum. 3. ſi per metum viri conſtantis ad hoc cogeretur. Quia in dictis capit. dicitur: *Si ſcienter, & ſponte.* Sed ſi à recipiente cogeretur, peccaret mortaliter contra ius diuinum, conferens indigno Sacramentum: quod eſt intrinſecè malum, non contra ius Eccleſiaſticum: quòd non obligat cum tanto onere, & ſic excommunicationem non incurreret. 4. quando excommunicatus poteſt licitè recipere tale Sacramentum, ut in urgente neceſſitate: quia huiuſmodi prohibitio directè eſt contra excommunicatum; indirectè contra miniſtrum: atque adeò quando ille à receptione non arcetur; nec iſte à collatione Sacramenti. Niſi recipiens excuſetur à peccato ex inaduertentia, vel ignorantia iuris, vel facti: quia licèt ipſe non peccet petendo; peccat miniſter conferendo, qui tenetur de ſuo ſtatu, & obligatione monere. Cornej. *antè cit. dub.* 1. Dian. *reſol.* 82. Bonacin. *à num.* 4. Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 2. *num.* 13.

*Qui tolerato confert Sacramenta, contra præceptum Eccleſiæ non delinquit.*

49. Cæterum ſi miniſter conferat Sacramentum excommunicato tolerato, non peccat contra præcepta Eccleſiaſtica: & ſic pœnam illius non incurrit: quia per *Concilium Conſtantienſe, &* *Extrauag. Ad euitanda* Martini V. omnibus fidelibus conceditur communicare tam in diuinis, quam in humanis cum excommunicatis toleratis; peccaret tamen contra ius diuinum: quia conferret indigno Sacramentum; quod ſemper eſt intrinſecè malum. Ità Corn *dub.* 2. Suar. *num* 9. Bonac. *cit.* Vaſquez *de excomm. diſp.* 2. *dub.* 2. *num.* 12. Coninch, *num.* 20. Palaus *num.* 4 *&* 7. Ex quo infertur, quòd ſi excommunicatus toleratus cum ignorantia iuris, vel facti, petat Sacramentum, licitè poteſt miniſter conferre illud ipſi, nec tenetur eum admonere; ſed poteſt in bona ſua fide (ſaltem pro tunc) eum relinquere: quia ipſi non prohibetur ab Eccleſia conferre Sacramentum, ſed tantum iure diuino, quando indigno illud confert. Sed in tali caſu non accedit indignus: quia in tali receptione non peccat; & aliàs ſupponimus, eſſe rectè depoſitum: ergò non eſt, unde peccet miniſter Sacramentum illi conferendo.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

50. Sed objicies, quòd excommunicato prohibetur ab Eccleſia, recipere Sacramentum à miniſtro, ultrò offerente illud: ergò etiam miniſtro prohibetur ab Eccleſia illud conferre: quia dare, & recipere ſunt correlatiua: & prohibito uno correlatiuo, aliud cenſetur prohiberi, iuxt. *d. num* 23. Et confirmatur: quia ideò peccat miniſter contra legem naturalem indigno dando: quia excommunicatus peccat contra illam indignè recipiendo: ergò ſimiliter, ſi peccat excommunicatus contra legem Eccleſiaſticam recipiendo, peccat miniſter contra illam conferendo illi Sacramentum. ¶ Reſpondetur concesso antecedenti, negando conſequentiam: quia tunc, prohibito per legem uno correlatiuo, aliud prohiberi cenſetur, quando æqualis ratio currit in utroque ſecùs vero ſi diuerſa. Nam etiam Religioſis prohibetur recipere ſinè licentia Prælati; non tamen laicis, illis conferre, vel dare prohibetur: quia diſpar ratio currit in illis. In noſtro itaque caſu eſt diſparitas, quòd cum Concil. Conſtantienſe, & Martinus V. in fauorem fidelium releuet eos ab obligatione non communicandi cum excommunicatis, ſecundum id, quod cedit in fauorem fidelium; non verò intendat fauere excommunicatis, nec eos aliquo modo releuare: hinc eſt, quòd eos ſub obligatione, quam habebant non recipiendi Sacramenta ex iure antiquo, relinquat: quia ſi poſſent illa recipere, eos directè releuaret, & ipſis eſſet fauorabile ſuum decretum. Alios verò, quantum poteſt, intendit releuare; ut niſi ex alio capite obſtet, poſſint cum talibus excommunicatis communicare: & ſic maneant immunes à culpa contra illud præceptum, & à pœna taxata per illud. Si vero ex alio capite ex iure diuino id non poſſint, per accidens ſe habet ad illud præceptum: quod totum tollitur ex parte ſua in fauorem excommunicati.

## PVNCTVM V.

### *De tertio effectu excommunicationis, qui eſt priuatio ſuffragiorum, & orationum Eccleſiæ.*

*Suffragijs Eccleſiæ excommunicati priuantur.*

§ OMnibus ſuffragijs, & Eccleſiæ orationibus communibus, & ſimiliter indulgentijs conceſſis ab ea, & ſacrificijs per ipſam oblatis, priuati ſunt excommunicati, ſiuè fuerint tolerati, ſiuè non. Ità habetur *cap. A nobis* 2. *e. de* *ſacris,*

*ſacris, de ſentent. excomm. & cauſa* 11. *q.* 3. *per plura capita.* Quia dignum eſt, quòd priuetur indulgentijs, & ſubſidijs, quibus Eccleſia fideles adiuuat in ſpiritu, & promouet ad ſalutem, qui eiuſdem Eccleſiæ mandatis contumax, & inobediens extitit. Sed ut ſciatur, quibus ſuffragijs priuetur. ¶ Notandum eſt, quòd Sacerdos, v.g. & gerit perſonam Chriſti offerendo ſacrificium, & applicando illud ex opere operato; & gerit perſonam Eccleſiæ, cuius legatus eſt, & cuius nomine Deo ſacrificium offert, preces recitat, & bona communia, ſeu theſauros Eccleſiæ applicat: & gerit perſonæ priuatæ munus, non ſolum in ſuis priuatis orationibus; ſed etiam in communibus, nomine proprio eas applicans ſecundum id, quod ſibi priuatim correſpondet, & ſecundum fructum ſatisfactionis aut impetrationis ex opere operantis ſibi correſpondentem. Inter quæ bona hoc intercedit diſcrimen, quod illa habent valorem independenter à dignitate miniſtri: & ideò quamvis iſte eſſet in peccato mortali, illorum valor non amitteretur ratione dignitatis ipſius Eccleſiæ, cuius nomine offeruntur, vel ex inſtitutione Chriſti, cuius perſonam gerit Sacerdos, dum ſacrificat; hæc verò, quæ correſpondent ipſi, ut perſonæ priuatæ ex opere operantis, ex dignitate ipſius accipiunt valorem: & ideò nullum habent, quandò à miniſtro indigno offeruntur.

*Quibus bonis Eccleſiaſticis priuet excommunicatio?*

52. Igitur illis omnibus bonis communibus, ſuffragijs, orationibus, & ſacrificijs, quæ nomine Eccleſiæ offeruntur, manet quilibet excommunicatus priuatus, ità ut peccatum ſit mortale pro excommunicato illa offerre, vel applicare. Et ſi applicantur nomine Eccleſiæ ſuffragia, & orationes communes pro excommunicatis, non proderunt eis, quia valor illorum pendet ex intentione, & applicatione Eccleſiæ, & ipſa vult priuare contumaces talibus bonis. Et hoc non ſolum eſt verum reſpectu huius, vel illius excommunicati particularis; ſed etiam in communi reſpectu excommunicatorum, pro quibus nec in communi poſſunt offerri ſacrificia, & ſuffragia dicta. Et ſi in die Paraſceues nomine Eccleſiæ funduntur preces publicæ pro hæreticis, ſchiſmaticis, &c. ideo eſt, quia illa die vult Eccleſia in hoc diſpenſare. Tum ad imitationem Chriſti, qui pro inimicis, & peccatoribus orauit. Tum, ut ſanguis eius effuſus pro omnibus, ad omnes extendatur, ut etiam contumaces, & rebelles ad ſanam mentem reducat. Ità Sot. *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 6. *num.* 3. & 5. Cornej. *diſp.* 10. §. 3. *dub.* 1. Auil. 2. *p. cap.* 6. *diſp.* 4. *dub.* 1. *concl.* 3. Anton. à Spiritu ſancto *n.* 263. Lezana *verbo excomm. num.* 11. Stephanus *à S.P. num.* 268.

*Poſſe ſuffragia offerri pro excommunicatis qui ſunt in gratia, aliqui dicunt.*

53. Sed difficultas eſt. An ſacrificia, ſuffragia, & orationes Eccleſiæ communes offerri poſſint pro excommunicatis, qui ſunt in gratia; & per quos non ſtat, quominus abſoluantur; & ſi offerantur pro eis, proderunt ipſis? Duplex datur ſententia, & utraque ſatis probabilis. Prima affirmatiua. Quam tenet Ricardus *in* 4. *diſt.* 18. *art.* 7. *quæſt.* 2. Turrecrem. *Canon. ſi quis Epiſcopus* 11. *quæſt.* 3. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 18. & 36. quos refert, & ſequitur Auil. *diſp.* 8. *dub.* 2. *concl.* 1. Reginald. *lib.* 32. *num.* 23. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 15. *num.* 2. Sayr. *libr.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. Megala *in* 3. *part. libr.* 2. *num* 16. Philippus Faber *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *diſp.* 4. *cap.* 4. *num.* 142. Quod probant. Primò: quia ideò Eccleſia excommunicatum his bonis priuat, quia eum reputat inimicum, & contumacem: ſed qui eſt in gratia Dei, per quem non ſtat, quòd abſoluatur, iam non eſt contumax, & inimicus: ergò, &c. Secundò: quia talis eſt membrum viuum Chriſti, & Eccleſiæ: ergò illius recipit influxum, & vitam, proindeque etiam ſuffragia, & fructus ſacrificiorum. Tertiò: quia non eſt credibile de pia matre Eccleſia, priuare tot bonis ſpiritualibus, & Sathanæ tradere quem Deus recepit amicum, & ad ſuam gratiam reconciliauit. Sed hæc argumenta etiam probant, manere omninò abſolutum ab excommunicatione, poſſeque Sacramenta recipere, & conferre, &c. qui eſt in gratia antequam abſoluatur. Cuius oppoſitum, *cap. præcedent. num.* 8. diximus.

*Non poſſunt offerri ſacrificia pro excommunicato, quamdiu non abſoluitur.*

54. Dicendum itaque eſt, excommunicatum, quamdiù non abſoluitur; etiamſi coram Deo dimittat contumaciam, & in gratia conſtituatur, non percipere fructus ſuffragiorum, aut ſacrificiorum, quæ nomine Eccleſiæ offeruntur, nec poſſe iſta pro illo offerri, aut applicari, quemadmodum nequit Sacramenta conferre, vel recipere, quia antè abſolutionem verè excommunicatus eſt: ergò ſubditus effectibus excommunicationis: & non eſt ratio, quare hos effectus, & non illos recipiat. Nec hoc eſt contrà pietatem Eccleſiæ: ſiquidem etiam manentibus culpis, reatus ad pœnam ſecundum rectam rationem perſeuerat, & eſt conuenientiſſimum, quòd non liberetur ab ea ex propria auctoritate, ſed per Eccleſiam, quæ ligauit eum. Tum ob maiorem cenſurarum reuerentiam, & timorem. Tum ob alia inconuenientia, de quibus *loco citato* locuti ſumus. Ideoque licet ſit membrum Eccleſiæ viuum excommunicatus in gratia exiſtens, quantum ad communionem cum alijs in bonis particularibus, & etiam communibus præcisè ſpiritualibus, quæ non ſubiacent Eccleſiæ iuriſdictioni, non verò quantum ad communionem in bonis Eccleſiaſticis, uſque dum per illius poteſtatem corpori Eccleſiæ annectatur, à quo per excommunicationem fuit præciſus. Ità Soto *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 1. *dub* 2. Suarez *diſp.* 9. *ſect.* 3. *num.* 2. Cornej. *diſp.* 10. §. 3. *dub.* 2. Dian. 5 *part. tract.* 9. *reſol.* 75. Hugolin. *tab.* 2. *cap.* 9. §. 1. *num.* 4. Coninch, *diſp.* 14. *dub.* 6. *num.* 49. & colligitur *ex cap. Sacro, cap. A nobis, de ſententia excommunicationis*, N. Ant. *diſ.* 2. *n.* 266.

*Nomine Chriſti validè, ſed non licitè pro excommunicato ſacrificium offerri poteſt.*

55. Sed inquires: An ſacrificium Miſſæ poſſit nomine Chriſti offerri à Sacerdote pro excommunicato, & ſi offeratur, illi proderit quoad fructum, qui ex illo ex opere operato ſequitur? Reſpondetur, illicitè offerri tale ſacrificium, ſaltem pro excommunicato vitando, peccareque mortaliter miniſtrum illud offerendo niſi ex aliqua cauſa excuſetur à culpa ob ignorantiam iuris, vel facti, vel alijs rationibus: imò etiamſi peccet offerendo, fructum illius percipere valet excommunicatus, ſi ſit in gratia, tàm ſatisfactorium, quam impetratorium: ſi non, ſaltem impetratorium. Sicut Sacramentum, quod indignus miniſter offert, prodeſt recipienti rectè diſpoſito, quamvis miniſter conferendo peccet. ¶ Et quidem, quòd illicitè ſacrificium offerat, conſtat: quia omnibus eſt probibitum communicare cum excommunicatis

nicatis

nicatis vitandis,in rebus diuinis. Quòd verò validè quoad fructum offeratur, probatur: quia ſacrificium ex opere operato ſemper operatur in ſubiecto capaci, quod impediri non poteſt ab Eccleſia, ſiquidem illud offertur in perſona Chriſti, quam gerit Sacerdos per ſuum characterem operando. Vndè ſicut Eccleſia non poteſt facere, quòd Sacerdos non conficiat valida Sacramenta; quamvis hoc illi prohibere poſſit; ita impedire nequit,quòd valida ſacrificia offerat; licèt quòd non offerat,præcipere valeat. Ità Cornejo *loc.cit.* Auila *dub.* 4. Suar. *ſect.* 4. Palaus *diſp.* 2. *punct* 6. *num.* 3.

*Orationes, & ſuffragia priuata pro excommunicatis poſſunt applicari.*

56. Orationes autem priuatæ, ſuffragia particularia, & bona opera offerri poſſunt pro excommunicato etiam vitando,ut inquit D.Thom. *in* 4.*diſt.* 16.*quæſt* 2.*art.* 1. (quidquid ſit, an poſſit Eccleſia illis priuare: quòd negat Sotus *in* 4. *diſt.*2.*qu.* 1.*art.* 4. & ex parte ſequitur Auil. 2 *part. cap* 6.*diſp.*4. *dub.* 1. *concl.* 1.) Nec iſta eſt communicatio in bonis ſpiritualibus, ſed actus miſericordiæ, & eleemoſynæ ſpiritualis. Vndè ſicut lex excommunicationis non prohibet, quòd eleemoſynam corporalem excommunicato conferamus; ita nec prohibet, quòd ſpiritualem. Ità D.Thom. Soto, Auila, & Cornej. *diſp.* 10. §. 3. *dub* 3. Dian. *reſol.*77. Palaus *num.* 3 Imò etiam in ſacrificio Miſſę in Memento poteſt quilibet Sacerdos, ut perſona particularia, priuatas orationes pro excommunicatis offerre, illiſque applicare, quòd ſibi priuatim correſpondet, ſicut, & alia ſua bona opera. Eò quòd ita gerit in illo ſacrificio perſonam Chriſti, aut Eccleſiæ,quòd non exuat rationem perſonæ priuatæ, quam etiam gerit. Et ſic ex ſua propria intentione, & nomine poteſt pro excommunicatis orare, & id, quòd ſibi ex opere operantis correſpondet, applicare pro illis, ut reſipiſcant, & ad meliorem frugem conuertantur. Ità Cornej. *dub.* 3. Suarez *diſp.*9.*ſect.*5.*num.*4. Dian. *reſol* 77. *citaſa*, Sayr. *lib.*2. *cap.*4. *num* 9. Auil. *concl.*2. Bonacin. *diſp.*2. *quæſt.*2. *punct.* 1. §. 3. *num.*6. Anton. *num.*264. & cum N. Lezana *loc. cit. num.* 52. Stephan. *hic cit.*

*Non poſſe pro toleratis ſuffragia communia offerri, aliqui dicunt.*

57. Sed difficultas eſt grauiſſima. An pro excommunicatis toleratis, putà pro publicis hæreticis, qui ſunt in Germania, Anglia, & Gallia, & alijs publicè excommunicatis (de quibus diximus *num.* 51. vitandos non eſſe, niſi nominatim excommunicentur, & denuncientur) poſſint ſacrificia communia, Eccleſiæ ſuffragia, & orationes nomine illius offerri? In quo eſt duplex ſententia. Prima eſt negatiua. Et probatur. Primò, quia de natura excommunicationis eſt,excludere excommunicatum à bonis,& ſuffragijs Eccleſiæ: ergò ſi talia ſacrificia, & ſuffragia poſſent offerri pro illis,non dicerentur excommunicati. Secundò:quia ex iure antiquo id fieri non poterat: nec etiam iure nouo Concilij Conſtantienſis. Tum: quia Concilium ſolum concedit fidelibus communicationem cum excommunicatis, quæ cedere poteſt in utilitatem & commodum ipſorum fidelium; non quæ directè cedit in excommunicatorum utilitatem,ut eſt iſta. Tum etiam: quia Concilium expreſsè aſſerit, ſe in nullo velle releuare, aut fauere excommunicatis, nullumq́; ſuffragium illis impertiri. Sed maximum ipſis concederet ſuffragium,multumque illos releuaret, ſi pro ipſis licitum eſſet,ſacrificia,& orationes publicas offerre: ergò,&c. Vndè licèt pro hæreticis, ſchiſmaticis ſacrificia poſſint offerri indirectè quando petimus,quòd Eccleſia, & fides Dei dilatetur: quòd obedientia Sedi Apoſtolicæ debita propagetur; non vero directè pro ipſis,ut conuertantur,vel alia commoda temporalia, aut ſpiritualia recipiant. Ità Suarez *diſp.*9. *ſect.* 2. *num.*17. Couarruu. *cap. Alma mater part.*1. §. 6. *num.* 4. Bellarm. *lib.*2. *de Miſſa, cap.*6. Auil. *diſp.* 9. *dub.* 3. Soto *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.*4. *concl* 2. Bonac. *qu.* 2. *punct.* 1. §. 1 *num.* 1.

*Pro excommunicatis etiam publicis, ſi non ſint vitandi, publica ſuffragia offerri poſſunt.*

58. Secunda tamen, & probabilior ſententia eſt affirmatiua. Quia in Concilio Conſtantienſi conceditur, quòd tàm intrà, quàm extrà, fideles poſſint communicare cum excommunicatis toleratis, tàm in diuinis,quàm in humanis: ergò poterunt pro illis dicta ſacrificia, & ſuffragia offerri. Probatur conſequentia: quia lex fauorabilis intelligenda eſt cum omni amplitudine, quam verba admittunt: ſed verba ſic generaliter prolata hanc amplitudinem admittunt: ergò, &c. Et ideò Eccleſia pro eodem accipit, nos cum aliquo communicare poſſe, & orationes publicas pro eo offerre, *cap. Sacris* 38. & *cap. A nobis* 28. *de ſentent. excomm.* Secundò: quia ſtat optimè, aliquem eſſe verè excommunicatum, & talia ſuffragia, & ſacrificia poſſe pro illo offerri: ergò non eſt ratio, quare pro toleratis offerri non poſſunt. Antecedens probatur: quia iure antiquo ſuffragia publica offerri poterant, pro occultis excommunicatis, ut fatetur ipſe Suarez, & colligitur ex *cap. Cum non ab homine, de ſentent. excommun.* & hoc: quia tunc excommunicati occulti ſolum in occulto erant vitandi, non in publico: ideoque poterant orationibus publicis adiuuari. Ergò cùm modo omnes excommunicati etiam publici, niſi denunciati ſint, aut percuſſores Clericorum, ſint tolerati, & poſſimus communicare cum illis, non erit, cur pro illis publica offerre ſacrificia, & ſuffragia non valeamus. ¶ Tertiò: quia Concilium concedit communicationem cum excommunicatis, quæ in commodum fidelium cedere poteſt, licet indirectè in utilitatem cedat excommunicatorum: ſed poſſe ſacrificia, & ſuffragia offerre pro illis, cedit in commodum fidelium, tùm ſpirituale ob meritum, quòd propter tale opus charitatis conſequuntur, tùm etiam temporale, ob ſtipendia, & alias utilitates, quæ inde percipere poſſunt, recipiendo oblationes ab eis, vel pro eis factas. Ità docent Palaus *n.* 50. Enriq. *lib.* 13. *c.* 51. *n.* 2. Hurtad. *diſp.* 2. *diff.* 4. *n.* 10. Coñin. *n.* 40. Sayr. *n.*6. Hugolin. *de cenſur. tab.*2. §. 2. *n.* 3. Nauarr. *cap.* 27. *n* 36. Dian. *reſol.*74. Reginald. *lib.* 32. *n.* 79. N. Anton. *n* 269.

*Soluuntur contraria argumenta.*

59. Ad argumenta contraria patet ex dictis, quomodo cedat in utilitatem fidelium talis indulgentia, quomodo Concilium ſit intelligendum, quomodo ſaluetur eſſe excommunicatos; tametſi in his bonis cum alijs communicare poſſint; dummodo ipſi non petant, nec ad hoc ſe intromittant, & tunc percipere fructum ſuffragiorum, quando ſpecificè pro ipſis applicantur à miniſtro, non vero quando generaliter pro omnibus fidelibus ab eo offeruntur: quia tunc cenſendum eſt, miniſtrum velle ſe conformare intentioni Eccleſię, quæ licet ipſis indulgeat, quod pro excommunicatis illa applicare poſſint;

non

non tamen interdicit ea applicare, nec eos ad participationem illorum admittere, niſi miniſter indulgentia ſibi conceſſa velit uti, ſpecificè pro ipſis applicando. In quo ipſos excommunicatos eſſe optimè ſaluatur, & à communibus Eccleſiæ ſuffragijs excluſos.

## PVNCTVM VI.

### *De quarto effectu excommunicationis, qui eſt priuatio communicationis cum alijs in diuinis officijs.*

*Quid nomine diuinorum officiorum intelligatur.*

60. CVilibet excommunicato, ſiuè vitandus ſit, ſiuè non; prohibitum eſt communicare cum alijs in officijs diuinis, *cap. Reſponſio, cap. Nuper, de ſentent. excommunicat. capit. Alma mater eodem tit. in 6. capit. Si quis, cui eodem tit. & libr. & tota cauſa* 11. *quæſt.* 3. Nomine officiorum diuinorum inprimis venit ſacrificium Miſſæ. Vndè ſi antè conſecrationem recordetur excommunicationis, quâ eſt ligatus, recedere debet, & relinquere ſacrificium D. Thom. 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad* 2. deinde officium ſeptem horarum, quòd publicè in choro dicitur. Ex quo fit, eſſe deobligatum excommunicatum à publicâ recitatione officij diuini, ad quam aliàs teneretur, ut ait Palaus, *diſput.* 2. *punct.* 9. *num.* 7. Denique publica proceſſio, benedictio cineris, ramorum, & cereorum ab Eccleſiâ ſolemniter facta, & aliæ cæremoniæ Eccleſiaſticæ, quæ nomine Eccleſiæ fiunt, Cornej. *diſp.* 10. §. 4. *dub.* 1. Suarez, *diſp.* 12. *ſect.* 12. Quarè peccat mortaliter excommunicatus aliqua ex his muneribus exercens, vel officium diuinum in choro, vel publicè, & ſolemniter recitans: quia qui avulſus eſt ab Eccleſiâ, nihil nomine eius poteſt operari, D. Thom. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 3. *ad* 1.

*Non poteſt excommunicatus, dum recitat, ſocium adhibere.*

61. Sed inquires. Primò: An poſſit excommunicatus, ut perſona particularis recitans officium diuinum, vel defunctorum, vel Beatæ Mariæ, alium vocare, ut ſecum recitet? Reſpondetur negatiuè: quia in *capit. Excommunicatos* cum duobus ſequentibus 11. *quæſt.* 3. interdicitur excommunicato communicatio etiam in oratione priuatâ cum fidelibus. At ſeclulo ſcandalo, & contemptu, non erit mortale peccatum alium vocare, ut ſecum recitet: quia uti ſocio ad recitandum priuatim officium diuinum, non videtur materia grauis. Ità Cornej. *dub.* 2. Couaruu. *cap. Alma mater, part.* 1. §. 3. *num.* 8. Bonacin. *quæſt.* 2. *punct.* 3. §. 2. *num.* 4. Hugolin. *tab.* 1. *cap.* 13. §. 14. Coninc. *diſp.* 14. *dub.* 7. *num.* 55. Diana, 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 89. N. Amico. *diſ.* 2. *num.* 309. Quod diximus, intelligitur, ſi excommunicatus ſit toleratus, quòd non poteſt ipſe recitare cum alio; alius verò poteſt recitare cum ipſo, & ipſe vocatus à non excommunicato, propter ea, quæ multoties diximus, quòd excommunicatus toleratus poteſt communicare cum fidelibus in ijs, quæ ipſi fideles volunt communicare cum illis. Soto *libr.* 1. *de iuſtitiâ quæſt.* 5. *art.* 3. *concl.* 6.

*Poteſt ſolus Horas Canonicas recitare.*

62. Poteſt excommunicatus etiam vitandus ſolus ſinè ſocio Horas Canonicas recitare: quia non prohibetur illi, ut pro ſe, aut pro alijs priuatim oret, etiamſi pſalmos, & orationes Eccleſiæ nomine ſuo dicat; non autem poteſt nomine Eccleſiæ eas recitare: & ſic dicere non poteſt. *Dominus vobiſcum*: quia hoc nomine Eccleſiæ dicit, & ut perſona communis, ſed loco illius dicat: *Domine exaudi orationem meam, &c.* Non tamen peccabit mortaliter ob paruitatem materiæ illa verba dicendo. Enriq. *libr.* 13. *cap.* 7. *num.* 2. Bonacin. *num.* 6. imò nullum eſſe peccatum, quandò ſolus recitat, inquit Nauarrus, *in ſumm. Hiſpan. capit.* 27. *numer.* 45. Auil. *diſp.* 4. *dub.* 6. *concluſ.* 3. Palaus, *diſp.* 2. *punct.* 9. *num.* 8. quia non eſt cum alijs communicatio, ſed priuata pro illis oratio, ſicut cùm dicit in inuitatorio matutino. *Venite adoremus, & exultemus, &c.*

*Non excuſatur excommunicatus à recitatione Horarum.*

63. Inquires. Tertiò: An excuſetur à recitatione Horarum Canonicarum excommunicatus, qui ratione ordinum, aut profeſſionis Religioſæ ad illas recitandas tenebatur? Reſpondetur negatiuè: quia cùm ipſe ſit obligatus ad hanc ſeruitutem, & pœnam, non debet ei delictum patrocinari; aliàs ex ſuâ contumaciâ reportaret commodum. ¶ Dices: etiam Parochus tenetur ad onus miniſtrandi Sacramenta; & tamen ſi eſt excommunicatus, excuſatur ab eo. ¶ Reſpondetur, ob iuſtas cauſas eſſe in iure illi prohibitam talem adminiſtrationem, & ſic ab eâ excuſatur: non autem prohibetur officium diuinum priuatim recitare: & ſic ratione excommunicationis non excuſatur ab hoc onere. N. Cornej. & Steph. *ſupr.* Sayr. *libr.* 2. *cap.* 3. *numer.* 3 Auil. & Couar. *cit.* Layman. *libr.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 7.

*Tenetur recitare officium, qui titulo beneficij ad id obligatur.*

64. Imò etiamſi titulo beneficij ſolùm ad Horas Canonicas teneatur, non excuſatur ab eis ratione excommunicationis: quia titulus ſemper perſeuerat, ratione cuius tenetur; nec eſt excuſandus ob ſuam contumaciam ab hoc onere. ¶ Dices: Non percipit fructus beneficij, quamdiù eſt excommunicatus: ergò non tenetur ad recitationem ratione illius. Quia, qui commodum non ſentit, nec onus ſentire debet. ¶ Reſpondetur, ſuâ culpâ priuatum eſſe fructibus beneficij; & damnum, quòd quis ſentit ſuâ ſponte, ſibi imputare debet, *reg.* 86. *de Regul. iuris in* 6. Ità Palaus *num.* 7. Bonacin. *num.* 3. Enriq. *libr.* 13. *cap.* 2. Gloſſa *litter. I.* Si tamen totaliter priuetur beneficio, non tenetur ad recitationem, ad quam ſolo titulo beneficij erat adſtrictus, ut benè inquit Couarruu. 3. *variarum, capit.* 13. *illatione* 12. Auila *concluſ.* 3.

*Non prohibetur excommunicatus, aliquibus ſacris uti.*

65. Inquires. Tertiò: An priuetur excommunicatus ingreſſu templi ad orationes, uſu ſacrarum Imaginum, Sanctarum Reliquiarum, aquæ benedictæ, &c. Reſpondetur negatiuè, ſed poteſt uti ſanctis imaginibus, reliquijs, aquâ benedictâ, & alijs Sacramentalibus, eas venerando, & ut excitetur ad actus virtutum, & conuerſionem, & quamuis aqua benedicta ab Eccleſiâ habeat benedictionem, poteſt illa uti, ut perſona priuata, non ut participet fructum, quem habet ex Eccleſiæ benedictione; ſed ut teneatur illam ceremoniam, ſeque confundat; quòd ſua culpa eſt priuatus tot bonis Eccleſiæ. Et ſimiliter poteſt coràm imagine, cui ſunt indulgentiæ conceſſæ, orare, non animo lucrandi eas: quia hoc ipſi eſt prohibitum; ſed ut illi reuerentiam exhibeat, & bonum aliquod impetretur. Suarez *diſput.* 12. *ſect.* 3. *numer.* 3. Sayr. *libr.* 2. *capit.* 3. *numer.* 9. Enriquez, *libr.* 13. *capit.* 7. *à numer.* 2. Palaus, *numer.* 14.

*Quomodò poſſit excommunicatus ingredi Eccleſiam?*

66. Poteſt etiam Eccleſiam ingredi, ibi eſſe, precesque priuatas fundere ſeparatus ab alijs fidelibus: quia non extat præceptum excludens excommunicatum ab ingreſſu Eccleſiæ, niſi cum diuina celebrantur: quia tunc præcipitur Oſtiarijs, ut excommunicatos expellant, *Cap. Epiſcopus, de conſecration. diſt.* 1. & ſic alijs temporibus poterit excommunicatus in Eccleſiâ eſſe, ibi orare, ſi in ſacello diſtincto ſeparatus ſit à fidelibus. Suar. *diſp.* 12. *ſect.* 3. *num.* 1. Coninc. *num.* 51. Bonacin. *num.* 8. Palaus *numer.* 14. Diana *reſolut.* 86. N. Ant. *num.* 310. Caiet. *ſumm. cap. de participat. cum excommunic.* 5. *Illicita autem.* Qui addit, poſſe etiam in eodem ſacello, in quo alij orant, priuatim, & ipſum orare: quia ſic non eſt inter eos communicatio, cùm non ſit communis oratio. ¶ Imò non eſt excommunicato prohibitum, ingredi Eccleſiam, vel cauſa commodioris itineris, vel ſecuritatis, nè à ſatellitibus comprehendatur, vel ex aliâ cauſâ, tempore quo diuina celebrantur, etiamſi tunc priuatim oret: nec tenentur ceſſare Sacerdotes, vel illum repellere, vel fideles ab Eccleſiâ exire, ſi ipſe intereſſe non velit officijs, aut Miſſam audire; ſed tantùm vel priuatim orare, vel aliud peragere negotium: quia ſic nullam communionem habent cum illo. Coninc. *de Sacrament. num.* 53. & 58. Diana *reſol.* 85. referens Paludanum, Gordinum, Megala, & Turrianum, Bonac. §. 1. *num.* 16. alios citans.

*Non poteſt excommunicatus intereſſe diuinis.*

67. Inquires. Quartò. An excommunicatus poſſit diuinis officijs intereſſe, ut Miſſæ, proceſſionibus, recitationi ſolemni, &c. ¶ Reſpondetur negatiuè; ſed peccare mortaliter, ſi illis interſit. Tum ex generali prohibitione non communicandi in diuinis. Tum etiam: quia hoc eſt ipſis ſpecialiter prohibitum, *cap. Illud, de Clerico excommunicato miniſtrante, cap. Is, qui, cap. Finali, de ſentent. excommunicat. in* 6. niſi non detur alius, qui Sacerdoti non poſſit miniſtrare: quia ſi eſt excommunicatus toleratus, poteſt illi deſeruire, ut aduertunt Cornej. *diſput.* 10. §. 4. *dub.* 2. Suarez, *diſp.* 12. *ſect.* 1. *num.* 2. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 9. *num.* 2. Nullam tamen pœnam incurrit: quia nulla in iure aſſignatur; imò nec minorem excommunicationem: quia hæc non imponitur excommunicato communicanti cum alijs, ſed alijs communicantibus cum excommunicato. Ità Bonacin. *quæſt.* 2. *part.* 3. §. 1. *num.* 6. Cornej. *diſp.* 10. §. 4. *dub. ultim.*

*Duplex caſus à regulà propoſità excipitur.*

68. Sed excipiendus eſt duplex caſus. Primus, quandò Sacerdos excommunicatus procurat, quòd coràm ſe Miſſa celebretur: quia tunc incurrit irregularitatem, *capit. Tanta, de exceſſibus Prælatorum, cap. Illud, de Clerico excommunicat. miniſtrant.* eò quòd fictione iuris cenſetur facere per ſeipſum, quod per alium facit. Vndè ſicut excommunicatus fieret irregularis, ſi alium ad celebrandum coràm ſe ſuâ authoritate moueret. Hugolin. *tab.* 2. *cap.* 8. §. 3. *num.* 6. Suarez, *diſp.* 12. *ſect.* 1. *num.* 5. Bonacin. §. 1. *num.* 7. Palaus *num.* 4. N. Anton. *num.* 301. ¶ Secundus caſus eſt, quandò excommunicatus aſſiſtens ſacrificio, & monitus eſt à Sacerdote, ut exeat ab Eccleſiâ, non vult exire: quia tunc incurrit excommunicationem maiorem Pontifici reſeruatam, *capit. Eos, de ſentent. excommunicat.* & Clement. 2. *eodem tit.* & hanc etiam incurrit interdictus denuntiatus, qui poſt admonitionem perſeuerat aſſiſtens ſacrificio, & etiam omnes, qui impediunt, quo minùs excommunicatus, vel interdictus recedat ab aſſiſtentiâ ſacrificij poſt admonitionem; ut colligitur ex *cap. Grauis, de ſentent. excommun.* & docent Palaus, & Bonacin. *locis citatis.*

*Quid facias miniſter, ſi excommunicatum aſſiſtere diuinis cernat.*

69. Inquires. Quintò: Quid faciendum ſit, quandò excommunicatus non toleratus vult aſſiſtere diuinis officijs? Reſpondetur, peccare mortaliter Clericos, qui coram excommunicatis vitandi recitant ſolemniter officium diuinum, vel Miſſam celebrant. Tum ob generale præceptum non communicandi cum excommunicatis. Tum ob ſpeciale de hoc puncto in *cap. Is qui, de ſentent. excommunicat.* & incurrunt pœnam excommunicationis minoris, *dicto cap.* & Clement. 2. *eodem tit.* Palaus *num.* 5. Auila 2. *part. cap.* 6. §. 9. *dub.* 8. ¶ Quarè ſi videant illum diuinis officijs velle intereſſe, debent potiùs ipſa omittere, ſi inchoata non ſunt, & alibi ſinè cantu recitare, vel celebrare, quàm coràm illo hæc munera exercere. Si autem inchoata iam ſint, monendus eſt excommunicatus, ut exeat, quòd ſi obtemperare noluerit, vi expellendus eſt, etiamſi ſit Clericus, *cap. Veniens, de ſentent. excommunicat.* Nec per hoc incurritur in pœnam Canonis: quia manus violentæ illi injiciuntur in defenſionem Eccleſiaſticæ poteſtatis. Sed ſi adhuc non poſſunt, nec vi, nec precibus expellere, etiamſi officia diuina inchoata ſint, ſunt linquenda, & alibi abſque ſolemnitate finienda. ¶ Et ſimiliter, ſi Miſſa inchoata ſit; nec ſit ad conſecrationem peruentum relinquenda eſt, & ab altari recedendum. Si tamen iam conſecratum eſt, finienda eſt Miſſa uſque ad conſumptionem: quia integritas ſacrificij eſt de iure diuino; quod debet præualere iuri Eccleſiaſtico. Sed omnes adſtantes debent ab Eccleſiâ exire; alioquin peccant communicando in diuinis cum excommunicato: & ipſe Sacerdos poſt conſumptionem, relictis alijs orationibus, & precibus, debet ab altari recedere. Totum habetur ex dictis capitibus, & notant Bonacin. § 1. *num.* 13. Cornej. §. 4. *dub.* 2. Quamvis nonnulli probabiliter dicant, quòd ſi Canon Miſſę ab illis verbis: *Te igitur* inceptus ſit, proſequenda eſt Miſſa uſque ad conſumptionem: quia ab his verbis, aliquâ ratione inchoata cenſetur conſecratio Suar. *diſputat.* 12. *ſection.* 1. Enriquez *libr.* 13. *capit.* 20. *numer.* 4.

*Prohibitũ eſt fidelibus, cum excommunicatis diuinis intereſſe.*

70. Inquires. Sextò: An non ſolùm ſit prohibitum excommunicatis, officijs diuinis intereſſe, ut recitationi ſolemni Miſſæ, proceſſioni, ſolemni benedictioni, &c. Sed etiam alijs fidelibus, ſimul cum illis concurrere in aſſiſtentiâ diuinorum? Reſpondetur affirmatiuè: quia hæc aſſiſtentia ad officium diuinum, quòd fit nomine Eccleſię, eſt communicatio omnium aſſiſtentium quia eſt exterior ſignificatio mutuæ unionis: & ſi ſit aſſiſtentia ſacrificio, in eâdem oblatione, omnes conueniunt. Vndè niſi aliquâ neceſſitate excuſentur, peccare mortaliter aſſiſtentes, aſſerunt Cornej. *diſp.* 10. §. 4. *dub.* 4. Bonac. *quæſt.* 2. *punct.* 3. §. 1. *num.* 9. quamvis non excedere culpam venialem, non improbabiliter aſſerant Suar. *diſp.* 12. *ſect.* 1. *num.* 10. & 16. & ex ipſo Palaus *diſp.* 2. *punct.* 9. *num.* 5. quia videtur illa nimis remota, & accidentalis communicatio.

71. Vndè qui vident excommunicatum vitandum ad audiendam eandem Miſſam cum illis

con-

*Quando fidelis recedere debet, ne participet in diuinis cum excommunicato.*

concurrere, vel in eâdem proceſſione, aut aſſiſtentiâ ad officia diuina, recedere debent, & exire ab Eccleſiâ ſi ſecùs fecerint, incurrent excommunicationem minorem. Si verò in eâdem Eccleſiâ concurrant; ſed non eandem, ſed diverſam ab illo Miſſam audiant, recedere non tenentur, nec Sacerdos eam relinquere: quia illa non eſt communicatio in officio diuino, ſed in materiali loci aſſiſtentia. Ità Cornej. Bonacin. Suarez, & Palaus *loco citato*. ¶ Si tamen fideles ſimul cum excommunicato, ad concionem concurrant, vel ad lectionem Theologiæ, vel iuris Canonici, aut Ciuilis, non tenentur recedere. Per hoc enim cum illo non communicant: unuſquiſque namque ex auditoribus, ſeorſim audit; nec ad idem opus communiter concurrunt: maximè in concione. Quam audire excommunicato non prohibetur: ſiquidem ad illius correctionem, & emendationem ordinatur. Ideòque nec ipſe concionator, aut lector tenetur, concionem, aut lectionem omittere, per hoc quòd videat, excommunicatum vitandum intereſſe propter eandem rationem, argumento *ex cap. Reſponſio, de ſentent. excomm.* Ipſe verò excommunicatus, ſi vitandus eſt, concionari, aut legere nequit: quia hoc per ſe ad ipſius doctrinam, & correctionem non ordinatur, ſed aliorum. Si tamen ſit toleratus, & ab alijs petatur, quòd concionetur, aut legat, id facere poteſt: quia ex *Concilio Conſtantienſi* poſſunt tolerati excommunicati communicare cum fidelibus, petiti ab ipſis, in ijs, quæ cedunt in fidelium utilitatem. Palaus *num.* 10. Cornej. §. 4. *dub.* 4. ¶ Et addit Palaus cum Suar. *ſect.* 2. *num.* 5. Bonac. §. 2. Quòd ſi excommunicato tolerato ex officio competat concionari, vel legere, etiamſi non petatur, poteſt concionari, aut legere iuxtà dicta *n.* 37. quia cenſendus eſt ab auditoribus requiri. Quilibet namque cenſetur velle, & petere, quæ ſibi neceſſaria ſunt. Denunciatus autem nihil horum poteſt: quia ſibi prohibitum eſt communicare cum alijs, & alijs, ut ſecum communicent.

*Non peccat excommunicatus Miſſam omittendo.*

72. Vltimò inquires: An peccet excommunicatus non audiendo ſacrum, ſi dies feſtus occurrat, vel non confitendo, aut communicando in Paſchate, ſi non eſt ab excommunicatione abſolutus? Reſpondetur, quòd ſi ſuâ culpâ non obtinet abſolutionem, & hoc, animo ſe eximendi ab obſervatione horum præceptorum, peccat mortaliter: quia per ſe intendit non adimplere præcepta Eccleſiæ. Si verò non eo animo, ſed alias, ex alijs rationibus, non abſolvatur: etiamſi negligens ſit in obtinendâ abſolutione, non peccat omittendo ſacrum: quia ad hoc ſolùm Eccleſia obligat non impeditos; nec tenentur ex vi illius præcepti auferre impedimenta. Aliàs qui in carcere eſſet, vel infirmitate oppreſſus, peccaret omittendo ſacrum, ſi ex ſuâ negligentiâ ab infirmitate vel carcere non liberetur. Bonac. §. 1. *num.* 4. Avil. *dub.* 7. Palaus *num.* 3. Coninc. *num.* 56. N. Ant. *num.* 299. N. Lezana *verb. excomm. quoad regul. num.* 23. At verò à confeſſione, vel communione non excuſatur, ſi ſit negligens obtinendi diſpenſationem: quia præceptum communionis, vel confeſſionis magis eſt divinum, quam poſitiuum, & ab Eccleſiâ ſolùm determinatur tempus, & ordinatur ad reconciliandum hominem cum Deo. Sed unuſquiſque tenetur auferre impedimenta, quæ ab obſeruatione præceptorum diuinorum impediunt, & obſtant quo minùs Deo reconcilietur, quandò ad id obligatur: ergò, &c. Ità Authores citati.



### PVNCTVM VII.

### *De quinto effectu excommunicationis, qui eſt privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ.*

*Quid nomine loci ſacri intelligatur, in quo nequit excommunicatus ſepeliri?*

73. EXcommunicatus denunciatus, qui antequàm abſolveretur, defunctus eſt, non poteſt in loco ſacro ſepeliri, etiamſi dederit ſigna contritionis, & doloris, quandò deceſſit. Quia æquum non eſt, quòd cum mortuo communicemus, quem vivum vitare tenebamur, *cap. Sacris, de ſepultur.* Clement. 1. *eodem tit. cap.* 2. *de Hæreticis in* 6. *cap. Conſuluiſti, de conſecratione Eccleſiæ, & altaris.* Nomine autem loci ſacri intelliguntur Eccleſia, Clauſtra, Cœmeteria, & alia loca, vel ad officia diuina deputata, vel ad ſepulturas fidelium ex Epiſcopi benedictione, vel communi uſu, & conſuetudine, *capit. fin. de conſecrat. Eccleſiæ, & Altaris,* Cornej. *diſp.* 10. §. 8. *quæſt.* 1. Avil. *cap.* 6. *diſp.* 4. *dub.* 8. Sayr. *libr.* 2. *cap.* 4. *num.* 10. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 6. *num.* 13. Bonac. *quæſt.* 2. *punct.* 3. §. 3. N. Lezana. *num.* 53. ¶ Sed hæc intelligenda ſunt de excommunicatis vitandis. Nam ſi tolerati ſint in loco ſacro ſepeliri poſſunt, ſi cum ſignis pœnitentiæ deceſſerint. Tum, quia textus ſuprà allegati ideò prohibent, excommunicatos ſepeliri, nè cum illis communicemus: ſed cum toleratis communicare poſſumus in vitâ, ex Concilio Conſtantienſi: ergò etiam poſt mortem. Tum etiam, quia ut diximus, *cap.* 1. *num.* 164. prohibitio ſepeliendi mortuos excommunicatos directè tendit ad vivos ut cum illis non communicent; ſed eos fugiant, & deteſtentur: ſed à non vitandis fugere non tenemur: ergò, &c. Cornej. *loc. cit. in fin.* Sayr. *n.* 12. Palaus *num.* 12. Coninc. *diſp.* 14. *dub.* 6. *num.* 45. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 36. Convenientiùs tamen erit illos priùs abſolvere: tum ob reverentiam cenſuræ: tum etiam, ut omnis auferatur dubitatio, an illis proſint Eccleſiæ ſuffragia.

*Quid faciendum quandò in Eccleſiâ ſepelitur excommunicatus?*

74. Sed rogabis, primò, quid faciendum ſit, ſi excommunicatus vitandus ſepultus fuerit in loco ſacro? Reſpondetur, quòd ſi ab alijs corporibus diſcerni poſſit, extumulandus eſt, & foràs proijciendus, *cap. Sacris, de ſepulturis*, & Eccleſia ſolemni aſperſione reconcilianda eſt, & purganda: quia polluta fuit, cum hoc diſcrimine; quod ſi in Eccleſiâ ſepeliatur, manet etiam pollutum cœmeterium, quia acceſſorium eſt illi, non econtrà, *cap. Conſuluiſti, de conſecratione Eccleſiarum in* 6. Et ideò, reconciliatâ Eccleſiâ, manet etiam reconciliatum cœmeterium. Nec poterunt in Eccleſiâ antè reconciliationem officia diuina celebrari, vel fidelium corpora ſepeliri. ¶ Si dederit ſigna pœnitentiæ antè mortem, abſolvendus eſt antequàm ſepeliatur, *cap. A nobis* 1. *de ſent. excomm.* Si verò contingat, antè abſolutionem ſepeliri, non eſt exhumandus, ſed abſolvendus, petitâ priùs abſolutione ab hæredibus: iuxtà Gloſſam, *cap. Ad hæc, de Privilegijs, cap. Si Civitas, verb. Sepeliri, de ſentent. excomm. in* 6. Palaus *num.* 13. Cornej. *loc. cit.*

*Excommunicatus omni honore funeris privatur.*

75. Rogabis, ſecundò: An excommunicatus vitandus priuetur omni honore Eccleſiaſtico, qui in tumulatione fidelium ſolet adhiberi? Reſ-



Digitized by Google

ponderur affirmativè. Et ſic peccant mortaliter vel Clerici canentes, vel alij funus more Eccleſiaſtico comitantes, *cap. Placuit* 23. *quæſt.* 5. Ex quo colligitur, peccare eos, qui cum pompâ Eccleſiaſticâ, nempè cum Pſalmis, Orationibus, Præcibus, Cruce, Ornamentis, deferunt excommunicatum ad ſepulturam non ſacram. Cùm ſit indecens valdè ad ſepulturam cum beſtijs commuoem cupit deferri illâ pompâ, quâ fidelium funus honeſtatur. Ità Cornej. *diſp.* 10. ſ. 8. *quæſt.* 4. Bonac. *num.* 6. Alterius *lib.* 1. *diſp.* 10. *cap.* 6. *verſ. Tria enim.* N. Ant. *num.* 316. Qui addunt non poſſe Clericos pro huiuſmodi excommunicatis defunctis recipere eleëmoſynas, vel oblationes offerre.

*Quæ pœna ſit impoſita pro ſepelien-dis excommunicatis?*

76. Rogabis, tertiò: quam pœnam incurrant, qui excommunicatum vitandum ſepeliunt, vel illius funus comitantur? Reſpondetur, quòd quandò excommunicatus vitandus ſepelitur in loco ſacro, qui funus comitantur, ad minùs incidunt in excommunicationèm minorem generalem omnibus, qui communicant cum excommunicatis. Sed ſepelientes illum in loco ſacro etiam incurrunt maiorem excommunicationem, à quâ abſolvi non poſſunt, niſi ad arbitrium Epiſcopi, eis, quibus per id factum irrogata fuerit iniuria, ſatisfactionem exhibuerint competentem, *Clementin.* 1. *de ſepultur.* & ſub illâ comprehenduntur omnes Clerici ſæculares, mulieres, & quicumque mortuum ſepelierint: quia omnes ſub verbis generalibus Pontificis comprehenduntur. Et eamdem excommunicationem incurrunt, qui nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire preſumunt, quia ità aſſeritur in prędicta *Clementin.* ſed ad hoc requiritur, quòd ſcientes excommunicatum ſepeliant. Si enim ignorent, eſſe excommunicatum, etiamſi ignorantia ſit craſſa, à tali excommunicatione liberantur: quia in dictâ *Clementin. dicitur: Qui ſcienter id facere præſumpſerint.* Ità communiter Doctores.

*Sepelientes excommunicatum toleratum nullam pœnam incurrunt.*

77. Sed difficultas eſt duplex inter illos. 1. an dictam excommunicationem incurrant, qui excommunicatos toleratos ſepeliunt? Ad quam reſpondemus negativè, etiamſi ſint publici hæretici; dummodò non fuerint ſpecialiter denunciati, & etiamſi impœnitentes decedant. Quia, ut multoties diximus ex *Concilio Conſtantienſi, & extravag.* Martini V. *Ad evitanda*, ſolùm evitare tenemur excommunicatos denunciatos, & notorios Clericorum percuſſores; alios verò minimè, etiamſi ſint publici. Vndè ſicut cum illis communicare poſſumus in vitâ, ſic licitè etiam in morte. Et ità tenent Avil. *diſp.* 10. *dub.* 6. Palaus *num.* 14. Enriq. *libr.* 13. *cap.* 11. *num.* 3. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 8. Suar. *diſp.* 12. *ſect.* 4. *à num.* 5. N. Ant. *num.* 320. Sepeliens verò hæreticum per ſententiam damnatum, incurrit maiorem excommunicationem, à quâ non eſt abſolvendus, niſi priùs proprijs manibus extrahat corpus defuncti, & alibi proijciat, *cap. Quicumque, de hæreticis in* 6.

*Qui dicantur excommunicatū ſepelire.*

78. Gravior eſt autem ſecunda difficultas: Qui videlicet dicantur excommunicatum ſepelire, ut excommunicationem Clementis I. *de ſepulchr.* incurrant? Circà quam eſt certùm, non incurrere excommunicationem illam vel comitantes funus, vel Clericos canentes, Crucem portantes, campanas pulſantes, vel corpus ad ſepulturam deferentes: quia hi omnes impropriè dicuntur defunctum ſepelire. In quo ferè omnes conveniunt. Et ſolùm eſt difficultas: An mandantes, vel procurantes, quòd excommunicatus in loco ſacro ſepeliatur, hanc excommunicationem incurrant? In quo eſt duplex ſententia, utraque ſatis probabilis.

*Prima ſententia circà quæſtionem propoſitam.*

79. Prima aſſerit, ſolùm incurrere hanc excommunicationem, qui proprijs manibus corpus defuncti capiunt, in ſepulturam proijciunt, & terrâ cooperiunt; non verò illud mandantes, vel procurantes: quia talis excommunicatio lata eſt contrà ſepelientes. Sed cenſura lata contrà facientes, non comprehendit mandantes, & procurantes, ut diximus *cap.* 1. *punct.* 12. *num.* 145. niſi exprimantur. Ergò cùm in præſenti mandantes non exprimantur, ſub tali cenſurâ minimè comprehenduntur. Ità Bonac. *num.* 8. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 43. *n.* 3. Avil. *antè cit.* Caiet. *verb. Excommun.* *n.* 46. Hurtad. *diſp.* 5. *de excomm. diff.* 4. Villalob. *tract.* 17. *diff.* 30. *n.* 2. Leand. *tract.* 2. *de excomm. diſp.* 8. *quæſt.* 24. *&* 25. Anton. à Spiritu S. *n. citato.*

*Secunda, & verior ſententia eligitur, & probatur,*

80. Probabiliùs nihilominùs dicendum eſt, comprehendi etiam mandantes, & procurantes, quòd defunctus ſepeliatur in loco ſacro. Quod ſic probatur: quia quandò lex, aut conſtitutio eſſet fruſtranea, aut ferè ridicula, niſi ad caſum extendatur ſub proprietate verborum non comprehenſum, extendenda eſt ad illum: maximè ſi ſecundum modum communem loquendi ſub illis verbis ſit comprehenſum. Sed ſi lex dicta, & conſtitutio in Clementin. citatâ concepta non extenderetur ſaltem ad mandantes, & procurantes (qui communi modo loquendi ſepelire dicuntur, quandò id præcipiunt, aut procurant) fruſtranea eſſet omninò, imò ferè ridicula: eſſet quidem fruſtranea, quia qui manibus corpus in foveam proijciunt, & terra cooperiunt, ſemper ſunt homines ruſtici, iuris ignari, qui facilè poſſent per metum impelli ad id faciendum: & ſic numquàm cenſura ſuum ſortiretur effectum eſſet etiam ferè ridicula: quid enim magis ridiculum, quàm aſſerere, velle Pontificem graviſſimis verbis, & pœnis homines ruſticos, ignaros, puſillanimes punire, & eos, qui omninò ſunt in causâ talis delicti, quique obligationem illud ſciendi habebant maiorem, immunes ab omni pœnâ relinquere. Ità Palaus *num.* 15. Hugol. *tab.* 1. *cap.* 9. §. 5. Coninc. *dub.* 8. *num.* 68. Suar. *num.* 10. Filliuc. *cap.* 4. *quæſt.* 10. *dict.* 2. *num.* 111. Dian. 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 98.

## PVNCTVM VIII.

### *De ſexto effectu excommunicationis, qui eſt privatio iuriſdictionis Eccleſiaſticæ.*

*Omnis iuriſdictio eſt ablata ab excommunicatis.*

81. OMnes excommunicati maiori excommunicatione ſivè tolerati ſint, ſivè non, impediti ſunt ab uſu cuiuſcumque iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Quia cùm ſint ab Eccleſiæ corpore præciſi, non poſſunt, quæ ſunt intrà corpus Eccleſiæ, & nomine illius geruntur, exercere: & cum ipſis ſit communicatio cum alijs prohibita, multò magis illa, quæ præcipua eſt in Eccleſiâ, ut eſt iuriſdictionis exercitium, *cap. Si is cui, de offic. delegat. in* 6. *cap.* 1. *de officio Vicarij in* 6. *cap. Decrevimus, de ſent. excomm. eod. lib. cap.* 1. *de ſupplendâ negligentiâ Prælatorum*, & alijs iuribus. Quæ licèt de iuriſdictione in foro externo præcipuè loquantur, etiam de foro interno, & pœnitentiali communiter intelliguntur, quia interdum abſolutè, & ſimpliciter

plicitèr loquuntur: & quia ratio illorum æquè in utroque foro currit, nimirùm, quòd excommunicati ſint privati ab officio, & beneficio, & ſic ab exercitio muneris, quòd ſibi ratione officij competit. Vndè peccabit mortaliter excommunicatus, qui eo tempore exercitium iuriſdictionis operatur, niſi parvitas materiæ eum excuſet: ut ſi concederet licentiam in re parvi momenti, Palaus *diſp.* 2. *punct.* 13. *num.* 1. Cornej. *diſp.* 10. §. 5. *dub.* 1. N. Ant. *diſ.* 2. *num.* 346.

*Quomodò acta per excommunicatum toleratum ſint valida, vel invalida?*

82. Sed inquires, primò. An ſit valida, quæ geſta ſunt per excommunicatum toleratum tàm in foro exteriori, quàm interiori? Reſpondetur ſub diſtinctione. Vel enim excipitur, & reijcitur à parte litigante, vel non? Si excipiatur, nullius ſunt valoris ab eo acta: quia Concilium Conſtantienſe nullum favorem conceſſit ipſis, niſi quatenùs fideles ipſis uti volunt in ordine ad ſuam utilitatem, ſed hoc ipſo quòd excipiantur, iam non eliguntur à fidelibus in ſuum commodum. Verùmtamen excipiens debet ſpeciem excommunicationis, & illius authorem intrà octo dies manifeſtè probare: & ſi non probet, nulla erit exceptio, *cap.* 1. *de exceptionibus in* 6. Sic Bonac. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 4. & ex ipſo Palaus *num.* 4. Coninc. *diſp.* 14. *dub.* 10. *num.* 89. ¶ Si tamen non excipiatur modo dicto, omnes actus iuriſdictionis ab eo geſti ſunt validi (& etiam liciti, ſi requiſitus à fidelibus eos exerceat) ut electio, præſentatio, collatio beneficij, abſolutio &c. Et probatur 1. quia ſi geſta illius eſſent invalida, magna exoriretur in Republicà confuſio, plurima incommoda reſultarent, nec ſatis caverentur animarum pericula: quòd intendit Concilium, quandò illorum communicationem fidelibus conceſſit. 2. quia Concilium Conſtantienſe, & Martin. V. in ſuâ *Extravag. Ad evitanda*, concedens facultatem fidelibus communicandi cum ipſis excommunicatis toleratis, conſervavit in illis iuriſdictionem, ut apti eſſent ad communicandum cum alijs: ergò actus iuriſdictionis acti per illos erunt validi. Ità Sayr. *libr.* 2. *cap* 6 *num.* 1. Suar. *diſp.* 11. *ſect.* 4. *num.* 9. Palaus *num.* 3. Bonac. *num.* 3. Coninc. *num.* 89. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 7. *num.* 17. Cornej. §. 4. *dub.* 2. Hurtad. *diſp.* 5. *diff.* 2. *in fine.* Avil. 2. *part. cap.* 6. *diſp.* 6. *dub.* 3.

*Acta per excommunicatum vitandum facta ſunt nulla.*

83. Inquires, ſecundò. An acta iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, per excommunicatum vitandum non ſolùm ſint illicita, verùm etiam invalida? Reſpondetur affirmativè, uti ex communi ſententià docent Suar. *diſp.* 14. *ſect.* 1. Sayr. *libr.* 2. *cap.* 6. *num.* 15. Bonac. *num.* 1. Coninc. *ſup. num.* 87. Cornej. & Palaus *loc. cit.* Ant. *num.* 347. & colligitur ex *cap. Ad probandum, de ſentent. & re iudic. cap. Adverſus, de immunitate Eccleſiarum*, *iuncta Gloſſa* ibi. Et probatur: quia Eccleſia non ſolùm prohibet uſum iuriſdictionis ex communicatis vitandis; ſed aufert eam ab illis: ergò acta per illos erunt nulla. Vndè non poteſt alijs ſuas delegare vices, quia delegatio eſt actus iuriſdictionis, *leg. Imperium, ff. de iuriſdictione omnium iudicum.* Nec poteſt cenſuras ferre propter eamdem rationem. Si tamen ſub conditione antè excommunicationem cenſuram aliquam, vel generalem, vel particularem impoſuit, v. gr. pro omnibus furantibus: ſi quis, tempore quo erat excommunicatus, furaretur, non incurreret illam: quia tunc habet vires cenſura, quandò conditio ponitur: ergò ſi tunc defuit iuriſdictio in ferente, non incurritur, Suar. *diſp.* 3. *ſect.* 4. Hugol. *tab.* 1. *cap.* 2. §. 2. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 3. *quæſt.* 9. *num.* 70. Bonac. *num.* 10. Nec tenentur ſubditi illi præcipienti obedire: imò non poſſunt, ſed peccant illi obtemperando: quia per hoc cognoſcunt in eo ſuperioritatem præcipiendi, quam Eccleſia abſtulit ab eo per cenſuram, excuſantur tamen regulariter ratione urbanitatis, ob quam illius morem gerunt, quin in ipſo ius imperandi, aut ſuperioritatem agnoſcant.

*Qui actus exerciti ab excommunicato vitando ſint nulli?*

84. Ex dictis *num. præced.* colligitur, actus iſtos factus ab excommunicato vitando eſſe nullos: videlicet abſolutio, ligatio, diſpenſatio, facultatis conceſſio ad Sacramenta miniſtranda: quia ſunt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ: ſimiliter collatio beneficij, *cap. Adprobandam, de ſent. & re iudic. cap. Tanta, de exceſſib. Prælatorum.* Quod etiam extenditur ad electionem, quæ ius in beneficium præbet (non ità illa, quæ tale ius non confert: ut ſi in teſtamento relinquantur bona ad electionem alicuius diſtribuenda) talis ergò electio facta ab excommunicato eſt nulla, ex *cap. Cùm dilectus, de conſuetudine, cap. Cùm iter* 1. *de electione.* Sed excipitur in *Clementin. Ne Romani, de electione.* Electio Summi Pontificis, quæ valida eſſet, etiamſi ab excommunicatis facta foret; nè præbeatur occaſio ſchiſmatis, & alia plura damna oriantur in Eccleſiâ, ſimiliter non poteſt iudex arbiter conſtitui: ſed ſententia ab ipſo data erit nulla: quia arbitria ad iudiciorum formam redacta ſunt, *leg.* 1. *ff. de Arbitris.* Hæc omnia apud Authores obvia reperies, à quibus proindè recenſendis deſiſtimus.

*Quandò facta per delegatum ſunt nulla exiſtente excommunicato delegante?*

85. Inquires tertiò. An facta à iudice delegato ſint nulla, ſi delegans ſit excommunicatus vitandus? Reſpondetur ſub diſtinctione. Nam vel res eſt integra, & nullo modo inceptus iuriſdictionis actus circà illam: vel iam eſt incepta lis, vel iudicium? Si primum, omninò ſunt nulla facta à delegato, quia iuriſdictio delegati à delegante dependet omninò: quarè hâc ablatâ, vel impeditâ per cenſuram, caſſantur; niſi inceptum ſit iam iudicium; quia tunc illis concedit ius facultatem uſque ad concluſionem proſequendi, *cap. Relatum, cap. Gratum, cap. Licèt, de officio delegati*, Sayr. *libr.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. Avil. 2 *part. cap.* 6. *diſp.* 6. *dub.* 4 Palaus *diſp.* 2. *punct.* 13. *num.* 10. Cornej. *diſp.* 10. §. 5. *dub.* 1. Ant. *num.* 349. Nec hinc fit, facultatem delegatam ad audiendas confeſſiones ſuſpendi per delegantis excommunicationem: quia eſt gratia conceſſa, quæ ob impedimentum, vel mortem delegantis non infirmatur, Sot. *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 3. Avil. Palaus *num.* 10. Bonac. *num.* 13. Sed quandò diximus, quòd poſt inceptum iudicium poteſt delegatus illud proſequi, etiamſi delegans ſit excommunicatus, intelligendum eſt, quandò delegatus verè eſt talis, & conſtituit diverſum tribunal cum delegante. Si enim unum cum illo tribunal conſtituat, etiamſi cœptum ſit iudicium, ceſſat iuriſdictio, ſicut protinùs expirat per mortem delegantis, *cap. Romana, de officio Vicarij in* 6.

*An Vicarius Epiſcopi habeat iuriſdictionem, Epiſcopo excommunicato?*

86. Vndè inferendum eſt, quod ſicut mortuo Epiſcopo, iuriſdictio Vicarij generalis, ſeu Proviſoris illius expirat; ità, illo ſuſpenſo, vel excommunicato omninò ceſſat, etiamſi res non ſit integra, & acta per illum erunt nulla; quamvis ipſe ſit iudex ordinarius, & non præcisè delegatus.



Digitized by Google

Ratio eſt: tum, quia eſt acceſſorium, & ideò ſequitur naturam principalis: tum etiam, quia Vicarius generalis unum tribunal conſtituit cum Epiſcopo, & ſic ab eo ad Epiſcopum non datur appellatio, *cap. 2. de conſuetudine in 6.* Sanch. *lib. 3. de Matrim. diſp.* 30. Avil. *loc. cit.* Sayr. *lib. 1. cap. 5. num.* 33. Suar. *diſp. 15. ſect. 2. num. 4.* Bonac. *num.* 12. Palaus, Anton. & Cornej. *citat.* Atque hinc apparet, quarè, mortuo Rege, vel excommunicato, non expiret, vel ſuſpendatur iuriſdictio ordinaria ab eo ſuis Magiſtratibus conceſſa, *cap. 2. de offic. delegati in 6. leg. Quia, ff. de iuriſdictione omnium iud.* quia videlicet diſtinctum ab eo tribunal cōſtituunt & ſic à Magiſtratibus ad Regem datur appellatio.

*Electio, cui excommunicatus ſuffragium fert, eſt nulla.*

87. Sed nunc reſtant quatuor difficultates à nobis decidendæ. 1. difficultas eſt: An electio ſit nulla, ad quam excommunicatus vitandus concurrit ſimul cum alijs, & ſimul cum illis fert ſuum ſuffragium? In quâ difficultate duo ſunt certa apud omnes, & circà unum eſt inter DD. controverſia. Certùm enim eſt, quod ſi ſuffragium excommunicati ità neceſſarium eſſet ad electionem, ut ſinè illo electio non fieret, nulla eſſet, & invalida talis electio, argumento *ex cap. Ad probandum, de ſent. & re iudic.* ubi actus à duobus iudicibus, quorum unus erat excommunicatus, dicitur nullus. Similiter eſt certùm, quòd ſi excommunicatus ſe ingerat ad electionem contrà voluntatem electorum, qui illum eijcere nequeunt, vel ipſis excommunicationem ignorantibus, non caſſatur electio; ſuppoſito, quòd ſuffragium illius non ſit neceſſarium: quia ob participationem cum excommunicato, quam vitare nequeunt electores, non debent ſuo iure privari. Difficultas ergò eſt, quandò ſcientibus, & conſentientibus alijs, ſimul cum illis ſuffragium fert, an ſit irrita electio, etiamſi tale ſuffragium ſuperſit, & non ſit neceſſarium? Duplex datur in hoc puncto ſententia.

*Quid ſi duplex ad electionem cū excommunicato concurrant?*

88. Prima affirmativa: quam tenet Sayr. *lib. 2. cap. 6. num.* 5. & ſequitur N. Cornej. *diſp.* 10. §. 4. *dub.* 1. Et probant, primò, ex *cap. final. de Procuratoribus, cap. Maſana, de electione.* Vbi irritatur electio ad quam aliquis inhabilis ſuffragium tulit. Secundò, quia hoc ipſo, quòd alij ſcienter, & liberè admittant excommunicatum ad electionem, oſtendunt, ſe nolle eligere, niſi ille concurrat: cùm ergò ille inhabilis ſit ad concurrendum, factum ab omnibus erit nullum. ¶ Cæterùm licèt hæc ſententia ſit probabilis; probabilior tamen eſt negativa: tum, quia nullus datur textus talem electionem annullans. Illi enim, qui pro ſententiâ contraria referuntur, ſolùm dicunt, irritandam eſſe à confirmatore, vel loquuntur in caſu, quo ſuffragium inhabilis ſit neceſſarium. Tum etiam, quia per conſortium excommunicati, & inhabilis, nō inhabilitantur electores: ſiquidem *utile, per inutile non vitiatur, de Regulis iuris in 6.* & quamvis nolint, ſua ſuffragia, niſi ſimul cum excommunicato concurrere, at non præſumitur, eos velle ſua irrita eſſe ſuffragia, quandò excommunicati ſuffragium irritum relinquitur: Ità Palaus *num.* 13. Hurtad. *diſp. 7. diff. 3. num.* 8. Bonac. *num.* 6. Coninc. *num.* 93. N. Ant. *num.* 356.

*Præſentatio facta à Clerico excommunicato eſt nulla.*

89. Secunda difficultas eſt. An ſit nulla præſentatio ad beneficium, vel officium facta à Patrono excommunicato vitando? Reſpondetur ſub hâc diſtinctione. Vel enim præſentatio ſit à Clerico ut tali, ſeu per poteſtatem Eccleſiaſticam illam exercente ratione beneficij, aut dignitatis Eccleſiaſticæ: & ſic eſt omninò nulla. Colligitur ex *cap. Trigeſimus 16. quæſt. 7. cap. fin. de electione in 6.* Et probatur: tum, quia in iure Eccleſiaſtica præſentatio comparatur electioni: argumento ex *cap. Nobis, de iure Patronatus, cap. Querelam, de electione:* ſed electio facta ab excommunicato eſt nulla: ergò etiam præſentatio: tum etiam, quia excommunicatus vitandus privatur ab officio, & beneficio: & ſic à iuriſdictionis uſu, qui provenit ex officio, vel beneficio: ſed præſentatio Eccleſiaſtica provenit ab officio, vel beneficio Eccleſiaſtico: ergò, &c. Ità docent Covarr. *cap. Alma mater, part. 1. §. 7. n.* 9. Palaus *num.* 15. Sayr. *num.* 7. Enriq. *lib. 13. cap. 7. num.* 2. Hugol. *tab. 2. cap. 13. §. 2. n.* 13. Cornej. §. 5. *dub.* 1. Villalob. *1. tract. 17. diff. 12. num.* 3. Dian. *5. p. tract. 9. reſ.* 105. Leand. *tract. 2. de excomm. diſp. 10. quæſt.* 15. Garc. *de Beneficijs 5. part. cap. 4. num.* 317. Ant. *num.* 35.

*Præſentatio facta à laico valida eſt, quamvis illicita.*

90. Vel præſentatio facta eſt à laico, vel à Clerico non ratione alicuius dignitatis, aut beneficij Eccleſiaſtici; ſed quia illi competebat, titulo patrimonij, vel alio ſæculari: & ſic eſt valida, quamvis illicita. Primò, quia laicus (idem cum proportione de Clerico) etiamſi excommunicatus, poteſt ſuum patrimonium validè miniſtrare: ſed præſentat, ut quid pertinens ad ſuum patrimonium: ergò valida eſt talis præſentatio. Secundò, quia ideò præſentatio Eccleſiaſtica eſt nulla, quia eſt actus iuriſdictionis, & poteſtatis Eccleſiaſticæ: ſed præſentatio, de quâ loquimur, non eſt actus iuriſdictionis, aut poteſtatis Eccleſiaſtica: ergò non caſſatur. Ità Sayr. Palaus, Enriq. Hugol. Garc. Dian. Ant. *num* 358. N. Cornej. Villalob. *ſupr. cit.* Qui etiam addunt, quod licèt præſentatio valida ſit nō tenetur inſtitutor eam admittere, etiamſi facta ſit ab excommunicato tollerato; tametſi perſona præſentata digna ſit, & ſolùm excommunicatio præſentantis obſtet: quia nemo tenetur cum excommunicatis communicare. Vndè ſi excommonicatus Patronus præſentet in caſu *numeri præcedentis*, & etiam in caſu præſenti: ſed nolit Epiſcopus eam acceptare, & præſentatum inſtituere, & terminus ad præſentationem conceſſus tranſeat, iure devoluto, devolvitur ad ipſum Epiſcopū ius præſentandi, & ſic inſtituere poteſt, quem voluerit, tamquàm ſi Patronus eſſet in morâ præſentandi.

*Reſignatio facta ab excommunicato eſt valida.*

91. Tertia difficultas eſt. An reſignatio beneficij facta ab excommunicato ſit valida? Reſpondetur, quòd ſi facta fuerit ab excommunicato tolerato valida eſt in omnium ſententiâ, quia eſt actus, qui non in favorem illius, ſed alterius cedit. Si autem facta ſit à vitando, & fuerit ſimplex, & abſoluta reſignatio, omnes concedunt, validam eſſe: quia talis reſignatio nihil aliud eſt, quàm ceſſio beneficij, quæ fieri poteſt, imò expedit, quòd fiat, ab excommunicato, qui illius munera non poteſt exercere. Si tamen ceſſio ſit facta in favorem tertiæ perſonæ, aliqua eſt difficultas. Non probabiliter iudicamus, talem ceſſionem valere: & movemur, primò, quia hæc reſignatio non eſt actus iuriſdictionis, cùm non ſit præſentatio, electio, aut inſtitutio, &c. ſed quædam manifeſtatio voluntatis ſuperioris, ut tale beneficium conferat perſonæ, in cuius favorem illud reſignamus: ergò non eſt, undè irritetur per excommunicationem. Secundò, quia reſignatio in favorem tertij ſolùm addit ſuprà beneficij ceſſionem, deſigna-

tionem

tionem perſonæ: quæ deſignatio nullum tribuit ius deſignato, cùm revocari poſſit, donec concedatur à Pontifice. Quod ſufficit, ut non ſit actus iuriſdictionis, qui irritetur per cenſuram. Indè enim plures Doctores probant, laicam præſentationem, de quâ diximus *num. præced.* non irritari per excommunicationem: quia non tribuit ius firmum in beneficium: ſiquidem Patronus eam variare poteſt, antequàm fiat inſtitutio, ex *cap. Cùm autem, de iure Patronatus*, & ibi Gloſſa. Nobiſcum ſentiunt Bonac. *num.* 7. Palaus *num.* 16. Luiſius *lib. 2. de cenſ. diſp.* 15. *dub.* 5. Quem ref. & ſeq. Dian. 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 106. idem tenet Ant. *n.* 362. *& ſeq.*

*Quæ fiunt ab excommunicato, ut à perſonâ particulari, ſunt valida.*

92. Vltima difficultas eſt: Vtrùm ea, quæ fiunt ab excommunicato vitando, ut à perſonâ particulari, ſint irrita, & nulla? Reſpondetur negativè: (quamvis aliàs illicitè fiant propter communicationem cum alijs, niſi aliquâ urgenti ratione excuſentur) quia ſolùm irritantur actus, qui ſunt actus iuriſdictionis: ac proindè exercentur à ſubiecto tamquàm à perſonâ publicâ, Navarr. *cap.* 27. *num* 36. *ad* 6. Covarr. *cap. Alma mater, part.* 1. §. 1. *num.* 9. Avil. *cap.* 6. *diſp.* 6. *dub.* 6. Ex quo deducitur, quòd omnes contractus emptionis, venditionis, mutui, matrimonij, &c. ſunt validi: ſimiliter teſtamentum factum ab excommunicato; niſi ſit excommunicatus propter hæreſim, vel propter percuſſionem Cardinalium, *cap. Fœlicis, de Pœnis in* 6. Similiter profeſſio religioſa, & receptio ad habitum ſunt validæ, Panormit. *in cap. Cùm illorum, de ſentent. excomm.* Navarr. *cap.* 9. *num.* 2. Covarr. *de ſponſalib. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. & alij ab ipſo citati.

*Facta per Tabellionē excommunicatum non tenent.*

93. Inſtrumenta verò, vel ſcripturæ factæ à Tabellione non tolerato invalida eſſe teſtatur Avil. *diſp.* 6. *dub.* 5. Sylveſt. *verb. Excommun.* 3. *nu.* 2. & alij plures ab Avilâ adducti. Qui fundantur in textu in *cap. Nullus* 3. *quæſt.* 4. ubi dicit Stephanus Papa: *Nullus anathematicorum ſuſcipiatur, nec à quoquam credantur, quæ ab eis dicuntur, vel conſcribuntur.* Sed oppoſitum ſentit Suar. *diſp.* 15. *ſect.* 5. Quem & alios refert, & ſequitur Bonac. *punct.* 5. *nu.* 8. quia tabellio non habet propriè iuriſdictionem, ut probat Abbas *cap. Sunt nec Clerici, vel Monachi*: & illa acta ſunt irrita, quæ ex officio fiunt, tamquàm actus iuriſdictionis. ¶ Conceſſio verò facultatis audiendi confeſſiones, vel conceſſio dimiſſoriarū, approbatio confeſſoris, vel concionatoris, ſunt actus invalidi, ſi ab excommunicato vitando fiant; quia ſunt actus iuriſdictionis: fieri enim poſſunt ab Epiſcopo confirmato, & nondum conſecrato: imò nondum Sacerdote, & ſic non ſunt actus ordinis: ergò ſunt actus alterius poteſtatis, nimirùm iuriſdictionis. Ità Conin. *diſp.* 14. *dub.* 10. *num.* 99.

## PVNCTVM IX.

### *De ſeptimo effectu excommunicationis, qui eſt incapacitas Beneficiorum, & aliarum dignitatum.*

*Nulla eſt electio, aut præſentatio Beneficij facto excōmunicato.*

94. EXcommunicatus maiori excommunicatione inhabilis eſt ad recipienda Beneficia Eccleſiaſtica, *cap. Per inquiſitionem, de election. cap. Poſtulaſtis, de Cler. excomm. miniſtr.* ubi Innoc. III. ità ait: *Clericis excommun. vinculo innodatis, Eccleſiaſtica Beneficia conferri non poſſunt: nec illi valent, ea retinere licitè; niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum: cum eâ non fuerint Canonicè conſecuti.* Vndè præſentatio Beneficij, electio, poſtulatio, nominatio, collatio, impetratio litterarum ad beneficia vacatura (ut ſunt Bullę coadiutorum, ad obtinendum Canonicatum, poſt obitum poſſidentis) nullę ſunt ſi ad excommunicatum dirigantur. Quia cùm beneficium detur ob officium Eccleſiaſticum, qui hoc exercere nequeunt indigni ſunt, quod illis beneficia conferantur. Et hoc intelligitur in quâlibet beneficij acquiſitione, ſivè cauſa commutationis, reſignationis, &c. quia verè beneficium acquiritur: & ſic eadem ratio currit, ob quam ſit inhabilis ad illud recipiendum. Nec illud permutare poteſt, aut reſignare in favorem tertiæ perſonæ, quia ius non acquiſivit in beneficium: & ſic non poteſt ea exercere, quæ ſunt propria habentium ius in illud, Palaus *diſp.* 2. *punct.* 10. *num.* 1. Dian. 5. *p. tract.* 9. *reſ.* 99. Bonac. *q.* 2. *punct.* 4. §. 1. *n.* 1. Gibal. *diſq.* 7. *q.* 7. *n.* 3. Garc. 7. *p. de Benefic. c.* 13. *n.* 1. Suar. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *n.* 3. Conine. *diſp.* 14. *n.* 69. Cornej. *diſp.* 10. §. 7. *dub. unic.* N. Ant. *n.* 324. *&* N. Lezana *n.* 24. Nec talis collatio, vel electio convaleſcit per abſolutionem poſteà ſecutam, ſed debent renovari, *cap. Cùm bonæ, de ætate, & qualitate, &c.*

*Quod peccatum ſit excommunicatum eligere? Et quam pœnam incurrant electores?*

95. Tàm conferens beneficium, eligens, vel præſentans, quàm illud recipiens peccant mortaliter: quia in re gravi cenſuræ præceptum violant. Et præter excommunicationem minorem, quam conferentes incurrunt, quandò excommunicato vitando confertur beneficium, eò quòd cum illo communicant, incurrunt ipſo facto ſuſpenſionem à collatione illius beneficij, quod ſcienter contulerunt excommunicato, *cap. Cùm in cunctis*, §. *Clerici, de electione*; à cæteris verò ſuſpenſionem comminatoriam incurrunt, quæ de facto non incurritur, niſi præcedenti monitione, *cap. Poſtulaſtis citato.* ¶ Quod dictum eſt de excommunicato, ſentiendum eſſe de interdicto ſuſpenſo, vel irregulari, teſtantur Palaus *ſup.* Avil. *par.* 2. *c.* 6. *diſp.* 5. *dub.* 4. Conine. *n.* 71. & probabiliùs reputat Dian. 5. *p. tract.* 9. *reſol.* 100. Quamvis probabile iudicet oppoſitum. Quod aſſerit Leſſius *lib.* 2. *ca.* 34. *dub.* 22. *n.* 116. his verbis. [*Satis eſt probabile*: & ſi ſuſpenſio, ſivè ab officio, ſivè à Beneficio faciat hominem indignum collatione novi Beneficij: & Canones velint eum privari, & hâc ratione dici poſſint inhabiles, non tamen ità eſſe inhabilem; ut collatio ſit ipſo iure irrita: & ille teneatur Beneficium, etiam poſt ablatam ſuſpenſionem ſponte dimittere. Id enim ex Canonibus non ſatis poteſt probari: ſolùm enim ex illis colligitur, collationem eſſe irritam, ipſumque eſſe privandum, ut patet ſingulos expendenti. Quæ formulæ loquendi indicant, requiri ſententiam iudicis. Vndè in re tàm dura, & difficili non videntur extendendę ad privationē latæ ſententię, & inhabilitatē abſolutam.] Idem ſentit de interdicto; citatq; pro hâc parte Suar. *diſp.* 26. *ſect.* 3. *n.* 7. *& diſp.* 27. *ſect.* 5. *n.* 25. ſed de his ſuis locis agemus.

*Collatio Beneficij facta à Pontifice excommunicato eſt valida.*

96. Sed à regulâ illâ generali excipiunt communiter Doctores, collationem Beneficij factam à Pontifice illi, quem ſcit eſſe excommunicatum: quia tunc præſumitur diſpenſare, vel abſolvere ad illum effectum, ut conſequatur Beneficium: quia quoties Princeps inhabilem iure ſuo ad dignitatē aſſumit, eum in ſuâ lege diſpenſare, habilemque reddere præſumitur: ſiquidem qui vult aliquid, etiam vult neceſſarium ad illud. Vndè Epiſcopus cùm non poſſit diſpenſare, quòd inhabilis iure communi fiat habilis, vel excommunicationem ad effectum ſuſpendere: iuxtà dicta *cap.* 2. *punct.* 5.

fiet indè, eſſe nullam collationem ab ipſo factam illi, quem ſcit eſſe excommunicatum. ¶ Similiter eſt valida collatio Beneficij facta à Summo Pontifice, adhuc ignorante excommunicationem collatarij, quandò in ſuis proviſionibus Apoſtolicis, vel in illis, quæ ab eius legato expediuntur, habetur clauſula abſolutionis à cenſurâ ad effectum gratiæ conſequendum, ut communiter fit: quia ex vi illius abſolvuntur, non quidem abſolutè; ſed ad illum effectum conſequendi Beneficium. Quomodò non poteſt ab Epiſcopo abſolutio impendi propter dicta *loco citato*: quia ipſe non habet poteſtatem tollendi effectus cenſuræ, ipſa manente, quos habet ex iure communi, & ideò quamvis dicta clauſula ab ipſo ponatur, collatio Beneficij ab ipſo facta erit nulla. ¶ Sed clauſula illa, quam ponit Pontifex in ſuis Bullis Apoſtolicis, non prodeſt excommunicato ob hæreſim: quia juxtà dicta *cap.* 2. ob eius gravitatem, ſub generali abſolutione non comprehenditur.

*Laborans ignorantia, invincibili, iuris, vel facti excommunicatorum, invalidè recipit Beneficia.*

97. Sed hic eſt duplex decidenda difficultas. Prima: An qui invincibiliter, vel probabiliter ignoraret, ſe eſſe excommunicatum, vel non eſſe ab excommunicatione abſolutum, validè Beneficium reciperet: & collatio, præſentatio, vel electio in favorem illius facta eſſet valida? Reſpondetur negativè cum communi ſententiâ. Quam tenet Sayr. *libr.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. Avil. *loc. cit. dub.* 2. Coninc. *n.* 70. Bonac. *n.* 2. Cornej. *loc. cit.* Gibal. *num.* 7. Sanch. *tom.* 1. *opuſcul. libr.* 2. *cap.* 2. *dub.* 10. *num* 7. Candid. *diſq.* 18. *art.* 15. *dub.* 5. *dict.* 6. Palaus *num.* 4. Leſſius *num.* 117. Suar. *diſp.* 13. *ſect.* 1. *num.* 3. Ant. *num.* 330. Et ratio eſt: quia ignorantia quamvis excuſet à culpâ; non tamen tollit inhabilitatem præcedentem in ſubiecto: nec facit actum validum, qui aliàs erat invalidus, *cap. Apoſtolicæ, de Clerico excommunicato.* ¶ Negari autem non poteſt probabilem eſſe ſententiam (quam ut talem tenet Dian. 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 99. citans pro illâ Fabrum *de cenſur. dist.* 25. *quæſt.* 1. *diſp.* 5. *cap.* 4. *num.* 191. & apud Leſſium, & Bonacinam, Navarr. *in cap. Fratres, de Pœnitentiâ, diſt.* 5. *num.* 45. *tum* Gloſsâ 2. *in cap. Apoſtolicæ, de Clerico excommunic. miniſtrant.* (licèt oppoſitum teneat idem Navarr. *in ſumm. cap.* 27. *num.* 271. *dict.* 8.) Et eſſe verùm defendit Baunij *diſp.* 7. *quæſt.* 18. *verſ. Caſus tertius*, ac tandem docet; eſſe probabilem Leſſius *loc. cit.*) aſſerentem, ignorantiam invincibilem, vel ſaltem probabilem facere, ut talis collatio valida exiſtat: ac proindè non teneri reſignare Beneficium, qui cum illâ excommunicatus illud accepit.

*Excommunicatus recipiens Beneficium non facit ſuos fructus illius.*

98. Secunda difficultas eſt: An qui Beneficium excommunicatus accepit, faciat ſuos Beneficij fructus, vel illos reſtituere teneatur? Reſpondetur, minimè facere ſuos fructus Beneficij; ſed illos, quos accepit, reſtituere tenetur: quia nullum ius ad illos habuit: ſiquidem omne ius habetur ratione Beneficij collati; & cùm collatio Beneficij fuerit nulla, non poteſt in conſcientiâ fructus retinere. Benè verùm eſt, quòd ſi bonâ fide Beneficium accepit, & poſteà recordetur, ſe cum excommunicatione illud recepiſſe, tenetur illud relinquere, & fructus congruos pro illo tempore ſuæ ſuſtentationi conſervare; reliquos verò ſi iam conſumpſit, nec ditior factus eſt, non tenetur reſtituere; non quidem ratione iniuſtæ acceptionis, cum fuerit bonâ fide facta; nec ratione rei acce- ptæ, quam non poſſidet. Ità Coninc. *num.* 71. Cornej. §. 6. *dub. unico*, Suarez *diſp.* 13. *ſect.* 1. *num.* 3. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 11. *num.* 1. Dian. 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 99.

*Si validè poſteà recipiat Beneficium, licèt retinet fructus, quos accepit.*

99. Qui autem malâ fide accepit Beneficium, eos reſtituere tenetur. Quod eſt verùm, inquit Avil. *loc. cit.* in fine, etiamſi poſteà legitimè tale Beneficium recipiat: quia receptio fructus, quæ ab initio fuit nulla, non convaleſcit per abſolutionem, vel ſubſequentem poſſeſſionem. Veriùs tamen eſt, quod ſi toto illo tempore per ſe, vel per alios officium annexum Beneficio peregit, & poſteà illud legitimè retineat, poterit dictos fructus poſſidere: non quia receptio fructuis ab initio nulla convaleſcat; ſed quia toto tempore fuit quaſi vacans Beneficium: & fructus Beneficij vacantis debentur ſucceſſori. Enriquez *libr.* 13. *cap.* 3. *num.* 3. Palaus *loc. cit.* Coninc. *num.* 71. Bonac. *num.* 5. Dian. *reſol.* 99. *citat.* Alter. *libr.* 2. *diſp.* 6. *cap.* 8. *princip.* Quem refert, & ſequitur Leander. *diſp.* 9. *quæſt.* 26.

*Electio excommunicati ad dignitatem Eccleſiaſticam nulla eſt.*

100. Quæ dicta ſunt hucuſque de Beneficio, intelligenda ſunt de alijs dignitatibus Eccleſiaſticis, habentibus iuriſdictionem: quòd excommunicati ſint inhabiles ad illas. Et ideò electio, collatio, præſentatio, receptio, legati, Inquiſitoris, Epiſcopi, Proviſoris, Generalis, Provincialis, Prioris, &c. Excommunicati ſunt nullæ. Tum: quia hæc omnia, nomine Beneficij Eccleſiaſtici veniunt. Tum etiam: quia omnes dicti excluduntur ab exercitio ſui muneris: & ſic etiam ab officio, quòd propter uſum exhibetur, argumento *ex cap. Poſtulaſtis, & finali, de Clerico excomm. miniſtrant.* Hugolin. *tab.* 2. *cap.* 13. §. 3. *num.* 3. & 4. Gibal. *num.* 4. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 1. Suar. *num.* 6. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 35. Palaus *punct.* 10. *num.* 9. Bonac. §. 1. *num.* 3. Cornej. §. 7. *dub. unic.* N. Ant. *num.* 327.

*Etiam eſt nulla electio excommunicati ad dignitatem ſæcularem.*

101. Et idem dicendum eſt de electione, aut aſſumptione ad dignitatem, & officium quodcumque ſæculare: quòd videlicet ſunt irritæ propter eamdem rationem: quia excommunicatus non poteſt exercere actum iuriſdictionis cuiuſcumque dignitatis etiam ſæcularis: ſed qui inhabilis eſt ad actum, etiam ad poteſtatem ad illum: ergò, &c. Et hâc ratione concedunt omnes, eſſe inhabilem ad dignitatem Eccleſiaſticam excommunicatum: quia eſt illi illicitum exercitium illius. Ità tenent Enriq. Cornej. Bonac. Hugol. *locis citatis*, & Garcia 7. *part. de Beneficijs, cap.* 13. *num.* 22. Alterius *lib.* 2. *diſp.* 6. *cap.* 3. *verſ. Quæ confirmatur.* Quamvis non negemus, probabilem eſſe ſententiam Palai *num.* 11. Gibalini *num.* 5. Coninc. *num.* 106. Filiuc. *tract.* 12. *cap.* 7. *quæſt.* 3. *num.* 173. Hurtad. *diſp.* 8. *diff.* 2. *in fine.* Aſſerentium, validam eſſe collationem talis dignitatis: quia non datur ius expreſsè illam irritans de facto, ſed irritandam eſſe; & ponentium diſcrimen quoad hoc, inter dignitatem laicalem, & Eccleſiaſticam.

*Validam eſſe collationem Beneficij factam excommunicato tolerato, aliqui tenent.*

102. Sed modò inquires. Primò: An ea, quæ diximus de inhabilitate excommunicati ad Beneficia, vel officia; intelligantur ſolùm de excommunicato vitando, an etiam de tolerato? Duplex eſt ſententia. Prima tenet, validam eſſe collationem Beneficij factam excommunicato tolerato. Primò: quia Innocentius III. *in cap. Poſtulatis, de Clerico excomm. miniſtrante.* Ideò aſſerit, non poſſe excommunicatum Beneficium recipere: quia

non

Digitized by Google

non poteſt in officio cum alijs communicare : ſed hoc intelligitur ſolùm de vitando, non de tolerato : ergò, &c. 2. quia Concilium Conſtantienſe concedens alijs, ut poſſint cum excommunicato tolerato communicare, conſequenter conceſſit collatoribus, ut poſſint excommunicato Beneficium impertiri : ergò illum habilem fecit ad tale Beneficium recipiendum ; aliàs non poſſent collatores Beneficium illi conferre : ſiquidem conferrent indigno. Ità Gibalin. *num.* 9. citans Riciolum *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 15. Navarr. *in cap. Fratres de Pœnitentiâ diſp.* 5. *num.* 45. allegans Gloſſam 2. *in cap. Apoſtolicæ, de Clerico excommunicato, &c.* Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 99. Hurtad. *diſp* 2. *diff.* 2. *num.* 6. & indicat Suar. *num.* 27. quamvis oppoſitam ſequatur, & probabilem dicat Leſſius *l.* 2. *c.* 34. *n.* 117.

*Certius eſt, invalidam eſſe talem electionem.*

103. Secunda ſententia (cui adhæremus) dicit, excommunicatum etiam toleratum eſſe inhabilem ad recipienda Beneficia : proindeque eſſe nullam & irritam collationem illi factam. Quia Martinus V. *in extravaganti, Ad evitanda.* & Concilium Conſtantienſe in nullo volunt excommunicatos toleratos relevare, nec ullum favorem eis concedere ; licèt fidelibus cum illis communicandi facultatem indulgeant ; ſed ſi ex vi talis conſtitutionis habiles redderentur ad Beneficia, ad quæ ex vi iuris communis inhabiles erant, magnum fovorem illis concederet, plurimumque illos relevaret : ergò dicendum eſt, manere ſicut anteà inhabiles. Atque ità tenent Cornej. §. 7. *dub. unic. in princip.* Avila *concl.* 1. Coninc. *num.* 70. Palaus *punct.* 10. *num.* 3. Suar. *num.* 29. Alterius *lib.* 2. *diſp.* 6. *cap.* 2. N. Ant. *n.* 330.

*Contraria argumenta ſolvuntur.*

104. Ad primum argumentum contrarium reſpondetur : ideò Innocentium III. in dicto cap. excommunicatos ad officia, & Beneficia inhabilitare : quia ipſi non poſſunt exercere actus illorum, cùm non poſſint cum alijs communicare. Quod verùm eſt etiam in toleratis excommunicatis ; quia licèt nos cum illis communicare poſſimus ; ipſi verò ex ſe non poſſunt cum fidelibus communicare ; ut diximus *num.* 20. ¶ Ad ſecundum conſtat ex dictis *numer.* 50. quomodò non poſſit collator conferre Beneficium excommunicato, propter ius divinum prohibens illud conferre indigno, quamvis ex iure Eccleſiaſtico ab eo non privetur, & ideò quamvis peccet, quia ius divinum violat ; non tamen incurrit pœnas contrà Beneficium conferentes excommunicato ſtabilitas ; quia à Concilio Conſtantienſi ablata fuit prohibitio Eccleſiaſtica, communicandi in omnibus cum eo.

*Quatruplex ſit penſio ? Et qualis ſit nulla, ſi excommunicato conferatur ?*

105. Secundò inquires : An ſicut collatio Beneficij facta excommunicato, & receptio illius eſt invalida : ità etiam collatio, & receptio penſionis ? Pro reſolutione, nota, eſſe quadruplicem penſionem. Prima penſio eſt Clericalis, quæ dicitur præſtimonium, ſeu Beneficium ſimplex : & nihil aliud eſt, quam quædam portio, quæ extrahitur ex pingui Beneficio, ut conferatus perpetuò in titulum Beneficij cum onere alicuius miniſterij Eccleſiaſtici. Ad quam, (cùm veram habeat rationem Beneficij) inhabilis eſt excommunicatus, ſicut ad quæcumque alia Beneficia. Alia eſt penſio Eccleſiaſtica temporalis, quæ deficit à rigoroſa ratione Beneficij, quia temporalis eſt ; datur tamen propter officium, & miniſterium Eccleſiaſticum : ut quæ datur Vicario, coadiutori Epiſcopi, vel Parochi ſenio confecti, & ad hanc penſionem etiam eſt excommunicatus inhabilis : quia cùm detur ob Beneficium Eccleſiaſticum, & illud exercere nequeat, conſequenter eſt incapax Beneficij, quòd tale munus, & officium habet annexum, Cornej. *loc. cit.* Palaus *punct.* 8. *num.* 10. Gibalin. *num.* 34. Suar. *num.* 7. Reginal. *lib.* 32. *cap.* 7. *num.* 43. N. Ant. *num.* 328.

*Penſio temporalis, & Laicalis excommunicato collata valida eſt.*

106. Alia eſt penſio, quæ dicitur *mixta*, & partim eſt temporalis, partim ſpiritualis : ut eſt illa, quæ conceditur Clerico Beneficium reſignanti, liti cedenti, ſuſtentationem non habenti ; quæ morte penſionarij ceſſat, nec habet munus annexum, quòd à Laico præſtari non poſſit ; quamvis in ſubiecto exigat ordinem Clericalem. Hanc, probabile iudicamus, validè conferri excommunicato : quia nec eſt propriè, & rigoroſè Beneficiũ, nec habet officium annexum, quòd ab excommunicato non poſſit præſtari. Ità ut probabilem docet Avil. 2. *part. cap.* 6. *diſp.* 5. *dub.* 5. Gibalin. *loc. cit. num.* 34. Palaus *nu.* 8. citantes declarationem Cardinalium id aſſerentium, Sà *verbo homicida* 11. *num.* 21. Hurtad. *diſp.* 6. *diff.* 3. *num.* 6. Bannius *diſp.* 7. *quæſt.* 19. *dub.* 6. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *n.* 8. ¶ Alia eſt penſio merè Laicalis : quæ eſt quoddam ſubſidium temporale, quòd ob obſequium factum Eccleſię, vel faciendum, Laicis confertur ; non verò in titulum Beneficij, vel ob officium Eccleſiaſticum. Et hanc validè poſſe excommunicatum recipere, abſolutè dicimus : quia nec eſt Beneficium, nec per ſe datur in titulum, nec habet annexum officium Eccleſiaſticum, quod à merè Laicis non poſſit exequi. Et iura inhabilitantia ad Beneficium de illo loquuntur, quod habet Beneficium Eccleſiaſticum annexum ; quod præſtari non poteſt ab excommunicato. Ità pręter Authores modò citatos, Cornej. *loc. cit.* Vazquez, *de excomm. dub.* 6. *num.* 4. Dian. 5. *part. reſol.* 103. Bonac. §. 1. *num.* 4.

*An acceptatio Beneficij facta ab excommunicato ſit nulla ?*

107. Inquires tertiò : An ſi aliquis antè excommunicationem eſſet electus, & præſentatus ad Beneficium, vel illi collatum eſſet ; tamen tempore, quo illud acceptavit, vel poſſeſſionem accepit, excommunicatus erat, valida eſſet talis acceptatio, ità ut novâ collatione, præſentatione, electione, aut inſtitutione non indigeat ? Et idem eſt de illo, qui recipit literas impetratorias pro vacaturo Beneficio tempore, quo non erat excommunicatus ; & poſteà quandò vacavit, erat ligatus excommunicatione : an validè ſit in Beneficium introductus ? Et quod dictum fuerit de primò caſu, intelligendum eſt de ſecundo.

*Validè excommunicatus acceptat Beneficia.*

108. Reſpondetur ergò in caſu poſito validè excommunicatum acceptare Beneficium : & ſic abſolutione ſecutâ, poteſt abſque novâ collatione illud legitimè obtinere. Primò : quia acceptatio, aut poſſeſſio ſunt actiones particulares, & non actus iuriſdictionis ; ſed fiunt à privatâ perſonâ, quæ non poteſt ſe eligere, aut ſibi Beneficium conferre : & ſolùm ſunt ſignificationes ſuę voluntatis circà beneficium ſibi collatum : ſed poſt factam collationem poteſt voluntatem ſuam explicare circà illud, quod excommunicato non prohibetur. Secundò : quia per acceptationem non acquiritur ius in Beneficium, nec per poſſeſſionem : ſunt enim quid facti, non quid iuris : ut docent Garcia, Enriquez, Sayr. infrà referendi. Et ratio eſt : quia ſibi nemo poteſt ius conferre ; ſed ſunt conditiones, ut in Beneficium ius per-

fectum

Digitized by Google

fectum habeat : ergò poſſunt elici ab excommunicato : proindeque validè poterit iſte & acceptare, & poſſidere Beneficium ſibi antè excommunicationem collatum. Et conſuetudinem, ac praxim Rotæ ità obſervare teſtatur Covarruvias ſtatim citandus. Maximè : quia iura ſolam collationem, præſentationem, &c. annullant : non verò acceptationem. Et cùm ſint odioſa, extendenda non ſunt de uno ad alium ſimilem caſum. Ità Couarruuias *cap. Alma mater, part.* 1. §. 7. *num.* 4. Sayr. *libr.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. Garcia *de Beneficijs*, 7. *part. cap.* 15. *num.* 89. *&* *cap.* 13. *num.* 31. Gibal. *num.* 24. Cornej. *quæſit.* 5. Palaus *punct.* 10. *num.* 18. Bonacin. §. 1. *num.* 9. Dian. 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 56. *&* 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 102. Candid. *diſq.* 18. *art.* 14. *dub.* 3. Avil. *cap.* 7. *diſp.* 5. *dub.* 6. Alterius *libr.* 2. *diſp.* 6. *cap.* 5. §. *Ab hâc communi ſententiâ.* N. Ant. *num.* 326. Qui omnes licèt de poſſeſſione in proprijs terminis non loquantur, tamen de acceptatione ; & eadem ratio currit in poſſeſſione : & ideò plures ex illis etiam de hâc expreſſè loquuntur.

*Vide N. Lezana. verb. excomm. n. 24. & ſeq. ubi plura quoad regulares.*

*Qui excommunicatus eligitur, invalidè poſt abſolutionem acceptat Beneficium.*

109. Si verò econtrà res contingeret, quòd aliquis excommunicatione ligatus eligeretur, præſentaretur, inſtitueretur Beneficiatus, etiamſi poſt abſolutionem Beneficium acceptaret, aut poſſideret, nulla eſſet talis acceptatio, aut poſſeſſio : ſicut nulla fuit electio, aut inſtitutio : ideò novâ collatione indigeret, ut legitimè obtineret Beneficium. Quia collatio, quæ ab initio fuit nulla, non fit valida per acceptationem : quia, quòd ab initio fuit nullum, tractu temporis non convaleſcit, *cap. Non firmatur, de Regulis iuris in* 6. Ità Leſſius *libr.* 2. *cap.* 34. *num.* 129. Garcia *part.* 7. *cap.* 13. *num.* 43. Palaus *ſup. num.* 20. Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 101. *&* *reſol.* 56. *citat.* ex 4. *part.* Candid. *dub.* 4. Alterius *cap.* 7. Bonacin. *num.* 10. Gibalinus *num.* 22. Avil. *dub.* 2. Coninc. *num.* 74. ¶ Si tamen ille, ad quem pertinet collatio Beneficij, diſpenſet, ut excommunicatus, cui facta fuit collatio Beneficij, illud obtineat poſt abſolutionem licitè retinet Beneficium collatum tempore excommunicationis. Quia in *cap. Poſtulaſtis, de Cleric. excomm. miniſtrant.* addit Innocentius III. *Niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum* : & quia ipſa diſpenſatio facta à potente illud Beneficium conferre, eſt virtualiter nova collatio illius. Ex quo patet, quòd ſolus ille, qui contulit Beneficium, poteſt huiuſmodi diſpenſationem impendere. Et ſi tale Beneficium requirebat Patroni præſentationem, etiam iſta de novo debet apponi ſaltem virtualiter : quia de novo confertur Beneficium : & ſic illa debent concurrere, quæ ad primam collationem requirebantur. Palaus *num.* 13. Alterius *cap.* 2. Coninc. *num.* 73. *&* Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 5. à *num.* 34. ¶ Quamvis improbabile non ſit, quod inquit Enriq. *libr.* 13. *cap.* 13. *num.* 1. Navarr. *apud* Palaum *num.* 2. & probabilem dicunt Leſſius, *&* Bonacin. *locis citatis*, quod ſi collator, aut præſentator in primâ voluntate perſeveret, quâ excommunicatum ad illud Beneficium præſentavit, vel illud contulit, poteſt excommunicatus poſt abſolutionem validè, & licitè tale Beneficium acceptare ; & poſſidere ; etiamſi nova collatio non fiat.

## PVNCTVM X.

### *De octavo effectu excommunicationis, qui eſt privatio fructuum, & proventuum Beneficij.*

110. SEntentia eſt communiſſimè recepta, excommunicatum non privari per excommunicationem Beneficio, quòd antè illam legitimè obtinuerat, quia nullum datur ius talem pœnam inducens. Similiter eſt certum, privari omnibus fructibus, & proventibus Beneficij, quod poſſidet, correſpondentibus illi tempori, in quo eſt excommunicatus, ſivè toleratus ſit, ſivè denuntiatus, ſivè ſuâ culpâ non abſolvatur, ſivè abſque illâ : niſi iniuſtè ſit excommunicatus ex parte cauſæ, tametſi excommunicatio valida fuerit. Et per fructus, aut proventus Beneficij intelliguntur redditus, penſiones, diſtributiones, &c. Non verò patrimonium, etiamſi titulo illius fuerit ordinatus. Quarè graviſſima eſt in præſenti difficultas : an excommunicatus teneatur ſe abdicare illis fructibus, eoſque reſtituere antè ſententiam iudicis, & ipſo iure ? An verò illos retinere licitè poſſit, quamdiù per ſententiam iudicis declaratoriam eis non ſpolictur ? Et ſupponimus, ipſum per ſe, vel per alium munus ſuum, & officium exercuiſſe, aliàs iure naturæ eſt privatus huiuſmodi fructibus, quos ratione officij ſuſcepit, quia dantur tamquàm merces operis, non verò eſt ità, loquendo de fructibus, quos titulo Beneficij poſſidet. Quia de his etiam eſt difficultas : an ipſo iure ſpolictur ? An verò ſpoliandus ſit per iudicis ſententiam.

*Quomodò excommunicatus fructibus Beneficij privetur.*

111. Prima ſententia aſſerit, excommunicatum ipſo iure, & facto antè ſententiam iudicis privatum eſſe dictis fructibus : quos proindè reſtituere tenetur, & probatur primò, *ex cap. Paſtoralis* 53. §. *Verùm, de Appellationibus*, ubi dicitur : *Illi proventus Eccleſiaſtici meritò ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communicatio denegatur.* Vbi verbum *ſubtrahuntur* intelligitur ipſo iure, ſicut Eccleſiæ communicatio. Et cùm nulla iudicis ſententiæ mentio fiat, de illâ ſubtractione, quæ fit per ius ipſo facto, eſt textus accipiendus. Secundò : quia excommunicatus eſt ab officio ſuſpenſus : ergò etiam à fructibus Beneficij : quia Beneficium datur propter officium, ſicut merces propter opus. Ità tenent Covarruu. *lib.* 3. *variar. cap.* 13. *num.* 8. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 12. *cap.* 5. *num.* 129. Sayr. *de cenſur. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 24. *&* 30. Cornej. *diſp.* 10. §. 6. *dub. unic. quæſit.* 1. Suarez *diſp.* 13. *ſect.* 2. à *num.* 4. Garcia 7. *part. de Beneficijs*, *cap.* 13. *num.* 9. Leander *tract.* 2. *diſp.* 9. *quæſt.* 28. Alter. *libr.* 2. *diſp.* 6. *cap.* 8.

*Sententia aſſerens ipſo facto eſſe excommunicatum privatum fructibus Beneficij.*

112. Secunda ſententia, quam modò probabiliorem iudicamus, tenet excommunicatum ipſo facto non privari fructibus, vel proventibus Eccleſiaſticis titulo Beneficij ſibi competentibus, vel ratione officij, ſi illud per ſe, vel per alios licitè, vel illicitè exequatur. Primò : quia cùm hæc ſit pœna graviſſima, imponenda non eſt, niſi ſit in iure expreſſa : ſed non datur ius expreſſè talem pœnam ipſo facto conſtituens : ergò. Probatur minor. Quia ſi in aliquo iure talis pœna eſſet impoſita, maximè in *cap. Paſtoralis citato* : ſed in illo nõ eſt expreſſa, tùm quia verbum *ſubtrahuntur* potiùs dicit expoliationem, quæ fit ab homine, quàm inhabilitatem, quę à iure aſſignetur : vel ad minùs æquè poteſt intelligi de ſubtractione faciẽdâ per ſententiã iudicis, ut ibi inquit Gloſſ. Tum etiam ; quia ibi Pontifex directè reſpondit interrogationi ſibi

*Verior eſt ſententia, negans ipſo facto eſſe privatum.*

factæ :

factæ : ſed interrogatio erat iſta : *Verùm ſi quis poſt excommunicationis ſententiam appellaſſet, poſſit iudex denunciare eundem, & ad tempus Eccleſiaſticis Beneficijs Clericum priuare* : ergò reſponſio eſt, quòd poteſt eum expoliare ; non verò quòd de facto expoliatus maneat : quia de hoc non fuit Pontifex interrogatus.

*Secundò ratione, & authoritatibus probatur concluſio.*

113. Secundò : quia eſtò ex iure haberetur talem priuationem ipſo facto incurri, contrarium eſt uſu, & conſuetudine ſtabilitum : ſed conſuetudo legitimè introducta abrogare poteſt ius poſitiuum, ut diximus *tractat. de matrimon. capit.* 11. *punct.* 2. *num.* 32. ergò modò de facto non adeſt talis priuatio. Ideoque in concluſione diximus, quòd *modò probabiliorem iſtam opinionem iudicamus.* Adeſte autem talem conſuetudinem, ſaltèm in Hiſpaniâ, ex aduerſarijs teſtantur Suarez *ſect.* 2. *in fine*, Garcia à *num.* 130. Leander *quæſt.* 30. & ex noſtris ferè omnes, quos modò dabimus. Quarè noſtram ſententiam tuentur, Sanch. *libr.* 3. *de matr. diſp.* 51. *n.* 12. *iunct. n.* 10. Hurtad. *diſp.* 6. *diff.* 1. citans Vazq. & Nauar. Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *c.* 2. *n.* 9. Enriquez *lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 3. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 11. *num.* 4. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 54. & 5. *part. tract.* 9. *reſolut.* 104. Coninc. *diſp.* 14. *dub.* 9. *num.* 81. Bonacin. *quæſt.* 2. *punct.* 4. §. 2. *num.* 2. Auila 2. *part. cap.* 6. *diſp.* 6 *dub.* 1. Candid. *diſq.* 28. *de Beneſic. art.* 15. *dub.* 2. *concl.* 3. Gibalin. *diſq.* 7. *quæſt.* 7. *num.* 52. N. Anton. 339. & plures alij apud illos.

*Soluuntur contraria argumenta.*

114. Ad primum contrariæ ſententiæ conſtat ex dictis. Nec Pontifex dicit, ſubſtractionem fructuum eo modo incurri, quo priuatio communicationis incurritur ; ſed quòd iſta eſt cauſa illius, quatenus dignus eſt, ut priuetur fructibus, qui communicatione caret cum Eccleſiâ. Hinc tamen non deducitur, de facto talem ſubſtractionem incurri, ſicut priuatio communicationis. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd, ut rectè probat Sanchez *loco citato*, non ex hoc quòd aliquis ſit ſuſpenſus ab officio, ipſo facto eſt à Beneficio ſuſpenſus ; ſed una ab aliâ ſuſpenſione ſeparari poteſt. Quarè licèt excommunicatus ex vi cenſuræ ſuſpendatur ab officio, non ſequitur ſuſpendi à Beneficio, niſi in iure exprimatur. Nec ſemper totum Beneficium ob officium datur : nam aliquod multoties remanet ratione tituli. Illud verò, quod ob officium datur, non debet reſtitui, ſi officium exerceatur validè ab excommunicato per ſe, vel per alium : quia iam apponitur opus, ob quod merces eſt aſſignata. Si tamen non apponatur, aliundè ex iure naturæ ; non ex vi cenſuræ, nequit mercedem obtinere.

*Quomodò, & quibus reſtituendi ſint fructus Beneficij.*

115. Poſita ſententia iudicis, tenetur excommunicatus reſtituere fructus tempore excommunicationis obtentos ; etiamſi non ſtet per ipſum, quo minùs abſoluatur, (vel ſtando primæ ſententiæ ipſo facto) etiamſi ſit in gratiâ conſtitutus, vel contumaciam reiecerit, quamdiù de facto non abſoluitur : quia talis priuatio fructuum eſt effectus ipſius cenſuræ, vel ipſo facto, vel poſt ſententiam iudicis. Qui effectus ſemper remanet, quamdiù excommunicatio perſiſtit. Vndè ſicut non poteſt illi Beneficium conferri, etiam recedente contumacia, quia talis inhabilitas eſt effectus cenſuræ, ſic non poteſt fructus modo dicto obtinere. Ità Cornej. *diſp.* 10. §. 6. *dub. unic.* Hugolin. *tab.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. Palaus *num.* 14. ¶ Si tamen ipſe fuerit pauper, & talibus fructibus ad ſui ſuſtentationem indigeat, ſibi eos applicare poteſt ; maximè quandò iam à contumaciâ diſceſſit, Gibalin. *num.* 58. Auil. *loc. cit.* Layman. *num.* 10. Palaus *ſup. num.* 6. Sylueſt. *verb. Clericus* 4. *num.* 17. Cornejo *loc. cit.* Et ratio eſt : quia tales prouentus, vel fructus debent reſtitui vel Eccleſiæ, vel pauperibus, quod eſt etiam Eccleſiæ obſequium, ut ferè omnes aſſerunt : ſed ipſe non eſt deterioris conditionis, ſi ſit pauper, & illis indigeat : ergò ; &c.

## PVNCTVM XI.

### *De Nono effectu excommunicationis, qui eſt priuatio communicationis forenſis.*

*Excommunicatus nequit eſſe teſtis, actor, index, vel aduocatus.*

116. Excommunicatus omni actu ad iudicium pertinente eſt priuatus, & ſic non poteſt eſſe *iudex, actor, aduocatus, teſtis, tabellio, procurator*, tum ex generali lege, quâ ille prohibetur cum alijs communicare. Tum etiam ſpecialiter, *capit. Veniens, de teſtib. capit. Pia, de exceptionib. in* 6. *cap. Nullus* 3. *quæſt.* 4. Vndè ſecùs faciens mortaliter peccabit : quia in re magni momenti frangit præceptum Eccleſiæ. Quamvis Diana 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 110. & N. Lezana *num.* 36. & *ſeq.* ex Suarez, & Turriano dicant, non eſſe lethale eſſe *actorem* in iudicio, ſi excommunicatus rem ex iuſtitiâ ſibi debitam depoſtulet, nec repellatur per officium iudicis, vel exceptionem. Si verò toleratus ſit, licitè fieri poteſt *aduocatus*, & partem ſibi commiſſam defendere in iudicio : quia hoc in fauorem aliorum vergit, à quibus requiſitus, non prohibetur illi, quod communicet cum alijs. Auil. 2. *part. cap.* 6. *diſp.* 7. *dub.* 3. *concl.* 1. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 14. *num.* 14. Imò etiamſi vitandus ſit, & officium aduocati, quamvis illicitè ; faciat, non tenetur pretium à litigante acceptum reſtituere : quia eſt ſtipendium laboris, ad quod recipiendum nullo iure redditur inhabilis, Cornej. *diſp.* 10. § 9. Auil. *concl.* 3. Nauarr. *libr.* 2. *de Reſtitut. num.* 237. N. Lezana *num.* 38.

*Excommunicatus vitandus debet à iudicio repelli.*

117. Excommunicatus toleratus, ſi ſe ingerere velit in iudicio, munus *actoris, teſtis, aduocati, vel iudicis* exercendo, ſi de eius excommunicatione publicè conſtet, poteſt à iudicio repelli, per exceptionem excommunicationis : quia nemo tenetur cum illo communicare. Si autem vitandus ſit, non ſolùm poteſt, ſed debet repelli vel à parte, vel ab ipſo iudice ex officio : quia omnes tenentur non communicare cum illo, Coninc. *diſp.* 14. *dub.* 11. *num.* 101. Auil. *loc. cit. dub.* 1. Palaus *num.* 3. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 8. Hugolin. *tab.* 2. *cap.* 13. §. 7. *n.* 5. Hæc autem exceptio apponi poteſt in quâlibet parte iudicij : nimirùm, ante ſententiam, in ipſâ ſententiâ, & poſt illam ante executionem, ut ſic retundatur contumaciæ vitium, ipſi excommunicati erubeſcant, & communionis periculum euitetur. Quod habetur in *d. c. Pia, de exceptionib. in* 6.

*Quomodò exceptio excommunicati facienda eſt, ut repellatur.*

118. In quo capite etiam aſſignantur conditiones, ad iſtam exceptionem requiſitæ. Nimirùm, quòd talis excommunicatio, manifeſtè probanda eſt, intrà octo dies, à tempore admiſſæ exceptionis, & in tali exceptione exprimi debet excommunicationis ſpecies, author talis excommunicationis, & cauſa, ob quam eſt incurſa.

Et

Digitized by Google

Et rationem reddit Gloſſa ibi, *verbo, Octo dictum*, quia talis exceptio malitioſè apponitur multoties, & cedit in iudicij grauamen : ideoque reſtringitur ad illud breue tempus. Quòd prorogare non eſt in poteſtate iudicis, quia eſt à lege ſtatutum, & determinatum; niſi quandò apponens legitimâ causâ impeditur; ne intrà illud tempus, poſſit exceptionem probare, quia tempus aſſignatum à lege debet eſſe habile, & expeditum ad effectum Sayr. *libr.* 2. *cap.* 7. *num.* 5. Palaus *num.* 5. Quam probationem ſi intrà tale tempus, apponens exceptionem non exhibuerit tenetur reo omnes expenſas ob eam dilationem factas reſtituere. Quòd totum in dictu capite habetur.

*Acta per iudicem excommunicatum ſunt nulla.*

119. Sed inquires 1. An acta in iudicio, in quo excommunicatus *actor, teſtis, aut iudex* exiſtit, non ſolùm ſint illicita, ſed invalida? Reſpondetur, quod acta *iudicis* excommunicati, ſi toleratus ſit, valida exiſtunt, quia ab illo non aufertur iuriſdictio, quam habebat. Si tamen vitandus ſit, & iudex Eccleſiaſticus ſit, certùm eſt apud omnes, eſſe nulla, ut diximus *punct.* 8. Difficultas autem eſt inter DD. an acta à *iudice* ſæculari excommunicato vitando ſint nulla? Affirmatiuam partem probabiliorem iudicamus. Quam tenet Suar. *diſp.* 16. *ſect.* 1. *num.* 2. Palaus §. 2. *num.* 2. Dian. 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 108. Hurtad. *diſp.* 7. *diff.* 2. *num.* 3. Conine. *num.* 103. Tum, quia licèt non daretur ius expreſſum, in quo decerneretur, acta per iudicem ſæcularem eſſe nulla, ſicuti datur pro iudice Eccleſiaſtico ad ſæcularem quoad hoc extenditur. Tum etiam, quia in Cano. *nos Sanctorum* 5. *quæſt.* 6. Pontifex liberat ſubditos à poteſtate dominorum excommunicatorum, & præcipit, ne eis obediant; quod non faceret ſi illi veram, & expeditam poteſtatem, & iuriſdictionem retinerent: tum denique quia in *cap. Præſidentes, de hæret. in* 6. datur poteſtas peculiaris iudicibus excommunicatis, alijs deficientibus, procedendi contrà hæreticos. In quo ſupponitur, tales iudices per excommunicationem, poteſtatem amiſiſſe.

*Facta per actorem, vel advocatum, donec excipiantur tenent.*

120. *Actor* verò licèt illicitè hoc munus exerceat in iudicio ſiuè per ſe, ſiuè per alium: quia totum hoc iuribus citatis illi prohibetus; valida tamen ſunt facta illius, antequàm repellatur, dict. *cap. Pia, de exceptionibus in* 6. Vndè illius citatio tenet ad hunc effectum: quod ſi reus comparere velit, citatio erit ſufficiens ad proſecutionem cauſæ, donec *actori* apponatur exceptio excommunicationis; non tamen ad effectum obligandi reum ad comparendum: cùm nullus poſſit obligari, ut cum excommunicato communicet, Cornej. § 9. Auil. *diſp.* 8. *dub.* 1. *concl.* 5. N. Ant. *num.* 373. Similiter acta per *advocatum* valida ſunt, donec per exceptionem repellatur: quia nullo irritantur iure. Imò ſententia *iudicis*, etiamſi motus fuerit conſilio *advocati*, valida erit: quia ſententia non ab *advocato*, ſed à *iudice* vim obtinet. Acta verò *tabellionis* in foro exteriori ſunt nulla, quia in Canon. *Nullus* 3. *quæſt.* 4. dicitur: *Fidem non eſſe adhibendam eis, quæ ab excommunicato dicuntur, vel ſcribuntur.* Et cùm totus valor actus *tabellionis* conſiſtat in eo, quod fides præſtetur illius ſcripturæ, ſi hanc denegat Pontifex, adhibendam eſſe ſcriptis ab excommunicato, planè demonſtrat, actum illius nullum robur habere. Sed excipitur, quandò ſolùm eſt excommunicatus toleratus, & partes id ſciunt: quia tunc tenentur acta tabellionis acceptare, & eis fidem præbere: ut teſtatur Diana *reſolut.* 112. Suar. *diſp.* 16. *ſect.* 5. *num.* 4. Cornej. *diſp.* 10. §. 9. N. Ant. *num.* 377.

*Acta per teſtem, aut tabellionem ſunt nulla.*

121. Teſtimonium teſtis excommunicati, ſi admittatur de conſenſu iudicis, & partium, validum eſſe; quia à nullo iure irritatur, aſſerunt Suarez *diſp.* 16. *ſect.* 6. *num.* 5. & ex illo Dian. *reſol.* 113. *contrà* N. Ant. à Spir. Sancto *num.* 387. Si tamen non admittatur, ſed vel à iudice ex officio, vel à parte per exceptionem repellatur, nullum eſt illius teſtimonium, nec ulla fides eſt illi adhibenda. Quia in *d. cap.* Nullus 3. *quæſt.* 4. eâdem ratione invalidantur, quæ ſubſcribuntur à tabellione, & à teſte dicuntur: ſiquidem nec dictis, nec ſcriptis credendum eſſe dicitur in illo. Ità tenent Cornejo *diſp.* 10. §. 9. Hurt. *diſp.* 8. *diff.* 6. *num.* 10. In causâ autem hæreſis, & licitè, & validè poteſt excommunicatus, etiam vitandus, teſtimonium ferre, Palaus *diſp.* 2. *punct.* 14. *num.* 19. Sayr. *libr* 2. *cap.* 8. *num.* 3. Et etiam poteſt validè, ut teſtis aſſiſtere matrimonio: & in caſu neceſſitatis licitè, Sanch. *de Matr. libr.* 3. *diſp.* 41. *num.* 5. Dian. 5. *part. tract.* 9. *reſol.* 113. *in fin.* Imò ſi excommunicatus fuerit toleratus, in quocumque iudicio validè, & licitè poteſt teſtificari, ſi ipſe non ſe intromittat; ſed à partibus requiratur, quia actus teſtificandi ex naturâ ſuâ ordinatur in fauorem partis, non ipſius teſtificantis. Et ſicut licet poſt Concilium Conſtantienſe fidelibus communicare cum excommunicatis toleratis in ijs, quæ cedunt in illorum fauorem; ità licet ipſis excommunicatis, communicare cum fidelibus, ſi ab ipſis requirantur, Auil. 2. *part. cap.* 6. *diſp.* 7. *dub.* 4. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 14. *num.* 17.

122. Inquires 2. An poſſit excommunicatus quilibet ut reus agere in iudicio, citari, & comparere? Reſpondetur affirmatiuè: quia fauor non eſt, ſed odium, quòd poſſit ab alijs in iudicio conveniri, & ipſe non poſſit convenire aliquem, aliàs multi ſuis utilitatibus priuarentur ſi eum ut *reum* convenire non poſſent in iudicio, & ipſe ex ſuo delicto commodum reportaret, *cap. Intelleximus, de Iudic.* & ſic ad ea, quæ ſibi objiciuntur, poteſt reſpondere, & debet audiri, *cap. Si grauis, de exception.* quia defenſio eſt iuris naturalis. Et ſic poteſt *actorem* in eâdem causâ reconvenire, ut ſi ab eo debitum petatur, & ipſe aſſerat iam ſolviſſe, ut *actor* poterit reprobare ſolutionem: quia talis reconventio eſt propria defenſio, & non noua actio, Suar. *diſp.* 16. *ſect.* 3. *num.* 5. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 7. *num. ult.* Palaus *num.* 11.

*Poteſt excommunicatus ut reus conveniri.*

123. Sed non poteſt reus excommunicationis vinculo innodatus per ſeipſum comparere in iudicio; ſed hoc per idoneum procuratorem debet facere, ſi illum repererit, & poſſibilitatem ad hoc habeat; etiamſi grauis ſit cauſa, quæ illi objicitur, *cap. Intelleximus, de Iudic.* Vbi, cùm ageretur de causâ matrimoniali, quæ grauiſſima eſt, dicitur: *Debet per alium reſpondere*: ſi verò procuratorem idoneum non inveniat, vel pauper ſit, & non poſſit illum adducere, per ſeipſum poteſt in iudicio comparere, quia Eccleſia non vult ab eo auferre defenſionem naturalem. Et ideò poteſt per ſeipſum ſe defendere, & ad hoc uti iuris remedijs, etiam excipiendo contrà actorem iudicem, &c. In quo caſu reliqui, qui neceſſariò interveniunt in iudicio, licitè poſſunt cum illo communicare, *cap. Si verè, de ſentent. excomm.* Quòd autem debet

*Non debet per ſe, ſed per procuratorem in iudicio apponere.*

per

per procoratorem comparere, ſi illum habeat, & non per ipſum, tenet Felin. *in d. cap. Intelleximus, num.3.* Hugol. *tab.2.cap.16.§.8.num.1.* Auil. *diſp. 8.dub.2.* Syluest. *verb. Excommunicatio 3.num.1.effectu 12.* Hurtad. *diſp.8.diff.4.num.7.* Quamuis oppoſitam ſententiam, ut probabilem grauiſſimi Auctores teneant: quòd videlicèt in omni caſu per ſe ipſum poteſt comparere in iudicio excommunicatus, & afferunt plura iura, in quibus id expreſsè illi permittitur, abſque ulla reſtrictione, ut probat Coninch *nu.116.* Diana *reſ.111.* Palaus *diſp.2. punct.15.num.26.* Suar. *diſp.16.ſect.4.nu.6.* Bonac. *diſp.2.q.2.punct.7.num.8.* Alia plura de hac materia vide apud N.Ant. *diſ.2.ſec.9.* & N. Lezan. *verbo excomm.*

## P V N C T V M XII.

### *De decimo effectu excommunicationis, qui eſt priuatio communicationis politicæ, & ciuilis cum alijs fidelibus.*

*Excommunicatus priuatus eſt communicatione politica.*

124. QVi eſt maiori excommunicatione innodatus, etiamſi toleratus fuerit, priuatus eſt omni communicatione humana cum alijs, ſiuè politiuè, ſiuè ciuili, ſiuè per modum commercij, ſiuè ſocietatis, ſiuè conuerſationis, *cap. Nuper, cap. Si aliquando, de ſent. excomm. cap. Ad menſam, cap. Si quis laicus 24.q.1. cap. Sicut Apoſtoli, cap. Excommunicatos, cum ſeqq. 11.q.3.* niſi neceſſitas excuſet. De quo *punct. ſeq.* & niſi ſit toleratus non ſe ingerens communicationi; ſed ab alio requiſitus, iuxtà *dict. num.23.* Regulariter autem in his politicis, & ciuilibus conuerſationibus, præciſo ſcandalo, & contemptu, ſolum peccabit venialiter communicando cum alijs: quia videtur materia leuis, & ſic ob paruitatem materiæ excuſatur à peccato graui. Ità D.Thom. *in 4.diſt.18.q.2.art.3.* Palaus *diſp. 2.punct.18.num.2.* Auila *2.p.c.6.diſp.8. dub.3.* Bonac. *q.2. punct.6. §.1. num.2.* ¶ Sed nullum erit peccatum communicare cum infidelibus: quia Eccleſia ſolùm ſeparat excommunicatos à conſortio fidelium Chriſtianorum, *cap. Omnis Chriſtianus, cap. Engeltrudam 30.q.4.*

*Prohibitũ eſt fidelibus cum excõmunicatis communicare.*

125. Similiter conſtat ex dictis iuribus, peccare alios fideles, qui cum ipſo excommunicato communicant in ciuilibus, & humanis, ſi vitandus ſit, etiamſi communicent cum illo extrà territorium, in quo fuit excommunicatus. Quia ſemper ſemper ſecum fert excommunicationem, quamdiu non abſoluitur, & omnes effectus illius. Imò etiam fideles non ſubditi Epiſcopo, qui excommunicationem tulit, & ipſe Epiſcopus, non poſſunt cum ipſo excommunicato communicare. Quia ſemel poſita excommunicatione, ex iure communi omnibus fidelibus prohibetur communicare cum ex communicato. Regulariter ſolum peccat venialiter communicans in rebus politicis ſi verò in ſacris communicet, mortaliter: quia idem peccatum committit, quia communicat cum excommunicato, & ipſe excommunicatus cum alio communicans, & uterque ut diximus *nu.7.* ſolum venialiter delinquit, quando eſt communicatio in humanis, & non adeſt ſcandalum, aut contemptus: & ſi ſit in diuinis, mortaliter; niſi ex paruitate materiæ, aut alia cauſa excuſetur. Nullum tamen erit peccatum cum tolerato communicare ob indulgentiam Conc. Conſtantienſ. nec etiam cum vitando, ſi metu mortis, aut infamiæ, aut amiſſionis bonorum ad id cogatur. Et cum excommunicato minori excommunicatione communicare etiam extra caſum neceſſitatis, nullum erit delictum; nec minor excommunicatio incurritur. Quia minor excommunicatio non tranſit in tertiam perſonam, *cap. Quoniam multos 11.q.3.*

*Aliqui dicunt nõ eſſe mortale frequenter cum excõmunicato communicare.*

126. Sed difficultas eſt: An ſit peccatum mortale frequenter communicare cum excommunicato vitando? & idem eſt dicendum de communicatione excommunicati cum fidelibus) aliqui negant ea ducti ratione, quia quod de ſe eſt peccatum veniale, per multiplicationem actuum non tranſit in mortale: ſed communicatio in Politicis de ſe eſt peccatum veniale: ergò per hoc quòd frequenter fiat, non erit lethale peccatum. Ità Auil. *2.p.c.6.diſp.8.dub.3.concl.2.* Sayr. *lib. 2. cap.11. num.4.* Reginal. *lib.32.nu.29.* Palaus *diſp.2.punct. 18.num.3.* Enriq. *lib.13.cap.8. num.1. in Gloſſ. in B.* Dian. *5.p.tract.9.reſol.2.* Leand. *tract.2. diſp.14. q.2.* N. Ant. *num.401.*

*Verius eſt eſſe peccatũ mortale.*

127. Verior tamen eſt affirmatiua ſententia: Quia quando peccatum ſolùm eſt veniale ob paruitatem materiæ ſi actus multiplicentur, & moraliter inter ſe coniugantur, materia redditur grauis. At communicare cum excommunicato ex genere ſuo eſt mortalè, ut habetur expreſsè, *cap. Sacris, de ijs, quæ vi,* eſt enim contrà præceptum grauiſſimum, & ſolum ob paruitatem, & leuitatem materiæ communicatio ciuilis, non tranſit limites venialis culpæ: ergò ſi multiplicantur actus, & moraliter coniunguntur, erit materia grauis. Sic Suar. *diſp.15.ſect.2.num.11.* Filliuc. *tract. 13.cap.3.q.3 nu.43.* Villalob. *tract.17. diff.13.nu. 4.* Bonac. *q.2.punct.6.§ 1. num.6.* Coninch *diſp. 14.dub.14. num.149.* qui benè addit hæc verba: [Qua in re Suarez *diſp.15.ſect.2.num.55.* notat, ut hæc excommunicatio ſit peccatum mortale non ſufficere, quòd aliquis intra longum tempus, verbi cauſa, per aliquot etiam menſes, pœnè quotidie cum excommunicato communicet, quandò illæ communicationes ſunt omninò inter ſe diſtinctæ, & independentes. Nam ſic conſtituunt ſolum multa peccata venialia; non autem materiam grauem unius peccati: ad hoc enim neceſſarium eſt, ut inter ſe ſint connexæ ſaltem per modum unius obiecti voliti: ut ſit, quando quis ſtatuit longo tempore ſæpiùs cum alio communicare, aut init cum eo aliquod pactum; quod neceſſariò trahit ſecum frequentem, ac diuturnam communicationem: ut ſi ſuſcipiat eum in ſuam familiam, aut de ipſius familia fiat.] Hactenùs Coninc.

*Minorem excommunicationem incurrit, qui cũ excommunicato communicat.*

128. Sed nunc inquires 1. Quam pœnam incurrat, qui in ciuilibus cum excommunicato vitando communicat? Reſpondetur, incurrere minorem excommunicationem, *cap. Excommunicatos, cap. Cum excommunicato 11. q.3. cap. A nobis, de exceptionibus,* & tradit D.Thom. *in addit. q.23.art. 2.* Et quamuis *d.cap. Excommunicatos,* dicatur: *Qui communicat cum excommunicato ſimili excommunicatione innodabitur,* non eſt ſenſus quòd incurret maiorem excommunicationem: quia *ly ſimili* non dicit æqualitatem, ſed ſimilitudinem, id eſt, etiam excommunicatus manebit; minore tamen, non maiori, ut explicat Couarr. *cap. Alma mater, par.1. §.3.num.3.* Palaus *loc.cit.* & conſtat ex *cap. ultim. de*



Digitized by Google

*Cleric. excomm. miniſtrante.* Quod intelligitur, etiamſi aliàs peccet mortaliter communicando cum eo, quia nos non ea ratione probamus, incurrere ſolam minorem excommunicationem quia peccat venialiter communicando cum excommunicato, ut aliqui faciunt; niſi quia in iure nulla eſt alia pœna pro tali communicatione taxata. Vndè licèt communicet frequenter, licèt communicet in ſacris, quibus caſibus diximus peccare mortaliter, ſolam minorem excommunicationem incurret, Auila *diſp.* 10. *dub.* 1. *concl.* 3.

*Qui cũ excommunicato à Papa communicat incurrit maiorem excommunicationem.*

129. Ab hac autem generali doctrina triplex caſus excipitur, in quibus maior incurritur excommunicatio (& conſequenter mortaliter delinquitur) communicando cum excommunicato. Primus eſt, quandò excommunicatus eſt à Papa nominatim per ſententiam particularem: quia tunc communicans incurrit maiorem excommunicationem ipſi Papæ reſeruatam: ex *cap. Significauit, de ſent. excomm.* Ità Soto *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 4. *concl.* 4. Sed ad hanc incurrendam excommunicationem conditiones *ſupr. num.* 48. aſſignatæ debent inveniri: nimirum quòd communicans debet eſſe Clericus, & communicare in diuinis non utcumque; ſed admittendo excommunicatum ſponté, liberè, & voluntariè, ſcienſque eſſe à Papa excommunicatum, & inſuper nominatim denunciatum: & quòd per communicationem cum eo dictam excommunicationem incurrit: ut ex ipſo *cap. Significauit*, colligitur, & docent Auila *ſuprà dub.* 2. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 8. *nu.* 2. Hurtad. *diſp.* 9. *diff.* 3. *num.* 15. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 18. *nu.* 4.

*Qui cõmunicat cum excommunicato, incurrit maiorem excõmunicationem, ſi lata eſt contrà participantes.*

130. Secundus caſus eſt, quandò excommunicatio lata eſt contrà participantes, quia tunc qui communicat cum eo, incurrit eandem excommunicationem, quâ eſt ipſe ligatus: ut tradit D. Thom. *in addit. q.* 23. *art.* 3. *in corp.* & ab illo poteſt dumtaxat abſolvi, à quo poteſt abſolvi principalis: ſed ut aliquis incurrat hanc excommunicationem, debet priùs moneri trina monitione, vel ſaltem unâ tribus æquivalente, & debet ſpecialiter moneri. Nam ex ſola generali latione contrà participantes, qua iudices ſolent uti frequenter, non ligatur ille, qui communicat. Nam in *capit. Conſtitutionem, de ſent. excomm. in* 6. expreſsè dicitur, ferendam eſſe hanc excommunicationem adverſus perſonas ſingulares & expreſſas, Hurtad. *diſp.* 9. *diff.* 3. *circà fin.* Palaus *nu.* 6. Auila *loc. cit. dub.* 4. & conſtat ex à nobis dictis *cap.* 1. *nu.* 98.

*Qui communicat in crimine criminoſo, incurrit maiorẽ excommunicationem.*

131. Tertius caſus eſt, quandò aliquis communicat cum excommunicato in crimine criminoſo, D. Thom. *loc. ſup. cit.* Tunc autem dicitur, in crimine criminoſo participare, quandò communicat in crimine, vel contumacia, ob quam excommunicatio lata eſt, v. g. incurrit Petrus excommunicationem latam contrà concubinarios, ſi aliquis præbeat ei conſilium, auxilium, aut fauorem retinendi concubinam, communicat cum eo in crimine criminoſo; eſt excommunicatus, quia non reſtituit, qui impedit, quominùs reſtituat, communicat in crimine criminoſo. Similiter, qui dat conſilium percuſſori Clerici, ne exeat ab excommunicatione, ne reſtituat, ne ſatisfaciat: Iſte igitur peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem maiorem, *cap. Si concubinæ, cap. Nuper, de ſent. excomm.* Quia agentes, & conſentientes digni ſunt, ut pari pœna plectantur. Hanc etiam incurrit Epiſcopus, ſi in crimine criminoſo communicet cum excommunicato etiam à ſe: quia talis pœna communicanti cum excommunicato ex iure communi habetur; non autem incurret illam Summus Pontifex: quia eſt ſuprà omne ius, Bonac. *qu.* 2. *punct.* 6. §. 1. *num.* 8. Suar. *diſp.* 15. *ſect.* 7. *num.* 4. Filliuc. *tract.* 13. *cap.* 3. *nu.* 46. Auila *diſp.* 9. *dub.* 1.

*Quæ requirantur conditiones ad incurrẽdam prædictam excommunicationem.*

132. Ab hac excommunicatione *numer. præc.* propoſita nemo poteſt abſolvere, niſi qui poteſt principalem, cum quo communicauit. Vndè ſi reſervata ſit excommunicatori, ad illud debet recurrere communicans pro abſolutione quamvis non ſit ſubditus illius: quia ſit ſubditus ratione delicti. Ad illam tamen incurrendam quinque conditiones requiruntur: 1. quòd communicet cum eo, poſtquàm excommunicatus eſt. Quarè qui in primo actu communicat, quandò non eſt excommunicatus, dictam excommunicationem non incurrit: 2. quòd in eodem crimine communicet cum eo. Non autem ſufficit, quod in eodem crimine communicet, ſi cum eo non communicat. Quarè ſi excommunicatus eſſet concubinarius, qui concubinam illius cognoſceret, quamuis diceretur cum illo convenire in crimine, id eſt, commune crimen cum illo commiſiſſe; non verò cum illo in crimine communicare, niſi quandò aliquo modo eſt cauſa criminis, aut contumaciæ ab alio commiſſæ. Tertia, quòd ſciat, excommunicatum eſſe ob tale crimen illum, cum quo communicat, & ipſum tali excommunicationi ſubiacere ob talem communicationem. Quarta, quòd excommunicatus, cum quo communicat, ſit vitandus, id eſt, notorius percuſſor Clerici, aut nominatim excommunicatus. Quia, ut diximus *nu.* 11. etiam publicus excommunicatus non eſt vitandus, niſi ſit nominatim denunciatus, aut notorius percuſſor Clerici: 5. quòd communicatio non ſit adeò leuis, ut pro nihilo reputetur, Regin. *lib.* 32. 96. Auila *diſp.* 10. *dub.* 3. & 4. Bonac. *ſup.* §. 1. *nu.* 9.

*In quibus caſibus illicitum ſit cũ excommunicatis cõmunicare.*

133. Inquires ſecundò: In quibus caſibus illicitum ſit fidelibus, communicare cum excommunicato, & iſti cum fidelibus? Reſpondetur, quod in quinque caſibus, qui his verſibus continentur:

*Si pro delictis anathemate quis*
*feriatur,*
*Os, orare, vale, communio, menſa*
*negatur.*

Et per ſingula verba diſcorrendo, inprimis ponitur *os.* Per hoc prohibetur confabulatio cum eis, ſiuè per verba, ſiuè per nutus, aut ſigna, per litteras, nuntios & ideò epiſtolas ad illos mittere, vel illorum epiſtolas legere, etiam omnia ſigna amicitiæ, ut amplexus, oſcula, acceptatio munerum, vel munerum ad eos miſſio: quia eſt quædam communicatio; non vero retentio munerum, quæ antè excommunicationem ſunt recepta, Bonac. §. 2. *nu.* 2. Cornejo *diſp.* 10. §. 10. *princip.* Regin. *lib.* 32. *nu.* 68. Auila *diſp.* 9. *dub.* 1. & cum Lezana, N. Steph. *tract.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 11. *nu.* 269.

*Quid per orare prohibeatur, & per vale.*

134. *Orare.* Per hoc verbum prohibentur fideles orationes publicas, ſuffragia, ſacrificia offerre pro excommunicatis, & etiam priuatim ſimul cum eis orare, non tamen prohibetur particulares orationes, & ſuffragia pro eis fundere. De quo latè diximus *toto punct.* 6. *Vale*: Per hoc prohibetur

Digitized by Google

hibetur omnis ſalutatio honorifica, verbis ad ipſum honorandum ordinatis. Quamvis non ſit contrà talem prohibitionem eum alloqui dicendo: *Deus te convertat, te Deus illuminet*, ſi non animo ſalutandi, aut honorandi proferantur. Sed non approbamus, quod aſſerit Enriq. *lib.* 13 *cap.* 7 *nu.* 3 *lit.* O. poſſe fideles reſalutare excommunicatum, aut illi reſcribere. Quia, inquit, hæc non ſunt ſigna amicitiæ, ſed ſolutiones debiti, quæ etiam inimico fieri poſſunt: quia prohibitum eſt, illum ſalutare, & ipſi alios ſalutare: & ſi illicitè ſalutet, non habet ius, ut reſalutetur; ſed in pœnam delicti eſt illo priuatus, Auila *diſp.* 9 *dub.* 9. Bonac. *ſup. num.* 2. Probabile tamen eſt, quòd ibi inquit Auila *dub.* 10. & Nauarr. *cap.* 27. *num.* 20. Soto *in* 4. *diſt.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 7. quòd licèt fidelibus abſque verbis operire illi caput, aſpergere, dare illi locum, vel alia ſigna vrbanitatis exercere abſque animo ſalutandi, aut reſalutandi; ſed ne videatur aliquis inurbanus. Veriùs tamen eſt, non licere, quia hæc ex ſe ſunt ſigna ſalutationis, & amicitiæ, quæ probibentur exhiberi excommunicatis, Palaus *punct.* 17. *num.* 4. Bonac. §. 2. *num.* 4. Suar. *diſp.* 15. *ſect.* 1. *num.* 3. Hurtad. *diſp.* 9. *de excomm. diff.* 1. *num.* 3.

*Quid prohibeatur per communionem*

135. *Communio.* Per hanc communicationem probibetur omnis inhabitatio, cooperatio in eodem negotio, ſedere, collaborare, ambulare, ſimul cum illo iter agere, omnis contractus venditionis, locationis, emptionis, &c. Itaque ſub tecto eodem viuere, in eodem loco dormire, vel in eodem cubiculo per modum ſocietatis, per hoc verbum prohibetur; non verò in eodem cubiculo cubare, vel etiam in eodem lecto, ſed non per modum ſocietatis; ſed unuſquiſque ut ſuam quietem accipiat: ut ſi in diuerſorio concurrerent, & non eſſent pro ſingulis lecta, & cum illo ex neceſſitate deberet in eodem lecto cubare, Suar. *diſp.* 15. *ſect.* 2. *num.* 8. Bonac. *num.* 5. Prohibitum eſt etiam opus, ad quod uterque concurreret, ut ſimul ædificare domum. Similiter mortuum lauare, veſtire: quia cum quibus in vita illicitum fuit communicare, etiam poſt mortem non licet. Licitum tamen eſt, mortuum in loco profano ſepelire, ne fœteat, aut aërem corrumpat, quia tunc neceſſitas excuſat quòd communicatio ſit peccatum.

*Contractus factus ab excommunicato eſt validus, licet illicitus*

136. Etiam omnis contractus cum excommunicato eſt illicitus, vel cum ſervis eius nomine ipſius contrahentibus; non tamen eſt invalidus. Tenet enim contractus initus ab eo, quamvis illicitè fiat. Et ſic tenetur contrahens cum ipſo ſtare contractui, & poſt abſolutionem poteſt excommunicatus, obligare eum in iudicio, ut contractum factum obſervet quamvis tempore excommunicationis agere non poſſit contrà alium: quia non poteſt eſſe actor in iudicio. Alter verò agere poteſt contrà ipſum, quia ille ut reus poteſt in iudicio comparere, ut diximus *num.* 123. Itaque validus eſt talis contractus, quamvis aliqui hoc negent, ſed immeritò: ſi quidem nullo iure irritatur; quin potiùs in iure validum eſſe ſupponitur: & ſic in *cap. Cum illorum* 32. *de ſent. excomm.* ſupponitur, validam eſſe profeſſionem ab excommunicato factam, & *in cap. Significaſti* 6. *de eo, qui duxit, &c.* ſupponitur, legitimum eſſe Matrimonium ab excommunicato contractum: & in *cap. Inter dilectos, de donationib.* donationem factam ab excommunicato valere. Ità tenent Cornejo *diſp.* 10. §. 1. *quæſt.* 4. Palao *diſp.* 10. *punct.* 16. *num.* 3. Auila 2. *part. cap.* 6. *diſp.* 9 *dub.* 10. Conninch *diſp.* 14. *nu.* 119. Excipiuntur autem contractus facti ab hæreticis vitandis, & eorum fautoribus, & ab illis, qui per annum in excommunicatione inſordeſcunt. Qui vel ſunt ipſo iure irriti, vel ſaltem poſt ſententiam irritandi, *cap. Excommunicantes*, §. *Credentes, de hæreticis, leg. Manicheos, C. de hæreticis.*

*Teſtamentum illicitè fit ab excommunicato, validè tamen.*

137. Similiter probibentur excommunicati facere teſtamentum: quia illud non fit, niſi communicando cum alijs. Cæterùm quia communicatio ratione neceſſitatis excuſatur à culpa, ſi tempore mortis non poteſt excommunicatus, obtinere abſolutionem, eo quod non habet copiam Sacerdotis, licitum erit ei teſtamentum facere: quia teſtamentum reſpectu morientis actus neceſſarius iudicatur, Cornejo §. 1. *quæſit.* 4. *clauſ. Et ſi roges.* Validum tamen erit teſtamentum ab eo factum, etiam extrà caſum neceſſitatis, quia nullo iure irritatur, Suar. *diſp.* 15. *ſect.* 9. *num.* 1. Excipitur teſtamentum hæreticorum, & eorum fautorum, quod erit nullum *l. Credentes, l. Manicheos, C. de hæretic. cap. Excommunicantes, eod. tit.* & teſtamentum eius, qui percutit, vel inſequitur Cardinalem, *cap. Fœlicis, de pœnis in* 6. & publici uſurarij ante reſtitutionem, vel ſufficientem cautionem, *cap. ult. de uſuris in* 6. & eorum, qui commiſerunt crimen læſæ Maieſtatis, *leg. Quiſquis, C. ad legem Iuliam Maieſtatem.*

*Quid prohibetur illo nomine Menſa*

138. *Menſa.* Per hoc verbum prohibetur communicatio cibi, potus, menſæ. Vndè non licèt cum excommunicato in eadem menſa ſedere, vel cibos communes, etiam in diuerſa menſa cum illo ſumere: & ſic eſt prohibitum conviuio aſſiſtere, ad quod excommunicatus eſt invitatus: etiamſi diſtincta fercula ſedentibus in eadem menſa apponantur, vel è contrà: etiamſi in diuerſis menſis in eodem cubiculo ſimul, vel ſucceſſiuè moraliter continuatis, quandò communiter idem cibus pro omnibus apponitur. Si tamen in diuerſo cubiculo menſæ ſunt appoſitæ, & non ſimul cum eo aliquis cibum ſumat, tametſi eodem cibo communi omnes veſcantur, non dicentur communicare cum eo: quia non cenſentur moraliter ſimul edere, in eodem conviuio, Suar. *diſp.* 15. *ſect.* 2. *nu.* 6. Bonac. *ſup num.* 5. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 13. Auila *diſp.* 9. *dub.* 11. Vndè, qui ſcit, in eadem menſa moraliter, in eodem conviuio, in eodem refectorio adeſſe excommunicatum vitandum, tenetur recedere, ſin minus peccat, & excommunicationem minorem incurrit. At in diuerſorio, vel cauponâ, etiamſi in eadem menſa cum illo ſedeat, & eodem cibo utatur; ſi tamen non per modum ſocietatis ambo concurrant, ſed unuſquiſque ſuæ refectioni intendat, nihil de alio curans, non peccat; quia non dicitur cum illo communicare; & illa materialis aſſiſtentia non facit eos convenire moraliter, Suar. Sayr. Auil. & Bonac. *citat.* Et his omnibus ſervanda eſt regula prudentiæ, ut ſciatur, quando ſit unitas, vel diuerſitas formalis menſæ, & conviuij.

## PVNCTVM XIII.

### *In quibus caſibus excuſentur à peccato fideles communicantes cum excõmunicatis.*

*A multis fideles licitè cum excõmunicatis communicant.*

139. PLures dantur caſus, in quibus fideles communicantes cum excommunicatis vitandis excuſentur à culpa, & ipſi excommunicati communicantes cum fidelibus, & conſequenter à pœna quæ communicantibus eſt impoſita: quia cum talis communicatio non ſit intrinſecè mala, niſi quia prohibita, poteſt à Legiſlatore limitari pro his, vel illis caſibus; & cum ſit lex Eccleſiaſtica, quæ benigna eſt, & non vult eum magno incommodo obligare, plures dantur caſus, pro quibus ab obligatione liberat. Iſti autem ad quinque genera reducuntur, & comprehenduntur in illo carmine, quod affert D. Thom. *in addit. q.23. art.* 1. & communiter admittitur.

*Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.*

Omnes hi caſus enumerantur expreſsè à Gregorio VII. *cap. Quoniam multos* 11. *qu.* 3. per quos in particulari breuiter tranſiemus, & quæ in eis ſunt peculiaria breuiter adnotabimus.

*Vtilitas à communicatione excuſat.*

140. *Vtile.* Per hoc intelligit D. Thom. & communis. DD quamlibet utilitatem corporalem, vel ſpiritualem excommunicati, vel communicantis cum eo, vel alterius tertij; modo vera ſit, & non ficta: ut habetur in *d. cap. Quoniam multos.* Vndè ratione utilitatis ſpiritualis, poteſt quilibet cum excommunicato communicare, ut ei conſilia ſalutis conferat. Poteſt etiam monere litteris, aut verbis, quandò creditur, monitionem profuturam, *cap. Reſponſio, cap. Cum voluntate, de ſentent. excomm.* ubi conceditur, poſſe alia verba antè, vel poſt ingerere ad captandam voluntatem. Vndè etiam poteſt fidelis tali caſu excommunicatum ſalutare, caput diſcooperire; ſigna beneuolentiæ oſtendere: ſi ad ipſum litteras mittit, poteſt per conſuetam ſalutationem eum ſalutare: quia quando finis eſt licitus, etiam licita ſunt media, quæ ad ipſum ordinantur, ſed hæc omnia neceſſaria ſunt multoties ad captandam benevolentiam, ut monitio proſit: ergò, &c. Auila 2 *part. cap.* 6. *diſp.* 15. *dub.* 2. Bonac. *quæſt.* 2. *punct.* 6. §. 2. *num.* 10. Soto *in* 4. *diſp.* 22 *quæſt.* 1. *art.* 4. N. Lezana *nu.* 45. *& ſeq.* Similiter licèt confeſſionem excommunicati audire: etiamſi non eſſet abſolvendus, ut ſalubria ei conſilia à confeſſario dentur, *cap. Quod quidam, de Pœnitentijs, & remiſſionib.*

*Quibus caſibus ob utilitatem ſit licita communicatio cum excommunicato.*

141. Licèt etiam ob utilitatem excommunicati concionem coram illo facere: quia hæc ex natura ſua ordinatur ad illius emendationem. An verò liceat Theologicam lectionem coram illo repetere? Negant Coninch *diſp.* 14. *dub.* 12. *nu.* 122. Auil. *ſupr. dub.* 3. *concl* 8. Hurtad *diſp.* 9. *diff.* 4. *nu.* 18. quia per ſe non ordinatur ad conuerſionem, ſicut concio; nec eſt ita neceſſaria ſaluti. Verius dicendum eſt cum Sot. *ſup art.* 4. *col.* 10. Sayr. *lib.* 2. *ca.* 14. *nu.* 3. poſſe excommunicatum eam audire, & ſuper eam Doctorem interrogare: & conſequenter, eam, lectorem coram illo repetere: quia non ſolum conuerſionis utilitas, ſed alia quævis utilitas vera, & ſpiritualis qualis iſta cenſetur, à communione cum excommunicato excuſat. ¶ Etiam ob aliorum utilitatem licèt conſilium petere ab excommunicato pro ſe, vel pro alijs; ſi alius non adſit, à quo æquè benè poſſit tale conſilium accipi. Concionem ab illo audire non licet ob ſcandalum, quod indè ſequi poteſt, hoc verò ceſſante, licebit, ſi alius non adſit, à quo æquè bene poſſent inſtrui fideles, Auil. *dub.* 3. *concl.* 5. Conin. *nu.* 122.

*Ob utilitatem temporalem etiã licet talis communicatio.*

142. Veruntamen quia lex Eccleſiaſtica non obligat cum graui iactura etiam rerum temporalium, poteſt excommunicatus cum alijs, & alij cum ipſo communicare, quandò indè utilitas temporalium ſperatur: & ſic licèt ab eo conſilium accipere, & petere pro rebus corporalibus, debitum exigere, & ille tenetur ſolvere: & ipſe extrà iudicium debitum ſibi poteſt petere, & debitor illi tenetur ſolvere; non autem poterit in iudicio: quia in eo non poteſt eſſe actor, ut diximus, & notauit Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 19. *nu.* 5. licitum etiam eſt ſocietatem anteà initam continuare, à Medico excommunicato conſilium & medecinas quærere, eleemoſynam illi facere, ſi pauper ſit, ab eo illam recipere, ſi non ſit alius, à quo æquè benè poſſit accipi: quia in his omnibus, & ſimilibus vera utilitas inuenitur, ob quàm licèt cum excommunicato communicare, Palaus *diſp.* 2. *punct.* 19. *num.* 2. Bonac. *nu.* 13. Suarez *diſp.* 15. *ſect.* 4. *num.* 8. Auila *dub.* 4. Conin. *nu.* 122.

*Vxor cum viro excõmunicato in omnibus communicare poteſt.*

143. *Lex.* Per hanc particulam legem Matrimonij intelligis D. Thom. & cum eo omnes. Ratione igitur legis Matrimonij, uxor à viro excommunicato debitum exigere poteſt, & ille reddere tenetur: & quia *cap. Quoniam multos* 11. *q.* 3. abſolutè conceditur illi, quòd poſſit cum viro communicare, abſque ulla reſtrictione ad coniugale debitum, quæ conceſſio fauorabilis eſt, & ſic à nobis non eſt reſtringenda, non ſolum licèt communicare cum eo in debito coniugali, ſed etiam in alijs familiaribus colloquijs, in gubernatione domus, ac in reliquis, in quibus poterat ante excommunicationem, exceptis rebus ſacris, de quibus aliqui dubitant; ſed de his dicemus explicando verbum *humile.* Quod modò aſſeruimus, tenent communiter theologi.

*Etiã licèt viro communicare cum uxore excommunicata.*

144. Et quia diſpoſitum pro uno correlatiuo pro alio diſpoſitum cenſetur; ubi eadem ratio inuenitur: & ratio conferendi hanc facultatem uxori reſpectu viri excommunicati eſt ob periculum animarum; quod immineret, ſi communicatio eius prohiberetur, inter quos eſt tam arctiſſimum vinculum; quæ ratio etiam currit in viro reſpectu uxoris excommunicatæ: ideò etiam viro licèt cum uxore excommunicata communicare; quamuis *in cap. Quoniam multos* ſolum ſit ſermo de uxore potente cum viro excommunicato communicare: quia Pontifex uxoris tantum mẽtionem facit, quia frequentius eſt virum excommunicari, quam fœminam. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 4. Palaus *ſup. nu.* 6. Cornejo §. 10. *dub.* 2. Sanc. *nu.* 26. Suar. *nu.* 14. Auila 2 *part. cap.* 6. *diſp.* 11. *dub.* 5. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 14. *nu.* 6. Bonac. *nu.* 24. Coninc. *nu.* 123. N. Ant. *nu.* 415.

*Etiam vir excommunicatus cõmunicare poteſt cum uxore non excommunicata.*

145. Idem dicimus de uxore, aut viro excommunicato, quòd poteſt cum uxore, aut viro non excommunicato communicare, & ad inuicem petere poſſunt debitum, & reddere tenentur, & in alijs omnibus mutuò conuerſari: quia talis permiſſio conceſſa eſt, ut euitetur incontinentiæ periculum, & conſcientiarum laqueus, & offendiculum, ſi inter ſic coniunctos communicatio interdiceretur. Vndè ſicut excommunicatus debi-

tum

tum pecuniarum petere poteſt à non excommunicato, & hic illi reddere tenetur: ſic debitum coniugale, & omnia alia, quæ lege Matrimonij debentur: ita auctores ſuprà citati. ¶ Similiter dicendum eſt, licèt uterque eſſet excommunicatus, quòd poſſent ad inuicem communicare: quia excommunicatio unius per alterius excommunicationem non augetur, nec priuilegium conceſſum minuitur: niſi fortè excommunicatione contumaciam fouerent, & in crimine communicarent quò amplius inſordeſcerent: quia tunc, iam communicarent in crimine criminoſo: & ſic peccarent mortaliter, & maiorem excommunicationem incurrerent iuxtà dicta *num* 132.

*Quædam limitationes doctrinæ traditæ apponuntur.*

146. Quæ hactenus uniuerſaliter diximus de coniugatis, limitanda ſunt. Primò: ſi ſcienter contraxerunt Matrimonium in excommunicatione cuiuſlibet: quia tale priuilegium conceſſum eſt coniugatis antè excommunicationem. Nec eſt æquum, quod delinquentes contrà cenſuram ab illius onere eximantur: quod intelligendum eſt iuxtà dicenda *nu.* 149. ¶ Secundò, quandò excommunicatio lata eſt propter cauſam ad Matrimonium ſpectantem: ut ſi dubitaretur de valore eius, & ſub excommunicatione prohiberentur cohabitare; quòd tunc non ſolum ille, cui tale præceptum eſt impoſitum, teneretur ad non utendum Matrimonio; ſed etiam alter: aliàs in crimine criminoſo communicaret cum excommunicato. ¶ Tertiò, quandò ſunt diuortio ſeparati. Quia tunc, cum ſit libera uxor ab obſequijs mariti, non poteſt cum illo communicare, durante diuortio, & excommunicatione; poterunt tamen reconciliari, & tunc cōmunicare ad inuicem, licèt non ſit obtenta abſolutio. Quartò aliqui excipiunt, quandò vir eſt ob hæreſim excommunicatus *ex cap. decreuit, de Hæreticis in 6.* ſed tunc non prohibetur ratione cenſuræ communicatio, ſed ratione periculi infectionis, quo proindè ceſſante, nulla prohibitio datur.

*Filij non emancipati cum parētibus excōmunicatis communicare poſſūt.*

147. *Humile.* Per hanc particulam innuitur, quòd ratione ſubiectionis excuſantur à communicatione cum dominis, quicumque illis ſeruire, & ob temperare tenentur: ut ſunt filij reſpectu parentum, tàm legitimi, quàm illegitimi, & adoptiui, nepotes, pronepotes; & in gradu lineæ rectæ affines, ut gener, nurus, priuignus, & priuigna, pupilli, & minores reſpectu tutorum, & curatorum: quia in fauorabilibus hi omnes nomine filij intelliguntur, iuxtà *legem filij, ff. de verb. ſignific.* Vndè cùm fauorabilis ſit textus ille. *Quoniam multos* 11. *quæſt.* 3. ubi filijs conceditur, poſſe cum parentibus excommunicatis communicare: ſit conſequēs ad omnes hos dictum fauorem extendi, Cornejo *diſp.* 10. ſ. 10. *dub.* 2. *quæſt.* 3. Bonac. *num.* 29. *&* 33. Palaus *nu.* 10. Sayr. *lib.* 2. *c.* 14 *nu.* 10. Suarez *ſect.* 5. *à nu.* 3. ¶ Sed non intelligitur de filijs iam emancipatis: hi enim communicare non poſſunt cum parentibus excommunicatis; niſi utilitas, aut neceſſitas id expoſcat. Quia dictus textus *quoniam multos*, ideò concedit filijs poſſe cum parentibus communicare: quia neceſſaria eſt talis communicatio ob eorum cohabitationem, & conſequenter loquitur de non emancipatis, D. Thom. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 1. *& in addition. quæſt.* 23. *art.* 1. *in corp.* Sayr *nu.* 10 *citat.* Sot. Nauar. Syluest. *relati à* Suar. *nu.* 3. Quamvis probabile ſit, filios adhuc emancipatos poſſe cum parentibus communicare: quia *dicto cap. Filij*, hic fauor conceditur, & hi verè filij ſunt, & ratione filiationis multoties communicare debent cum parentibus, illiſque ſemper parere tenentur, Suar. *loc. cit. nu.* 4. Cornejo *quæſt.* 3. Palaus *nu.* 10. Hurtad. *diſp.* 9. *diff.* 4. *nu.* 21.

*Poſſunt etiam cum dominis excōmunicatis omnes domeſtici eius communicare.*

148. Etiam ob ſubiectionem humilem, excuſantur à communicatione cum dominis, ſerui, & ancillæ: quia cum non eximantur à ſeruitute ob excommunicationem domini, iuſtum fuit concedere illis, quòd cum dominis poſſint communicare: uti conceditur *in dicto ca. Quoniam multos*. Etiam ſeruientes ſiuè gratis, ſiuè pretio *dicto cap.* eximuntur, & tota familia excommunicati. *cap. Si verè* 34. *de ſent. excomm.* quia regulariter ab eius conſortio abſque graui damno non poſſunt diſcedere. Similiter Religioſi communicare poſſunt cum ſuis Prælatis excommunicatis. Quia ſunt ſubiecti illis non ſolum ratione iuriſdictionis, à qua fortaſsè per excommunicationem liberantur; ſed ratione dominij, à quo recedere nequeunt. Item ſimiliter cum ſuo Duce excommunicato in exercitu participare poſſunt, *arg. ex cap. Si verè, de ſent. excomm.* & eum ſequi in bello iuſto, & defendere tenentur, *cap. Iulianus* 11. *quæſt.* 3. Non autem poſſunt vaſſalli communicare cum ſuis dominis: quia nec ſunt ſerui, nec de eius familia, ut conſtricti ſint ad eorum communicationem, *cap. Nos Sanctorum* 15. *quæſt.* 6. ſed quantum ad ſolutionem tributorum tenentur (quia debitor tenetur ſolvere debitum excommunicato) ſed hoc dumtaxat, quandò ligantur iuramento fidelitatis, Cornejo *ſupr. quæſt.* 3. Suarez *diſp.* 15. *ſect.* 2. *num.* 2. Auila *dub.* 9.

*Conſule N. Lezanam loc. cit.*

*Quibus caſibus poſſunt, vel non cōmunicare cum dominis, qui poſt excommunicationem ad illos peruenerunt?*

149. Sed inquires, primò, an hoc priuilegio fungantur, qui poſt excommunicationem in familiam Domini venerunt, vel ſuas operas Domino excommunicato conduxerunt? Reſpondetur cum hac diſtinctione. Vel enim fuerunt in culpa, quia ſciebant excommunicatum eſſe: & abſque graui neceſſitate ſe illi ſubiecerunt, vel non? Si hoc ſecundum, excuſantur à communicatione cum illis, ſicut filius adoptatus, vel genitus tempore excommunicationis, vel famulus, qui ignorans excommunicationem domini ad eius familiam venit, vel locās ſuas operas excōmunicato ob neceſſitatem: quia cum nullam commiſerint culpam, in tali ſubiectione debent gaudere facultate alijs familiáribus conceſſa, Suar. *ſect.* 5. *num.* 13. Palaus *nu.* 14. Coninch *num.* 127.

*Eamdem doctrinam proſequimur.*

150. Si primùm: tenentur recedere (ſi abſque graui incommodo id poſſunt) ne cum dominis poſſunt communicare: quia in *cap. Inter alia* 31. *de ſent. excomm.* famulis conceditur facultas communicandi cum ſuis Dominis, ſi ante illorum excommunicationem ſubiectionem contraxerunt: quia cùm talis ſubiectio facta poſt excommunicationem ſcienter, iniqua fuerit; æquum non eſt, illo gaudere priuilegio, D. Thom. *quæſt.* 23. *in addit. art.* 1. Suar. *diſp.* 15. *ſect.* 5. *nu.* 13. Angelus *verb. Excommunicatio* 8. *nu.* 11. Sayr. *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 15. Coninch *diſp.* 14. *nu.* 129. Quamvis ſit valdè probabile, poſſe coniugatos, qui poſt excommunicationem contraxerunt, & omnes ſervos, & familiares, qui tunc in familiam eius venerunt, cum dominis communicare, licèt in illo actu peccauerint: quia *in cap. Quoniam multos*, omnes ſerui, omnes uxores abſque reſtrictione hoc priuilegio fungi dicuntur. Quod eſſe probabile aſſerunt Palaus *n.* 15. Bonac. *nu* 23. Conin. *nu.* 129. & tenet N. Ant. *num.* 411. *&* 117.



151. In-

Digitized by Google

*Poſſunt domini cum famulis excommunicatis communicare*

151. Inquires, ſecundò: An ſicut famuli, filij, &c. poſſunt cum dominis, aut parentibus excommunicatis communicare in omnibus; ſic ipſi parentes, aut domini poſſint cum filijs, aut famulis excommunicatis communicare? Reſpondetur cum D. Tho. *in addit. q. 23. art. 1.* affirmatiuè: & rationem reddit Sanctus Doctor; quia ſicut inferiores obligantur ad obſequium ſuperiorum, ſic ſuperiores ad prouidentiam, & curam inferiorum: Quarè ſicut, quia ſuperioribus obſequium præſtare debent, illorum communicationem vitare non poſſunt, & ſi hæc eis prohiberetur, vel reſtringeretur, laqueus illis apponerètur, & offendiculum: ſic ſi in ſuperioribus eodem modo non daretur facultas, ut poſſent cum inferioribus communicare. Maximè, quia, ut dicebamus *nu.* 145. quod de uno correlatiuo diſpoſitum eſt, etiam de alio diſpoſitum cenſetur, ubi eadem ratio militat. Quamvis ſuperior lege charitatis teneatur inferiorem monere, ut obediat, ut reſipiſcat, ſi tamen negligens fuerit, peccabit quidem contrà charitatem, ſed non contrà cenſuram, Soto *in 4 diſt. 22. qu. 1. art. 4. concl. 5.* Palaus *nu.* 21. Enriq. *lib.* 13 *c. 22. n* 3. Cornejo *diſp.* 10 §. 10. *dub. 2. quæſit. 3 n.* 21. Auila *dub.* 6. Coninc, *n.* 134. Hurt. *diſp.* 19. *diff.* 4. *n.* 33. Bonac. §. 2. *n.* 38.

*Dicta communicatio conceditur tàm in diuinis, quàm in humanis*

152. Inquires, tertiò: An dicta facultas communicandi, conceſſa famulis, aut filijs, reſpectu dominorum, vel parentum, intelligatur de communicatione tàm in humanis, quam in diuinis, in quibus perſonæ ſubiectæ ſolebant alias cum ſuperioribus communicare? Reſpõdetur affirmatiuè: quia priuilegium hoc, utpote fauorabile, in corpore iuris inſertum, nemini nocens, latè eſt interpretandum; & cum concedat abſolutam communicationem, de omni, tàm diuina, quàm humana (in qua aliàs ſolebant inter ſe communicare) intelligendũ eſt, cum verba, maximè fauorabilia, generaliter loquentia, generaliter ſint intelligenda, *iuxta c. Solitæ, de maioritate, & obedientia*, Auil. Palaus, Suar. Enriq. Bon. Conin. *ſup. cit.* Sanc. *lib. 9. de matrimon. diſ.* 14. *num.* 5. Cornej. *diſp.* 10. §. 10. *dub.* 2. ¶ Vndè poſſunt comitari dominum ad ſacrum audiendum euntem, ipſique celebranti miniſtrare, Horas Canonicas cum illo recitare, non verò ab eo recipere Sacramenta poſſunt, vel illi conferre: quia hæc cõmunicatio, non conuenit ratione famulatus. Nec ſimiliter villici, aut alij ſerui, qui in his diuinis non ſolent cum dominis communicare, poterunt poſt excommunicationem, in eis, cum ipſis concurrere. Nec denique eos poſſunt famuli quicumque, aut filij, ut eant in templum, inducere: quia occaſionem præberent ceſſandi à diuinis, quamvis, illis ibi exiſtentibus, non teneantur recedere.

*Quæ ignorantia excuſet à communicatione.*

153. *Res ignorata.* Per hæc verba ſignificatur, omnem ignorantiam invincibilem, vel inaduertentiam iuris, vel facti à communicatione cum excommunicato excuſare. Quia uniuerſale eſt, ignorantiam inuincibilem in qualibet materia à culpa, & à pœna excuſare, de quo latè diximus *cap. 1. punct.* 15. ſed non deſunt, qui in præſenti materia aſſerant, non ſolum ignorantiam inculpabilem, & invincibilem excuſare à communione cum excõmunicato; ſed etiam vincibilem, & culpabilem, dummodò non ſit affectata: quia dicunt, Pontificem *in c. Quoniam &c.* aliquem fauorem concedere, quandò ignorantes à communicatione cum excommunicatis excuſauit, & nullus fauor eſſet, ſi de ſolis ignorãtibus invincibiliter loqueretur: quia iure naturæ ſunt excuſati: & ideo videtur loqui de illis, qui aliàs culpabiliter ignorantia laborarent: quia hi verè ſunt ignorantes, & Pontifex omnes ignorantes excipit. Quarè ſicut diximus *dict. cap. & punct.* quod quandò aliquid iure præcipiunt ſub illa forma: *ſi quis ſcienter*, quicumque ignorantes etiam culpabiliter excuſantur: quia de illis cũ ſcientia operari non verificatur: ſic quandò ignorantes excipit, ſufficit verificari formaliter eſſe ignorantes, ut ab obligatione iſta extrahantur. Ità tenet N. Ant. *n.* 419. *loc. cit.* Palaus *n.* 24. Suar. *ſect. 3. n.* 3. Hurtad. *nu.* 26. Coninc. *num.* 124. citans ſe *diſp.* 13. *dub.* 11. Quod an verum ſit, ex dictis *loc. cit.* conſtat.

*Quæ certitudo excommunicationis requiratur, ut excommunicatus vitetur.*

154. Non autem ſufficit, aliquem habere dubium, de alterius excommunicatione, ut eum vitare teneatur: quia ob dubium nemo priuandus eſt iure ſuo, quod habet ad communionem cum alijs: ſed debet certitudinem moralem habere, ipſum, & eſſe excommunicatum, & eſſe vitandum: quia utrumque requiritur, ut ab eius communicatione arceamur, Palaus *nu.* 25. Bonac. *ſup. nu.* 42. Corn. §. 10. *dub. 2. in fin.* Auila *dub.* 11. Hanc moralem certitudinem habere poſſumus: vel fama publica, à viris fide dignis orta, vel teſtimonio duorum, aut trium teſtium aſſerentium, ipſum excommunicatum denunciatum eſſe, vel confeſſione ipſius rei, vel Parochi teſtificatis, oſtendendo litteras excommunicationis, & denuntiationis, non verò, ſi ſolum verbis teſtificaret: quia uni teſti quantumvis fide digno, etſi poſſimus, non tenemur credere, argumento *ex cap. A nobis, de teſtibus, & atteſtationibus*, Sanc. *lib. 1. decalogi, cap. 10. n.* 63 Corn. & Auil. *loc. cit.* Nauar. *cap. 22. n.* 82. Bonac. *quæſt.* 44. & Palaus *n.* 26. Si tamen illius dicto ſemel aſſentior, excommunicati conſortium teneor euitare. ¶ Verumtamen quia abſolutio eſt quid facti, & factum non præſumitur, niſi probetur, ſemel excommunicatus, & denuntiatus, vitandus eſt in dubio abſolutionis: quia in tali caſu ius excommunicationis poſſidet pro ſe: ac proinde in dubio melior eſt illius conditio, & illo proloquio iuris ſtabilitur: *Qui ſemel eſt malus, ſemper præſumitur malus*, niſi vel multum tempus præterierit, vel fama de illius abſolutione publica emanauerit, vel ipſe, quia aliàs fide dignus eſt, ſe abſolutum eſſe aſſereret, Couar. *cap. Alma mater, part. 1. §. 2. nu.* 6. Auila *concl.* 6. Palaus *nu.* 27. Hurtad. *nu.* 18. Suar. *ſect. 3. nu* 7. Bonac. *nu.* 54. Cornejo *dub. 2 in fine.*

*Neceſſitas grauis à communicatione excuſat.*

155. *Neceſſr.* Per hoc denotatur grauis aliqua neceſſitas temporalis, vel ſpiritualis, vel excommunicantis, vel excommunicati, vel alterius tertij, ratione cuius ſine graui incommodo non poſſunt à communicatione ſeparari, quòd tunc communicatio erit licita: quia ſi utilitas in aliquo ex his à communicatione excuſat, multò magis neceſſitas. Non autem requiritur, quod hæc ſit extrema, ſed quælibet alia grauis excuſat. Sed hoc intelligendum eſt, quandò nobis neceſſarium eſt illam rem ab excommunicato accipere: non verò ſi præcisè ipſa res eſt nobis neceſſaria, eam tamen æquè benè poſſumus ab alio habere: quia tunc non liceret ratione neceſſitatis cum excommunicato communicare, Hurt. *diff. 4. in fin.* Bonac. *n.* 59. Palaus *nu.* 29. Auil. *dub.* 12. Sayr. *lib. 2. c. 12. nu.* 30. Lezana *num.* 49. Quælibet autem neceſſitas vel per coactionem metus, vel per violentiam omninò excuſat à tali communicatione, ſi ceſſet ſcandalum,

Digitized by Google

lum, aut contemptus: quia leges Eccleſiaſticæ benignè interpretandæ ſunt, ut non cum magno detrimento obſerventur.

## PVNCTVM XIV.

*De excommunicatione minori, illius natura, & effectibus, & cæteris omnibus, quæ illam comitantur.*

*Quotuplex ſit minor excommunicatio.*

156. EXcommunicatio minor, (quæ talis dicitur vel reſpectu cauſæ, vel reſpectu effectus: quia nimirum ob leuiorem culpam incurritur, & paucioribus bonis priuat quàm maior) quàvis olim multiplex eſſet, nunc una tantum datur: & eſt illa, quæ incurritur ob communicationem cum excommunicato maiori excommunicatione, & vitando, ſiuè mortuus ſit, ſiuè viuus, quia ab illorum communicatione poſt mortem arcemur, cum quibus communicare nefas erat, dum viuerent. Talis pœna minoris excommunicationis, ob communicationem cum excommunicatis habetur, *cap. Excommunicato*, *cap. Cum excommunicato*, & ſequentibus, *cap. Final, de Clerico excommunicat. miniſtrante*, & alijs iuribus.

*Quid ſit? Et quot habeat effectus?*

157. Definitur hæc excommunicatio, quòd *eſt cenſura Eccleſiaſtica priuans fideles paſſiua ſacramentorum participatione*. Ex qua definitione conſtat, minorem excommunicationem unicum tantùm effectum per ſe, & directum habere, ſcilicet priuare excommunicatum receptione ſacramentorum, *cap. A nobis 20. de exceptionibus*, *cap. Si celebrat, de Cleric. excomm. miniſtrante*, *cap. penult. de ſent. excomm.* Vndè peccat mortaliter, qui hac excommunicatione irretitus aliquod ſuſcipit ſacramētum. Quælibet enim Sacramenti receptio materia grauis eſt, quæ ſi per præceptum ſit prohibita, lethale peccatum conſtituit, & ſic *in cap. Si celebrat. tit.* dicitur: *grauiter peccat.* Quod tenent Palaus *diſp. 2 punct. 21 nu. 5.* Cornejo *diſp. 9. dub. 2.* Suar. *diſp. 24 ſect. 3. nu. 2* Coninch *diſp. 1. dub. 17. nu. 261.* Bonac. *diſp. 2. qu. 3. nu. 3.* Validè tamen omnia recipit, & poteſt etiam validè recipere Sacramentum Pœnitentiæ iuxta dicta *nu 45.* ſed ſiuè illa conferat, ſiuè recipiat, nullam pœnam incurrit: quia nulla in iure inuenitur, ſed arbitrio Ordinarij eſt puniendus, dicto *cap. Si Celebrat.*

*Sententia decens, priuare excommunicationem minorem administratione Sacramentorum.*

158. Sed grauis difficultas eſt: An excommunicatus minori excommunicatione peccet Sacramenta miniſtrando? Prima ſententia dicit, peccare, non mortaliter, ſed venialiter: quia in dicto *cap. Si celebrat.* poſtquam Pontifex dixit, peccare mortaliter ſic excommunicatum recipiendo Sacramenta, addit, quòd ſi Sacramenta miniſtrat, peccat, & non addit *grauiter*. In quo ſignificat, peccare quidem per talem collationem, ſed non mortaliter, ſicut in receptione. Et rationem reddit: quia indecens videtur, ipſum conferre Sacramenta, à quibus recipiendus tamquam indignus arcetur; & ſic iure naturæ, decentiæ, & honeſtatis tenetur ab adminiſtratione illorum abſtinere. Ex quo patet, non eſſe grauem obligationem: quia obligatio decentiæ, & honeſtatis regulariter leuis cenſetur. Ità Regin. *lib. 32. cap. 14. n. 142.* Palaus *diſp. 2. punct. 21. n. 8* Sayr. *lib. 2. de excomm. cap 22. n. 19* Conin. *diſp. 14. dub. 17 nu. 264.* Auil. *2. part cap. 6. diſp. 12. dub. 3.*

*Oppoſitum eſt probabilius.*

159. Secundâ ſententiâ (cui ſubſcribimus) negat, prohibitam eſſe excommunicato iſti actiuam adminiſtrationem Sacramentorum adhuc ſub culpa veniali. Nam in iuribus relatis *nu. 157.* ſolum prohibetur excommunicatus minori excommunicatione, receptio Sacramentorum paſſiua: ergò cùm pœnæ non ſint ampliandæ, ſed reſtringendæ, non eſt, cur ad actiuam adminiſtrationem, talis diſpoſitio extendatur. Præterea: quia exceptio firmat regulam in cōtrarium: ergò cùm in dictis iuribus aſſignetur priuatio participationis paſſiuæ, & non alia, ſignificari videtur, ab alijs omnibus liberum relinquere excommunicatum. Denique, quia ſi talis adminiſtratio prohibita eſſet in iure: cùm nō ſit materia minus grauis, miniſtratio ſacramentorum quam illorū receptio, ſicut recipere aliquod ſacramentum cum tali excommunicatione eſt peccatum mortale, ita etiam illud miniſtrare eſſet: quod negant Authores citati. Quare cum *in dicto cap. Si celebrat.* dicitur, peccare miniſtrantem ſacramenta, eſt intelligendum de miniſtratione ſacramenti, ad quam præcedere debet receptio illius: ut in Epiſcopo conferente Ordines Sacros, & in eo, qui in Miſſa Euchariſtiam diſtribuit: & ſic peccat, quia prius aliquod recipit ſacramentum; non quia illud miniſtrat. Nec eſt aliqua indecentia, quòd qui in pœnam culpæ eſt priuatus receptione ſacramenti: ſi aliàs ſit rectè diſpoſitus, illud adminiſtret: quia illius habet prohibitionem, non iſtius. Atque ita docent Hurtad *diſp. 16. diff. 1. nu. 4.* Filliuc. *tract. 13 cap. 2. n. 22.* Bonac. *diſp. 2 quæſt. 3. nu 4.* Suar. *diſp. 24. ſect. 2. num. 12.* Enriq. *lib. 13. cap. 3. nu. 2.* & valdè inclinat Cornej. *diſp. 9. dub. 1.* & *cum* Leaana Steph. S. P. *diſp. 5. num. 265.* Diana *5. part. tract. 9. reſol. 3.* citans *Præpoſitum*, & *reſol. 45.* citans Tanner. & Moſcoſum.

*Priuat talis excommunicatio electione ad Beneficia.*

160. Alium habet effectum excommunicatio minor, qui eſt priuatio electionis paſſiuæ ad Beneficia, aſſignatum *in dicto cap. Si celebrat. de Cleric. excomm. miniſtr.* *Quia ad eorum ſuſceptionem* (inquit textus) *eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus priuatur.* Vndè quia minori excommunicatione ligatus, priuatus eſt receptione ſacramentorum directè, indirectè prohibetur Beneficia recipere, quæ ex inſtitutione Eccleſiæ, ad ordinis receptionem ordinantur, & Miſſæ celebrationem. Et quamvis dictus textus ſolum loquatur de electione; communiter Doctores de collatione, & præſentatione illum intelligunt. Tum: quia ratio textus æqualiter in omnibus curſit. Tum etiam: quia collatio, & præſentatio electio quædam eſt virtualis: nam cui Beneficium confertur, & qui ad illud præſentatur, præ alijs eligitur, ut, omiſſis illis, iſti conferatur. Vndè mortaliter peccant eligentes, præſentantes, conferentes Beneficia, excommunicato excommunicatione minori, & ipſe excommunicatus illud recipiens: quia in re graui contrà Eccleſiæ præceptum agunt. Couarr. *cap. Alma mater. part. 1. §. 8. num. 3.* Enriq. *lib. 13. cap. 13. num. 1.* Palaus *diſp. 2. punct. 21. nu. 13.* Sayr. *lib. 2. de excomm. cap. 22. num. 22.* Auila *2. part. cap. 6. diſp. 12. dub. 4.* Hurtad. *diſp. 16. diff. 1. in fin.* Suar. *diſp. 24. ſect. 2 numer. 30.* Bonac. *diſp. 2. quæſt. 3. nu. 7.*

*Valet electio aut præſentatio facta tali excommunicato.*

161. Sed talis electio, collatio, aut præſentatio facta huiuſmodi excommunicato, minimè eſt irrita; ſed per ſuperiorem irritanda. Quia in dicto *cap. Si celebrat.* ita habetur: *Si ſcienter talis excommunicatus electus fuerit, eius electio eſt irritanda.* Et quia ibi Pontifex ſcientiam excommunicationis requirit, ut prædicta electio irritetur,

 debet

debet dari ſcientia excommunicationis, tum ex parte electorum, ut inquit Auila *2. part. cap. 6. diſp. 12. dub. 4. concl. 3.* Hurt. *diſp. 16. diff. 1. in fin.* Bonac. *diſp. 2. quæſt. 3. num. 7.* Reginald. *in praxi, lib. 32. cap. 14. num. 143.* tum etiam, ex parte recipientis. Qui ſi cum ignorantia iuris, vel facti bona fide Beneficium ſuſcipit, non eſt ab eo ſpoliandus, ut inquit Palaus *diſp. 2. punct. 21. nu. 19.* Laym. *lib. 1. tract. 15. punct. 2. cap. 3. nu. 5. ex Gloſſa in dict. cap. Si celebrat, verb. Sciat ter in fin.* Nullam tamen pœnam incurrunt electores, etiamſi ſcienter excommunicato conferant Beneficium, quia nulla in iure aſſignata reperitur, Auila *dub. 4. loc. cit.* Diana *5. part. tr. 9. reſ. 132. in fine*, citans Gordonum, *&* Benoniam.

*Quis poteſt à tali excõmunicatione abſoluere?*

162. Ab hac excommunicatione minori poteſt Epiſcopus, & quilibet proprius Sacerdos abſolvere, *cap. Nuper, de ſent. excomm. §. In ſecundò verò caſu.* Dicitur autem proprius Sacerdos, non ſolùm qui ordinariam habet poteſtatem abſolvendi, ab omnibus peccatis: uti eſt Parochus, ſed qui illam habet delegatam. Et ideò quilibet Sacerdos approbatus ad confeſſiones audiendas, proprius Sacerdos, reſpectu illorum, quos poteſt à peccatis abſoluere, nominatur, *cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnitentijs, & remiſſionibus.* Quarè hoc ipſo, quòd alicui delegetur facultas confeſſiones audiendi, etiam poteſt ab hac excommunicatione abſolvere: quia talis abſolutio debet præcedere Sacramentalem abſolutionem: & conceſſo aliquo, etiam cenſetur conceſſum, ſinè quo id fieri nequit: argumento *ex cap. Prætereà, de officio delegati.* Et *lege 1. de iuriſdictione omnium iudicum.* Et quia hoc eſt commune apud Doctores, ab illis recenſendis ſuperſedemus.

*Sententia aſſerens nõ poſſe ſimplicem Sacerdotem abſolvere ab hac excommunicatione.*

163. Sed inter Doctores eſt gravis controverſia An quilibet ſimplex Sacerdos poſſit ab hac excommunicatione abſolvere? Duplex datur ſententia, & utraque ſatis probabilis. Prima aſſerit, non poſſe ſimplicem Sacerdotem ab illa abſolvere. Primò, quia in dicto *cap. Nuper* interrogatus Pontifex, quis poſſet à tali excommunicatione abſolvere? Reſpondit, quod Epiſcopus, vel proprius Sacerdos. Sed Sacerdos proprius ille dicitur, qui à quibuſcumque peccatis ſibi ſubditum abſolvere poteſt: ergò cum quilibet Sacerdos, id non habeat; ſequitur non poſſe quemlibet, à tali abſolvere excommunicatione. Secundò, quia ad abſolutionem à cenſura, requiritur iuriſdictio in foro contentioſo; hanc non habet ſimplex Sacerdos; ergò, &c. Atque ita tenent Cornejo *diſp. 11. dub. ult.* Palaus *diſp. 2. punct. 21. num. 23.* Caietanus *tom. 1. opuſc. tract. 7. quæſt. unica ad ſecundum*, Sotus *in 4. diſt. 22. quæſt. 2. art. 3. verſu Ad tertium* Ledeſma, de cenſuris, *cap. 8. dub. 10.* Suarez *diſp. 7. ſect. 4. num. 17.* Auila *2. part. cap. 7. diſp. 1. dub. 1.*

*Poteſt ſimplex Sacerdos abſolvere ab excommunicatione minori.*

164. Secunda, & verior ſententia eſt affirmativa. Quia quilibet Sacerdos poteſt à culpis venialibus abſolvere: ſed hæc excommunicatio ex ſe propter venialia contrahitur: ergò poteſt ſimplex Sacerdos abſolvere ab illa. Vndè dixit D. Thom. *in 4. diſt. 18. qu. 2. art. 1. quæſt. 1. in corp. A minori excommunicatione quilibet poteſt abſolvere, qui poteſt abſolvere à peccato participationis.* Ex quo ſequitur, illum dici proprium Sacerdotem, in Ordine ad abſolvendum ab hac excommunicatione, qui poteſt abſolvere à peccato participationis, ſeu propter quod incurſa eſt, quod per ſe ſolum, requiritur, quod ſit peccatum veniale.

*Probatur amplius prædicta concluſio.*

165. Vndè ex hoc ipſo quod alicui concedatur iuriſdictio abſolvendi à peccatis venialibus, ſicut ab Eccleſia de facto datur reſpectu venialium peccatorum omnibus Sacerdotibus, datur etiam iuriſdictio delegata ad abſolvendum à cenſuris, quæ propter talia peccata incurruntur. Sicut hoc ipſo, quod ab Eccleſia, vel Epiſcopo concedatur iuriſdictio in foro conſcientiæ abſolvendi à peccatis mortalibus, datur etiam abſolvendi à cenſuris non reſeruatis, & ſimiliter hoc ipſo quod Eccleſia concedat facultatem abſolvendi à peccatis reſeruatis, etiam concedit iuriſdictionem abſolvendi à cenſuris illis annexis iuxtà dicta *num.* 38. & ratio eſt, quam ibidem poſuimus, & proximè *num.* 63. *huius capitis* tetigimus: quod conceſſo uno, etiam cenſetur conceſſum aliud, ſinè quo tale unum haberi non poteſt, argumento *ex cap. Prætereà, de officio delegati*; cum ergò nemo poſſit abſolvere etiam à venialibus, niſi præcedat abſolutio ab excommunicatione minori, fit indè, quod hoc ipſo quod pro foro conſcientiæ concedatur ſimplicibus Sacerdotibus facultas abſolvendi ab illis, etiam pro eodem foro conceditur eis facultas abſolvendi à cenſuris, illis annexis: nimirum à minori excommunicatione.

*Authores, qui dictam ſententiam defendunt.*

166. Sententiam *duobus numeris præcedentibus* probatam tenent præter D. Thom. *loc. cit.* Viualdus *tract. 2. de excommunicatione, num. 12.* Toletus *lib. 1. cap. 17. num. 4.* Nauarr. *in ſumm. cap. 27. num. 25. & 39.* Hurtad. *diſp. 17. diff. 2.* Diana *5. part. tract. 9. reſol. 3.* inclinat Tabiena *verb. Abſolutio 2 num. 5.* Armilla *num.* 38. & probabilem dicit Bonacin. *diſp. 2. quæſt. 3. num. 15.* & ſatis probabilem de la Crux *in directorio conſcientiæ, part. 2. notab. 2.* & tutam in praxi Villalobos *tom 1. tract. 17. diffic. 32. num. 9.* & addunt Diana, Tabienna, Hurtado, *&* Armilla, quod etiamſi excommunicatus minori cenſura habeat peccata alia mortalia, poteſt abſolvi de excommunicatione minori à ſimplici Sacerdote, non abſolvendo illum à peccatis: quia talis abſolutio extrà confeſſionem poteſt impendi. Imò addit Diana cum Armilla, & Felino, quod licet excommunicatio minor contracta eſſet ob peccatum mortale: puta propter communicationem in ſacris cum excommunicato vitando, abſolvi poſſet à ſimplici Sacerdote, quia excommunicatio minor, quæ cenſetur pœna levis, per ſe ex levi culpa poteſt contrahi: & ſic poteſt abſolvi ab habente poteſtatem abſolvendi à culpa; etiamſi per accidens ex culpa gravi contrahatur. Quæ an vera ſint, alij iudicent. Nobis ſufficiat conceſſiſſe poſſe abſolvere Sacerdotem ſimplicem à minori excommunicatione, ſaltem quæ ex culpa levi contrahitur.

## CAPVT IV.

### *De aliquibus excommunicationibus in particulari.*

EGimus *in cap. præc.* de Excommunicatione in communi. Nunc reſtat de illa in particulari pertractare, in medium proponendo aliquas excommunicationes, quæ frequentiores ſunt. Nam omnes adducere, quæ in iure continentur, erat longiſſimè

longiſſimè contrà huius curſus intentionem procedere. Omnes intactas relinquere, erat hunc tractatum mutilum, & imperfectum relinquere. Quare per illas dumtaxat breuiter tranſibimus, quæ magis obuiæ ſunt, & proinde ſicuti neceſſariæ. Si quis nihilominus excommunicationes omnes tam reſeruatas, quam non reſeruatas, tam ex iure nouo quam antiquo breuiter perſtrictas requirat, conſulat N. Anton. à ſpiritu Sancto *in direct. confeſſ. tract.* 12. *diſp.* 3. *ſect.* 21. Legi etiam poterit N. Gabr. à S. Vincent. hic *diſp.* 4. per plures quæſtiones plures referens excommunicationes cum ſuis annotationibus, & Palaus latiſſimè de cenſur. *diſp.* 3. *à punct.* 23.

Hoc caput continet ſex puncta.

*Punct. I. De excommunicatione; quæ imponitur ad reuelanda furta, vel alia delicta, vel ad reſtituendam rem alienam, num.* 1.

*Punct. II. De excommunicatione Canonis, quæ ob percuſſionem Clerici contrahitur, num.* 18.

*Punct. III. De excommunicatione ob duellum impoſita, num.* 32.

*Punct. IV. De excommunicatione ob hæreſim, quæ in iure habetur. Quando incurritur? Qui ſint ſub illa comprehenſi? Et à quo abſolui poteſt? num.* 46.

*Punct. V. Qui intelligantur per credentes, fautores, receptatores, defenſores hæreticorum? Vbi etiam qui libri hæreticorum legi, aut retineri ſub excommunicatione prohibentur? num.* 63.

*Punct. VI. De excommunicationibus in Bulla Cœnæ Domini contentis? num.* 75.

## PVNCTVM I.

### *De excommunicatione, quæ imponitur ad revelanda furta, vel alia delicta, vel ad reſtituendam rem alienam.*

*Aliqua ſupponuntur.* 1. PRo intelligentia eorum quæ in hoc puncto dicenda ſunt, ſupponendum eſt, quòd delictum, cuius denuntiatiu in monitorio, edicto, vel mandato præcipitur, poteſt cedere in damnum commune, ut hæreſis, proditio Ciuitatis, crimen læſæ Maieſtatis: vel in damnum particulare tertij, ut furtum, homicidium. Quod bifariam poteſt conſiderari: vel in fieri, ut quandò machinatur homicidium, quandò furtum diſponitur: vel in facto eſſe, poſtquàm videlicet iam ſunt hæc delicta perpetrata. Denique delictum, cuius manifeſtatio præcipitur, poteſt eſſe tale, quod in nullius damnum cedat, niſi illius dumtaxat, qui tale crimen commiſit. Quo ſuppoſito.

*Quid aſſerendum ſit, quando delictum non cedit in damnum alicuius?* 2. Dicimus, primò: quòd ſi delictum in nullius tertij vergat detrimentum, nemo tenetur vi monitorij illud reuelare, niſi infamia præcedat (quæ eſt rumor ortus de aliquo crimine non à maleuolis, ſed à probis, & honeſtis hominibus ſparſus per maiorem partem viciniæ, vel cõmunitatis) Ratio eſt, quia niſi præcedat infamia, non poteſt ſuperior inquirere de tali crimine, nec iuridicè interrogare, iniuſtèque procedit, ſi reuelationem illius exquirat. Tali verò præcedente infamia, iuſtè, & iuridicè operatur, inquirendo de tali delicto: ergò non teneor illi obedire, delictumque reuelare vi monitorij, aut præcepti ſub cenſura, quando infamia non præcedit: imò non poſſum, quia contrà iuſtitiam, famam proximi prodigerem; poſſum tamen, & teneor reuelare, quando talis infamia præcedit: quia tunc eſt iuſtum præceptum, iuſtèque ac iuridicè iudex inquirendo procedit. Ità Auila 2. *part. capit.* 5. *diſput.* 2. *concluſ.* 1. Gibalin. *diſq.* 2. *quæſt.* 6. *numer.* 28. Syluest. *verb. Iuriſdictio, numer.* 6. *cap.* 7. Potero tamen illud delictum iudici, ut patri reuelare, ut eius emendationem, non punitionem, ſolicitet, dummodo præcedat correctio fraterna. Sed talem correctionem non debere præcedere, in caſu quo alius infamatus eſt de crimine, etiamſi illud ſuperiori ut iudici reuelem, rectè aſſerit D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7. *in corp.* & ſequitur Auila *ſuprà concl.* 3. Emanuel Rodriguez *de Ordine iudiciali, cap.* 4. *concl.* 4. Tum, quia in tali caſu non ſolum adhibendum eſt remedium ei qui peccauit, ut luceretur, & melior fiat; ſed alijs, ne ſcandalizentur. Tum etiam, quia correctio præcedere debet ad conſulendum famæ proximi: ergò ſi ille eſt diffamatus, non requiritur talis correctio.

3. At verò ſi delictum, cuius reuelatio in monitorio præcipitur, cedat in damnum commune, ut hæreſis, aut proditio Ciuitatis, etiamſi ſit prorſus occultum, reuelandum eſt: quia damnum commune anteponendum eſt incommodo particularis, & illud, iacturæ minimè exponendum eſt, ut iſtius famæ conſulatur. Sic D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7. Auila 2. *part. cap.* 4. *diſp.* 4. *dub.* 3. *concluſ.* 1. Soto 5. *de iuſtitia, quæſt.* 5. *art.* 1. Nec requiſitur, quod in tali caſu præcedat correctio fraterna, ut inquit D. Thom. & cum eo Bañez ibi, *ad* 4. nam Chriſtus Dominus, quàndò Matthæi 18. legem correctionis appoſuit, dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe, &c.* ſed in caſu noſtro non eſt delictum ſolum in ipſum, qui denuntiat, eo quod per illud ſcandalizatus eſt; ſed reus in alios, peccauit, in bonum ſcilicet commune, cuius damnum præponderare debet illius incommodo, & damno. Si tamen firmiſſima ſubeſſet ſpes, quod correctio in tali caſu proficeret, debere præcedere aſſerit Angelicus Doctor: quia in tali caſu iam bono communi conſulitur, & damnum alterius cauetur: idem ſentit N. Gabr. à S. Vinc. in præclaro illo opere *de remedijs ignorantiæ, diſp.* 10. *dub.* 1. 2. *& ſeq.* ubi plura ad hanc materiam habet utiliſſima. *Quid dicendum eſt, quando delictum cedit in damnũ commune?*

4. Quando delictum cedit in damnum alterius tertij, ut furtum, homicidium, reuelari non debet ex vi monitorij, quando eſt occultum, & non præcedit infamia, ſicut diximus *nu.* 2. Si iam eſt tale crimen perpetratum: quia nec iudex procedit tunc iuridicè ad inquirendum, nec eſt alterius fama negligenda. At verò ſi in fieri ſit tale delictum, tametſi non præcedat infamia, ſed prorſus ſit occultum, vi monitorij eſt reuelandum: quia tunc non procedit iudex ad puniendum, ſed ad præcauendum malum tertij, & ipſius delinquentis. Ità Soto *tract. de tegendo ſecreto, memb.* 2. *quæſt.* 4. *concl.* 2. *in fine* Corduba *in ſumm. quæſt.* 111. *in fine*, Auila 2. *part. cap.* 5. *dub.* 3. *concl.* 2. *&* 3. Sed adhuc in hoc caſu non tenetur, imò non poteſt reuelare delictum, qui illud probare nequit *capit. Qualiter, & quando* 2. *de accuſationibus*. Tum, quia nemo ad id, quod non poteſt debitè perficere, tenetur. Tum etiam, quia ſi quis denuntiet, & non probet, præſumitur calumniator, & impoſtor. *Quid ſi cedat in damnum tertij delictum?*

Ità

Digitized by Google

Irà D.Thom. 2.2.*qu.*68. *art.*1.*in corp.* Soto *de tegendo ſecreto, memb.*2.*quæſt.*4.*concl.*2. Auila *ſupr.concluſ.*4. Bonac. *diſp.*2.*quæſt.*6.*punct.*1.*num.*9. Gibalin. *num.*5. Enriq. *lib.*13.*cap.*18. *num.*2. Nauarr. *cap.Inter verba, concl.*6.*num.*283. Imò, etiamſi poſſet probare, ſi eſſet ſpes, quod monitio, & correctio prodeſſet, hæc præmittenda eſt : tum ob præceptum Chriſti Domini de correctione fraterna. Tum etiam, quia conſulere debemus bono damnificati, ſed abſque diſpendio, quantum fieri poteſt, damnificantis.

*Quatuor circà dicta notantur.*

5. Sed circà modò dicta quatuor notanda ſunt. Primum, quod licèt non tenear reuelare delictum, quandò illud probare non poſſum, poteſto tamen ſuperiori ut patri illud reuelare extraiudicialiter, tamquam potenti prodeſſe, & non obeſſe, vel monere illum, cui inſidiæ parantur, ut caueat, ſed ad neutrum ex vi monitorij, ſeu præcepti ſub excommunicatione teneor : quia monitorium ſolum præcipit denuntiationem iudicialem, ut notauit Auila *ſuprà concl.* 5. ¶ Secundum, quod ut aliquis poſſit probare delictum, taliter quod ex vi monitorij ad illius denuntiationem teneatur, ſufficit, quod habeat alium teſtem integrum, nam ipſe denuntiator valet pro teſte, Sotus *de iuſtitia, quæſt.*6.*art.*2. *concl.*4. Bonacin. *ſupr. num* 9. Enriq. *num.*13. ¶ Tertium, aliud eſſe teſtificare, aliud denuntiare. Qui enim denuntiat, probare tenetur, *cap. Plerumque* 2. *quæſt.*7. Hinc fit, quod nemo invitus cogi poſſit ad accuſandum quia patitur graue damnum, ſi non probet; teſtificatio verò non habet onus probandi, quia eſt alſertio facta coram iudice, ipſaque eſt probatio, quæ ſi alia indigeret, in infinitum procederetur. Quare ſi iudex non per viam denuntiationis, ſed poſt ſemiplenam probationem, coram ipſo factam, vel etiam hac non præcedente, ſi præcedat infamia, præcipiat, ut qui hoc ſciunt, de illo coram ipſo teſtificentur, tenetur, qui ſcit, ut teſtis manifeſtare, etiamſi probare non poſſit, ut rectè ait Nauarr. *capit. Inter verba, concl* 6.*num.*282. & 286. & ex ipſo Auila *diſp.* 4. *dub.* 3. Gibalin. *num.* 3. ¶ Quartum, quòd quandò in edicto præcipitur manifeſtare delictum reſpiciens fidem, vel Chriſtianam Religionem, ut hæreſis, aut blaſphemiæ hæreticalis, tenetur, qui ſcit, illud manifeſtare, etiamſi probare non poſſit, quia tunc creditur uni teſti, *capit.In omni, de teſtibus, capit. Nouit. de Iudicijs*, Bañez 2.2. *quæſt.* 68. *art.* 2. Filliucius *tract.*14.*cap.*2.*quæſt.*8.*num.*31.& 39. Similiter, qui nouit impedimentum matrimonij, illud tenetur reuelare, etiamſi probare non poſſit, eo quod unus teſtis ſufficit ad impedimentum matrimonij, *cap.Præterea, de ſponſalibus*, Bonac. *nu.*9.

*Aliqua circà quæſitum ſupponuntur.*

6. Sed hic eſt grauis difficultas : An teneatur reſtituere damna tertij, qui non reuelat vel denuntiando, vel teſtificando, quod per monitorium reuelari præcipitur? Supponimus, talem peccare contrà obedientiam, & fortè contrà charitatem, & incurrere excommunicationem, ſub qua talis reuelatio præcipitur. Supponimus ſimiliter, quod teſtis, qui aliqua arte declinat teſtimonium, ne ipſi aut monitorium, aut mandatum ſuperioris intimetur, præuidens ſe interrogandum fore, nec contrà obedientiam, nec contrà iuſtitiam dalinquere : quia nullus contrahit obligationem præcepti ſuperioris, antequàm re ipſa præcipiat, undecumque hoc proueniat, Leſſius *lib.* 2. *cap.*30.*num.*54.Rebell. *lib.*2.*de reſtit. quæſt.*14.*ſect.*8.*num.*63. Gibalin. *de cenſuris, diſp.*2. *quæſt* 6.*num.*7. Quarè dubium eſt, quandò iam eſt citatus teſtis, & eludit citationem, vel euitat reſpondere, vel quandò monitorium ad ipſum peruenit, & illi non obtemperat. Quod adhuc dupliciter fieri poteſt : vel enim cœpit reſpondere, & quaſi munus, & officium teſtis, & denuntiantis ſuſcipit ex præcepto ſuperioris, & tamen veritatem celat, aut falſum profert teſtimonium. Et ſic eſt certum, teneri reſtituere damna alterius, quæ indè illi proueniunt, ut rectè inquit Bañez 2.2. *quæſt.*70.*artic.*1.*dub.*4.*concluſ.* 2. de la Cruz, *in* 8. *præcept. quæſt.* 3. *artic.* 4. *concluſ.* 5. quia quandò quis ex præcepto ſuperioris accipit munus imperatum, eſt quidam quaſi contractus, & promiſſio virtualis exercendi illud munus debitè, ut congruit utilitati alterius ; ad quod proinde obligatur ex iuſtitia : ut qui ex præcepto Magiſtratus officium tutoris accepit, illud debitè, ut congruit pupilli utilitati, exercere tenetur ex iuſtitia, & ſic ad reſtitutionem obligatur, ſi ſecus agat. Vel ſolùm negatiuè ſe habet, tacendo, ſeu non reuelando, vel teſtificando, quod per monitorium præcipitur : & in hoc caſu procedit difficultas. An ad reſtitutionem teneatur?

*Sententia affirmatiua.*

7. Circà quam difficultatem duplex datur ſententia. Prima affirmatiua, quam tenent Soto *lib.* 5. *de iuſtit. quæſt.*1. *column.*3. Auila *concl.* 8. Nauarr. *cap.*17.*num.*134. Aragon. 2.2.*quæſt.*70.*art.*1. Valent.2.2.*diſp.*5.*quæſt.*14. *punct.*1. Sayr. *in Claui, lib.* 10.*tract.*2.*cap.*14.*num.*2. quia hoc ipſo quod teſtis citatus ſit, & reſpondere recuſat, peccat contrà iuſtitiam, & ſic tenetur ad damna, quæ infert parti ſuo ſilentio : nam illa habet ius, ne ipſi tale teſtimonium denegetur, quod fuit ipſi applicatum legitimo ſuperioris imperio.

*Verior eſt pars negatiua.*

8. Secunda, & verior ſententia aſſerit non teneri : quia præceptum ſuperioris non affert obligationem iuſtitiæ, ſed obedientiæ, vel iuſtitiæ legalis, non commutatiuæ : imò nec obligationem charitatis inducit, ſi antè illud talis obligatio non aderat : ergò ex vi talis præcepti pars non habet ius iuſtitiæ, ut ego illius conſulam utilitati : ergò nec teneor reſtituere, ſi contrà præceptum celem veritatem : ut patet exemplis. Si enim Rex præcipiat ſubditis, ut ad bellum iuſtum cum illo procedant, ſi aliquis eius præcepto non obtemperet, peccabit quidem; non tamen tenetur reſtituere, quæ Regi ex tali inobedientia prouenirent. Similiter, ſi Magiſtratus iuſtè alicui iuberet, ut tutelam pupilli ſuſciperet, peccaret non obediendo; non tamen teneretur ad reſtituenda damna pupilli, quamdiu tutoris munus non ſuſcepit. Ità docent Syluest. *verb.Teſtis, nu.*8.Bonac. *diſp.*10.*de præc.q.*3.*punct.*3. *nu.*13. Ioann. de la Cruz *ſup.* Bañez *loc.cit.concl.*1. Tann.2.2.*diſp.*4.*quæſt.*9.*dub.*2.*n.*79.Gibal.*quæſt.*6. *nu.*7.Dian.3.*part. tract.*5.*reſol.*107 citans alios & Doctores Louanienſes apud Leſſium *lib.*2.*ca.*30. *n.*59. qui id iudicat probabile.

*Qui à parte excuſantur, non tenentur reuelare.*

9. Sed inquires : qui excuſentur ab obligatione reuelandi furta, vel alia delicta, quorum manifeſtatio ex vi monitorij, edicti, aut præcepti ſub excommunicatione iubetur? Reſpondetur, quòd inprimis reus non tenetur ſe ipſum manifeſtare, aut alterius delictum, cuius ipſe eſt complex, niſi interrogetur iuridicè, infamia præcedente. Deindè, ſi monitorium feratur adverſus eos,

qui

Digitized by Google

qui talem rem abſtulerunt, ut eam reſtituant, ex vi illius non obligantur illi, quos iudex, aut pars, ad cuius inſtantiam latum eſt præceptum, vult formaliter, vel virtualiter eximere: ut ſunt regulariter filij, uxor, parentes, & alij magnâ amicitiâ, vel familiaritate coniuncti: quos nolle partem comprehendere ſub tali obligatione ex vi monitorij prudenter interpretamur, niſi exprimatur oppoſitum. Ità Auila *diſp.* 5. *dub.* 11. Soto *lib.* 5. *de Iuſtitia, qu.* 3. *art.* 5. *in fine*, Ludouic. Lopez *in inſtruct.* 2. *part. cap.* 12. *circà finem*, Rebell. 1. *part. lib.* 2. *quæſt.* 15. *ſect.* 7. *num.* 15. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 1. *num.* 88. Bonac. *de cenſur. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 1. *num.* 24. Gibalin. *num.* 22.

*Debita cōpenſatio à reuelatione excuſat.*

10. Secundò, excuſantur à reſtitutione in monitorio præcepta, vel à reuelatione rem alienam ſubripientis, quandò talis recepit illam per iuſtam compenſationem, ſibi ex iuſtitiam debitam, dummodò tale debitum certum ſit; quia ſuperior tantum præcepit, ut malè ablata reſtituantur, ſeu quæ contrà iuſtitiam retinentur: ac proindè, ut denuntiet iniuſtum ablatorem, qui ſcierit, ſed qui per iuſtam compenſationem certi debiti, rem alienam ſuſcipit, iniuſtus ablator non cenſetur: ergò, &c. Ità Soto *lib.* 5. *de Iuſtit. quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 1. Nauarr. *cap. Inter verba, concl.* 6. *num.* 294. *& cap.* 17. *num.* 112. Auila *ſuprà fol.* 78. *column.* 2. Gibalin. *num.* 10. Bonac. *num.* 25. Cordub. *in ſumm. quæſt.* 64. *punct.* 2. *caſ.* 4. Imò etiamſi compenſator ſubripiendo peccaret, eo quòd poterat authoritate iudicis rem ſibi debitam recuperare, adhuc non incurreret excommunicationem non reſtituendo, vel alij non reuelando: quia licèt contrà officium iudicis operetur, non contrà iuſtitiam alterius, quam obſervari intendit iudex in ſuo monitorio. Ità Authores citati.

*Impotentia excuſat.*

11. Tertiò, excuſantur tam fur, quàm illius habentes notitiam, ſi ſit impotens ad reſtituendum: quia ipſe fur non reſtituens non peccat, & reuelatio alterius eſſet inutilis, & nemo ad inutile tenetur, Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 2. *num.* 7. *& ſect.* 3. *nu.* 9. Nauarr. *cap. Inter verba, concl.* 6. *à num.* 297. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 6. *punct.* 1. *num.* 28. Auila 2. *part. cap.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 1. Ille verò dicitur impotens, non qui in extrema egeſtate tantum, ſed qui non poteſt ſinè magno incommodo: quia in moralibus hoc impoſſibile dicitur. Verumtamen ſi furtum magnum fuit, & partem magni momenti poteſt reſtituere, excommunicationem incurret, ſi non reſtituat, & ſciens, ſi non manifeſtet. Similiter, Si monitorium latum fuit, nullo præfixo tempore, & aliquo tranſacto, habet, undè poſſit reſtituere, excommunicationem incurret, ni reſtituat, & ſciens, ſi non manifeſtet, niſi imponens præceptum mortuus, vel aſſumptus fuerit: non verò, ſi pro determinato tempore excommunicatio ſit impoſita, illo tranſacto, incurret illam, etiamſi potens ſit ad reſtituendum: quia ſententia ultra terminum ſtatutum nullum habet vigorem.

*Factū abſque culpa non debet reuelari.*

12. Quartò, ſi factum in damnum alterius fuerit abſque culpa exercitum, ut ſi quis occidiſſet hominem putans eſſe feram, non tenetur, qui conſcius eſt homicidæ illum reuelare etiamſi monitorium ſub excommunicatione præcipiat, reuelare occiſorem illius hominis: quia edictum iudicis ex præſumptione culpæ procedit, Nauarr. *cap.* 17. *num.* 115. Gibalin. *diſq.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 18.

*Cognati ad reuelationē delicti ſui cognati nō tenentur.*

13. Quintò, quandò excommunicationes feruntur ad reuelanda furta, aut alia delicta furis cognati, excuſantur à denuntiatione. Sic Nauarr. *cap. Inter verba, num.* 322. Gutierrez Canonicar. *qq. cap.* 11. *num.* 55. Angel. *verb. Denunciatio, num.* 55. Cordub. *lib.* 1. *quæſt.* 43. Bonac. *num.* 5. Gibalin. *num.* 38. Auila *diſp.* 5. *dub.* 2. *concl.* 1. Qui per cognatos intelligunt omnes aſcendentes, & deſcendentes, vir, & uxor, ſocer, & gener, vitricus, & priuignus, fratres, & omnes conſanguinei uſque ad quartum gradum. Ratio eſt: tum, quia malum patris, & viri cenſetur malum filij, & uxoris, & ſic de alijs enumeratis; ſed cum damno, & malo proprio nemo ad denuntiationem tenetur: ergò, &c. Tum etiam, quia pax, & amor mutuus, qui reperiri debet inter enumeratos, maximè turbaretur, ſi alter alterius eſſet proditor. ¶ Excipitur duplex caſus. Primus, ſi eſſet crimen hæreſis, de quo etiam maritum uxor, aut filius patrem debet denunciare: quia bonum fidei, & Religionis bono parentum, & aliorum eſt anteponendum. Secundus, crimen læſæ Maieſtatis humanæ, ſi eſt in fieri, & alij teſtes non adeſſent, Reipublicæque caput periclitaretur: quia bonum commune, quod diuinum eſt, proindeque cuilibet particulari præferendum. ¶ Idem dicendum eſt de eo, qui abſque magno incommodo in vita, honore, vel ſubſtantia nequit denuntiare, excuſatur ab hac obligatione, eo quod Eccleſiaſticæ leges ſuaues ſunt, & cum magno detrimento non obligant. Ita communiter Doctores. Niſi in caſu quo aliud expoſcat bonum commune, & diuinum, & non ſint alij teſtes: quia maius, vel minus detrimentum teneor pati, ſecundum quod petit bonum commune.

*Qui ſciunt ſub ſecreto naturali, à denuntiatione excuſantur.*

14. Sextò, excuſantur à denuntiatione illi, qui ſub ſecreto naturali aliquid nouerunt, quia fidem ſeruare eſt de iure naturali, quod iuri poſitiuo præponi debet. Similiter, illi, quibus crimen reuelatum eſt cauſa capiendi conſilium, excuſantur. Tum quia ex iure naturæ, & diuino ad illud celandum adſtringuntur. Tum etiam, quia ad bonum commune ſpectat, quod homines petant conſilium ſinè timore reuelationis: qua ratione Advocati, Procuratores, Medici, Obſtetrices, non tenentur reuelare ex vi monitorij delictum, quod modo dicto præcisè norunt. Si enim aliàs alijs vijs illud ſcirent, ad talem denuntiationem tenerentur. Sic D. Thom. 2. 2. *quæſt* 70. *artic.* 1. *ad* 2. Nauarr. *numer.* 299. Sanchez *libr.* 6. *conſil. capit.* 2. *dub.* 20. *numer.* 8. Gibalin. *numer.* 27. Bonacina *numer.* 7. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 3. Auila *concluſ.* 3. Quòd limitant in caſu, quo eſſet neceſſaria denuntiatio, ad bonum commune ſpirituale, vel temporale, vel ad præcauendum magnum damnum alterius.

*Aliqui denuntiare non tenentur.*

15. Septimò, excuſantur à denuntiatione, quandò in edicto præcipitur, ut ſi quis tale audiuit, illud denuntiet (ſi enim ſolum edicta ſe ſcientibus loquantur, debet quis verè, & realiter illud ſcire per ſenſum aliquem: ut ſi occultus eſſet teſtis, vel ab ipſo reo audiuiſſet aliàs periculo leuitatis ſe exponeret) qui à leuibus perſonis audiuit, vel qui per plateas ab hominibus infimæ notæ: quia periculo infamiæ reum exponeret, ſi res non ita eſſet, & ipſe impoſteris notam ſubiret, Bonac. *n.* 13. Gibal. *n.* 11. Auil. *concl.* 4. Nauar. *d. cap.*

Inter

Digitized by Google

*Inter verba num.*292.Sancb. *de matrim.lib.*3.*diſp.*13 *num.*7. imò ſi à fide digno audiuit, & ſcit ipſum denuntiare, qui audiuit, excuſatur à denuntiatione: quia ſuum teſtimonium nibil addet,& ad inutile nemo tenetur. ¶ Ob quam rationem non tenetur aliquis denuntiare, ſi certò, aut probabiliter indicet, Prælatum non facturum iuſtitiam, vel quod non adhibebit remedium opportunum, ſecundum quod materia depoſcit: quia ad inutile nemo tenetur, & quia finis præcepti ceſſat in tali caſu: ſiquidem eò tendit, vel ut reus puniatur, vel ut malum imminens euitetur. Si tamen circà hoc dubitaret, tenetetur ad denuntiationem; quia in dubio in fauorem Prælati eſt iudicandum, illique omnino parendum, Auil. *dub.*3. *concl.*2. Bonacin. *ſupr.num.*16. Gibalin.*num.*9. Sanch. *lib.*6.*conſ.cap.*7.*dub.*17. D. Antonin. 5.*part. tit.*9.*cap.*6.§.4.

*Quando eſt delictũ emendatũ, ad quid teneatur alicui ſciens.*

16. Sed difficultas eſt. An quando edictum in generali præcipit manifeſtare reum talis criminis, teneatur aliquis de illo denuntiare, ſi ſcit à tali crimine emendatum eſſe? Reſpondetur ſub hac diſtinctione. Vel enim peccatum habet effectum pendentem in futurum, ut fornicatio, ex qua affinitas impediens matrimonium reſultat, aut homicidium ſimul cum adulterio abſque machinatione, vel cum machinatione abſque adulterio: quomodo inducit in futurum impedimentum dirimẽs matrimonium, & ſi quæ ſunt alia crimina, quæ in futurum effectum relinquant, ſic eſt certum, me teneri illum denuntiate, etiamſi emendatum ſit, & occultum, quantum ſatis eſt ad impediendum malum futurum, niſi per ſecretam monitionem malum auerti poſſit, vel alius ſit in bona fide ſita quod per meam reuelationem potiùs ſcandalum, quam remedium ſequatur, ut docet D. Antonin. Auila *diſp.*8. *dub.*4. *concl.*1. Syluest. *verb. Correctio, quæſt.*10. ¶ Si verò delictum effectum in futurum pendentem non habeat, ut fornicatio ſimplex, ludus prohibitus, furtum, de quo eſt ſatisfactum,& aliàs eſt occultum, & emendatum, non teneor ex vi monitorij illud reuelare, quia nec talis obligatio datur ratione emendationis, cum iam ſit ſecuta, nec ratione ad euitandum ſcandalum, cum ſit ſecretum. Ità D.Thom. 2.2.*q.*33.*art.*7.Sanch.*lib.*2.*conſil.cap.*2.*dub.*15.*num* 2.*&* *in Decalog. lib.*6.*cap.*18.*num.*49. Soto 5.*de iuſtit.q.*5.*art.*1. Gibal.*num.*19. Bonac. *num.*17. Filliuc. *quæſt.* 1.

*Quid dicendum eſt de publico delicto?*

17. Si verò ſit publicum, & emendatum non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus; ita ut publicè conſtet de emendatione, iudicat Auila *diſp.*5.*dub.*4.*concl.*3.*&* 4. non teneri me illud reuelare: quia iam eſt ſatisfactum ſcandalo per publicam emendationem, & Prælati per cenſuras emendationem rei, & aliorum ſatisfactionem præcipuè intendunt. Sed hoc verum iudicamus; ſi Prælatus emendationem intendat præcisè, & ſcandali ſatisfactionem; ſecus verò ſi etiam punitionem intendat peccat, ad aliorum terrorem, & ædificationem: quia tunc publicum delictum etiam emendatum teneor reuelare; eo quod Superior non ſolum habet ius inquirendi ad emendationem, ſed etiam ad punitionem: ergò iuſtè procedit, & inquirit; ergò teneor illi obtemperare. Ità docent Bonac.*nu.*17.Nauarr. *cap.*17.*nu.*137.

P V N C T V M II.

*De excommunicatione Canonis quæ ob percuſſionem Clerici contrahitur.*

*Canonis verba ponderantur.*

18 HÆc excommunicatio eſt frequentior, & ſic illius notitia magis neceſſaria: ſed pro fundamento eorum, quæ dicenda ſunt, placuit verba Canonis referre. In *decreto* igitur *Gratiani* Innocentius II. excommunicat omnes violentas manus in Clericos inijcientes in Canon. *Si quis ſuadente* 17.*quæſt.*4. his verbis: *Si quis, ſuadente diabolo, manus violentas in Clericum, vel monachum iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandata recipiat.* Vbi, ut vides, excommunicatio in hoc Canone lata eſt reſeruata Pontifici, & à nullo præter ipſum poteſt illius abſolutio impendi, niſi in caſibus, in quibus diximus *cap.* 7. *punct.* 5. poſſe a reſeruatis Sedi Apoſtolicæ abſoluere alios præter Pontificem. Ibi etiam *num.* 69. diximus, quomodo Religioſi alios percutientes, vel ſæculares, vel regulares, ſuæ, vel alterius Religionis poſſunt à ſuis Prælatis abſolui, & quando eſt leuis percuſſio, tametſi ad peccatum graue ſufficiens, poteſt abſolui iure ordinario ab Epiſcopis, *ex cap.Peruenit, de ſent.excomm.*

*Quæ percuſſio ſufficiat ad hãc excommunicationẽ.*

19. Diximus etiam *cap.*1.*num.*200. quod per ly *ſuadente diabolo*, non intelligitur, quòd fiat temerariè, audacter: ſed fieri dicitur, diabolo ſuadente, quando percuſſio eſt lethale peccatum in ratione iniuriæ exterius illatæ; quod requiritur, & ſufficit, ut hæc excommunicatio incurratur, ut colligitur *ex cap.Contingit* 36.*de ſent. excomm.* Quare nobis non placet regula ab aliquibus poſita, quòd tunc grauis percuſſio cenſetur, quando ſi hæc eadem Laico inferretur, eſſet peccatum mortale: ſiquidem ob reuerentiam debitam ſtatui Clericali, ſufficit minor violentia in Clericum exercita, ut peccatum lethale conſtituat. Quare hanc iudicamus regulam certiorem, quòd illa violentiâ grauis cenſeatur, quæ, ſeclula excommunicatione, ſufficeret ad peccatum mortale, inſpecta qualitate perſonæ, cui infertur, ut colligitur ex *cap. Nemo* 11.*quæſt.*3. & hoc ſufficit ad hanc incurrendam excommunicationem, à qua non liberatur offendens per hoc, quòd Clericus offenſus conſentiat percuſſioni: quia ſemper eſt iniurioſa ſtatui Clericali, contrà eius priuilegia, quibus ſingularis perſona cedere non valet, Bonac. *diſp.*2.*quæſt.*4.*punct.*2.*nu.*1. Coninch *diſp.*14. *dub.*15.*num.*168. Sayr. *lib.*3.*cap.*26.*num.*18. Suarez *diſp.*22.*ſect.*1.*num* 58.

*Qui ſe ipſum percutit, incidit in hanc excommunicationem.*

20. At verò ſi quis Clericus ex iracundia, deſperatione, aut tædio ſeipſum percutiat, mutilet, aut occidat, aliamvè iniuriam irroget, in cuius irrogatione lethaliter contrà charitatem ſibi debitam delinquat, incidit etiam in hanc excommunicationem Canonis: quia ſic verificatur, violentas manus in Clericum inijcere, cum iniuria naturæ, & Ordinis Clericalis. Suarez *ſupr. num.* 59. Palaus *diſp.*3.*punct* 23.§.2.*nu.*4. Coninc. *diſp.*14. *dub.*15.*num.*170.Bonac. *num.*4.Diximus *ſi ex iracundia, &c.* Si enim ex deuotione, vel ex contritione peccatorum ſe percutiat, flagellet, vel ſi percuſſio ſit talis, ut licitè eam ſibi poſſit inferre, li-

cèt

cèt non poſſit conſentire, ut ſibi ab altero inferatur, ut euellere capitis, vel barbæ capillos, ſe alapis cædere, ob mœrorem necis fratris, patris, &c. Non incurret excommunicationem, Auil. 2. *part. cap. 5. diſp. 3. dub.* 12. Nauarr. *cap.* 15. *num.* 11. Imò ſi Clericus animo pœnitentię, ut corpus caſtiget, peteret ab altero, quod ipſum flagellaret, modo quo nos ipſos flagellare ſolemus, ille non incurreret ob flagellationem, excommunicationem: quia talis actio nec eſſet peccaminoſa, nec ulli perſonæ ſtatuivè iniurioſa, Conin. *num.* 169.

*Qui gaudent priuilegio Canonis?*

21. Sed inquires primò. Qui intelligantur nomine Clerici, aut monachi, qui gaudent hoc priuilegio Canonis, ita quod in illos violenta iniectio manuum hanc excommunicationem inducat? Reſpondetur, omnes Clericos etiam in minoribus dumtaxat conſtitutos, vel etiam primâ tonſurâ tantùm initiatos, dummodo qui in ſacris non ſunt, habitum, & coronam Clericalem deferant. Similiter omnes regulares utriuſque, Donati, & Conuerſi, Nouitij, & alij, de quibus latè legimus *tract. de Ordine, cap. 7. punct. 5.* ¶ Sed tali priuilegio carent in primis Bigami, Bigamia vera, & reali, *cap. unic. de Bigami. n. 6.* Bigami verò Bigamiâ ſimilitudinariâ gaudent Canonis priuilegio: & ſic qui illos percuſſerit, fiet excommunicatus, quia de his ius dictum non loquitur: & ſic qui Clericum in ſacris conſtitutum percuteret, qui coniugium celebrauit, (quomodò Bigamiam ſimilitudinariam incurrit) hanc incurreret excommunicationem: quia gaudet priuilegio Canonis. Deinde Clerici coniugati in minoribus conſtituti, quamdiu non deferunt tonſuram, ac habitum Clericalem Canonis priuilegio non fuguntur, *cap. Vnico, de Clericis coniugatis.* Imò poſt *Trident. ſect.* 22. *cap. 6.* niſi ex licentia Epiſcopi alicui inſeruiat Eccleſiæ, vel in uniuerſitate aliqua litteris vacet. ¶ Deinde priuantur hoc priuilegio, Clerici, qui abiectis Eccleſiaſticis veſtibus, negotijs ſe ingerunt ſæcularibus, & tertiò à ſuo Prælato moniti non corriguntur, *cap. Contingit 45. de ſentent. excomm.* Imò ſi Clerici, abiecto habitu, tyrannidi, ac enormitatibus ſe immiſceant, priuantur hoc priuilegio etiam antè omnem correctionem, *cap. Perpendimus* 23. *cap. Cum non ab homine* 14. *de ſentent. excommunicat.* Similiter Clerici degradati realiter, *cap. 2. de Pœnit. in 6.* non verò qui tantùm verbaliter ſunt degradati: hi enim gaudent Canonis priuilegio, ut dicemus *cap. 5. num.* 59. Denique *in cap. Vnico, de vita, & honeſt. Clericor. in 6.* ſic habetur: *Clerici, qui ſe ioculatores, ſeu Goliardos faciunt, aut bufones, ſi per annum, artem illam ignominioſam exercuerint, ipſo iure: ſi autem tempore breuiori, & tertiò moniti non reſipiſcant, careant omni priuilegio Clericali.*

*Qui percutientes Clericum dictam excommunicationem incurrant.*

22. Inquires, ſecundò. Quæ ſint illæ perſonæ, quæ manus violentas in Clericos inijcientes incurrant dictam excommunicationem? Reſpondetur, omnes utriuſque ſexus quantumuis priuilegiatos incurrere dictam excõmunicationem, ſi in Clericum manus inijciant, etiamſi pueri ſint, dummodo rationis compotes, ut colligitur *ex cap.* 1. *cap. Mulieres, cap. Pueri, de ſentent. excom.* quamuis pueris, qui ad pubertatem non peruenerunt, hæc iura concedant, quòd poſſint ab hac excommunicatione abſolui ab Epiſcopo abſque onere comparendi, coram Summo Pontifice, tametſi poſt pubertatem talem abſolutionem ab excommunicatione, ante pubertatem contracta depoſcant, ut diximus *cap. 2. num.* 67. ¶ Sed licèt in dicto *Canone* ſolum excommunicentur percutientes, vel manus violentas Clerico inijcientes; at verò *in cap. Mulieres, §. Illi, de ſentent. excom.* extenditur ad mandantes, ſeu precibus, minis, aut promiſſis excitantes. Et *cap. Quantæ* 47. *eodem tit.* ad conſentientes: ſub quo nomine conſulentes, & auxilium præbentes in omnium ſententia continentur, quia ij verè conſentiunt, ſed ut omnes dicti incurrant excommunicationem, requiritur, quòd percuſſio ſequatur: imò quòd mandatum, vel conſilium in eam moraliter influant, ut diximus *cap. 5. punct.* 12. ubi etiam explicuimus, quomodo mandatum, aut conſilium reuocantes à tali excommunicatione liberentur. ¶ Sufficit verò, ut aliquis in perſecutionem conſentire dicatur, quòd licèt non mandet, aut conſulat, dicit coram ſuis, ſe illius Clerici deſiderare vindictam, ſi iſti mori illis verbis Clericum percutiant, etiamſi verba illa non animo talis percuſſionis exequendæ, dicat: quia deberet præuidere ſubditos fore iudicaturos, tali animo dixiſſe. Vt colligitur *ex cap. ult. de Homicid. in 6.* Syluest. *verb. Excommun.* 6. *num.* 5. *part.* 4. & ex ipſo Auil. *dub.* 10. *concl.* 3. Conin. *num.* 172. Vndè ut non incurreret, debebat exprimere, ſe non eo animo dixiſſe, nec hoc deſiderare.

23. An verò qui non impedit percuſſionem Clerici, cùm poſſet, incurrat hanc excommunicationem? Reſpondetur affirmatiuè: quia *in cap. Quantæ, de ſentent. excommunicat.* dicitur: *Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui, cùm poſſint, manifeſto facinori deſinunt obuiare.* Vbi per ly, *cum poſſint* intelligitur abſque incommodo, & detrimento ſui, & requiritur, quod per dolum, malitiam, vel odium, non impediant: ſi enim ob vanum timorem, ob verecundiam, vel ne ſe alienis litibus immiſceant, omittant impedire percuſſionem, ab hac excommunicatione liberantur; ſi tamen ex iuſtitia illam impedire non teneantur. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 15. Caiet. *in ſumm. verb. Excommunicatio, cap.* 10. Syluest. *eodem verb.* 6. *num.* 5. & hinc oritur inter Doctores grauis difficultas: An, videlicèt, qui ex iuſtitia non tenetur impedire percuſſionem, ſed tantum ex charitate, ſi poſſit illam commodè impedire, & non impediat, dictam excommunicationem incurret? Affirmat Caiet. *loc. citat.* Medin. *C. de Reſtitut. quæſt.* 7. Suar. *num.* 56. Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 1. *num.* 31. Syluest. *verb. Reſtit.* 3. §. 6. *part.* 3. *num.* 24. & ex eo quod in dicto *cap. Quantæ* abſolutè dicitur, eam incurrere, qui, cum poſſint facinori obſtare, id omittunt.

*Non omnis omittens defenſionem Clerici fit excommunicatus, ſed qui ad hoc tenetur ex iuſtitia.*

24. Veriùs tamen dicendum eſt, non incurrere illam, qui dumtaxat tenebatur ex charitate obſtare, & non obſtat, etiamſi in tali omiſſione lethaliter peccet; ſed qui ex iuſtitia ad hoc tenebatur, vel ex officio: ut ſunt Rex, iudex, miniſter Iuſtitiæ, patres, Tutores, Heri, pedagogi, Parochi, cuſtodes, & econtrà reſpectu illorum, filij, pupilli, famuli, parochiani, & cuſtoditi. Sic Enriq. *lib.* 14. *de irregul. cap.* 12. *num.* 7. *litt.* H. D. Antonin. 3. *part. tit.* 28. *cap.* 2. Nauarr. *in ſumm. cap.* 27. *num.* 78. Auil. *dub.* 8. *concl.* 1. Bonacin. *punct.* 3. *num.* 5. Conin. *num.* 174. Palaus *num.* 13. de hac materiâ latè diſcurrens. Probatur: quia cui ſolum ex charitate, non ex iuſtitia ad id tenetur, non imputantur damna ex tali percuſſione ſecuta, & ſic mora-

moraliter non cenſetur auxilium, vel fauorem præbere, aliquamvè iniurioſam actionem in Clericum operari: ſed ſolum incurrit excommunicationem, qui non obſtat, cum poſſit, quandò eius omiſſio, fauor, aut auxilium ad actum iudicatur, & ideò dicitur in dicto *cap. Quanta, tos delinquentibus fauere interpretamur.* Sed qui non tenetur ex iuſtitia, non cenſetur percuſſioni fauere: & ſic damna ſecuta ipſi non imputantur, nec actionem in Clericum exercet iniurioſam, ſed ſolum negatiuè ſe habet: ergò, &c. Quod verum eſt ſaltē in foro interiori, etiamſi ex praua voluntate, & odio talem impeditionem omittat: quia excommunicatio ob interiorem animū, non incurritur, ſi exterior actio ex ſe ad illam incurrendam non eſt ſufficiens, tametſi in foro exteriori iudicetur, ideò omittere defenſionem, cum poſſet percuſſionem commodè impedire, ut opem, & auxilium ferret: & ſic in illo fortè iudicabitur eam incurriſſe; non verò in foro interiori, & hoc ſenſu explicant *cap. Quantæ*, Nauar. Auil. Bonac. ſed ad illius ſolutionem ſufficit, quod in probatione diximus.

*Qui ratam habet percuſſionem, excommunicationem incurrit.*

25. Rurſus eſt difficultas: An qui ratam habet percuſſionem Clerici ſuo nomine factam, incurrat excommunicationem, licèt ad illam auxilium, mandatum, aut fauorem non præbuerit? Reſpondetur affirmatiuè: ita quod non contrahat talem excommunicationem quandò percuſſio facta eſt, ſed quandò ad eius notitiam peruenit, & eam ratā habuit. Ita habetur *in cap. Cum quis, de ſent. excom. in 6.* & ratio textus eſt: quia ratihabitio fictione iuris retrotrahitur, & mandato æquiparatur. Sed ad hanc incurrendam excommunicationem ratione ratihabitionis iſtę conditiones requiruntur. Prima, quod ſuo nomine ſit facta percuſſio: quia videlicèt in ſui gratiam facta eſt, licèt non de illius mandato, iudicante percuſſore illi gratum futurum, vel ad vindicandam eius offenſam, & ſuo nomine factam ſciat, cum ratificat. Secunda, quod ſignificet exterius ſuam voluntatem, ſufficienter ad ratihabitionem exprimendam. Si enim interius tantùm gaudeat, & ratificet, non incurret excommunicationem, quia hæc ob interiores actus, de quibus non iudicat Eccleſia, non incurritur. Tertia, quòd quando percuſſio facta eſt, eſſet habilis ad mandatum, vel conſilium ferendum. Si enim tunc eſſet amens, aut rationis impos, etiamſi compos ſit rationis, cum ratificat, non incurret: quia cùm talis ratihabitio mandato æquiparetur, debet eſſe potens mandare ſaltem habitualiter, cùm talis percuſſio mandatur executioni. ¶ Dixi *ſaltem habitualiter*. Quia ſi tunc dormiens, aut ebrius eſſet, quamuis actualiter non poſſet mandare; poſſet tamen habitualiter, & ſic non excuſabitur ab excommunicatione incurrenda. Ita aſſerunt Palaus *n.* 14. Suar. *diſp.* 22. *ſect.* 1. *nu.* 55. Sayr. *nu.* 25. Auil. *dub.* 9. Bonacin. *nu.* 8.

*Ob quam actionem incurritur hæc excommunicatio.*

26. Inquires tertiò: Quæ actio ſit illa, quæ dicitur iniectio violenta manuum in Clericum, ratione cuius excommunicatio Canonis incurritur? Reſpondetur, quod omnis actio violenta in Clerici perſonam, vel in rem illi adhærentem, ſiue per manus, aut pedes, aut os fiat immediatè, ſiue medio gladio, fuſte, aut alio inſtrumento, intelligitur. Vndè mutilatio, percuſſio, vulneratio, enſe, pede, fuſte, ore, aut manu, vel propinatio veneni, ſi violenter detineatur, ne exeat, ſi recludatur, incarceretur, ſi inſequatur, quæ inſecutio ſit cauſa, quòd lædatur, aut præcipitetur: omnes iſtæ ſunt actiones in ipſum violentæ. Si conſpuas illum, ſi percutias arundine, ſi aliquid è manibus violenter auferas, ſi eius veſtimenta dilaceres, puluerem in eum iacias, ſi frenum equi, in quo equitat, detineas, vel equum lædas, frenum confringas: quia licèt hæ actiones corpus Clerici non lædant; lædunt tamen honorem, colligitur *ex cap. Nuper, de ſentent. excomm.* & docent Auil. *diſp.* 3. *dub.* 11. Bonac. *punct.* 1. *nu.* 12. Palaus *n.* 2. Conin. *num.* 165. Laym. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. N. Anton. *in direct. confeſſ. tract.* 5. *diſp.* 14. *num.* 1000. *& ſeq.*

*Quæ actiones non inducunt illam.*

27. Non verò incurritur excommunicatio, ſi Clericum verbis offendas, vel ad ictum coneris; re tamen ipſa ipſum non læſiſti. Nec incurrit ille, qui ſine violentia res Clerici ſubtrahit. Si verò veſtes illius omnes ſubripias, ita ut egredi ob hanc cauſam non poſſit, ſed domi manere cogatur, & quaſi captiuus detineatur, affirmat te incurrere excommunicationem Canonis, D. Antonin. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 1. §. 1. *verſ. Furantem*: quia ſic moraliter vis infertur Clerico. Sed meritò id negat Innocentius ad ipſum. Caiet. *verb. excomm.* §. 10. §. *Nota* 2. & ex utroque Conine. *num* 166. ſicut qui Clerico in itinere conſtituto, noctu furaretur equum, aut pecunias, atque ita eſſet cauſa, cur progredi non poſſit, nullus dicet excommunicationem incurrere, & ratio eſt in utroque caſu: quia per tales actiones nulla infertur Clerico vis, tametſi aliàs neceſſitetur non egredi, aut progredi, quòd eſt per accidens reſpectu illarum actionum. Imò etiamſi eo animo auferat, ut clauſum Clericum detineat: quia licèt intentio praua augeat malitiam peccati, non facit, quòd actio externa ſit violenta, quæ ex ſe non erat talis.

*Qui excuſentur ab excommunicatione, etiamſi percutiant Clericum.*

28. Inquires quartò. Quæ excuſent ab incurrenda hac excommunicatione, etiamſi manus violentæ in Clericum inijciantur? Reſpondetur, in primis omnia illa excuſare, de quibus diximus *cap.* 1. *punct.* 15. excuſare ab incurrenda cenſura: & ſic ignorantia iuris, vel facti, inaduertentia, timor grauis, iuſta defenſio, & omnia illa, quæ actionem à labe peccati mortalis liberant. Similiter ob percuſſionem iocoſam etiam grauem, quamuis cum aliqua ira irrogatam, non incurritur excommunicatio. Colligitur *ex cap.* 1. *de ſent. excomm.* Auil. 2. *p. cap.* 6. *diſp.* 3. *dub.* 3. *caſ.* 2. Tabien. *verb. excomm.* 5. *num.* 4. ſi quis ſubitâ cholerâ Clericum percutiat, antequàm plenè aduertat, quid faciat, Conin. *n.* 169. Suar. *n.* 50. & quoties ex circumſtantia perſonæ percuſſæ, vel ex modo percuſſionis non grauiter iniurioſa cenſetur, non incurritur excommunicatio. Et ita pueri in minoribus ordinibus conſtituti, rixantes ſe inuicem pugno percutientes, quamuis ſanguinem è naribus effundant, non incurrunt iſtam excommunicationem; quia plerumque inter ipſos leuis cenſetur iniuria: imò quamuis aliquandò eſſet grauis, idem aſſerit Soto *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 2. §. *Cum verò*. Sed id ex circumſtantijs, attenta qualitate perſonarum, & offenſionis, eſſe prudenter iudicandum; aſſerit Conin. *n.* 190. & ex ipſo Palaus §. 3. *n.* 2.

*Ob correctionem Prælati, Magiſtri, & parentum non incurritur.*

29. Deinde excuſantur ab hac excommunicatione, qui Clericum percutiunt titulo correctionis. Vnde Prælatus, & Magiſter Clericum ſubditum, vel diſcipulum vinculis ligare, & caſtigare

mode-

Digitized by Google

moderatè poſſunt, ſecundum quod culpa exigit, & qualiras perſonæ, ut colligitur *ex cap. Vniuerſitatis 24. de ſentent. excommunicat. cap. ex tenore, cap. Cum voluntate eodem tit.* ſed ſi caſtigatio immoderata ſit, ira ut ſit exceſſus peccati mortalis, incurrent excommunicationem; ſecus verò ſi ſit aliquis exceſſus, non tamen ita grauis: imò etiamſi irâ correptus ſuperior, aut Magiſter Clericum percuteret, causa tamen correctionis, ab excommunicatione eſſent immunes; ſecus verò ſi percuterent principaliter ex odio, vel ex ira, non cauſâ correctionis. *Angel. verb. Excommunicatio, num.* 8. Bonacin. *punct.* 4. *num.* 4. Auil. *cap.* 5. *diſp.* 3. *dub.* 13. *caſu.* 1. Idem dicendum eſt de patre reſpectu filij Clerici, aut de conſanguineis, quibus cura illius incumbit, quod ſi moderamine dicto Clericum percutiat, aut detineat, non incurrunt excommunicationem, *cap. Cum voluntate, de ſentent. excommunicat.*

*Quod verum eſt, etiamſi Clericum in ſacris conſtitutum percutiat.*

30. Cæterum licèt Clerici ſint in ſacris conſtituti poterunt à parentibus puniri, incarcerari, iuxtà grauitatem culpæ cauſa correctionis. Quod probatur primò: quia Magiſter, & Prælati poſſunt Clericos in ſacris conſtitutos ſibi ſubditos, vel diſcipulos punire, detinere, &c. ſecundum quod grauitas culpæ exigit, ut ex conſuetudine conſtar, & ex iure, licèt enim *in cap. Cùm voluntate*, ſolum fiat mentio de conſtitutis in minoribus, at *in cap.* 1. *de ſent. excomm.* nulla fit diſtinctio. Et *in cap. Ex tenore eodem tit.* expreſſius habetur. Ibi enim cum à quodam abſoluendo ob excommunicationem Canonis incurſam ob percuſſionem Diaconi, recipitur iuramentum, quod in poſterum manus violentas in Clericum non injiciet, niſi ſuper eum Prælationis, aut Magiſterij officium habeat. Et tenent Auila, & Coninchus ſtatim citandi, ſed pater maiorem poteſtatem habet in filium, quam Magiſter, aut Prælatus: ergò ſi iſti poſſunt illum etiam in ſacris conſtitutum punire, etiam ille. Secundò, quia iure naturali conceſſum eſt parentibus, corrigere delinquentes ex ſua familia: ſed filius etiam in ſacris conſtitutus illius eſt familiæ: ergò illum punire, & caſtigare poteſt. Atque ita docent D. Anton. § 2. *caſ.* 12. Bañez 2. 2. *quæſt.* 65. *art.* 1. Valentia *ibi qu.* 9. *punct. unic.* Suarez *num.* 49. Auila *cit.* Coninc, *num.* 192. Bonac. *num.* 4 *cit.*

*Qui percutit Clericum inuentum in carnali crimine, non incurrit excommunicationem.*

31. Sed quia ius Canonicum agnouit magnam difficultatem, dolorem temperandi; impetumque vindictæ cohibendi in eo, qui videt ſuam uxorem, matrem, ſororem, aut filiam, turpiter à Clerico pertractari, & etiam ut ipſos Clericos à tali crimine auertat, excuſat ab hac excommunicatione Clerici percuſſorem, qui in flagranti, & incontinenti eos percuſſit etiam grauiter; quamuis in hoc mortaliter peccent percutientes, *cap. Si vero* 1. *de ſentent. excommunic.* Quod intelligendum eſt ſi Clericum ſtatim percutiat, & non ad alias perſonas extendendum eſt præter enumeratas: nimirum ſi inueniat cum uxore, matre, ſorore, aut filiâ turpiter agentem: & hoc non ſolum ſi ipſum in fornicatione cum aliqua ex iſtis reperiat; ſed etiamſi inueniat eum vacantem amplexibus, oſculis, alijſve turpibus tactibus, vel reperiat in loco ſuſpecto, ita ut ex circumſtantijs colligatur turpitudo; vel colloquentes eos inueniat, poſtquàm Clericum monuit à tali locutione deſiſtere, Palaus § 3. *num.* 13. Sayr. *cap.* 27. *num.* 33. Syluest. *verb. Excommunicatio* 6. *num.* 5. *caſ.* 10. Suarez *num.* 37. Coninc, *num.* 196. Laymàn. *num.* 8. Bonacin. *num.* 5. Et quia loquitur textus generaliter de omni percuſſione; etiamſi Clericus occidatur, non incurritur talis excommunicatio. ¶ Similiter ſi mulier à Clerico de turpitudine facto tentaretur, eum percutere poſſet, quia eſſet iuſta defenſio honoris, & honeſtatis, ſed hoc intelligendum eſt, niſi poſſet eum verbis auertere: unde ſi ſolum verbis ſollicitaretur, verbis, & non verberibus eum expellere deberet, niſi eſſet nimis procax in verbis, & importunus, & fœmina verbis ſe defendere non valeret, Suar. *num.* 33. Auila *dub.* 13. *caſ.* 11. *Angel. verb. Excommunicatio, num.* 21. Syluest. *num.* 9.



## PVNCTVM III.

### *De excommunicatione ob duellum impoſita.*

*Quid nomine duelli intelligatur?*

32. DVellum prout diuerſum eſt à bello, & à pugna ſubitâ irâ contracta, eſt in duplici differentia: aliud ſolemne; quod fit in condicto loco cum patrinis, & ſpectatoribus publicè, chartulis affixis, & firmatis, deſignatis armis, &c. Aliud verò ſecretum, & particulare. Quod adhuc eſt in duplici differentia: vel enim fieri poteſt inter duos tantum, & dicitur Græcè *Monomachia, cap. Monomachia* 2. q. 5. id eſt, pugna unius cum uno, vel inter plures alios, ut ſi quatuor, vel ſex hinc, & totidem inde ad duellum ſe prouocēt. Et quamuis olim duellum propriè erat illud, quod aſſumebatur ad deciſionem litis, vel ad inueſtigationem veritatis: ut ſi aliquis accuſatus de crimine vellet ſe à tali accuſatione purgare, in dicto duello, quatenus victoriam reportans innocens probaretur, & hoc propriè nomen *Duelli* ſignificet, ut probat Sanchez *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 39. *nu.* 1. Caiet. 2. 2 *q.* 95. *art.* 8. *circà ſolut. ad* 3. dicitutque in iure vulgaris purgatio *cap. Significantibus.* Extrà, *de vulgari*; communiter tamen à Doctoribus de quacumque prouocatione ad pugnam, in loco, & tempore determinato accipitur, ſiue in probationem veritatis, vindicationem iniuriæ, alióve titulo aſſumatur.

*Definitio duelli proponitur, & explicatur.*

33. Duellum igitur, de quo modò agimus, definitur, quod eſt *pugna ſingularis ab utraque parte ex condicto accepta, cum periculo occiſionis, aut grauis vulneris.* Dicitur *pugna ſingularis*, ad diſtinctionem belli, quod eſt pugna communis inter plures, (& in numero multoties inæquales) inita: at duellum certamen eſt ſingulare, ſiue inter unum, & alium, quod dicitur Monomachia, ſiue inter octo, quatuor hinc, quatuor inde præliantibus. Dicitur *ex condicto* id eſt, inuicem inito pacto de pugna, aſſignato loco, & tempore. Quapropter verè non eſt duellum, quando vel tempus aſſignatur, ſed non locus, vel locus, ſed non tempus. Hinc fit, quotidianas pugnas ortas ex ira, etiamſi inuicem pugnantes ſe lædant, non eſſe duellum; quia non fiunt ex condicto: vel quando duo ob priuatas inimicitias ſe inuitant ad pugnandum; vel ſi unus dicat: *In agro te expecto, ut ibi pugnemus*, non deſignato tempore: vel ſi dicat: *Veſpere tecum pugnabo, ubicumque te invenero*, quia locus hic non deſignatur. Si quis autem, acceptâ iniuriâ, diceret

inimico: *Exeamus hinc:* nimirum ex platea, in qua impediemur, *& eamus in agrum*; vel ſi eſſet in Eccleſia, vel in naui, & diceret: *Ad terram deſcendamus, ut ibi pugnemus*, verè duellum eſſet, quia iam locus aſſignatur, & tempus, nimirum præſens. Idem ſi diceret inermi: *Vade, ſume arma, hic te expecto, ut pugnemus*, quia tunc ex condicto tempus, & locus deſcribitur, Palaus *tract. 6. de charit. diſp. 5. punct. 7. num.* 19. Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 39. num.* 28. Bonacin. *diſp. 2. quæſt. 6. p. 1. num.* 7. Filliuc. *tract.* 15. *cap. 5. quæſt. 5. num.* 111. Diana *part. 2. tract. 16. reſol.* 53

*Concluditur definitio, & etiam caſus ponuntur.*

34. Dicitur denique, in definitione *cum periculo occiſionis, &c.* Si enim abſque illo fiat certamen, verè non eſt duellum, ut ſi duo ſe inuicem prouocent ad pugnam abſque armis, pugno, vel inſtrumento non periculoſo, ſe petentibus, vel mulieres, non ſolum verbis, aut verberibus, ſed etiam auulſione capillorum, ungiumve læſione altercantes, talis pugna non eſt duellum. Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 15. *quæſt.* 15. *num.* 107. N. Gabr. à S. Vinc. *de remedijs ignor. diſp.* 12. *dub.* 2. plures alios referens caſus quibus duellum non committitur, Bonac. *num.* 11. ¶ Hinc oritur difficultas, an diffidans alterum non animo pugnandi, ſed honoris proprij defendendi, vel alterius prouocationem admittens, ut cum inimico accedat ad locum condictum cum morali certitudine, quod nullum damnum ſequendum eſt, eo quod amici, vel alij ſtatim aderunt, qui eos reconcilient, undè pax potius concilietur, quam damnum aliquod ſequatur, an ſit duellum prohibitum ab Eccleſia, & ſic duellantes incidant excommunicationem? Ad quod negatiuè reſpondet Gabr. *loc. citat.* & Filliuc. loquendo de foro conſcientiæ, *tr.* 15. *cap.* 5 *q.* 5. *num.* 113. & ipſum ſequens abſque diſtinctione fori interioris, & exterioris Dian. *reſ.* 53. citans Nald. *in ſum. verb. Duellum, num.* 2. & ſequitur Auſon. Noctin. *in comp. verb. Duellum, num.* 4. citans Volfangium à Vorbur *in rudiment. iuris Canon. de excommun. art.* 5. *fol.* 196. Quod non probabile iudicamus, quia tunc non adeſt periculum occiſionis, aut grauis vulneris: quòd requiritur ad duellum, etſi per accidens poſteà vulneratio ſequatur erit præter intentionem.

*Duellum ex naturâ ſua eſt peccatum mortale.*

35. Ad duellum prouocantes, vel illud admittentes peccant mortaliter. Tum, quia eſt iure naturæ prohibitum: cum ſit rationi diſſonum ſe propriam vitam periculo exponere, vel alterius necem intentare. Tum etiam, quia eſt iure poſitiuo à Paul. IV. Greg. XV. Clem. VIII. à *Concil. Trident. ſeſ.* 25. *cap.* 19. *de reform.* ſub grauiſſimis pœnis prohibitum, & etiam. *iur. Ciuil. lib. unic. 6. de Gladiat.* non verò eſt ita malum intrinſecè, ſicut mendacium, quod ex aliqua cauſa non poſſit honeſtari. Sicut bellum licèt ex ſe ſit iniquum, & contrà charitatem ob plures neces, & damna inde ſecuta, poteſt dari cauſa, ratione cuius honeſtetur, ita duellum: quia ſicut bellum eſt pugna communis unius Ciuitatis, vel Regni cum alio, ſic duellum particularis eſt pugna unius, vel aliquarum perſonarum, cum totidem alijs. Atque ita tenet Caietan. 2. 2. *quæſt.* 59. *art.* 8. *circ. ſol. ad* 3. §. *Ad euident.* Sanch. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 39. *num.* 2. Et omnes illæ cauſæ, quæ honeſtum reddere poſſunt duellum, etiam liberant ab excommunicatione, & alijs pœnis impoſitis propter illud; cum excommunicatio, & aliæ pœnæ, culpam grauem commiſſam ſupponant: proindeque cauſæ excuſantes à culpa graui, duellum etiam excuſant ab illis incurrendis.

*Non eſt ſufficiens cauſa excuſans oſtentatio virium, vel aliorum captanda voluntas.*

36. Sed non quæcumque cauſæ ſufficiunt ad honeſtandum duellum. Videamus ergò, quæ cauſæ ſint ſufficientes, & quæ inſufficientes ſint ad intentum. Igitur duellum ob cauſam oſtentationis virium, ut fuit illud, quod fuit à Goliath ſuperbè indictum, non ſufficit ad honeſtandum duellum, ſed erit mortale peccatum ad illud prouocare, vel indictum admittere. Idem dicimus, ſi duellum admittatur, ad cauſandum voluptatem ſpectantibus: quia periculum mortis proprium, & alienum ſuſcipere non debet, ob finem adeò inutilem, & vanum. Ita Caietan. *loc. cit. & in ſumm. verb. Duellum*, Suar. *diſput.* 13. *de Bello, ſect. ultim. num.* 1. Palaus *tract. 6. de char. diſp. 7. punct. 7. num.* 5. citans Coninch, & Nauarr. Cum quibus addit bellicum exercitium eſſe lethale, ſi fiat cum euidenti vitæ periculo, & in illo morientes Eccleſiaſticâ priuari ſepulturâ, *cap.* 1. *de torneament.* & Caietān. *in ſumm.* hæc verba ſubdit. [Et per eandem rationem peccant mortal. bellantes 10. hinc, & 10. inde, ut quandocumque ſpectaculi gratiâ tempore belli fit. Non enim excuſantur propter tempus belli, quaſi ſit partialis conflictus cum hoſtibus, quia non habet locum finis belli in huiuſmodi partiali certamine, non enim ordinatur conflictus iſte ad debellandum, vel minuendum hoſtis virtutem, ſed ad oſtentationem hominum] Hactenus Caietan. idem ferè habet 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 8. *circ.* 3. & Bonac. *num* 4. Palaus. *loc. prox. cit.*

*Non poteſt ſumi duellum ad manifeſtandam veritatem.*

37. Similiter: eſt peccatum mortale ſuſcipere duellum, pro manifeſtatione veritatis, illud aſſumendo ut teſtem, ut qui victor permaneat, innocens reputetur: quòd planè ſuperſtitioſum eſt, & vanum, & ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 8. *ad* 3. uſurpatio diuini iudicij, & tentatio ipſius Dei, qui minimè promiſit ſe auxilium præbiturum innocenti, ut per tale medium veritas innoteſcat; quin potiùs contingat multoties innocentem ſuccumbere, culpatumque victoriam reportare, & hoc eſt duellum, quod propriè Canones prohibent, ut dixim. *num.* 1. Idem dicimus ſi controuerſia inter aliquos eſſet orta, & lis in duellum reuocaretur, ut qui vinceret, iuſtitiam habere, vel verum dicere iudicaretur, *cap. Monomachiam 2. quæſt.* 5. quia eligitur medium improportionatum ad manifeſtandum veritatem, & periculoſum, valdeque dubium, cum Deus non promiſerit illo medio innocentem defendere, nec ſit æquum ab ipſo ſperare, aut petere auxilium, cum periculo alterius, Caiet. Palaus, Sanch. Valent. Bonacio. *loc. cit.* & è Noſtris, Gabr. à S. Vincent. *de cenſur diſp.* 4. *à nu.* 320. Lezana *verbo duellum* Franciſc. Bon. Spei *de charit. diſp.* 8. *num.* 49. quem ref. & ſeq. Stephan. à S. P. *tract.* 3. *diſput.* 3. *num.* 59. & *alij.* Qui omnes etiam iniquum reputant duellum ſuſceptum ad vindicandum iniuriam factam, illiuſvè repartitionem: quia nemo poteſt propria auctoritate alium occidere, aut vindicare ſuam iniuriam,

cùm

cum hoc Principis munus ſit : maximè, quia talis finis illo medio non ſemper adipiſcitur, cùm ſæpè contingat occumbere, qui ſe victurum putabat.

*Nec euitandam infamiam duellum acceptare eſt iniquum.*

38. Denique non eſt cauſa ſufficiens ad honeſtandum duellum ſuſceptio illius ad euitandum infamiam, & ruborem, quæ ex non acceptatione imminet, eo quòd vilis, & degeneris animi iudicetur qui prouocatus, duellum non acceptat, & apud ſuos vilipenderur tanquam homo puſillanimis, & iudicabitur, quòd potiùs ex timore inimici, quam Dei dimicare recuſat : tum, quia licèt apud improbos, & vulgares id ignominiæ tribuatur ; apud ſapientes, & bonos potiùs tribuetur gloriæ, & magis æſtimabitur, quorum iudicium ignorantium, & reproborum placito, præponendum eſt : maximè cum poſſit ut Chriſtianus, & prudens notam puſillanimis effugere reſpondendo : *Paratus ſum ad me defendendum, quandocumque me inuaſerit ; nolo tamen acceptare duellum lege diuina prohibitum.* Tum etiam, quia nemini licèt, ſuam vitam periculo exponere, vel alteri mortem infligere, niſi in ſui defenſionem, altero ſibi aggrediente ; ſed qui prouocat ad duellum honoris, non eſt aggreſſor; ſiquidem per hoc quod prouocetur, illius honor non deturpatur, ſed per hoc quod non acceptat in opinione vulgi : ergò non licet ei, etiamſi aliundè iacturam famæ pateretur, talem prouocationem acceptare. Ita Sor. *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 1. art. 8. in corp. ad fin.* Bañez 2. 2. *quæſt. 40. art. 8. in fin. & quæſt. 64. art. 7. dub. 3. ad* 3. Caietan. *in ſumm. verb. Duellum, & 2. 2. quæſt.* 95. *art.* 8. *circa ſol. ad* 3. Sanch. *lib. 2. Decalog. cap.* 39. *num.* 9. Suar. *diſp.* 13. *de Bello, ſect. ult.* Valent. 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 1. *verſ. Nec ſecundus,* Palaus *tractat.* 6. *de charit. diſp.* 5. *punct.* 7. *num.* 8. Dian. 3. *p. tract.* 6. *reſol.* 1. Lothus *tract.* 6. *art.* 4. eandem è N. N. tenent & benè explicant Lezana, *verb. duellum, num.* 16. Franciſc. Bon. Spei, Stephanus à S. Paulo *num.* 61. Gabr. à S. Vinc. *de remedijs ignor. diſp.* 12. *dub.* 2. latius diſcutiens hanc ab Alexan. VII. damnatam propoſitionem *vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat.*

*Prima cauſa, qua honeſtare poteſt duellum.*

39. Excluſis iam iſtis cauſis tanquam inutilibus ad honeſtandum duellum, videamus, quæ cauſæ ad hoc munus ſufficiant. Prima eſt, ſi ſit periculum vitæ, honoris, aut fortunarum, niſi acceptes duellum, illud licitè acceptare poteris. Vt ſi minetur aduerſarius mortem, infamiam per falſum teſtimonium, vel ſe domos, vel agros incenſurum ; &c. niſi duellum acceptes, & credis illud malum tibi euenturum, & non ſit alia via illud euitandi, poteris acceptare : imò indicere illud, quia tunc eſt iuſta defenſio, ſi alios prouocet, & ſi tu prouocas, eligis minus malum, ut maius euites, & maius periculum in id, quod minus eſt, commutare contendis : quod licitum eſſe nemo dubitat. Ita Sanch. *lib. 2. Decal. cap.* 39. *num.* 8. Bonacin. *num.* 18. Dian. 5. *p. tract.* 13. *reſ.* 27. Valent. *punct.* 1. *verſ. Si talis autem,* Mendoz. 2. 2. *diſp.* 170. *ſect.* 86. §. 76. *& ſect.* 9. §. 82. Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub.* 8. *num.* 49. Palaus *num.* 9. Wiggers. 2. 2. *quæſt.* 41. *art.* 1. Stephan. à S. P. *num.* 60.

*Secunda cauſa per quam redditur licitum duellum.*

40. Secunda eſt, ſi eſt iniuſtè accuſatus, & condemnatus, & credis à iudice condemnandum, & vel ab accuſatore, vel à iudice offertur duellum ſi vis te à periculo liberare, licitè illud acceptare poteris ad euitandam mortem, infamiam, aut bonorum iacturam, ſi non datur alia via euadendi ; non quidem animo veritatem manifeſtandi, cum ad hoc ſit illicitum, & improportionatum medium, ſed ut poſſis periculum euadere : quia ex una parte licet occidere eum, qui vitam, honorem, aut diuitias aggreditur, qualiter ſe habet, qui iniquis teſtibus te condemnare procurat ; & ex alia potes admittere periculum incertum, ut certum effugias, Sanch. *num.* 4. Conio. *num.* 17. Leſſius *num.* 47. Bonac. Palaus *num.* 13. Molin. *tract. 3. de iuſt. diſp. 7. num.* 17. Becan. *tract. de Fide, cap. 26. qu. 3. num* 4. *&* 6. Tolet. *lib.* 9. *cap.* 6. *num.* 32. Ex quibus plures aſſerunt poſſe te iniuſtum aggreſſorem, occultè occidere, ſi aliâ viâ damnum euitare non potes, ſed an hæc moraliter certa ſint, & ſecura, iudicet lector timoratus.

*Tertia cauſa duellum licitum reddens.*

41. Tertia cauſa duellum honeſtans eſt terminatio belli inter hoſtes, & reſolutio in duellum vel duorum, vel ſex, aut decem hinc, & totidem inde, quia ſic plures cædes vitantur; plurimaque damna præcauentur utrimque eminentia in bello quæ per tale duellum ad paucos reducuntur Ita Caiet. *loc. cit.* Palaus *num.* 15. Bonac. 18. Sanch. *num.* 16. Dian. 3. *p. tract.* 6. *reſ.* 1. Azor. *lib. 2. cap. 5. qu.* 3. Stephanus *num.* 63. Similiter poteſt Princeps, vel Generalis acceptare, & indicere duellum, vel proprium, vel aliquorum militum ad infringendos animos hoſtium, & roborandos animos ſuorum, ſi ſibi ad victoriam iudicet neceſſarium, aut conducens : quia eſt pars belli, & ad finem illius multoties conducens : & ſic rationes, quæ illud honeſtare poſſunt (locuti ſumus enim *hoc numero* de bello iuſto) etiam tale duellum licitum reddunt Suar. *diſp.* 13. *de bell. ſect. ult. num.* 9. Caiet. *in ſumm. verb. Duellum in fin.* Sanch. *lib. 2. Decal. cap.* 39. *num.* 15. *&* 16. Valent. *verſ. Talis autem caſus,* Palaus *num.* 15. & apud ipſum Petr. Nauarr. & Conin. Bonac. *loc. cit.*

*Pœna ſtabilita contrà duellantes & eorum fautores.*

42. Sed ad proprium noſtrum inſtitutum accedendo, inquires. Quæ pœnæ impoſitæ ſunt contrà prouocantes ad duellum, illudvè acceptantes ? Reſp. quòd in primis *Trid. ſeſſ.* 25. *de Reform. cap.* 9. excommunicat Imperatores, Reges, aut alios dominos temporales, qui locum ad duellum inter Chriſtianos conceſſerint, & ipſos duellantes, & pugnantium ſpectatores, patrinos, vel quacumque ratione ad id ſuadentes, & Imperatores, aut alios dominos locum concedentes ad duellum priuat dominio, ac iuriſdictione territorij, & ipſos pugnantes, ac patrinos punit perpetuâ infamiâ, & bonorum proſcriptione, & decedentes in duello priuat Eccleſiaſticâ ſepulturâ. Poſteà Pius IV. *in motu proprio* edito anni 1560. eandem excommunicationem indixit, extendendo eam, & reliquas pœnas ad diffidationes inuitantes, procurantes auxilium, vel conſilium, aut fauorem dantes, adſtantes, intereſſentes, & excommunicationis abſolutionem Sedi Apoſtolicæ reſeruauit : deinde Greg. XIII. *in quodam motu proprio* ann. 1582. incipienti *Ad tollendam*, hæc omnia extendit ad duella priuata, etiamſi abſque patrinis, aut prouocatorijs litteris commiſſa

miſſa ſint, & ſtatuit; eadem excommunicatione ligari dominos locorum hæc priuata duella permittentes, aut non prohibentes, & omnes mandantes, inſtigantes, auxilium, conſiliumvè dantes, equum, arma, pecunias, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, comitantes, & ſpectatores ex propoſito. Ac tandem Clemens. VIII. anno 1592. *in alio motu proprio*, incipienti, *Illius vices*, confirmat decretum Trid. & motus propriot Pij IV. & Greg. XV. ubi omnes perſonas enumeratas excommunicat, & in duello morientes priuat Eccleſiaſticâ ſepultura, & ciuitates, oppida, caſtra, vel loca, in quorum territorijs committitur duellum tacitè, vel expreſsè permittentibus, aut tolerantibus dominis, vel Magiſtratibus, interdicto Eccleſiaſtico ſupponit, cuius relaxationem, & abſolutionem excommunicationis Papæ reſeruat.

*Aliqua circà dictas pœnas notantur.*

43. Sed circà has pœnas, & præcipuè excommunicationem: nota 1. Omnes has pœnas præter cenſuras, quæ in eis aſſignantur, indigere ſententiâ ſaltem declaratoriâ criminis, ut incurrantur, ut docent Sanch. *num.* 32. Palaus *num.* 21. Nota ſecundò, non incurrere illas Principes, aut Magiſtratus duellum permittentes inter infideles, ſicut ipſi infideles eas non incurrunt. Et ideò notanter dixit Concilium Tridentinum. *Permittentes Monomachiam inter Chriſtianos*, incurrunt verò illas, ſi tale duellum habitum inter fidelem & infidelem permittant, ut ex motu Clement. VIII. conſtat, ut docet Bonac. *diſp.*2. *quæſt* 6. *punct.*1. *num.*26. Sanch. *num.* 29. Palaus *num.* 20. Nota tertiò, has pœnas, aut excommunicationem non incurrere Principes, aut Magiſtratus, qui ex iuſta cauſa duellum permittunt; licèt aliàs ipſum duellum ſit iniuſtum, & peccent, excommunicenturvè duellantes: nimirum, ſi ad euitandum maius malum, illud permittunt: uti Lupanaria in Republica, ob hanc cauſam iuſtè permittuntur. Caiet. 2. 2. *quæſt.*95. *art.*8. *circà ſol. ad* 3. *& in ſumm. verb. Duellum in fine*, Reginald. *tom.* 2. *lib.* 21. *cap* 7. *num.*75. Sanch. *ſup. num.*30. Palaus *num.*21. Nota quartò, ſpectatores duelli, qui excommunicationem incurrunt, non eſſe quoſcumque illud aſpicientes, quia in Bulla Gregorij XIII. dicuntur ex propoſito ſpectantes; illi nimirum, qui ſocij ſunt, vel ſuâ præſentia acuunt ad pugnam, vel viſione videntur ad pugnam incitare. Caſu verò ſpectantes duellum, quia illac tanſibant, vel à longè, vel in ſecretò, vel alio modo nihil ad acuendam pugnam conducente, nullatenus peccant, aut excommunicantur, ut eſt Doctorum communis ſententia. Nec ſimiliter comitantes pugnaturos animo impediendi duellum: quia ſic non tam ſocij, & adiuuantes dici poſſunt, quam aduerſarij, & contradicentes, rectèque in hoc operantur, & ſic non eſt iuſtum, quod pœnas luant contrà adiuuantes ad duellum ſtabilitas.

*Quomodò duellantes, & conſulentes, & ſpectantes excommunicationem incurrant?*

44. Nota quintò, quòd qui duellum indixit, alterumque diffidauit, ſi ad locum veniat deſignatum, & alter non accedat, non incurrit excommunicationem: ſiquidem Gregorius XIII. ſic in ſuo *Motu* dicit: *Qui ex condicto ſtatuto tempore Monomachiam commiſerunt*; in caſu autem noſtro non eſt Monomachia commiſſa. Quod commune eſt omnibus pœnis propter actum impoſitis, quòd non niſi ſecuto actu incurrantur. Mendoza 2. 2. *diſp.* 170. *sect.* 21. §. 190. Dian. *part.*3. *tract.*6. *reſolut.* 1. *& part.* 2. *tractat.* 16. *reſolut.* 53. Acceptans verò diffidationem, ſtatim ac acceptauit ex Bulla Clementis VIII. excommunicationem incurrit, ſi animo exercendi Monomachiam illam admiſit, ut teſtatur Bonac. *num.*10. Prouocantes verò, conſulentes, patrini, comitantes excommunicationem incurrunt, etiamſi diffidantes ſe ad duellum, illud non commiſerint, niſi per tales conſulentes, aut comitantes ſtet, ut non ſequatur, ex Motu Gregorij XIII. & Clementis VIII. Bonacin. *num.*30. iuxtà impreſſionem Antuerp. Filliuc. *ſuprà num.*103. N. Gabr. *de remedijs ignor. diſp.*12. *dub.*2. at ut conſulentes ſint excommunicati, debet conſilium eſſe efficax, id eſt, inducens de facto, & aliquo modo influens. Si enim non influat, quia aliàs iam erat omninò determinatus, vel quia erat valdè remiſſum nullam ſecum afferens efficaciam, non incurritur excommunicatio iuxtà dicta *cap.*1. *punct.* 12. & docent Bonac. *diſp.* 2. *q.*6. *punct.*1. Dian. 3. *part. tract.*6. *reſol.*1. Si tamen conſulens modis omnibus conetur conſilium reuocare, etſi defacto non reuocet, non incurret excommunicationem propter dicta *loco citat*. & docet Dian. *reſ.*1 *cit.* licèt oppoſitum teneat Bonac. *num.*36.

45. Sed rogabis. Quis poſſit abſoluere ab excommunicatione ob duellum contracta? Reſpondetur, quòd ſi duellum ſit notorium, aut ad forum contentioſum deductum, ſolus Pontifex, vel cui ipſe facultatem conceſſerit: quia eſt reſeruata Sedi Apoſtolicæ à Clement. VIII. Si verò ſit occultum, vel non deductum ad forum contentioſum, poterunt iure ordinario Epiſcopi, iuxtà dicta *cap.*2. *punct.*5. Quæ facultas non eſt reuocata per Clemente VIII. quia in eius *Motu proprio* non exprimitur priuilegium à Concilio Ordinarijs conceſſum, quod erat neceſſarium ut reuocaretur, ut à ſimili dixim. *loc. cit. num.*57. & in præſenti tenet Sanch. *lib.*2. *Decalog. cap.*30. *nu.* 27. *& lib.* 3. *de matrim. diſp.*26. *num.* 7. Barboſ. 3. *par. allegat.* 50. *num.* 120. Enriquez *lib.*7. *cap.*26. *num.*3. Bonacin. *num.*39. Palaus *num.* 19. N. Lezana *verb. duellum n.* 13. quamuis contrariũ ſentire videatur Gabr. à S. Vin. *loc. cit. & de cenſuris diſp* 4. *nu* 325. Virtute Bullæ poſſunt omnes confeſſarij abſoluere ab illa ſemel in vita, & ſemel in morte, iuxtà dicta *cap.*2. *nu.* 82. quia in ea conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus Papalibus, excepta hæreſi: imò, ut ibidem diximus *num.*87. ſi ſit ſecretum, poterunt toties quoties, quia iam non eſt caſus Papalis, cum competat Epiſcopis iure ordinario. Regulares autem vi ſuorum priuilegiorum in Italia extrà urbem, non poſſunt ab hoc excommunicatione abſoluere, propter decretum Congregationis Cardinalium, ex mandato Clementis VIII. circà hoc impoſitum; at verò extrà Italiam poſſunt: quia ſic declaraſſe Clementem VIII. teſtatur Paulus Comitolus *lib.*6. *Moralium quæſt. q.*17. Reginald. *tom.*2. *lib.*21. *nu.*83. Filliuc. *tract.* 15. *cap.*5. *n.*106. Dicaſt. *de iuſtit. & iure, lib.*1. *tract.*1. *diſp.*10. *dub.*15. *n.*238. Lezan. *loc. cit.* Franc. B. Spei *n.*142 Loth. *tr.*6. *art.* 6. *&* 7. fusè & doctè hæc omnia diſcutiens. Dian. 7. *p. tract.*11. *reſ.*45. qui in fine addit ex Bordon. *in conſil. regul. reſol.*6. *n.*13. Sardiniam, Corſicam, & Siciliam non includi decretis Pontificijs latis pro Italia: & ſic in illis poterunt Regulares,

*Qui poſſunt abſoluere à dicta excommunicatione iure ordinario, aut ex priuilegio,*

vi

vi ſuorum priuilegiorum à dicta excommunicatione abſoluere.

## PVNCTVM IV.

### *De excommunicatione ob hæreſim. Quandò incurritur. Et qui ſint ſub illa comprehenſi? Et à quo abſolui poſſint.*

*Quid intelligatur per hæreſim in præſenti.*

46. PEr hæreſim in præſenti ſumimus omnem apoſtaſiam à Fide, & illius deſertionem, ſiue per proprium actum hæreſis, per quem, retento nomine Chriſtiani, & Fide quoad alia myſteria (licèt in rigore, ut eſt Theologica virtus, quia hæc amittitur per quemlibet actum Fidei contrarium) aliquod illius negatur, vel Eccleſiæ determinationi contradicitur, ſiue per Idololatriam, Iudaiſmum, &c. niſi quod eſt diuerſitas quod apoſtaſia ex ſe dicit deſertionem profeſſionis Chriſtianæ quoad omnia illius propria myſteria; hæreſis verò quoad aliqua. At in præſenti, quoad excommunicationem incurrẽdam de omnibus his idem iudicium eſt ferendum; quę nomine hæreſis veniunt, ut inquiunt Sanch. *lib. 2. Decal. cap. 7. n.* 18. Azor. *to. 1. lib. 8. inſtit. Moral. cap.* 21. *quæſt.* 3. Valent. 2. 2. *diſp.* 1. *q.* 12 *punct.* 1. *notab.* 2.

*Hæreſis ſub excommunicatione damnatur.*

47. Conſtans eſt apud omnes Fideles, Hæreticos eſſe ab Eccleſia excommunicatos, ut patet ex *cap. Cum Chriſtus, cap. Ad abolendum; cap. Excommunicamus, de Hæreticis, cap. Nouerit, de ſentent. excomm.* Sed in his iuribus excommunicatio lata non reſeruatur; eſt tamen reſeruata Sedi Apoſtolicæ ex *conſtit. Bullæ Cœnæ, clauſ.* 1. ubi non ſolum excommunicantur hâc excommunicatione reſeruata, Hæretici cuiuſcumque ſectæ; ſed etiam ipſis credentes, fautores, receptatores, defenſores, & qui Hæreticorum libros Hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine licentia Pontificis legunt, retinent, imprimunt, vel defendunt. Quarè in præſenti (omiſſis varijs pœnis contrà Hæreticos, & alios modò enumeratos, in iure ſtatutis) quatuor nobis agenda ſunt. Primum, quid nomine *Hæreſis* intelligatur, ob cuius crimen talis excommunicatio incurritur? Secundum, quis poſſit abſoluere ab excommunicatione ob hæreſim contracta? Tertium, quid intelligatur per credentes, fautores, receptatores, & defenſores illorum? Quartum, qui libri ſint prohibiti, ob quorum lectionem, vel retentionem talis excommunicatio incurritur? Duo priora hoc puncto abſoluentur, & duo poſteriora in ſequenti.

*Aliqua ſupra iam exarata reſumuntur.*

48. Sed circà primum, ne idem multoties repetamus, ſupponendum eſt, quod diximus *cap.* 1. *punct.* 11. quod ad hoc, ut aliquis incurrat excommunicationem ob hæreſim latam, duo requiruntur: & quòd in Intellectu habeat errorem contrà Fidem, & quòd per verba, vel alia ſigna, exteriùs errorem in mente conceptum manifeſtet. Quarè non ſufficit ad illam incurrendam, quod error in intellectu habeatur, niſi exteriùs manifeſtetur: imò, ut ibidem diximus *n.* 142. debet per ſigna ſufficienter exprimentia mentis conceptum manifeſtari. Vndè ſi quis per opus extrinſecum ex ſe indifferens, vel per verba ambigua tantummodò manifeſtaret errorem, excommunicationem contrà hæreſes latam non incurreret. Similiter ſi exteriùs actum hæreticalem exerceat, ſine errore intrinſecè contrà Fidei dogmata concepto, non erit excommunicatus, ut ibidem diximus *nu.* 137. Et cum hæreſis ſit ſolum reſeruata ratione excommunicationis annexæ, poterit ab omnibus his criminibus à quolibet confeſſario abſolui. Quod eſt inter Doctores communiſſimum. Non autem requiritur, ut talis excõmunicatio incurratur, quòd actus exterior Hæreſis manifeſtatiuus alijs innoteſcat, ſeu coram aliquo fiat, quamtumuis enim occultè exerceatur, ſi verè ex ſe eſt manifeſtatiuus erroris in mente concepti, eſt dumtaxat per accidens occultus; ideoque ſubiacet Eccleſiæ iuriſdictioni, & ſic ad incurrendam excommunicationem eſt ſufficiens, ut diximus *loc. cit. n.* 141. *in fine.* Sed ſiue actus ſit occultus, ſiue ſit publicus, & aliquis publicè ut hęreticus habeatur, proindeque ſit excommunicatus, non eſt vitandus ab alijs Fidelibus, quamdiu nominatim denuntiatus non fuerit, ut dixim. *cap.* 3. *nu.* 11. Imò, ut ibidem diximus *num.* 15. Etiamſi declaratus ſit Hæreticus, & ob Hæreſim condemnatus, ſi non denuntiatur excommunicatus, & ut talis declaratur, vitandus non eſt, ut ibidem *ex Concilio Conſtantienſi, & extrauaganti* Martini V. probauimus.

*Definitio Hæreſis proponitur.*

49. His ſuppoſitis, Hęreſis, de quo loquimur, in præſenti, ab electione dicitur, praua quidem: illa videlicèt, qua, relicta vera, probataque doctrina, à proprio iudicio inuenta eligitur. Definiturque, quod eſt *error voluntarius, & pertinax, contrà doctrinam, & veritatem Fidei Chriſtianæ.* Sic Farinacius, *de Hæreſi, quæſt.* 178. §. *In principio* Cano, *lib.* 12. *de locis, cap.* 8. Bonacin *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 1. Suarez, *diſp.* 19. *de Fide, sect.* 1. *num.* 5. *& sect.* 3. *num.* 8. Palaus *tract.* 4. *de Fide diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 5. *& de Cenſuris, diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 2. Omnia verba definitionis conſtant præter illud *pertinax.* Cæterum requiri pertinaciam ad veram, & propriam Hæreſim, habetur *in cap. Dixit Apoſtolus, cap. Qui in Eccleſia* 24. *quæſt.* 3. *& cap. unic. de ſumm. Trinitate, & Clement. unic. eodem tit.* §. 2. Verumtamen talis pertinacia non ſumitur ex duratione, & perſeuerantia per aliquod tempus in hæreſi, nec per hoc quod per repetitos actus habeatur: ſiquidem in uno inſtanti, & per unicum dumtaxat actum, poteſt hæreſis formalis committi. Sed tunc datur contumacia, quando aliquis adhæret propriæ opinioni, videns aduerſari Eccleſiæ doctrinæ, nec eſt paratus ad ſe corrigendum, & emendandum per eam. Non enim pertinax cenſeri debet, uſque dum cognoſcat, aſſenſum ſuum, doctrinæ ab Eccleſia Romana traditæ, contrariari; hâc tamen poſita cognitione, ſi adhuc adhæreat doctrinæ aduerſæ, pertinax eſt, & per Eccleſiam incorrigibilis. Ita D. Thom. 1. *p. qu.* 32 *art.* 4. *in fin. &* 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *ad* 3. Valent. *ibi diſp.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. *diff.* 4. *ad* 2. Sanch. *lib.* 2. *Decal. cap.* 7. *à num.* 2. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *punct.* 5. *num.* 1. N. Gabr. *de fide diſp.* 8. *à num.* 53. N. Anton. *de cenſ. diſp.* 3.

*Qui errat cum ignorantia craſſa, non eſt hæreticus.*

50. Sed circà definitionem traditam duplex eſt nobis difficultas decidenda. Prima, an ſufficienter ad hæreſim contrahendam cenſendus ſit pertinax, qui ex ignorantia vincibili errat circà dogmata Fidei, ignorans eſſe ab Eccleſia definita, paratus tamen iudicium deponere, ſi ſciat per Eccleſiam eſſe contrarium receptum? & quidẽ ſi loquamur de ignorantia culpabili, craſſa, aut ſupina, dummodò affectata non ſit, ut certum iudicamus,

erſantem contrà res Fidei cum tali ignorantia, quamuis peccet mortaliter contrà præceptum, & obligationem ſciendi, quæ ſunt Fidei, non tamen peccare contrà Fidem, ac proinde non eſſe Hæreticum, nec pœnas Hæretici luere, quia ad hoc ut aliquis ſit Hęreticus formaliter, requiritur pertinacia ſita in eo, quod quis teſtimonio, & auctoritati Eccleſiæ opponatur: ſed qui ignorat eſſe ab Eccleſia aliquid definitum (quamuis culpabiliter hoc habeat) paratus corrigi, quando ſciat ipſam contrarium tenere teſtimonio, & auctoritati Eccleſiæ non opponitur: ergò non eſt formaliter Hæreticus. ¶ Nèc valet dicere, quòd in furto, homicidio, & alijs delictis ignorantia ſupina, & craſſa non excuſat, quo minus ſint homicidia & furta formaliter, ſiquidem ut hæc verè ſint talia, non requiritur ſcientia tanquam circumſtantia ex parte obiecti, proindèque abſque illa remanet idem obiectum formaliter, quod conſtituit peccatum formaliter in eſſe talis, ſed ſcientia requiritur in eis, ut ſit voluntarius actus. Quarè cum ignorantia craſſa, aut ſupina non tollat, quo minus actus ſit voluntarius moraliter, totum adeſt, quod requiritur, ut ſit idem peccatum formaliter. At in hęreſi ſcientia requiritur tanquam circumſtantia ex parte obiecti, ex eo quòd ad illam exigitur pertinacia, ſita in eo quòd cognoſcens ſe contrariari Eccleſię doctrinę, adhęret ſuæ opinioni, & ſic per ignorantiam craſſam, aut ſupinam tollitur ratio formalis illius. Ita Bañez *2.2.q.11. art.2.col.3 corol.2.* Aragon, *ibi, q.11. lib.12. de locis, cap.9.col.21. verſ. Illud deinde,* Sanch. *lib.2. Decal.cap.7.nu.20.* Sayr. *lib.2.cap.9.nu.34.* Bon. *n.6.* Palaus *de Fide nu.3.* Azor *tom.1 lib.1.cap.19.q.9. & lib.8. cap.9.q.7.* Enriq *lib.13.cap.17.num.3.lit.Z.* Tolet. *lib.4 cap.3.num.7.*

*Ignorantiam affectatam non excuſare ab hæreſi aliqui aſſerunt.*

51. Sed difficultas eſt, an ignorantia affectata excuſet ab hæreſi, & ab excommunicatione propter illam incurrenda? Eſt duplex ſententia; prima, negatiua. Quam tenet Cano, *loco cit.* Corduba *lib.1. quæſt. q.17. §.7.* Torres, *de Trinitate, quæſt.32.art.4 in 2. part. commentar. aſſert. 1.* Valent. *diſſ.4. in ſolut. ad 1.* Nauarr. *lib.2. de Reſtit.cap.4. dub.9. num.89 in noua editione*, quod probant, quia qui ſic affectat ignorare, errare affectat: ſed quicumque affectat errare, vult Eccleſiæ contradicere: ergò hæreticus eſt formaliter: 2. quia ignorantia affectata peccatum non minuit, ſed auget, æquiualetque ſcientiæ in quacumque materia: ergò non minus erit Hæreticus, qui cum illa errat, quàm qui errat abſque illa. ¶ Adhæret huic ſententiæ ex parte Sanch. *loc.cit.nu.32. &* Bonac. *num.7.* quatenus aſſerunt, quod licèt ille, qui affectat ignorare vel ex tædio ſciendi, vel ut liberius peccet, non ſit Hæreticus; ille verò, qui ex eo affectat errare, quod parui pendet Eccleſiæ auctoritatem, verè eſt Hæreticus, eò quod paratus non eſt ab Eccleſia corrigi. Similiter. Qui affectat ignorare ex affectu liberius errandi, error eius eſt maximè voluntarius, & ſic ad Hæreſim ſufficiens. ¶ Cæterum hæc, quæ à Sanch. & Bonac. afferuntur, ſolùm probant, eſſe quidem Hæreticum, qui affectat ignorare, quæ ab Eccleſia traduntur, ex eo quod parui pendat Eccleſiæ auctoritatem, quia cum ſcientia Eccleſię auctoritatem contemnit, non quia cum dicta ignorantia contrà veritates illius errat. Similiter. In ſecundo caſu ſolum ſequitur eſſe Hæreticum, qui ex affectu liberius errandi affectat ignorare res Fidei, quia qui ſic affectat errare, iam ſcit ſe errare, & ſic ex parte eſt Hæreticus, non quia errat contrà res Fidei, quas ignorat.

*Verius eſt, ignorantiam affectatam ab hæreſi excuſare.*

52. Quarè dicendum eſt cum ſecunda ſententia, quamlibet ignorantiam, etiam affectatam, quæ eſt cauſa erroris, excuſare à crimine Hæreſis, quia qui neſcit Eccleſiam eſſe ſibi contrariam, undecumque talis ignorantia proueniat, verè Eccleſiæ non contradicit: ergò non eſt pertinax aduerſus doctrinam Eccleſiæ, ſicut ad Hæreſim requiritur. Et ideò cum hoc errore compatitur voluntas ſe corrigendi, quando ſciat ſuam opinionem ab Eccleſia contradici, quia ideò affectare poteſt neſcire, ne ab Eccleſia corrigatur; in quo ipſi Eccleſiæ virtualiter ſubijcitur. Ita Bañez *art.2.verſ. Sed quæret quis,* Aragon *ibi art.1.* Ledeſ. *2.com.ſumm.tr.1. cap.6.poſt 4.concl.diff.2.* Sayr. *nu.20* Palaus *de Fide, diſp.3.punct.2 n.3* Conin. *diſp.18. de Fide, dub.7. concl.4 & 5.* Suar. *diſp.19. de Fide, ſect.3.nu.18.* N. Gabr. à S. Vinc. *diſp.8. nu.73. & in ſummâ morali verbo, Hæreſis.*

*Soluuntur contraria argumenta.*

53. Ad argumenta contraria reſpondetur: ad primum, quod qui affectat errare, Eccleſiæ contradicit indirectè; directè verò obligationi, quam habebat ſciendi, ex cuius omiſſione ſequitur errare. Ad hoc autem ut eſſet Hæreticus, debebat Eccleſię determinationi, directè eſſe contrarius ¶ Ad ſecundum ſimiliter dicimus, aggrauare peccatum negligentiam ſciendi, quæ debebat, vel omiſſionis adimpletionis præcepti ad talem ſcientiam, ipſum obligantis, non vero errorem Hęreſis, quę abſque tali ſcientia non datur, nec in ordine ad illam, vel ad quemcumque actum formaliter ex parte obiecti exigentem illius notitiam: ignorantia affectata æquiualet notitiæ, ſed in ordine ad alios actus, qui ſolum ad rationem voluntarij talem ſcientiam requirunt, ut diximus *num.50.*

*Duplex modus dubitandi circà res Fidei, qui hæreſim non conſtituunt.*

54. Secunda difficultas eſt: an dubitans circà res Fidei hæreticus ſit, & pœnas hæreticorum, ac proinde excommunicationem incurrat? Reſp. multipliciter poſſe tale dubium eſſe, & iuxtà diuerſitatem dubij, diuerſimodè debemus Philoſophari: 1. enim poteſt quis involuntariè dubitare, quia ſuggeſtionibus dæmonis agitatus patitur tentationes, & dubitationes circà res Fidei. Hinc minimè eſt hæreticus, nec tales dubitationes inſurgentes Fidem infringunt; ſed potiùs ad agonem à Deo permittuntur, & eſt ſignum te minimè eis acquieuiſſe, quandò tædio, ac dolore afficeris ſtatim ac inſurgunt, vel proximè ac diſcedunt: nam qui hæreticè illis aſſentiretur, minimè ſtatim angeretur, propter talem aſſenſum: vel ſi proximè ac diſcedunt, vel quandò illis agitatus times, te eſſe hæreticum, & putas te in hæreſim incidiſſe, illis aſſentiendo: nam qui ut hæreticus aſſentitur, ſe hæreticum non iudicat: & ideò qui ſe hæreticum putat illis aſſentiendo, verè non adhæret illis hęreticè. ¶ 2. Si quis ſuſpēdat omninò iudicium, dum agnoſcit ſe tentari contrà Fidem, tunc licèt non habeat actualem aſſenſum Fidei, non eſt hæreticus, aut dubius in Fide: quia non ſuſpendit iudicium, eò quod non fidat motiuo Fidei; ſed ut ſic facilè poſſit tentationes contrà Fidem, quibus agitari ſolet, ſuperare, quod quidem facit prudenter ceſſando penitùs ab omni cogitatione circà Fidem, & occupando ſe alijs negotijs, vel alijs cogitationibus animum diuertendo.

55. Ter-

*Qui eſt dubius vel opinans, poſitiuè circà res Fidei, eſt hæreticus.*

55. Tertio modo poteſt dubitare: nimirum, ſi utriuſque partis rationibus perpenſis, poſitiuè iudicat rem ſub dubio eſſe. Et talis proculdubio eſt hæreticus, quia præter dubium habet iudicium intellectus determinatum, quo affirmat rem Fidei non eſſe certam, ſed dubiam: quod eſt hæreſis; & hoc ſenſu intelligendus eſt textus in *cap. 1. de hæreticis*, ibi: *Dubius in Fide infidelis eſt*; ille nimirum, qui per actum reflexum iudicat poſſitiuè, rem Fidei dubio ſubiacere. Ita Sanch. *lib. 2. Decalogi, cap. 7. num. 12.* Bañez *col. 2. verſ. Reſpondetur, quòd ſicut*, Vaſq. 1. 2. q. 19. *art. 6. diſp. 65. cap. 1. num. 4.* Bonac. *num. 3.* Valent. *punct. 1.* Palaus *num. 9.* Gabr. à S. V. *de fide diſp. 8 nu. 5. & in ſumma.* ¶ Idem dicimus de opinione, quod ſi modo dicto, aliquis iudicium opinatiuum, circà res Fidei formaret, hic eſſet verè Hæreticus, quia aſſenſus opinativus de aliquo, ita iudicat eſſe verum, ut poſſit eſſe falſum; dicere autem dogmata Fidei poſſe eſſe falſa eſt Hæreticum: ergò, &c. Ita D. Thom. 1. *part. quæſt. 32. art. 4. in corp.* D. Auguſtin. *lib. 8. de Trinitat. cap. 5.* his verbis: *Itaque ſalua Fide, licèt dicere* (loquitur de Beatiſſima Virgine) *fortè talem habebat faciem, fortè non talem, fortè autem de Virgine natus eſt Chriſtus, nemo ſalua Fide Chriſtiana, dixit.* Ita Sanch. Bonac. Palaus *locis citatis* Aragon. 2. 2. *q. 11. art. 2. dub. 2.* Caſtro *lib. 1. aduerſus Hæreſ. cap. 10.* Azor. *tom. 2. lib. 8 q. 9. cap. 6.*

*Qui dubius eſt negatiuè non eſt Hæreticus.*

56. Quartò modo poteſt aliquis dubitare circà res Fidei, quandò intellectus utriuſque partis rationibus perpenſis, ſuſpendit iudicium, & pendulus manet, ſinè eo quod poſitiuè, dubiam rem eſſe iudicet, ſed negatiuè ſe habendo ad utramque partem. Et hoc modo probabilius iudicamus non eſſe talem hominem Hæreticum, quia iuxtà doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæſt. 11. art. 2. ad 3.* de ratione Hæreſis eſt electio pertinax doctrinæ contrariæ Fidei, ſed qui modo dicto dubitat, nullum habet aſſenſum doctrinæ Fidei contrarium, ſed pendet, & ſuſpenſus manet: in quo licèt aliquam Fidei irroget iniuriam, quia non videtur illi omninò fidere, cum refugiat circà illam aſſenſum præbere in occaſione, quà ſibi circà illam iudicare proponitur; verè tamen Hæreticus non eſt, quia ſicuti ut ſit Fidelis, non ſufficit, quod iudicium ſuſpendat, & pendulus maneat, ſed debet aſſenſum præſtare poſitiuum: ita, ut ſit Hæreticus, cum Hæreſis ſit Fidei poſitiuè contraria. Ita Sanch. *lib. 2. cap. 7. num. 12.* Canus *lib. 12 de locis Theologicis, cap. 9. col. 9. verſ. Conuerſantur autem*, Becan. *in ſumma par. 2. cap. 14. quæſt. 2. num. 9.* Dian. 2. *part. tract. 16. reſol. 55.* qui citat Tannerum 2. 2. *diſp. 1. quæſt. 8. dub. 9. num. 109.* Portel *in addit. ad Dubia Regul. verb. Hæreſis, num. 4.* Puteanum *in 2. 2. quæſt. 11. art. 2. dub. 2.*

*Quandò Hæreſi non eſt annexa excommunicatio, non eſt reſeruata.*

57. Sed iam ad poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione ob Hæreſim contracta deueniamus: circà quod plura diximus *cap. 2. punct. 4. & 5.* Sed nunc eſt aduertendum, quod ſi alicui Hæreſi, ex aliquo capite non eſſet annexa excommunicatio, vel ſi eſt annexa iam eſt ablata per abſolutionem, etiam extrà Sacramentum impenſam, quilibet Confeſſor ab Hæreſi abſoluere poteſt, quia hoc crimen ſolum eſt reſeruatum, ut eſt excommunicationi coniunctum. Ita Sanch. *lib. 2. Decalogi, cap. 8. nu. 5. in fine, & cap. 11. nu. 3.* Palaus, *de Fide, diſp. 4. punct. 1. in initio.* Quod maximè eſt notandum, pro ijs, qui cum ignorantia talis excommunicationis, in illud incidunt, quia, ut diximus *cap. 1. n. 193.* etiamſi aduertatur ad malitiam actûs; ſi tamen inuincibiliter ignoratur cenſura illi annexa, non incurritur.

*A quibus poſſit, vel non poſſit abſolutio huius excommunicationis impendi.*

58. Ex dictis *cap. 2. num. 88.* conſtat, non poſſe virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi, aliquem ab hac excommunicatione abſolui. Et *num. 76.* diximus, non poſſe Prælatos Regulares, ex vi ſuorum priuilegiorum, hanc abſolutionem ſubditis impertiri: & *num. 45.* poſſe quemlibet Sacerdotem in articulo mortis ab ea abſoluere; ac tandem ibi *nu. 53. & 56.* diximus, poſſe Epiſcopum ab ea abſoluere, ſi fuerit ſecreta, nec ad forum contentioſum deducta (ſed hoc attenta conceſſione Concilij Tridentini niſi hæc per Bullam Cœnæ vel per decretum Alexandri VII. eſſet reuocata, ut ibidem diximus, ſicut reuocatam aſſerit cum alijs N. Gabr. *de cenſ. diſp. 1. à num. 364. & de remedijs ignor. diſp. 12. dub. 3.*) quam facultatem habere Capitulum in ſede vacante affirmat Sanch. *lib. 2. cap. 11. num. 4.* At verius dicendum eſt; non habere illam: nam nec per Vicarium ab eo conſtitutum poteſt: cum hoc etiam ipſis Epiſcopis denegetur, quod per Vicarium poſſint ab Hæreſi abſoluere, ſed per ſeipſos: nec per ſeipſum, quia ad hoc debebat crimen Hæreſis à toto Capitulo integrè cognoſci: at delictum à toto Capitulo cognitum iam non eſt occultum: ergò, &c. Suarez *tom. 4. de Pœnitentia diſp. 30. ſect. 2. num. 4.* Palaus *de Fide, diſp. 4. punct. 3. §. 2. num. 3.* Petrus de Ledeſm. *poſt vigeſimam concluſ. diff. 5.*

*Qualem Epiſcopi Belgij authoritatem habeant, eorumque Vicarij abſoluendi ab hæreſi, etiam manifeſtâ, latè reperies apud P. Loth. tract. 1. art. 7. & ſeq. ubi plura.*

¶ Abbates verò iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, nomine Epiſcopi veniunt, in conceſſione talis facultatis, ad abſoluendum ab Hæreſi, quia hæc poteſtas ad iuriſdictionem pertinet, non ad conſecrationem: & ſic Epiſcopi electi, & confirmati, nondum conſecrati illâ funguntur reſpectu ſuorum ſubditorum: ſed tales Abbates habent iuriſdictionem ſicut Epiſcopi, & ſolum in conſecratione differunt ab illis: ergò nomine Epiſcopi veniunt in tali conceſſione. Ita Enriq. *lib. 6. cap. 6. num. 1.* Sayr. *lib. 6. cap. 11. nu. 83.* Auil. 7. *part. diſp. 10. dub. 6.* quatenus generaliter loquuntur, poſſe ab omnibus, à quibus Epiſcopi, abſoluere: ſed ſpecialiter loquendo de Hæreſi, Sanch. *lib. 2. cap. 11. num. 5.* Manuel Rodriguez 2. *tom. cap. 10. num. 9. concl. 6.* Palaus §. 2. *num. 4.*

An verò Regulares poteſtatem habeant vi ſuorum priuil. abſoluendi ab hæreſi occulta negat N. Gabr. *de remedijs ignor. diſp. 12. dub. 4.* hanc ab Alexand. VII. propoſitionem damnatam diſcutiens: *prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.*

*Inquiſitores ab Hæreſi abſoluere poſſunt.*

59. Inquiſitores autem Hæreticæ prauitatis pro foro externo habent facultatem abſoluendi ab Hæreſi, ut habetur *in cap. Vt officium, de Hæreticis in 6.* & in pluribus Bullis Pontificijs, in fauorem illorum expeditis: ſed talis abſolutio Hæretico fictè conuerſo, ab ipſis impenſa, cuius fictio lateret abſoluentem, inualida eſſet; ita ut ſi poſteà verè pœniteat: non poſſit à quolibet abſolui confeſſario, quia non intendit niſi iam fidelem abſoluere, ille autem infidelis eſt, Sayr. *to. 1. li. 2. cap. 21. n. 26. & 27.* Palaus *n. 5.* Enriq *lib. 13. cap. 30. n. 3. & 4* Suar *diſp. 21. de Fide, ſect. 4. n. 19* ſed pro foro externo valida erit, & ſic nõ indigebit abſolutione iudiciali: ſed Inquiſitor ſolus coram Notario, & teſtibus,

teſtibus, poterit eum abſoluere, quia iam pro foro externo, & quoad ſolemnitates illius manſit abſolutus. Sed quid dicendum eſſet, de eo, qui confeſſus eſt ſe in Hæreſim lapſum, ſed non quoties, vel ſe contrà Fidem deliquiſſe, ſed non aſſerendo, an per Iudaiſmum, Hæreſim, vel utrumque ſimul, vide, quæ dicta ſunt, *cap.2.num.32.*

*Si in foro externo abſoluant, valet pro foro conſcientia.*

60. Hic ſolum reſtat difficultas: An facultas, quam habent Inquiſitores abſoluendi ab Hæreſi proſit pro foro conſcientiæ? Et non loquimur de facultate abſoluendi, in utroque foro, causâ cognitâ, quia ſic certum eſt poſſe, ut notat Sanch. *lib. 2. cap.12. num. 1.* ſed an poſſit abſoluere in foro conſcientiæ, quandò Hæreticus occultus, non delatus coram ipſis, ſecretò illis ſuam Hæreſim confitetur? Negat Sanch. *loco cit. num.3.* Palaus §.3.*num.*1. Farinacius *de Hæreſi q.*192. *n.*54. Soarez *nu.*11. Barboſa *2.part. de Poteſtate Epiſcopi, alleg.4.num.*28. quia facultas Inquiſitoribus conceſſa ſolum eſt pro foro externo; eo quod Inquiſitorum munus ſolum eſt delicta inquirere, & delinquentes in foro externo caſtigare.

*Solum pro foro conſcientia poſſunt Inquiſitores ab Hæreſi abſoluere.*

61. Cæterum probabilius iudicamus, poſſe Dominos Inquiſitores modo dicto in foro conſcientiæ Hæreticos abſoluere. Hanc partem eligimus, quia conformior eſt Eccleſiæ pietati, quæ non potuit non prouidere de aliquo remedio, non nimis rigido pro delinquentibus, qui ad eius gremium redire volunt, ut poſſit eos lucrari, ſi autem quis cogeretur ſuum crimen occultum, vel non ad forum deductum contentioſum coram Tribunali Inquiſitionis iudicialiter confiteri, coram Notario, & teſtibus, duriſſimum eſſet remedium, à quo plures deterriti à recto itinere aberrarent. Probatur ergò, Inquiſitores hanc facultatem habere, quia in Bulla Clementis VII. edita anno 1530. quæ incipit. *Cum ſicut.* Et habetur apud Pegnum *in Directorio Inquiſition.* Inter Bullas illius Pontificis, Pontifex concedit Inquiſitoribus, facultatem abſoluendi extraiudicialiter, Hæreticos occultos, ſi ad cor conuerſi pœnitentes, id humiliter petierint, poſtquàm Hæreſim abiurauerint, & iuramento promiſerint, à tali Hæreſi prorſus abſtinere: ergò pro foro conſcientiæ, quia id denotat illud aduerbium *extraiudicialiter*, aliàs ſi coram Notario, & teſtibus deberet talis abſolutio impendi, quid de nouo concederet Pontifex pro delictis occultis? Cum ſic etiam à publicis poſſent abſoluere. Et quamuis talis conceſſio directa ſit ad Inquiſitores Ordinis Prædicatorum pro Lombardia; at conſuetudine introductum eſt, eam ad omnes extendi, quia, ut probat Pegna 3. *part. Directorij, quæſt.* 109. priuilegia, quæ à Pontificibus conceduntur ſpecialibus Inquiſitoribus, ad omnes diriguntur, ex *cap. Vltimo, de Hæreticis in 6. Clementina 1. de Hæreticis:* Nec talis conceſſio eſt reuocata per Bullam Cœnæ, ut probat Bañez 2.2.*quæſt.*11.*art.*4. *dub.* 2. *poſt tertium argum. contra 2. concluſ.* quia conceſſa fuit in fauorem Officij Inquiſitoris, non ipſorum delinquentium.

*Tria, quæ ex dicta ſententia inferuntur.*

62. Concluſionem traditam *præced. num.* tenent Bañez *loc. cit.* Viuald. *in Candelab.* 3. *part. de Abſolutione, num.*1. Manuel Rodriguez *in Bullam Cruciatam*, §.9. *nu.*20. *in fine*, Nauarr. *lib.*5. *conſiliorum, tit. de Priuilegijs, conſil.* 11. Gutierr. *Canonicar. qq. lib.*1. *cap.*13. *num.*7. Enriq. *lib.*6. *de Pœnitentia, cap.*7. *num.*3. Graffis 1. *part. deciſion. libr.* 2. *cap.*9. *num.*5. Tolet. *lib.* 4. *ſumm.æ cap.*4. *num.* 5. & ſupponit Azor. *libr.* 8. *cap.* 19. *quæſt.* 5. & probabilem dicit Sanch. *lib.* 7. *cap.*12. *num.*3. & ex hac ſententia tria inferri optimè dicit. Primum, poſſe quemlibet Inquiſitorum priuatiuè hanc impendere abſolutionem, & non ſolum Tribunal, quia forum conſcientiæ non in publico, & coram alijs eſt exercendum. Secundum, poſſe Inquiſitorem hanc facultatem cuilibet Sacerdoti delegare, quia ipſis competit iure Ordinario ex vi muneris, & officij. Tertium, poſſe Inquiſitorem non Sacerdotem hanc abſolutionem pro foro conſcientiæ impendere, quia non ſolum pro foro conſcientiæ, & Sacramentali deſeruit, ſed pro foro conſcientiæ, & coram Deo; ſicut eam poſſe concedere, non audita confeſſione, nemo dubitat: Quod eſt familiare reliquis cenſuris, ut etiam extrà confeſſionem auferri queant. Quarè hac abſolutione recepta ab Inquiſitore non Sacerdote, poterit Hæreticus à quocumque confeſſario abſolui, quia iam ablata eſt reſeruatio iuxtà ea, quæ *num.*51. diximus.

## PVNCTVM V.

*Qui intelligantur per credentes, fautores, receptatores, defenſores Hæreticorum? Vbi etiam qui libri Hæreticorum legi, aut retineri, ſub excommunicatione prohibeantur?*

*Qui dicantur credentes Hæreticorum?*

63. QVia *in puncto præcedenti* diximus, hos omnes ſub excommunicatione Bullæ Cœnæ in prima clauſula contineri; ideò de illis ſingulariter agere modò, opere pretium duximus. Inquires igitur primò. Qui dicantur Hæreticorum *credentes*? Reſpondetur, quòd omnes illi, qui eorum errori aſſentiunt, ſiue in communi, ſiue in particulari, ſiue expreſſè, ſiue in confuſo, dummodò conſenſus ſignis externis manifeſtetur: undè verè ſunt Hæretici, & ſub excommunicatione Bullæ aduerſus Hæreticos comprehenſi, ſed maioris declarationis gratiâ ſub hoc nomine *credentes* expreſſi ſunt. Ita Sanch. *lib.*2. *Decal. cap.* 10. *num.*2. Bonacin. *diſp.*2. *quæſt.*5. *punct.*3. *num.* 2. Palaus *de Fide, tract.*4. *diſp.* 3. *punct.*5. *num.*1. & *de cenſuris, diſp.* 3. *punct.*2. *num.*4. Suar. *de cenſuris, diſp.* 21. *ſect.*2. *num.*6. & *de Fide, diſp.* 28. *ſect.*1. *num.* 1. Toletus *libr.*1. *cap.*14 *à num.*5. Ideoque qui credit, & dicit, Hæreticum talem rectam Fidem habere, etiamſi in particulari de illius errore non cogitet, dicitur *credens* in communi: & in confuſo dicitur Hæretico *credens*, ſi dicat credere, quidquid Hæreticus credit: & uterque excommunicationi contrà *credentes* latæ ſubiacet: & etiam ille, qui animo aſſentiendi illius erroribus ipſius audit prædicationem, aut ſcripta illius legit. Ita etiam N. Anton. à Spiritu S. *in direct. confeſſ. tract.*12. *diſp* 3. *ubi hæc & ſequentia examinat.*

*Quis dicantur Hæreticorum fautor.*

64. Inquires ſecundò. Qui dicantur *Hæreticorum fautores*? Reſpondetur, hoc nomen eſſe commune ad receptatorem, & defenſorem: qui enim quomodocumque fauorem Hæretico præſtat in cauſa Fidei, dicitur fautor illius, ut ſi recipiat hoſpitio, quomodò coincidit cum receptatoribus, ſi defendat, ne in iudicio, vel extrà puniatur, & ſic cum defenſoribus conuenit.

Præter

Digitized by Google

Præter hoc dupliciter poteſt aliquis eſſe Hæreticorum fautor, omiſſione, & commiſſione: omiſſione fautor eſt Hæretici, qui cum teneatur capere, vel iudicibus indicare, quia ab ipſis interrogatur, & non indicat, ſed veritatem celat, vel ſi captum ſuæ curæ commiſſum non cuſtodiat diligenter, vel non puniat eum, qui ſibi committitur puniendus. Vndè Magiſtratus, & aliæ perſonæ publicæ: qui requiſiti ab Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, negligunt Hæreticos capere, captoſvè diligenter cuſtodire, excommunicatione ligantur. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 11. Alterius *libr.* 5. *diſp.* 5. *cap.* 5. Villalob. *tract.* 17. *diff.* 20. *num.* 7. Filliuc. *tract.* 16. *cap.* 2. *quaeſt.* 6. Vivald. *in expoſitione Bullæ Cœnæ num.* 4. ¶ Commiſſione eſt fautor Hæretici, qui vel verbis laudat eum, affirmans eſſe hominem probum, iniuſtèque damnari, qui conſulit, ut errores celet, condemnationem effugiat, fugientemque domo occultet, vel auxilium, ut fugiat, præbet. Imò etiam reſpectu mortui fautor hæretici dici poteſt, ſi in loco ſacro ſepeliat, ſi interrogatus à iudicibus ad illius delicti Inquiſitionem veritatem occultet, vel talem Inquiſitionem aliqua viâ impediat, Sanch. *nu.* 17. Suar. *de Fide*, *diſp.* 24. *ſect.* 1. *num.* 6. Palaus *num.* 6.

*Quis receptator dicitur Hæreticorum?*

65. Inquires tertiò. Quis Hæreticorum dicatur *receptator*? Reſpondetur, illum dici receptatorem Hæretici, qui ſciens eſſe Hæreticum, & ob cauſam Hæreſis fugere, vel ſe abſcondere, hoſpitio recipit, vel in domo propria, vel aliena, de ipſius diligentiâ, vel in agro, vel in ciuitate, vel in alio loco, ſiue hoc publicè, ſiue ſecretò faciat, & etiamſi ſemel dumtaxat id efficiat, quia licèt *receptator* grammaticaliter videatur ſonare frequentiam, aut actus repetitionem ſecundum communem Doctorum intelligentiam pro eo, qui una vice modo dicto Hæreticum recipit, ut tradunt Alter. *diſp.* 2. *cap.* 4. Filliuc. *nu* 34. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 10. Suar. *num.* 4. Pegna 2. *part. Directorij*, *quaeſt.* 51. *comment.* 76. Palaus *num.* 4. *& de cenſuris*, *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 5. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. Anton. à Spir. S. *num.* 438. Nec obſtat, ad hoc ut non poſſis Hæreticum recipere ſub pœna excommunicationis, quòd ille non ſit denuntiatus. Quia non prohibetur talis receptio, ne communicet cum eo, ſed ne cauſam Hæreſis faueat, quod verè facit, qui Hæreticum ob cauſam Hæreſis fugientem hoſpitio recipit. Imò licèt ipſe Hæreticus ob ignorantiam non eſſet excommunicatus, qui modo dicto hoſpitio reciperet, excommunicationi ſubiaceret, quia ſemper verificatur, ipſum Hæretico fauorem receptionis præſtare, ut inquit Suar. *diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 6. Quem refert, & ſequitur Bonacin. *diſp.* 2. *quaeſt.* 5. *punct.* 3. Duard. *in Bullam, Canon.* 1. *quaeſt.* 3.

*Quis dicatur defenſor Hæreticorum?*

66. Inquires quartò. Quis dicatur Hæretici *defenſor*? Reſpondetur, dupliciter dici aliquem Hæretici defenſorem. Primò, illius errores defendendo, pro eis argumenta faciendo, vel ſoluendo obiectiones oppoſitas, aut verbis, vel ſcriptis laudando, etiamſi interius non aſſentiatur eius erroribus. Secundò, defendendo ipſius perſonam, ne capiatur à iudice ob cauſam Hæreſis, vel captum aliquâ viâ liberãdo, vel impediendo, ne à iudicibus puniatur, muneribus, minis, dolo, vi vel potentia. Diximus, *ob cauſam Hæreſis*, ſi enim ex alia cauſa eum defendat, v.g. ne propter furtum, aut homicidium à ſatellitibus comprehendatur, ne à latrone, vel alia perſona particulari feriatur, aut damnificetur, non dicitur Hæretici defenſor, nec pœnas contrà defenſores Hæreticorum impoſitas luet. Ita Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 6. Farinac. *q.* 182. *n.* 68. quem refert, & ſequitur Palaus *punct.* 5. Suar. *diſp.* 24 *de Fide*, *ſect.* 1. *nu.* 5. N. Anton. *nu.* 449.

*Qui non animo fauendi hæreſim Hæreticum defendit, verum eſſe excommunicationis aliqui aſſerunt.*

67. Sed circà omnes iſtos duplex occurrit difficultas denodanda. Prima, an ut aliquis dicatur fautor, defenſor, & receptator Hæretici, requiratur, quòd id faciat animo fauendi Hæreſim? An verò, qui ex alio motiuo id facit, excommunicationem, & aliàs pœnas incurrat, nimirum, qui id facit, quia eſt amicus, quia conſanguineus, & quia ab eo eſt ſubornatus, ut ſi muneribus, aut promiſſis inclinatus id faciat, vel ex alio motiuo prauo, vel indifferenti, tametſi illius Hæreſim deteſtetur; & non habeat intentionem fauendi talem errorem? Duplex datur ſententia circà hanc difficultatem. Prima aſſerit, fauentem, recipientem, vel defendentem Hæreticum in cauſa Hæreſis, incurrere excommunicationem, etiamſi Hæreſim deteſtetur, & animum non habeat fauendi talem errorem, ſed ex quocumque alio motiuo ducatur, quia intentio legis talem pœnam ſtatuentis eſt, quòd nullus aliquid faciat, quòd proximè in fauorem Hæreſis redundet: at talis receptio, vel auxilium, licèt non fiat ex motiuo fauendi Hæreſim, ſed vel ex amicitia, conſanguinitate, vel auaritia, verè, & proximè redundat in fauorem Hæreſis: ergò hoc modo receptatores, aut defenſores excommunicationi ſubiacebunt. Sic Toletus *in excommun.* 1. *Bullæ Cœnæ*, *num.* 2. *&* 23. Sayr. Suar. *de Fide*, *diſp.* 14. *ſect.* 1. *nu.* 7. Palaus *de cenſuris*, *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 5. *& de Fide*, *tract.* 4 *diſp.* 3. *punct.* 5. *num.* 9. Sanctarell. *tract. de Hæreſi*, *cap.* 12. *dub. unic. num.* 4.

*Verius eſt non incurrere excommunicationem, qui ſic Hæreticum defendunt.*

68. Sed verior eſt ſententia negatiua, quæ aſſerit non incurrere excommunicationem, qui non animo fauendi Hæreſim, ſed ex alio motiuo defendit, recipit, vel fauet Hæreticum, etiamſi in cauſa Fidei procedat, quia hæc excommunicatio non incurritur niſi à receptatore, vel defenſore Hæretici, quatenus Hæreticus eſt formaliter, quia niſi hoc modo illi faueat, aut defendat, verè non eſt fautor illius, ſicut non ſunt receptatores latronum, qui quomodolibet occultant, ne capiantur etiam ob cauſam furti; ſed qui illorum furti ſunt participes: ſed qui occultat Hæreticum, ne puniatur, defendit, ne capiatur: quia eſt amicus, vel conſanguineus, vel de ipſo benè meritus; cum tamen illius errores odio habeat, & execretur; non recipit, aut defendit Hæreticum, quia Hæreticus eſt, ſeu Hæreticum formaliter ut talem: ergò non eſt reus excommunicationis contrà fautores Hæreticorum impoſitæ. Et lex imponens talem pœnam ſolum intendit, quòd Hæreticus formaliter ut talis non recipiatur, aut defendatur, aut illi faueatur, taliter quòd proximè in Hæreſim fauor redundet, non verò, quòd non defendatur; quamuis defenſio in fauorem Hæreſis remotè, & ex conſequenti redundet, ut accidit in præſenti. Nam defenſio amici, quia amicus eſt, aut conſanguineus, proximè eſt fauor amicitiam reſpiciens, aut conſanguinitatem; remotè verò, & ex conſequenti, redundat in fauorem Hæreſis. Ita Soto *in* 4. *diſt.* 22. *quaeſt.* 2. *art.* 3 *poſt* 5. *concl.* Aragon. 2. 2. *quaeſt.* 11. *art.* 3. *paulo poſt principium*, Sanch. *lib.* 2.

*Decalog.*

*Decalog.cap.*10. *num.*5. Fagundez *lib.*1. *in Decalogum, cap.*12.*num.*8. Bonac.*diſp.*2.*quæſt.*5.*punct.*3.*num.*2. Axor.*tom.*2. *lib.*8 *cap.*75. *quæſt.*3. Leander alios referens, *tract.*3. *de Bulla Cænæ, diſp.*1.*quæſt.*18. Anton.*num.*438. Ex quo ſequitur, nec parentes reſpectu filiorum, nec filios reſpectu parentum, poſſe licitè eſſe receptatores, aut defenſores illorum in cauſa Hæreſis, & ſi hoc fuerint, incurrent excommunicationem, quia fauere filio, ut hæretico formaliter, & animo fouendi Hæreſim, ſemper eſt intrinſecè malum.

*Si effectus defenſionis non ſequatur, non incurritur excommunicatio.*

69. Secunda difficultas eſt. An qui defendit, aut recipit Hæreticum, incurrat excommunicationem, effectu non ſecuto? V.gr. recipis Hæreticum hoſpitio, ne capiatur, ab Inquiſitoribus, & nihilominus captus eſt, magno conatu procuras, ne puniatur, & nihilominus punitus eſt, faues illi, ut errorem diſſeminet, & nihilominus ipſe de facto illum non diſſeminauit, incurreſne excommunicationem contrà receptatores, aut defenſores Hæreticorum impoſitam? Negatiuè reſpondet. Sanch.*num.*9. Farinac.*num.*102. Bonac.*diſp.*2. *de Fide, quæſt.*1.*punct.*2.*num.*2. *& de cenſuris, diſp.*2, *quæſt.*5.*punct.*3.*nu.*3. Suarez *de cenſuris, diſp.*21.*sect.*2.*nu.*8. Filliuc *tract.*56.*cap.*2.*num.*30. Leand. *tract.*3.*de Bulla Cænæ, diſp.*1.*quæſt.*21. N. Ant.*n.*439 quia excommunicatio primò, & principaliter in Hæreticos eſt impoſita, acceſſoriè verò in defenſores, & receptatores, ut patet ex tenore Bullæ prius excommunicantis Hæreticos, deinde defenſores, & fautores illorum: ſed dum aliquis principaliter excommunicatus, & ex conſequenti mandantes, aut conſulentes, vel fauentes, hi non incurrunt, effectu non ſecuto mandati, conſilij, aut fauoris: ergò ſimiliter in noſtro caſu. ¶ Confirmatur. Quia qui mandat, conſulit, aut iuuat ad occiſionem Clerici, occiſione non ſecuta, non excommunicator: ergò ſimiliter, qui defendit, aut recipit Hæreticum, ne capiatur, illo effectu non ſecuto, non incurret excommunicationem contrà defendentes, aut receptores impoſitam.

*Aliqui oppoſitam tenent, ſed immeritò.*

70. Sed affirmatiuè reſpondet Sayr.*lib.*3.*cap.*5.*num.*4. Duard. *lib.*21.*in Canon.*1.*quæſt.*31.*num.*2. Palaus *de cenſuris, diſp* 3. *punct.*2.*num.*5. *& de Fide, tract.*4. *diſp.*3.*punct.*5.*num.*11. Graff. *lib.*4. *Deciſionum, cap.*18. *num.* 4. quia lex per excommunicationem prohibens, ne Hæretici foueantur, vel defendantur, intendit, ne per talem fauorem Hæreſis foueatur, vel firmiter, ſed qui recipit, aut defendit Hæreticum, quantum eſt ex parte ſua illi fauet, & in Hæreſi firmat: ergò excommunicationem dictam incurret. ¶ Sed hæc ratio nihil probat: ſiquidem qui arma inimico Clerici miniſtrat, ut eum occidat; & qui conſulit aut mandat, quantum eſt ex parte ſua, Clericum lædit, & ſtatum Eccleſiaſticum offendit: quod euitare intendit lex ſub excommunicatione has prohibens actiones; & tamen apud omnes niſi læſio Clerici ſequatur, non incurritur hæc excommunicatio: ergò nec ſimiliter in præſenti. Quarè prior ſententia probabilior videtur, tum propter Auctores, qui illam defendunt, tum propter rationes illius.

*Qui libri ex vi Bullæ Cænæ prohibeantur.*

71. Iam ad ſecundam partem dubij deueniamos, quæ de libris prohibitis interrogat. Sed circà hanc materiam notandum eſt, aliud eſſe dicendum ex vi prohibitionis Bullæ Cœnæ, aliud ex vi aliarum prohibitionum, quæ à diuerſis Pontificibus ſunt impoſitæ: Igitur in Bulla Cœnæ in prima clauſula prohibetur ſub excommunicatione Pontifici reſeruata, ne quis legat, retineat, imprimat, aut quomodolibet defendat libros Hæreticorum, de Religione tractantes, vel Hæreſim continentes ſine licentia Sedis Apoſtolicæ: quod præceptum ad omnes perſonas extenditur quantumuis priuilegiatas, aut in dignitate conſtitutas. Cæterum ex vi huius prohibitionis non tollitur, quod poſſint legi libri non baptizatorum, tametſi Hæreſim contineant, aut de Religione tractent, quia Bulla ſolum de Hæreticis loquitur, & in odium illorum hoc præceptum imponit, ne illorum ſcripta à Fidelibus æſtimentur, aut peruertantur, & ſimiliter non prohibetur quod legantur, imprimantur, aut retineantur libri Catholicorum, qui vel per ignorantiam, vel malitiam Hæreticorum, aliquos habent errores inſertos, propter eandem rationem. Sanch.*lib.*2.*cap.*10.*n.*22. *&* 25. Palaus *de Fide, diſp.*2. *punct.*10.*n.*1 *&* 2. Suarez *diſp.*20. *sect.*2.*n.*11 *&* 13. N. Ant.*n.*450. *& ſeq.*

*Liber manuſcriptus, epiſtola, concio, &c. ſub dicta prohibitione continentur.*

72 Nomine autem libri, qui in dicto decreto prohibetur, etiam manuſcriptus intelligitur, qui verè eſt, & eadem ratio currit in iſto, ut prohibeatur, ac in alijs: nimirum, periculum peruerſionis in legente. Et quia in breui etiam ſcriptura, oratione, concione, quæſtione, epiſtola, eadem ratio periculi peruerſionis currit, hæc omnia ſub prohibitione dicta continentur: quia hæc lex eſt Fidei fauorabilis, & ſic eſt extendenda, quantum verba admittunt, & intentio Legiſlatoris patitur Suar. *ſupr. num.*10. Farinac. *de Hæreſi, quæſt.*180.*num.*31. Quamuis ſit probabilis ſententia negatiua, quam tenent Sanch.*n.*29. Palaus *num.*5. Duard. *lib.*2. *in Canon.*1. *quæſt* 44. *num.*6. Bonac.*diſp.*2.*q.*5.*punct* 4.*num.*18. Anton. *nu.*454. ¶ Sufficit autem, ut ſit liber prohibitus, quòd vel contineat Hæreſim, licèt de Religione ex profeſſo non tractet; vel quòd tractet de Religione ex profeſſo, etſi Hæreſim non contineat, quia diuiſiuè Bulla prohibet librum, unum, vel alterum habentem. Imò etiamſi unam Hæreſim duntaxat contineat, hoc ſufficit, ut prohibitioni ſubiaceat, quia Bulla non dicit, Hæreſes, ſed Hæreſim continentem Bonac.*num.*19. Sanch.*n.*25. Palaus *n.*7. Anton. *n.*450. dicitur autem, librum de Religione agere, ſi tractet de Scriptura Sacra, de Theologia Scholaſtica, vel Morali, de Miſterijs Fidei, de Cultu Dei, vel Sanctorum. Requiritur autem, quòd ex profeſſo de hoc tractet: ſi enim obiter de his agat, ſub prohibitione non continetur, ut tenent Sanch. Bonac. Suar. *&* Palaus, Anton. *citati*.

*Qui libri ex decretis diuerſorum Pontificum ſint prohibiti.*

73. Hæc dicta ſunt, attenta Bulla Cœnæ: cæterum Sixtus V. in quadam Bulla, quæ eſt vigeſima prima, in ordine eius in Bullario, ſub excommunicatione ſibi reſeruata prohibuit legere, retinere, vel imprimere, quemcumque librum à quocumque Auctore compoſitum, de Aſtrologia, ſeu de diuinatione tractantem, quo cognoſci intenduntur futura contingentia, & Clemens VIII. in indice librorum prohibitorum ſub excommunicatione non reſeruata, prohibuit, legere quoſlibet libros Hæreticorum, etiamſi de Religione non tractent, nec Hæreſim contineant, donec expurgentur: ſimiliter, libros Auctorum, qui ſunt de Hæreſi ſuſpecti, qui indigent expurgatione, eo quòd in illis aliquæ Hæreſes admiſceantur, &

Pius

Digitized by Google

Pius V. *in conſtitut.* quæ incipit. *Cùm ſicut accepimus*, prohibuit legere, aut retinere omnes libros, qui indigent expurgatione, à quocumque Authore ſint, donec expurgentur, ſub excommunicatione reſeruata ſibi, vel inquiſitori generali. Vt autem cognoſcatur, qui libri expurgatione indigent, tredecim regulæ in initio expurgatorij ponuntur, ubi videri poterunt. Ac deniquè ſecundùm prohibitionem expurgatorij Romani, ex decreto Tridentini editi, ſub excommunicatione prohibetur legere breues ſcripturas, lectiones, conciones, epiſtolas ab Hæreticis compoſitas, quamuis non contineant Hæreſim, uſque dum examinatæ ſint, & approbatæ.

*Quæ actiones circà prædicta libros prohibeantur?*

74. Actiones, quæ circà dictas ſcripturas tam in Bulla Cœnæ, quàm in alijs decretis prohibentur ſunt lectio, retentio, impreſſio, defenſio, venditio, emptio, & aſportatio, ſed requiritur ad incurrendam excommunicationem, quòd *ſcienter*, fiat, quia ità in Bullis, & decretis habetur, & ideò ſi aliquis ignoraret etiam ignorantia vincibili, imò affectata (iuxtà dicta *c. 8. n.* 199.) librum eſſe Hæretici, aut Hæreſim continere, aut eſſe prohibitum, non incurreret excommunicationem, Sanch. *lib. 1. cap.* 10. *num.* 38 *&* 39 Suar. *diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 16. Palaus, *tract.* 4. *de Fide, diſp.* 2. *punct.* 10. §. 2. *num.* 1. & apud ipſum Farinac. *de Hæreſi, quæſt.* 180. *num.* 43. *&* 44. N. Stephan. à S. Paulo, *de fide diſp.* 8 *dub* 7. Per lectionem intelligitur non ſolum exterior recitatio eorum, quæ in libro continentur, ſed quòd uſu, & mente ſcriptura percurratur, intelligendo quòd legitur. Datur verò paruitas materiæ, quam aliqui aſſignant unam paginam in folio impreſſam. Sed nimis laxa alijs, & meritò, videtur hæc doctrina, prudentiſque iudicio cognoſcenda eſt. Per retentionem prohibitam, intenditur, ne ſint tales libri in rerum natura: & ideò ſi comburantur ab habente illos, non incurret excommunicationem contrà retinentes impoſitam. Qui verò illos retinet velut ſuos, vel etiam alterius, vel apud alium depoſitos conſeruat, excommunicationem non effugiet. Palaus, *num.* 7. Sanchez, *n.* 52 Suarez, *n.* 21. Niſi propter breue tempus eos retineat: quia etiam in retentione paruitas materiæ datur. Hæc latiùs videri poterunt apud Sanchez, Palaum, Bonacinam, Duardum, Suarez, Antonium à Spiritu S. *locis citatis &* Stephanum à S. Paulo, qui plura ad hanc rem breui calamo, more ſuo, perſtingit utilia.

## PVNCTVM VI.

### *De excommunicationibus in Bulla Cœnæ Domini contentis.*

*Breuiter, & curſim de ijs agendum eſt.*

75. EXcommunicationes, quæ contentæ ſunt in Bulla Cœnæ, inter omnes ſunt celebriores: quarum abſolutio reſeruata eſt Summo Pontifici, proindeque Confeſſoribus maximè incumbit earum notitiam habere. Quapropter ad complementum noſtri inſtituti neceſſarium duximus de illis breuiter agere. Ex profeſſo namque de his cenſuris diſputare nouum tractatum, imò nouum volumen depoſceret; & ſic primis labris tantummodò eas prælibabimus, per ſingulas ſuo ordine decurrentes, ut lucem aliquam circà illas præbeamus, Authores grauiſſimos adducentes apud quos ad longum, quid circà eas ſciendum ſit, videri poterit.

### *I. Excommunicatio.*

76. IN Primò Canone, ſeu prima clauſula Bullæ Cœnæ excommunicantur omnes Hæretici, Schiſmatici, & obedientiam Sedi Apoſtolicæ negantes, eorum fautores, receptatores, defenſores, illorum libros legentes, imprimentes, retinentes, vendentes, ementes, defendentes. De quibus omnibus egimus iam duobus præcedentibus punctis.

*Contrà Hæreticos & eorum fautores.*

### *II. Excommunicatio.*

77. IN ſecundò Bullæ Canone excommunicantur omnes, qui à mandatis, vel ſententijs Papæ ad Concilium Generale futurum appellauerint, cuiuſcumque ſint conditionis, gradus; vel ſtatus: & Vniuerſitates, Collegia, vel Capitula, quocumque nomine nuncupentur, qui talem appellationem interponunt, cùm excommunicari nequeāt, quia excommunicatio contrà Communitatem ferri non poteſt, interdicuntur; excommunicātur verò illi omnes, quorum auxilio, & fauore appellatum eſt. Et non ſolù incidunt in hanc excommunicationem, qui à iuſto mandato, vel ſententia appellauerint; ſed etiam qui ab iniuſta, ut rectè probat Suarez, *diſp.* 21. *ſect* 2. *num* 15. Viuald. *in Bulla Cœnæ à n.* 14. Bonac. *diſp.* 2. *q* 3. *punct.* 2. *n.* 10 *Alterius tom.* 1. *lib.* 5. *diſp* 3. *cap.* 4 *quæſt.* 3. Palaus, *in præſenti, diſp.* 3. *punct.* 3 *num.* 1. Dian. *part.* 10. *tract.* 11. *reſolut.* 60. Anton. à Spirit. S. *tract.* 12. *n.* 482. eo quòd talis conſtitutio non fundatur in eo, quòd res, à qua appellatur, ſit talis, ut ab ea appellari non poſſit; ſed in eo, quod per talem appellationem iniuria fit Sedi Apoſtolicæ, nam ſic appellans videtur profiteri, Generale Concilium eſſe ſuperius Summo Paſtore: quòd eſt falſiſſimum; cum Papa ſit ſupra omne Concilium, & Eccleſiam, ſicut ſuprà oues ſuas paſtor earum ſuperior eſt, ut probat D. Thom. (quem Doctores omnes Catholici ſequuntur) *Opuſcul contrà errores Græcorum, capit* 63 Et quia eadem ratio currit in appellantibus ad Concilium Prouinciale, imò urgentior; etiam incidunt in hanc excommunicationē, qui ab ordinationibus Papæ ad illud appellant, tametſi in Bulla de Generali mētio fiat, in quo aliqualis poterat eſſe difficultas. Verumtamen quia in dicta Bulla ſolùm fit mentio de Concilio futuro Generali; ſi quis à mandatis Papæ, ad præſens Concilium, iam legitimè congregatum appellaret, non incideret talem excommunicationem: quia talis appellatio potiùs eſſet ad eundem Papam, cuius authoritate, & conſenſu Concilium, quidquid agit, operatur: eſſetque quaſi prouocatio extraiudicialis, ut re diligentius in Concilio diſcuſſa, ipſe Pontifex grauamen corrigeret, & ſic non eſſet, eum inferiorem Concilio profiteri, Sayr. *lib.* 3 *cap.* 6. *num.* 4. Duard. *in Bullam Cœnæ, quæſt.* 7. *num.* 10. Bonacin. *num.* 4. Dian. *loca citat. & p.* 9 *tract.* 7. *reſol.* 66.

*Contrà appellantes à mandatis Summi Pontificis*

*III. Excommunicatio.*

*Contrà Pyratas, & Latrones maritimos.*

78. TErtià excommunicatio lata eſt aduerſus Pyratas, Curſarios, & Latrones maritimos (qui re ipſa idem ſunt: nam Pyrata Græcè idem eſt, ac prædemarinus. Et ſermone Italico Curſarius marinus vocatur, eo quòd huc, & illuc currat) qui per mare Summi Pontificis currunt, præcipuè à Monte Argentario uſque ad Tarracinam animo deprædandi: nec non aduerſus fautores, receptatores, & defenſores eorum, ut habetur in Bullis Clementis VIII. Pauli V. Sixti V. & Gregorij XIII. Cæterum quia tam in hac clauſula, quam in præcedenti, in Bulla, quæ nunc legitur, conſiliatores non nominantur; ideò illi, qui conſilium ferunt ad tales actiones, huic excommunicationi non ſubiacent; quia ſolùm conſilium præbere, moraliter non eſt ferre auxilium, Sic Suarez, *n.2.* Alterius, *diſp.4 cap.*4. Luyſius *lib.3.diſp.*28.*dub* 1. Cæterum quia Pyratæ dici non poſſunt, niſi illi, qui mare percurrunt animo prædandi principaliter mercatores ſuæ negotiationi incumbentes, vel alij nauigantes. Si interim incidenter, caſu, vel fortuitò in mari aliquos expolient, ſicut Pyratæ non ſunt, dictam excommunicationem non incurrent, ut inquit Toletus, *lib. 1. cap.*20.*num.* 4. Nauarr.*cap.*17 *num.*5.Suar.*num.*16 Luyſius, *dub.* 2.*cit.* Bonacin.*quæſt* 4.*punct.*1.*num* 2.& 3. Palaus, *punct* 4.*num.*2. Antonius, *num.*486. Idem dicimus de illis, qui titulo veri belli, etiam iniuſti, inimicos ſuos armis expoliant, & victualibus ad debilitandos eos, & vires eorum minuendas.

*De quibus Pyratis intelligatur.*

79. Dicta de Pyratis intelligenda ſunt, tum de illis, qui Chriſtianos expoliant: non verò de illis, qui animo deprædandi Turcas, Iudæos, & alios infideles, mare percurrunt, quia ſicut tales infideles non excommunicantur, ſi Chriſtianos deprædari intendant; ita non excommunicantur Chriſtiani, qui illorum deprædatores exiſtunt, cum ſit æquum: æqualitatem ſeruari, tam ex parte offendentium, quàm offenſorum, Suarez, *num.* 21. Alterius, *c.3.cit.dub.*1. Toletus, *num.* 6. Bonacin. *num.*10. Palaus, *num* 6. Anton. *n.*491. Tum etiam de illis ſolùm, qui diſcurrunt mare Sedis Apoſtolicæ, vel alterius Principis, cuius ex ditione facilis ſit tranſitus ad mare, quòd Pontifici ſubeſt: quia in Bulla Clementis VIII. & Pauli Quinti, dicitur: *Excommunicamus* Pyratas, &c. *diſcurrentes mare noſtrum, præcipuè à Monte Argentario uſque ad Tarracinam.* Vndè ſolùm comprehendit Pyratas, qui diſcurrunt mare, quòd alluit terras Pontifici immediatè, vel mediatè ſubiectas, ut eſt mare Tyrrhenum, & Ionicum, & Adriaticum, quòd alluit Regnum Neapolitanum, Siciliam, Sardiniam, Corſicam, mediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiecta: præcipuè tamen illas terras, quæ Sedi Apoſtolicæ ſubijciuntur, ut ſunt quæ iacent inter Montem Argentarium, & Tarracinam, Tolet. *num.* 5. Duardus, *Canon.* 3. *quæſt.* 3. Palaus, *num.* 3. Bonacin. *n.* 4. Filliuc. *tract.* 16 *num.*75. N. Ant. *n.*487. Cæterùm ad incurrendum hanc excommunicationem ſufficit, quod Pyratæ incipiant diſcurrere dictum mare, etiamſi non ſequatur prædatio re ipſa: quia in Bulla Clementis VIII. & Pauli V. ſola actio diſcurrendi mare hoc animo ſub hac excommunicatione prohibetur. Duardus. *quæſt.* 4. *num.*2. Bonacin. *num.*3. Suarez, *num.*29. Tolet, *num.* 6.

*IV. Excommunicatio.*

*Contrà rapientes bona naufragantium.*

80. IN Quarta clauſula Bullæ Cœnæ excommunicatio fertur *contrà omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque nauibus, tempeſtate, ſeu in tranſuerſum, (ut dici ſolet) iactis, vel quoquo modò naufragium paſſis, ſiuè in eiſdem nauibus, ſiuè ex eiſdem, eiecta in mari, vel in littore inuenta, cuiuſcumque generis bona, tam in noſtris Thyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cuiuſcumque maris, regionibus, & littoribus ſubripuerint.* Intelligitur de bonis Chriſtianorum. Si quis autem Iudæorum, Turcarum, & aliorum Infidelium, qui naufragium ſubiêre, bona ſurripiat (quamuis ad illorum reſtitutionem teneatur) huic non ſubiacet excommunicationi: quia Bulla expreſſè loquitur, de ſubripientibus bona Chriſtianorum naufragantium. Imò, quia non eſt mens Eccleſiæ protegere bona Hæreticorum, quos ipſa execratur, & tanquam à ſuo gremio præciſos perſequitur, qui què in fauorabilibus nomine Chriſtianorum non veniunt: ſi quis illorum naufragantium bona ſubripiat, non ligatur iſta excommunicatione, ut docet Viuald. *caſ.*4. *n.*30. Alterius, *diſp.* 5. *cap.* 2. *dub.* 7. Filliuc. *num* 90. Ant. *n.* 504. Idem de Apoſtatis à Fide aſſerit Duard. *q.* 3. *n.* 2. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 5. *punct.* 3. *num.* 5. Sayr. *lib.* 3. *cap* 8. *n.*7.

*Quæ ſint bona naufragantium quorum furtum prohibeatur ?*

81. Nomine bonorum naufragantium intelliguntur omnia, quæ ſunt in naui, & ipſa nauis, ſcaphæ, & quæcumque merces, & inſtrumenta, ut funes, anchoræ, remi, & ipſa ligna fracta nauis, ſi nauis ſaluatur. Per naufragantes intelliguntur illi, qui patiuntur ſubmerſionem rerum, & corporum, ex fractura, aut nauis periclitatione, quocumque modò fiat, prouenientem, ut colligitur ex *leg.* 2. Cod. *de Naufragiis*. Vndè fit, hanc incurrere excommunicationem, qui bona Chriſtianorum ſubripiunt ex naui pereunte, vel ex tempeſtate, vel vetuſtate illius, ſiue ex eo, quod in ſcopulum incidat, ſiue ex culpa Nautarum, ſiue ab hoſtibus bombardis confracta, aut igne cremata: quia ſeuera ſubripiunt bona Chriſtianorum ex naui aliquo modò naufragium paſſa, Bonacin. *punct* 2. *n.*8. Palaus, *diſp* 3 *p.* 5. *num.* 6. Viuald. *caſ.* 4. *num.* 28 qui etiam cum Filliuc. *num.*92. Alterio, *cap.*2. idem dicendum eſt de rapientibus bona proiecta è nauibus ad eas ſubleuandas, niſi talia ſint ſtatim peritura, ut ſunt ſaccharum, farina, papirus: quia talia eo ipſo quod proijciuntur, habentur pro derelictis, *leg.* Falſus, §. *Si tactum*, *ff. de furt.* Et etiam ab hac excommunicatione excuſantur, qui bona naufragantium, quæ diù in littore maris iacuerunt, ſubripiunt, quia rationabiliter credi poteſt, quòd talia bona ab eorum Dominis habentur pro derelictis.

*V. Excommunicatio.*

*Contrà imponentes noua pedagia, ſeu gabellas.*

82. IN Quinta clauſula excommunicantur, qui noua pedagia, ſeu gabellas in terris ſuis imponunt, qui impoſita augent, & qui exigunt imponi prohibita

pedagia,

pedagia, vel augeri. Nomine autem pedagiorum, aut gabellarum, intelliguntur, omnes impoſitiones, cuiuſcumque generis tributorum, & exactionum, quomodocumque vocentur, quæ à non habente poteſtatem imponendi illas, vel augendi imponuntur, vel augentur. Habent talem poteſtatem iure ordinario Pontifex, Concilium Generale, Imperator, Rex, & Principes Supremi, & illi, qui ius eas imponendi acquiſierunt, conſuetudine legitimè præſcripta, tempore immemorabili, ſeu cuius initij non extat memoria. Qui omnes etiam hanc excommunicationem incurrunt, ſi in caſibus ſibi à iure non permiſſis, pedagia imponunt, ſeu iniuſtas gabellas, & tributa: quia Sixtus Quintus, & Clemens VIII. non ſolùm excommunicant eos, qui abſque poteſtate gabellas imponunt; ſed illos, *qui in caſibus ſibi à iure non permiſſis gabellas imponunt*. Ità contrà nonnullos Suarez, *num.* 38. Alterius, *diſp.6 cap.* 3. Duardus, *lib. 2. quæſt* 6. Bonacin. *q.6. punct.* 3. *n.6.* Palaus, *diſp.3. punct.6. n.* 7. N. Anton. *num.* 518.

*Ciuitates, aut Communitates pedagia imponentes non incurrunt hanc excommunicationem.*

83. Si tamen tributum, quod Rex imponit, ſit iuſtum, ſed iniuſtè illud, quoad perſonas imponat, quia generaliter impoſitum eſt, ità quod Eccleſiaſticos comprehendat, ex vi huius Canonis non excommunicatur (quidquid ſit, an ex vi Canonis 18.) quia tunc non verificatur, eum in terra ſua, tributum imponere in caſu ſibi à iure non permiſſo, Suarez, *num.* 40. Alterius, *dub.* 4. *& dubio* 5. Toletus, *libr.* 1. *capit.* 21. *numer.* 5. Ciuitates verò talia pedagia imponentes, non comprehenduntur ſub hac excommunicatione. Et quidem ſi pro neceſſitatibus ſibi occurrentibus talia pedagia imponunt, certum eſt non excommunicari; quia Ciuitates habent ex iure communi, quod poſſint imponere collectas, publica interueniente neceſſitate, quæ non ſunt propriè gabellæ, aut tributa, quæ ab omnibus Principi tribuuntur; ſed portiones quædam, quæ pro rata à ſingulis ipſius Ciuitatis conferuntur, ad occurrendum neceſſitati, & communi utilitati Ciuitatis. Alterius, *libr.* 5. *diſp.* 6 *cap.* 3. *in fin. & cap.* 4. *dub.* 3 *in fin.* Vazquez, *Opuſcul. de reſtitut. cap.* 6. §. 1. *dub.* 1. *num.* 4. Dicaſt. *lib.* 2 *de iuſtitia. tract.* 20. *diſp.* 1. *dub.* 2. *à numer.* 20. Sed etiamſi iniuſtè imponantur, quia Communitas excommunicari non poteſt, ex *cap. Romana, de ſententia excommunicationis in* 6. Et ideò in clauſula ſecunda huius Bullæ Communitates interdicuntur; quia excommunicari non poſſunt, ut diximus *num.* 76. In præſenti verò non interdicuntur; aliàs verò excommunicari non poſſunt, & ideò nec interdictæ remanent, nec excommunicatæ.

## *VI. Excommunicatio.*

*Contrà falſificantes Bullas Apoſtolicas.*

84. SExta clauſula Bullæ ſic habetur: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, ac ſupplicationum gratiam, vel iuſtitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice Cancellarium, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato eiuſdem Romani Pontificis ſignatarum: nec non falsò fabricantes litteras Apoſtolicas, etiam in forma Breuis: & etiam falsò ſignantes ſupplicationes huiuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicè Cancellarij, aut gerentes vices prædictorum.* Qui plura circà hanc excommunicationem videre voluerit, adeat Suarez, *diſp.*21. *ſect.* 2. *num* 49. Nauarr. *capit.* 27. *num.* 62. *in* 3. *declaratione huius Canonis*, Tolet. *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 2. Viualdus, *in explicatione huius Canonis*, & ibi Duard. Pala. *diſp.* 3. *punct.* 7. Filliuc. *tract.* 16. *c.* 8. *à quæſit.* 5. Anton. à Spiritu S. *in direct. confeſſar. tract.* 12. *num.* 529. *& ſeq.*

## *VII Excommunicatio.*

*Contrà deferentes arma ad Infideles.*

85. IN Hac ſeptima clauſula tria genera perſonarum excommunicantur. Primò excommunicantur deferentes, ſeu transferentes ad Sarracenos, Turcas, Mauros, Iudæos, Paganos, & alios Infideles, & ad Hæreticos, equos, arma, ferrum, ſtannum, chalybem, & omnia alia genera metallorum, quæ ſunt armorum materia, nec non alia inſtrumenta bellica. Secundò excommunicantur, qui certiores faciunt prædictos Infideles per ſe, vel per alios, de rebus ad ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ pertinentibus, in damnum, & perniciem Chriſtianorum, & Religionis Catholicæ. Tertiò, qui quomodolibet auxilium dant prædictis Infidelibus, in damnum, & perniciem Catholicorum.

*Quid circà dictam clauſulam ſit aduertendum.*

86. Circà primum notandum eſt, quod Catholici viuentes in terris dictorum Infidelium, non incurrunt hanc excommunicationem, ſi equos, arma, &c. illis vendant eo fine, ut eis ad licitos uſus utantur: quia nullo eſt iure prohibitum, Chriſtianos in terris Infidelium commorantes arma fabricare, & ea Infidelibus vendere. Alter. *diſp* 8. *cap.* 1. *in fin.* Syluest. *verb. Excommunicatio, num.* 64. Hurtad. *volum.* 1. *de Fide, diſp.* 76. *ſect.* 5. *ſub ſect.* 5. §. 93. Leand. *tract.* 51. *de Bull. Cœn. diſp.* 7. *quæſt.* 2. N. Anton. à ſpir. S *n.* 542. Nec ſimiliter in hanc incidunt excommunicationem, qui talia vendunt Sarracenis, aut alijs Infidelibus in terris Chriſtianorum commorantibus, niſi timeatur eos tali fine arma, aut equos emere, ut ad terras Infidelium transferant, quibus malum aliquod Chriſtianis immineat. Sed talem incurrunt excommunicationem Chriſtiani, qui arma, & alia prohibita deferunt Sarracenis, aut aliis Infidelibus, etiam tempore pacis: quia licèt tunc non ſint uſuri armis, aut alijs rebus prohibitis contrà Chriſtianos, poſſunt tamen illis uti, quando ipſis placuerit: quod ſufficit ad intentum Pontificis: Suarez. *num* 36. Sylueſt *num.* 62. *&* 64. Alterius, *cap.* 3. *in fine*, Filliuc. *tract.* 16. *num.* 148. Anton. à ſpir. S. *tract.* 12. *diſp.* 3. *ſect.* 7. latius hæc omnia diſcutiens.

## *VIII. Excommunicatio.*

87. HÆc excommunicatio lata eſt aduerſus *omnes impedientes, ſeu inuadentes, eos, qui vectigalia, ſeu alia ad uſum Romanæ Curiæ adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt per ſe, vel per alios, cuiuſcunque ordinis præeminentiæ, conditionis, ſtatus, etiam ſi Pontificali, vel Regali, aut alia quauis Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate refulgeant.* Ità clauſula Bullæ. Circà quam videri poterunt Suarez,

*diſp.* 21. *ſect.* 2. *cenſura* 8. Duard. *hic*, *Canon.* 8. *quæſt.* 2. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 9. *punct.* 2. Alter. *lib.* 5. *diſp.* 9. *cap.* 3. Palaus, *diſp.* 3. *punct.* 9. Viuald. *hic, caſu* 8. N. Anton. *num.* 574. *& ſeq.*

### *IX. Excommunicatio.*

*Contrà interficientes, aut mutilantes eos, qui Romam eunt.*

88. IN Clauſula nona excommunicantur omnes, qui ad Sedem Apoſtolicam conuenientes, vel ab ea recedentes lædunt, nimirum, interficiunt, mutilant, capiunt, expoliant, aut detinent. Et omnes, qui in Curia Romana commorantes prætextu iuriſdictionis uſurpatæ, quam à Sede Apoſtolica non habent, ſimilibus actionibus lædunt, eos ipſos interficientes, mutilantes, &c. ſed in prima propoſitione intelligendum eſt de ijs, qui cauſa negotiorum apud Summũ Pontificem, ſeu in eius Curia gerendorum, Romam veniunt; non verò de illis, qui læderent euntes Romam, vel redeuntes cauſâ deuotionis, ſtationis, indulgentiarum, curioſitatis, aut lucri gratia, vel ad inuiſendos amicos, vel cognatos, ut rectè aſſerunt Caiet. *in ſum. verb. Excomm. cap* 14. Bonac. *q.* 10 *punct.* 1. *n.* 3. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 26. *dub.* 1. *num.* 3. Suar. *n.* 65. Sayr. *libr.* 3. *cap.* 13. *n.* 3. Alter. *diſp.* 10. *c.* 1. *col.* 4. Duard. *Canon.* 9. *q.* 1. Ant. *n.* 583. Et ſimiliter in ſecunda propoſitione ſolùm excommunicari intelligendum eſt illos, qui via iudiciali uſurpantes ſibi iuriſdictionem, commorantes in Curia modo dicto lædunt. Vndè, qui ſurando, expoliat aliquem commorantem in Curia, vel, ortâ rixâ, interficit, non ligatur hac excommunicatione: quia non authoritatiuè, & tanquam iuriſdictionem exercens, id facit, ſed ut priuata perſona, Suarez, *n.* 62. Bonacin. *n.* 34. *&* 35. Tolet. *n.* 4. Alter, *col.* 2. *&* 3. N. Ant. *ſect.* 9. per totam.

### *X. Excommunicatio.*

*Contrà lædentes Romipetas ſeu peregrinos Romam euntes.*

89. IN Decimo loco excommunicantur *omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu peregrinos ad Vrbem causâ deuotionis, ſeu peregrinationis accedentes, ſeu in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, vel in his dantes auxilium, conſilium, fauorem.* In hoc Canone Pontifex ſolum Romipetas deuotionis, & peregrinationis causâ intelligit: quarè, qui occideret, aut vulneraret illum, qui alia intentione, nimirum lucrandi, viſendi amicum, vel ob Beneficium obtinendum, vel abſolutionem, &c. Romam veniret, non eſſet excommunicatus. Nec ſimiliter qui vulneraret ciuem Romanum, qui ſacra loca ex deuotione viſitaret, quia hic Romipeta non eſt, & peregrinus. Qui verò eum perimeret, qui Romam peteret, causâ viſitandi Eccleſias, venerandi Reliquias, aut conſequendi indulgentias, ut adimpleret votum, vel pœnitentiam iniunctam, hanc excommunicationem incurreret, quia talis iuxtà communem modum loquendi causâ deuotionis adire iudicatur. Alterius, *diſp.* 11. *c.* 3. *in fin.* Bonac. *q.* 11. *punct.* 3. *num.* 11. *&* 12. Filliuc. *tract.* 16. *num.* 120. Anton. *ſect.* 10.

### *XI. Excommunicatio.*

*Contrà offendentes Cardinales, Archiepiſcopos, & alios Prælatos.*

90. IN clauſula undecima huius Bullæ excõmunicantur, qui in Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Legatos Sedis Apoſtolicæ & Nuntios, exercent aliquam ex his nouem actionibus hic principaliter prohibitis: quæ ſunt interficere, mutilare, vulnerare, percutere, capere carcerare, detinere, hoſtiliter inſequi, & eijcere à ſuis Diœceſibus, territorijs, terris, ſeu Dominijs, vel qui aliquam ex his actionibus mandauerint, vel ſuo nomine factam ratam habuerint, vel qui auxilium, conſilium, & fauorem ad illam præbuerint, cuiuſcumq; ſtatus, conditionis, gradus, aut præeminentiæ fuerint. Sed circà iſtam excommunicationem videantur, Duard. *lib.* 1. *Canon.* 11. *q.* 3. Bonac. *diſp* 1. *q.* 12. *n.* 2. Alter *lib.* 5. *diſp.* 12. *cap.* 4. N. Anton. à Spir. S. *hic, diſp.* 3. *ſect.* 12.

### *XII. Excommunicatio.*

*Contrà offendentes eos, qui recurrunt ad Romanam Curiam.*

91. IN iſta clauſula excommunicãtur omnes cuiuſcumque ſtatus, qui percuſſerint, occiderint, mutilauerint, expoliauerint per ſe, vel per alium, aut directè, vel indirectè tales actiones exequi procurauerint, vel auxilium, conſilium, vel fauorèm ad eas præbuerint. contrà nouem genera perſoñarum: nempè, contrà recurrentes ad Romanam Curiam ſuper cauſis, & negotijs eorum: contrà proſequentes eorum cauſas in Romana Curia: contrà procurantes in eiſdem cauſis: contrà geſtatores negotiorum: contrà Aduocatos: contrà Procuratores: contrà Agentes ipſorum: contrà Deputatos ſuper dictis cauſis: & contrà Iudices ſuper eiſdem. Videatur N. Anton. *ſect.* 12.

### *XIII. Excommunicatio.*

*Contrà appellantes ad Curias ſæculares.*

92. IN Clauſula huius decimitertij Canonis tres partes reperiuntur, in quibus diuerſæ perſonæ excommunicantur. In prima parte excommunicantur illi, qui prætextu friuolæ appellationis recurrunt ad Curias Sæculares, ad quas appellant à grauamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum. In 2. excommunicantur Magiſtratus prohibentes dictas litteras executioni mandari. In 3. qui directè, vel indirectè, accedentes ad Romanam Curiam pro negotijs proſequendis, vel litteris impetrandis prohibent: Plura circà iſtam clauſulam poteramus dicere; ſed quia longam diſputationem exigebant, omittimus, quæ videri poterunt apud Caietan. *in ſumm. verb. Excommunicat. capit.* 15. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 16. Palaum, *diſp.* 3. *punct.* 14. Alterium, *diſp* 3. *cap.* 5. Filliuc. *num.* 172. Bonacin. *diſp.* 1. *quæſt.* 13 *punct.* 1. Viuald. *canon.* 13. *&* Duardum, *ibidem.* Anton. *ſect.* 13. *num.* 618.

### *XIV. Excommunicatio.*

*Contrà iudices ſæculares, qui ad ſe cauſas ſpirituales auocant.*

93. HÆc excommunicatio fertur primò contrà eos, qui intendunt authoritate propria auocare cauſas ſpirituales, aut ſpiritualibus annexas, ad ſe, ab Auditoribus, & Cõmiſſarijs Sedis Apoſtolicæ, & alijs iudicibus Eccleſiaſticis. Secundò, contrà eos qui earundem cauſarum curſum impediunt. Tertiò contrà eos, qui ſe interponunt ut iudices in cognitione taliũ cauſarum. Quartò cõtrà eos, qui compellunt partes actrices ad reuocandas citationes, & inhibitiones,

tionẽs, & alias litteras decretas in huiuſmodi cauſis. Quintò contrà eos, qui impediunt executionem litterarum Apoſtolicarum executorialium quomodolibet. Sextò contrà eos, qui fauorem, auxilium, vel conſilium ad has actiones præbuerint. Circà excommunicationem huius Canonis plura diximus *tract. de Ordine, caput. 7. dub. ult.* Cætera videri poterunt apud Bonacin. *diſp. 1. quæſt. 15. punct. 1.* Palaum, *diſp. 3. punct. 15.* Alterium, *diſp. 15. à caput. 1.* Filliuc. *tract. 16 à numer. 250.* Duardum, *in præſenti*, & Anton. *ſect. 14.*

### *XV. Excommunicatio.*

*Contrahentes perſonas Eccleſiaſticas ad tribunalia ſæcularia.*

94. IN iſta clauſula excommunicantur contrahentes, trahivè facientes, vel procurantes trahi directè, vel indirectè perſonas Eccleſiaſticas ad ſæcularia tribunalia: & contrà facientes, ordinantes, vel publicantes ordinationes, conſtitutiones, vel alia decreta, quibus directè, vel indirectè læditur libertas Eccleſiaſtica: & contrà utentes ſtatutis, & ordinationibus, contrà libertatem Eccleſiaſticam. Vbi notandum eſt, quod Iudex ſæcularis, non incurrit hanc excommunicationem caſu, quo Clericum accedentem ad ſuum tribunal, ut coram eo ſe purget, admittit purgationem, & ſententiam proferat: quia in tali caſu nec trahit, nec trahere facit Clericum; ſed ipſe ſponte ſua venit. Si verò ipſum Clericum, vel eius conſanguineos iniquè vexaret, ut eum ad ſuum tribunal venire cogeret, incurreret hanc excommunicationem, quia ſic indirectè ad ſuum tribunal traheret, Duard. *Canon. 15. quæſt. 10. num. 4.* & *quæſt. 12. n. 2.* Bonacin. *diſp. 11. quæſt. 16. ſect. 1. punct. 4. num. 4.* & 15 & 16. Alter. *diſp. 16. cap. 1.* Ant. *ſect. 15.* In omni autem caſu acta à tali iudice erunt irrita; & inualida, etiam ſi Clericus intendat cedere iuri ſuo: quia non poteſt priuilegio in honorem ſtatus Eccleſiaſtici conceſſo renuntiare, *cap. Si diligenti, de foro competenti.*

### *XVI. Excommunicatio.*

*Contrà impedientes Prælatos Eccleſiaſticos, ne ſua utantur iuriſdictione.*

95. IN Canone 16. huius Bullæ excommunicantur: primò, omnes impedientes Prælatos Eccleſiaſticos, ne ſua iuriſdictione contrà quoſcumq; utantur. Secundò, contrà recurrentes ad Curias ſæculares, eludentes ſententias iudicum quorumcumque Eccleſiaſticorum. Tertiò, contrà procurantes recipere à dictis curijs prohibitiones, & mandata pœnalia contrà ſententias iudicum Eccleſiaſticorum. Quartò, contrà decernentes talia mandata, & prohibitiones, & eas exequentes. Quintò, contrà dantes in eiſdem actionibus auxilium, conſilium, & fauorem. Vbi duo notare duximus. Primum: non incurrere hanc excommunicationem, qui ſine vi, aut metu, ſed præcibus, pecuniâ, vel aliâ viâ, impedit iudicem Eccleſiaſticum, ne ſua iuriſdictione utatur, quia ut aliquis impedire dicatur, requiritur, ut ſit cauſa, ut alter inuitus, & contrà ſuam voluntatem, ceſſet ab opere, quod intendit, quod hic non inuenitur, Alterius *diſp. 17. cap. 1. col. 7.* Filliuc. *tract. 16 num. 278.* Bonacin. *quæſt. 17. punct. 1. num. 2.* & 3. N. Anton. *ſect. 16.* Secundum, non incurrere hanc excommunicationem, qui impedit Prælatos, ne iniuſtè ſua iuriſdictione utantur, ut ſi in ſuum non ſubditum vellet procedere, vel in cauſâ, cui iuſta appellatio eſt impoſita, quia Pontifex excommunicat impedientes Prælatos, ne ſua iuriſdictione utantur, *ſecundum quod Canones, &c. ſtatuunt.* Filliuc. Alter. & Bonacin. locis citatis.

### *XVII. Excommunicatio.*

*Contrà uſurpantes bona Eccleſiaſtica.*

96. HÆc excommunicatio fertur contrà eos, qui iuriſdictiones, ſeu fructus, redditus, ſeu prouentus pertinentes, ad Sedem Apoſtolicam, vel ad quaſcumque alias Eccleſiaſticas perſonas uſurpant, aut ſequeſtrant, ſine legitima facultate. Et hæc clauſula omnes perſonas comprehendit, ſiue publicas, ut Reges, eorumuè Magiſtratus, ſiuè priuatas, quia uniuerſaliter de omnibus loquitur; licèt illos principaliter comprehendat, quia ratione poteſtatis, quam habent, facilius ſolent prædictas facultates uſurpare. Bonacin. *quæſt. 18. punct. 3 num. 1.* & 2. Alterius, *diſp. 18. cap. 1. column. 1.* Filliuc. *tract. 16. num. 212.* Reginald. *libr. 9. cap. 15. num. 372.* & *lat.* N. Anton. *ſect. 17. à num. 649.*

### *XVIII. Excommunicatio.*

*Contrà tributa Eccleſiaſticis imponentes.*

97. IN iſto Canone excommunicantur omnes perſonæ, cuiuſcumque dignitatis, imponentes Decimas, Collectas, tallias, & alia onera per ſe, vel per alios, directè, vel indirectè, Clericis, vel bonis ipſorum, & talia tributa exigentes, illa recipientes, vel facientes prædicta onera Eccleſiaſticis imponi, vel exigi; & contrà præſtantes auxilium, conſilium, vel fauorem, ad talia onera imponenda, exigenda, vel recipienda. Videantur, quæ diximus circà hoc *tract. de Ordine, cap 7 punct. 3.*

### *XIX. Excommunicatio.*

*Contrà iudices ſæculares, qui in cauſis criminalibus contrà Eccleſiaſticos procedunt.*

98. HÆc decimanona excommunicatio imponitur contrà iudices ſæculares, qui ſe in cauſis criminalibus interponunt: contrà perſonas Eccleſiaſticas, proceſſando, banniendo, capiendo, aut proferendo ſententias contrà illas, illasvè exequendo: ſinè ſpeciali, & ſpecifica Sedis Apoſtolicæ licentia. Et comprehendit omnes Magiſtratus, iudices, ſcribas, Notarios, executores, ſubexecutores, conſiliarios, Senatores, Præſidentes, Cancellarios. Et quamuis Reges tales actiones facientes, vel mandantes, ex vi huius Canonis non excommunicentur, quia in eo non nominantur; excommunicationem tamen *Canonis. Si quis ſuadente*, incurrerent. Et ſi eſſent Epiſcopi, vel Cardinales, qui iudicarentur, incurrerent in undecimam excommunicationem huius Bullæ, & etiam in decimam quintam eiuſdem, contrà trahentes perſonas Eccleſiaſticas ad ſua tribunalia. Filliuc *num* 308. Bonacin. *quæſt. 20 punct. 2. num. 7.* Palaus, *punct. 20. num. 3.* Anton. à ſpiritu S. *ſect. 19.* Plura circà hanc materiam à nobis diſcuſſa ſunt, *tract. de Ordine, cap. 7. punct. 2.*

*XX. Excommunicatio.*

*Contrà inuadentes terras iuriſdictioni Sedis Apoſtolicæ ſubiectas.*

99. IN iſta clauſula ultima Bullæ excommunicantur omnes, qui per ſe vel per alios directè, vel inderectè terras, loca, & iura ſub ditione Sedis Apoſtolicæ contenta, in toto, vel in parte invadere, deſtruere, occupare, vel detinere præſumpſerint. Deinde qui ſupremam iuriſdictionem in dictis terris uſurpant, petrurbant, retinent, vel vexant. Ac denique omnes, qui ad dictas actiones auxilium, conſilium, aut ſauorem præbent, ſed aduertunt Suarez, *diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.*104. Vgolin. *hic, cap* 2. *n.* 3. Alter. *lib.* 5. *diſp.* 21. *cap.* 1. Filiuc. *tract* 16. *cap.* 3. *quæſt.* 7. *n.* 72. Souſa, *hic, cap.* 21. *num.* 2. N. Anton. *ſect.* 20. quod non incurreret hanc excommunicationem, qui auferret à dominio Sedis Apoſtolicæ aliquam ciuitatem, nõ hoſtiliter, ſed pacificè, & ſine armis, quia *inuadere, deſtruere*, nihil aliud ſignificant: quam hoſtilem incurſum, inuaſionem, & agreſſionem. [ Aduerte hic ( verba ſunt Caiet. *in ſumm verb. Excommunicatio, cap.* 2. ) quod cum in terris Eccleſiæ contingit, quod pars exiſtens extrà, armata manu volens intrare inuadit ciuitatem, non ut ſubtrahat eam Eccleſiæ; ſed ut ipſa pars ibi regnet, eo modo; quo partes illæ regnare conſueverunt, Canonem iſtum incurrit: quia terram Eccleſię in partem ſaltem hoſtiliter inuadit. Imò (ut à communiter accidentibus patet) huiuſmodi invaſiorendit ad ſubtrahendum Eccleſiæ Romanæ terram, quoad liberum regimen. ] Ità Caiet. & ex illo Duard *Canon.* 20. *quæſt.* 5. Suarez, *diſp.* 22. *quæſt.* 2. *num.* 105. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 24.

## CAPVT V.

### *De ſuſpenſione, depoſitione, & degradatione.*

HÆc tria, nimirum ſuſpenſionem, depoſitionem, & de gradationẽ hoc capite coniungimus, quia licet diſtinctæ ſint, & ſuſpenſio ſit cenſura, cum tamen depoſitio, aut degradatio tales non ſint, ut diximus *cap.* 1. *punct.* 1. habent nihilominus inter ſe connexionem, & una, quod alia dicit, aliquid de nouo ſuperaddens.

Caput hoc habet ſex puncta.

*Punct. I. De nomine, definitione, multiplicitate ſuſpenſionis, & de forma, qua fieri debet. num.* 1.
*Punct. II. De effectibus ſuſpenſionis in communi: num* 9.
*Punct. III. Quos effectus habeat ſuſpenſio ab officio, ſuſpenſio à iuriſdictione, ſuſpenſio ab Ordine, & ſuſpenſio à Beneficio? num.* 23.
*Punct. IV. De cauſis ad ſuſpenſionem ferendam requiſitis. num.* 39.
*Punct. V. Qua ratione ſuſpenſis impediti, vel tolli poſſit? num.* 50.
*Punct. VI. De depoſitione ſimplici, & degradatione tam reali, quam verbali, num.* 54.

## PVNCTVM I.

### *De Nomine, definitione, multiplicitate ſuſpenſionis, & de forma, qua fieri debet.*

1. A Nomine ſuſpenſionis incipiendo; ſciendum eſt, quod licet nomen *ſuſpenſio* ſignificet incertitudinem, à verbo *ſuſpendo* deriuatum, ex iuris tamen Canonici diſpoſitione, deſumptum eſt ad ſignificandum cuiuſuis officij, aut dignitatis uſus, & exercitij priuationem. Et ideò *Clement. Cupientes, de Pœnis*, dicitur *ſuſpenſio* prohibitio aduocationis in aduocatis, Notariæ in Notarijs. Hæc tamen uſurpatio ſuſpenſionis latiſſima eſt, quia tam prohibitioni actus ſæcularis, quam Eccleſiaſtici communis eſt. Secundò ſumitur pro prohibitione alicuius actus ſpiritualis, ſiuè Eccleſiaſtici: ut in *capit. Quæſitum, cap. Finali, de cohabitatione Cleric. & mulier.* Vbi exiſtentes in peccato mortali ſuſpenduntur ab exercitio actuum ſacrorum. Sed neque hoc modo ſumitur in præſenti *ſuſpenſio*. Siquidem *ſuſpenſio*, de qua in præſenti, eſt pœna Eccleſiaſtica medicinalis, quæ ad reſipiſcentiam, & emendationem imponitur. Illa verò ſuſpenſio, quæ ex peccato mortali ſequitur, potiùs eſt quædam indignitas, quæ iure diuino remouet in eo exiſtentes à rebus ſacris, eo quod ſancta ſanctè tractari debent. *Variæ ſuſpenſiones enumerantur.*

2. Igitur ſuſpenſio, de qua in præſenti agimus, variè à diuerſis Authoribus definitur, quorum prætermiſſis diuerſis deſcriptionibus, ſic poteſt definiri. *Suſpenſio eſt cenſura, qua Clerico prohibetur alicuius Eccleſiaſtici miniſterij exercitium.* Ponitur *cenſura* loco generis, per quod conuenit cum interdicto, & excommunicatione, differt verò ab alijs pœnis Eccleſiaſticis, quæ cenſuræ non ſunt: ut ab irregularitate, depoſitione, degradatione. Etiam per illud nomen excluditur à vera ratione ſuſpenſionis prohibitio celebrandi facta leproſo, decrepito, &c. Quæ pœna non eſt, cum non incurratur ob aliquam culpam, & ſic non eſt cenſura, cuius violatio indicat irregularitatem. Etiam prohibitio celebrandi, excluditur, impoſita à confeſſario pro foro conſcientiæ, quæ cenſura non eſt: ſiquidem cenſura eſt actus iuriſdictionis fori exterioris. Etiam excluduntur illæ ſuſpenſiones, quæ in foro exteriori imponuntur præcisè ut pœnæ, non ut medicinæ, de quibus ſtatim loquemur: quæ proindè cenſura non ſunt, cuius propria ratio eſt, quod ſit medicinalis. *Definitio ſuſpenſionis.*

3. Additur in definitione, *qua Clerico prohibetur*, ut denotetur proprium ſubiectum huius cenſuræ, quod eſt ſolum perſona Eccleſiaſtica. Vndè licèt excommunicatio, aut interdictum tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares, comprehendere poſſit, non ſuſpenſio, ſecundũ quod eſt cenſura, quia illam ſolum perſonæ Eccleſiaſticæ poſſunt incurrere. Et ſic quandò Prætor ab officio Prætoris ſuſpenditur, vel aduocatus à munere aduocationis, verè cenſura non eſt. Et non ſolum debent eſſe perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ poſſunt incurrere hanc cenſuram; ſed Clerici ſaltem per primam tonſuram in Ordine Clericali *Explicatio definitionis.*

conſtit

conſtituti. Vndè fœminæ Religioſæ, tametſi perſonæ Eccleſiaſticæ dicantur in ordine ad fruendum priuilegijs fori, & Canonis, non verò poſſunt incutere ſuſpenſionem, ut eſt cenſura. Et ſic quamuis Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ ſuſpendi poſſint ab officio, talis ſuſpenſio non eſt cenſura, quia fœminæ iuriſdictionem Eccleſiaſticam, aut officium ordinis exercere nequeunt; quibus ſuſpenſio, de qua loquimur priuat. Ità Palaus, *diſp.* 4. *punct.* 1. *num.* 2. Coninch, *diſp.* 15. *dub.* 1. *num.* 2. *& dub* 3. *num.* 18. *&* 21.

*Concluditur definitionis explicatio.* 4. Vltimo in definitione ponitur *alicuius Eccleſiaſtici muneris exercitium*: ut denotetur effectus proprius huius cenſuræ, per quem diſtinguitur; tum ab alijs pœnis, quæ non ſunt cenſuræ, ut ab irregularitate, quæ priuat Ordine ſuſcipiendo, non præcisè uſu illius, & à depoſitione, & degradatione, quæ priuant officio, & Beneficio ſimpliciter; ſuſpenſio verò ſolum illorum uſu priuat: tum etiam ab alijs cenſuris, ut ab excommunicatione, quæ licèt priuet uſu Ordinis, aut poteſtatis Eccleſiaſticæ, non priuat illo, ut eſt exercitium ordinis, aut iuriſdictionis, quod facit ſuſpenſio, ſed ut eſt communicatio cum alijs fidelibus: etiam ab interdicto, quia ſi quandò iſtud priuat adminiſtratione ſacramentorum, non ut eſt Eccleſiaſticæ poteſtatis exercitium, ſed ut eſt communicatio, & cooperatio cum alijs in ſacris, & ſic interdictus non ſolum non poteſt actus ordinis exercere, ſed nec illis inſeruire, aut miniſtrare: quod facere poteſt ſuſpenſus. Conueniunt verò hæ duæ cenſuræ in eo, quod inferior Summo Pontifice poteſt utriuſque effectus ſuſpendere: quod in excommunicatione ſolum Summum Pontificem poſſe diximus *cap.* 2 *n.* 3. at verò interdicti localis, & perſonalis, & ſuſpenſionis poteſt Epiſcopus ſuſpendere ad tempus effectum: & ſic ex iuſta causâ poteſt concedere, ut ſuſpenſus celebret, vel quod celebrando non incurrit irregularitatem quia ità eſſe in uſu, & praxi receptum, & approbatum teſtantur Bonacin. *diſp.* 3. *punct.* 1. *num* 3. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 47. *num.* 1. Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 165. Sayr. *libr.* 4. *cap.* 10. *numer.* 13. & alij citati à Palao, *diſp.* 4. *punct.* 8. *num.* 2. licèt ipſe ſentiat oppoſitum.

*Multiplex ſit ſuſpenſio?* 5. Præter diuiſionem illam communem omnibus cenſuris, qua diuiditur cenſura in eam, quæ eſt à iure, & illam, quæ eſt ab homine, de quibus diximus *cap.* 1. *num.* 18. ex duplici capite poteſt diuidi ſuſpenſio: primò ex parte rei, à qua ſuſpenſio fit: ſecundò ex parte temporis, pro quo imponitur, ex primò capite in tria membra ſuſpenſio diuiditur, nimirum in ſuſpenſionem ab officio, *cap. Sane, de offic. delegati, cap.* 2 *eodem tit. in* 6. & ſuſpenſionem à Beneficio, *cap. Cum in cunctis, c. Nihil, de elect.* Et in ſuſpenſionem ab officio, & beneficio Clem. 2. *de decim. c. Taurum, de priuil.* Suſpenſionem autem obſolutè latam intelligendam eſſe de ſuſpenſione ab officio, & beneficio teſtantur Enriq. *lib.* 13. *cap.* 33. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 7. Auil. 3 *part. diſp.* 2. *dub* 1. *concl.* 2. Suar *diſp.* 25 *sect.* 2. *num.* 9 Coninc. *diſp.* 15 *dub.* 1. *num* 4. Palaus, *diſp.* 4. *punct.* 1. *num.* 3. Bonacin. *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. quia non eſt undè limitetur, ut potiùs de officio, quam de Beneficio intelligatur. Quamuis ſuſpenſionem ità impoſitam nullum effectum habere, ſed protſus eſſe nullam, quia cum determinatione ad aliquem ex his effectibus, vel cum expreſſione utriuſque debet ferri, ut valida ſit, aſſerant Authores, quos citat, & ſequitur Leander, *tract.* 4. *diſp.* 2. *quæſt* 2. *& tract.* 1. *diſp.* 4. *quæſt.* 7. Videantur, quæ diximus *cap.* 1. *num* 62.

*Aliæ diuiſiones ſuſpenſionis.* 6. Ex parte temporis diuiditur ſuſpenſio in perpetuam, & temporalem. Perpetua eſt illa, quæ abſolutè fertur, nulla determinata duratione, nam hoc ipſo quod abſolutè feratur ſinè temporis determinatione, perpetua cenſetur, Syluestr. *verb. Suſpenſio, quæſt.* 1. Angel. *eodem verb.* 4. *num.* 1. ut ſunt omnes adductæ in iuribus *num præced.* relatis. Temporalis eſt illa, quæ pro determinato tempore imponitur, ut ad annum, ad menſem, &c. *cap Cum in cunctis, de elect. cap.* 1. *de ſent. excomm. in* 6. inter quas datur hoc duplex diſcrimen. Primum, quod illa, quæ ad tempus fertur, non eſt cenſura, quæ ob contumaciam, & reſipiſcentiam detur, ſed pura pœna ad puniendum delictum ordinata: & ſic pro præterito peccato imponi poteſt, neque requirit præuiam monitionem præcedere: iuxtà *cap. Tam litteris, de Teſtibus, cap. Romana, de ſentent. excomm. in* 6. ſecundum quod, ſuſpenſio, quæ purè pœna eſt, & ad tempus imponitur, illo tranſacto, tollitur ſinè abſolutione: illa verò, quæ verè cenſura eſt, & ex ſe perpetua nunquam niſi per abſolutionem aufertur. Cornej. *tract.* 5. *de ſuſpenſione, diſp.* 2. *dub* 2. Palaus, *num.* 3. Toletus, *lib.* 1. *cap.* 46. *num.* 1. Suarez, *diſp.* 25. *sect.* 1. *num.* 6. N. Gabr. à S. Vincent. *de cenſur. diſp.* 5. *num.* 11. *& ſeq. & in ſumm. morali, verbo ſuſpenſio.*

*De forma ſuſpenſionis.* 7. Vt validè feratur ſuſpenſio, nulla forma aſſignatur in iure determinata; ſed illa verba ſufficiunt, quæ voluntatem ſuperioris ſuſpendendi ſubditum, declarent: & ſicut in excommunicatione quædam verba dantur, quæ denotant, ipſam eſſe latæ ſententiæ, alia, quæ ferendæ ſententiæ; & in dubio intelligendum eſt, eſſe ferendæ ſententiæ, ut ſuo loco diximus, ità in ſuſpenſione, & ideò quandò dicitur, *qui hoc fecerit, ſuſpendatur*, intelligitur de ſuſpenſione ferenda, quandò dicitur: *ſuſpenditur, maneat ſuſpenſus*, eſt ſuſpenſio latæ ſententiæ: in dubio autem pro benigniori parte iudicandum eſt, & ſic de ſuſpenſione ferenda. Vt debito modo feratur ſuſpenſio, debet dari in ſcriptis, & cauſa exprimi in ſpecie, ob quam fertur, & inſuper dari inſtrumentum intrà menſem ſuſpenſo, ſi ipſum poſtulet: argumento *ex cap.* 1. *de ſentent. excommun. in* 6. Etſi iudex temerariè hoc prætermittat, præter peccatum mortale incurrit ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & diuinis officijs per unum menſem: iuxtà dicta *cap.* 1. *num.* 71. debet etiam monitio præcedere, ſinè qua eſt nulla ſuſpenſio, & ferens ſuſpenſionem abſque monitione ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem: argument *ex cap. Sacrà, de ſentent. excomm. in* 6. videantur dicta *cap.* 1. *punct.* 7. *&* 8.

*Notatio quædam apponitur.* 8. Sed notandum eſt cum Auila, 3. *part. diſp.* 3. *dub.* 1. *concl.* 4, quod quandò Prælatus prohibet ſubdito, ne celebret, ſolo verbo, non cenſetur illum ſuſpendere ſuſpenſione propriè dicta, ſed tanquam pœnam purè talem hanc ſuſpenſionem imponere, ſecus ſi hoc præcipiat in ſcriptis. Ità Nauarr. *conſil.* 62. *de ſentent. excomm.* Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *num.* 2. *in fin.* quia ſuſpendere ſolo verbo eſt peccatum, & in dubio nemo præſumitur

delinquere. Sed ſi illa Religio habeat priuilegium ſuſpendendi ſolo verbo iuxtà dicta *c. 1. num. 78.* attendenda eſt grauitas delicti, & an in tali Religione ſatus ſit uſus ferendi ſuſpenſionem: nam tunc, ſi graue ſit delictum, ſentiendum eſt, Prælatum intendere ſuſpenſionem imponere. Si verò delictum non ſit graue multum, & in tali Religione non ſit frequens uſus ferendi ſuſpenſionem, præſumendum eſt, niſi aliud conſtet de intentione Prælati, non ſuſpendere, ſed tantum prohibere, quia ſuſpenſio cum magna prouidentia debet imponi: ut habetur, *cap. 1. de ſentent. excommunicat. in 6.* Quid verò ſentiendum ſit, quandò fertur ſuſpenſio ſub forma diſiunctiua nimirū, *ſuſpendo te ab officio, vel beneficio.* Videantur, quæ diximus, *hoc tract. cap. 1. num. 63.*

## PVNCTVM II.

### *De effectibus ſuſpenſionis in communi.*

*Suſpenſorum alij ſunt vitandi, alij tolerati.*

9. PRo intelligentia eorum, quæ in hoc puncto dicenda ſunt, ſupponendum eſt, quod ſicut excommunicati alij ſunt tolerati, alij vitandi; de quibus latè diximus *cap. 3. toto punct. 2.* ità etiam ſuſpenſi: cum hoc diſcrimine, quod excommunicatorum vitandorum duplex datur genus, ut ibidem explicuimus: nimirum nominatim excommunicati, & denuntiati, & Clericorum notorij percuſſores; alij verò, licèt publicè ſint excommunicati, non ſunt vitandi. At ſuſpenſorum vitandorum unum datur genus dumtaxat: illorum videlicet, qui nominatim ſuſpenſi ſunt, & denuntiati, aliorum verò, licèt publici ſint, nullus eſt vitandus, quia in *Concilio Conſtantienſi, & extrauag. Martini V. Ad euitanda*, non eſſe vitandos dicitur, qui qualibet pœna, cenſurâ, vel ſententiâ mulctati ſunt, niſi ſint denuntiati nominatim, & pro excommunicatione notorij Clerici percuſſores. Vndè quandò dixerimus, ſuſpenſos vitandos hoc, vel illud facere non poſſe, benè tamen toleratos, quos modo diximus vitandos, vel toleratos intelligimus.

*Diſcrimen inter excommunicationē, & ſuſpenſionem.*

10. Igitur quantum ad effectus in genere inter excommunicationēm, & ſuſpenſionem hoc verſatur celebre diſcrimen: quòd excommunicatio habet determinatos effectus in iure. Vndè non eſt in poteſtate ferētis illam (niſi ſit Summus Pontifex) quod hos, & non illos habeat: & ſic ſi Epiſcopus aliquem excommunicet, non eſt in eius poteſtate limitare effectus excommunicationis, quia ius commune inuertere non poteſt. At ſuſpenſio non habet in iure determinatos effectus, ſed pro voluntate ferentis illam poteſt ad hos, vel illos coarctari. Quarè ſuſpenſus ab uno actu, ab alijs non remanet ſuſpenſus: ſed verba præcepti penſanda ſunt, ut intelligatur à quibus ſuſpenditur, vel non. Ità ex communi doctrina tradunt Cornejo, *tract. 5. de ſuſpenſione, diſp. 2. in princip.* Enriq. *lib. 13. cap. 32. num. 1.* Auil. *3. part. diſp. 2. in princip.*

*Qui ab uno munere ſuſpenditur, non manet ſuſpenſus ab alio.*

11. Vndè ſequitur, quòd ſuſpenſus ab ordine, non ſuſpenditur à iure eligendi: nec Epiſcopus ſuſpenſus ab Ordine Epiſcopali ſuſpenſus manet ab exercitio iuriſdictionis, quia exercitium iuriſdictionis non dependet ab Ordine Epiſcopali: & ſic poteſt antè conſecrationem actua iuriſdictionis exercere: nimirum Beneficia conferre, & licentias audiendi confeſſiones eligere, cenſuras ferre, ab illis abſoluere, reuerendas, ſeu litteras dimiſſorias ad Ordines impertiri, quia nullus ex his eſt actus Ordinis Epiſcopalis *ex cap. Transmiſſam, de electionibus.* Illos verò non poteſt exercere, qui conſecrationem ſupponunt; ut ordinare, Chriſma benedicere, Eccleſias, altaria, aut Virgines conſecrare, aut confirmare, &c. Et ſimiliter Epiſcopus à Pontificalibus ſuſpenſus impeditur ab uſu Mithræ, Baculi, Pallij, & eorum, quæ ſine eis non poſſunt licitè fieri: ut celebrare Miſſam ſolemnem, Ordines conferre, confirmare; benè tamen poteſt alia munia Eccleſiaſtica, etiam Epiſcopalia exercere, quæ ſine Mithra, Baculo, & Pallio licite poſſunt fieri. Cornejo, *diſp. 2. dub. 2. quæſit. ult.* Auil. *dub. 1. concl.* 10. Bonacin. *diſp. 3. punct. 2. num. 3.* Dian. *5. part. tract. 10. reſol. 4.* Leand. *tract. 4 diſp. 3. quæſt. 21.*

*Eſt peccatum mortale ex genere ſuo, violare ſuſpenſionem.*

12. Sed nunc rogabis, primò. Quod peccatum ſit ſuſpenſionem violare, & quas pœnas illius transgreſſores incurrant? Reſpondetur, violare ſuſpenſionem ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, & ſic peccare mortaliter, qui ſuſpenſus ab aliquo ordine actum illius exercet; qui à iuriſdictione ſuſpenſus excommunicat, diſpenſat, eligit, abſoluit, aliaue munia iuriſdictionis exequitur: & ſic de reliquis, niſi paruitas materię excuſet: ut ſi diſpenſationem parui momenti conferat, ſi teſtis depoſitionem admittat, ſi actus ordinis minoris exerceat. Excuſabitur autem à peccato in omnibus caſibus, in quibus diximus *cap. 1. punct. 15.* excuſari excommunicatum contrà cenſuram operantem Auila, *3. part. diſp. 2. dub. 2.* Enriq. *lib. 13. cap. 33. numer. 2.* Bonacin. *punct. 4. num. 1.* Coninch, *diſp. 15. dub. 2 num. 17.* Diana, *5. part. tractat. 10. reſol. 9.* Palaus, *diſp. 4. punct. 6. num 1.* Suarez, *diſp. 26. ſect. 2. num. 1. & è N. N.* Cornejo, *diſp. 2. dub. 1. quæſt. 1.* Anton. à ſpiritu S. *diſp. 4. ſect. 5.* Gabr. à S. Vincent. *de cenſ diſp. 5.* Lezana, *verbo, ſuſpenſio num. 13.* Stephan. à S. Paulo, *tract. 5. theol. moral. diſp. 5. num. 272.*

*Pœna contrà frangentes ſuſpenſionem.*

13. Ille verò, qui ab Ordine ſuſpenſus eſt, ſi actus Ordinis Sacri exerceat ex officio; ſeu illo modo, quo à Laicis nequeunt exerceri, præter peccatum mortale, quod committit, incurrit irregularitatem Pontifici reſeruatam, *cap. Siquis Epiſcopus damnatus 11. quæſt. 3. cap. 1. de ſentent. & re iudicata in 6. cap. Cum medicinalis, de ſentent. excommun. eodem lib. & extrauaganti* Pij II. incipienti: *Cum ex ſacrorum.* Quam etiam irregularitatem incurrere, qui ſuſpenſus eſt non ſuſpenſione lata per modum cenſuræ, ſed per modum pœnæ, & ad tempus, aſſerunt Cornej. Palaus, Bonac. Sayr. & Suar. *citati ex cap. 1. de ſentent. & re iudicata in 6. & cap. Medicinalis, de ſentent. excomm. eodem lib.* Oppoſitum non improbabiliter defendit. N. Gabr. *utroque loco citat. num. 32.* Villalob. *tom. 1. tract. 17. diff. 3. num. 57.* citans pro ſe Auil. Quod probabile reputat Dian. *5 part. tract. 10. reſol. 15.* In quorum ſententia, qui antè legitimam ætatem ordinatus eſt bona fide, ſuſpenſus eſt ab exercitio ordinis, non in perpetuum; ſed uſque dum ad debitam ætatem perueniat: & ſi interdū in tali Ordine miniſtret, peccauit quidem mortaliter, nullam tamen irregularitatem

incurret.

incurret. ¶ Ille verò, qui ſuſpenſus eſt vel à Beneficio, vel à iuriſdictione, ſi actum officij, aut iuriſdictionis exerceat, nullam pœnam incurret, quia nulla aſſignatur in iure ipſo facto incurrenda, ſed arbitrio iudicis illi pœna imponenda eſt ſecundum grauitatem delicti, iuxtà *Cap. Vt Clericorum, de vita, & honeſtate Clericor. cap. 2. de Cleric. excomm. miniſtr.* Cornej *ſupra* Palaus, *num.* 6. Suar. *diſp.* 6. *ſect.* 2. *num.* 6. Filliucius, *tract.* 17. *cap.* 10. *quæſt.* 9. *num.* 193. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 30.

*Prohibitum non eſt communicare cum ſuſpenſis.*

14. Rogabis ſecundò: An ſit prohibitum fidelibus, cum ſuſpenſis communicare in ijs, quæ illis ſunt prohibita per ſuſpenſionem: ut Miſſam audire à ſuſpenſo ab ordine: confiteri cum ſuſpenſo à confeſſionibus audiendis, &c. Reſpondetur, quòd nulla lege Eccleſiaſtica eſt prohibita talis communicatio. Solum enim iura prohibent cum excommunicato communicare in ijs, quæ illi prohibentur per excommunicationem, quia ſuſpenſio per ſe à communione cum alijs non retrahit, ſicut excommunicatio, ſed ab exercitio Eccleſiaſtici miniſterij, ut diximus in explicatione definitionis ipſius *n.* 4. Vndè ceſſare non debent officia diuina, etiamſi illis aſſiſtat, qui ab ingreſſu Eccleſię eſt ſuſpenſus, ſi Clericus ſuſpenſus ab Ordine Miſſam dicat, licitè eam audire poſſum. Si paratus eſt audire confeſſiones, qui ab auditione confeſſionum ſuſpenſus eſt; ſed occultè, poſſum cum illo licitè confiteri: & ſic in reliquis cum illo poſſum communicare ex vi iuris Eccleſiaſtici. Palaus, *diſp.* 4. *punct.* 6. *num.* 2. Cornej. *diſp.* 2 *dub.* 1. *quæſit.* 3. Coninc. *diſp.* 15. *dub.* 2 *n.* 17. Dian. 5 *part. tract.* 10. *reſol.* 20. Auil 3. *part. diſp.* 2. *dub.* 4. N. Lezana, *verbo ſuſpenſio* ubi plura habet pro regularibus.

*Quales actus validi ſint, vel nulli, ſi à ſuſpenſo fiant.*

15. Rogabis, tertiò: Qui actus à ſuſpenſo exerciti non ſolum ſint illiciti, ſed inualidi? Reſpondetur, omnes actus ordinis, qui iuriſdictionis ſimul nũ ſunt (ut eſt abſolutio ſacramentalis) validos eſſe iuxtà dicta de excommunicatione, *cap.* 3 *à num.* 25 quia ſunt actus characteris, quos licèt Eccleſia prohibere poſſit, non autem annullare. Et etiam eſt validus actus abſolutionis pręſtitus ab eo, qui ſolum eſt ab Ordine ſuſpenſus, & non à iuriſdictione. Quia licèt talis actus ſit prohibitus tunc, quia exerceri non poteſt ſine actu, & exercitio Ordinis; non tamẽ ab eo eſt ablata iuriſdictio, vel exercitium illius. At verò qui ſuſpenſus eſt à iuriſdictione, & vitandus, inualidè actus iuriſdictionis, à qua ſuſpenſus eſt, exercet, quia ſuſpenſio à iuriſdictione eſt actualis priuatio illius, ſeu exercitij eius. Si tamen non ſit vitandus, & licitè, & validè tales actus exercet, ſi à fidelibus requiratur; ſi verò ipſe non requiſitus ſe ingerat, illicitè quidem eos efficiet, validè tamen, quia Eccleſia eos tolerans in illis iuriſdictionem conſeruauit, iuxtà dicta de excommunicatis. Poteſt etiam Pœnitentię Sacramentum impendere (etiamſi ſuſpenſus denuntiatus ſit à confeſſionibus audiendis) in articulo mortis, & in caſibus, in quibus diximus, poſſe excommunicatum illud conferre, *cap.* 3. *punct.* 3.

*Suſpenſus ab Ordine nõ ſuſpenditur à iuriſdictione.*

16. Rogabis, quartò: an ſuſpenſus ab Ordine ſuſpenſus à iuriſdictione cenſeatur? Ratio dubitandi eſt, quia ablato ſundamento, auſertur id, quod ſuprà illud fundatum eſt iuxtà illud Philoſophorum: *deſtructis nobis, deſtruuntur ea, quæ ſunt in nobis.* Sed iuriſdictio Eccleſiaſtica, à qua ſolummodò priuat ſuſpenſio, in Ordine fundatur, & ſine eo haberi nequit. Qua ratione fœminæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſunt incapaces, quia ſunt incapaces Ordinis ſuſcipiendi: ergò hoc ipſo quod alicui uſus Ordinis prohibeatur etiam prohibetur uſus iuriſdictionis; quæ in Ordine fundatur. Ob quam rationem aliqui aſſerunt, hoc ipſo quod ab Ordine abſolutè, & ſimpliciter aliquis ſuſpendatur, etiam manere ſuſpenſum à iuriſdictione fundata ſuprà talem Ordinem: ut ſi ſuſpendatur ab Ordine Epiſcopali, etiam à iuriſdictione Epiſcopali. ¶ Sed immeritò, quia Ordo quid diſtinctum eſt à iuriſdictione, & ſinè illa poteſt reperiri: ſed pœnæ non ſunt extendendæ, nec trahendæ de uno caſu ad alium ſimilem: ergò ſi ſuſpenſio ſolùm eſt ab Ordine, nõ erit à iuriſdictione. Vndè ſic ſuſpenſus poteſt excommunicare, & à cenſuris abſoluere (non à peccatis in foro Pœnitentiali, quia talis abſolutio eſt actus Ordinis, poteſt eligere, ut dicebamus *num.* 11. quia electio non eſt actus Ordinis, & alia, quæ *dicto numero* diximus, exercere. Ità D. Th. *in addit. quæſt.* 22. *art.* 3. *in corpor.* Cornej *diſp.* 2. *dub.* 2. *quæſit.* 1. Caiet. *in ſumma, verb. Suſpenſio.* Palaus, *diſp.* 4. *punct.* 5. *num* 9. *&* ta. Dian. 5. *part. tract.* 10. *reſol.* 21 Suarez, *diſp.* 26. *ſect* 4. *num.* 3. Auila, 3 *part. diſp.* 2. *dub.* 2 *concl.* 3. Bonacin. *diſp* 3. *punct.* 2. *num.* 4. Antonius, *loc. cit.*

*Soluitur fundamentum oppoſitum.*

17. Nec oppoſitum fundamentum aliquid conuincit, quia pro fundamento iuriſdictionis ſufficit prima tonſura, ut eſt omnibus notum, ſed qui ſuſpenditur ab Ordine, à prima Tonſura non ſuſpenditur, quia ſecundum probabiliorem ſententiam D. Thom. non eſt Ordo, & ſic in odioſis nomine Ordinis non venit: & in proprijs terminis quòd ſuſpenſus ab Ordine non ſit ſuſpenſus à prima Tonſura, docent Cornej *diſp.* 2 *dub.* 1. *quæſit.* 2. Dian *ſupr. reſol.* 6. Bonacin. *num* 6. Leander, *tract.* 4. *diſp.* 3. *quæſt* 14 Tum etiam, quia licèt iuriſdictio in Ordine fundetur, uſus tamen iuriſdictionis non fundatur in uſu Ordinis, niſi in abſolutione ſacramentali: quarè manente Ordine quoad ſubſtantiam, poteſt manere iuriſdictio, & uſus illius; etiamſi uſus Ordinis ſit prohibitus.

*Suſpenſus à beneficio, non eſt ſuſpenſus ab officio.*

18. Rogabis, quintò: an qui ſuſpenſus eſt à Beneficio, etiam ex hoc ipſo ſuſpenſus ſit ab officio? Vel è contrà: an ex hoc ipſo quod aliquis ſuſpenſus ſit ab officio, etiam à beneficio maneat ſuſpenſus? Quantum ad primam partem huius quæſiti, quæ minorem habet difficultatem, dicimus, ſuſpenſum à beneficio minimè manere ſuſpenſum ab officio, & ſic ſuſpenſus à beneficio poteſt, imò tenetur, in Eccleſia, à cuius beneficio eſt ſuſpenſus, celebrare, & alia diuina Officia exercere, ſicut anteà, quia pœna non releuat ab onere: ſicut à ſimili diximus. ſup. *cap.* 3. *n.* 63. Quarè licèt officium ſit propter Beneficium, in pœnam culpæ poteſt priuari fructibus Beneficij, manente onere illud inſeruiendi. Nec hinc ſequitur grauiorem eſſe ſuſpenſionem à Beneficio tantum, quam ab officio, & Beneficio, eo quod per hanc abſoluitur ab onere officij; non per illam. Quia licèt officium ſit onus; eſt tamen honos: & quid grauius eſt apud omnes à Beneficio ſuſpendi, & à poteſtate honorifica exercendi munera, & officia Eccleſiaſtica, quam, manẽte hac poteſtate, priuari

fructibus

Digitized by Google

fructibus Beneficij cum onere illud inſeruiendi? Atquè ità tenent Coninch, *diſp.15 dub.2.num.12.* Suarez, *diſp.27. ſect.1 n.3.* Dian. *5 part. tract.10. reſol.3.* Auil. *3.p. diſp.2.dub.1 concl 4.* Cornej. *diſp. 2.dub.4. quæſit.1.* Bonacin. *diſp 3 punct.2.num.13.* Palaus, *diſp 4 punct.5. §.2.num.1.*

*Suſpenſum ab officio, etiam à Beneficio ſuſpendi, aliqui dicunt.*

19. Grauior eſt autem inter DD. difficultas: An ſuſpenſus abſolutè, & ſimpliciter ab officio, ſit etiam ipſo facto ſuſpenſus à Beneficio: Duplex datur ſententia. Prima affirmatiua, quam tenent Valent. *tom.4. diſp.7 quæſt.18 punct.1* citans Syluest. *verbo ſuſpenſio num.5.* Couarr. *epitom.4. p.2.cap.6.num 13. & 14.* tenet etiam Tabien. *verb. ſuſpenſio, n.4.* Palud. *in 4 diſt.18.q.7.concl 3.* Gloſſ. *in cap Latores, verb. Ab officio, de Cleric.excommun. miniſtrant.* Et loquendo de eo, qui ob graue crimen eſt in perpetuum ſuſpenſus ab officio, ut Parochus homicida, Enriq *lib.13 cap 32 num.3.* Et de ſuſpenſo ab homine, Hoſtienſis relatus à Gloſſa, *in cap 1. verb. Officium, de ſentent. & re iudicata.* Et probatur, primò, quia Beneficium datur propter officium, *cap. finali, de reſcriptis, & c. in 6* & eſt illi acceſſorium: ſed ablato principali, aufertur illi acceſſorium, & adhærens, *leg. Oratio ff de ſponſalibus, & cap. Acceſſorium. de regul. iuris in 6.* ergò qui eſt ſimpliciter ab officio ſuſpenſus, erit etiam à Beneficio; ità ut fructus illius percipere non poſſit. Secundò, quia indè probauimus ſuprà *cap.3. num.112.* excommunicatum fructibus Beneficij priuari, quia eſt priuatus officio, & Beneficium datur propter officium: ergò ſimiliter in præſenti.

*Verius eſt, non ſuſpendi à Beneficio, qui ſuſpenſus eſt ab officio.*

20. Communis autem, & vera ſententia tenet, ſuſpenſum ab officio, ſiuè ſit à iure, ſiuè ab homine, ſiuè ob crimen grauiſſimum, ſiuè non, non ex hoc manere ſuſpenſum à Beneficio: proindeque poſſe fructus Beneficij percipere, ſi per ſe, vel per Vicarium munera, & officia Eccleſiaſtica exequatur. Et probatur, primò, quia, in iure diuerſa eſt ſuſpenſio ab officio à ſuſpenſione à Beneficio: & ſic quandoq; iura à Beneficio ſuſpēdunt, quandoque ab officio, quandoque ab utroque, ut vidimus *num.5.* ergò ex hoc quod aliquis ab officio ſuſpendatur, non manet ſuſpenſus à Beneficio. Secundò, quia nomine officij non venit Beneficium; & ideò in iure Canonico diuerſa de utroque datur conſideratio: quapropter de Beneficio agitur *in tit. de Præbendis*, de officio, *in tit. Archidiaconi*, & ſequentibus: ergò quandò imponitur ab officio ſuſpenſio, non intelligitur de ſuſpenſione à Beneficio. Patet conſequentia, quia leges pœnales debent accipi in proprio ſenſu, *cap. Odia, cap. In pœnis, de regul. iuris in 6. leg. Interpretatione. ff de pœnis.* Ità Coninch, *n.6.* Auil. *concl.6.* Sanch. *lib.3. de Matrim. diſp.51.n.12.* Cornej. *diſp.2.dub.1.quæſ.5.* Suarez, *diſ.26. ſect 3. n.4.* Palaus, *punct.5.§.1. num 5.* Reginald. *lib.32. tract.2. cap.19 n.11.* Laym. *tract.5. part.3. cap.1. num.3.* Dian. *reſol 1.* Bonacin *n.10.* Leand. *tr.4. diſp.3.quæſt.4.* N.Gabr. à S Vinc. *de cenſur.diſp. 5. à num 37. & in ſumma moral. verb.cit.* Antonius à Spirit. S. *loc. cit. n.711.* Erit tamen priuandus Beneficio, qui ex graui crimine ab officio in perpetuum eſt ſuſpenſus, ut notant Sanch. Coninch, Diana, *ex cap. Tuarum, de Purgatione Canonic.*

*Quædam limitatio, & excluſio illius.*

21. Limitant præcedentem concluſionem Cornejo, *loc. citat.* ex Nauarr. *in Manuali, cap.7. num.170.* Couarruu. *4. Decretal. 2.part. cap.6. §. 8.num.7.* Viuald. *in Candelabr. 2.part. de Suſpenſione, n.172. in fine*, quod ſuſpenſus ab officio maneat priuatus illis fructibus Beneficij, qui ità annexi ſunt perſonali miniſterio, ut abſque illo non dentur: ut quotidianæ diſtributiones Cathedralium, quæ ſolùm in choro canentibus conceduntur, iuxtà *capit. Licet, de Præbendis*: quas inquiunt, lucrari non poſſe, qui eſt ab officio ſuſpenſus, eo quod recitantibus in choro ex officio conceduntur. Nec ſimiliter alias diſtributiones, quæ ſibi conceduntur ob miniſteria prohibita per ſuſpenſionem: ut propter collationem Sacramentorum, Miſſæ celebrationem, &c. ¶ Verius tamen dicendum eſt cum Sanchez, Enriq. *loc. citat.* Auila, *concluſ. 6.* Palao, *num.7.* N. Antonio *num.13.* poſſe tales diſtributiones lucrari etiam qui ſuſpenſus eſt ab officio, & miniſterio, ob quæ conferuntur. Quia niſi detur expreſſus textus, non ſunt pœnæ extendendæ ultrà id, quod ex iure habetur: atqui nullus datur textus, in quo ſuſpenſus ab officio priuetur fructibus illi officio annexis; nec in quo ſuſpenſus à miniſterio priuetur prouenientibus tali miniſterio coniunctis; quamuis illicitè tale miniſterium exequatur, ſi verè, & quoad ſubſtantiam tale miniſterium exercet: ergò, &c. Maximè, quia prouentus illi conferuntur ob miniſterium, ſecundum quod utile Eccleſiæ, eſt autem utile, ſi ſecundum ſubſtantiam fiat, etiamſi illicitè: ut cantus in choro, Sacramentorum adminiſtratio, &c.

*Soluuntur contraria argumenta.*

22. Ad primum contrarium argumentum reſpondetur. Primò, Beneficium dari propter officium, per ſe, vel per alium eius nomine exercendum; ſuſpenſus verò licèt munera officij nequeat exequi per ſe, benè tamen per alium, & tunc fructus Beneficij percipere. Secundò reſpondetur, quòd officium, de quo loquimur, à quo ſuſpenſio priuat, non eſt acceſſorium Beneficio, nec Beneficium officio, ut ſemper adinuicem comitentur, ſiquidem officium poteſt dari abſque Beneficio, ut patet in Clerico, qui Beneficium non habet, & officia Clerici exercere poteſt. Similiter Beneficium datur ſinè officio alicuius Eccleſiaſtici miniſterij, & ſolum ob officium recitandi Horas Canonicas, ut in ſimplicibus Beneficijs. Et tunc eſt verum, quod, deſtructo principali, deſtruitur acceſſorium, quandò mutuò ſe inferunt, ſemperquè coniunguntur. Quarè in præſenti ſufficit, ſi Beneficiatus ſuſpenſus ab officio per ſe Horas perſoluat, & per alium miniſteria alia exequatur, ut fructibus non priuetur. In caſu autem, de quo loquitur ſecundum argumentum, datur expreſſus textus priuans excommunicatum fructibus Beneficij, qui etiam priuatus eſt ab exercitio officij, *cap. Paſtoralis, §. Verùm, de appellationibus.* Et eſt congruentia, quod priuetur, quia eſt ab officio ſuſpenſus. Quæ ratio non probat ipſo facto priuatum eſſe, ſed congruenter, & rationabiliter à iure priuandum eſſe: quamdiù autem non datur ius de facto priuans, erit rationabile, quod priuetur; non autem ipſo facto priuatur.

PVNC.

Digitized by Google

## PVNCTVM III.

*Quos effectus habeat ſuſpenſio ab officio, ſuſpenſio à iuriſdictione, ſuſpenſio ab ordine, & ſuſpenſio à Beneficio.*

*A quo priuetur ſuſpenſus ab officio.*

23. DIcendem eſt 1. ſuſpenſum ab officio per ſuſpenſionem abſolutè, & ſimpliciter latam priuari omni uſu ordinis, & iuriſdictionis, alteriuſuè Eccleſiaſtici miniſterij, quod non niſi à Clerico ut tali exerceri poteſt: & ſic nec miniſtrare poteſt Sacramenta, nec celebrare, aliumuè actum ordinis exercere, nec poteſt excommunicare, abſoluere, indulgentias concedere, ad confeſſiones alios exponere, exercere actus Pontificalium, nec alia miniſteria agere, quæ vel ordinē ſupponunt vel actus iuriſdictionis concernunt. Et ratio eſt, quia ſuſpenſio ab officio abſolutè prolata ab omni officij uſu auertit: quia qui totum prohibet, partes prohibitas relinquit: ſed officium ordinis, & quidqoid illi eſt annexum, & officium iuriſdictionis, & quidquid illi eſt annexum, & coniungitur cum illo, nomine officij veniunt, & ſunt quaſi illius partes integrantes: ergò hoc ipſo, quod aliquis abſolutè, & ſimpliciter ſuſpendatur ab officio, ab exercitio ordinis, & iuriſdictionis ſuſpenditur. Ità D. Th. *in addit q.* 22. *art.* 3. Enriq. *lib.* 13 *c.* 31. *n* 1. Corn. *tr.* 5. *diſp.* 2 *dub.* 1. Palaus, *diſp.* 4. *punct.* 5. *n.* 1. Auil. 3. *part. diſp.* 2. *dub.* 1 *concl.* 5. Saurez, *diſp.* 26. *ſect.* 1 *n.* 3. Coninch, *diſp.* 15. *dub.* 2. *n.* 5. N. Gabr. à S. V. *de cenſ. diſp.* 5. *à n.* 13. Lezana, *verbo ſuſpenſio.* N. Anton. à Spirit. S. *n.* 710. Stephan. à S. P. *num.* 271.

*Quæ poſſit ſuſpenſus ab officio exercere?*

24. Alia verò miniſteria, quæ non ſunt propria Clericorum, poteſt ſuſpenſus ab officio exercere: & ideò poteſt Sacramenta recipere (excepto ordine) diuinis Officijs intereſſe, lucrari indulgentias, Miſſam celebranti inſeruire, Pſalmos, & Horas Canonicas cum alijs in choro cantare (dummodo orationes, & Capitula quaſi ex officio non canat, quia id ex uſu ſolis Sacerdoribus conuenit) Epiſtolam abſque ſacris veſtibus cum cantu dicere, actū minoris ordinis etiam ſolemniter exercere; quia hæc omnia non ſunt actus iuriſdictionis, nec Clerici ut talis; cum poſſint à merè laicis fieri. Suar. *ſect.* 3. *n.* 10. Cornej. *dub.* 1. *in fin.* Auil. *conc.* 6 Conin. *concl.* 1. Lezana, *&* Anton. *loc. cit.* Gabr. à S. Vinc. *loc cit*, *n.* 44. *& in ſumm morali verbo, ſuſpenſio.* 4. Palaus, *n.* 1. Qui addit, quod etiamſi dicatur: *Maneat ſuſpenſus ab omnibus diuinis*, intelligendum eſt de illis diuinis, quæ à Clericis, ut talibus, debent exerceri. ¶ Non poteſt verò ſuſpenſus licitè (quamuis validè) Sacramentū ordinis recipere: quia qui ſuſpenſus eſt ab officio, & exercitio ordinis, etiā à ſuſceptione illius ſuſpenſus remanet iuxtà regulā traditam in *cap. final. de Cler. ic excom, miniſtr.* Qui eſt priuatus aliquo munere, vel actu, eſt priuatus acceptione omnium illorum, quæ ad tale munus ordinantur, & meritò, quia eſt contrà rationem recipere ordinem, qui non poteſt actū ordinis exercere, Cornej. *loc cit.* Sayr. *lib.* 4. *c* 6. *n.* 23. Filliuc. *tr.* 18. *cap.* 2. *n.* 21. *&* 22.

*Suſpenſus ab officio nouum Beneficiū nequit recipere.*

25. Ex qua ratione infero (contrà Hurt. *diſſ.* 4. *de ſuſpenſ n.* 8 Dian. 5. *p. tract.* 10. *reſ.* 2. alios referentem) quod ſuſpenſus ab officio prohibitus eſt, nouum Beneficium habens annexum officio, à quo eſt ſuſpenſus, recipere, quia Beneficiū datur propter officium ordinis, vel iuriſdictionis: ſed ex *d. cap. fin.* qui non poteſt officiū exercere, non debet de nouo recipere id, quod propter exercitiū datur: ergò, &c. & ſic ſuſpenſio ab officio, virtualiter eſt ſuſpenſio à Beneficio de nouo recipiendo. Ità Corn *diſ.* 2 *dub.* 1. *quæſit.* 6. Auil. *dub.* 1. *concl.* 5. Coninc. *concl* 3 Palaus, *n.* 2. Enriq. *lib.* 13. *c.* 32 *n.* 3. ¶ Sed ſi illicitè Beneficium recipiat, collatio illius non eſt irrita, ſed irritanda: ut de receptione Beneficij ab excommunicato minori excommunicatione dixim. *cap præc. punct. ult.* Sic Suar. Cornej Coninc. Dian. Hurt *cit &* Leand. *tract.* 4. *diſ.* 9. *q.* 2. & de electione, vel collatione Beneficij irritanda, non irrita ipſo iure loquuntur textus adducti à Palao, Auil. Bonac. *diſp.* 3. *punct.* 3. *num.* 13. oppoſitum ſentientibus.

*Quos effectus habeat ſuſpenſio à iuriſdictione.*

26. Dicendum eſt 2. ſuſpenſionem à iuriſdictione abſolutè latam priuare omni uſu iuriſdictionis ſpiritualis, quia propoſitio abſoluta in materia morali, & doctrinali uniuerſali æquiualet: & ſimiliter ab actu ordinis, qui exerceri nequit ſine actu iuriſdictionis (ut abſolutio ſacramentalis, & collatio ordinum) quia cui actus eſt prohibitus, etiam prohibetur id, quod ſine tali actu nequit exerceri, non verò priuare alijs actibus ordinum, aut officij: ideòque poteſt celebrare, & miniſtrare Sacramenta alia; niſi ea ex officio adminiſtret ut Parochus, quia tunc iam actum iuriſdictionis exercet, à quo eſt priuatus. Suſpenſio verò à determinata parte iuriſdictionis non prohibet aliam exercere partem: ut Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Beneficij, *in capit. Graue, de Præbendis, capit. unic. de Sede vacante in 6.* poteſt alia officia Epiſcopalia exercere: & Parochus qui à confeſſionibus audiendis eſt ſuſpenſus, poteſt alia Sacramenta miniſtrare: quia limitata cauſa limitatum producit effectum, & exceptio unius firmat regulam in contrarium: argumento *cap Nonne, de præſumptionibus, l. Cùm Prætor, de Iudicijs.*

*Quos effectus habeat ſuſpenſio ab Ordine?*

27. Dicendum eſt 3. Suſpenſionem ab ordine abſolutè, & ſimpliciter latam prohibere omnem actum cuiuſcumque ordinis, tam maioris, quam minoris exercitum ſolemniter, vel ex officio, illo modò quo à laicis purè talibus nequeunt exerceri. Nec poteſt ſic ſuſpenſus aliquid exercere, quod iure diuino, vel humano, vel ex conſuetudine, eſt ordini annexum: quia, ut multoties diximus, propoſitio indefinita in materia morali, & doctrinali æquiualet uniuerſali: & ſic dicere: *Suſpendo te ab Ordine*, idem erit, ac dicere: *Suſpendo te ab omni Ordine, & ab eo, quod eſt Ordini annexum*, Auil. *concl.* 8. Cornejo, *ubi*, *diſp.* 2 *dub.* 2. Palaus, *num* 11. Enriq. *num* 2. N. Anton. *n.* 712. Idem ſentiendum eſt de ſuſpenſo à collatione ordinum ſimpliciter, & abſolutè, quòd ſuſpenſus eſt ab omnium ordinum collatione, præterquàm à prima tonſura, quæ verè non eſt ordo, ut diximus *num* 22.

*Qui à maiori Ordine eſt ſuſpenſus, non eſt à minori.*

28. Sed eſt grauis difficultas. An qui ſuſpenſus eſt ab ordine inferiori, etiam à ſuperiori ſuſpenſus maneat? In quo ut certum ſuponendum eſt, quod qui ſuſpenſus eſt ab ordine ſuperiori, non ob id maneat ſuſpenſus ab inferiori: ut qui ſuſpenſus eſt à Sacerdotio non eſt ſuſpenſus à Diaconatu, vel Subdiaconatu: vel qui ſuſpenſus eſt ab exercitio ordinis Epiſcopalis, non eſt ſuſpenſus

Digitized by Google

ſpenſus ab exercitio ordinis Sacerdotalis. Tum, quia etſi maius prohibetur, non ob id, quòd minus eſt, cenſendum eſt illi prohiberi. Tum etiam, quia nulla eſt indecentia, ut qui arcetur ut indignus à maiori officio, ad id, quod minus eſt, & minorem dignitatem exigit, admittatur. Ità Bonacin. *diſp.* 3.*punct.*2.*num.*7. Cornej. *quæſt.* 4. Auil *diſp.*2.*dub.*1.*concl.*9. Dian. 5.*part tract.* 10. *reſol* 5. Palaus, *num.* 11. Leand.*tract.*4 *diſp.* 3. *q.* 14. Anton. *num* 724.

*Qui eſt determinatè ſuſpenſus à minori Ordine à maiori non ſuſpenditur.*

29. Similiter eſt certum, quod ſi aliquis ſuſpenditur ab ordine inferiori, vel addita particula *ſolum*, vel *tantum*, vel ut puniatur in eo, quod peccauit, non manet ſuſpenſus ab exercitio ordinis ſuperioris: quia cenſura, maximè ſuſpenſio, ex voluntate ſuperioris imponentis illam dependet; in cuius eſt voluntate illius effectum ampliare, vel reſtringere, iuxtà dict *n.* 10. ergò quandò ſuperior expreſſè tantum vult ab aliquo actu Clericum ſuſpendere, vel ex eius verbis talis voluntas colligitur, ſolum ab illo actu iudicandum eſt, velle illum arcere Ità communiter Doctores, qui benè limitant ad caſum, quo actus ordinis ſuperioris actum inferioris ordinis, à quo ſuſpenſus eſt, includeret, quia tunc etiam in ſuperiori ordine ſuſpenſus cenſetur: quia ut diximus *n.* 26. cui eſt actus prohibitus, prohibetur etiam id, quod ſine tali actu nequit fieri. Vndè qui ſuſpenſus eſt ab ordine Diaconatus, vel Subdiaconatus, etiam cenſetur ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, quæ ſinè recitatione Euangelij, & Epiſtolæ (quod eſt illorum officium) nequit exerceri, argumento ex *cap. Ex litteris, de exceſſibus Prælatorum, ad finem.* Vbi ſuſpenditur Epiſcopus propter homicidium, cui authoritatem præbuit, ab Altaris miniſterio, & conſequenter à Pontificali officio, quia nequit hoc officium abſque Altaris miniſterio exerceri.

*Status difficultatis proponitur.*

30. Quarè controuerſia eſt inter Doctores: An quandò officium Ordinis ſuperioris poteſt exerceri ſinè actu proprio inferioris, maneat ab eo ſuſpenſus, qui ſuſpenſus eſt ab ordine inferiori abſolutè, & ſimpliciter abſque ulla reſtrictione. V. gr. ſuſpenditur aliquis ab officio Diaconi, poteritne munus Sacerdotis facere, quod abſque Euangelij recitatione poteſt exerceri, ut abſolutio Sacramentalis, Baptiſmus ſolemnis? &c. Suſpenſus eſt ab Ordine Subdiaconatus, poterit exercere munus Diaconi ab illo independens? Suſpenſus eſt à Sacerdotio, poterit munus Epiſcopale, quod fieri poteſt ſine actu Sacerdotali, exercere? Duplex eſt ſententia, utraque ſatis probabilis.

*Prima ſententia aſſerens ſuſpenſum ab ordine minori à maiori ſuſpenſum eſſe.*

31. Prima ſententia eſt negatiua. Et probatur primò: quia deſtructo fundamento, deſtruuntur omnia, quæ fundantur in illo: ſed ordines ſuperiores in inferioribus fundantur: his ergò prohibitis quoad exercitium, etiam illi prohibiti cenſentur. Secundò, quia indecentia maxima eſt, ut qui tanquam indignus ab inferiori miniſterio arcetur, ad ſuperius admittatur, quia cui minus indecens eſt, nec maius licere debet: argumento ex *capit. Cum illorum, de ſent. excommunicat.* ibi: *Cum maiora intelligantur prohibita illis, quibus vetita ſunt minora.* Nec ſit licitum maiora concedere illi, qui arcetur à minoribus, *Regul. Cui licèt, de regul. iuris in 6. leg. Relegatorum, §. Finali, ff. de Interdictis*, ubi dicitur: *Cui honor inferior interdictus eſt, maiores quoque interdictos cenſeri debere*: & qui indignus eſt minori honore, eo ipſo maiori indignus eſt, *leg. Qui indignus, ff. de Senatoribus*: ergo qui ſuſpenſus eſt à minori Ordine, cenſetur ſuſpenſus à maiori. Ità tenent Auila, *dub.* 1. *concl* 9. Sayr. *libr.* 4. *cap.* 3. *num.* 2. Enriquez, *cap.* 33 *n.* 1. Dian. 5 *part. tract.* 10. *reſol.* 5. Leand. *q.* 16. Suarez, *diſp.* 26. *ſect.* 4. *num.* 6. Bonacin. *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 7. Coninch, *dub.* 2 *num* 10. Cornejo, *quæſt.* 3. Anton, *num.* 725. Et conſequenter dicunt, eum, qui ſuſpenſus eſt ab inferiori ordine, non poſſe ſuperiorem recipere propter eaſdem rationes. Sed aſſerunt, non fieri irregularem exercendo actum ſuperioris ordinis, in quo actus inferioris non continetur: quia non facit aliquid ſibi directè prohibitum per cenſuram, ſed ſolum per quandam conſecutionem propter indecentiam.

*Suſpenſus ab ordine inferiori non eſt à ſuperiori.*

32. Nihilominus dicendum eſt, nec directè, aut indirectè prohibitum eſſe exercitium actus ſuperioris ordinis, in quo actus inferioris non includitur, ei, qui ſuſpenſus eſt ab ordine inferiori. Probatur primò concluſio, quia Epiſcopus qui eſt ſuſpenſus à collatione ordinis inferioris, ſuſpenſus non cenſetur à collatione ordinis ſuperioris: ergò nec ille, qui eſt ſuſpenſus ab exercitio ordinis inferioris, eſt ſuſpenſus ab exercitio ordinis ſuperioris. Antecedens licèt negetur ab Auil. Sayr. Corn. Tolet. *lib.* 1. *c.* 43. *n* 5. conceditur à Suar. *diſp.* 26 *ſect.* 4 *n* 11. *&* 14. Coninc. *loc. prox cit.* Dian. *reſ.* 6. Hurtad. *de ſuſpenſ. diff.* 4 *n.* 10. Palao, intrà *citando n.* 17. Præpoſ. *in* 3 *p. q.* 3 *de ſuſpenſion dub.* 2 *num* 18 Laym. *libr.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 6 Filliuc. *tract.* 17. *cap.* 2. *num.* 25. *&* 26. Et probatur, quia in *cap. ult. de temporibus Ordinationum in* 6. ſuſpenditur Epiſcopus à collatione primæ tonſuræ, & tamen in omnium ſententia à collatione aliorum ordinum non ſuſpenditur: & in *capit. Litteras, de temporib. Ordinat.* ſuſpenditur Epiſcopus à collatione Diaconatus, & Presbyteratus: quòd ſuperfluum eſſet, ſi per hoc quòd à collatione Diaconatus eſſet ſuſpenſus, etiam ſuſpenſus eſſet à collatione Ordinis Sacerdot. Conſequentia verò probatur. Tum, quia ideò per hoc quod Epiſcopus ſuſpendatur à collatione Ordinis inferioris, non ſuſpenditur à collatione Ordinis ſuperioris, quia poteſt unum conferre ſinè alio: ergò qui poteſt actum ſuperioris ordinis exercere ſine actu inferioris, per hoc quòd hic ſit illi prohibitus, non erit ille. Tum etiam, quia omnia in contrarium adducta æquè militant in præſenti caſu.

*Vlterius concluſio probatur.*

33. Secundò probatur concluſio noſtra: Quia pœnæ ſunt reſtringendæ, nec leges pœnales poſſunt de uno ad alium caſum extendi: ergò cum ſit diuerſum ſuſpenſio à Diaconatu, v. g. à ſuſpenſione à Sacerdotio; per hoc quòd aliquis ab illo ſuſpendatur, cenſendus non eſt ab iſto ſuſpenſus. Maximè, quia licèt Sacerdotium ſupponat pro fundamento Ordinem inferiorem; non verò exercitium omne illius, iſtius exercitium ut fundamentum ſupponit. Per quòd ſoluitur primum argumentum contrariæ ſententiæ. Tertiò, quia licet ſit conueniens, ut cui interdictum eſt minus, maius interdicatur, imò etiam hoc ipſo, quod ex ſe, & abſolutè ſit indignus minori munere, maiori indignus ſit (quod & non

amplius

amplius probat ſecundum argumentum) non verò indecens eſt, quòd qui in pœnam eſt priuaſus minori munere, priuetur etiam maiori, quia pro minori culpa minor pœna infligenda eſt, & maior pro maiori. Quare ſolum probat, priuatum à minori Ordine minorem culpam incurriſſe, ob quam non debuit priuari maiori. Aliàs ſi hoc ipſo quod in pœnam aliquis minori munere priuaretur, digniori eſſet priuatus, iam qui ſuſpenſus eſſet à munere prædicandi, à munere celebrandi, & abſoluendi, quod dignius eſt, eſſet priuatus, quod nemo dicet: & Epiſcopus, qui eſt ſuſpenſus à munere confirmandi, etiam eſſet ſuſpenſus à munere conſecrandi, & Ordines conferendi, quod eſt maius, quod nemo dixit. Concluſionem duobus numeris probatam tenet Hurtad. *num.* 9. Laym. *cap.* 1. *num.* 6. Filliuc. *num.* 25. *&* 29. Palaus *num.* 15. qui citat Suarez *diſp.* 26. *ſect.* 4. *num.* 11. *&* Coninch, *diſp.* 15. *dub.* 2. *n.* 10. Sed malè utrumque, quia ſolùm dicunt, opinionem noſtram eſſe probabilem; quamvis ipſi oppoſitam teneant: & ideò pro illa eoa nos citauimus.

*Quibus priuetur ſuſpenſus à Beneficio?*

34. Dicendum eſt quartò, per ſuſpenſionem à Beneficio non priuari ſuſpenſum à Beneficio, quod legitimà poſſidet, ut omnes aſſerunt ex *cap. Cupientes*, §. *Caterùm, de electione in* 6. ſed priuari perceptione omnium fructuum, & prouentuum Beneficij, quia cùm ſuſpenſio non tollat titulum, & poſſeſſionem Beneficij, nec ius radicale percipiendi fructus, tollit ad minus uſum talis iuris. Vndè non ſolùm peccat mortaliter, qui fructus percipit Beneficij, à quo ſuſpenſus eſt, ſed illos tenetur reſtituere, ſed non incurrit irregularitatem percipiendo eos, quia actum Ordinis Sacri non exercet. Quid autem intelligatur nomine fructus Beneficij? Et an qui Beneficio inſeruit, poſſit fructus illius percipere ſuæ ſuſtentationi congruos? Et an nomine Beneficij penſio intelligatur? Cæteraque huc pertinentia acta ſunt à nobis *cap.* 3. *punct.* 9. *&* 10. *per totum*. Et quæ ibi dicta ſunt de excommunicatione, proportione ſeruata, applicanda ſunt ſuſpenſioni. Vndè cum ibidem *num.* 113. dixerimus, ante ſententiam iudicis non teneri excommunicatum fructus perceptos reſtituere, dicendum eſt idem de ſuſpenſo. Quod tenet Nauarr. *libr.* 2. *de reſtit. cap.* 2. *num.* 237. Auil. 2. *par. cap.* 6. *diſp.* 6. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Diana 5. *part. tractat.* 10. *reſol.* 3. citans Præpoſitum, *&* Tannerum, Sà, *verb.* Suſpenſio, *num.* 7. N. Gabr. a. S. V. *hic diſp.* 5. a. *num* 67. *& in ſum.* Anton. *n.* 715.

*Suſpenſus à Beneficio illud nequit adminiſtrare.*

35. Sed notandum eſt, primò: quòd inter fructus Beneficij, illius adminiſtratio eſt connumeranda. Vndè ſuſpenſus à Beneficio nequit locare Beneficium, ſeu illius bona, fructus vendere per ſe, vel per alium, in iudicio agere, vel præſtare aliquam actionem, quæ pertineat ad temporalem illius adminiſtrationem, ut ex ſententia communi docet Palaus §. 2. *num.* 4. Dian. *reſ.* 3. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. Laym. *cap.* 1. *num.* 3. Quare illi œconomus conſtituendus eſt, ut habetur *cap.* 1. §. *ult. de electione in* 6. *& cap. Cupientes*, §. *Caterùm, eod. tit. & libr.* Imò nec poſſe ſic ſuſpenſum Beneficium permutare, aut in fauorem tertij reſignare: quia hæc permutatio, & reſignatio eſt quidam Beneficij uſus, docent Palaus, Sayr. *&* Suar. Sed an verùm ſit loquendo de reſignatione? Vide, quæ diximus *cap.* 3. *num.* 92.

*Suſpenſus ab uno beneficio alterius fructus percipere poteſt.*

36. Notandum eſt 2. quòd ſuſpenſio ab uno Beneficio non impedit percipere fructus alterius, quod obtinet, qui ſuſpenſus eſt: ex *cap. Cupientes, cap. Si compromiſſarius, de electione in* 6. *cap. Si Canonici, de Officio Ordinarij, eodem lib.* Vndè nec impedit alterius receptionem Beneficij. At ſuſpenſio ab omni Beneficio prohibet, quod aliquod recipiatur iuxta regul. ex *cap. final. de Cleric. excomm. miniſt.* quòd cui prohibetur actus, etiam prohibetur de nouo acquirere poteſtatem ad illud: ſed receptio Beneficij dat de nouo poteſtatem, & ius ad fructus illius perceptionem: ergò cùm ſuſpenſus tali perceptione ſit priuatus, etiam priuatus eſt nouum Beneficium recipere, non tamen ipſo iure erit irrita talis receptio, ſed irritanda ope iudicis, ut teſtantur Cornej. *diſp.* 4. *quaeſt.* 2. Suar. *diſp.* 27. *ſect.* 1. *num.* 26. Coninch, *num.* 14. Dian. *reſ* 7. Laym. *cap.* 1. *num.* 3. Leand. *tr.* 4. *diſp.* 3. *q.* 31. Palaus §. 2. *num.* 3. quia non datur textus, ex quo colligatur irritatio ipſo iure facta. Addit Suarez *num* 27. Pal. *&* Leand. *cit.* probabile eſſe, quòd ſi non habens Beneficium, committat crimen, cui annexa eſt ſuſpenſio à Beneficijs, poteſt licitè nouum Beneficium recipere: quia talis pœna adverſus Beneficiarios cenſetur ferri, qui ob ſuſpenſionem à Beneficijs perceptis ſuſpenduntur, & ex conſequenti ab aliorum acquiſitione.

*Quomodo habens plura Beneficia non maneat ab omnibus ſuſpenſus.*

37. Sed rogabis 1. An qui plura Beneficia accepit, ſi incurrat crimen, cui annexa eſt ſuſpenſio abſolutè, & ſimpliciter lata, maneat priuatus omnibus fructibus Beneficiorum, quos poſſidet? Reſp. ſub diſtinctione. Vel enim talis ſuſpenſio lata eſt ob crimen generale, & omnem ſtatum, & locum reſpicientem: ut eſt illa, quæ Clem. 2. *de vita & honeſt. Cleric.* impoſita eſt contra Clericos, habitum clericalem non geſtantes. Et tunc ab omnibus Beneficijs manet ſuſpenſus: tum, quia non eſt maior ratio, quare ab uno, & non ab alio: tum etiam, quia propoſitio indefinita univerſali æquivalet in moralibus & doctrinalibus. Vel fertur talis ſuſpenſio ob crimen aliquod contra particularem Eccleſiam commiſſum: & tunc ex circumſtantia adiuncta limitatur, ut intelligatur de ſuſpenſione à beneficijs, quæ in illa Eccleſia poſſidet: arg. ex *capit. Si compromiſſarius, de elect. in* 6. ubi eligentes indignum ſuſpenduntur à Beneficijs, quæ poſſident in illa Eccleſia, quam per talem electionem offendunt, Cornej. *diſp.* 2. *dub.* 4. *q.* 3. Vgol. *tab.* 4. *cap.* 8. §. 5. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 24. Palaus *num.* 2. Leand. *q.* 22. Alter *diſp.* 5. *cap.* 3. *ferè per totum*, Filliuc. *tract.* 17. *cap.* 3. *q.* 3. *num.* 41.

*Limitatio precedentis doctrina.*

38. Sed huiuſmodi univerſalis doctrina limitatur, quando etſi lata ſit ſuſpenſio abſolutè, ex intentione ferentis, aut verbis eius, ad aliquod particulare Beneficium limitatur: ut quando ſuſpenditur *Canonicus, Epiſcopus, Rector* ſub his nominibus *Rectoris, Canonici, aut Epiſcopi*: quia tunc ſolum cenſetur ſuſpenſio à Beneficijs, quæ ratione illarum dignitatum poſſident: eo quod prædicata ſæpè ex ſubiectis limitationem ſuſcipiunt. Similiter prudenter interpretandum eſt quod quando Epiſcopus ſuſpendit Clerum à Beneficijs omnibus ad menſem, vel ad annum, vel in perpetuum, intentionem illius eſſe, ut ſuſpenda-

tur ab omnibus, quæ intrà eius Diœceſim, & territorium poſſidet. Quia licet non negemus, Epiſcopū poſſe ſuſpendere ſubditum à Beneficijs, quæ in alia Diœceſi obtinet, ſiquidem hoc non excedit ſuam iuriſdictionem, cum ſolum priuet ſubditum iure ſibi inhærente ad Beneficium, at niſi id exprimat, intelligendum eſt, ipſum velle priuare illum ab iis, quæ poſſidet in ſuo territorio. Ità Suar. *num.* 10. Corn. *quæſ.* 3. Palaus *num.* 2 *cit.* Sayr. *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 18. Et idem dicendum eſt de ſuſpenſione à iuriſdictione, quòd ſi abſolutè feratur, ſolum probibet exercitium eius in ſua Diœceſi; non ita de ſuſpenſione ab Ordine: quia talis ſuſpenſio abſolutè lata probibet exercitium Ordinis, tàm in ſua, quàm in alia Diœceſi. Et ratio differentiæ eſt: quia exercitium Ordinis ubique unicum eſt; at iuriſdictio pro diuerſitate locorum accipit variationem, & Beneficium, quod eſt in una Diœceſi, diuerſum eſt, & fructus eius diuerſi ſunt, à Beneficio, & fructibus alterius territorij.

## PVNCTVM IV.

### *De cauſis ad ſuſpenſionem ferendam requiſitis.*

*Quæ ſint cauſa ſuſpenſionis.*

39. OMnia, quæ circà cauſam efficientem cenſuræ, circà poteſtatem Eccleſiæ ferendi eam, circà modum, quo talis poteſtas acquiritur, & conditiones requiſitas ex parte ferentis, dicta ſunt *cap.* 1. *huius tract.* loquendo de cenſuris in communi, intelligenda ſunt quoad cauſam, & poteſtatem ferendi ſuſpenſionem. Similiter, quæ ibi diximus de culpa, quæ requiritur, ut cenſura feratur, & de conditionibus requiſitis ex parte cenſurati, ſuſpenſioni, ut cenſura eſt, ſunt applicanda, præter ea, quæ hic ſpecialiter circà illam adnotabimus.

*Quos comprehendat ſuſpenſio?*

40. Inquires ergò primò. Quodnam ſit ſubiectum capax huius cenſuræ? Reſpondetur ſolos Clericos, ſeu illos, qui ad minus primâ Tonſurâ ſunt initiati, poſſe ſuſpendi, & ideo aliæ ſuſpenſiones, quæ ab Auctoribus ex iuribus objiciuntur, afficientes ſæculares, verè non ſunt ſuſpenſiones, quæ ſint Eccleſiaſticæ cenſuræ, ſed quædam probibitiones, aut præcepta, quarum violatio non inducit irregularitatem, ut diximus *hoc cap. num.* 3. ¶ Sed notandum eſt, quod cenſura, quæ generaliter fertur in iure contrà Clericos, non comprehendit Epiſcopos, aut Cardinales, etiamſi non ſint Epiſcopi, niſi de illis ſpecialis mentio fiat, ut diximus *cap.* 1. *num.* 160. *ex cap. Quia periculoſum, de ſentent. excomm. in* 6. quod etiam intelligendum eſt de Epiſcopo electo, & confirmato, quamvis nondum conſecrato; qui omnes quamvis peccent operando contrà id, quòd iubetur ſub pœna ſuſpenſionis, non tamen illam incurrunt. Idem ſentiendum eſt de pœna interdicti, non verò de excommunicatione, ut ibidem adnotauimus. Ità Suarez *diſp.* 28 *ſect.* 2. *num.* 4. Cornej. *diſp.* 3. *dub.* 1. *quæſ.* 1. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 2. *num.* 5. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 34. *num* 2. Hurtad. *de ſuſpenſione diſp.* 9. *num* 23. Sayr. *libr* 4. *cap.* 12. *num.* 1. N. Anton. à Spir. S. *num.* 701. ¶ Suſpenſio verò, quæ abſolutè lata eſt in Clericos, non ſolum ſæculares, ſed etiam Regulares, qui ſaltem tonſurati ſunt, comprehendit, niſi ex verbis colligatur ad ſæculares reſtringi, quia ſub nomine Clerici omnes tam Religioſi, quam ſæculares, intelliguntur, ſi verè ſint Clericali Ordine inſigniti Cornej. *quæſ.* 2. Palaus *num.* 6. Suarez *num* 8. & 9. & Anton.

*Poteſt in communitatem ferri ſuſpenſio.*

41. Inquires ſecundò: An poſſit ſuſpenſio in communitatem ferri? Reſpondetur affirmatiuè: ut diximus *cap.* 1. *num* 170. & tenent D. Thom. *in addit. quæſt.* 22. *art.* 5. Cornej. *quæſ.* 3. Suarez *ſect.* 3. *num.* 1. Auil. 3. *part. diſp.* 3. *dub.* 2. *concl.* 3. Enriq. *lib* 14. *cap.* 25. *num.* 4. Palaus *num.* 7. Leand. *tract.* 4. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. & de ſuſpenſione ab officio quoad actus conferendi Beneficium habetur, *cap. ult. de Sede vacante in* 6. de ſuſpenſione à Beneficio, *cap. Quiſquis, elect. in* 6. *Extrau.* 1. *de electione*, & de ſuſpenſione ab Officio, & Beneficio, *cap. Quia ſæpe, de elect. in* 6. Vbi non ſolum ſuſpenditur Capitulum ſecundum quod eſt unum corpus politicum habens actiones proprias, Officia, & Beneficia, quæ ita pertinent ad communitatem, quòd non pertineant diſtributiuè ad ſingulas perſonas ſecundum propria eorum; ſed etiam ſuſpenduntur ſingulæ perſonæ de Capitulo, & communitate à proprijs ſuis Officijs, & Beneficijs.

*Diſcrimen inter ſuſpenſionem, & excommunicationem.*

42. In quo conuenit ſuſpenſio cum interdicto, ut de illo ſuo loco dicemus, & differt ab excommunicatione, quia excommunicatio per ſe pertinet ad bonum proprium animæ, quo priuat, & ſic eſt directè, & per ſe cenſura perſonalis; proindeque in communitatem non poteſt ferri, niſi ad ſummum indirectè, ſi ſingulæ perſonæ communitatis nominatim excommunicarentur, ut *loco citato* diximus, quomodo communitas maneret excommunicata. Suſpenſio verò per ſe priuat miniſterijs, & Officijs, quæ ad bonum commune ſpectant, quæ etiam a communitate exerceri poſſunt, & ſic ipſa directè ſuſpendi poteſt, & indirectè etiam perſonæ particulares ſecundum quod ſunt partes illius, adhuc ſecundum propria illarum miniſteria, quamdiù remanent partes illius communitatis, à qua ſi ſeparentur abſque abſolutione, manent liberæ à tali cenſura, ſicut de interdicto diximus *num.* 170. *citato.*

*Aliqua notanda proponuntur.*

43. Sed notandum eſt, quòd quandò ſuſpenſio ſimpliciter fertur in communitatem, non extenditur diſtributiuè ad ſingulas perſonas ſecundum ipſarum particularia miniſteria, ſed ad communitatem ordinatur ſecundum Officia, & Beneficia illius communia, quia Collegium, Capitulum, aut communitas non dicit ſingulas perſonas diuiſiuè ſed copulatiuè ſecundum quod unum corpus politicum conſtituit, quod habet proprias operationes, aut miniſteria. Quando verò in communitatem, & ſingulas illius perſonas fertur, ut *in citato cap. Quia ſæpe, de electione in* 6. ſi lata eſt ob culpam particularem membrorum, non afficit omnes perſonas illius communitatis, ſed ſolum culpatas, non verò innocentes, quoad ſuſpenſionem ab Officio, & Beneficio proprio ipſarum, quia aliàs iure ſibi conuenienti priuarentur abſque culpa contrà principia iuris, *cap.* 2. *de conſtitut. Rem. quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit.* Et *cap.* 2. *de*

ijs,

*ſijs, quæ à maiori parte Capituli fiunt. Nec pœna eſt ulterius extendenda, quam delictum fuerit in excedente repertum.* Auil. *dub.* 2. *concl.* 4. Coninch, *diſp.* 15. *dub.* 3. *num.* 26. Cornej. *diſp.* 3. *dub.* 1. *in fin.* Palaus *diſp* 4. *punct.* 3. *num.* 2. & eſt communis.

*Pro qua culpa imponatur ſuſpenſio.*

44. Inquires, tertiò: an debeat ſuſpenſio pro culpa graui imponi, an verò ſufficiat culpa venialis ad incurrendam illam? Reſpondetur iuxta dicta *cap.* 1. *punct.* 10. quòd ſi ſuſpenſio ſit grauis, quia nimirum priuat Beneficio, aut munere, & Officio grauis æſtimationis, quæ abſolutè dici poſſit ſuſpenſio maior, non poteſt niſi ob culpam mortalem incurri. Si verò ſit ſuſpenſio, ut ſic dicamus, minor, quia ſolum priuat aliqua parte Beneficij, fructus, vel aliquo particulari miniſterio non magni ponderis, vel ad tempus feratur, nimirum ad menſem, poteſt pro culpa veniali incurri. Ità Authores, quos ibi citauimus, ex paritate ſuſpenſionis cum excommunicatione, quæ ſi maior eſt, ſolum ob culpam mortalem poteſt incurri, ſi verò minor ob venialem: & ex proportione, quę inter culpam, & pœnam debet reperiri, quæ talis debet eſſe, quòd ſi ſit pœna grauis in ratione talis, non niſi ob culpam grauem, quæ talis ſit in ratione culpæ, poteſt imponi: ſi pœna ſit leuis, pro culpa leui in ratione culpæ poteſt applicari.

*Suſpenſionem ob alienam culpam poni non poſſe, aliqui dicunt.*

45. Sed grauis eſt difficultas inter Authores: an pro culpa aliena poſſit aliquis ſuſpendi? Negant abſolutè, umquam poſſe incurri ſuſpenſionem pro aliena culpa Nauarr. *lib.* 5. *conſil. de tempore ordinat. conſil.* 4. *num.* 6. Soto *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 3. *num* 2. Coninch, *num.* 22. Caiet. *in ſumm. verb. Suſpenſio.* Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 4. *num.* 2. & 3. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 22. quia nemo puniri poteſt ob aliorum delictum, quo ipſe caret, ut conſtat ex teſtibus citatis *num.* 34. & paritate cum excommunicatione, quæ ob eandem rationem non poteſt incurri pro culpa aliena, ut diximus *capit.* 1. *num.* 121. ſed quia contrariam loquendo de ſuſpenſione ibidem ex D. Thom. tradidimus.

*Suſpenſio ob culpam alienam incurri poteſt.*

46. Dicendum eſt, poſſe ſuſpenſionem (ſicut etiam interdictum, de quo ſuo loco dicemus) quæ in communitatem lata eſt, incurri pro culpa aliena; non verò ſi feratur pro culpa certæ, & determinatæ perſonæ; quia tunc nequit incurri ab eo, qui eſt à tali crimine immunis. Ità D. Thom. *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. Cornej. *dub.* 2. *quæſt.* 1. Auil. *concl.* 1. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 34. *n.* 1. Dian. 5. *part. tract.* 10. *reſol.* 22. Leander *quæſt.* 7. Anton. *num.* 702. & ratio eſt, quia ſuſpenſio non priuat bonis ſpiritualibus ad propriam animam ſuſpenſi pertinentibus, ſicut excommunicatio; ſed functionibus per ſe pertinentibus ad bonum commune, ad quod multoties conducit, ut ob culpam Superioris ſubditus à proprio miniſterio arceatur, ut ille reſipiſcat, & confundatur, videns ob ſuam culpam innocentes grauari. Vndè ſicut interdictum, quod imponitur non ob culpam membrorum ciuitatis, aut communitatis, ſed Rectoris, Decani, aut Gubernatoris illius, ſingulos tangit illius communitatis, quamdiù membra illius exiſtunt: ſic ſuſpenſio impoſita non pro delicto particularium perſonarum communitatis, ſed Præſidentis, vel Decani, &c. ſingulas perſonas illius communitatis, ſecundum propria munia ipſarum comprehendit.

47. Cæterum hæc ſuſpenſio propriè non eſt cenſura reſpectu particularium perſonarum, cuius violatio inducat irregularitatem, ſed quædam inhabilitas exercendi tales actus, à quibus ſuſpenduntur, ſicut irregularitas. Quare ſicut iſta abſque culpa propria poteſt incurri, ut ſuo loco dicemus: ſic talis ſuſpenſio, ut rectè ait Palaus *num.* 3 *ex* Panormit. *in cap. Non eſt compos, num.* 4. Suarez *num.* 5. Coninch, *num.* 21. Cornej. *quæſ.* 1. 5 *ſed reſpondeo.* Et ſi in hoc ſenſu prima ſententia loquatur, ab illa non diſcedimus: imò nec à mente D. Thomę, qui hoc, & non amplius intendit *loco citato.*

*Contrarium fundamentum diſſoluitur.*

48. Ad fundamentum ergò contrariæ ſententiæ *num* 45 relatę in quantum contrà nos poteſt militare, reſpondet optimè Cornej. his verbis [Reſpondeo, hoc verum eſſe, quandò quis ſpecialiter, & ſeorſim ſuſpenditur; nam tunc unus ſuſpendi non poteſt pro culpa alterius, ſecus verò quandò ſimul ſuſpenditur collegium non pro unius culpa, quia tunc non requiritur culpa in ſingulis: ſed ſufficit culpa plurium, vel ſuperioris, ut infrà agentes de interdicto explicabimus. Tunc ergò poteſt optimè ſuperior in inferioribus puniri, & communitas in membris iuxtà ea, quæ habentur *in cap. Si ſententia, de ſent. excomm. in* 6. & quamvis pœna ſuſpenſionis ſpiritualis ſit, quia tamen, ut dictum eſt, non priuat bonis pertinentibus ad propriam animam, poteſt optimè infligi pro peccato alterius; præſertim quia, ut dicemus, huiuſmodi ſuſpenſio, & interdictum non habet propriè rationem pœnæ (*hoc nota, ut videas hunc Auctorem ſentire, non eſſe propriè cenſuram, de cuius ratione eſt, ut ſit pœna*) reſpectu inferioris, cui imponitur.]

## PVNCTVM V.

### *Qua ratione ſuſpenſio impediri, vel tolli poſſit.*

*Quæ ſunt agenda in hoc puncto?*

49. PLura dicenda eſſent circà hoc punctum, niſi à nobis latè eſſent diſcuſſa *toto cap.* 2. agentes de abſolutione à cenſuris in communi, & quæ ibidem generaliter dicta ſunt, hic applicanda veniunt, niſi in aliquo caſu excipiantur, ut ibidem adnotauimus, & modò adnotabimus, & ſic breuiter per ea tranſibimus.

*Quomodo per appellationem ſuſpenſio impediatur?*

50. Igitur per appellationem, ad ſuſpenſionem præcedentem, omnis ſuſpenſio impediri poteſt (dummodò appellatio rationabilis ſit: hoc eſt, ex cauſa rationabili, & legitima oriatur iuxtà *cap. Cum appellationibus, de appellationib. in* 6.) quia per appellationem poteſtas ferendi cenſuras impeditur, & impedita poteſtas nihil operatur; niſi iudici ferenti talem ſuſpenſionem conceſſum ſit à ſuperiore, ut non obſtante appellatione, in cauſa procedat. Sicuti excommuni ſententia docent Coninch, *diſp.* 15. *dub.* 4. *num* 28. Turrian. *lib.* 4. *diſp.* 42. *dub* 2. Fabes. *de ſuſpenſione in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *diſp.* 6. *cap.* 1.

*num.* 47. Diana 5. *part. tract.* 10. *reſol* 16. ſed hanc poreſtatem, ut remota appellatiune, poſſit iudex in cauſa procedere, ſolum concedere poteſt Summus Pontifex, vel cui ipſe ex iure, vel ex priuilegio commiſerit, quia nullus alius impedire poteſt effectum à iure appellationi conceſſum, ſicuti ex Felino docet Palaus *diſp* 4. *punct.* 7. *num.* 2.

*Per ſubſequentem appellationem qua ſuſpenſio impeditur?*

51. Per appellationem verò ſubſequentem ad ſuſpenſionem non impeditur ſuſpenſio ab officio, & ingreſſu Eccleſiæ, quia iſta ſecum affert executionem, expreſſeque habetur, *cap. Is, cui* 20. *de ſentent. excomm. in* 6. ſuſpenſio verò a Beneficio, & alia quælibet impeditur per ſubſequentem appellationem, quia ibi ſolum excipitur ſuſpenſio ab officio, & ingreſſu Eccleſiæ, & de illis dicitur, ſecum afferre executionem, & ſic non impediri per appellationem interpoſitam. Et cum exceptio firmet regulam in contrarium, videtur innui, alias non habere hunc effectum, & ſic per appellationem impediri. Atque ita docent Palaus *num.* 3. Conin. *num.* 29. Syluest. *verb. Suſpenſio, quæſt.* 3. Angelus *eodem verb.* 2. *num.* 1. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 34. *num.* 4. Auil. 3. *part. diſp.* 3 *dub.* 4. Dian. *reſol.* 16. Hurtad. *de ſuſpenſione, diff.* 25. *num.* 110.

*Quomodo tollatur ſuſpenſio?*

52. Suſpenſio, quæ per modum cenſuræ fertur ob contumaciam, nullo modo tolli poteſt niſi per abſolutionem, quod eſt commune omnibus cenſuris, & diximus *cap.* 2. Quæ abſolutio poteſt eſſe, & in perpetuum, & ad reincidentiam abſoluta, & conditionata: poteſtque abſentibus impertiri, & etiam nolentibus, & repugnantibus, ut de alijs cenſuris *loco citato* diximus. Et illi, qui poſſunt abſoluere ab excommunicatione, poſſunt etiam à ſuſpenſione abſoluere, ut ibidem adnotauimus. Vndè à ſuſpenſionibus à iure latis non reſeruatis poteſt quilibet confeſſarius abſoluere, niſi ſatisfactionem partis requirant, à reſeruatis ſolus ille, cui reſeruata ſunt, vel qui ab illo facultatem obtineat. Vndè per Bullam Cruciatam poteſt à reſeruatis, Summo Pontifici confeſſarius ſemel in vita, & ſemel in morte abſoluere, & ſi ſint ob delicta occulta contracta, poteſt Epiſcopus toties quoties, ut loquendo de cenſuris generaliter ibidem latè probavimus; quamvis aliqui circà ſuſpenſionem oppoſitum iudicent. Sed ſi lata ſit in Communitatem, ab eo ſolùm tolli poteſt, qui habet iuriſdictionem in foro contentioſo ſuper talem Communitatem propter ea, quæ dicemus de abſolutione ab interdicto generali, *cap. ſequenti, n.* 73.

*Si ſuſpenſio conditionata, tollitur ſecuta conditione.*

53. Illæ verò ſuſpenſiones, quæ per modum pœnæ, & ad tempus imponuntur, vel ſub conditione: *Donec ſatisfacias: donec reſtituas*, tranſacto tempore vel conditione ſecuta, abſque abſolutione noua ipſo facto auferuntur, ut diximus *dict. cap.* 2. *n.* 13. loquendo de excommunicatione, & loquendo de ſuſpenſione, tenent Conin. *n.* 30. Palaus *punct.* 9. *n.* 1. Enriq. *cap.* 35. *n.* 2. Auil. *diſp.* 6. *dub.* 1. Cornej. *diſp.* 5. *dub.* 1. & 2. *qu.* 11. Diana *reſol.* 24. *part.* 3. quibus autem caſibus incurratur ſuſpenſio. Vide è N. N, Cornej. *diſp.* 4. *dub.* 1. Anton. *ſect.* 6. Stephan. 272. & fusè Palaum. *diſp* 4. *p.* 10.

## PVNCTVM VI.

### *De depoſitione ſimplici, & degradatione tam reali, quam verbali.*

*Datur depoſitio ſimplex diſtincta à degradatione.*

54. DEpoſitio, & degradatio ferè in eodem conveniunt, & à iuribus multoties confunduntur, ut patet *ex cap.* 2. *de Pœnis in* 6. *cap. Siquis Laicus* 22. *quæſt.* 5. ubi utraque dicitur degradatio, alia verbalis, & eſt illa, quæ per ſententiam authenticam, & ſolemnem imponitur. De qua degradatione intelliguntur iura, quoties degradationem ſine addito ferunt, ut eſt commune apud Doctores: & alia realis, quæ eſt executio degradationis verbalis, & aliquibus cæremonijs, & ſolemnitatibus datam ſententiam exequitur. ¶ Et quamvis plures Authores ultrà depoſitionem dictam, quæ eſt degradatio verbalis, aliam non agnoſcant, verè datur depoſitio ſimplex, quæ non eſt degradatio, & ſic diuiditur *depoſitio in ſimplicem depoſitionem, & degradationem verbalem*. Depoſitio, quæ ſimul eſt degradatio verbalis, eſt quam iudex facit in ordine ad degradationem realem, & cum intentione ad illam procedendi. Depoſitio verò ſimplex eſt, quæ abſque tali intentione ulterius procedendi fertur. Quarè optimè inquit Suarez *diſp.* 30. *ſect.* 1. *num.* 18. & ſequitur Coninch, *diſp.* 16. *num.* 8. ſolemnitatem, quam requirunt iura pro depoſitione, quæ eſt degradatio verbalis, & imponitur animo ulterius procedendi, de qua infrà agemus, non requiri pro depoſitione, quæ non fertur intentione procedendi ad degradationem realem.

*Quid ſit depoſitio ſimplex?*

55. Itaque depoſitio ſimplex *eſt pœna priuans Clericum Officio, & Beneficio in perpetuum, iure Ordinario irremiſſibiliter*. In quo differt à ſuſpenſione ſimplici, quæ eſt illa, quæ abſolutè, & ſimpliciter fertur. Quæ quamvis poſſit eſſe perpetua, non tamen eſt iure Ordinario irremiſſibilis; proptereaque in ſuſpenſione multò facilius, quam in depoſitione diſpenſatur. Sed conuenit cum ſuſpenſione, quæ fertur in perpetuum ab Officio, & Beneficio: imò hæc depoſitio ſimplex, & ſuſpenſio totalis in perpetuum ſolo nomine differunt, utraque enim eſt æquè irremiſſibilis; & utraque differt à degradatione vel verbali, vel reali, quòd depoſitio ſimplex (& idem de ſuſpenſione totali, & perpetua) quamvis priuet fructibus Beneficij, non tamen titulo Beneficij, quia nullo iure cauetur, quamvis ſic depoſitus priuandus ſit Beneficio; imò ferè ſemper priuatur, quia qui in perpetuum eſt priuatus officio, æquum eſt, quòd priuetur Beneficio, quòd propter officium datur, Suar. *diſp.* 30. *ſect.* 3. à *num.* 4. Laym. *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. Palaus *diſp* 4. *punct. ult. num.* 1. Sed dum non ſpoliatur per ſententiam titulo Beneficij, alimenta debent illi aſſignari ex fructibus ipſius Beneficij, ne cum dedecore ſtatus Clericalis cogatur mendicare, ut rectè docent Suarez, Layman. & Palaus *citati*, & Auil. 4. *part. diſp. unic. dub.* 1. *concl.* 3. Sayr. *libr.* 4. *cap.* 22. *in fin.*

*Degradatio Beneficijs omnibus priuat.*

56. At degradatio tam realis, quam verbalis non ſolum fructibus Beneficij ſed etiam ipſo titulo

Digitized by Google

tulo Beneficij priuat : ut ex eius definitione conſtabit, & habetur *cap. 2. de Pœnis in 6.* & ſic degradatus non debet ali fructibus Beneficij : & de degradatione reali docet Auil. *loc. cit. concl.* 3. quia Eccleſia non amplius curat de illo, quem omni Clericali dignitate expoliauit, & à ſe reiecit. De verbali etiam tenet Palaus *ſup.* Bonacin. *diſp. 4. punct. unic. concl* 8. Couarrun. 3. *variar. cap.* 13. *num.* 8. nam ſibi imputet, quòd mendicari cogatur : Nec cedit in dedecus Eccleſiæ, quod mendicet Clericus, quem ipſa Eccleſia in pœnam ſui delicti omni honore, omni Officio, & Beneficio expoliauit. Sed notat Bonacin. *num.* 2. quòd quando quis incurrit crimen, ob quod imponitur in iure degradatio verbalis, ſeu depoſitio abſolutè dicta, non ob id tenetur ſe expoliare Beneficijs, quoa poſſidet ante ſententiam iudicis declaratiuam delicti.

*Definitio degradationis verbalis, & realis.*

57. Sed inquires primò, quomodo definiatur degradatio verbalis, & realis ? Reſpondetur, quòd degradatio verbalis, quæ dicitur depoſitio, definitur ; quòd *eſt pœna Eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum priuatur omni Officio, ac Beneficio Clericali, retento ſolo priuilegio Canonis, ac fori.* At verò realis degradatio *eſt, quando Clericus primo verbaliter degradatus, certa ſolemnitate expoliatur omnibus veſtibus, ac inſignijs Clericalibus, omnique priuilegio Clericali.* Ex quo patet, hanc degradationem realem nihil aliud eſſe, quam executionem ſententiæ latæ per degradationem verbalem.

*Diſcrimen inter verbalem, & realem degradationem.*

58. Differunt tamen degradatio verbalis, & realis inter alia, in duobus, Primum : quòd degradatio verbalis eſt actus iuriſdictionis : quia eſt actualis ſententia lata contrà reum. Vndè fieri non poteſt ab Epiſcopo à iuriſdictione ſuſpenſo, fieri tamen poteſt ab Epiſcopo electo, & confirmato, licet non conſecrato, quia, ut multoties diximus, per electionem, & confirmationem tribuitur illi iuriſdictio, licet Ordo Epiſcopalis per conſecrationem conferatur. Vndè poteſtatem ferendi eam poteſt alteri Sacerdoti delegare ſicut quamlibet aliam iuriſdictionem ſibi ex iure Ordinario competentem. Ità colligitur ex *Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 4. *de Reformatione*, & docent Bonacin. *diſp. 4. punct. unic. num.* 10. & 11. Suarez *diſp* 30. *ſect.* 1. *num.* 12. Coninch, *diſp.* 16. *in fine.* Ex quo ſequitur, poſſe fieri per Capitulum, vel eius Vicarium in Sedevacante. Siquidem Capitulum ſuccedit Epiſcopo defuncto in omnibus, quæ iure Ordinario competunt illi ratione iuriſdictionis, & tenent Auil. 4 *part. diſp. unic. dub.* 2. *in fin.* Palaus *diſp. 4. punct. ult. num.* 7. ¶ Actualis verò, & realis degradatio, non ſolum eſt actus iuriſdictionis ; ſed etiam ordinis ex Eccleſiæ inſtitutione conſecrationi Epiſcopali annexus ; qui fieri non poteſt ab ipſo niſi Pontificalibus indutus : quare fieri nequit niſi ab Epiſcopo conſecrato, Auil. *ſupr. dub.* 2. Bonacin. *numer.* 11. Palaus *numer.* 9. Coninch, *num.* 9.

*Aliud diſcrimen aſſignatur.*

59. Secundum diſcrimen eſt : quòd verbalis degradatio, ſeu depoſitio non priuat priuilegio Canonis, vel fori, ut conſtat ex eius definitione, & habetur *in cap. Cum non ab homine, de Iudicijs, cap. 2. de Pœnis in 6.* Vndè qui Clericum degradatum percuteret, In excommunicationem Canonis incideret ; nec poſſet conueniri coram iudice ſæculari, vel ab eo puniri, aut incarcerari, niſi Clericus depoſitus perſiſtat incorrigibilis in eodem crimine, quia tunc priuilegio omni Clericali priuatur : ſed hoc non ipſo facto, ut putavit Bonacin. *diſp. 4. punct. unic. num.* 3. ſed poſt ſententiam declaratiuam incorrigibilitatis ut inquit Auil. 4. *p. diſp. unic. dub.* 1. Sylueſt. *verb. Degradatio, quæſt.* 6. quinimò eſſe probabile, non ſolum requiri ſententiam declaratiuam incorrigibilitatis, ſed priuatiuam directè privilegiorum Clericalium, ut illis denudatus ſæculari poteſtati tradatur puniendus, tenent Palaus *diſp. 4. punct. ultim. num.* 30. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 50. 5. *Aduerto* Suarez *diſp.* 30. *ſect.* 5. *num.* 7. & 8. ¶ At verò per realem degradationem, expoliatur Clericus priuilegio tam Canonis, quàm fori. Vndè per illam tranſit Clericus in poteſtatem ſæcularem, à qua poteſt capi, incarcerari, & puniri, ſicut quilibet alius Laicus : & ſi ab aliquo feriatur, non incurrit, qui illum lædit, excommunicationem Canonis. Quod eſt commune inter Doctores. Sed aduertit Bonacin. *diſp. 4. punct. unic. num.* 2. non eſſe ſemper annexum huic degradationi, quòd ſic degradatus tradatur brachio ſæculari puniendus, quia hic effectus ſolum eſt connexus cum tali degradatione facta pro atrocibus delictis ; dari tamen poteſt degradatio, per quam priuetur ab omni priuilegio Clericali, quin Clericus tradatur brachio ſæculari puniendus.

*Ad quid degradatus teneatur?*

60. Illud eſt certum apud omnes, quod degradatus, tàm degradatione reali, quàm verbali, tenetur recitare Horas Canonicas, ſi ſit in ſacris conſtitutus, quia per ſuam culpam nullum commodum debet reportare, nec per pœnam, qua punitur ob delictum, debet ab onere, quòd habet, releuari. Nauarr. *de orat. cap.* 7. *num.* 7. Auil. 4. *part. diſp. unic. dub.* 1. *concl.* 2. Sylueſt. *verb. Degradatio, quæſt.* 7. Nec poteſt matrimonium contrahere, nec licitè, nec validè : non licitè, quia per votum caſtitatis in Ordinibus emiſſum talis contractio illi prohibetur, à quo per degradationem non liberatur : nec validè, quia ſicut alij Ordinibus ſacris initiati, eſt inhabilis ad illud, à qua inhabilitate non relevatur ab Eccleſia, quæ potiùs eum punire, quàm relevare intendit, Bonacin. *quæſt.* 4. *punct. unic. num.* 5. Sayr. *lib.* 5. *cap* 22. *num.* 5. Poteſt tamen validè, & verè, Corpus Chriſti conficere, Hoſtiamq; conſecrare, quamvis illicitè id faciat, quia retinet characterem Ordinis Sacerdotalis, à quo habet talem poteſtatem : ut tradit D. Thom. 3. *part quæſt.* 83. *art.* 3.

*Quis poſſit Religioſos degradare?*

61. Inquires ſecundò. Quis poſſit ſententiam degradationis verbalis ferre ? Et quis eam exequi per degradationem realem ? Reſpondetur, quod Religioſi exempti non poſſunt niſi per Summum Pontificem degradari realiter, aut verbaliter, niſi ex conſuetudine, vel privilegio id Prælatis Regularibus concedatur : Quod adeſſe teſtantur Palaus *diſp.* 4. *punct. ult. num.* 7. Nauarr. *lib.* 5. *conſil. conſilio.* 58. & *de Regularib. num.* 3. Auil. 4. *part. diſp. unic. dub.* 2. *concl.* 2. N. Anton. *in direct. confeſſ. tractat.* 13. *diſp.* 4. *num.* 381.

*Quis poſſit Epiſcopos degradare?*

62. Epiſcopi verò ſolum poſſunt degradari per Metropolitanum, aſſiſtentibus præter

ipſum duodecim alijs Epiſcopis. Quæ ſolemnitas modò etiam requiritur, quia iura noua antiquos Canones moderantia, quoad ſolemnitatem requiſitam ad degradationem de Epiſcoporum degradatione non agunt, ſed inferiorum Clericorum, de quibus ſtatim loquemur. Qui Epiſcopi ſimul cum Metropolitano ſolum poſſunt de cauſa Epiſcopi deponendi, aut degradandi cognoſcere, non tamen definitiuam ferre ſententiam: ſed res ad Pontificem deferenda eſt, cuius eſt graviſſimas cauſas definire, ut eſt iſta, de qua loquimur. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 55 *num.* 2. Palaus *diſp.* 4. *punct. ult. numer.* 4. Auila 4. *part. diſp. unic. dub.* 4. *concl.* 1. Coninch, *diſp.* 16. *numer.* 5. *&* 7. Bonacin. *diſp.* 4. *punct. unic. num.* 8. & habetur, *cap. Accuſatus, cap. Quamvis* 3. *quæſt.* 6.

*Quis alios Clericos poſſit degradare?*

63. Degradatiò verbalis aliorum Clericorum ſic facienda eſt (ut colligitur *ex cap.* 2. *de Pœnis in* 6. *cap. Si quis, cap. Felix, cap. Si autem Præsbyteri* 15. *quæſt.* 7.) quod ſi ſit Præsbyter degradandus, debet fieri à proprio Epiſcopo, aſſiſtentibus ſex alijs Epiſcopis, & tribus in degradatione Diaconi, & Subdiaconi: pro alijs ſufficit, ſi aſſiſtant cum Epiſcopo alij de capitulo, *cap. penult.* 15. *quæſt.* 7. *cap.* 1. *de exceſſibus Prælatorum.* Qui aſſiſtentes requiruntur, ut ſimul cum Epiſcopo iudicent de cauſa degradandi, & ſic non ſolum conſultiuum, ſed etiam deciſiuum votum habent, *cap. Si autem Præsbytero citato.* Sed hæc aſſiſtentia aliorum, ſolum requiritur pro verbali degradatione, in qua fertur ſententia, quæ matura deliberatione, & prudenti iudicio eſt examinanda, utpote in re adeò graui, ſemel tamen hâc latâ ſententiâ à ſolo Epiſcopo realis degradatio fit, *cap.* 2. *de Pœnis in* 6. Quod totum Coninc *num.* 8. Auil. *dub.* 4. *concl.* 3. Palaus *num.* 10. Suar. *diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 6. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 22. *num.* 7. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 4.

*Quomodo dicta ſolemnitas moderata ſit per Tridentinum?*

64. Sed notandum eſt cum Coninch, Palao, Auila, & alijs, prædictam ſolemnitatem in prædictis iuribus requiſitam, magna ex parte moderatam eſſe, per ius nouum *Concilij Tridentini ſeſſ.* 15. *cap. de Reformatione*, & in *cap.* 1. *de Hæreticis in* 6. ut videlicet Epiſcopus per ſe, aut per ſuum Vicarium (& ſi degradatio facienda eſt propter hæreſim, Inquiſitor) poſſit procedere ad depoſitionem, ſeu verbalem degradationem præsbyteri, aut inferioris Clerici cum ſola aſſiſtentia totidem Abbatum Mithratorum loco Epiſcoporum, vel, ſi tales commodè non poſſint conuenire, aſſiſtentibus alijs Eccleſiaſticis dignitatibus, ætate grauibus, & ſcientia commendabilibus. In crimine autem Hæreſis, ſeruanda eſt ſolemnitas, & praxis, quæ *in cap.* 2. *de Hæret. in* 6. aſſignatur.

*Ob quæ delicta degradari poſſit Clericus verbaliter?*

65. Inquires tertiò: ob quæ delicta poteſt Clericus degradari realiter, aut verbaliter? Reſpondetur, quòd degradatio verbalis, ſeu depoſitio poterat olim fieri ob adulterium, furtum, homicidium, vel grauiora crimina, modò verò, quia non ita urget Eccleſiaſtica diſciplina, ob ſcandaloſa, & atrociora crimina debet Clericus deponi; nimirum ob homicidium voluntariè perpetratum, ob furtum Eccleſiæ in magna quantitate, ob ſtuprum, vel adulterium, quibus ex iure Ciuili pœna capitalis aſſignatur. Palaus *num.* 4. Bonacin. *num* 6. Auil. *dub.* 3. Laym. *num.* 2. Similiter ſi Clericus concubinarius perſeueret poſt monitionem, & priuationem fructuum, & prouentuum, poteſt perpetuò deponi, ut colligitur ex *cap. At ſi Clerici, de cohabitat. Cleric. & mulier. & Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de Reformatione.*

66. Degradatio verò realis: primò poteſt fieri ob hæreſim, ſi contumax ſit Clericus in illa, *cap. Ad abolendum, capit. Excommunicamus, de Hæreticis, & capit.* 1. *eodem titul. in* 6. vel ſi in ea relapſus ſit; etiamſi velit ſe emendare, dicto *cap. Ad abolendum.* Secundò, ob falſificationem litterarum Apoſtolicarum, *cap. Ad falſariorum, de crimine falſi.* Tertiò, ob ſodomiam aliquoties commiſſam ex *conſtitution.* 70. Pij *Quinti, contra ſodomitas.* Quartò, ob calumniam, ſeu conſpirationem in proprium Epiſcopum, ſi incorrigibilitas accedat, *capit. Si quis Sacerdotum* 11. *quæſt.* 1. Hæc ſunt crimina in iure expreſſa, ob quæ poteſt aliquis degradari realiter; alia verò, ob quæ poteſt degradari, & etiam tradi brachio ſæculari puniendus, videantur apud Auila *dub.* 3. *concl.* 5. Palaum *diſp.* 4. *punct. ultim. numer.* 3. Anton. *num* 389.

*Quæ ſint delicta, ratione quorum poſſit aliquis degradari realiter?*

67. Inquires quartò. Quæ ſolemnitas ſeruanda ſit in reali degradatione? Reſpondetur, quòd, ut conſtat ex *cap.* 2. *de Pœnis in* 6. *cap. Epiſcop.* 11. *quæſt.* 3. *& ex Pontificali Romano.* Epiſcopo proprio veſtibus Pontificalibus induto (eſt enim actus ordinis Epiſcopalis degradatio realis, ut iam diximus) & in Eccleſia, vel Oratorio exiſtente (ubi ordines recipiuntur, ut ibi ab eis, quantùm poſſibile eſt, expolietur, qui talibus Beneficijs abuſus eſt ob ſua crimina) debet degradandus ſiſti indutus omnibus veſtibus pertinentibus ad ſuum officium, portanſque inſtrumenta illa, quæ ſibi in ordinatione fuerunt tradita, à quibus exuendus, & expoliandus eſt, inuerſo ordine ac fuit illis indutus, ita ut primò ab illis denudetur, quæ ultimò recepit. Et in ablatione ſingulorum Epiſcopus dicere debet verba horrorem incutientia, quibus explicet, illum à tali ordine, & officio abjicere. Ac tandem caput eius debet abradi, vel ita tonderi, ut nullum coronæ veſtigium relinquatur, & ab Epiſcopo hæc verbà dici: *Authoritate Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac noſtra, tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, expoliamus, & exuimus te omni Ordine, Beneficio, & privilegio Clericali.* Et ſi brachio ſæculari tradendus ſit (quod non ſemper fit, licet frequenter, ut iam diximus) aſſiſtere debet huic actui iudex ſæcularis, cui expoliatus privilegijs Clericalibus, traditur puniendus: à quo rogare tenetur Epiſcopus, ut ſententiam, & ultionem moderetur citrà mortis pœnam: & hoc efficaciter ex animo, & ſeriò; ne Eccleſia videatur necem alicuius expetere, *cap. Novimus de verborum ſignificatione*, Coninch, *diſp.* 16. *n.* 6. Palaus *n.* 11. Laym. *cap.* 5. *n.* 5.

*Solemnitas in degradatione obſeruanda.*

68. Inquires quintò. Quis poterit cum depoſito, aut degradato diſpenſare, ut ad priſtinum ſtatum redeat? Reſpondetur, quod regulariter cum depoſito ſolus Summus Pontifex poteſt diſpenſare. Si verò fuerint crimina minora adulterio, ob quæ depoſitus eſt, peracta de illis pœnitentia, poterit Epiſcopus *cap. Si Clerici*

*Epiſcopus aliquando poteſt cum depoſito diſpenſare.*

Digitized by Google

*rici, de indicijs*, ibi : *Poteſt Epiſcopus cum Clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare.* Vbi ly *cum Clericis*, non eſt ſumendum actiuè ; ita quod alij Clerici debeant cum Epiſcopo ad talem diſpenſationem concurrere, & illius cauſam efficientem eſſe, ſed paſſiuè, id eſt, cum Clericis depoſitis poteſt diſpenſare : & ſic ſolus Epiſcopus abſque concurſu aliorum poteſt hanc diſpenſationem impertiri. Quod etiam ex uſu, & conſuetudine habetur, ut docet *Gloſſa*, *cap. Cùm ꝗ*, *verb. Epiſcopus* : Alterius *tom. 2. diſputation. 2. quæſtion. 9. verſ. Quamuis.* Bonacin. *quæſt. 4. punct. unic. circà finem*, Palaus *diſput. 4. punct. ult. num. 15.*

*Cum degradato ſolus Summus Pontifex.* 69. At verò quia realiter degradatus à gradu, & ſtatu Clericali omninò, & irremiſſibiliter iure ordinario dejicitur, & ſemper ob grauiora crimina adulterio, ſolus Summus Pontifex poteſt cum eo diſpenſare, eumque ad priſtinum ſtatum reſtituere, ſi iuſtè degradatus eſt, *capit. Si lapſis, & capit. Si ſemel 50. diſtinct.* Si verò iniuſtè, probabile eſt, quod Epiſcopus proprius ſolus : quia eius muneris eſt, ſubditum iniuſtè grauatum defendere, depellereque iniuriam ipſi factam, quamvis aliqui dicant, quod Epiſcopus cum alijs Epiſcopis, ſeu Abbatibus, qui ſententiam iniuſtam dederunt, illam debet emendare, & corrigere, degradatumque ad ſuum ſtatum reducere : ut colligitur ex *capit. Epiſcopus Presbyter 11. quæſtion. 3.* ut per eaſdem cauſas degradatio diſſoluatur, per quas nata eſt.

## CAPVT VI.

### *De interdicto, & ceſſatione à diuinis.*

QVamvis interdicti nomen multifariam in iure Ciuili accipiatur, imò etiam in iure Canonico multoties accipitur, prout ſignificat decretum iudicis prohibitorium, quo faciendum aliquid prohibet, ſecundùm quod deriuatur à verbo *Interdico*, ut conſtat ex *capit. Minor. 17. quæſtion. 4. capit. Significaſti, de Offic. Archidiac. cap. Cum illorum, de ſententia excommunic. cap. 2. & 3. de Matrimon. contracto contra interdictum Eccleſiæ* ; at in præſenti ſumitur nomen interdicti ſtrictiùs, prout dicit prohibitionem bonorum ſpiritualium impoſitam in pœnam, vel medicinam alicuius delicti. Quomodo eſt una ex tribus cenſuris Eccleſiaſticis, de quibus fit mentio *in cap. Quærenti, de verborum ſignificatione.* Cuius notitia eſt maximè neceſſaria.

---

### In nouem puncta hoc caput diuidimus.

*Punct. I. Quid, & quotuplex ſit interdictum? Vbi de locali, & perſonali interdicto agitur, num. 1.*

*Punct. II. De cauſa efficienti, formali, & materiali interdicti : & de fine, vel occaſione, ob quam ferri poteſt, nempe culpa, num. 18.*

*Punct. III. De effectibus interdicti in communi, numer. 26.*

*Punct. IV. De 1. effectu interdicti, qui eſt priuatio actiua, & paſſiua Sacramentorum, num. 32.*

*Punct. V. De 2. effectu interdicti, qui eſt priuatio actiua, & paſſiua diuinorum Officiorum, numer. 59.*

*Punct. VI. De 3. effectu interdicti, qui eſt priuatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, num. 69.*

*Punct. VII. Quod peccatum ſit violare interdictum? Et de pœnis contra illud violantes impoſitis, numer. 80.*

*Punct. VIII. De relaxatione ſeu abſolutione ab interdicto tàm locali, quàm perſonali, num. 92.*

*Punct. IX. De ceſſatione à Diuinis, & illius effectibus, num. 101.*

## PVNCTVM I.

### *Quid, & quotuplex ſit Interdictum? Vbi de locali, & perſonali interdicto agitur.*

1\. OMiſſis varijs definitionibus interdicti, quæ à Doctoribus aſſignantur, illam aptiorem iudicamus, quà interdictum definitur, quòd eſt *cenſura prohibens uſu diuinorum, quatenus à fidelibus poſſunt haberi.* Ponitur *cenſura* loco generis, in qua conuenit interdictum cum ſuſpenſione, & excommunicatione ; differt verò ab illis : à ſuſpenſione quidem, tum, quia ſuſpenſio ſolum poteſt comprehendere Clericos, ut diximus *cap. præced. num. 3.* Interdictum verò omnes fideles afficere poteſt, in quibus conditiones reperiuntur, quas diximus requiri in omnibus, qui ſunt capaces incurrendi cenſuras *cap. 1. punct. 13.* Tum etiam, quia ſuſpenſio priuat uſu aliquorum diuinorum, ſecundum quod ſunt exercitium Eccleſiaſticæ poteſtatis, ſecundum dicta *cap. præced. num. 4.* Interdictum verò priuat illis, ſecundum quod ſunt bona à fidelibus poſſidenda : quod per ultima verba definitionis denotatur. Similiter differt ab excommunicatione : tum, quia hæc plures effectus habet, quàm interdictum. Tum etiam, quia excommunicatio priuat bonis ſpiritualibus, ſecundum quod per illa communicat excommunicatus cum alijs fidelibus. At interdictum non priuat illis, ut communicationes ſunt ; ſed ut ſunt quædam bona poſſidenda, vel exercenda ab ipſis fidelibus. Ita Palaus *diſp. 5. punct. 1. num. 2.* Cornej. *quæſt. 4. de interdicto, dub. 1. in initio*, Suarez *diſp. 32. ſect. 1.* Coninch, *diſp. 17. dub. 1.* Sayr. *libr. 1. cap. 5. num. 7.* Auil. *5. part. diſp. 1.* *Quid ſit interdictum? Et in quo differat ab alijs cenſuris*

2\. Licet aliqui in duo membra dumtaxat diuidant interdictum, veriùs tamen, & communiùs diuiditur ab Auctoribus in interdictum purè perſonale, purè locale, & mixtum ex locali, & perſonali. Interdictum locale eſt, quod immediatè reſpicit locum, probibendo, ne in illo vel celebretur, vel Miſſa audiatur, ſiue ab incolis, ſiue ab exteris : & conſequenter reſpicit perſonas illis probibendo, ne in tali loco diuinis aſſiſtant. Vndè propriè tale interdictum eſt cenſura, non quia locus ſit capax illius, utpotè res inanimata, & rationis expers ; ſed quia perſonæ afficiuntur illo in ordine ad talem locum, quo prohibito, redundat prohibitio in perſonas reſpectu talis loci ; non verò reſpectu alterius, qui non *Diuiditur interdictum in locale, perſonale, & mixtum.*

ſubiacent interdicto: in quo & diuina audire, & celebrare poſſunt. Interdictum perſonale eſt quod immediatè afficit perſonas, & eas comitatur; quocumque exiſtant. Vndè tàm in illo loco, quàm in quocumque loco à diuinis arcentur. Interdictum mixtum eſt, quod ex locali, & perſonali coaleſcit. Vndè illi conueniunt omnes conditiones, quas pro locali, vel perſonali ſpecialiter aſſignavimus. Colligitur diuiſio data ex *iure Canonico, cap. Præſenti, cap. Si ſententia, cap. Si Ciuitàs, de ſentent. excomm. in 6.*

*Locale, & perſonale in generale, & ſpeciale ſubdiuiditur.*

3. Tàm locale, quàm perſonale interdictum ſubdividitur in generale, & ſpeciale. Interdictum locale generale eſt, quandò interdicitur locus, ſub quo alia continentur loca: ut ſi feratur in Regnum, Provinciam, Diœceſim, Civitatem, Villam, vel Caſtrum. Interdictum locale ſpeciale eſt; quandò determinatus locus interdicitur; ut ſi una, vel plures Eccleſiæ Ciuitatis interdicantur, ut colligitur ex *cap. Cum in partibus, de verborum ſignificat.* Sed notandum eſt, quod ad hoc ut ſit interdictum generale locale, ſufficit, & requiritur, quod ſub loco interdicto locus profanus, & ſacer contineatur, licet ſint parua. Si tamen ſola Eccleſia interdicatur, minimè erit generale interdictum, ut notauit Cornej. *diſp. 1. dub. 5. quæſt. 2.* Sayr. *lib. 5. cap 2. num. 10.* Vndè quamvis plures Eccleſiæ interdicantur: imò etſi omnes totiùs Regni, vel totiùs mundi, non erit generale, quia ex vi huius non tollitur, quod in ſacellis, vel in locis profanis, ex privilegio, vel ex neceſſitate, vel ex alia ratione diuina celebrentur. Similiter ſi Parochia interdicatur, non eſt generale interdictum, ſi per Parochiam ſola Eccleſia Parochialis intelligatur; quamvis in illa plura loca ſacra ſunt reperta, ut cœmeterium, ſacellæ, &c. quia ut ſic non continet ſub ſe loca profana, & ſacra. Si tamen per Parochiam intelligantur tàm Eccleſia, quàm cætera loca ſæcularium ſuæ iuriſdictioni ſubiecta, erit interdictum generale, quia iam continet ſub ſe loca profana, & ſacra. Ità Cornej. & Sayr. *locis citatis,* Suarez *diſp. 32. ſect. 2 num. 5.*

*Quale dicatur interdictum perſonale generale?*

4. Interdictum generale perſonale eſt, quod fertur in aliquod corpus politicum, quod poteſt proprijs legibus gubernari, vel quod ſub ſe plures perſonas continet, ſecundum quod faciunt inter ſe communitatem, vel politicam unitatem: ut ſi interdicantur omnes perſonæ incolæ talis Civitatis, Provinciæ, Collegij, Vniuerſitatis, in quo directè ipſa Communitas interdicitur; particulares verò perſonæ indirectè, ſecundum quod ſunt partes illius. In quo differt interdictum ab excommunicatione, quæ ferri non poteſt in Communitatem directè, ut diximus *cap 5. num. 170.* Conuenit tamen cum ſuſpenſione, quod hæc etiam in Communitatem ferri poteſt, ut diximus *cap. præcedent. num. 41.* Differt verò ab illa, quia, ut diximus ibi *num. 42.* quandò Communitas ſuſpenditur abſolutè, perſonæ illius ſuſpenduntur, ſecundum quod habent exercere miniſteria illius Communitatis; non verò ſecundum munera propria, & officia ipſarum. Sed interdicta Communitate, etiam perſonæ illius interdicuntur, ſecundum quod habent propria munera, & miniſteria exercere. Et ratio diſparitatis eſt; quia ſuſpenſio, ut ibidem diximus, priuat actibus, qui à corpore politico, & Communitate exerceri poſſunt; ut ſunt actus iuriſdictionis, adminiſtratio Beneficij, & alia officia Eccleſiaſtica. Sed interdictum ſolùm priuat illis actibus, qui à privatis perſonis poſſunt exerceri, ut receptio Sacramentorum, ſepultura Eccleſiaſtica, &c. Vndè ſi perſonæ Communitatis ſecundum munia, & officia particularia ipſarum non interdicerentur, nullius roboris, & effectus eſſet interdictum latum in Communitatem. Ità Coninch, *diſp. 17. num. 6.* Suarez *num. 13. & 15.* Cornej. *diſp. 1. de Interdicto, dub. 2.* Auil. & Palaus *locis citatis.*

*Quando familia interdicitur, eſt interdictum generale.*

5. An verò interdictum latum in familiam, maximè ſi ſit alicuius Magnatis, ſit interdictum generale perſonale? Dubitant Doctores. Sed nòs partem affirmativam probabiliorem iudicamus: quia non fertur in perſonas illius familiæ, quatenus ſunt propria qualitate affectæ; ſed quatenus ſunt partes Communitatis, & unam familiam conſtituunt, unumque corpus politicum faciunt. Et non obſtat, quod ſit talis familia pars oppidi. Nam etiam Ciuitas eſt pars Prouinciæ, & iſta, pars Regni; & nihilominus eſt interdictum generale, quandò illæ interdicuntur. Ità Palaus *num 4.* Coninch, *dub. 1. num. 11.* licet probabilis ſit pars negatiua; quam tuetur Bonacin. *diſp. 5. punct. 1. n. 10.* Sayr. *lib. 4. cap. 4. n. 10.* Enriq, *lib. 13 cap 42. n. 3.*

*Quid ſit interdictum perſonale ſpeciale?*

6. Interdictum perſonale ſpeciale eſt, quod in perſonas determinatas fertur, ut in Paulum, Ioannem, &c. Ad quod non requiritur, ut proprijs nominibus exprimantur. Quandò interdictum fertur à iure, vel ab homine per præceptum generale: ut ſi interdicantur omnes committentes tale crimen, vel omnes, qui tale furtum fecerunt, erit interdictum perſonale ſpeciale, quia non afficit illas perſonas ſecundum quod Communitatem conſtituunt; ſed ſecundum quòd à qualibet ſingulariter poteſt tale delictum perpetrari. Hoc interdictum perſonale ſpeciale dividitur in totale, & partiale. Totale eſt, quod comprehendit omnes effectus interdicti: partiale verò, quod aliquem, vel aliquos dumtaxat.

¶ Sed notandum eſt, quod interdictum locale ſemper fert ſecum interdictum perſonale, illorum videlicet, qui cauſam interdicto locali dederunt, quia hi ſunt ſpecialiter interdicti, taliter; quòd nec in illo loco, nec in alio diuina participare poſſunt, *cap. Si ſententia, de ſentent. excommun. in 6.*

*Non ſemper interdictum perſonale cum locali coniungitur.*

7. Et hinc oritur difficultas: An è contra interdictum perſonale ſaltem generale, ſecum afferat interdictum locale? v. gr. interdicta eſt Civitas, vel Villa, ſeu populus illius Civitatis, an etiam ſint interdictæ Eccleſiæ, ita quod in illis non poſſint diuina à Clericis exerceri? Amplectimur ſententiam communem aſſerentem, ob interdictum populi non cenſeri interdictas Eccleſias, vel Parochias illius. Et ratio eſt, quia in iure ponitur diuerſitas inter interdictum perſonale, & locale, & ab omnibus ut diuerſæ ſpecies interdicti numerantur perſonale, & locale interdictum: ſed ſi interdicto populo (quod eſt perſonale) cenſerentur interdictæ Eccleſiæ (quod eſt locale) iam coinciderent hæc duo interdicta: ergò non ſemper ad inuicem comitantur. Vndè ſicut in *capit. Si ſententia,*

*tia*, *de ſentent. excommunication. in 6.* dicitur, quod, interdicto loco, non cenſentur interdictæ perſonæ, niſi exprimantur, ita è contra, interdictis perſonis, non cenſetur locus interdictus, niſi exprimatur. Ità Sotus *in 4.diſt.22.q.3. art.1.poſt 1.concl* Angel. *verb. Interdictum 1.n.1.* Palaus *diſp.5.punct.2.§.2.n.11.* Conin.*diſp.17.n.20.*Nauarr *cap.27.n.167* Bonac.*diſp.5.punct.1.n.2.&* 3.Sayr.*lib.5.cap 4.num.16.*Auil.5.*par.diſp.1.dub.2.*

*Qui teneantur locale interdictum obſeruare?*

8. Sed rogabis primò. Qui teneantur obſervare interdictum locale? Reſpondetur, quod omnes, tam incolæ, quam exteri, tam ſæculares, quam Regulares quantumvis privilegiati, quia eſt inhabilitas loco impoſita, ne in illo diuina celebrentur, vel audiantur, non verò prohibitio ipſis perſonis facta: argumento ex *capit. Licèt, verſ. Ad ea tamen, & cap. Authoritatem, de privilegijs in 6.* Imò etiam ipſe Prælatus, qui interdictum locale imponit, illud obſervare tenetur, quia ſemel impoſito interdicto, omnes obligat ad ſui obſervationem ex iure communi. Cui derogare nequit Prælatus particularis, niſi ſit Summus Pontifex, qui ad ius commune obſeruandum non tenetur, ſaltem quantum ad vim coercitiuam, cuius eſt actus, interdictum, Hugolin. *tab.5. cap.6. §.1.* Auil. *dub.1.concl. 2.* Coninch, *n.19.*Bonac.*n.21.* Palaus §.1.*n.7.*Sayr.*lib.5.cap.3.num.28.*

*Quando Ciuitas interdicitur, quæ loca ſub interdicto comprehendantur?*

9. Rogabis ſecundò. Quæ loca cenſentur interdicta, quandò Ciuitas, v.gr. per interdictum locale generale interdicitur? Reſpondetur, omnes Eccleſiæ illius Ciuitatis, etiamſi ſint priuilegiatæ, quamuis ſint alterius poteſtatis, aut iuriſdictionis à ſuperiore ferente cenſuras; ut ſunt Eccleſiæ Regularium, Equitum Sancti Ioannis, &c. quia licet iudex apponens generale interdictum non habeat in illa iuriſdictionem; attamen, ne eius ſententia eludatur, vel infirmetur, facta eſt extenſio ad illa à iure, *cap. Si Ciuitas, de ſententia excommunication, in 6.* In quo nulla eſt difficultas inter Doctores poſt *Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 12. & cap. 21. de Regularibus.* Verum notandum eſt, mendicantes non teneri obſeruare interdicta quocumque modo generalia, ſed illa tantum, quæ obſeruat cathedralis, vel matrix, aut parochialis loci ut patet ex clementina *1. de ſentent. excommun.* & cum pluribus probat Ioannes Sylueira, vir ætate noſtra doctrinâ, & virtute celeberrimus ac totius Carmelitanæ N. familiæ decus & ornamentum, in ſuo tractatu doctiſſimo hac de re compoſito: idem præclarè tuetur eruditiſſimus P. N. Antonius à Spiritu S. *in direct. regul. part. 1. tractat. 2. diſp.2. numer. 69.* & ſeq. & *in direct. confeſſariorum tractat.12. diſp. 5. ſect. 1.* ubi plura habet notatu digna. ¶ Etiam ex dicto *capit. Si Ciuitas*, expreſsè habetur, quod, interdicta Ciuitate, cenſentur etiam interdicta ſuburbia illius, & etiam ædificia *continentia*: quia licet hæc non veniant nomine Ciuitatis, nullius eſſet roboris interdictum illius, ſi illa libera ab interdicto manerent, & faciliter eluderetur ſententia interdicti, cum ad hæc loca confugere poſſent fideles, ut diuina audirent. Per ſuburbia autem intelliguntur ædificia extrà muros Ciuitatis exiſtentia, & illi contigua. Per ædificia *continentia* intelliguntur illæ Eccleſiæ, vel loca, quæ licet ſeparata ſint à Ciuitate, (immò etiamſi alterius iuriſdictionis, aut Diœceſis fuerint) ſunt tamen illi propinqua: ut ſi minùs uno milliario diſtent ab illa, ut inquit Syluest. *Interdictum 2. §. 4.* & probabile reputat Palaus *num.2.* Sayr. *num.3.* Sed verius dicendum eſt, hoc arbitrio iudicis relinquendum eſſe, iuxtà regulam in *cap. Si Ciuitas, de ſententia excommunicat. in 6.* quòd videlicet illa loca *continentia* dicantur, quæ per interdictum Ciuitatis interdicta cenſentur, quæ proxima ſunt Ciuitati; ita ut fideles facillimo negotio ad ea peruenire poſſent, ut diuinis aſſiſterent: quo, ſententia interdicti parvi fieret, & eluderetur. Ità Auil. 5.*p. diſp.1. dub.3.* Coninch, *num.18.* Suar. *diſp.32 ſect.2.num.23.*Bonac. *num.20.* Anton.*num.737.*

*Quæ perſonæ ſint interdictæ, quando generale perſonale interdictum apponitur?*

10. Rogabis 3. Quæ perſonæ cenſeantur interdictæ, quandò interdictum generale perſonale apponitur? Reſpondetur, quòd omnes illæ perſonæ, quæ talis Communitatis ſunt membra: & ſic, interdicto populo Ciuitatis, omnes vicini illius Ciuitatis interdicti cenſentur, *cap. Si ſententia, de ſentent. excommunic. in 6.* etiamſi abſentes ſint, quandò interdictum imponitur: quia abſentia non impedit, quominus ſint membra illius Communitatis interdictæ, Sayr. *libr.5.cap.4.num.13.* Bonacin. *diſp.5.punct.1.num.19.* Palaus *diſp.5.punct 2.§ 2.num.1.* Etiam interdicto ligantur omnes vicini, qui fiunt partes talis populi, poſtquàm interdictus eſt: quia ſemel interdicto poſito, quamdiù non relaxatur, omnes partes communitatis interdictæ, quæ re ipſa partes ſunt illius, comprehendit. Ità Cornej.*diſp.1. de Interdicto, dub.2. in fine*, Enriquez *lib.13 cap 42. num.2.* Suarez *num 13.* Coninch, *num.12.* extenditur etiam ad Magnates, Marchiones, Duces, &c. niſi conſuetudine, aut priuilegio eximantùr ab hac obligatione, quia verè ſunt partes illius populi, illius honores, & commoda, quamvis non onera, reportantes, Auil.5.*part.diſp.1.dub.4.* Bonac.*diſp.5 punct.1.num.14.*Palaus *ſupr. n.2.* Sayr.*num.14.*

*Si Communitas conſtet ex ſæcularibus, & Regularibus, omnes ſubiacent interdicto Communitatis.*

11. Sed quia contingere poteſt, quòd Communitas interdicta coaleſcat ex Clericis, Religioſis, & Sæcularibus, omnes ſub interdicto Communitatis comprehenduntur; quia verè ſunt partes illius. Vndè ſi D D. alicuius Vniuerſitatis interdicantur, interdicto ſubiacent tàm Doctores ſæculares, quàm Regulares, & Clerici: quia ex omnibus Vniuerſitas coaleſcit. Suarez *diſp.32. ſect 2. num.14.* Enriquez *lib.13 cap.42. num.1.* Bonac. *num.14.* Auil.*dub.4.concl.9.* Coninch, *diſp.7. dub.2. num.10.* Vndè interdicta familia alicuius Domini, etiam Clerici de tali familia interdicti ſunt, quia familia eſt nomen commune ad Clericos, vel laicos, Angel. *verb. Interdictum 1.n.8.*Enriq.*n.3.*Bonac.*n.13.* Sayr.*n.26.* Auil.*concl.8.*

*Etiam innocentes ſub interdicto generali comprehenduntur.*

12. Sed quid, ſi plures innocentes in tali Communitate reperiantur? Interdictione ſubiacebunt? Reſpondetur affirmatiuè: non quia interdicantur, ut innocentes ſunt; ſed quia ſunt partes Communitatis interdictæ. Nec ullum eſt inconveniens ligari innocentes hoc modo interdicto: quia non priuantur bono obtento, ſed impediuntur, ne obtineant, quatenus Eccleſia illis non vult ſua bona communicare. Quæ ſubſtra-

ſtractio licet habeat rationem pœnæ reſpectu eorum, ob quorum culpam fertur interdictum: quia in eorum ignominiam, & confuſionem cedit; reſpectu innocentium non habet rationem pœnæ, ſed iuſtæ ultionis, & neceſſariæ defenſionis Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Sicut multoties ob delictum Rectorum alicuius Ciuitatis omnibus illius incolis, etiam innocentibus, negantur à Principe privilegia, & plura bona, quæ aliàs eſſet illis conceſſurus. Vndè ſi ſint interdicti per interdictum generale perſonale, nullibi poſſunt diuinis aſſiſtere, aut Sacramenta recipere, quamdiù ſunt partes illius Communitatis interdictæ. Si verò ſit interdictum locale, ſolùm prohibetur illis in locis interdicto ſubiacentibus diuinis intereſſe, aut Sacramenta recipere; non verò in alijs. Conſtat ex *cap. Si ſententia, de ſentent. excommun. in* 6 Et tenent Coninch, *diſp.* 17 *dub.* 1 *num* 6. *&* 7. Palaus *diſp.* 5. *punct* 2. § 2. *num.* 1. Hurtad. *de Interdicto, diſſ.* 4. Auil. 4. *par. diſp.* 1. *dub.* 4 *concl.* 1.

*Qui excipiantur à perſonali interdicto.*

13. Rogabis quartò. Qui excipiantur ab interdicto, quandò per interdictum generale perſonale Communitas interdicitur? Reſpondetur, quòd primò excipiuntur Epiſcopi, qui ſub interdicto generali non comprehenduntur, niſi de eis fiat expreſſa mentio, ut habetur in *capit. Qui periculoſum, de ſentent. excommunication. in* 6. ¶ Secundo, infantes, & amentes doli incapaces: quia defectu uſus rationis, non ſunt capaces prohibitionis appoſitæ per interdictum. Prohibentur tamen tradi ſepulturæ Eccleſiaſticæ: quia hæc prohibitio non tàm ipſos, quàm Clericos afficit, qui ſepulturi ſunt cadauera eorum. Nam ſicut reliqua cadauera mortuorum, qui interdicti deceſſerunt, tradi non poſſunt ſepulturæ Eccleſiaſticæ, ut poſteà dicemus; quamvis ſint doli incapacia, & ratione careant: quia talis prohibitio directè non tendit ad illa, ſed ad ſepelientes: ſic de cadaueribus paruulorum, aut amentium tempore interdicti decedentium ſentiendum eſt. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 18. *punct.* 2. Hurtad. *diſſ.* 4. *citat. num.* 9. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 42. *num.* 2. Bonac. *diſp.* 5. *punct.* 1. *num.* 18. Auil. 5. *p. diſp.* 1. *dub.* 4. *concl.* 5. Palaus *diſp.* 5 *punct.* 2. § 1. *n.* 4.

*Recedentes à populo interdicto liberantur ab eo.*

14. Tertiò, qui recedunt à Populo interdicto, & alibi domicilium collocant: qui ſi innocentes fuerint, eo ipſo ab interdicto liberantur, quia iam deſinunt eſſe partes illius Communitatis interdictæ, ratione cuius illius interdicto ſubiacebant. Qui non indigent noua abſolutione, ſed hoc ipſo quod domicilium alibi collocent, & deſinant eſſe partes Communitatis interdictæ, abſoluuntur à ſuperiore, qui impoſuit interdictum, qui ſolùm vult ad illud obligare illam Communitatem, & partes eius, Auil. *dub.* 4. *concl.* 1. Palaus *n.* 5. Coninch, *diſp.* 17. *dub.* 1. *n.* 12. Sayr. *lib.* 5. *c.* 4. *n.* 5.

*Exteri ſub interdicto generali non comprehenduntur.*

15. Quartò eximuntur ab interdicto generali, peregrini, aut exteri, etiam ſi per multum tempus in populo inhabitent: ut ſunt Scholaſtici, aut mercatores. Quia licet exteri, & peregrini, qui per multum tempus habitant in populo, ad leges illius teneantur; non verò ad illas, quæ afficiunt perſonas ſingulares, ut ſunt partes illius populi: qualiter ſe habet interdictum generale perſonale, de quo loquimur, quia exteri, aut peregrini partes illius non ſunt. Ità Enriq. *lib.* 13. *cap.* 42. *num.* 3. Bonac. *diſp.* 5. *punct.* 1. *num.* 17. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 2. § 2, *num* 6. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 167. Sayr. *libr.* 5. *cap.* 4. *num.* 19. Coninch, *diſp.* 17. *num.* 12. Auil *ſup dub* 4. *concl.* 10. ¶ Illi verò, qui habent duplex domicilium, ſi populus unius domicilij interdicatur, non omninò eximuntur ab interdicto, ſed illi ſubjiciuntur toto tempore, quo cum populo interdicto habitant: quia eſt æquum, ut conformentur cum populo, cuius partes ſunt, quamdiù durat habitatio cum illo, Dian. 5. *p. tract.* 10. *reſol.* 70. Palaus *ſup. n.* 7. Bonac. *diſp.* 5. *punct.* 1. *n.* 17. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 5. *q* 5. *num.* 14. Suarez *diſp.* 32. *ſect.* 2. *num.* 16

*Interdicto populo, Clerici, aut Religioſi non interdicuntur.*

16. Vltimò rogabis: An interdicto populo, cenſeantur interdicti Clerici, aut Religioſi illius populi? Reſpondetur negatiuè. Sicut nec è contra, interdicto Clero, populus interdictus non iudicatur: quia nomine populi tantùm ſæculares intelliguntur non Clerici: & nomine Cleri Eccleſiaſtici, non laici veniunt, *cap. Si ſententia, de ſent. excomm. in* 6. Vndè, interdicto Clero, poteſt populus alios Sacerdotes adducere, ut ſibi diuina celebrent, aut Sacramenta miniſtrent. Et è contra, interdicto populo, poterunt Clerici celebrare, ſicut diximus *num.* 7. Ita Bonacin. *num.* 12. Coninch. *ſupr. num.* 8. Auil *dub.* 4. *concluſ.* 6. *&* è N.N. Lezana *verbo. interdictum num.* 5. Gabr. à S. Vinc. *de cenſur. diſp* 7. Antonius a Spir. S. *in direct. confeſſ. tract.* 12. *diſp.* 5. ubi plura Cornejo, Stephan. à S.P. *tract.* 5. *num.* 274. *&c.* ¶ Quando verò Clerus alicuius Ciuitatis interdicitur, omnes Clerici illius populi interdicuntur, qui gaudent priuilegio fori, & Canonis, non qui ſolum Canonis priuilegio potiuntur: quia iſti ſubjiciuntur ſæculari poteſtati, & ſic cum reliquis laicis populum conſtituunt, & ſub nomine populi veniunt, Palaus *num.* 8 Coninch, *num.* 10. Sayr *num.* 27. Illi verò ſæculares Sacerdotes, qui in tali Ciuitate haberent quidem domicilium; non tamen Beneficium, aut officium, interdicto Clero talis populi, non interdicuntur, quia non conſtituunt unum corpus cum Clero illius Ciuitatis.

*Interdicto Clero, Religioſi non ſunt interdicti, & è contrà.*

17. An verò, interdicto Clero alicuius oppidi, intelligantur interdictæ perſonæ Religioſæ, quæ in tali populo commorantur? Dubitant aliqui. Sed pars negatiua omninò tenenda eſt: quia eſtò in fauorabilibus nomine Cleri veniant etiam Regulares; non in pœnalibus, & odioſis. Diuerſum namq; corpus politicum conſtituunt, quod diuerſis legibus, & conſtitutionibus regitur, & ligatur. Vndè ſicut interdictis Religioſis, non cenſentur interdicti Clerici ſæculares: ita nec interdictis Clericis, Religioſi interdicti iudicantur. Ità Enriq. *num.* 3. Sylueſt. *verb. Interdictum* 2. *num.* 7. Angel. *eodem verb.* 5. *num.* 5. Palaus *num.* 9. Coninch, *diſp.* 17. *dub.* 1. *num.* 9. Auil. *concl.* 7. Dian. *reſol* 80. Bonac. *num.* 11. Laym. *tract.* 5. *p.* 4. *cap.* 1. *num.* 3. Sayr. *num.* 29. ¶ Excipitur duplex caſus. Primus, ſi interdictum imponeretur ſub nomine Eccleſiaſticæ perſonæ, ut ſi diceretur: *Omnes perſonæ Eccleſiaſticæ huius populi interdicantur*, Regulares etiam interdicti cenſerentur: quia verè ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ad Eccleſiam, & illius iuriſdictionem pertinentes. Secondus caſus eſt, ſi Religioſus Beneficium, aut officium,

habet in illo populo, ſegregatus à ſua Communitate, quia tunc verè eſſet pars Cleri illius Ciuitatis, proindeque, Clero interdicto, interdiceretur.

## PVNCTVM II.

### *De cenſura efficiente, formali, & materiali interdicti, & de fine, vel occaſione, ob quam ferri poteſt, nempe culpa.*

*De ſubiecto, & formâ interdicti.*

18. QVatuor ſunt cauſæ, quæ ad interdictum concurrere poſſunt: efficiens, finalis, materialis, & formalis. Cauſa materialis, ſeu ſubiectum, quòd poteſt inteedicto ſubiacere, ſunt omnes fideles, in quibus reperiuntur conditiones, de quibus diximus *cap.* 1. *punct.* 13. loquendo de perſonali interdicto: nam ſi loquamur de locali, etiam ipſe locus ſubiacet interdicto, modo quo diximus *punct. præcedent. num.* 2. ¶ Cauſa formalis, ſeu foema, ſub qua ferri debeat interdictum, nulla aſſignatur in iure neceſſaria ad valorem illius; ſed quæcumque verba habentis poteſtatem ſufficiunt, quibus ſignificet, ſe velle cenſuram interdicti imponere. Vt verò licitè feratur, illa ſolemnitas ſecuanda eſt, quam diximus ad omnes cenſuras eſſe requiſitam, *cap.* 1. *punct.* 6. nimirùm, quòd feratur in ſcriptis, exprimeodo cauſam in ſpecie, ob quam feratur, quòd exemplar tradatur reo intra menſem, ſi petierit. Aliterque imponens interdictum præter peccatum mortale, quòd committit, incurrit ſuſpenſionem ab ingreſſu Eecleſiæ per unum menſem, modo quo ibi explicuimus. Vbi etiam *punct.* 7. & 8. diximus, monitionem præcedere debere, ut validè interdictum feratur, & trinam, ut licitè, vel unam pro tribus. Quod eſt commune omnibus cenſuris.

*Qui poſſint ponere interdictum.*

19. Cauſa efficiens interdicti, ſeu qui habet poteſtatem illud ferendi, ſunt omnes illi, de quibus diximus *cap.* 1. *punct.* 3. habere poteſtatem ferendi cenſuras. Sed notandum eſt primò, quòd licet Epiſcopi, & alij Prælati ſub ſe Capitulum habentes non poſſint interdicto locali, aut perſonali Clericos ligare abſque conſenſu eiuſdem Capituli, attento rigore iuris, quòd habetur *in cap.* 1. *de exceſſibus Prælatorum*, *cap. Quanto, de ijs, quæ fiunt à Prælatis abſque conſenſu Capituli*, & *cap. Cum in cunctis, de ijs, quæ fiunt à maiori parte Capituli*, at, conſuetudine legitimè introducta, prædicta iura abrogata ſunt: & ſic abſolutè poſſunt abſque conſenſu Capituli tàm Laicos, quàm Clericos generaliter, & ſpecialiter interdicere: ut teſtatur Gloſſa in dicto *cap.* 1. *verb. Capituli, de exceſſibus Prælatorum*, & ibi Panormit. Cornej. *diſp.* 3. *de interdicto in fine*, Vgolin. *tab.* 5. *cap.* 1. *num.* 20. §. 1. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 3. *num.* 2. Suar. *diſp.* 36. *sect.* 1. *num.* 6. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 10. N. Anton. *in direct. confeſſor. hic, sect.* 2.

*Prælati Regulares non poſſunt localiter ponere interdictum.*

20. Secundò nota, quòd Prælati Religionum, quamvis poſſint ſibi ſubditos interdicere, non tamen interdictum ponere locale, quo ſuas Eccleſias interdicant; niſi habeant in plebem iuriſdictionem ſiue hoc proueniat, quia eorum iuriſdictio potius eſt in perſonas, quàm in loca: ſiue, quia talis poteſtas eſt eis ablata per conſuetudinem, quàm fortè ſpectato iuris rigore, habebant. Suar. *ſup. num.* 2. Sayr. *num.* 22. Palaus *num.* 2. Cornejo noſter *diſp.* 3. *de interdicto quæſtio* 1. N. Antonius à Spiritu S. *in Direct. Regul. part.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 2. *sect.* 1. §. 3. *num* 99. Bonac. *diſp.* 5. *punct.* 2. *num.* 2. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 24. *num.* 3.

*Ob quam culpam poſſit interdictum imponi.*

21. Cauſa finalis, ſeu occaſio debet eſſe culpa, non quidem præterita præciſè ut talis, ſi loquamur de interdicto, prout habet rationem cenſuræ. Quod eſſe commune omnibus cenſuris, quæ ſunt pœnæ medicinales, & dantur ad reſipiſcentiam, diximus *cap.* 1. *punct.* 10. Non requiritur, quod ſit culpa propria: ſed poteſt interdictum generale locale, & perſonale ob culpam alienam communitatis, vel Rectoris imponi. *cap. Si ſententia, de ſentent. excomm. in* 6. *cap. Non eſt nobis, de ſponſalibus.* Et tunc etiam innocentes ſub tali interdicto comprehendontur, modo quo diximus *punct. præcedent. num.* 12. debet etiam eſſe culpa mortalis, ob quam ferri poteſt interdictum, ut dictum eſt à nobis *de cenſuris in communi*, *cap.* 1. *num.* 126. ſed ad hoc ut imponatur interdictum generale perſonale, vel locale, ſiuè generale ſit, ſiuè ſpeciale, non ſufficit culpa, quantumvis grauis ſit, alicuius particularis; ſed debet imponi vel ob culpam communitatis, vel ob culpam capitis: nimirum Rectoris, Principis aut Prælati, in quo alij ſuo modo peccant, aliterque niſi à Summo Pontifice nequit tale interdictum poni, argumento *ex cap. Non eſt nobis, de ſponſalibus*, & habetur in *Concilio Baſilienſi, ſeſſ.* 20. quia pœna debet proportionari cum culpa: ſed interdictum, de quo loquimur, eſt commune: ergò debet ob culpam communem, nimirum communitatis, vel Capitis illius imponi. Ità Soto *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1. Suarez *diſp.* 36. *sect.* 3. *à num.* 5. Palaus §. 2. *num.* 3. Auil. 5. *part. diſp.* 3. *dub.* 1. *concl.* 5. Coninch, *diſp.* 17. *dub.* 1. *num.* 24. Laym. *libr.* 1. *tract.* 5. *p.* 4 *cap.* 4. *num.* 4. ¶ Interdictum verò perſonale ſpeciale, non poteſt imponi ob culpam alienam, etiam capitis, vel alterius perſonæ quantumvis coniunctiſſimæ, nimirum uxor non poteſt interdici ob delictum mariti; neque filius ob crimen parentis (quidquid in oppoſitum ſentiant Enriq. *lib.* 13 *cap.* 50. *num.* 2. Auil. 5. *p. diſp.* 3 *dub.* 1. *concl.* 4.) quia interdictum ſpeciale perſonale propriam perſonam comitatur, ut priuata eſt: ergò ſupponit ſpeciale delictum illius perſonæ, argumento *ex leg. Sancimus*, *C. de Pœnis.* Sayr. *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 1. Suarez *à num.* 2. Palaus *num.* 7.

*Quod interdictum poſſit ob peccatum veniale imponi?*

22. Sed difficultas eſt: an ob peccatum veniale poſſit interdictum perſonale ſpeciale imponi? Et non loquimur de interdicto, quòd ſit ab homine, à quo ſolum poteſt abſolui: de quo omnes conueniunt, non poſſe niſi ob culpam mortalem incurri; ſed de illo, quòd à iure imponitur: ſunt, qui aſſerant, ob culpam venialem poſſe incurri, quia nō priuat maioribus bonis, quàm excommunicatio minor, & cum ſit à iure, æque ac illa poteſt auferri: ergò ſicut illa ob culpā venialem poteſt incurri, etiam iſtud. Quod probabile reputat Dian. 5. *part. tract.* 10. *reſ.* 73. & tenet Enriq. *libr.* 13. *cap.* 50. *num.* 2. Auil. *dub.* 2. *concl.* 2. Sà *verb. Interdictum*, *num.* 7. Sed cum diſtinctione à nobis poſita, *cap.* 1. *num.* 124. Reſpondendum

dandum eſt, quòd ſi interdictum ſit ſpeciale, & (ut ſic dicamus) maius, ſeu illud quòd omnes effectus interdicti ſecum affert, non poteſt incurri niſi ob lethale crimen. Et falſum eſt dicere ipſum non priuare pluribus bonis, quàm excommunicatio minor: cum priuet adminiſtratione, & receptione ſacramentorum, aſſiſtentiâ diuinorum officiorum, & Eccleſiaſtica ſepulturâ: quod non habent excommunicatio minor. Nec auferri poteſt à quolibet Sacerdote, ſicut illa, niſi à proprio Paſtore, ut infrà dicemus. Si tamen ſit interdictum ad breue tempus impoſitum, & in ordine ad unum, vel alium effectum illius, nimirum ab ingreſſu Eccleſiæ per unum menſem, poteſt ob culpam venialem incurri, quia hoc æquiparatus excommunicationi minori. Ità Præpoſit. *in 3. par. q. 4. de interdicto dub. 1. num.* 3 Coninch, *n.* 24. Layman *num.* 4. Suarez *num.* 2. Palaus §. 2. *num* 9.

*Ob damnum temporale nequit imponi interdictum locale generale.*

23. Sed grauis difficultas eſt inter Doctores: an interdictum licitè, vel validè imponi poſſit ob damnum aliquod temporale: nimirum ob culpam capitis, vel communitatis in retinendo, vel non ſoluendo ære alieno, ita ut cogi poſſint per interdictum ad ſolutionem? In quo ſupponimus, quod ſi interdictum ſit generale locale, imponi non poteſt nec licitè, nec validè ob talem culpam abſque ſpeciali Pontificis licentia (quam habere collectorem ſubſidij, & Commiſſarium Cruciatæ in Hiſpania teſtantur Enriq. *lib.* 13. *cap.* 50. *num* 4. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 18. Palaus *diſp.* 5 *punct.* 3. §. 2. *num.* 4.) quia ita decreuit Boniface VIII. *in extrauagant. prouidè attendentes, de ſentent. excomm. inter communes*, quam confirmauit Clemens VII. *in Bulla*, quæ incipit: *licèt ea, quæ*, & eſt trigeſima quinta eiuſdem in Bullario. Vbi dicitur, nullatenus poſſe niſi licentia Sedis Apoſtolicæ interdici Prouinciam, ciuitatem, Caſtrum, locum, territorium ob contumaciam Domini, vel Epiſcopi in retinendo ære alieno, vel non ſolvendo debito. Et rationem reddunt: ne ob temporalem cauſam, quæ aliâ viâ emendari poteſt, innocentam detrimentum patiantur. Ex quo ſequitur, perſonale interdictum ſpeciale poſſe ob debitum temporale imponi, quia nullibi oppoſitum cauetur, & ceſſat ratio ob quam prohibitum erat interdictum locale ob debitum alienum: cum ſpeciale interdictum perſonale non tangat innocentes, ſed ſolum illos, qui ob culpam ſuam cauſam dedere. Quarè ſolum reſtat difficultas de locali ſpaciali, vel de perſonali generali.

*Locale ſpeciale, & perſonale generale ob damnum temporale imponi poſſe aliqui dicunt.*

24. Circa quam difficultatem eſt duplex ſententia. Prima affirmat, poſſe, & validè, & licitè imponi interdictum locale ſpeciale, vel perſonale generale ob debitum alienum. Ità D. Antonin. 3. *part. tit.* 26. *cap.* 3. *column.* 3. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 168. Sà *verb. Interdictum, num.* 8. Sayr. *num.* 19. Villalob. *tom* 1. *tract.* 19. *diff.* 10. *num.* 7. Suar. *diſp.* 36. *ſect.* 3. *num.* 8. Diana 5. *part. tract.* 10. *reſol.* 79. Et ratio illorum eſt, quia indicta extrauaganti, ſolum prohibetur interdictum generale locale, ob æs alienum imponi: ergò cætera interdicta relinquuntur iuri Ordinario, ſecundum quod poterant imponi ob delictum alienum, quia non eſt limitanda poteſtas iuris Ordinarij abſque expreſſo textu: imò hoc ipſo quod excipiatur interdictum locale generale, cætera videntur permitti; quia exceptio firmat regulam in contrarium.

*Verior eſt pars negatiua.*

25. Secundâ verò, & probabilior ſententia tenet, nec licitè, nec validè poſſe interdictum locale ob æs alienum imponi, niſi contraria ſit conſuetudo, quæ omninò ſeruanda eſt. Probatur primò, ex dicta extrauaganti, ubi prohibetur interdici ob æs alienum Prouinciam, Ciuitatem, caſtrum, locum, territorium, ubi nomine *loci*, prout diſtinguitur ab alijs, intelligitur quilibet locus non ſolum generalis, ſed etiam particularis, cum indefinitè de loco loquatur: ergò ſicut per reliqua verba prohibetur interdictum locale generale, per *locum* interdictum locale ſpeciale. Secundò; quia ideo interdictum generale locale prohibetur ob æs alienum imponi, ne grauentur innocentes ob temporalem cauſam, quæ aliâ viâ emendari poteſt: ſed etiam per interdictum ſpeciale locale grauantur innocentes, ut conſtat, & debitum aliâ viâ poteſt obtineri abſque periculo innocentium: ergo, &c. Ità Couarruu. *cap. Alma mater 2. part.* § 1. *num.* 5. Mexica, *de interdicto, diff.* 3. *concl.* 2. Soto *in 4 diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *poſt* 3. *concl.* Auil. *dub.* 3. *concl.* 2. Palaus §. 2. *num.* 5. *in fin.* & inclinat Layman *cap.* 4. *in fin.* ¶ Et idem ſentiendum eſt de interdicto generali perſonali. Tum, quia iuxta communem ſententiam æquiparatur locali, cum etiam comprehendat tàm culpatos, quàm innocentes, nec eſt leuius, quàm illud, ſed potius grauius. Tum etiam, quia licet, ſpectatis verbis dictæ extrauagantis, non prohibeatur interdictum generale perſonale, bene tamen ſi mens Pontificia attendatur, quæ talis eſt, ne grauentur innocentes ob cauſam temporalem, quæ aliâ viâ emendari poteſt. Quæ ratio etiam reſpectu interdicti generalis perſonalis æqualiter currit. Atque ita tenent Soto, Mexica *loc. cit.* Palaus *num.* 6. & apud ipſum Galdeſinus *tract. de interdicto*, *dub.* 1. *num* 22. Angel. *verbo interdictum* 3. *num.* 3. Sayr. *cap.* 11. *num.* 19. Enriq. *lib.* 13 *cap.* 5. *num* 3.

## PVNCTVM III.

### *De effectibus interdicti in communi.*

*Effectus interdicti poſſunt ſeparari.*

26. Licet omnes effectus excommunicationis eam inſeparabiliter comitentur, ita ut excommunicatio reperiri nequeat iure Ordinario abſque omnibus ſuis effectibus, nec ſit in poteſtate ſuperioris ferentis illam (uno duntaxat Summo Pontifice excepto) quòd hos habeat effectus, & non illos. At interdictum commune habet, cum ſuſpenſione, ut diximus *cap. præcedent. num.* 20. quòd poſſit ſeparari ab aliquibus iure Ordinario: ac proinde eſt in poteſtate Epiſcopi, v.g. quòd interdictum imponat quoad aliquos effectus illius, & non quoad omnes, & ſic non omnes ipſum comitantur, poteſtque aliquis à munere prædicandi interdici, & non ab ingreſſu Eccleſiæ, vel auditione confeſſionum, ab Officio Sacerdotali, & non ab alijs ordinibus, vel à ſepultura Eccleſiaſtica, Bonac. *diſp.* 5. *punct.* 3. *num.* 1. Cornej. *diſp.* 2. *de interdicto* Auila 5. *part. diſp.* 4. *principio*, Palaus *diſp.* 5. *punct.* 4. *initio*.

27. Qua-

Digitized by Google

*Quomodò accipiatur interdictum abſolutè impoſitum?*

27. Quarè attendenda ſunt verba, quibus interdictum imponitur, & ſecundum rigorem illorum eſt accipiendum, quia cùm ſit pœna, ſtrictè, & iuxtà proprietatem eſt interpretanda. Si tamen interdictum abſolutè, & ſimpliciter feratur abſque ullâ limitatione, uti communiter ſolet contingere, maximè in interdictis generalibus, intelligendum eſt de interdicto quoad omnes effectus, quia non eſt ratio, cur limitetur ad unum, & non ad alios.

*Tres effectus habet interdictum.*

28. Interdictum abſolutè poſitum communiter tres habet effectus aſſignatos à Bonifacio VIII. *in cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in 6.* quod etiã colligitur *ex cap. Quod in te, de Pœnitentijs, & remiſſionibus, cap. Reſponſo, de ſentent. excomm. cap. Si civitas eodem tit. in 6.* Primus eſt privatio divinorum officiorum, tàm activa, quàm paſſiva. Secundus privatio aliquorum Sacramentorum. Tertius privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Quibus addi ſolet à pluribus Doctoribus quartus, nimirùm privatio ingreſſus in Eccleſiam. Sed hic effectus, ut benè notavit N. Cornej. *diſp. 2. de interdicto in principio*, non convenit interdicto abſolutè, & generaliter ſumpto, ſed eſt effectus cuiuſdam ſpecialis, & perſonalis interdicti. Præter dictos effectus non habet alios interdictum. Quarè non privat ſuffragijs Eccleſiæ, nec prohibet lucrari indulgentias, ſi aliàs interdictus non ſit in peccato.

*Non privat interdictum iuriſdictione.*

29. Ex quo fit, interdictum non privare exercitio iuriſdictionis tàm interioris, quàm exterioris, tàm fori contentioſi, quàm conſcientiæ, quia hic effectus ad nullum ex tribus enumeratis reducitur. Vndè interdictus etiam nominatim denuntiatus, (& multò magis non interdictus perſonaliter tempore interdicti) poteſt indulgentias concedere, conferre Beneficia, à peccatis abſolvere, excommunicare, & abſolvere ab excommunicatione, & alia omnia, quæ pertinent ad iuriſdictionem, exercere. Ità Bonacin. *diſp. 5. punct. 6. num. 2.* Sayr. *libr. 5. cap. 6. num. 12.* Palaus *diſp. 5. punct. 4. §. 1. num. 1.* Imò poteſt alios interdicere, & locale, aut perſonale interdictum imponere, quia talis impoſitio interdicti eſt actus iuriſdictionis, à quo non eſt privatus per interdictum.

*Qui teneantur interdictum iniuſtè poſitum obſervare?*

30. Interdictum ex iniuſtâ ſententiâ impoſitum, quæ ſecundùm allegata, & probata iuſta videbatur, quamvis in foro exteriori ſervandum ſit ratione ſcandali, ne videamur cenſuras Eccleſiaſticas contemnere, in conſcientiâ verò, & coràm Deo non tenemur illud obſervare: ac proindè, ceſſante ſcandalo, poteſt quis ſacris intereſſe, Sacramenta recipere, ac ſi interdictus non eſſet, ut proportionabiliter diximus de excommunicato. ¶ Sed ab hâc regulâ generali excipiuntur Religioſi, qui tenentur obſervare interdictum, etiamſi nullum ſit, ex quocumque capite nullitas proveniat, ſi ſervetur à Matrice, vel ab Eccleſiâ Cathedrali, ut conſtat *ex Clement. 1. de ſentent. excomm.* ubi ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipitur Religioſis obſervare interdictum, etiamſi nullum ſit, quod ab Eccleſiâ Matrice ſervatur.

*Strictiùs tenentur Regulares ad obſervationem interdicti, quàm alij Clerici.*

31. Ex quo patet, ſtrictiùs obligari ad obſervationem interdicti Religioſos, quam Clericos: nam Religioſi ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ iubentur obſervare interdictum, quod viderint obſervari à Cathedrali, vel Matrice, ſeu Parochiali oppidi, in quo habitant: ſub quâ excommunicatione non tenentur Clerici illud obſervare, ut ibi Gloſſa, *verbo Religioſi*, Navarr. *cap. 27. num. 146.* Palaus *diſp. 5. punct. 6. num. 6.* N. Antonius à Spiritu S. *in Director. Regular. 1. part. tract. 2. diſp. 2. ſect. 1. §. 3. num. 98.* Similiter, etiamſi nullum ſit interdictum; ſi tamen ſervetur à Matrice, ſub excommunicatione dicta tenentur illud Religioſi obſervare: ad quod minimè Clerici tenentur, Enriq. *lib. 13. cap. 46. num. 4.* ſi verò conſtet, eſſe legitimum interdictum, etiamſi non ſervetur à Matrice, tenentur Religioſi illud obſervare; ad quod non tenentur Clerici. Quia iuſtum eſt, eos, qui ſtatum perfectiorem profitentur, iuſtam, & veram cenſuram ab Eccleſiâ impoſitam obſervare, etiamſi alij, qui ád tantæ perfectionis metam non attingunt, illam obſervare recuſent. Et peccabunt mortaliter Religioſi aliter facientes, non tamen incurrent excommunicationem in dictâ *Clement.* impoſitam, ſed alias pœnas aſſignatas *in cap. Finali, de exceſſibus Prælatorum, cap. Epiſcoporum, de Privilegijs in 6.* Avil. *5. part. diſp. 5. dub. 3.* N. Anton. *loc. cit. num. 10.*

## PVNCTVM IV.

### *De primo effectu interdicti, qui eſt privatio activa, & paſſiva Sacramentorum.*

*Quibus Sacramentis privet interdictum?*

32. QVodlibet interdictum privat omnibus Sacramentis tàm recipiendis, quàm miniſtrandis, quæ in iure non ſunt excepta, ut de ſingulis, in particulari diſcurrendo dicemus. Tria ſunt Sacramenta, quę in iure excipiuntur, ut communiter aſſerunt Doctores, & de uno eſt aliquod diſſidium inter illos. Quæ expreſſa ſunt in iure, ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Pœnitentia, ut habetur *in cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in 6. cap. Reſponſo, de ſentent. excomm. cap. Si ſententia, eodem tit. in 6.* De quo eſt dubium, eſt Sacramentum Matrimonij. Sed quid circà ſingula notandum ſit, breviter per illa diſcurrendo perſtringemus.

*Baptiſmus recipi poteſt tempore interdicti.*

33. Et inprimis loquendo de Baptiſmo, dicendum eſt primò, poſſe recipi tempore interdicti tàm à parvulis, quàm adultis, etiam extrà caſum neceſſitatis, quia in iuribus ſtatim citandis abſolutè conceditur talis facultas, nulla reſtrictione appoſita: nam de parvulis habetur, *cap. Non eſt vobis, de ſponſalibus, cap. Quod in te, de Pœnitentijs, & remiſſionibus, cap. Reſponſo, de ſentent. excomm.* de adultis habetur *in cap. Quoniam, de ſentent. excomm. in 6.* Ratio conceſſionis eſt, quia Baptiſmus in re ſuſceptus eſt ſimpliciter neceſſarius pueris ad remiſſionem peccatorum, & gratiam conſequendam, adultis verò licèt in re non ſit neceſſarius, cùm ſufficiat Baptiſmus in voto, ut gratiam, & remiſſionem peccatorum adipiſcantur ſecundum ea, quæ docet Trident. *ſeſſ. 6. cap. 4. & 6.* at ut votum Baptiſmi operetur remiſſionem peccatorum, debet cum contritione perfectâ coniungi, quæ difficilis admodùm eſt. Et ideò pia Mater Eccleſia, ne homines tanto bono priventur, voluit excipi Baptiſmum ab illâ prohibitione generali.

*Poteſt Baptiſmus cum omni ſolemnitate recipi.*

34. Quod verùm eſt de Baptiſmo cum omnibus ſolemnitatibus, quibus ſolet fieri, quia nulla ſit in iure reſtrictio circà hoc, quin potiùs concedendo recipi poſſe Baptiſmum: eo modo conce-

dit recipiendum, quomodò ex iure debet tale Sacramentum miniſtrari; maximè quia ſolemnitas adhibita Sacramento eſt acceſſorium illius, & ſic conceſſo principali, cenſetur etiam concedi; ideoque non ſolùm Patrini, miniſtri poſſunt intereſſe Baptiſmo, ſed quicumque alij. Ità Coninc. *diſp.* 17. *dub.* 2. *num.* 40. Avil. 5. *part. diſp.* 4. *ſect.* 1. *dub.* 4. *concl.* 2. Cornej. *diſp.* 2. *de interdicto, dub.* 1. *quæſt.* 1. Bonac. *diſp.* 3. *punct.* 3. §. 1. *num.* 1. Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 1. *num.* 2. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 4. §. 1. *num.* 4. Sayr. *libr.* 5. *cap.* 7. *num.* 4. N. Gabr. à S. V. *diſp.* 7. *de cenſ.* Anton. à Spiritu S. hic *num.* 780. Et pluses ex his Authoribus dicunt, quod etiamſi Eccleſia ſit ſpecialiter interdicta, poteſt in illâ Baptiſmus cum ſolemnitate recipi, quia ad ſolemnitatem Baptiſmi ſpectat, quod in propriâ Eccleſiâ recipiatur; nec debent pueri extrà propriam Eccleſiam baptizari; quæ ſi ſpecialiter interdicta eſſet, non poſſent in illâ pueri hoc Sacramentum recipere contrà id, quod ipſis concedit Eccleſia abſque ullâ reſtrictione, in iuribus citatis.

*Quid ſi miniſter ſit perſonaliter interdictus?*

35. Et ſi interroges: an Baptiſmus poſſit concedi à miniſtro interdicto perſonaliter? Reſpondetur, quòd ſi interdictus fuerit ſolùm generaliter poteſt Baptiſmum miniſtrare; ſecùs verò ſi ſpecialiter fuerit interdictus. Ratio primi eſt, quia interdictum perſonale generale non habet plures effectus, quam interdictum locale, ſed in omnibus ferè æquiparantur: ergò ſi in loco interdicto poteſt Baptiſmus recipi, etiam à miniſtro interdicto generaliter, poterit concedi. Ratio ſecundi eſt, quia quantum ad adminiſtrationem Sacramentorum interdictum perſonale ſpeciale ob propriam culpam impoſitum, æquiparatur excommunicationi, *cap. Clericis, cap. Latores, de Cleric. excomm. miniſtr.* ſed ab excommunicato miniſtro nequit Baptiſmus recipi, ut diximus *cap.* 3. *num.* 24. ergò neque ab interdicto ſpecialiter perſonaliter, niſi in caſu neceſſitatis, ut ibidem diximus de excommunicato. Ità Cornej. *quæſt.* 2. Bonac. *diſp.* 5. *punct.* 3. §. 1. *num.* 5. Palaus *num.* 5. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 7. Suarez *diſp.* 33. *ſect.* 1. *num.* 6.

*Confirmatio recipi poteſt tempore interdicti.*

36. Dicendum eſt ſecundò, poſſe in tempore interdicti licitè recipi Sacramentum Confirmationis, *cap. Reſponſo, de ſentent. excomm. cap. Quoniam eod. tit. in* 6. quia Sacramentum hoc pertinet ad complementum Baptiſmi: & ſic omnia, quę dicta ſunt de illo, Confirmationi debent applicari. ¶ Sed notandum eſt, quòd cum in dictis iuribus non fiat determinatio ad locale, vel perſonale interdictum, & perſonale generale eoſdem cum locali habeat effectus, etiamſi fidelis interdictus ſit perſonaliter per interdictum generale, poteſt Confirmationẽ recipere; ſecùs verò ſi ſpecialiter ob ſuam culpam eſſet interdictus, quia ſic interdictus æquiparatur excommunicato, quantum ad paſſivam receptionem Sacramentorum, *cap. Epiſcoporum, de Privilegijs in* 6. Vndè ſicut excommunicati nõ poſſunt Confirmationem recipere, ut diximus *cap.* 3 *num.* 41. ſic nec ſpecialiter interdicti. Ità Cornej. *ſup. dub.* 2. Palaus *num.* 7. Bonac. *num* 6. Suar. *num.* 9.

*Quomodò poſſit recipi Pœnitentia ab interdicto?*

37. Dicendum eſt tertiò, interdictum, non privare receptione Sacramenti Pœnitentiæ. Ità habetur *in cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in* 6. ubi extenditur indulgentia, quæ ex iure antiquo circà hoc Sacramentum habebatur, quâ concedebatur ægrotis, ut poſſent hoc Sacramentum recipere: extendit ergò, *cap. Alma mater*, ad noninfirmos, ob magnam neceſſitatem huius Sacramenti: cùm hominum fragilitas facilis inveniatur ad lapſum, difficilis ad contritionem, per quam in gratiâ Dei collocetur. ¶ Intelligitur autem prædicta indulgentia de interdicto locali generali, & ſpeciali, & etiam de perſonali generali, non verò de ſpeciali perſonali, ut ex ipſo *cap.* Probat Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 1. *num.* 14. & 18. Cornej. *diſp.* 2 *dub.* 3. excipiuntur illi, quorum culpa, dolo, aut fraude latum eſt interdictum, & qui auxilium, conſilium vel favorem dederunt ad tale delictum, quia hi non ſunt abſolvendi, niſi priùs præſtent ſatisfactionem Eccleſiæ, vel parti, modo quo diximus *cap.* 2. loquendo de abſolutione ab excommunicatione, nimirùm quòd præſtent ſatisfactionem realem, ſi poſſint: ſi non poſſint, cautionem pignoratitiam, fideiuſſoriam, aut iuratoriam, ut habetur in dicto *cap. Alma mater.*

*Miniſter interdictus illicitè, ſed validè abſolvit.*

38. Etſi interroges: an Confeſſor, qui eſt perſonaliter interdictus, poſſit licitè adminiſtrare hoc Sacramentum circà mortis periculum? Reſpondetur, quòd ſi ſit generaliter interdictus, poterit, ſecùs verò ſi fuerit ſpecialiter interdictus, propter ea, quæ diximus in Sacramento Baptiſmi. Poteſt tamen illud validè miniſtrare, quia interdictum non privat poteſtate ordinis, & iuriſdictionis, ſed impedit licitum uſum illius, & in hoc comparatur interdictus ſpecialiter cum excommunicato, quoad privationem adminiſtrationis Sacramentorum, quia nimirùm utrique illicita eſt talis adminiſtratio, quia hoc expreſsè habetur in iure, *cap. Epiſcoporum, de Privilegijs in* 6. Differunt verò, quod excommunicatio privat iuriſdictione, & ſic invalidum eſt Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato vitando impertitum, ut diximus *cap.* 3. *num.* 25. at interdictum non privat iuriſdictione, ut dictum eſt *punct. præced. num.* 29. & ſic validum eſt Sacramentum Pœnitentię (quantum eſt ex hâc parte) à miniſtro ſpecialiter interdicto receptum. Ità Cornej. *dub.* 3. *quæſt.* 4. & ex illo Dian. 5. *part. tract.* 10. *reſol.* 62. Palaus *punct.* 4. §. 1. *num.* 8. Bonac. *diſp.* 5. *punct.* 3. §. 3. *num.* 2.

*Euchariſtia extrà mortis periculum non poteſt recipi.*

39. Dicendum eſt quartò, quòd Sacramentũ Euchariſtiæ non poteſt interdictis, vel tempore interdicti miniſtrari, etiamſi infirmi ſint, dummodò ſint extrà mortis periculum, quia ſolùm in periculo mortis conceditur, quòd poſſit hoc Sacramentum recipi tempore interdicti; dummodò ſi interdictus fuerit ſpecialiter, vel cauſam dederit interdicto, priùs ſatisfactionem exhibeat, quam ſuprà ex *cap. Alma mater*, diximus requiri. Conceditur hæc facultas recipiendi Euchariſtiam morituris, & alijs denegatur; *cap. Quod in te, de Pœnitentijs, & remiſſionibus, cap. Permittimus, de ſentent. excommun.* poteſt etiam dari omnibus in periculo mortis probabiliter exiſtentibus, ut incipientibus navigationem, vel bellum periculoſum, morte damnatis, mulieri partui propinquæ, quandò ex circumſtantijs periculum mortis timetur. Qui ſunt ſpecialiter interdicti, non poſſunt illud miniſtrare propter ea, quæ diximus *num.* 35. benè tamen qui generaliter ſunt interdicti, niſi fortè non dentur alij Sacerdotes, qui morituro Euchariſtiam miniſtrent, quia tunc poterit à miniſtro ſpecialiter interdicto miniſtrari. Coninc. *diſp.* 17. *n.* 46.

*Quandò Euchariſtia poteſt miniſtrari infirmo etiã cum ſolemnitate.*

40. Sed notandum eſt, quòd quoties licèt infirmo Euchariſtiam miniſtrare, etiam licèt eam ferre cum omni ſolemnitate, pulſatis campanis, &

omnibus,

omnibus, qui voluerint, illam comitantibus, ſicut diximus de Sacramento Baptiſmi. Et tenet Suar. *num.* 8. Coninc. *num.* 44. Bonac. §. 2. *num.* 11. Avil. 5.*part. diſp.* 4.*ſect.* 1.*dub.* 5.*concl.* 4. Palaus *num.* 10. Cornej. *diſp.* 2.*dub.* 4. Sayr. *lib.* 5.*cap.* 7.*n.* 20.

*Sententia aſſerens Clericum recipere poſſe Euchariſtiam tempore interdicti.*

41. Sed eſt difficultas in præſenti: an Clerici, qui non celebrant, poſſint more laicorum Euchariſtiam recipere ex vi conceſſionis, (de quâ puncto ſequenti) quâ ipſis conceditur, poſſe divinis officijs intereſſe, & Miſſam audire? Affirmativam ſententiam tenet Sayr. *lib.* 5.*c.* 7.*n.* 21. Angelus *interdictum* 6. *num.* 22. Geminianus *in cap. Alma mater*, §. *In feſtivitatibus*, *num.* 7. Alter. *diſp.* 4. *de interdicto*, *cap* 4.*num.* 8. Megala, & Faber, quos refert, & ſequitur Leand. *tract.* 5.*diſp.* 4.*quæſt.* 36. Coninc. *diſp.* 17. *num.* 36. Suarez *num.* 38. Sylveſt. & Sà, quos refert, & ſequitur Dian. *reſol.* 82. Quod probant, quia Clericis conceditur, quòd poſſint celebrare tempore interdicti, & quod poſſint Miſſas audire cum circumſtantijs *in cap. Alma mater* aſſignatis, de quibus *punct. ſequent.* dicemus: ergò etiam ipſis conceditur, quòd poſſint Euchariſtiam recipere, quandò Miſſas audiunt, quia ex iure antiquo omnibus Miſſæ intereſſentibus concedebatur Euchariſtia, & ex iure novo *Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 6. omnibus Miſſam audientibus conſulitur, quòd Euchariſtiam recipiant. ¶ Ex quo infertur, quòd in diebus feſtivis, in quibus licèt Miſſam celebrare tempore interdicti, illamque audire ſecundum diſpoſitionem, *capit. Alma mater*, de quo dicemus *punct. ſequent.* Et etiam illi, qui ex privilegio poſſunt Miſſarum celebrationi intereſſe, poſſunt ex vi huius conceſſionis Sacram Euchariſtiam recipere propter eamdem rationem. Quod probabile iudicat Suarez *diſp.* 33.*ſect.* 1 *num.* 36. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 32. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 4. §. 1 *num.* 14. Laym. *libr.* 1. *tract.* 7.*part.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. Coninc. *diſp.* 17. *dub.* 2. *num.* 36. & inclinat Dian. 5.*part. tract.* 10. *reſol.* 83. Teſtaturque Turrian. *libr.* 6. *diſp.* 48. *dub.* 2. ità iudicatum eſſe à pluſquàm quadraginta viris doctiſſimis Vniverſitatis Salmanticenſis, & Complutenſis.

*Sententia contraria proponitur.*

42. Secunda ſententia negat, aut Clericos poſſe more laicorum tempore interdicti communicare, aut in feſtivitatibus conceſſis in *cap. Alma mater*, in quibus conceſſum eſt, poſſe Miſſas ſolemniter celebrare, interdictis non excluſis, poſſe ab illis Euchariſtiam recipi, aut qui habet privilegium audiendi ſacrum tempore interdicti, poſſe tunc in loco interdicto communicare, quia à iure antiquo non eſt recedendum, niſi ſit aliquo novo iure permiſſum, argumento ex *Clementin.* 1. §. *Porrò, de verborum ſignification.* Sed iure antiquo erat probibitum interdictis ſivè Clericis, ſivè ſæcularibus, vel tempore Interdicti Sacramentum Euchariſtiæ recipere: & in *cap. Alma mater*, ſolùm conceditur Sacerdotibus Miſſas celebrare, vel in quatuor feſtivitatibus ibi aſſignatis Miſſarum ſolemnitati intereſſe, ergò ex vi huius conceſſionis non poſſunt Euchariſtiam recipere, ſiquidem Sacramentorum adminiſtratio, vel receptio diverſa eſt à divinorum Officiorum celebratione, *cap. Si ſententia, de ſentent. excommunic. in* 6. *cap. Epiſcoporum, de privilegijs, eodem libr.* Atque ità tenent de Clericis non celebrantibus Cornej. *diſp.* 2.*dub.* 4. *in fin.* Bonac. *diſp.* 5.*punct.* 3. §. 2. *num.* 8. Soto *in* 4.*diſt.* 22.*quæſt.* 3.*art.* 1. *poſt* 4. *concl.* Villalob. *tom.* 1. *tract.* 59. *diff.* 3. *num.* 10. Avil. 5. *part. diſp.* 4. *ſect.* 1. *dub.* 5. *concluſ.* 3. Et loquendo de ſolemnitatibus, in quibus conceditur Miſſarum ſolemnia audire, tenent præter Sotum, Avilam, *locis citatis* Covarruu. *cap. Alma mater*, 2.*part.* §. 5. *num.* 5. Sayr. *libr.* 5 *cap* 7. *num.* 35. Hurtad. *de interdicto, diſp.* 7.*num.* 25. Bonacin. *ſupr. num.* 12. & loquendo de ijs, qui privilegio poſſunt Miſſis intereſſe idem Covarr. §. 5. *num.* 6. Hugolin. *tab.* 5.*cap.* 7. §. 6. *num.* 5.

*Probabilior eſt prima ſententia affirmativa.*

43. Sed quamvis utramque iſtam ſententiam probabilem iudicemus, primæ adhæremus magis, quæ plùs pietati confert, & quia in dicto *cap. Alma mater*, ſatis innuitur: ſiquidem concedens in eo Bonifacius VIII. ut poſſint Clerici ſingulis diebus in Eccleſijs, & Monaſterijs celebrare, ſtatim addit: *Miſſa celebrentur, & alia dicantur divina Officia ſicut priùs*: ergò ſicut ex more & uſu Eccleſiæ habebatur, ut Miſſam audientes in eâ communicarent, maximè Clerici, qui non erant Sacerdotes, nimirùm Diaconi, & Subdiaconi: ità ex vi huius conceſſionis habetur, quòd poſſint, quandò non celebrant, Euchariſtiam recipere; aliàs non verificaretur, poſſe, ſicut priùs, Miſſarum celebrationi intereſſe. Deindè, quia in dicto *cap.* loquendo de ſolemnitatibus, in quibus poſſunt admitti interdicti ad Miſſarum ſolemnia, inquit Pontifex: *Præfatis diebus ad participationem admittimus divinorum.* Sed participare in Miſſæ ſolemnitate, ſecundùm antiquam conſuetudinem, erat de corpore, & ſanguine Chriſti participare: ergò in feſtivitatibus, quibus licèt Miſſarum ſolemnitati intereſſe, licèt etiam interdictis Euchariſtiam recipere. Ac deniquè in dicto *cap.* ait Pontifex, admittendos eſſe interdictos in ſolemnitatibus, in quibus divina celebrare permittit: *Sic tamen, quod illi, propter quorum exceſſum interdictum huiuſmodi eſt prolatum, altari nullatenus appropinquent.* Quod non eſt intelligendum, ut aliqui putant, de propinquitate, vel in diſtantiâ locali, ſed quod tales, qui interdicto cauſam dedere, nullo modo communicent, aut ab illis oblationes in Miſsâ accipiantur, quia oblaturi dona tempore ſacrificij, & præcipuè communicantes, dicuntur ad altare accedere, ut explicant Suarez *diſp.* 34. *ſect.* 1. *num.* 36. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 4. §. 2. *num.* 18. Coninc. *diſp.* 17. *dub.* 2. *num.* 35. Cùm ergò negetur in dicto *cap.* interdictis, ob quorum culpam interdictum eſt poſitum, communicare dictis diebus, cæteris tacitè concedit. Dicendum itaque eſt cum primâ ſententiâ, quòd quibuſcumque licèt Miſſam audire tempore interdicti, licèt etiam in divinis communicare, & Euchariſtiam recipere.

*Sacramentum Ordinis, aut Extremæ unctionis recipi nequit ab interdicto.*

44. Dicendum eſt quintò, quòd nec Sacramentum Extremæ unctionis, nec Sacramentum Ordinis poſſunt ab interdictis, nec tempore interdicti recipi: quia nec ſunt Sacramenta neceſſaria, nec complementum illius, quod ex neceſſitate requiritur, *cap. Non eſt nobis, de ſponſalibus, capit. Quod in te, de pœnitent. & remiſſionib.* Vbi etiam certò morituris negatur, quòd poſſit adminiſtrari Sacramentum Extremæ unctionis. Ratio verò, ob quam permittitur, quòd Euchariſtia in mortis periculo conſtitutis concedatur, & Vnctio denegetur, eſt, quia Euchariſtiæ receptio in periculo mortis eſt de iure divino præcepta, cui ius poſitivum nequit derogare; non verò Extrema unctio, & quia in hâc conficitur Sacramentum, quandò ungitur infirmus; non verò quandò infirmo Eu-

chariſtia communicatur. Imò etiam in illis diebus, in quibus Officia divina cum ſolemnitate permittuntur in *cap. Alma mater*, nequeunt aut Vnctio, aut Ordo communicari: quia ibi ſolùm conceduntur Officia divina, quæ diſtincta ſunt à Sacramentis, N. Anton. hìc *ſect.* 4. Cornej. *diſp.* 2. *dub.* 5. Laym. *libr.* 5 *cap.* 7. *num.* 33. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 4. §. 1. *num.* 17. Bonac. *diſp.* 5. *punct.* 3. §. 3. *num.* 4. N. Gabr. à S. V. *de cenſ. diſp.* 7. *à num.* 33. *& in ſumma verbo, interdictum.*

*Quid ſi infirmus non recipit Pœnitentiæ Sacramentum aut Euchariſtiam?*

45. Si verò contingat, quòd infirmus aut Pœnitentię Sacramentum, aut Euchariſtię non poſſit recipere: poſſe tunc licitè inungi, etiamſi interdictus ſit ſpecialiter, docent graviſſimi Doctores: quia tunc Extrema unctio videtur habere locum Sacramenti Pœnitentiæ, & facere poteſt de attrito contritum. Nec eſt credibile, piam Matrem Eccleſiam velle privare ſubſidio adeò neceſſario in illâ horâ fideles, ut diximus loquendo de excommunicatis *cap.* 3. *num.* 31. Et ideò tunc etiam à miniſtro interdicto perſonaliter, poteſt miniſtrari hoc Sacramentum ſicuti de excommunicato vitando diximus eodem *cap.* 3. *punct.* 4. Ità Avil. 2. *part. cap* 6. *diſp.* 3. *dub.* 3. *concl.* 4. Trullenq. *in Bullam Cruciatæ, libr.* 1. §. 3. *dub.* 7. *num.* 2. Laym. *tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 1. quos refert, & ſequitur Dian. 5. *part. tract.* 10. *reſol.* 77.

*Non poſſe contrahi Matrimonium ab interdictis, dicunt aliqui.*

46. Circà Sacramentum Matrimonij eſt aliqua inter Doctores difficultas: An poſſit tempore interdicti, vel inter perſonas interdictas celebrari? Aliqui negant ex illâ generali ratione: quia quandò aliquid prohibetur in genere, vel univerſaliter, omne, quod ſub eo continetur, ſubiacet prohibitioni, niſi expreſsè excipiatur, argumento *Clement.* 1. §. *Porrò, de verbor. ſignification.* Sed omnia Sacramenta prohibentur recipi ab interdictis perſonaliter, vel tempore interdicti, *cap. Si ſententia, de ſentent. excommunicat. in* 6. & matrimonium nullibi excipitur: ergò manet ſub prohibitione comprehenſum. Ità Coroncj. *diſp.* 2. §. 1. *dub.* 7. Hugolin. *tab.* 5. *cap.* 7. §. 3. *num.* 1. *& cap.* 10. §. 1. *num.* 1. Portel. *verb. Interdictum, num.* 19. Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 1. *num.* 51. Bonac. *num.* 8.

*Verior eſt pars affirmativa.*

47. Probabiliùs tamen dicendum eſt, poſſe celebrari matrimonium tempore interdicti, vel inter perſonas interdictas. Probatur primò, ex *cap. Capellanus, de ferijs*, ubi dicitur, Matrimonium quocumque tempore poſſe contrahi: ergò etiam tempore interdicti. Nec valet, quod dicunt adverſarij, quod intelligitur de quocumque tempore non prohibito. Nam contrà eſt, quòd aliquid ſpeciale conceditur matrimonio, ac alijs Sacramentis, aut contractibus, quandò dicitur, quod quocumque tempore poteſt celebrari: ſed cætera Sacramenta etiam tempore non prohibito poſſunt recipi: ergò quod hìc ſpecialiter conceditur, eſt, quòd nullum datur tempus prohibitum ad illius celebrationem: Secundò, quia quandò in *dicto cap. Si ſententia*, omnia Sacramenta prohibentur, loquitur de Sacramentis Eccleſiaſticis commiſſis adminiſtrationi Eccleſiæ, & miniſtrorum eius: ſed matrimonium non ſubiacet Eccleſię adminiſtrationi, nec eſt Sacramentum, quod à miniſtris Eccleſię conficitur: ergò non eſt ſub generali prohibitione comprehenſum. Tertiò, quia matrimonium per ſe eſt contractus: quod autem ſit Sacramentum, eſt acceſſorium eius, & à Chriſto Domino illi coniunctum: & ſic quod communiter intendunt contrahentes eſt per ſe primò contractus matrimonij; rationem verò Sacramenti quaſi ſecundariò: & ſic eodem modo contraherent, licèt non eſſet Sacramentum; ſed reliqui contractus non ſunt prohibiti tempore interdicti: ergò neque matrimonium in ratione contractus: ergò neque in ratione Sacramenti, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, & illo permiſſo, iſtud cenſetur permiſſum. Atque ità tenent Avil. 5 *part diſp.* 4 *ſect.* 1. *dub.* 6. Coninc. *diſp.* 17. *dub.* 2. *num.* 48. Vival. *tom.* 1. *tract.* 19. *diſſ.* 3. *num.* 15. Sanch. *de matrim. libr.* 7. *diſp.* 8. *à num.* 2. Palaus *numer.* 25. Diana *reſolut.* 81. Layman. *num.* 1. *cit.*

*Qua Sacramenta poſſint Religioſi interdicti tempore recipere?*

48. Sed in fine huius puncti inquires: Qui habeant privilegium recipiendi Sacramenta tempore interdicti? Reſpondetur, quòd inprimis Religioſi utriuſque ſexus poſſunt tempore interdicti localis, vel etiamſi generaliter ſint interdicti, recipere Euchariſtiam, quoties voluerint, vel propter dicta *num.* 43. cum ipſis liceat Miſſas dicere, & audire, ſicuti quibuſvis perſonis Eccleſiaſticis fruentibus privilegio fori, & Canonis, ut dicemus *punct. ſequent.* vel quia ad hoc habent ſpeciale privilegiū, ut teſtantur Palaus *num.* 15. Navarr. *cap.* 27. *num.* 179. Enriq. *libr.* 13. *cap.* 45. *num.* 2. Sayr. *cap.* 7. *num.* 23. Laym. *part.* 4. *cap* 2. *num.* 2. ¶ Similiter poſſunt Extremam unctionem recipere: quæ licèt ſit ipſis etiam prohibita ex iure communi, ex *cap. Quod in te, de pœnitent. & remiſſionib.* ex privilegio tamen id poſſunt: ut patet ex *Compendio privilegiorum Minorum, verb. Extrema unctio, & ex Compendio Societatis, eodem verbo.* Et docent Avil. 5. *part. diſp.* 4. *ſect.* 1. *dub.* 7. *in fine.* Enriq. *num.* 4. Palaus *num.* 19. Sayr. *libr.* 13. *cap.* 7. *num.* 32.

*Quid Bulla Cruciata concedat circà receptionem Sacramentorum?*

49. Deinde per Bullam Cruciatam poſſunt omnes, qui illam recipiunt, omnia Sacramenta tempore interdicti localis, vel perſonalis generalis recipere, niſi cauſam dederint interdicto, vel impediant, quominùs tollatur, ut habetur expreſsè in Bullâ, in quâ excipitur Euchariſtia in die Paſchatis. Quod intelligitur de illâ communione, quę fit ad adimplendum præceptum annuale: ſi enim præceptum aliquis iam adimpleverit, vel adimplere poſtmodùm intendat, poterit ex ſuâ devotione in Eccleſiâ, vel Oratorio Sacram Euchariſtiam recipere, ut teſtantur Ludovic. à Cruce *diſp.* 1. *in Bull. cap.* 5. *dub.* 6. *num.* 1. Palaus *tom.* 4. *tract.* 25. *diſp. unic. punct.* 60. *num.* 13. Suar. *in* 3. *part. quaſt.* 82. *art.* 3. *diſp.* 72. Dian. 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 81. *& part.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 25. Enriq. *libr.* 7. *cap.* 13. *num.* 4. Et intelligitur de Eccleſiâ, vel Oratorio, ſivè generaliter, ſivè ſpecialiter interdictis, quia Bulla abſolutè loquitur abſque ullâ loci reſtrictione.

## PVNCTVM V.

### *De ſecundo effectu interdicti, qui eſt privatio activa, & paſſiva divinorum Officiorum.*

50. IN loco interdicto, vel à perſonis generaliter, vel ſpecialiter interdictis divina Officia celebrare, vel illis intereſſe; prohibetur in *cap. Si ſententia* 16. *de ſentent. excomm. in* 6. *& in cap. Permittimus, de ſentent. excomm.* Nomine Officij divini veniunt omnia illa munia, quæ ex intentione Chriſti,

Chriſti, & Eccleſiæ, à ſolis Clericis per ſe fieri conceduntur, ut Sacrificium Miſſæ, benedictio ſolemnis nuptiarum, benedictio fontis Baptiſmalis, benedictio aquæ, olei, Chriſmatis, &c. Et quia Officium divinum aliarumvè Eccleſiaſticarum precum recitatio, ut Officium Beatæ Mariæ, Defunctorum, Pſalmorum Pœnitentialium, ordinata ſunt ab Eccleſiâ, ut à Clericis conſueta ſolemnitate recitentur; hæc omnia ſolemniter, vel in communi, vel in loco ad id ſpecialiter deputato, dici prohibentur; ſecùs verò, ſi privatim, & in loco non deputato ad Officia divina recitentur, vel illud Officium non ſit ex ijs, quæ de ſe Ordinem Sacrum requirunt, ut benedictio mensæ, recitatio Litaniarum, aliarumque laudum Beatæ Mariæ, Coninc. *diſp. 17. dub. 2. num. 26.* Bonac. *diſp. 5. punct. 4. à num. 1.* Avil. *5. part. diſp. 4. ſect. 1. dub. 1.* Palaus *diſp. 5. punct. 4. §. 2. num. 1.* Suar. *diſp. 34. ſect. 3. num. 7.* Sayr. *libr. 5. cap. 5. num. 4.* Anton à Spir. S. *ſect. 3.*

*Obiectio in oppoſitum.*

51. Sed objicies, ex dictis ſequi 1. quod concio eſſet prohibita tempore interdicti: quia etiam de ſe Ordinem ſacrum requirit. Sequitur 2. quòd recitatiò Horarum Canonicarum, quæ à Monialibus fit, & modo quo ab ipſis exercetur, non eſſet prohibita, cùm non ſit munus ſupponens in eis Ordinem ſacrum. Sequitur 3. quòd *Salve Reginâ* modo quo ſingulis Sabbathis decantatur, non eſſet prohibita per interdictum; cùm nec ſit Officium divinum, nec de ſe requirat Ordinem ſacrum.

*Solutio prædictæ obiectionis.*

52. Reſpondetur, nullum ex dictis ſequi inconvenientibus. Non primum, quia concio non ordinatur ad Deum ex ſe, ut laudes illi recitentur, ſed ad inſtruendum populum. Vndè non eſt prohibita per interdictum: per quod illa munera prohibentur, quæ ad laudes Dei ordinantur: & propterea dicitur *divinum Officium.* ¶ Ad 2. quòd licèt recitatio Horarum, prout fit à Monialibus, non ſit Ordini Sacro annexa, quia tamen talis recitatio ex ſe eſt inſtituta, ut à miniſtris Eccleſiæ fiat, & in Ordine ad illam conſecrantur: ideò hoc ipſo quòd permittatur mulieribus, cum tali onere tranſit ad illas, ut quoties tale officium miniſtris Eccleſiæ prohibetur, ex conſequenti ipſis prohibeatur. ¶ Ad tertium dicimus, quod etiam *Salve Regina* cum cantu, & ſolemnitate, eſt propria Clericorum ex more Eccleſiæ, & conſuetudine, &, ſic prohibetur cum reliquis Officijs divinis.

53. Cæterùm Oratio mentalis, examen conſcientiæ, Litaniæ, aliævè orationes, quæ non per modum officij fiunt, non prohibentur tempore interdicti: proindeque communiter in loco deputato, etiam pulſatis campanis, exerceri poſſunt: niſi quòd ad evitandum ſcandalum eorum, qui neſciunt, ad quid campanæ pulſentur, & iudicare poſſent, quòd interdictum ſpernitur, convenientiùs ſit à pulſatione illarum ceſſare.

*Quid concedat cap.* Alma mater, *circa celebrationem divinorum?*

54. Quamvis hæc habeantur ex iure communi antiquo; cæterùm iure novo Boniſ. VIII. *in cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in 6.* concedit omnibus Clericis Miſſas celebrare quotidiè, Officia divina peragere in quibuſcumque Eccleſijs vel Monaſterijs, ſervatis quatuor conditionibus, de quibus ſtatim dicemus. Ratio, quæ movit Pontificem ad ſic concedendum, explicatur ab eo his verbis: *Quia verò ex diſtrictione huiuſmodi ſtatutorum creſcit indevotio populi, pullulans hæreſis, & infinita pericula animarum conſurgunt, ac Eccleſijs, ſinè culpâ earum debita obſequia ſubſtrahuntur.* Quæ conceſſio intelligitur de interdicto locali generali, non verò de ſpeciali: quia in principio textus facit mentionem de locis interdicto ſuppoſitis: ac proindè de interdicto generali locali. Ibi: *Vt in terris, ſeu locis Eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto*, ſed legis diſpoſitio ex illius principio ſumit interpretationem, *leg. 2. ff. de iuris, & facti ignorantia, & L. 2. C. de imponendâ lucrativorum deſcriptione, lib. 10.* Ità Gloſſa *in dict. cap. Alma mater, verb. Eccleſijs,* Covarr. *ibi, 2. part. §. 4. num. 5.* Cornej. *de interdicto, diſp. 2. §. 2. dub. 1.* Palaus *num. 10.* Coninc. *num. 29.* Bonac. *num. 6.* Suar. *diſp. 34. ſect. 2. num. 1.* Avil. *ſect. 2. dub. 3. & 9.*

*Nihil innovatum eſt circà Eccleſias ſpecialiter interdictas.*

55. Ex quo ſequitur, quòd in *dicto cap. Alma mater*, nihil innovatum eſt circà Eccleſias ſpecialiter interdictas, in quibus proindè non poſſunt divina celebrari, niſi iuxtà diſpoſitionem iuris antiqui: in quo ſolùm concedebatur, quod poſſet una Miſſa in hebdomadâ dici ad renovandam Eucharistiam pro infirmis cum quatuor conditionibus infrà aſſignandis ex conceſſione Gregor. IX. *in cap. Permittimus, de ſentent. excomm.* & quod Officium divinum poſſit à Clericis peragi binis, vel ternis, non cantando, ſed legendo, ſervatis eiſdem quatuor conditionibus, *cap. Quod in te, de pœnitent. & remiſſionibus.*

*Conceſſio dicti capitis ſolùm eſt pro Clericis non pro laicis.*

56. Conceſſio facta in *cap. Alma mater*, minimè ſuffragatur laicis, ſed Clericis. Sub quorum nomine veniunt omnes, qui gaudent privilegio fori, & Canonis, ſivè ſæculares ſint, ſivè Regulares, ſivè viri, ſivè fœminæ: quia omnes ſub nomine Clerici in favorabilibus intelliguntur: & quia in dicto *cap.* conceditur, quòd in Monaſterijs poſſint divina celebrari; quod de Monaſterijs virorum atque mulierum omnes intelligunt, ſicut per Eccleſias, in quibus concedit Pontifex, quòd divina celebrentur, etiam veniunt Hoſpitalia, aut Eremitoria authoritate Epiſcopi erecta: quia privilegium hoc in iure inſertum, & nulli nocivum latè eſt interpretandum, ſecundum quod verba admittunt; & communiter nomine Eccleſiarum hæc omnia veniunt, Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp. 8. num. 13.* Palaus *diſp. 5. punct. 4. §. 2. num. 5.* Sayr. *libr. 5. cap. 5 num. 21.* ¶ In Oratorijs verò privatis ſæcularium ex vi huius conceſſionis non poſſunt Miſſæ celebrari. Tum, quia nec ſunt Eccleſiæ, ut Monaſteria, de quibus dumtaxat loquitur Pontifex. Tum etiam, quia finis talis conceſſionis (nimirùm ne devotio populi tepeſcat, pullulent hæreſes, & Eccleſiæ debitis obſequijs priventur) in Oratorijs privatis omninò ceſſat. Atque ità docent Sanch. *num. 13.* Palaus *num. 7.* Covarr. *num. 1.* Hurtad. *de Interdicto, diſſ. 7. num. 8.* Bonac. *num. 10.* licèt oppoſitum valdè probabiliter doceant Avil. Laym. Suar. Enriq. Hugolin. & Navarr. citati à Palao *num. 6. & Dian. 5. part. tract. 10. reſol. 66.* & alij, quos refert, & ſequitur Leand. *tract. 5. diſp. 4. q. 7.*

*Quatuor conditiones aſſignatæ in* cap. Alma mater.

57. Diximus, quatuor conditiones aſſignatas eſſe in *cap. Alma mater*, ut poſſint Clerici tempore interdicti Miſſam celebrare: 1. eſt *ſummiſſâ voce*, id eſt, ſinè cantu, ità quòd ab exiſtentibus extrà Eccleſiam audiri nequeant per ſe, quamvis per accidens aliquandò audiantur. ¶ Secunda *ianuis clauſis.* Sed non ità, ut à volentibus egredi aperiri non poſſint: ſufficit enim ſi iunctæ ſint, ità ut à foris exiſtentes, videre divina nequeant. Et conveniens erit, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur,

Oſtiarium ibi ponere, qui volentes ingredi moneat de interdicto, & interdictos non privilegiatos excludat. Quæ diligentia non eſt in præcepto. ¶ Tertia, *non pulſatis campanis*: quia cùm populus non ſit convocandus ad divina, ſed potiùs arcendus, meritò campanarum pulſatio prohibetur, quæ ad convocandum populum ordinatur. Etiam tintinnabuli uſus, quod ad *Sanctus*, vel dum hoſtia elevatur, pulſatur, per interdictum prohibetur: tum, quia campanæ nomine tàm maior, quàm minor intelligitur: tum etiam, quia ad Miſſarum ſolemnitatem adhibetur. Ad alia verò, quæ non ſunt Officia divina, poſſunt campanæ pulſari: ut ad concionem, ad ſalutationem Angelicam, ad orationem mentalem, ad examen conſcientiæ, modo quo dicemus *punct. ſequenti*.

*Quarta conditio explicatur.*

58. Quarta conditio eſt, *excluſis interdictis, & excommunicatis* utique denuntiatis nominatim; quia poſt Concilium Conſtantienſe, & extravagantem: *Ad evitanda*, Martini V. hos dumtaxat tenemur evitare. Et ſi interdictus nolit exire ab Eccleſiâ, dum divina celebrantur, debent ſe gerere Clerici, ac ſi excommunicatus eſſet in illâ: quia non conceditur ipſis divina Officia celebrare, niſi excluſis interdictis: ideoque ceſſandum eſt ab eis, modo quo diximus *cap. 3. punct. 6.* loquendo de excommunicatis, ſi expelli nequeant. Et ſi ſecùs celebrans, incurrit irregularitatem, utpotè in actu Ordinis violans cenſuram.

59. Nec hinc fit, laicos non interdictos, aut non excommunicatos tempore interdicti localis poſſe ad divina Officia admitti. Verè enim excludendi ſunt, niſi aliàs privilegium habeant, ut praxis Eccleſiæ docet, & habetur in *cap. Lucèt, cap. Quoniam, de privileg. in 6.* quia privilegium in *cap. Alma mater*, conceſſum ſolùm eſt pro Clericis. Cæterùm quia ex his, poſſunt eſſe aliqui excommunicati, aut interdicti, de his loquitur Pontifex illis verbis: *Excluſis excommunicatis, & interdictis.* Sed quia pro laicis non fuit conceſſum, de illis nō loquitur Pontifex, ſed illos relinquit iuri communi, ſecundùm quòd non poſſunt admitti ad divina, etiamſi excommunicati non ſint, aut interdicti perſonaliter, ſed excludi, ut tradit Gloſſa *in dicto cap. Alma mater, verb. Interdictum*, Covarruv. *lib. 2. part. §. 4. n. 4.* Conine. *dub. 2. nu. 32.* Hugolin. *tab. 5. cap. 8. §. 4. nu. 1.* Avil. *dub. 4. concl. 1.* Sayr. *lib. 5. cap. 5. num. 24.* Suar. *ſect. 1. num. 27.* Palaus *n. 15.* Anton. *num. 769.* Lezana *verb. interdictum*.

*In quibus caſibus poſſint laici ad divina admitti.*

60. Dantur verò aliqui caſus, in quibus laici poſſunt admitti ad divina Officia. Primus, ob defectum uſus rationis, ut pueri, & amentes: quia eorum præſentia moralis non eſt, & Eccleſia ſolùm arcet à divinis eos, qui modo humano ipſis intereſſe poſſunt. Secundus, ſi Sacerdos celebraturus non habeat miniſtrum niſi laicum, hunc adhibere poteſt, quia conceſſo privilegio, conceſſa videntur ea, quæ ad eius uſum neceſſaria ſunt: argumento ex *cap. Lucèt, de privileg. in 6.* Tertius, ex privilegio ſæpè admittuntur laici; ſed de ijs, qui habent illud, ſtatim dicemus: modò ſupponimus quòd conceſſo privilegio perſonæ, etiā omnes eius domeſtici, qui de more illā comitari ſolent, poſſunt divinis aſſiſtere, ex dicto *cap. Lucèt de privileg. in 6.*

*In quibus feſtivitatibus ſuſpendatur interdictum.*

61. Suſpenditur interdictum generale loci, ut poſſint divina celebrari in dicto *cap. Alma mater*, pro quatuor feſtiviſſimis diebus, nimirùm in die Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ. Extenditur hæc conceſſio à Martino Quinto, *in Conſtitutione ultimâ*, incipiente: *Ineffabile Sacramentum*, & ab Eugenio Quarto, *in Conſtitut. 4.* quæ incipit: *Excellentiſſimum*, pro die feſti Corporis Chriſti, & per totam Octavam, à Leone Decim. pro feſto Puriſſimæ Conceptionis in totâ Hiſpaniâ. Quæ privilegia revocata non ſunt per Tridentinum: quia non ſunt conceſſa ſingulis perſonis, ſed vel toti Eccleſiæ, Regno, vel Provinciæ. ¶ In his ergò diebus ſuſpenditur interdictum generale loci, ut celebrentur divina Officia ſolemniter, pulſatis campanis, ianuis apertis, altâ voce, excluſis excommunicatis, interdictis verò admiſſis, dummodò illi, ob quorum culpam impoſitum eſt interdictum, Altari non appropinquent, id eſt, quòd nullo modo communicent, aut ab illis oblationes in Miſſam accipiantur, ut diximus *punct. præced. num. 42. in fine*.

*Qui dies intelligantur per dictas feſtivitates.*

62. Quandò in diebus Paſchatis ſuſpenditur interdictum, pro omnibus feſtivis diebus illius Paſchatis (ſaltem pro tribus prioribus) intelligitur ſuſpenſum: quia omnes illi ſecundum communem acceptationem dies Paſchatis iudicantur, Natalis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & in honorem Paſchatis obſervari iubentur. Quod non tollit, quòd in honorem aliorum Sanctorum ſimul obſervari poſſint. Quâ ratione moti aliqui Authores id negarunt, aſſerentes non celebrari illos dies in honorem Paſchatis, ſed S. Ioan. S. Stephani in Paſchate Nativitatis: & ideò pro illis diebus negarunt, ſuſpenſum relinqui interdictum, Enriq. *lib. 13. cap. 47. num. 2.* Sayr. *cap. 13. num. 4.* Navarr. *cap. 27. num. 182.* Suar. *ſect. 1. num. 38.* Sed noſtrum aſſertum tenet Sotus *in 4. diſt. 22. art. 1. concl. 4.* Vivàld. *in Candelab. tit. de Interdicto, à nu. 237.* Bonac. *diſp. 5. punct. 4. num. 14.* Hurtad. *de Interdicto, diff. 7. num. 24.* Avil. *ſect. 2. dub. 9.* Conine. *num. 37.* Dian. *5. part. tract. 10. reſol. 61.*

*Quo tempore incipiant, & definant dictæ feſtivitates.*

63. Dicti feſtivi dies (& idem dicendum eſt de alijs, de quibus ſtatim dicemus poſſe Regulares ſuſpendere interdictum) incipiunt à primis Veſperis incluſivè uſque ad Completorium dictum diei feſti, tempore quo in tali Eccleſiâ, vel Monaſterio ſolet recitari, quamvis antè illud in Matrice pulſatum ſit ad interdictum: toto ergò hoc tempore ſuſpenditur interdictum, quia feſtum alicuius diei à primis Veſperis incipit, & terminatur in Completorio. In feſto verò Paſchatis incipit ſuſpenſio interdicti à Miſsâ Vigiliæ: tum, quia in eâ Veſperæ canuntur: tum etiam quia Miſſa, quæ in eo die celebratur, eſt propria diei ſequentis: nam Miſſa, quæ dicenda erat illâ nocte, anticipatur, & ſic in Oratione eius dicitur: *Deus, qui hanc Sacratiſſimam noctem.* Et in Vigiliâ Pentecoſtes etiam Miſſa anticipatur, & pertinet ad feſtum ſequentem. Et ideò canitur *Præfatio* ſequentis diei, & cætera, quæ ſunt propria illius, nimirùm, *Communicantes. Hanc igitur.* Ideoque ex tunc ſuſpenditur interdictum, quia ex tunc incipit feſtum ſequentis diei. Quæ quia non currunt in Vigiliâ Natalis Domini, nec in alijs feſtivitatibus enumeratis, non ſuſpenditur niſi à primis Veſperis, ut dictum eſt.

*His diebus audire Miſſam tenentur fideles non in alijs, qui privilegium audiendi habēt.*

64. Sed notandum eſt, fideles etiam interdictos teneri his diebus Miſſam audire (& idem dicendum eſt de Clericis, quibus conceſſum eſt tempore interdicti divina celebrare, quod tenentur Miſſam audire, niſi illam dicant, & cætera officia ſui muneris, ſicut anteà exercere) quia ab eis tolli-

tur

Digitized by Google

tur interdictum, nec eſt privilegium aliquibus particularibus conceſſum, ſed ex iure communi omnibus. In quo differunt ab eis, qui ex particulari privilegio (nimirùm ex Bullâ Cruciatâ, vel ex alijs ſtatim recenſendis) quòd hi non tenentur Miſſam audire (extrà dictas feſtivitates) diebus feſtivis; quibus ipſis cõceditur, quòd, durante interdicto, poſſint divinis intereſſe: quia privilegium ſolùm indulget eis, ut Miſſam audire poſſint; poſſunt tamẽ ſe conformare iuri communi non utendo privilegio. Et licèt reſpectu illorum ſit ſuſpenſum interdictum, quatenùs eos non obligat; abſolutè tamen interdictum remanet, cui poſſunt ſe conformare, non audiendo ſacrum; & ſic ad talem auditionem non obligari, docent Cornej. §. 2. dub. unic. Avil. 5. p. diſp. 4 ſect. 2. dub. 6. qui citat Victor. & Canuni. Covine. n. 28. Llamas in ſummi. p. 3 ca. 5. §. 11. Dian. 5. p. tract. 11. reſol. 2. & 4. p. tract. 4. reſol. 80.

*Quid Religioſi poſſint ex vi ſuorũ privilegiorum?*

65. Sed inquires: Quibus competat ex privilegio, quod poſſint divinis aſſiſtere tempore interdicti, vel illa celebrare? Reſpond. quòd in primis omnibus Regularibus utriuſque ſexus conceſſum eſt, quod in ſuis Monaſterijs ſuſpendere poſſint interdictum, præterquàm in feſtivitatibus enumeratis, n. 61. in feſtivitatibus ſuorum Sanctorum, in feſtivitate Circumciſionis, Epiphaniæ, in quatuor principalibus B. Mariæ, Apoſtolorum, in Dedicatione propriarum Eccleſiarum, & Oraculi Conventus, in feſtivitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, Natalis S. Ioannis Baptiſtæ, S. Marci, S. Lucæ, in feſto omnium Sanctorum, in Commemoratione omnium Defunctorum, quamdiu Miſſa, & Proceſſio durat: quæ & alia huc conducentia, & valdè utilia videri poterunt apud N. P. Antonium à Spiritu S. Luſitanum *in ſuo Directorio Regulari, to. 1. tract. 2. ſect. 1. 3n. 151.* ſed hæc intelligenda ſunt, ſervatis conditionibus in *cap. Alma mater*, aſſignatis, pro feſtivitatibus ibi enumeratis.

*Alia privilegia enarrantur.*

66. Inſuper habent Regulares privilegia, ut poſſint omnibus diebus admittere ad Officia divina famulos, procuratores Monaſterij, operarios, ut conceſſit Alex. IV. & Eug. IV. idem concedit pro tertiarijs, Beatis, ſervis, Familiaribus, ſindicis, œconomicis, procuratoribus, advocatis, officialibus ordinarijs. Monaſterium Fratrum, & Monialium, ſi non ſint excommunicati, nec ſpecialiter interdicti, nec cauſam dederint interdicto. Et Clemens VII. pro confratribus Ordinis S. Mariæ de Monte Carmeli utriuſque ſexus conceſſit; ut admitti poſſint ad divina in noſtris Monaſterijs tempore interdicti generalis, aut ſpecialis; & etiam ceſſationis à divinis, ut habetur *in noſtro compendio fol. 299. num. 6.*

*Quid concedat Bulla Cruciata?*

67. Denique per Bullam Cruciatam omnibus accipientibus eam, ſive laici ſint, ſive Clerici, conceditur, quòd tempore interdicti generalis etiam à Summo Pontifice impoſiti, poſſint intereſſe Miſſæ, alijſq; Officijs divinis, ut in eâ habetur expreſsè *clauſul. 3.* ſed hoc non poſſunt in Eccleſiâ ſpecialiter interdicta, quia ità habetur in Bullâ Latinâ. *In Eccleſijs, in quibus alias Officia divina, interdicto durante, quomodolibet celebrari permiſſum fuerit.* Sed non eſt permiſſum *in cap. Alma mater*, celebrari in Eccleſiâ ſpecialiter interdictâ, ut diximus n. 55. ergò nec per Bullam licèt divinis Officijs in illâ intereſſe. Poſſunt ſimiliter per Bullam Miſſam audire, divinis intereſſe in Oratorijs particularibus, ut expreſsè in Bullâ habetur. Poſſunt etiam ferre ſecum, ut Miſſam audiant in Oratorio, aut in Eccleſiâ, famulos, & familiares, & etiam conſanguineos, ut habetur in eâdem Bullâ. Et intelligitur de conſanguineis uſque ad quartum gradum iam lineę rectę quàm collateralis, quia Bulla loquitur indifferenter, & generaliter de conſanguineis, & ità tenent Villalob. *in Bullam Cruciat. clauſ. 4. n. 16.* Trullenq. *in ead. Bull. lib. 1. §. 3. dub. 3. n. 1.* Diaũ. *5. part. tract. 10. reſol. 76. & part. 9. tract. 1. reſ. 28.* ſed nõ de affinibus, quia Bulla de conſanguineis tantùm loquitur.

*Ampliatio privilegij Bullæ.*

68. Quod verùm iudicamus, etiam ſi Dominus, vel ille, qui Bullam habet, Miſſæ non aſſiſtat, quòd poterunt omnes enumerati, tametſi Bullam non habeant, Miſſam in Eccleſiâ, vel Oratorio audire, quia in Bullâ ſic habetur. *In ſuâ, & familiarũ, domeſticorum, & conſanguineorum præſentia*: ergò ſicut non requiritur domeſticorum, aut familiarium præſentia, ut Dominus habens Bullam Miſſam audiat: ſic non requiritur præſentia Domini, ut familiares, domeſtici, & conſanguinei virtute Bullæ Miſſam audire poſſint. Ità Palaus *tom. 4. tract. 25. diſp. unic. punct. 6. n. 9.* Pellizar. *tom. 1. tract. 8. cap. 2. ſect. 2. n. 149.* Averſ. *de Sacrament. Euchariſt. quæſt. 11. ſect. 14. §. 7.* Dian. *5. part. tract. 10. reſol. 76. & 9. part. tract. 1. reſol. 21. & 28.* Ludovic. à Cruce *in Bull. Cruciatâ diſp. 1. cap. 5. dub. 3. n. 5.* & alij.

## PVNCTVM VI.

### *De tertio effectu interdicti, qui eſt privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ.*

*Per interdictum Eccleſiaſtica ſepultura prohibetur.*

69. TEmpore interdicti prohibitum eſt corpora defunctorum in loco ſacro ſepelire, in loco interdicto generaliter, vel ſpecialiter: non quia hæc prohibitio ſit directè reſpectu mortuorum; ſed reſpectû vivorum, ne illos in loco ſacro tumulent, ut ſic maiorem terrorem incutiat vivis Eccleſiaſtica cenſura; habetur *in cap. Quod in te, de Pœnitent. & remiſſionib. cap. Epiſcoporum, de Privilegijs in 6.* Quod etiam ad parvulos, qui defuncti ſunt extenditur, ne in loco interdicto ſepeliantur, ut diximus n. 13. Qui extrà locum ſacrum tempore interdicti ſepultus eſt, ablato eo, exhumandus eſt, & in loco ſacro ſepeliendus: & ſi ſepeliatur in loco ſacro tẽpore interdicti, & advertatur antè ceſſationem illius, debet extumulari cadaver, & in loco non ſacro ſepeliri; ſecùs autem ſi ceſſaverit, quandò advertitur, quia ad ſtatum res pervenit, à quo incipere potuit, argumento *ex cap. Placet, de Converſione coniugatorum, leg. quia in eum, ff. Ad legem Aquil.* Nomine loci ſacri intelligitur Eccleſia, Cæmeterium, & alius quilibet locus ſepulturę fidelium deſignatus ex benedictione, aut deſignatione Epiſcopi, ut multoties diximus.

*Specialiter perſonaliter interdicti nequeunt in loco ſacro ſepeliri.*

70. Similiter. Interdicti perſonaliter ſpecialiter non poſſunt in ſepulturâ ſacrâ in quocumq; loco ſepeliri, etiamſi Clerici ſint, *ex Clement. 1. de ſepulturis, cap. Epiſcoporum, de Privileg. in 6.* Idem dicendũ eſt de illis, qui dederunt cauſam interdicto, vel generali perſonali, vel cuicumque locali, quia tales ſunt perſonaliter, & ſpecialiter interdicti. ¶ Sed dicta intelligenda ſunt de interdictis denunciatis, quia poſt Concilium Conſtantienſe, & extravagantem: *Ad evitanda* nulli denegatur ſepultura Eccleſiaſtica, ob quamlibet cenſuram, niſi denunciatus ſit, quia ſicut licitum eſt cum illo vivente communicare, etiam mortuo.

71. Ex quo infero contrà Palaum *diſp. 5. punct. 4. §. 3. num. 10.* Coninc. *diſp. 17. dub. 2. num. 56.*

*Debet eſſe ſpecialiter denuntiatus, qui ſepultura ſacra privatur.*

Avil. 5. *part. diſp.* 5. *dub.* 1. §. *Sed eſt advertendum*, Laym. *tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 2. *in fin.* Quod ſi aliquis generaliter perſonaliter fuerit interdictus, quia populus, vel Collegium, cuius eſt pars, interdictum eſt, non privatur Eccleſiaſtica ſepultura quamvis interdicto ligatus decedat, quia propriè non eſt denuntiatus nominatim, ſed ſolùm remotè in generali denuntiatione ſuæ communitatis; ſed ut aliquis ſit vitandus in vitâ, & in morte, debet eſſe nominatim denuntiatus, poſt Concilium Conſtantienſe, & extravagantem Martini V. *Ad evitanda*, ut diximus *cap.* 3. *punct.* 2. ergò qui generaliter eſt interdictus, & cauſam interdicto non dedit, poteſt in ſepulturâ ſacrâ tumulari. Ità Cornej. N. *diſp.* 3. *de interdicto*, §. 3. Suar. *diſp.* 35. *ſect.* 3. *num.* 2. Sayr. *libr.* 5. *cap.* 8. *num.* 2. Reginald. *lib.* 32. *tract.* 3. *cap.* 29. *num.* 38. ¶ Nominatim interdictus, ſi abſque ſigno contritionis decedat, extrà locum ſacrum ſepeliendus eſt. Si verò cum ſigno contritionis moriatur, vel ex circumſtantiâ perſonæ colligatur, non deceſſiſſe ſine eo, poteſt indirectè abſolvi, & ſic ſacræ ſepulturæ tradi. Avil. 5. *part. diſp.* 4. *ſect.* 3. *dub.* 1. *in fin.* Sayr. *n.* 22. Palaus *n.* 11.

*Sententia aſſerens in feſtivitatibus, in quibus ſuſpenditur interdictum, poſſe in loco ſacro fideles ſepeliri.*

72. Difficultas verò eſt inter Doctores: an in feſtivitatibus, in quibus conceditur *in cap. Alma mater*, quod ſuſpendatur interdictum, & in alijs, de quibus diximus *num.* 61. poſſint in illis diebus laici morientes in loco ſacro ſepeliri? Affirmativam partem tenet D. Antonin. 3. *part. tit.* 29. *cap.* 4. antè medium; Enriq. *lib.* 13. *cap.* 44. *num.* 5. *& cap.* 47. *num.* 4. Vivald. *de interdicto*, *num.* 250. Sayr. *num.* 11. Bonac. *diſp.* 5. *punct.* 5. *num.* 7. Sylveſt. *interdictum*, 5. *quæſt.* 2. Tabien. *eodem verbo* 5. *num.* 12. & probatur primò, quia quos communicamus vivos, defunctos poſſumus communicare, *cap. Sanè* 124. *quæſt.* 2. ſed in his diebus licitè poſſunt Clerici communicare cum omnibus laicis in divinis: ergò etiam illos in loco ſacro ſepelire. Secundò, quia ſepultura ſacra non tàm prohibetur ratione ſui, quàm ob Officia divina, & Eccleſiaſtica illi coniuncta: ſed in dictis diebus poſſunt laici in divinis Officijs, & Eccleſiaſticis cum Clericis communicare: ergò etiam ſepultura Eccleſiaſtica potiri. Tertiò, quia hoc privilegium *cap. Alma mater*, eſt favorabile, nemini nocivum, & in iure inſertum: ergò amplè eſt interpretandum. Ex quo inferunt, quod qui habet privilegium aſſiſteodi divinis tempore interdicti, de quibus diximus *punct. præced.* à *num.* 65. poſſunt ſacræ ſepulturæ tradi.

*Verior eſt ſententia negans.*

73. Probabilior nihilominùs eſt negativa ſententia, quia ſepulturæ Eccleſiaſticæ privatio eſt unus ex effectibus interdicti diverſus à privatione divinorum Officiorum, *cap. Si civitas*, *de ſentent. excomm. in* 6. *cap. Epiſcoporum*, *de Privileg. eodem lib.* ergò per hoc quod ſuſpendatur interdictum quantum ad Officia divina, non cenſetur ſuſpenſum quantum ad ſepulturam Eccleſiaſticam. ¶ Confirmatur. Quia *in cap. Cùm*, *& plantare*, §. *Quodſi Templarij*, *de Privileg. cap. Vt privilegia eodem tit.* aliquibus (ut Templarijs, & Hoſpitalarijs) conceditur, quod ſemel in anno ob lætitiam adventus eorom poſſint Officia divina in loco interdicto celebrari, & tamen negatur, quòd poſſint in loco ſacro ſepeliri, ſi decedere contingat: ergò ex eo quod in feſtivitatibus ſuſpendatur interdictum, quantum ad Officia divina, & laicis concedatur illis aſſiſtere, non cenſetur conceſſum, quòd poſſint in loco ſacro ſepeliri. Ità Gloſſa *in Clement.* 1. *verb. A iure*, *de ſepulturis*, Cornej. §. 3. Covarruv. *cap. Alma mater* 2. *part.* §. 5. *num.* 6. Suar. *ſect.* 1. *num.* 15. Coninc. *num.* 55. Avil. *ſect.* 3. *dub.* 3. Palaus *num.* 5. ¶ Vnde qui habent privilegium aſſiſtendi divinis Officijs, vel Sacramenta recipiendi tempore interdicti, ex vi huius præcisè non poſſunt in loco ſacro ſepeliri, niſi fortè ſub hàc generalitate, nimirùm, ut ad divina admitterentur, privilegium haberent, quia per illud omnes effectus interdicti viderentur ſuſpenſi. Argumento *ex cap. Si ſententia*, *de ſentent. excomm. in* 6. quod tenent Suar. *num.* 17. *&* Palaus *num.* 7.

*Contraria argumenta ſolvuntur.*

74. Ad contraria argumenta reſpondetur. Ad primum, quòd in eâdem re, in quâ communicamus cum vivis, poſſumus communicare cum mortuis. Vndè quandò in Sacrificijs, vel Orationibus publicis, vel oblationibus cum illis communicamus in vitâ, pro eis offerre poſſumus illa poſt mortem, non verò quandò ſunt diverſi effectus, ut accidit in præſenti. ¶ Ad ſecundum negandum eſt, ſepulturam Eccleſiaſticam præcisè denegari interdictis ob Officia divina illi annexa, quia cùm ſit diverſus effectus ipſius interdicti, ratione ſui denegatur. ¶ Ad tertium fatemur, privilegium favorabile latè eſſe interpretandum, ſed hoc quantum verba permittunt; non verò ultrà id, quòd verborum proprietas, & intentio concedentis illud expoſcit. Sed quæ modò diximus, de laicis intelliguntur, pro Clericis verò ſequentem concluſionem ſtatuimos.

*Quomodo poſſint Clerici interdicti in loco ſacro ſepeliri?*

75. Dicendum eſt, quòd Clerici interdicti perſonaliter generaliter, aut tempore interdicti localis generalis poſſint ſepeliri in loco ſacro cum Miſſæ celebratione abſque pompâ (intellige, Eccleſiaſtica; non verò de comitatu, aut alia pompa honorifica, quæ ſolet ſepulturas fidelium comitari,) & in diebus feſtivis, in quibus interdictum ſuſpenditur quantum ad Officia divina, poſſunt cùm omni ſolemnitate Eccleſiaſtica, & Miſſarum celebratione, aut pulſatione campanarum ſepeliri. In Eccleſiâ verò ſpecialiter interdicta poſſunt etiam ſepeliri, ſed non cum Miſsâ, aut ſolemnitate Eccleſiaſticâ; ſi verò ſint ſpecialiter interdicti, vel cauſam interdicto dederunt, vel illud non ſervaverunt, nullo modo poſſunt in loco ſacro ſepeliri, ſicut de laicis diximus. Concluſio habet duas partes, quas ſigillatim probabimus.

*Probatur prima pars concluſionis.*

76. Probatur ergò prima pars concluſionis, quia *in cap. Quod in te*, *de Pænit. & remiſſionib.* conceditur omnibus Clericis (per Clericos intelligũtur omnes, qui gaudent privilegio fori, & Canonis, ſivè ſæculares, ſivè Regulares, ſivè viri, ſivè fœminæ) quod poſſint ſepeliri tempore interdicti in cœmeterijs. Quod ampliant Doctores ad quemlibet alium locum ſacrum, ut conſtat ex uſu, & conſuetudine Eccleſiæ; ſed Pontifex, quia olim ſolùm in Cœmeterijs ſolebant fidèles ſepeliri, & in Eccleſijs non, niſi magni Principes ſepeliebantur, de Cæmeterijs locutus eſt, ut tenet Covarruv. *cap. Alma mater*, 2. *part.* §. 2. *num.* 7. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 44. *num.* 4. Avil. *ſect.* 3. *dub.* 2. Suar. *ſect.* 1. *num.* 7. Palaus *num.* 3. Bonacin. *num.* 13. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 4. *quæſt.* 2. *num.* 94. & quamvis in dicto *cap. Quod in te*, dicatur, quòd fiat abſque pulſatione campanarum, abſque ſolemnitate Eccleſiaſticâ, & cum ſilentio, id eſt, abſque divinis Officijs modo Eccleſiaſtico dictis; quia tamen iure novo

*in cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in 6.* conceditur Clericis, ut Officia divina poſſint celebrare cum moderatione ibi aſſignata: nimirùm ianuis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, & ſubmiſsâ voce, poterunt Clerici ſepeliri cum Officio Miſſæ, his ſervatis conditionibus, & conſequenter cum omni ſolemnitate, campanis pulſatis, ianuis apertis, excluſis excommunicatis, & interdictis admiſſis, poterunt ſepeliri in illis diebus, in quibus conceditur in dicto *cap. Alma mater*, quòd poſſint Officia divina celebrari cum ſolemnitate, Suar. *num.* 5. Palaus *num.* 3. Enriquez *num.* 4. Bonac. *num.* 13. Avil. *dub.* 2. poſt tertiam concluſionem.

*Secunda pars concluſionis probatur ratione, & authoritate.*

77. Secunda verò pars concluſionis probatur, nimirùm, quòd in Eccleſiâ ſpecialiter interdicta poſſunt ſepeliri, ſed non cum Miſſę celebratione: & quòd ſi ſint ſpecialiter interdicti, nullo modo poſſunt ſepeliri in loco ſacro, quia hoc ultimum habetur in ipſo *cap. Quod in te.* Vbi concedens Pontifex, quod poſſint Clerici tempore interdicti in loco ſacro ſepeliri, excipit ſpecialiter interdictos, & qui cauſam interdicto dedêre, vel qui non ſervaverunt interdictum. De alijs verò quòd poſſint in loco interdicto ſpecialiter ſepeliri, probant Doctores ex ipſo *cap. Quod in te*, ubi Clericis conceditur hoc privilegium, quòd in loco ſepeliantur abſque ullâ reſtrictione ad locum non ſpecialiter interdictum. Et licèt mentio fiat in hoc capite de loco generali, non eſt facta ut reſtrictiva conceſſionis, ſed quia frequentiùs contingit, interdictum generale apponi, quàm ſpeciale. Ità Panormitan. *in dicto cap. Quod in te, num.* 10. Sylveſt. *verb. Interdictum* 5. *num.* 10. Suar. *lib.* 5. *cap.* 8. *à num.* 12. Covarruu. *ſupr. num.* 7. Enriq. *num.* 4. Palaus *num.* 8. Cornej. *diſp.* 3. §. 3. Quamvis decentiùs ſit, quòd in alio loco ſepeliatur, maximè ſi non ſit illius Eccleſiæ Clericus, tametſi poſſit in tali Eccleſiâ ſepeliri, etiamſi Clericus illius non ſit, quia nullus datur textus, qui conceſſam Clericis ſepulturam ad propriam Eccleſiam reſtringat, ut inquit Suarez *ſect.* 2. *num.* 4. Avil. *ſect.* 3. *dub.* 2. Filliuc. *num.* 96. Verumtamèn quia in dicto *cap. Quod in te*, dicitur, quòd talis ſepultura fiat ſinè ſolemnitate, aut Miſſæ celebratione; & conceſſio facta *in cap. Alma mater*, ut poſſint Clerici in loco interdicto celebrare, non extenditur ad Eccleſiam ſpecialiter interdictam, ut diximus *punct. præced. num.* 54. ideò ſi in illâ tumulentur, debet eſſe abſque ſolemnitate, & abſque Miſſæ celebratione.

*Quid Bulla Cruciata concedat circà ſepulturam ſacram.*

78. Sed inquires: quòd privilegium concedat Bulla Cruciata recipientibus illam in ordine ad ſepulturam Eccleſiaſticam tempore interdicti? Reſpondetur, quòd habentes Bullam tempore interdicti localis generalis poſſunt ſepeliri in loco ſacro, cum moderatâ pompâ: imò etiam in Eccleſijs ſpecialiter interdictis, quia in Bullâ Hiſpanâ ſic habetur: *Concede ſu Santidad, que en tiempo de entredicho, puedan ſer ſepultados los cuerpos de los muertos en ſepultura Eccleſiaſtica, con moderada pompa funeral:* ubi non limitatur privilegium ad Eccleſiam, vel Eccleſias, de quibus aliàs de iure permiſſum eſt, ſicuti *in cap. Alma mater*, in privilegio celebrandi divina Clericis conceſſo, ob quam rationem diximus *punct. præced.* non extendi ad Eccleſias ſpecialiter interdictas: ergò hoc privilegium Bullæ ad illas etiam extenditur. Atque ita tenent Trullenq. *in Bullâ Cruciat. libr.* 1. §. 3. *dub.* 10. *num.* 5. Machad. *tom.* 1. *libr.* 1. *part.* 3. *tract.* 13 *docum.* 11. *num.* 4. Leand. *tract.* 5. *diſp.* 11. *quæſt.* 19. Qui etiam aſſerunt cum Enriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *num* 8. quòd indultum Bullæ proficit etiam pueris, & amentibus, ſi pro eis Bulla ſumatur, ut poſſint in loco ſacro ſepeliri, quia Bulla generaliter loquitur ſine reſtrictione ætatis, aut conditionis.

*Si pro defuncto Bulla ſumatur, poteſt in loco ſacro ſepeliri.*

79. Cæterùm quia in prædictâ conceſſione ſolùm petitur, quòd defunctus habeat Bullam, quam habere verificatur, etiamſi poſt mortem illius, Bulla ſumatur pro eo (Bulla quidem vivorum, non mortuorum, quia hæc non proficit ad hunc effectum, ſed ut lucretur indulgentia plenaria, ut benè advertit Villalob. *tract.* 27. *clauſul.* 5. *num.* 2.) hoc ſufficiet, ut poſſit ſepulturę Eccleſiaſticæ tradi, ut tenet Enriquez loco citato in *Gloſſâ litterâ. l. & L.* Et ex illo Trullenq. *num.* 1. Machad. *num* 3. Leand. *quæſt.* 21. ſed quia dicitur in Bullâ, quòd talis ſepultura fiat cum moderatâ pompâ, intelligendum eſt cum moderationibus aſſignatis *in cap. Alma mater*, non pulſatis campanis, clauſis ianuis, &c. Et addit Villaloh. ſuprà ex Rodriguez, quòd ter pro viris, & bis pro fœminis poſſunt campanæ pulſari, ex vi conceſſionis Bullæ.

## PVNCTVM VII.

### *Quod peccatum ſit violare interdictum? Et de pœnis contrà illud violantes impoſitis.*

*Peccatum eſt ex genere ſuo mortale violare interdictum.*

80. CLericus violans interdictum, vel miniſtrando Sacramenta prohibita per illud, vel illa recipiendo tempore interdicti generalis, vel ſi ſit ipſe interdictus generaliter vel ſpecialiter, peccat mortaliter, quia in re gravi violat præceptum Eccleſiæ. Similiter ſi in loco ſpecialiter interdicto Officia divina celebret, vel illis aſſiſtat, vel in loco interdicto generaliter, ſed non cum moderationibus, quibus hoc conceditur *in cap. Alma mater*, peccat mortaliter in omnium ſententiâ, niſi ex ignorantiâ, timore, alijsvè cauſis excuſetur, de quibus diximus *cap.* 1. *punct.* 15. vel ex parvitate materiæ, quia prohibitio celebrationis divinorum vel aſſiſtentiæ illis directè eſt ad Clericos ordinata, & cùm verſemur in materiâ gravi, erit eius violatio lethale peccatum.

*Quæ parvitas materiæ excuſet?*

81. Diximus excuſari ob parvitatem materiæ & ità iudicamus eſſe exercitium Ordinum minorum, quia ferè ſemper à Clericis exerceri ſolent non ut proprij actus Ordinis, ſed qualiter à laicis poſſunt fieri Palaus *diſp.* 5. *punct.* 5. *num.* 3. Avil. 5. *part. diſp.* 5. *dub.* 2. §. *Notandum*, Bonac. (citans Reginaldum) *diſp.* 5. *punct.* 7. *num.* 4. ſimiliter ſi Clericus interdictus ſpecialiter non notabili parti officij aſſiſtat, ſi oſtium apertum permittat, dum cantatur Epiſtola, vel Evangelium, fit offertorium, vel ultimæ orationes dicuntur: imò addit Suarez, & ex illo Palaus *ſup. num.* 2. quòd ſi accidat portam relinqui apertam ab ingredientibus, non debet ſiſtere celebrans, donec claudatur, quia ità facilè non licèt ſacrum intermittere, & maioris ponderis eſt Miſſam cùm quiete, & devotione celebrare, quàm curare, an oſtium ſit clauſum, vel apertum.

82. Laici interdicti, vel in loco interdicto Sacramenta prohibita recipientes, peccant mortaliter,

*Etiam laici mortaliter peccant, recipiendo Sacramenta prohibita.*

ter, quia per interdictum perſonale id eis directè prohibetur, & per locale, quamvis præceptum dirigatur ad Sacerdotes, ne in loco interdicto Sacramenta miniſtrent, ex conſequenti illis prohibetur illa recipere, & cùm ſit materia gravis, erit lethale crimen contrà tale præceptum operari, quod ferè omnes concedunt, quamvis ſit difficultas inter Doctores, an peccet mortaliter laicus divinis officijs aſſiſtens in loco interdicto, ſi ipſe non eſt perſonaliter interdictus, aut ſpecialiter, quia ſi interdictus ſit ſpecialiter, omnes de illo idem iudicium faciunt, ac de Clerico ſpecialiter interdicto, ac proindè peccare mortaliter aſſerunt niſi ex parvitate materiæ, aut aliâ ratione excuſetur, quia interdictum perſonale directè privat aſſiſtentia divinorum, quem ligat. Cæterùm quia interdictum locale directè ordinatur ad Clericos, ne in tali loco officia divina celebrent, ideò diſſidium eſt inter Doctores, an laici peccent mortaliter aſſiſtendo talibus officijs in loco interdicto, quamvis omnes ferè conveniant peccare mortaliter in his caſibus.

*Caſus, in quibus apud omnes peccant mortaliter laici divinis aſſiſtentes.*

83. Primus, ſi Clericum compellat in loco interdicto publicè, & ſolemniter celebrare. Secundus, ſi præſumat, pulſatis campanis, vel publico præconio, convocare populum ad audiendum ſacrum, vel officia divina in loco interdicto. Tertius, ſi impedire præſumat, quòd excommunicatus, vel interdictus monitus à Clero ab Eccleſiâ exeat, vel ſi ipſe monitus à Clericis renuat exire. Quæ colliguntur *ex Clement. gravis 2. de ſentent. excomm.* Quartus caſus eſt, ſi violenter divinis ſe ingerat. Quintus denique, ſi fingat ſe Clericum eſſe, vel Bullam, & privilegium habere, ut ſe ingerat divinis, quia in re gravi decepit Miniſtros Eccleſiæ. ¶ Præciſis ergò his caſibus, quæritur, an peccent mortaliter laici Miſſæ, vel Officio divino aſſiſtentes, in loco interdicto abſque ſpeciali privilegio? Et relictis illis, qui aſſerunt, non eſſe neque peccatum veniale, qui ab alijs meritò reijciuntur.

*Extrà dictos caſus non peccare mortaliter laicos divinis aſſiſtentes, aliqui dicunt.*

84. Prima ſententia aſſerit, ſolùm peccare venialiter: quàm tenet Sylveſt. *verb. Interdictum 6. num.* 8. Angel. *eodem verb.* 7. *num.* 9. Soto *in 4. diſt. 22. quaeſt. 3. art. 1. concl.* 6. Dian. 5. *part. tract.* 10. *reſ.* 68. Reginald. *tom. 2 lib 32. tract. 3. cap. 3. num.* 42. Avil. 5. *part. diſp. 2. dub.* 2. Alter. *diſp. 8. de interdicto, cap. 3. ſol.* 1. N. Anton. *num.* 801. & probabilem dicit Suar. Sayr. Palaus, infrà citandi. Et ratio illorum eſt, quia nullum datur præceptum prohibens laicis divinis intereſſe tempore interdicti, ſed ſolùm datur contrà Clericos, ne laicos non privilegiatos admittant, *cap. Reſponſo, de ſent. excomm. cap. Non eſt nobis, de ſponſalib. cap. Licèt, de Privileg. in 6.* ergò non peccabunt mortaliter laici ſe illis ingerentes, ſed ad ſummum venialiter, quia occaſionem præbent perturbationis, & aliquantùm contrà intentionem Eccleſiæ operantur.

*Verius eſt, peccare mortaliter, niſi ex aliquâ causâ excuſentur.*

85. Sed probabilior eſt ſecunda ſententia, quæ dicit peccare mortaliter, niſi ex ignorantiâ, inconſideratione, metu, aut parvitate materiæ excuſentur. Et probatur primò: quia *in cap. Si ſententia 16. de ſentent. excomm. in 6.* de talibus dicitur, non inillicitè audire divina in loco non interdicto: ergò ſupponit Pontifex illicitè audire illa in loco interdicto, & cùm ſit materia gravis, non poteſt non graviter obligare, & idipſum ſupponitur *in cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in 6.* ubi dicitur, divina poſſe celebrari à Clericis, non pulſatis campanis, quia cùm ſit arcendus populus ab aſſiſtentiâ divinorum, non debent pulſari campanæ, quibus convocatur: ſecundò, quia quod præceptum hoc dirigatur præcipuè, & per ſe ad Clericos, ne laicos admittant ad divina; hoc non tollit, quo minùs conſequenter ipſis laicis aſſiſtentia ad officia prohibeatur, peccentque mortaliter ipſis aſſiſtendo, ſicut præceptum prohibens excommunicatos communicare cum fidelibus, directè ordinatur ad excommunicatos, quod non tollit, ut conſequenter extendatur ad fideles: & ſic quòd iſti peccent mortaliter, ſi cum illis in divinis communicent, ut diximus *cap. 3. punct.* 5. Hanc ſententiam tenent Coninc. *diſput. 17. dub. 3. num. 64. & 69.* Suar. *diſp. 34. ſect. 5. num.* 2. Hurtad. *diſ.* 10 *num.* 33. Præpoſitus *in 3 part. quaeſt. 4. de interdicto, dub. 5. num.* 54. Palaus *diſp. 5. punct. 5. num.* 7. Bonac. *diſp. 5. punct. 7. à nu.* 1. Filliuc. *tract. 16. num. 54. & 81.* Laym. *lib. 5. cap. 14. num.* 5. Villalob. *tract.* 19 *diſ. 9. num.* 5.

*Quas pœnas incurrant qui interdictum violant.*

86. Sed inquires: quas pœnas incurrant interdicti violatores? Reſpondetur, laicis nullam eſſe impoſitam pœnam in iure. Religioſi interdictum violantes incurrunt ipſo facto maiorem excommunicationem iuxtà dicta hoc *cap. num.* 30. ſi verò laici, aut Clerici Regulares, vel ſæculares interdictum ſepeliant in loco ſacro, incurrunt maiorem excommunicationem, ut diximus de ſepelientibus excommunicatos *cap. 3. num.* 80. modo ibi explicato. Inſuper Clerici tàm ſæculares, quàm Regulares, viri verò vel fœminæ interdictum violantes, redduntur inhabiles ad electionem, tàm activam, quàm paſſivam, *cap. Is, qui §. Is verò, de ſent. excomm. in 6. & cap. 1. de Poſtulatione Prælatorum.*

*Clerici interdictum violantes fiunt irregulares.*

87. Denique Clerici tàm ſeculares, quàm Regulares ſpecialiter interdicti ſi celebrent, vel ſi in loco ſpecialiter interdicto celebrent, vel quemcumque actum ordinis ſacri efficiant, fiunt irregulares iuxtà *cap. 1. de ſententiâ, & re iudicata in 6. cap. Cùm medicinalis, cap. Is, cui, de ſentent. excomm. in 6.* Imò etiamſi in loco generaliter interdicto celebrent, non ſervatis conditionibus aſſignatis *in cap. Alma mater*, fiunt irregulares, quia in dicto capite non conceditur celebratio, niſi ſub illis conditionibus, nimirùm, clauſis ianuis, non pulſatis campanis, ſummiſsâ voce, excluſis interdictis, & excommunicatis. Enriq. *lib. 14. cap. 7. num.* 3. Palaus *diſp. 5. punct. 6. num* 1. Sayr. *lib. 5. cap. 14. à num.* 30. Bonac. *diſp. 5. punct. 7. à num.* 4. Anton. *num.* 807. Stephan. à S. Paulo. *num.* 275. Si tamen in loco non interdicto Clericus non interdictus admittat laicos interdictos ad officia divina, non fit irregularis; eſt tamen interdictus ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ, quouſque competenter ſatiſfaciat ad arbitrium eius, qui interdictum impoſuit, *cap. Epiſcoporum, de Privilegijs in 6.*

*Quid ſit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ?*

88. Et ſi fortè roges: quid intelligitur per interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ? Prohibitio ab ingreſſu Eccleſiæ non eſt effectus interdicti communiter, & abſolutè accepti, quia interdictum ſolùm tres effectus enumeratos habet: nimirùm, prohibitionem aliquorum Sacramentorum, prohibitionem activam, & paſſivam divinorum, & prohibitionem ſepulturæ ſacræ. Prohibitio autem ab ingreſſu Eccleſiæ effectus eſt ſpecialis interdicti: ideoque de illâ non diſputavimus agentes de interdicti effectibus, Sed quia eſt multoties obvia

in

Digitized by Google

in Iure, quid intelligatur per eam; modo explicabimus.

*Per interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ tollitur aſſiſtentia divinorum in eâ.*

89. Dicimus ergò, per interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ intelligi privationem exercitij ordinis ſacri in Eccleſiâ, & ſepulturę in ipsâ, eiuſque Cœmeterio, *cap. Is, cui, de ſentent. excomm. in 6.* & ſimiliter privatio ab auditione divinorum in Eccleſiâ, ut colligitur *ex eodem cap.* Sed quia *in dicto cap.* non numeratur privatio Sacramentorum, hæc recipi poſſunt in Eccleſiâ ab eo, qui ſuſpenſus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ, quia pœnæ non ſunt extendendæ, & cùm *in dicto cap.* alij effectus enumerentur, & non iſte, videtur exclusus. Palaus *diſp. 5. punct. 4. §. 4. num. 7.* Diana *5. part. tract. 10. reſol. 73.* Enriquez *lib. 13 cap. 32. num. 2.*

*Obiectio contrà dicta.*

90. Sed dices: Huic prohibitus eſt ingreſſus in Eccleſiam, quia loquimur de interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ: ergò conſequenter prohibita eſt illi receptio Sacramentorum intrà Eccleſiam, imò etiam quòd oret in eâ, ſiquidem hæc abſque ingreſſu in Eccleſiam haberi non poſſunt.

*Solvitur obiectio, & doctrina tradita ampliatur.*

91. Reſpondetur quòd licèt, attento verborum rigore, intelligatur per prohibitionem ab ingreſſu Eccleſiæ, etiam ingreſſus materialis ad orationem privatam, aliavè munera obeunda; cæterùm attentâ intentione Eccleſiæ, ſolùm interdicitur ingreſſus in templum formalis, nimirùm dum divina celebrantur ad aſſiſtendum illis, quia templa formaliter ſunt deputata, ut in eis officia divina ſolemniter peragantur, populuſque convocetur, ut communiter illis aſſiſtat. Vndè Eccleſia hoc ingreſſu formali vult privari interdictum ab ingreſſu illius, ut confundatur videns ſe privatum eſſe à conſortio aliorum in rebus divinis, & ſic ad meliorem frugem redeat. Quarè non eſt interdictus ingreſſus phyſicus, & materialis in Eccleſiam, ut inquiunt Palaus *num. 5.* Dian. *reſol. 72.* Navarr. *cap. 27. n. 170.* Covarruu. *cap. Alma mater, 2. part. §. 1. num. 3* Coninc. *diſp. 17. dub. 2. num. 59.* Sayr. *libr. 4. cap. 7 num. 15. & libr. 5 cap. 9. num. 22.* Laym. *tract. 5 part. 4. cap. 1.* circà finem. Et apud Dianam, Reginald. *tom. 1. lib. 2. tract. 3. cap. 30. num. 41.* Hurtad. *diſſ. 9. num. 31.* Villalob. *tom. 1. tract. 19. diſſ. 9. num. 4.* N. Anton. *num. 798. &* Gabriel à S. Vinc. *de cenſ. diſp. 7.* ubi de his plura à *num. 50.* uſque ad 67. quæ autem ſint interdicta à iure lata breviter reperies apud N. Anton. *de interd. ſect. 9.*

## PVNCTVM VIII.

### *De Relaxatione, ſeu abſolutione ab interdicto tam locali, quam perſonali.*

1

*Quis poteſt ab interdicto abſolvere.*

92. QVæ dicta ſunt *cap. 2.* de abſolutione à cenſuris in communi, interdicto applicanda ſunt, ſervatis ijs, quæ circà illud ſpecialiter adnotabimus. Dicendum itaque eſt primò, quòd interdictus per ſpeciale perſonale interdictum, ſivè à iure, ſivè ab homine latum, ſivè ſervatum non ſit, ſatisfactâ parte, ſi interdictus poſſit, vel præſtitâ cautione, ſi non poſſit, abſolvi poteſt ab interdicto à Parocho, & à quolibet confeſſario, qui poteſt eum abſolvere à mortalibus, ſicut diximus *cap. 2. num. 44.* de excommunicato propter eaſdem rationes: quia hoc ipſo, quòd hæc cenſura non reſervetur, relinquitur, quòd à potente abſolvere à peccatis auferatur: maximè quia impedit Sacramenti Pœnitentiæ receptionem: & ſic abſolvi poteſt à tali impedimento, ab eo, à quo poteſt Sacramentum Pœnitentiæ recipere. Ità Cornej *diſp. 4. quæſt. 5. concl. 4.* Suarez *diſp. 38, ſect. 2. num. 7.* Coninc. *diſp. 17. dub. 6. num. 77.* Palaus *diſp. 5. punct. 7. §. 2. num. 7.* Dian. *5. part. tract. 10. reſol. 71.* Laym. *lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 5. num. 3.* Si verò ſit reſervatum, ab eo poteſt abſolvi, à quo diximus poſſe vel iure ordinario, vel privilegio abſolvi à cenſuris latis à iure, vel ab homine, reſervatis dicto *cap. 2.* quia interdictum perſonale ſpeciale non habet aliquid particulare, ac aliæ cenſuræ, quæ afficiunt tantùm perſonam particularem.

*Interdictũ locale non poteſt tolli, niſi qui iuriſdictionem habet contentioſam.*

93. Dicendum eſt ſecundò, quòd interdictum locale, ſivè ſpeciale ſit, ſivè generale, & interdictum perſonale generale, tolli non poteſt niſi ab eo, qui habet iuriſdictionem in foro contentioſo ſuper locum, aut Communitatem interdictam: quia ſicut impoſitio interdicti localis, eſt actus iuriſdictionis contentioſæ, ſic ablatio illius. Vndè à Parocho, vel alio Confeſſario, qui ſolùm habet iuriſdictionem in foro conſcientię, nequit tolli: quia hic ceſſat ratio, quarè ipſis à iure concedatur talis poteſtas, ſicut datur illis facultas abſolvendi ab interdicto perſonâli ſpeciali, eò quòd Communitas, aut locus, nequit abſolvi Sacramentaliter, ob quam rationem priùs deberent ab interdicto liberari. Imò nec ipſas perſonas particulares Communitatis interdictæ, poterit ab interdicto abſolvere, defectu huius iuriſdictionis. Aliàs hâc viâ poſſent omnes perſonæ Communitatis abſolvi, manente interdictâ Communitate, quod eſt impoſſibile. Ità docent Suarez *num. 6.* Cornej. *ſupr. quæſt. 5. concl. prima, ſecunda, & tertia.* Palaus §. 2. *num. 7.* Enriquez *lib. 13. cap. 53. num. 3.* Avil. *5. part. diſp. 6. dub. 1. concl. 2.* Vndè ex privilegijs Bullæ, Iubilei, aut Religionis, tolli non poteſt hoc interdictum: ſiquidem non impedit receptionem Sacramenti Pœnitentię, imò nec Eucharistię, ſuppoſitis dictis privilegijs; ob quam cauſam tolli cenſuras per dicta privilegia conceditur.

*Quomodò tollatur interdictum conditionale?*

94. Interdictum latum ad tempus, vel ſub conditione aliquâ, v. gr. *donec ſatisfaciat*: ipſa poſita conditione, vel impletione temporis, tollitur abſque aliâ relaxatione, ut diximus *cap. 2. num. 13.* ¶ Interdictum latum in Communitatem ipſa diſſoluta, tollitur abſque aliâ relaxatione: quia quamvis maneant perſonæ, non ut partes illius Communitatis, & ſic liberæ manent ab interdicto. Sicut ſi, manente Communitate interdicta, aliquis deſineret eſſe membrum illius, eo ipſo ab interdicto maneret immunis, ut diximus hoc *cap.* multoties. Sed ille, ob cuius culpam latum eſt interdictum, maneret nihilominùs interdictus: quia interdictum, quod eſt generale reſpectu aliorum, reſpectu illius eſt ſpeciale perſonale.

*Interdictũ deambulatorium quod ſit? Et quomodo tollatur?*

95. Interdictum, quod dicitur deambulatorium (ut eſt illud, quandò quicumque locus interdicitur, ubi aliqua perſona, v. gr. Petrus fuerit, habeturque *capit. Non eſt, de ſponſalibus, capit. Dilectis filij, de appellationibus.*) Tollitur eo ipſo quod talis perſona mutet locum ſinè aliâ relaxatione, ſicut ille locus, in quem ſe transfert, incipit eſſe interdictus ſinè aliâ ſententiâ, quia tale interdictum potiùs dici poteſt perſonale, quàm locale; eò quòd potiùs feratur in odium perſonæ, in tali loco, & tempore quod in illo eſt, quà ipſius loci,

loci, & ſic tranſlata perſona ad alium, quaſi tranſfertur interdictum, Cornej. *quæſit.* 2. Suar. *ſect.* 1. *num.* 14. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 5. *quæſt.* 2. *num.* 118.

*Quomodò alia interdicta auferantur.*

96. Interdictum latum in favorem alicuius, ſi ab eo non obſervetur, ſublatum hoc ipſo intelligitur, *cap. Petiſſis, de Privilegijs*: quia, ut ibi Gloſſa non debet quis facere, à quo impetravit alios prohibere, nec debet alijs legem imponere, quam ipſe negligit obſervare. Non autem cenſetur ablatum, ſi ille non obſervaverit, ob cuius culpam latum eſt: nam, ut in dicto *cap. Petiſſis*, inquit Innocent. III. *Si is, propter cuius delictum impoſitum eſt interdictum, illud non ſervat, alij nihilominùs obſervare tenentur; ſecùs ſi ille non ſervat in cuius favorem latum fuit.* Imò etiam eſt obſervandum, etiamſi ille, qui impoſuit, illud non obſervaverit, niſi aliàs illud auferre velle verbis ſignificaret, quia ſicut verbis imponi debet interdictum, tolli etiam verbis: Alterius *diſp.* 11. *cap.* 7. *columm.* 2. Bonac. *diſp.* 5. *punct. ultim. num.* 8. Ideoque licèt non dentur verba determinata ad relaxationem interdicti, aliqua adhibenda ſunt, quibus mens abſolventis ſignificetur in abſolutione perſonalis interdicti utendum eſt verb. *Abſolvo* in locali *removeo, revoco.*

*Interdictū in terram domini latum non auſertur, per hoc quod alienetur.*

97. Interdictum in terram alicuius domini latum non tollitur per hoc, quod terra tranſeat ad alium dominum, quia eſt onus loco inhærens, & ſic quocumque terra tranſit, cum onere tranſit, argumento ex *cap. Litteris, de Pignoribus, cap. Paſtoralis, de decimis.* Et ſatis eſt, quòd quandò interdictum impoſitum fuit, terra eſſet domini, ob cuius culpam fuit latum, quia non dependet in conſervatione ab hoc, quòd ſub dominio domini illius conſervetur, Suar. *diſp.* 38. *ſect.* 1. *num.* 11. *& diſp.* 32. *ſect.* 2. *num.* 30. Cornej. *diſp.* 4. *quæſit.* 1. Leand. *tract.* 5. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 2. §. 1. *num.* 6. eſt tamen auferendum, quia ceſſat ratio ob quam latum eſt. Contrà verò, ſi contingat terram alicuius Principis interdici, non tranſit ad eas, quas de novo fortè poſt interdictum latum acquiſivit, niſi expreſſum fuerit in ſententià interdicti, quia ſententia ex ſe non reſpicit futura: argumento ex *cap. Quia nonnullis, de Reſcriptis.*

*Interdictū à iure latum reſervatum poteſt ab Epiſcopo ſuſpendi.*

98. Sed rogabis: an Epiſcopus poſſit auferre interdictum locale, aut generale perſonale latum à iure ſuſpendere? Reſpondetur, quòd Epiſcopus tollere poteſt interdictum latum à iure, ſi non ſit reſervatum, ex *cap. Nuper, de ſentent. excommun.* quia hoc ipſo quod reſervatum non ſit, illius poteſtati relinquitur abſolvendum, & nullum datur reſervatum de facto, ut ex Soto docet Avil. *part.* 5. *diſp.* 6. *dub.* 1. ſi verò latum ſit ab homine per ſententiam particularem Summi Pontificis, ab eo ſolùm poteſt auferri, non verò ab aliquo inferiori. Quod poſſit Epiſcopus interdictum locale, aut perſonale latum à iure tollere, docet Conine. *diſp.* 17. *dub.* 6. *num.* 76. Bonac. *num.* 5. Alterius *colum.* 3. Avil. *dub.* 1. *concl.* 6. Suar. *ſect.* 2. *num.* 5. ¶ Similiter poteſt ſuſpendere interdictum latum à iure. Tum quia illud tollere poteſt, & ſic etiam ſuſpendere. Tum etiam, quia per conſuetudinem tacito conſenſu Papæ, id obtinuerunt Epiſcopi, quòd ad tempus poſſint interdictum latum à iure ſuſpendere, quæ conſuetudo ſupponitur *in cap. Ad hæc, de Appellatione*, & ità docent Alterius *cap.* 5. *columm.* 4. Bonac. *num* 5. Suarez *ſect.* 3. *num.* 6. Manuel Rodriguez *qq. Regul. tom.* 2. *quæſt.* 111. *art.* 1. Diana 5. *part. tract.* 10. *reſol.* 69.

*Qui poſuit interdictum illud ſuſpendere, aut tollere poteſt.*

99. Si interdictum latum ſit ab homine, ab eo qui tulit illud, ſuſpendi poteſt pro certo tempore, aut cauſa, quia effectus cenſuræ ex intentione, & mente pendent proferentis, *cap. Veniens* 2. *de teſtibus.* Et eatenùs ligant, quatenùs qui ligat, intendit, *leg. Non omne, ff. Si certùm petatur.* Vndè ſicut à iure multoties ſuſpenditur interdictum, quia iure latum eſt, *cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in* 6. ſic etiam quandò latum eſt ab homine, ab eo ſuſpendi poteſt. Nec contrà hoc facit textus *in cap. Paſtoralis*, §. *Verùm, de Maioritate, & obedientiâ.* Vbi dicitur, cenſuram ſecum trahere executionem, & ſic non poſſe nec per appellationem eius ſuſpendi effectum, quia ſenſus eſt, ſecum trahere executionem abſque alio hominum miniſterio, ſed in hâc ipsâ actuali executione pendet ex mente proferentis. Ità Conine. *num.* 78. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 51. *à num.* 4. Barboſſa *in collectan. tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 28. *cap.* 55. *num.* 2. *&* 3. Dian. *reſol.* 69. *num.* 83. Layman. *part.* 4. *cap.* 5. *num.* 3.

*Qui poteſt interdictum ab homine latum tollere, vel ſuſpendere.*

100. Si verò interdictum ſit ab homine latum, non poteſt Epiſcopus interdictum à Summo Pōtifice, aut ab alio quocumque à ſe diſtincto impoſitum per modum particularis ſententiæ ſuſpendere in totum, vel ad tempus. Non quidem ſi à Summo Pontifice, quia Epiſcopus, utpote inferior illo, non poteſt in lege Pontificia diſpenſare, eam tollere, aut ſuſpendere, *cap. Cum inferior, de Maioritate, & obedientiâ.* Idem dic de interdicto impoſito ab alio, quia Epiſcopus, ut ſupponimus non eſt ſuperior illo, & ut diximus *cap.* 2. *num.* 50. in cenſura lata ab homine, non poteſt niſi ſuperior diſpenſare, vel in totum aut partem ſuſpendere. Ita Authores citati, qui benè notant, quòd ſi delictum fuerit occultum, ob quod interdictum eſt impoſitum à Summo Pontifice, poteſt Epiſcopus illud auferre, vel ſuſpendere per conceſſionem Tridentini, de quâ latè *cap.* 2. *punct.* 5. Et etiamſi ſit ab alio inferiore Pontifice lata ob delictum occultum, propter ea, quæ diximus *eod. cap. num.* 40. Quæ hactenùs diximus de interdicto locali, vel generali perſonali, intelligenda ſunt de ſpeciali perſonali, quòd poteſt ſuſpendi ab Epiſcopo, ſi latum ſit à iure, vel à ſeipſo: quia ſunt dabiles cauſæ, ob quas conveniat illud ſuſpendere ad tempus, non auferre; non verò poteſt ſuſpendere, quod ab homine latum eſt, ſivè à Pontifice, ſivè ab alio à ſe diſtincto, niſi modo dicto. Sic Authores citati.

## PVNCTVM IX.

### *De ceſſatione à Divinis, & illius effectibus.*

*Quid ſit ceſſatio à divinis.*

101. CEſſatio à Divinis in pluribus convenit cum interdicto, & eſt ei valdè ſimilis; quamvis re ipsâ ab eo ſit diverſa: & ideò poſtquàm de illo egimus, venit de illâ pertractare. Quę ſicut interdictum, in generalem, & ſpecialem dividitur. Ceſſatio generalis eſt, quæ imponitur Provinciæ, Civitati, Caſtro, &c. ſpecialis, quæ Eccleſiæ, Cœmeterio, Oratorio imponitur. Vna & altera ceſſatio à Divinis dicitur: quia tempore quo durat, miniſtri ceſſant à publicâ celebratione divinorum: & definitur, quod eſt: *Prohibitio Eccleſiaſtica Clericis impoſita, ut abſtineant ab Officijs divinis, Eccleſiaſticâque ſepulturâ in aliquo loco.*

102. Du-

Digitized by Google

*In quo differat ceſſatio ab interdicto?*

102. Duplex datur diſcrimen inter ceſſationem, & interdictum: primum, quia interdictum etiam locale ſemper afficit aliquam perſonam, nempe illam, ob cuius culpam latum eſt, ceſſatio verò nullam determinatam perſonam afficit, ſed omnes æquè arcentur à diuinis in illo loco, in quo imponitur. Secundum, quia interdictum eſt cenſura; non verò ceſſatio à diuinis, ut diximus *cap. 1. nu.* 12. Sed eſt quædam negatio diuinorum, quam Clericis præcipit Eccleſia in ſignum mœroris, & triſtitiæ ob grauiſſimam iniuriam Deo, vel ſibi illatam, & in illius reparationem, ut ſaltem hac via cogatur delinquens ab iniuria deſiſtere, & ſatiſfactionem dignam exhibere: ideoque illius violatio non inducit irregularitatem per exercitium Ordinis ſacri, ſicut violatio interdicti, aut alterius cenſuræ.

*Quot ſint effectus ceſſationis?*

103. Ceſſatio à diuinis abſolutè, & ſimpliciter lata tres habet effectus, nimirum priuationem diuinorum Officiorum, priuationem receptionis aliquorum Sacramentorum, & priuationem ſepulturæ Eccleſiaſticæ (quidquid ſit, an ab inferiore Summo Pontifice poſſit imponi ſecundum unum effectum, & non ſecundum alios. Quod aſſerunt Suarez *diſp. 39. ſect. 2. nu.* 15. *&* *ſect. 4. nu.* 4. Filliuc. *tract. 16. cap. 9. num.* 172. *&* 187. quamvis alij negent.) Primus ergo effectus eſt priuatio diuinorum Officiorum in loco, pro quo eſt impoſita ceſſatio. Imò inde præcipuè dicitur ceſſatio à diuinis, & habetur *cap. Non eſt nobis, de ſponſalibus.* Quæ prohibitio directè tendit in Clericos, ne diuina celebrent in loco ſacro, ex conſequenti autem in laicos, ne aſſiſtant diuinis, ſi ex aliqua ratione contingat in tali loco celebrari, ex *cap. Quod in te, de Pœnitentiis, & remiſſionibus, cap. Permittimus, de ſent. excomm.* Quamvis concedatur Clericis, quod ſemel in hebdomada poſſint celebrare in tali loco ad renouandas formas Euchariſtiæ, & ad ſeruandas illas pro infirmis. Cui celebrationi nec Clerici, nec laici poſſunt aſſiſtere, ſed ſolus Sacerdos cum ſuo miniſtro, *citatis textibus in cap. Quod in te, cap. Permittimus.* Si verò, facta ſemel celebratione, neceſſè ſit conferre Viaticum alicui infirmo, nec adſint aliæ formæ, quibus poſſit communicare, quolibet die licet Miſſam celebrare: cùm Viaticum de iure diuino ſit ab infirmo recipiendum, nec poſſint hoſtiæ conſecrari, niſi Sacerdote celebrante. Ità Suarez *dicta diſp. 39. ſect. 2. nu.* 20. Palaus *diſp. 5. punct. 9. §. 2. n.* 9. Bonac. *diſp. 6. punct. 3. nu.* 6.

*Priuilegium conceſſum Clericis ad celebrandū tempore interdicti, ad ceſſationem non extenditur.*

104. Sed difficultas eſt, an priuilegium conceſſum Clericis in *cap. Alma mater*, ut poſſint diuina celebrare tempore interdicti, extendatur ad ceſſationem à diuinis, ita ut tempore illius poſſint diuina celebrare, cum conditionibus in *cap. Alma mater*, aſſignatis? Aliqui ſunt, qui affirmant. Nos verò partem negatiuam amplectimur. Mouemur primò, quia ceſſatio à diuinis non comprehenditur ſub interdicto, ſed diſtinguitur ab eo, ut colligitur ex *cap. Si Canonici, cap. Quamuis, de Officio Ordinarij in 6. Clement. 1. de ſent. excomm.* ergò per hoc quòd concedatur priuilegium celebrandi diuina tempore interdicti, non cenſetur conceſſum pro tempore ceſſationis. Secundò, quia ſi tale priuilegium pro tempore ceſſationis concederetur, ſicut conceditur pro tempore interdicti, poſſent Clerici tempore ceſſationis Horas Canonicas in Choro recitare, poſſentque lucrari diſtributiones quotidianas intereſſentibus conceſſas, ſicut poſſunt tempore interdicti: at hoc eſt falſum, quia aliàs non teneretur, qui cauſam ceſſationi dedit, Clericis tales diſtributiones reſtituere. Cuius oppoſitum cauetur in *cap. Si Canonici, de Officio Ordinarij in 6.* Tertiò, quia ſi liceret tempore ceſſationis diuina celebrare, ſicut licet tempore interdicti, nihil de nouo adderet ceſſatio ſuprà interdictum, nullumque eſſet novum grauamen præter id, quod interdictum ſecum affert: quod eſt prorſus contrà intentionem Eccleſiæ, & contrà praxim, & conſuetudinem illius. Ità Couarr. *cap. Alma mater, 2. part. §. 7. nu.* 7. Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp. 8. nu.* 14. Palus §. 2. *nu.* 6. Filliuc. *quæſt. 5. num.* 168. *&* 170. Enriq. *lib. 13. cap. 53 num.* 2. Auila 6. *part. diſp. 1. dub.* 3. Bonac. *diſp. 6. punct. 1. num. 4. & punct. 3 nu.* 1. Conin. *diſp. 17. dub. 7. nu.* 85. Regin. *lib. 32. tract. 3 nu.* 75.

*In feſtiuitatibus, quibus ſuſpenditur interdictum, etiam ceſſatio.*

105. Cæterùm priuilegium conceſſum in *cap. Alma mater*, ſuſpendendi interdictum in tribus diebus Paſchatis, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ, & etiam pro alijs feſtiuitatibus conceſſum ab alijs Pontificibus, ut dixim. *n.* 54. licet, attento iuris rigore, non extendatur ad ceſſationem à diuinis, ita ut pro illis diebus poſſit ceſſatio ſuſpendi, ſicut ſuſpenditur interdictum; at ex conſuetudine, & praxi extendi ad illam, proindeque in talibus diebus ſuſpendi ceſſationem, quantum ad Officia diuina ſolemniter celebranda, ex conſuetudine, docent Sanc. *nu.* 18. Enriq. *nu.* 3. Palaus *nu.* 7. Suarez *nu.* 23. Sayr. *nu.* 6. Idem aſſerunt Enriq. Palaus, & Sayr. in feſtiuitatibus, in quibus ex priuilegio Religioſis conceditur, quòd poſſint ſuſpendere interdictum quantum ad celebrationem ſolemnem diuinorum. ¶ Eò, vel maximè, quòd in priuilegio Religioſis conceſſo ſit ſpecialis mentio ceſſationis à diuinis quantum ad hoc, quod poſſint celebrare tempore illius, ut videre eſt apud N. Lezanam *tom. 1. cap. 12. num.* 20. N. P. Antonium à Spiritu S. *in Directorio, reg. tom. 2. tract. 2. diſp. 2. ſect. 1. nu.* 107. Ioannem à Cruce *lib. 2. cap. 7. dub. 2. concl.* 1 *& dub. 3. concl.* 2. Apud quos videri poteſt quibus in caſibus, & quomodo poſſint Regulares, in alijs diebus præter dictas feſtiuitates, admittere aliquos ſæculares ad Officia diuina. Qui etiam aſſerunt, tempore ceſſationis poſſe Regulares legere Officium diuinum, Miſſas celebrare, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, & Euchariſtiam recipere ſicut tempore interdicti.

*Non extenditur priuilegiū Bullæ pro tempore ceſſationis.*

106. Priuilegium verò Bullæ quantum ad Officia diuina, de quo diximus hoc *cap. nu.* 67. vel quantum ad Sacramenta tempore interdicti recipienda, de quo *nu.* 49. locuti ſumus, non extenditur ad ceſſationem: quia ibi ſolum loquitur Bulla de interdicto, quod, ut diximus, diuerſum quid eſt à ceſſatione; nec eſt praxis, aut conſuetudo, quæ tale priuilegium ad ceſſationem extendat; quin potius conſuetudo eſt in oppoſitum: & ideò non extendi ad ceſſationem docent Suarez *nu.* 11. Sayr. *lib. 5. cap. 19. nu.* 11. Bonac. Couarr. *cap. Alma mater, 2. part. §. 4. num* 7. Enriq. *lib. 7. cap. 13. nu.* 4. Rodrig. *in Bullam, dub. 8. nu.* 3. & alij, quos refert, & ſequitur Leand. *de cenſuris, tract. 5. diſp. 11. quæſt* 23. Sed priuilegium circà ſepulturam Eccleſiaſticam, de quo diximus *nu.* 78. etiam valet pro tempore ceſſationis, propter ea, quæ ſtatim dicemus.

107. Secundus effectus ceſſationis eſt priua-



Digitized by Google

*Quæ Sacramenta poſſint recipi tempore ceſſationis.*

tio Sacramentorum, excepto Baptiſmo, & Pœnitentia morientibus, & Euchariſtia per modum Viatici infirmis. *cap. Non eſt nobis, de ſponſalibus.* Sed dubitant Doctores, an conceſſio in *cap. Alma mater,* facta pro Sacramentis recipiendis tempore interdicti, de qua diximus *punct.* 4. extendatur ad ceſſationem? Ad quod dicimus, quòd licèt, inſpecto iuris rigore, non extendatur, quia ibi ſolum fit ſermo de interdicto, & ceſſatio eſt quid diverſum ab eo; cæterùm ex benignitate Eccleſiæ grauiſſimorumque virorum authoritate, & conſuetudine tacitè approbata ab ea, ne tanto bono priuentur fideles illo tempore, dicendum eſt extendi ad ceſſationem: & ſic quòd illa Sacramenta, quæ tempore interdicti poſſunt recipi, poſſunt etiam tempore ceſſationis. Ità Couarr. *cit.* Enriq. *lib.* 13. *cap.* 53. *nu.* 1. Sayr. *nu.* 7. Palaus §. 2. *nu.* 11. Bonac. *punct.* 3 *num.* 5. Suarez *num.* 12. Auila 6. *part. diſp.* 1 *dub.* 6.

*Quomodo ceſſatio priuet à ſepultura?*

108. Tertius effectus ceſſationis eſt priuatio ſepulturæ: hanc autem non affert ceſſatio ratione ſui, ſed quia ut in plurimũ ſupponit interdictum. Ceſſatio namque præcisè ſumpta ſolum priuat participatione diuinorum, & Sacramentorum, ex *cap. Non eſt nobis de ſponſalibus*, nec alibi reperitur textus ceſſationi priuationem ſepulturæ Eccleſiaſticæ adiungens. Vndè ſi ſola ceſſatio imponatur, poſſunt omnes tempore illius in loco ſacro ſepeliri, niſi oppoſitum alicubi habeatur ex conſuetudine. Si tamen ſimul cum interdicto imponatur, illi omnes poſſunt in loco ſacro ſepeliri tàm laici, quàm Clerici, quibus vel ex iure communi, aut priuilegio Bullæ, vel alterius reſcripti, eſt conceſſum, quòd poſſint in loco ſacro tempore interdicti ſepeliri: quia hæc prohibitio non prouenit ratione ceſſationis, ſed præcisè ratione interdicti. Sic Suar. *nu.* 34. Conin. *nu.* 84. Bonac. *punct.* 3. *num.* 8. Laym. *tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 6. *nu.* 3. Palaus *nu.* 12.

*Quæ cauſa pro ceſſatione requirantur?*

109. Illæ cauſæ, quæ ad interdictum concurrere diximus *punct.* 2. concurrunt etiam ad ceſſationem; niſi quòd pro ceſſatione cauſa materialis, ſeu ſubiectum, eſt locus, in quo prohibentur diuina celebrari; & cauſa finalis, ſeu motiuum, quod eſt delictum, ratione cuius imponitur, & ad cuius emendationem ceſſatio à diuinis ordinatur, multo grauius debet eſſe, quàm ad imponendum interdictum: imò debet eſſe grauiſſimum, ſcandaloſum, & notorium notorietate facti, ita ut circà illud non poſſit dubium ſuboriri, & ità graue, ut adæquet damnis ex ceſſatione prouenientibus. Nec in contrarium ſtare poteſt aliqua conſuetudo, quæ corruptela potiùs dicenda eſt, & irrationabilis, utpotè in Eccleſiæ grauamen cedens. ¶ Quantum ad cauſam efficientem, ille poteſt ponere ceſſationem, qui poteſt aliàs cenſuras ferre, de quo diximus *cap.* 1. *punct.* 3. Sed notandum eſt, quòd quando Capitulum in Sede vacante impònere vult ceſſationem, debent convocari omnes Canonici etiam abſentes, ſicut in electione facienda; ità ut maior pars Capituli conveniat in ceſſatione imponenda: aliter impoſita ceſſatio erit nulla, *cap. Quamvis, de Officio Ordinarij in* 6. ¶ Ex parte verò cauſæ formalis requiruntur monitiones, ſicut requiruntur ad cenſuras, ut diximus *cap.* 1. *punct.* 7. & 8. quia etiam ceſſatio requirit contumaciam in ſubiecto, quæ non, niſi præmiſſa monitione, reperitur.

110. Poſita iam ceſſatione, ſi intrà menſem, non partes ſe componant, nimirum imponens, & ille, ob cuius cauſam imponitur, debent Romam recurrere vel per ſe, vel per idoneum procuratorem, deferentes acta ad negotium ſpectantia, ut Romanus Pontifex prouideat de remedio, ne Eccleſiæ per multum tempus priuentur officijs, & miniſterijs ſibi debitis, & innocentes participatione diuinorum propter contumaciam unius, *cap. Quamuis, de Officio Ordinarij in* 6. Et ſi imponens noluerit poſt menſem Romam mittere, eo ipſo aufertur ceſſatio, dicto *cap. Quamuis.* Si euidenter conſtet eſſe in mora culpabili, ſin minus ius ſuum retinet, ut notauit Suar. *ſect.* 3. *nu.* 14. & ex illo Palaus §. 3. *nu.* 4. Quod non eſt dicendum de altera parte, nimirum de illo, ob cuius culpam ponitur ceſſatio: quia licet poſt menſem renuat Romam mittere; ceſſatio non tollitur; aliàs ex ſua contumacia, & delicto commodum reportaret, poſſetque facillimo negotio, pœnam hanc grauiſſimam Eccleſiaſticam eludere.

*Quid faciendum ſit, ſi poſt menſem ceſſatio prolõgetur?*

*Quis tenetur reſtituere dãna ex ceſſatione ſecuta?*

111. Quandò ceſſatio iuſtè poſita eſt, qui cauſam illius dedit, tenetur reſtituere omnia damna innocentibus ex illa prouenientia: ut diſtributiones Clericis, quibus priuantur, ſtipendia Miſſarum, quæ omittuntur, & fortè lucrari poſſent, & alia huiuſmodi: & inſuper arbitrio ſuperioris mulctandus eſt in aliqua quantitate, convertenda in augmentum diuini cultus, dicto *cap. Quamuis, cap. Si Canonici, de Officio Ordinarij in* 6. Conin. *nu.* 91. Enriq. *lib.* 13. *cap.* 52. *num.* 3 Bonac. *punct.* 3. *circà finem*, Sayr. *cap.* 19. *nu.* 19. N. Ant. à ſpiritu S. *in direct. confeſſ. tract.* 13. *diſp.* 3. *ſect.* 2. ¶ Indicentes verò ceſſationem ſine ſufficienti cauſa, priuantur omnibus fructibus, quos tempore ceſſationis deberent recipere, & tenentur reſarcire damna parti inde ſecuta, *cap. Si Canonici, de Officio Ordinarij in* 6.

## CAPVT VII.

### *De Irregularitate in communi.*

QVamvis Irregularitas cenſura non ſit, ut probauimus *cap* 1. *punct.* 1. eo quod cenſura eſt pœna medicinalis, quæ ſolum ad reſipiſcentiam, & emendationem datur, qua proindè emendatione ſecuta, auferenda eſt; non ſic irregularitas, etiam quæ ob delictum contrahitur, quæ ex natura ſua eſt perpetua: & ſic non propterea eſt auferenda per hoc, quòd detur emendatio delicti, cuius cauſa imponitur, & ſic veluti lex dicit perpetuitatem, & ſolum per diſpenſationem tollitur, ſicut lex per illam relaxatur. Quia tamen eſt pœna Eccleſiaſtica nonnullam cum cenſura habens connexionem: ut hic tractatus compleatur, in quo de cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis diſſerimus, de irregularitate ſermonem inſtituimus: quæ componitur ex præpoſitione *in* quæ idem eſt ac *ſine*, & nomine *regula*, quaſi irregularis abſque regula ſit debita, & iuſta, ad munus ſuum obeundum requiſita. At qui plura in hoc tractatu deſiderauerit præter hic citatos è NN. conſulere poterit Lezanam *verb. irregul.* Gabrielem à S. Vicentio *de cenſ. diſp.* 9. per totam, Anton. à ſpiritu S. *in direct. conf. tr.* 13. vbi latè & doctè has materias pertractant ſi quis verò breuius hæc omnia voluerit, legat Gabr. à S. Vint. *in ſumma verbo, irregul.* & Stephan. à S. Paulo *Theol. moral. tract.* 5. *diſp.* 5. *à nu.* 271.

Caput hoc quatuor puncta continet.

*Punct. I. De definitione, & diuiſione Irregularitatis. Et de cauſa efficienti, materiali, formali, & finali illius*, num. 1
*Punct. II. De effectibus Irregularitatis. Vbi etiam agitur, an Beneficij collatio facta irregulari ſit nulla?* num. 18.
*Punct. III. De ijs propter quæ excuſari aliquis poteſt ab incurrenda irregularitate*, num. 41.
*Punct. IV. De modis, quibus irregularitas poteſt tolli, nimirum ceſſatione cauſæ, Baptiſmo, profeſſione Religioſa, & diſpenſatione*, num. 55.

## PVNCTVM I.

### *De definitione, & diuiſione Irregularitatis. Et de cauſa efficienti, materiali, formali, & finali ipſius.*

*Definitio Irregularitatis proponitur.*

1. COmmuniter à Doctoribus definitur Irregularitas quod eſt *impedimentum Canonicum primò, & per ſe impediens Ordinum ſuſceptionem, & ſecundariò, & quaſi per accidens illius exercitium.* Dicitur *impedimentum*, in quo conuenit cum quocumque impedimento ad ordinem ſuſcipiendum contracto, ſiuè ex natura rei, ſiuè ex iure diuino, & per illud *Canonicum* differt ab eis. Non enim quæcumque inhabilitas ad ordines, vel impedimentum, facit irregularem; ſed quando prouenit ex iure poſitiuo Eccleſiæ: & ſic peccatum mortale, tametſi impediat ordinis ſuſceptionem, quamdiu durat; præbet tamen impedimentũ ex iure naturę & diuino: quia hominem indignum Sacramento conſtituit. Vndè non eſt irregularitas, nec ſexus fœmineus, nec carentia Baptiſmi, aut uſus rationis, nam fœminæ, non baptizati, amentes, & qui à natura ſunt inhabiles ad exercitium Ordinis, ut muti, cœci, aut membra non habentes, quæ miniſterio illius requiruntur, ſunt quidem à natura inhabiles ad ordines; non tamen irregulares, cum irregularitas ſit impedimentum Canonicum, non ex ſubiecti inhabilitate; ſed ex iure Eccleſiæ proueniens.

*Diuerſitas inter irregularitatẽ, & omnes cenſuras.*

2. Additur, quòd *per ſe à ſuſceptione ordinis priuat*, & intelligitur etiam à Prima tonſura: ab Ordine quidem priuat per ſe irregularitas, ut Sacramentum Ordinis eſt, & per hanc particulam differt à reliquis cenſuris: ab excommunicatione, quia licet hæc receptione Ordinis priuet, hoc facit, quatenus eſt communicatio in diuinis cum alijs, irregularitas verò, quatenus eſt Sacramentum Ordinis. Prætetquàm quòd excommunicatio plures alios effectus per ſe habet, quibus caret irregularitas. Differt ab interdicto, quia hoc priuat Ordine, ut eſt officium quoddam diuinum, quòd habet Ordo commune cum alijs Officijs diuinis; irregularitas verò per ſe tendit ad priuandum eo ſecũdum propriam rationem, ut Ordo eſt, denique differt à ſuſpenſione, quia ſuſpenſio per ſe Ordinis ſuſceptione non priuat, ſed exercitio illius, & ſic ſolum ad Clericos iam in Ordine conſtitutos dirigitur, per accidens vero priuat ſuſceptione aliorum Ordinum quia æquum non eſt, aliquem ad Ordinem aſſumi, à cuius exercitio eſt ſuſpenſus: at irregularitas è contrà per ſe priuat Ordinis ſuſceptione, & ſic ad mere laicos directè ordinatur; per accidens verò, & ex conſequenti priuat etiam uſu Ordinum in ijs, qui iam ſunt ad illos aſſumpti. Quemadmodum fornicatio cum ſorore Mariæ habita per ſe inducit impedimentum dirimens Matrimonium cum ipſa Maria. Cæterùm ſi, Matrimonio iam contracto, ſuperveniat, cum iſtud indiſſolubile ſit, illud non diſſoluit, impedit tamen uſum illius ex parte eius, qui deliquit, undè fit, quòd ſicut impedimentum affinitatis Matrimonio ſuperueniens non eſt diuerſum ab eo, quod illud præcedit, tametſi iſtud dirimat Matrimonium, iſtud verò dumtaxat uſum illiùs impediat, quia ſemper per ſe tendit ad impediendum Matrimonium, & per accidens ſolum habet effectum impediendi uſum eius: ita irregularitas quæ ſuperuenit Ordini iam ſuſcepto, eiuſdem ſpeciei eſt cum illa, quæ ad eum antecedit, quamvis iſta receptione Ordinis priuet, illa dumtaxat uſu, quia utraque per ſe tendit ad impediendum Ordinem, quamvis per accidens, quia illum ſupponit iam, (qui inauferibilis eſt) uſum eius dumtaxat impediat.

*Debet eſſe irregularitas expreſſa in iure, ut incurri poſſit.*

3. Ex dicta definitione infertur, primò, nullam irregularitatem incurri de facto, niſi ſit expreſſa in iure Canonico, quia cum ſit dumtaxat à iure Canonico introducta, & ſit pœna, niſi habeatur expreſſa in iurę, non incurritur de facto: quod expreſsè dicitur *in cap. Is, qui, de ſent. excomm. in 6.* ubi decernitur eum, qui in Eccleſia polluta per ſanguinis effuſionem celebrauit, non fieri irregularem, quia hoc non habetur in iure expreſſum, & eſt communis ſententia Doctorum quam tenent Curnejo N. *tract. 5. de irregularitate, diſp. 1. dub.* 2. Gibal *de irregularitate, cap. 2. quæſt. 1. nu. 11.* Palaus *diſp. 6. punct. 2. nu. 1.* Suar. *diſp. 40. ſect. 4. nu. 15.* Says *lib. 6. cap. 2. nu. 4.* Ex quo fit non valere circà irregularitatem à ſimili, vel à minori ad maius, vel ab uno ad alium caſum eiuſdem rationis argumentum, quia poteſt circà unum caſum eſſe expreſſam irregularitatem in iure, non circà alium: ut ſi aliquis argueret: qui reperit Baptiſmum, fit irregularis: ergò etiam qui reperit Confirmationem, cum utrumque Sacramentum ſit æquè initerabile: non tenet conſequentia quia circà primum eſt expreſſum in iure, non circà ſecundum. Similiter: qui celebrat in Eccleſia interdicta fit irregularis: ergò qui in Eccleſia polluta: non valet conſequentia, quia de primò eſt expreſſum ius, cum ſic celebrans violet cenſuram per exercitium Ordinis ſacri, non in caſu conſequentiæ, quin potiùs oppoſitum deciditur *in cap. cit. Is, qui, de ſent. excomm. in 6.* & ſic de alij caſibus, Palaus, Cornejo & Gibal. Laym. *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 1. num 6.* Quid verò ſentiendum ſit in dubio iuris vel facti, dicemus *punct. 3.*

*Nulla datur irregularitas iure diuino, aut naturali impoſita.*

4. Infertur ſecundò, nullam eſſe irregularitatem impoſitam lege diuina, aut naturali; cum in dicto *cap. Is, qui* dicatur, nullam dari irregularitatem, niſi in iure Canonico ſit expreſſa. Si autem iure diuino, aut naturali aliqua eſſet ſtatuta, hæc proculdubio incurreretur, etiamſi in iure non eſſet expreſſa. Vndè aliquæ irregularitates, quæ afferri poſſunt ex veteri Teſtamento, cum illa lex fuerit per legem Chriſti abrogata, adueniente hac, penitùs fuerunt extinctæ, ut docent communiter Doctores; quamvis poſteà in Eccleſia ad imitationem illarum, quæ à Deo fuerunt in veteri lege aſſignatæ, aliquæ introductæ fuerint, & quamvis *Apoſtolus 1. ad Corinth. 3* bigamiam ab Ordine Epiſ-

enpali arceat aſſerens, debere talem eſſe *unius uxoris virum*: ex quo videtur, hanc irregularitatem eſſe iure diuino introductam, verùm Apoſtolus, ut Prælatus particularis ſtatuens illam pœnam, in illo loco procedit, non ut ſcriptor ſacer legem diuinam ferens, & ſic ſolum probat à tempore Apoſtolorum talem irregularitatem eſſe introductam, Suar. *nu.* 2. Sayr. *nu.* 9. Corn. *diſp.* 2. *dub* 1. Et ut benè hi Authores tradunt, quamvis conforme ſit æquitati naturali quòd aliquæ irregularitates ſint impoſitæ; hoc non arguit, eas iure naturæ eſſe introductas, quia etiam omnis lex poſitiua, ut iuſta ſit, æquitati naturali eſt conformis; quod non facit, eam eſſe ex iure naturæ introductam, ſed à iure poſitiuo iuxtà exigentiam eius, quod naturæ rerum requirebant, appoſitam.

*Quotuplex ſit irregularitas?*

5. Hæc circà definitionem dicta ſufficiant. Ad diuiſionem deueniendo, reijcienda eſt illa diuiſio, quæ ab aliquibus aſſignatur, irregularitatis à iure, & ab homine, cum omnis irregularitas ſit à iure, & nulla ab homine imponi poſſit, ut ſtatim dicemus Et iam reijcienda eſt aliorum diuiſio irregularitatis, in mentalem, & exteriorem: cum nulla detur irregularitas mentalis, ut *hoc puncto* probabimus. Et etiam illa, quæ diuiditur in eam, quæ eſt à iure poſitiuo, & illam, quæ eſt à iure diuino, aut naturali: cum non detur irregularitas iure diuino, aut naturali introducta, ut iam diximus. Diuiditur autem irregularitas in totalem, & partialem. Totalis eſt quæ tàm receptione, quàm uſu Ordinis priuat, imò omnibus Ordinibus, ut eſt ea, quæ à laicis contrahitur. Partialis, qualis eſt illa, quæ contrahitur à Clericis, & ſolum uſu Ordinum priuat, non receptione, niſi fortè aliquorum, quos non ſuſceperant, & utraque in perpetuam, & temporalem ſubdiuiditur, illa eſt, quæ ſolum diſpenſatione tollitur, hæc quæ per decurſum temporis aufertur, ut eſt illa, quæ ex defectu ætatis contrahitur, vel quando receptus eſt Ordo bona fide antè legitimam ætatem, à cuius exercitio Clericus priuatur, donec ad ætatem debitam perueniat.

*Quot ſunt ſpecies irregularitatis ex delicto, & quot ex defectu?*

6. Sed celebrior eſt diuiſio illa, qua irregularitas diuiditur in eam, quæ ex defectu culpabili contrahitur, & eam, quæ ex defectu non culpabili incurritur, & utraque in octo ſpecies diuiditur. Nam illius, quæ ex peccato contrahitur, ſpecies iſtæ aſſignantur. Prima ex homicidio voluntario iniuſto. Secunda ex iniuſta, & voluntaria mutilatione. Tertia ex homicidio, aut mutilatione caſuali. Quarta ex repetitione, ſeu iteratione Baptiſmi. Quinta ex violatione cenſurarum. Sexta ex indigna receptione, vel adminiſtratione Ordinum. Septima ex delicto, cui annexa eſt infamia. Octaua ex delicto enormi notorio, dignoque depoſitione, aut degradatione. ¶ Species verò illius irregularitatis, quæ non ex delicto contrahitur, hæc ſunt. Prima, quæ prouenit ex defectu Sacramenti. Secunda ex defectu perfectæ lenitatis. Tertia ex aliquo defectu corporis. Quarta ex defectu animæ. Quinta ex defectu libertatis. Sexta ex defectu natalium. Septima ex defectu ætatis. Octaua ex defectu diuitiarum, ſeu ratione paupertatis. De his omnibus ſpeciebus utriuſque generis duobus *cap ſeq.* Deo dante, ex profeſſo per ſingulas diſcurrentes agemus. Et ſic ad cauſas, quæ ad irregularitatem concurrunt, deuenimus.

*Quis poteſt irregularitatē ferre?*

7. Igitur cauſa efficiens irregularitatis illa ſolummodo eſt, quæ ius Canonicum condere poteſt: & ſic præter Summum Pontificem, aut Concilium generale, nullus poteſt irregularitatem imponere, ideoque ab homine non poteſt imponi hæc pœna, niſi à iure dumtaxat (niſi fortaſsè ſummus Pontifex per ſententiam particularem in aliquem determinatum eam ferat, non ſtatuendo ius, quod facere poſſe de plenitudine poteſtatis non dubitamus, ſed loquimur iure ordinario, & ab inferioribus Summo Pontifice) & ratio eſt, quia in dicto *cap. Is, qui, de ſententia excomm. in 6.* dicitur, non incurri irregularitatem, quæ non ſit in iure expreſſa: ſed ſi ab homine imponeretur, talis non inueniretur in iure expreſſa: ergò incurri non poteſt per hominis ſententiam, imò nec ab ipſo, qui fuerit inferior Summo Pontifice per modum legis, aut ſtatuti imponi poteſt, quia omnes intelligunt illa verba dicti capitis: *Cum id non ſit expreſſum in iure*, de iure Canonico, & generali, pro quo ſupponit nomen *Ius* abſolutè, & ſimpliciter ſumptum. Vndè nec Epiſcopus, Archiepiſcopus, aut alius Prælatus, vel Diœceſana Synodus, aut Concilium Prouinciale poteſt irregularitatem imponere; ſed hoc ad Summum Pontificem dumtaxat pertinet, vel ad Concilium generale legitimè ex Pontificis licentia Congregatum. Sic Corn. *tract.* 5. *diſp.* 2. *dub.* 2. Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 1. *nu.* 4. Auil. *part.* 7 *diſp.* 1. *dub.* 2. Gibal. *n.* 6. Suar. *ſect.* 4. *nu.* 12. Palaus *punct.* 2. *nu.* 1.

*Non poteſt cōſuetudine irregularitas introduci.*

8. An verò poſſit conſuetudine irregularitas introduci? Eſt aliqualis difficultas inter Doctores. Eligimus partem negatiuam cum Suar. *nu.* 13. Gibal. *conſect* 4. *concl.* 2. Machad. *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 15. *docum.* 1. *nu.* 5. Diana *part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 28. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *ſect.* 1. *quæſt.* 4. *n.* 5. Mouemur primò, quia nulla cenſura contrahi poteſt conſuetudine; ſed vel à iure, vel ab homine debet ferri: imò nulla pœna priuatiua ipſo facto incurritur, niſi ſit ipſo iure expreſſa, ut tradit Felin. *in cap. Querelam, de iure iurando*: ergò multò minus irregularitas, cum Eccleſia paucioribus, facultatem eam conferendi conceſſerit. Secundò, quia *in citato cap. Is, qui*, nulla dicitur incurri irregularitas, niſi ea, quæ eſt in iure expreſſa, & ut tenet communis interpretatio, de iure Pontificio, & ſcripto itelligitur: ergò omnis alia abigenda eſt, aliàs cum *in dicto cap.* Pontifex declarauit, non incurriſſe irregularitatem eum, qui in Eccleſia pollùta celebrauit, quia talis irregularitas non eſt in iure expreſſa, poſſet aliquis dicere. Non eſt quidem in iure expreſſa, ſed conſuetudine introducta. Cui reſponſioni obviavit Pontifex, mentem ſuam declarando, ſcilicet, ſolam illam excommunicationem incurri poſſe, quæ in iure Pontificio ſcripto fuerit expreſſa. ¶ Et ſi dicas, hoc ius poſſe conſuetudine abrogari, & ſic introduci per eam irregularitatem, quia conſuetudo prævalere poteſt etiam contrà ius eam prohibens. Fateor, quia *in tract. de Matrim. cap.* 11. *nu.* 33. id dixi, & probaui. Sed hoc verum eſt, quandò ius conſuetudinem prohibens, per eam fuerit abrogatum, ita ut in ſuo robore non perſiſtat. At ius, de quo loquimur, ſemper eſt in ſuo robore, & vigore apud omnes iudices, ſuperiores, & Doctores, & nullum magis inculcatum apud eos reperies, & ſic contrà illud introduci non poteſt irregularitas ex conſuetudine, quamdiù in ſuo vigore perſeveraverit.

9. Circà cauſam formalem irregularitatis ſtatuendum eſt quod nulla forma verborum determinata

Google

*Quâ forma verborum debet irregularitas ferri*

minata requiritur ad eam ferendam, & ſic ſub diuerſis verbis in diuerſis iuribus impoſitam reperies; ſed illa verba iuris ſufficiunt, ut irregularitas in eo contineri cenſeatur, quibus claré, & propriè ſignificetur, ut eſt à reliquis pœnis Eccleſiaſticis diſtincta. Si enim verba ambigua fuerint ad irregularitatem, ſuſpenſionem, excommunicationem, &c. irregularitatem ibi contineri non iudices, quia ut dictum eſt, irregularitas, ut incurratur, debet eſſe in iure expreſſa, & expreſſa non eſt, ſi verba ſunt ambigua ad eam, & ad alias pœnas: & ſic illa verba, quæ vel irregularitatem expreſsè continent, vel ipſius effectus, ut ipſius proprij ſunt ab alijs diuerſi, inducunt irregularitatem. Imò comminatoria eſſe non debent, nec de futuro effectum ſignificantia: hæc enim ſententiam iudicis requirunt, quæ ab homine fit; & irregularitas, ut iam diximus, ab homine imponi non poteſt. Vndè verba debent eſſe de præſenti *ipſo facto ipſo iure*, irregularitatem exprimentia, Suarez *ſect.6.n.*8. Cornejo *diſp.*3.*dub.unic.* Palaus *punct.*4.*nu.*1. Conine. *diſp.*18.*dub.*3.*nu.*24.

*Quodnam ſit capax ſubiectum irregularitatis.*

10. Circà cauſam materialem, ſeu ſubiectum irregularitatis, dicimus, quòd omnes illi, qui Ordinis capaces ſunt, ſunt etiam capaces irregularitatis incurrendæ, quia irregularitas eſt incapacitas ad recipiendos Ordines, & ſic illorum priuatio. Quare ſubiectum illud dumtaxat, quod Ordinis capax fuerit, etiam capax erit huius pœnæ, ſiquidem priuatio, & forma circà idem ſubiectum verſantur. Quarè per hoc, quòd dicimus, omnes Ordinis capaces poſſe irregularitati ſubiacere, omnes comprehendimus (excepto ſolo Pontifice Summo, qui ſuis legibus per vim coactiuam, & pœnalem non ſubijcitur.) Vndè Epiſcopi, & Cardinales, & quicumque alij comprehenduntur ſub irregularitatibus à iure impoſitis, etiamſi non exprimantur, quia ſunt capaces Ordinum, iuri communi ſubiecti, à quo non eximuntur: nam *in cap. Quia periculoſum, de ſent.excomm. in* 6. ſolum eximuntur à pœna ſuſpenſionis, aut interdicti in iure impoſita, niſi exprimantur, Epiſcopi, & Cardinales. Vndè de alijs pœnis ſupponitur, ſub ipſis contineri. Quare ſi Epiſcopus, vel Cardinalis occideret hominem, vel mutilaret, vel cenſuratus celebraret, irregularitatem, ſicut alius quilibet, incurreret. Ità Palaus *punct.*2 *num.*5. Suar. *num.*6. Bonac. *diſp.*7. *quæſt.*1.*punct.*2.*nu.*8. Hurtad. *diſſ.*7.*nu.*26. Gibal. *cap.*2.*quæſt.*2.*nu.*6.

*Nec fœmina, nec non baptizati poſſunt irregularitatem incurrere.*

11. Alij verò, qui Ordinis ſunt incapaces, etiam ſunt incapaces huius pœnæ, quare fœminæ, & non baptizati non poſſunt fieri irregulares. Ideoque ſi Epiſcopus (quod Deus auertat) fœminam, vel non baptizatum Ordinaret, non incurreret pœnas in iure impoſitas contrà ordinantes irregulares, quia in illis impedimentum non ſuſcipiendi Ordines eſt incapacitas ex natura ſua, & ex iure diuino ad illos, cum Baptiſmus ſit ianua Sacramentorũ, & ſexus virilis ex iure diuino requiſitus ad illos recipiendos, ut probabimus *tr. de Ordine, c.*5.*n.*1. & ſic in ipſis carentia Ordinum priuatio non eſt quia hæc ſolum eſt reſpectu ſubiecti apti, & nati ad formam; ſed mera negatio, ſicut carentia viſus in lapide non eſt cæcitas, quia hæc eſt carentia viſus, quæ in ſubiecto, ad eum, capacitatem ſupponit. ¶ Et ſi dicas, quòd ſecundum communem Doctorum ſententiam per Baptiſmum tollitur omnis irregularitas, quæ ex delicto antè Baptiſmum incurritur: ergò antè Baptiſmum poterit incurri irregularitas. ¶ Reſpondetur eſt quòd propriè loquendo irregularitas per Baptiſmum tollitur, cum nulla ante eum contrahatur: & ideò, quandò Doctores dicunt, quòd aliqua irregularitas per Baptiſmum tollitur, ſenſus illorum eſt, quòd poſt Baptiſmum non perſeuerat fundamentum, ex quo ſi perſeueraret, irregularitas conſurgeret, & quandò aſſerunt aliquam irregularitatem non tolli per Baptiſmum, ideo eſt, quia fundamentum perſeuerat, ex quo, adueniente Baptiſmo, irregularitas conſurgit. Vt ſi antè Baptiſmum eſſet quis cum duabus uxoribus coniunctus matrimonio, adueniente Baptiſmo, orietur irregularitas, quæ anteà non, niſi fundamentaliter erat inuenta.

*Non poteſt niſi ob mortalem culpam irregularitas incurri.*

12. Denique circà culpam, ob quam incurritur irregularitas, quæ ex delicto contrahitur, (quæque ſuo modo ad cauſam finalem reducitur, quatenus ſuperior ad imponendam eam mouetur, ut præcaueatur peccatum, vel iam factum puniatur) dicendum eſt, non incurri irregularitatem ex delicto niſi propter peccatum mortale, quia pœna grauiſſima eſt priuans uſu Ordinum in perpetuum, & receptione illorum, qui non habentur, Sotus *lib.*5. *de iuſtitia, quæſt.*1. *art.* 9. circà finem, Ioann. de la Cruz *in direct.part.*2.*de irregularitate, diſp.*12.*concl.*6. Monteſin. 1.2.*tom.*2.*quæſt.*76.*art.*4.*diſp.*8.*quæſt.*12.*nu.*153. Auila 7.*part.diſp.*2.*dub.*3 *concl.*3. Suar. *diſp.*40.*ſect.*3.*num.*17. Vndè ſi actus, qui aliàs irregularitatem induceret, ex aliqua circumſtantia à peccato mortali excuſetur, non incurritur irregularitas propter illum, Conin. *diſp.*18 *dub.*2.*nu.*33. Sanc. *de matr.lib.*9.*diſp.*32.*nu.*9. Gibal. *c.*2.*q.*2.*n.*3. Palaus *diſp.*6.*punct.*3.*n.*3. Dian. 3.*p tr.*3.*reſ.*51.*&* 2.*part.tract.*2.*reſ.*18. Ex quo infertur, quòd hoc ipſo, quòd ius pœnam irregularitatis adiungat præcepto, illud ſub mortali obligare intendit, quia abſque eo non poteſt incurri, quin potius nec Summus Pontifex poteſt, ut pœnam pro culpa veniali irregularitatem imponere, quia illius mandatum eſſet iniquum: æquitas namque depoſcit, ut pœna præportionetur culpæ: & ſic pœnam grauiſſimam imponere pro culpa leui eſſet procedere contrà æquitatem naturæ, Suar. Conin. Sanch. Palaus, Gibal. citati. Diximus, *ut pœnam*, quia non negamus poſſe ob culpam venialem imponere irregularitatem ob indecentiam, quæ fortè ex ea adeſſet, ad ſacros ſuſcipiendos Ordines, vel in eis miniſtrandum: ſicut abſque culpa præſuppoſita propter indecentiam repertam in ſubiecto poteſt irregularitatem indicere.

*Debet eſſe actus exterior, & conſummatus, ut incurratur irregularitas.*

13. Imò requiritur, quod ſit actus exterior ille, ob quem irregularitas incurritur: & ſic propter actum purè interiorem nemo poteſt irregularitatem incurrere, & ideò ſi quis voluntatem occidendi habeat, vel alia crimina committendi, & ea executioni non mandet, irregularis non fiet, quia Eccleſia de occultis non iudicat, & eius iuriſdictio, quamvis ſpiritualis ſit, quia tamen in hominibus reſidet, qui non, niſi modo humano, id eſt, ſenſibili procedere poſſunt, verſari non poteſt circà ea, quæ nequeunt per ſenſus attingi, ut à ſimili diximus de cenſuris *cap.*1. *punct.*11. Hinc fit, irregularitatem mentalem non dari: & quandò in aliquibus Bullis, vel Priuilegijs datur facultas diſpenſandi ſuper irregularitatem mentalem, intelligitur de irregularitate, quæ eſt per accidens occulta, & quæ in iudicio probari non poteſt,



Pp 3 Auila

Auila 2.*part.diſp.5.dub* 1.*concl*.1. Couarr.*Clement. ſi furioſus*, *part*.1. *num* 4 Cordub. *lib* 2. *de indulgentijs, quæſt*.42.*dub*.2. Palaus *nu*. 1. Sayr. *lib* 6 *cap*. 2.*nu*.20. Coninch *nu*.11. ¶ Imò debet actus exterior eſſe conſummatus, quandò pro illo irregularitas imponitur, ut incurratur : ſicut diximus de alijs cenſuris *cap*.1.*punct. citato*. Vndè ſi quis hominem feriret etiam mortaliter, ſi tamen de facto mors non ſequeretur, vel ex diligentia, & induſtria medicorum, vel arte Dæmonum, vel etiam miraculosè, non fieret irregularis, quia reuera non poſuit actum, quem ius ad irregularitatem incurrendam requirit. Ità præter Authores modo datos Pellizar.*tom*.2.*tract*.7.*cap*.1.*ſect*.1.*quæſt*.6.*nu*.8. Soto *art*.9. Gibal. *nu*.3.

*Tria ſupponuntur ut certa circà præſentem quæſtionē.*

14. Difficultas tamen eſt, an irregularitas contrahi poſſit pro delicto penitus occulto, tametſi exterius conſummato: quod tamen à nemine ſcitur, nec poteſt in iudicio probari? Circà quam difficultatem tria ut certa apud omnes ſupponenda ſunt. Primum, quòd propter homicidium etiam occultum irregularitas contrahitur, ut habetur expreſsè *in Trident ſeſſ*.14.*cap*.7.*de Reformatione*. Imò in eodem *Concilio ſeſſ*. 24. *cap*. 6. ſupponitur, omnes irregularitates incurri poſſe etiam ob delictum occultum; cum ibi præbeat Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto contractis, exceptâ illâ, quæ ex homicidio voluntario contrahitur: quod ad minus intelligendum eſt de illis delictis, quæ ab ono, vel ab alio ſciuntur, ita ut in iudicio poſſint probari; non tamen probata ſunt, aut deducta ad forum externum : quia hæc etiam occulta per accidens ſunt, & circà eam Epiſcopus poteſt diſpenſare. Quarè dubium eſt de illis delictis, quæ penitus ſunt occulta, & nullatenus probari poſſunt: ut ſi quis excommunicatus celebraret nemine ſciente, an in foro conſcientiæ maneat irregularis? Nam pro foro exteriori certum eſt, non manere, & ideo *in cap. Chriſtiana* 32. *quæſt*.5. dicitur, quòd *latentia peccata vindictam non habent* utique in foro exteriori, & à iudicibus illatam. Tertium, quod ſupponimus, eſt, eſſe in duplici differentia delicta, quibus annexa eſt irregularitas : alia, quæ per accidens tantummodo illam ſecum afferunt, ratione enormitatis, notorietatis, & infamiæ, quæ ex eis conſequuntur; non verò per ſe ratione ſui; de quibus dicemus *cap. ſequenti* : & de his certum eſt, quòd ſi fuerint occulta, non contrahitur propter ea irregularitas, quia tunc non dantur illi effectus, ratione quorum irregularitas incurritur. Quo ſenſu *cap. Ex tenore, de temporibus ordination*. dicitur, quòd propter peccatum occultum dignum etiam degradatione, non debet criminoſus occultus ab altaris miniſterio arceri, aut prohiberi, quod ad alios Ordines aſſumantur: alia ſunt, quæ per ſe, & ratione ſui irregularitatem inducunt, ut iteratio Baptiſmi, violatio cenſuræ per exercitium Ordinis ſacri, &c. Et de his quæritur, an inducant irregularitatem pro foro conſcientiæ, quandò penitus ſunt occulta?

*Sententia aſſerens, ob delictum occultum non contrahi irregularitatem.*

15. Prima ſententia eſt negatiua, quam tenet Gloſſ. *in cap. ult. de temporibus ordenandorum*, Caſtro *lib*.1.*de lege pœnali, cap. ult. concl*.3. Enriq. *lib*.14. *cap*.3.*nu*.2.*in Gloſſ. littera* N. *&* Q. citans Nauarr. *cap*.27.*nu*.194. *&* §.6.*num*.248. Ledeſm. 2.*part*. *quæſt*.26. *art*.1. Cordubam *lib*. 1. *quæſt*. 35. quod nouiſſimè probabile reputat, Bauny, *de irregularitate, quæſt* 3.*aſſert*.4. & probatur primò *ex dicto cap. ult. de temporibus ordinandorum*, ubi dicitur, periuros, adulteros, falſoſque teſtes poſſe ſacris Ordinibus initiari, iiſque uti, quamdiu delictum manet occultum : ſecundò, quia aliàs ſæpè neceſſarium eſſet, proprium crimen cum dedecore ſui manifeſtare, ut ſi aliquis in occulto rebaptizaret, & in publico celebrare non poſſet. Tertiò, quia Eccleſia reconciliatione non indiget, quando ob ſanguinis, vel ſeminis effuſſionem polluitur, ſi tale delictum ſit occultum; imo non polluitur, nec probebêtur in ea Officia diuina celebrari: ergò ſimiliter non indiget relaxatione impedimenti accedendi ad altare, qui ſolum in occulto peccavit : imò tale impedimentum non contraxit.

*Verius eſt, ob delictum occultum poſſe incurri irregularitatem.*

16. Verior nihilominus eſt ſententia affirmans primò, quia *in Trid.ſeſſ*.24.*cap*.6. datur Epiſcopis facultas diſpenſandi in irregularitatibus ex delictis occultis contractis : cum ergò loquatur Concilium de omnibus delictis occultis, & ſolum excipiat homicidium, ſentiendum eſt, per omnia illa, quantumvis occulta ſint, poſſe contrahi irregularitatem; aliàs etiam non incurreretur ob homicidium voluntarium penitus occultum : quod aduerſarij omninò negant moti ex decreto *Trid.ſeſſ*.14.*cap*.7. de Reformatione : ubi abſolutè dicitur, ob tale crimen etiam occultum incurri irregularitatem : nam poſſent dicere, loqui Concilium de homicidio dumtaxat occulto, quod poſſet in iudicio probari; tametſi probatum non ſit, nec ad forum contentioſum deductum; ergò uterque locus de delicto quomodolibet occulto, ſi exterius conſummatum eſt, eſt intelligendus: ſecundò, quia quod delictum probari, vel non probari poſſit in iudicio, ſolum requiritur in ordine ad ſententiam iudicis : ſed ad incurrendas cenſuras, vel alias pœnas Eccleſiaſticas, quæ ipſo facto à iure ſtatuuntur, ſententia iudicis non requiritur : maximè in irregularitate, quæ ut diximus *n*. 7. ab homine ferri non poteſt: ergò etiamſi occultum fuerit delictum, ita ut nequeat in iudicio probari, ob illud contrahi poteſt : tertiò, quia delictum quantumvis occultum ſubditur pœnis Eccleſiæ : quia ſolum eſt per accidens occultum, non per ſe, quomodo Eccleſia non iudicat de illo: per ſe enim eſt manifeſtum, & exterius apparens, & ſolum defectu probationis in foro exteriori eſt occultum. Vndè ſicut cenſuræ incurri poſſunt ob delicta quantumvis occulta, ut diximus *cap*.1.*nu*.141. ita etiam irregularitas. Ità Couarr. *Clement. ſi furioſus*, *part*.2.§.3.*nu*.4. Auila *dub*.2.*concl*.2. Palaus *n*.1. Coninc. *num*.16. Pellizar. *cap*.5 *ſect*.1.*quæſt*.2.*num*.10. Diana 7.*part.tract*.11.*reſ*.48.

*Contraria ſoluuntur argumenta.*

17. Ad argumenta contraria reſpondetur, textum illum loqui de delictis, quibus non eſt per ſe annexa excommunicatio, ſed ratione infamiæ, vel notorietatis, de quibus iam diximus *num*. 14. non inducere irregularitatem, ſi ſint occulta. ¶ Ad ſecundum, fatemur excuſari à culpa irregularitatem violantem per exercitium Ordinis, ſi abſque nota, & infamia ab eo abſtinere non poteſt; ſed hoc non probat, irregularitatem incurriſſe; ſed Eccleſiæ benignitatem commendat, quæ non vult cum magno detrimento ſua præcepta obligare; ſicut de frangentibus cenſuras multoties in hoc *tract*. diximus. ¶ Ad tertium reſpondetur, verum eſſe Eccleſiam non violari per ſanguinis, aut

ſeminis

Digitized by Google

ſeminis effuſionem occultam, & ſic reconciliatione non indigere, quia, ut inquit D. Thom. 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 3. *ad* 3 Eccleſia non conſecratur, quia ſuſceptiua ſit ſanctitatis, ſed ut homines illius maiorem reuerentiam concipiant: & ſic nec polluitur, aut reconciliatur ratione ſui, ſed propter peccatores, ut ſciant indignos eſſe hoſpitio Dei, niſi cum ipſo per gratiam, & pœnitentiam reconcilientur? quæ omnia ceſſant, quandò delictum in ea perpetratum, eſt occultum. In noſtro autem caſu arcetur ab altari miniſter, non ratione aliorum ſed ratione ſui, quia iniquum eſt diuina peragere, qui talibus fuit contaminatus criminibus, quæ cum ipſi conſtent, tametſi occulta, ab altari propter illa abſtinere debet, & ab alijs Ordinibus recipiendis.

## CAPVT II.

### *De effectibus irregularitatis. Vbi etiam agitur, an Beneficij collatio facta irregulari ſit nulla?*

*Quibus actionibus non priuat irregularitas.*

18 NVlla irregularitas illis actionibus priuat, quæ poſſunt exerceri à purè laicis, ſeu quæ ſunt communes Clericis; & laicis ac proinde nullum exercitium Ordinis requirunt, ideoque irregularis, præter Ordinem, omnia recipere poteſt Sacramenta, officijs diuinis aſſiſtere, cum alijs communicare, in ſacro loco ſepeliri, Ordinum minorum officia exercere, canere cum alijs in Choro Officium diuinum, exceptis ijs, quæ ex uſu Eccleſiæ ſunt Ordini ſacro annexa: ut orationem canere in Choro dicendo: *Dominus vobiſcum*. Poteſt etiam irregularis abſolui à quolibet peccato, imò ab illo, ob quod irregularitatem ſubiuit, ipſa permanente.

*Non priuat irregularitas iuriſdictione fori exterioris.*

19. Nec ſimiliter priuatur iuriſdictione fori exterioris, & ſic ea omnia exercere poteſt irregularis, quæ ad uſum iuriſdictionis, non Ordinis, ex-pectant; ut cenſuras imponere, eligere, Beneficia conferre, ut colligitur *ex cap. Tanta, de exceſſibus Prælatorum*, quia irregularitas non priuat officio, aut beneficio anteà obtento, ut poſteà dicemus: ergò neque iuriſdictione ordinaria (& ſic multò minus delegata) quæ ex vitalis muneris, aut officij habetur, Palaus *diſp.* 6. *punct.* 5. *nu.* 14. Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 1 *punct.* 4. *n.* 17. Corn. *diſp.* 5. *de cenſ. dub.* 3. *quæſit.* 1. Conin. *diſp.* 18. *dub.* 1. *nu.* 7. Laym. *tr.* 5. *part.* 5. *cap.* 1. *nu.* 1. *coroll.* 2. Poteſt ſimiliter Parochus irregularis Matrimonio aſſiſtere, vel licentiam alteri Sacerdoti ad aſſiſtendum præbere, quia hoc pertinet ad illius iuriſdictionem, non ad uſum Ordinis illius. Licet enim actiones enumeratæ petant ſupponere in ſubiecto Ordinem Clericalem, illius exercitium non exigunt; cuius priuatio eſt effectus irregularitatis, ut iam dicemus. Idem dicimus de iuriſdictione fori conſcientiæ, quæ abſque actu Ordinis exerceri valet; quòd hac irregularitas non priuat: & ſic poteſt irregularis concedere indulgentias, diſpenſare in votis, abſoluere à cenſuris pro foro animæ, dare facultatem audiendi confeſſiones quia hæc abſque Ordinis uſu poſſunt adhiberi, Gibal. *c.* 2. *q.* 3. *n.* 6. Conin. *n.* 4. Palaus *loc. cit.*

*Poteſt etiam irregularis confeſſiones audire licitè, ſi ſit toleratus, ſi vitandus, validè.*

20. Imò etiam irregularis, ſi denuntiatus non eſt, ſeu non promulgatus à iudice (quomodo non eſt vitandus in ijs, in quibus propter irregularitatem vitari debet) poteſt licitè audire confeſſiones, ſi non ſe ingerat ad hoc, ſed à fidelibus requiratur; ſicut de excommunicato non vitando ſuo loco diximus; ſecus verò, ſi denuntiatus eſſet: hic námque peccaret mortaliter, non quia actum iuriſdictionis exerceret, ſed quia eſt actus iuriſdictionis, ſimul & Ordinis, quo propter irregularitatem priuatur. Sed quia talis non caret iuriſdictione, ſi ſe ingerat ad audiendas confeſſiones, peccabit quidē mortaliter; ſed validè Sacramentum miniſtrabit: ſi ex parte pœnitentis non detur obex, ut ſi aliàs ſit rectè diſpoſitus, & bona fide accedat ad confitendum illi ſua peccata; vel quia ignorabat ipſum eſſe irregularem, vel irregularitatem prohibere illi talem actionem (ſi enim cum ſcientia horum procederet, peccaret iam petendo Sacramentum ab eo, qui non poterat illud licitè conferre, & ſic non eſſet rectè diſpoſitus: proindeque nullum Sacramentum efficeret.) Vndè ſi poſteà irregularitatis confeſſarij notitiam habeat, non debet confeſſionem repetere, quia confeſſarius etiam irregularis vitandus iuriſdictionem retinet, eo quòd irregularitas minimè priuet iuriſdictione antè irregularitatem obtenta. Ità Corn. *quæſit.* 3. Gibal. *cap.* 3. *qu.* 2. *n.* 34. Palaus *nu.* 14. Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 68 Suar. *diſp.* 40. *sect.* 2. *nu.* 45. Conin. *nu* 7. Bonac. *nu.* 20. Leſſius *de iuſtitia, lib.* 2. *cap.* 22. *nu.* 8.

*Priuat irregularitas Ordinum ſuſceptione, qui validè recipiuntur cum ea.*

21. Triplex ergò dumtaxat datur effectus irregularitatis. Primus, & principalis eſt priuatio recipiendi Ordines, ut conſtat ex eius definitione ſuprà *punct. præc.* tradita Vndè peccaret mortaliter tā recipiens Ordines, quam conferens irregulari: quia in re graui præceptum violaret Eccleſiæ; non tamen nouam irregularitatem incurreret: non quia hæc non poſſit ab eo incurri, qui iam eſt aliqua irregularitate innodatus; nam poteſt quidem plures eiuſdem, vel diuerſæ rationis incurrere, ut de cenſuris diximus *cap.* 1. *punct.* 14. Sed quia non eſt talis irregularitas in iure expreſſa, contrà eum, qui per exercitium Ordinis, vel receptionem illius irregularitatem violat: ſicut pro frangente cenſuram per actum Ordinis Sacri eſt in iure expreſſa; nec alias pœnas ipſo facto incurrit: quia nullæ in iure aſſignantur, ſed arbitrio ſuperioris pro qualitate criminis puniendus erit. Validum tamen erit Sacramentum Ordinis ab eo receptum, eo quod, poſita materia, & forma, & intentione miniſtri debita, validum ex iure diuino recipitur Sacramentum. Vndè quamvis Eccleſia aliquos inhabilitare poſſit ad matrimonium; quod ultra intentionem miniſtri contractum validum ſupponit, quod ipſa irritare poteſt; nequit verò ad alia Sacramenta inhabiles omninò reddere fideles, qui ex charactere Baptiſmi habent capacitatem ad illa validè recipienda, poſita ſufficienti materia, & forma, & intentione miniſtri, Cornejo *diſp.* 5. *dub.* 1. Auila 7. *p. diſp.* 2. *dub.* 6. Palaus *nu.* 1.

*Etiam primæ tonſuræ receptione priuat irregularitas.*

22. Et licet prima tonſura Sacramentum Ordinis non ſit, ut in eius tractatu probauimus *cap.* 1. *dub.* 1. quia tamen eſt diſpoſitio ad Ordines ſuſcipiendos, & quia intrà Ordinem Clericalem hominem conſtituit, à quo intenditur ab Eccleſia excludi per irregularitatem, etiam eſt prohibitum irregulari eam ſuſcipere: peccabitque mortaliter, qui irregularitate irretitus eam acceperit, & ſimiliter conferens: quia materia grauis eſt, utpotè hominem reddens capacem Beneficiorum Eccleſiæ, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, participemque priui-



Digitized by Google

legiorum, quæ ſtatui Clericali conferuntur;& ſic accedente præcepto, quod quidem adeſt, ſicut de non recipiendo Ordine, peccatum erit mortale in tali materia contrà illud agere, Suar. *ſect.* 1. *nu.* 11. Auila *concl.* 1. Cornejo *dub.* 1. Gibal. *cap.* 2. *q.* 3. *nu.* 3. Diana *reſol* 88. Bonac. *punct.* 1. *nu.* 4. Palaus *nu.* 2. Validè tamen, apud omnes recipitur; quia licet prima tonſura ab Eccleſia ſit inſtituta, & ſic poſſet inhabiles ad eam reddere irregulares; attamen ſicut alios Ordines cum tali impedimento receptos non irritat: ita nec primam tonſuram non intendere annullare iudicandum eſt.

*Priuat irregularitas uſu Ordinum.*

23. Secundus effectus irregularitatis, qui competit ei ex ſuppoſitione Ordinis in ſubiecto, eſt priuare illius exercitio, ut conſtat ex *cap. finali, de tempor. Ordinationis, cap. Inquiſitionis* 21. *de Accuſationibus.* Itaque peccabit mortaliter Clericus irregularis actum Ordinis Sacri exercendo: nouam tamen non incurret irregularitatem: quia in iure non reperitur, nec ipſo facto aliquam pœnam, ſed erit arbitrio iudicis puniendus. Cæterùm dicta irregularitas, quæ poſt receptos Ordines aduenit, poteſt eſſe totalis; & tunc omni exercitio Ordinis priuat, prohibetque ad alium quemcumque aſcendere: quia tunc omnem effectum præſtat, quem poteſt præſtare. Poteſt etiam eſſe partialis, & tunc ſolùm prohibet, vel receptionem illius Ordinis, ad quem inhabilem reddit, vel exercitium Ordinis recepti, quod ſub prohibitione comprehenditur. Sit exemplum in Diacono, qui celebrauit abſque Ordine Sacerdotali remanet irregularis ad ſuſcipiendum Sacerdotium; poteſt tamen in Ordine Diaconatus miniſtrare, *cap.* 2. *de Clerico non ordinato miniſtrante*, *cap. de iis, diſp.* 5. Similiter ſi Sacerdos perdat duos digitos cum medietate palmæ, *ex cap.* 2. *de Clerico ægrotante*: fit irregularis ad celebrandum, non ad alia munia Sacerdotis, vel aliorum Ordinum exercenda: & ſic abſolutè poteſt baptizare, aſſiſtere matrimonio, alia Sacramenta impertiri. Denique Diaconus, cui erutus eſt oculus, fit irregularis ad ſuſcipiendum Sacerdotium, *cap. Autem, ult. diſt.* 35. poterit tamen in ſuo Ordine Diaconatus miniſtrare, Cornejo *dub.* 1. *in fin.* Auila *dub.* 6. Palaus *nu.* 3. Bonac. *nu.* 2. Et hoc verùm eſt, ſiuè tales defectus corporis contraxerint ex ſua culpa ſiuè non: quia irregularitas hæc non inducitur tamquam pœna; ſed propter indecentiam, quæ in tali receptione Sacerdotij, vel miniſtratione apparet. Vndè ſicut non poſſet Sacerdos, v. g. cui duo digiti cum medietate manus fuerunt amputati abſque ſua culpa, celebrare: ita poteſt alia munia Sacerdotis exercere; etiamſi ex ſua culpa ſimilem defectum reciperet.

*Priuat irregularitas receptione Beneficiorum.*

24. Tertiùs effectus irregularitatis eſt priuare irregularem, ne nouum Beneficium recipiat, *cap.* 2. *de Clericis pugnantibus in duello, Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Reformatione.* Et ſic peccabit conferens Beneficium irregulari, & ipſe recipiens, quia cum Beneficium detur propter officium, meritò priuatur receptione Beneficij, qui officium Ordinis propter quod datur, exercere non poteſt, & hinc ſequitur quod quandò irregularitas eſt totalis, ut eſt illa, quæ cuicumque laico ſiuè ex culpa, ſiuè abſque culpa aduenit; & etiam, quæ Clerico abſolutè, & ſimpliciter imponitur; omni receptione Beneficij priuet, quia cum talis ſit ad omne exercitium Ordinis inhabilis, non poteſt licitè recipere aliquod Beneficium, quod propter tale munus exhibetur. Et ita intelliguntur *textus citati.* Cæterùm ſi irregularitas ſit partialis, ut illæ, de quibus diximus *n. præc.* vel quæcumque alia ſolum priuat receptione illius Beneficij, quod datur propter exercitium Ordinis, à quo arcetur Clericus propter irregularitatem, Valent. *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 19. *punct.* 2. §. *Et dicendum*, Cornejo *dub.* 2. Conin. *nu.* 5. Palaus *nu.* 5. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 2. *nu.* 13. Bonac. *n.* 3. ¶ Et cùm nomine Beneficij veniat etiam dignitas Eccleſiaſtica, vel Prælatura Regularis; huius etiam receptionem prohibet irregularitas, ut colligitur ex *cap. In quibuſdam, de pœnis, cap. final. de filijs Presbyt.* Et docent Corn. *loc. cit. quæſit.* 5. Suar. *to.* 4. *de Religione, tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 24. quos refert & ſequitur Leand. *de irregul. tract.* 1. *diſp.* 4. *q.* 20.

*Irregularitas nō priuat ipſo facto Beneficijs antè illam obtentis.*

25. Et ſi interroges: An irregularitas priuet ipſo facto Beneficijs antè illam receptis? Reſp. negatiuè, ſiuè irregularitas ex delicto, ſiuè ex defectu proueniat. Et quidem de illa, quæ ex infirmitate contrahitur, apud omnes eſt receptiſſimum, & praxis quotidiana Eccleſiæ perſuadet: quia afflictis non eſt addenda afflictio: & ſic debet Clericus ob infirmitatem irregularis factus ad ſuum miniſterium curare, ut per alium impleatur. De illa verò, quæ ex delicto contrahitur, hac ratione probatur, non priuare ipſo facto Beneficijs obtentis, ſed priuandum eſſe irregularem per iudicis ſententiam: quia nullum habet irregularitas effectum, niſi in iure ſit aſſignatus; ſed in iure non invenitur, ipſo facto priuari Beneficijs, qui poſt eorum receptionem irregularitatem incurrit; ſed priuandum eſſe per iudicis ſententiam: ergò hæc requiritur, ut talis effectus ſequatur. Probatur minor, quia in *cap. Ex litteris, de exceſſibus Prælatorum*, *cap. Fraternitatis, de Clerico excommunicato, vel depoſito*, requiritur ſententia iudicis; ut ille, qui ob homicidium contraxit irregularitatem, Beneficijs priuetur; cùm ergò irregularitas ex homicidio contracta omnium maxima ſit, argumento ex *cap. Minor. diſt.* 50. ſequitur, nullam irregularitatem talem effectum ipſo facto inducere. Atque ita tenent Cornejo *quæſit.* 2. Hurtad. *diſp.* 5. *diff.* 5. *nu.* 21. Palaus *nu.* 9. Valent. *punct.* 2. §. *Quinto*, Sayr. *lib.* 6. *cap.* 2. *num* 21. Suar. *ſect.* 2. *nu.* 15. *& diſp.* 44. *ſect.* 2. *n.* 2. Conin. *nu.* 5. Bonac. *nu.* 8. Auil. *dub* 6. *concl.* 4. qui citans Couarr. *in cap. Alma mater*, 1. *p.* §. 7. *nu.* 1. *& in Clem. Si furioſus, p.* 2. §. 3. *n.* 5. Gibal. *cap.* 2. *q.* 3. *nu.* 7. citans Hugol. *tr. de irregul. cap.* 65. §. 2. Sà *verb. Irregularitas, nu.* 4.

*Obiectio, & ſolutio illius.*

26. Et ſi obijcias, quod in *c.* 1. *de homicidio in* 6. priuatur aſſaſinus Beneficijs ipſo iure: & *in c. Cùm ſecundum leges, de hæret. in* 6. priuatur ſimiliter hæreticus ipſo facto omnibus Beneficijs: & in *c. Si quis Epiſc.* 1. *q.* 1. eodem modo priuatur ſimoniacus Beneficijs, quæ habet. ¶ Confirmatur. Quia in *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *ca.* 7. *de Reformatione*, dicitur: *Qui ſua voluntate homicidium perpetrauit ... Omni Ordine, Officio, & Beneficio Eccleſiaſtico perpetuò careat*: ſed qui perpetrauit homicidium voluntarium, ipſo facto omni Ordine priuatur: ergò etiā ipſo facto priuatur Officio, & Beneficio: cùm Concilium utriuſq; priuationem eodem modo iniungat. ¶ Reſpondetur, argumentum non probare ex vi irregularitatis induci ipſo facto priuationem Beneficij; ſed ad ſummū impoſitā eſſe in iure propter talia delicta qualificata & taliter perpetrata: & tunc adhuc requiri ſententiam iudicis declaratoriam criminis, docet probabiliſſima opinio, ut aſſerunt Corn. Palau. *cit.* Cou. 4. *Dec.* 2. *p. c.* 6. §. 8. *n.* 7. Suar. *n.* 57. ¶ Ad cōfirmationem

marionem reſpondetur, Concilium apponens tales pœnas homicidæ locutum eſſe iuxtà naturas illarum. Et qnia priuatio Ordinis ipſo facto per irregularitatem inducitur, utpotè quæ eſt illius effectus principalis; de illa hoc modn intelligendum eſt. Sed quia priuatio Beneficij non inducitur, niſi poſt iudicis ſententiam, (quandò in iure non cauetur expreſsè, quòd ipſo facto inducatur; quod hic non inveniri teſtantur, Palaus *nu.* 9. *cit.* Suar. *diſp.*40.*ſect.*4. *nu.*32. Couarr. *Clement. Si furioſus, p.*1.§ 3.*nu.*6.) ita aſſignaſſe talem priuationem ſentiendum eſt.

*Irregularitas penſione non priuat.*

27. Ex dictis ſequitur, homicidam ſimoniacum, & hæreticum, dato, quod ipſo facto non ſint priuati Beneficijs, priuandos eſſe per ſententiam iudicis. An verò ſint priuandi penſionibus, quas poſſident? Non eſt apud omnes determinatum. Probabilius iudicamus, non eſſe priuandos ex vi irregularitatis; niſi arbitrio iudicis, attenta grauitate delicti, talis priuatio imponatur. Tum quia in iure non eſt indicta talis priuatio irregularitati, & non ſunt multiplicandi effectus illius, niſi ſecundum quod eſt in iure expreſſum. Tum etiam, quia penſio nomine Beneficij ſtrictè dicti non venit; at iura ſolùm loquuntur de priuatione Beneficij, & ſunt odioſa, utpote pœnalia, & ſic ſunt ſtrictè interpretanda: ergò, &c. Ità docet Suarez *diſp.*44.*ſect.*4.*n.*34. Bonac. *punct.* 4.*num.*11. Palaus *nu.*12. Et ſic declaraſſe ſacram Congregationem Cardinalium refert Barboſa in *cap.*7.*ſeſſ.*14.*Concily.*

*Ad quid Beneficiarius irregularis teneatur?*

28. Beneficiarius verò, qui irregularitatem incurrit, debet petere quantocyùs diſpenſationem, & interim retinere poteſt Beneficium, & fructus eius percipere ſi per alium munus ſuum ſuppleat: quippè coadiutorem accipere pro aliquo tempore, cauſa graui interveniente, iuſtum eſt. Si verò ſit in mora petendi diſpenſationem, vel deſperatus impetrandi illam in perpetuum, vel per multum tempus, tenetur relinquere Beneficium, & in manus Prælati reſignare; niſi magna neceſſitas urgens oppoſitum ſuadeat: quia nemo poteſt id retinere, undè oritur obligatio quam numquam licitè implere poteſt, niſi irregularitas ſit ex ægritudine orta: quia tunc nec eſt per iudicem priuandus, nec tenetur relinquere Beneficium, quia afflictis afflictio non eſt addenda, *cap. Ex parte, de Clerico ægrotante*: ſed ſi Parochus fuerit, addendus eſt illi vicecuratus, qui eius munia exerceat, ut teſtatur praxis quotidiana. Ità Cornejo *quæſ.*3. Palaus *num.*11. Pellix. *tom.*2.*tract.*7.*cap.*5.*ſect.*1.*q.*13 *nu.*18. Bonac. *num.*10. Coninch *nu.*5. Auil. *dub.*6.*concl.*4. Gibal. *cap* 2.*q.*3.*nu.*17. ¶ Poteſt tamen in tali caſu, ſi nolit, aut non poſſit diſpenſationem impetrare, beneficium in fauorem tertij reſignare, etiam facta accuſatione de irregularitate, & pendente lite, quia antè ſententiam iudicis titulum & ius in beneficium retinet, & ſic poterit illud in alterius fauorem reſignare, Palaus *nu.*15. Sayr. *lib.*6.*cap.*2.*nu.*14 Suarez *diſp.*40.*ſect.*2.*num.*19. Bonac. *num.*9. Cornejo loco cit. Couarr. Clement. *ſi furioſus* 2.*part.*§ 3.*num.*7. Gibalin. *num.*17.*cit.*

*Non priuatur fructibus beneficij.*

29. Sed quandò beneficiarius per ſententiam iudicis beneficio non priuatur, vel ipſe non relinquit illud, aut reſignat, priuandus non eſt fructibus beneficij quod antè irregularitatem obtinuit, (& multo minus erit ipſo facto priuatus illis) ſi per ſe, vel per alium munus, quod exigit beneficium obierit, quia per irregularitatem non priuatur titulo beneficij, ratione cuius ius retinet ad percipiendos fructus illius, Pellizar *q.*13.*citata*, Cornejo *diſp.*5.*dub.*2.*in fin.* Gibal. *nu.*8. Palaus *ſuprà nu.*13. Bonac. *nu.*10. Suar. *nu.*20.

*Sententia aſſerens eſſe irritā collationem beneficij factam irregulari.*

30. Sed nunc reſtat grauis difficultas circà ea, quæ diximus *num.* 24. quòd unus ex effectibus irregularitatis eſt reddere inhabilem irregularem ad nouum beneficium obtinendum: an ita inhabilem ad hunc effectum faciat, quòd collatio beneficij irregulari facta ſit nulla: an verò dumtaxat ſit illicita, valida tamen permaneat? Circà quod duplex grauiſſima datur ſententia. Prima dicit, nullam eſſe talem collationem proindeque beneficium recipientem, nec facere fructus ſuos, ſed teneri illos reſtituere; nec beneficium poſſe retinere, quantumvis occulta ſit irregularitas; ſed vel illud dimittere tenetur, vel procurare nouam collationem poſt diſpenſationem irregularitatis. Hāc tamquam communem ſententiam amplectuntur, Couarr. *cap. Alma mater, p.*1.§.7.*num.*1. Enriq. *lib.*4.*cap.*2. *numer.*7. *littera* C. Leſſius *de iuſt. lib.* 2 *cap.*34.*dub.*22 *nu.*129. Garcia 7.*p. de beneficijs c.*11. Suar. *nu.*30.36.*&* 41. Sayr. *lib.*6.*cap.*2.*nu.*21. Auil 7.*p. diſp.*2.*dub.*6. Villal. *to.*1.*tr.*21.*diff.*2.*n.*12. Corn. *diſp.*5. ubi quamvis *dub.*3. in utramq; partem inclinet, hanc determinatè amplectitur *dub.*4.*quæſ.*3. & iuxtà hanc ſententiam ſi accipiens beneficium ignoret inuincibiliter ſe eſſe irregularem, invalidè nihilominus illud accepit, & fructus reſtituere tenetur, quia ignorantia excuſat à culpa, ſed valorem actui ex ſe nulli non tribuit. Verum circà fructus Corn. *diſp.*5.*dub.*2.*quæſ.*1.*in fin.* aſſerit, teneri reſtituere illos quos mala fide recepit, & etiam illos, quos bona fide accepit, & adhuc retinet vel id, in quo factus eſt ditior, & non illos, qui conſummati ſunt, ratione quorum non eſt ditior factus.

*Probationes huius ſententiæ.*

31. Probatur hæc ſententia primò *ex cap.*2. *de Clerico non ordinato miniſtrante, cap.*2. *de Clericis pugnantibus, cap. Dudum, de electione, cap. Cum bonæ, de ætate ordinandorum.* Et ex *Trid. ſeſſ.*14. *cap.*7. in quibus iuribus omnis collatio beneficij facta irregulari tollitur: proindeque ex illis ſequitur, nullam eſſe. ¶ Secundò, quia beneficium datur propter officium, ſeu propter, exercitium Ordinis: ergò qui inhabilis eſt, & expulſus ab Ordinis exercitio, uti eſt irregularis, erit etiam ad beneficium de nouo recipiendum, non minus quàm ſæcularis, qui nullo Ordine eſt inſignitus: ergo ſicut beneficij collatio ſæculari facta, eſt nulla; ita quæ fit Clerico irregulari. Tertiò, quia ita tenet communis opinio, à qua temerarium erit recedere, niſi grauiſſimo fundamento: ſiquidem communis Doctorum ſententia de nullitate collationis beneficij dicta iure intelligit, & ita habet ſtylus Curiæ, quæ facit ius circà hanc materiam.

*Secundum hanc ſententiam non poteſt irregularis iuriſdictionē de nouo accipere.*

32. Secundum hanc ſententiam eſt etiam irregularis inhabilis ad recipiendam de nouo iuriſdictionem ordinariam ſiuè in foro interiori, ſiuè exteriori, quia cum iuriſdictio ordinaria conueniat ratione dignitatis, aut beneficij, ſi collatio beneficij aut dignitatis irregulari facta eſt nulla, conſequenter erit nulla iuriſdictio, quæ ratione illius ipſi competit; poterit tamen (adhuc ſecundum hanc ſententiam) & licitè, & validè iuriſdictionem delegatam de nouo accipere pro utroque foro dempta illa iuriſdictione ſpirituali pro foro

conſcien-

Digitized by Google

conſcientiæ, quæ actum Ordinis pro ſuo exercitio requirit, nimirum poteſtas audiendi confeſſiones, quia iſtam illicitè, quamvis validè reciperet,) quia cum talis ſuſceptio iuriſdictionis, aut exercitium illius nec requirat actum Ordinis, nec ſit alicui dignitati, aut Beneficio annexa: nec aliunde detur textus irritans huiuſmodi conceſſionem, imo nec prohibens: fit inde, validè, & licitè poſſe irregularem iuriſdictionem delegatam iſtam de nouo accipere: imò etiam ordinariam, quæ ex commiſſione alterius dumtaxat habetur, & non ratione alicuius Dignitatis, aut Beneficij, ut Vicarius Epiſcopi, aut Papæ Delegatus.

*Duæ ſupponuntur pro reſolutione difficultatis.*

33. Sed pro reſolutione ſupponendum eſt, in præſenti eſſe quæſtionem de foro conſcientiæ, & coram Deo, an in tali foro poſſit retinere Beneficium ſine noua collatione facta poſtquam obtinuit diſpenſationem irregularitatis, qui cum irregularitate tale Beneficium recepit: nam in foro exteriori, certum eſt apud omnes, talem collationem iudicari nullam: quia ita fert communis opinio, & ſtylus Curiæ, qui pro foro externo habetur pro iure: cum quo tamen ſtare poſſet in foro conſcientiæ poſſe retineri, niſi aliundè aliquid obſtaret. Similiter ſupponimus, nos loqui in præſenti de irregularitate totali, qualis eſt illa qua aliquis ab omni ordine, & exercitio illius arcetur. Nam ſi tantum ſit partialis irregularitas, ſolum erit dubium de illo Beneficio, quod exigit Ordinis receptio, aut exercitium, à quo per talem irregularitatem Clericus arcetur. Alia namque Beneficia, quæ vel dumtaxat recitationem diuini Officij exigunt, ut Beneficia ſimplicia; vel ſolum exercitium Ordinis, vel alia munia Eccleſiaſtica, quæ talis irregularis poteſt licitè exercere, nemini dubium eſt, poſſe validè ab eo ſuſcipi, quia iam ceſſat ratio, ob quam talis Beneficij collatio dicatur irrita.

*Probabilis eſt ſententia aſſerens Beneficij collationẽ factam irregulari validam eſſe.*

34. His ſuppoſitis, dicimus, quod licèt præcedens opinio ſit communis, & ſecurior; ſecuriſſima autem, & probabiliſſima eſt opinio aſſerens, talem collationem Beneficij irregulari factam, tametſi illicitam, validam nihilominus eſſe, proindeque non indigerè Beneficiarium collatione Beneficij poſt acceptam diſpenſationem irregularitatis: ſed ſecurè poſſe ex vi prioris retinere Beneficium & ſuos facere fructus illius. Et ſecundum iſtam opinionem poterit in ſtatu irregularitatis recipere nouá iuriſdictionem tam ordinariam, quàm delegatam, etiamſi ordinaria ſit officio, aut Beneficio annexa: quia ſi Beneficij collatio eſt valida, erit etiam iuriſdictio, quæ ratione illius iure ordinario competit: de delegata nulli dubium eſt. Hanc concluſionem modò à nobis propoſitam, nimirùm quòd licet contraria ſit ſecurior, & communis; iſta eſt ſecura, & probabilis, tenent ex contrarijs Authoribus ferè omnes, præcipuè Cornej. Suar. Leſſius, Conin. Hurtad. Bonac. & alij quos refert, & ſequitur Dian. 4 *p. tr. 2. reſ.* 37. qui magis huic parti adhærere videtur *eodem tr. reſ.* 79. Tenet abſolutè hanc partem apud Leſſium Innocẽtius *in cap. Cum noſtris, de conceſſione Prabendæ*, Petrus de Anclarana *in reg. peccati venialis in* 1. *oppid. lib.* 6. Felin. *in c. Inquiſitionis nu.* 6. 7. *&* 8. *de accuſation.* citans Calderin. & apud Suar. Nicolaus Pluuius *nu.* 38. *&* 40. *reg.* 44. tenet etiam Syluest. *verb. Excommunicatio, num.* 4. citans Gloſſam Raymundi. Et hanc partem amplectuntur Laym. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 1. *nu.* 3. Bauny. *de irregul. q.* 2. *&* 5. Gibal. *nu.* 9. Palaus *n.* 7. Leand. *tract* 1. *diſp.* 3. *q.* 12.

*Prima ratio huius ſententiæ.*

35. Probatur ergò hæc ſententia, primò, quia irregularitas non facit incapacem irregularem beneficio, & ſic retinet ritè beneficium, quod ante irregularitatem accepit: ergò valida erit collatio beneficij illi de nouo impertita, ſicut valida eſt retentio beneficij ante irregularitatem recepti: utrobique enim eadem militat ratio, nimirum, quod beneficium eſt propter officium, & ſic qui eſt inhabilis ad officium, etiam erit ad beneficium. Hæc enim ratio etiam currit reſpectu beneficij ante irregularitatem ſuſcepti: ergo ſicut in hoc caſu validè retinetur beneficium ab eo, qui officium exercere non poteſt, quia poteſt per alium munia officij ſupplere, quamdiu diſpenſationem irregularitatis procurat: ſic poteſt noua collatio beneficij validè illi impertiri; qui quamvis officium nequeat exercere, poteſt per alium ſupplere, & diſpenſationem irregularitatis ſolicitare. Nec hinc fit, quòd ſicut retẽtio beneficij eſt licita, ita erit noua collatio illius. Nam circà collationem beneficij factam de nouo irregulari datur expreſſus textus in iure eã prohibens, ut diximus *n.* 24. non verò datur textus prohibens illius retentionem, quando ante irregularitatem fuit receptum, ut *nu.* 25. diximus.

*Duplex fundamentum ſupponitur, & ſecunda ratio proponitur.*

36. Secunda, & præcipua ratio huius ſententiæ hoc duplici nititur fundamento Primum, nullam prohibitionem Pontificis irritare collationem beneficij, niſi expreſsè conſtiterit, eſſe irritum, & inane, quod factum eſt contrà ipſam, ut conſtat *ex ca. Si ſoli, de conceſ. Prabend. in* 6. quod præcipuè currit in effectibus irregularitatis, quia ſicut ipſa non incurritur, niſi quandò eſt in iure expreſſa, *cap. Is, qui de ſententia excom. in* 6. ita effectus illius induci non poſſunt, niſi in iure exprimantur, & ideo quamvis in iure aſſignetur pro effectu irregularitatis prohibitio ſuſcipiendi beneficium, non debet cenſeri talis prohibitio irritatiua, niſi expreſsè habeatur in ea, irritam eſſe collationem contrà ipſam factam: quia aliàs talis effectus adiungeretur irregularitati, nimirum irritatio collationis beneficij, ſine eo quod eſſet in iure expreſſus.

37. Secundum fundamentum eſt, quòd quamvis plura dentur iura prohibentia collationem beneficij factam irregulari, nullum datur ius expreſsè illam irritans, idque ex aduerſarijs manifeſtè probant Suar. Hurtad. Villal. Leſſius, & ex noſtris omnes, conſtatque, ſi per iura adducta in contrarium diſcurramus. Nam *in cap. Cum bonæ, de ætate, & qualitate*, vel non eſt ſermo de irregularitate; vel ſolum de lege prohibente, non irritante: quia in fine illius non minus prohibetur receptio beneficij, quam retentio illius, ibi. *Non licet eis, ea, quæ habuerunt, beneficia, vel quæ poſtmodum ſunt accepta, aliquatenus retinere*: ergò ſicut de retentione beneficij non loquitur irritando eam, ita nec in noua collatione. *In c. Vero dudũ, de electione* ſolum dicitur: *Impediri per Canonum ſanctiones, quo minus poſſit ad officium præpoſituræ promoueri*: non verò dicitur talem prohibitionem eſſe irritatiuã, & *in c.* 2. *de Clerico pugnante in duello*, ſolum dicitur poſſe diſpenſari cum quodam Clerico, qui irregularis factus eſt, ut poſſit obtinere beneficium. Quod verũ eſt, quia abſque diſpenſatione licitè non poterat illud obtinere: ſicut verum eſt, Pontificem poſſe in voto ſimplici caſtitatis diſpenſare, ut quis poſſit matrimonium contrahere: non quia tale matrimonium ſit

nullum

nullum abſque tali diſpenſatione, ſed quia erit illicitum. Denique *Concilium Tridentinum in ſeſſ. 14. cap. 7. de Reformatione*, adductum pro contraria ſententia ſolum aſſerit, *ut nullo tempore ad ſacros ordines promoueri poſſit, nec illi aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam animarum non habeant, conferre liceat*: ergò ſolum loquitur de illicita collatione, non verò de irrita.

38. Ex bis duobus fundamentis tale formamus argumentum. Quoties aliqua diſpoſitio pendet ex mero iure poſitiuo, præhabenda eſt illa opinio, quæ conformior fuerit iuri, cui nequeunt oppoſiti Doctores derogare, cum ipſi non faciant ius, nec multiplicitas illorum obſtare poteſt, nec quod ſit communis inter eos talis ſententia, ſi ipſi fateantur, ſe non babere in iure firmum fundamentum, ut accidit in præſenti: ſed ſententia noſtra, quæ circà materiam verſatur ex mero iure poſitiuo dependentem, eſt ipſi iuri conformior: ergò alteri præferenda eſt. Probatur minor. Nam ut diximus primo fundamento, lex prohibitiua non eſt irritatiua, niſi id expreſſum babeat, & præcipuè in effectibus irregularitatis, qui debent eſſe expreſſi in iure: ſed in iure non habetur expreſſum, imò nullo modo babetur, irritam eſſe collationem; ſed ſolum prohibitam, ut vidimus in ſecundo fundamento: ergò dicere, non eſſe irritam ſed prohibitam collationem beneficij factam irregulari, erit iuri conformius.

*Obiectio ex Concilio Tridentino.* 39. Sed objicies difficilem textum ex *Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 4. de Reformatione*. Vbi dicitur: *Nec alijs impoſterum fiat prouiſio, niſi ijs, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoſcantur, aliter irrita ſit prouiſio.* Ecce irritatur prouiſio beneficij facta illi, qui aliquam babet ad illud inhabilitatem: ſed irregularis habet inhabilitatem ad beneficium, ut omnes fatentur: ergò prouiſio beneficij illi facta irrita erit, & nulla. ¶ Sed certè hoc argumentum tantum probat, quòd nihil probet. Probat enim, quòd quælibet inhabilitas ad licitè recipiendum beneficium reddit nullam collationem talis beneficij: & ſic nulla dabitur lex prohibens collationem beneficij, quæ non ſit illius irritatiua, contrà id quod expreſsè aſſeritur *in cap. Si ſoli, de conceſſione præbendæ in 6.* ubi dicitur, non omne decretum Pontificis probibens collationem Beneficij eam reddere irritam, & inanem, & contrà id, quod paſſim apud Doctores reperies, quod plures conceſſiones beneficij ſunt illicitæ, quamvis ſint validæ, ut de collatione beneficij ſuſpenſo diximus *cap. 5. nu. 25.*

*Soluitur obiectio propoſita, & argumenta ſuperius adducta.* 40. Reſpondetur ergò ad obiectionem, quòd duplex datur inhabilitas ad beneficium, ut ex *Innocentio in cap. Cum noſtris, de conceſſione præbendæ*, docet Felin. *in cap. Inquiſitionis, de accuſationibus, nu. 6.* & ex utroque Gibal. *cap. 2. q. 3. nu 9.* alia, quæ eſt quædam incapacitas beneficij, ex iure naturali, aut diuino, in qua Eccleſia non poteſt diſpenſare, ut eſt illa, quæ inuenitur in illiterato in inſano, in muliere, in infante, & talis facit irritam quamcumque Beneficij collationem. Alia eſt inhabilitas, quæ propriæ irregularitas eſt, & ſolum reddit hominem ex iure poſitiuo inhabilem ad licitam receptionem beneficij, quæ quidem inhabilitas poteſt ab Eccleſia tolli, & qui illa laborat, quamvis actus officij, ob quod datur beneficium, licite exercere nequeat, poteſt tamen validè eos operari. Hæc autem inhabilitas irritam non reddit collationem beneficij, nec de hac loquitur Concilium, ſed de priori, ut conſtat ex ijs, quæ *nu. præc.* diximus, & ex eius contextu. ¶ Ex dictis manent ſoluta contraria argumenta: nam ad primum, & tertium conſtat ex ijs, quæ diximus *nu. 36. & 38.* Secundò ex modo dictis manet ſatisfactum; quòd ſicut irregularitas ſolum facit hominem inhabilem ad officium, & exercitium ordinis, quatenus licitè non poteſt illud exercere, quamvis validè poſſit actum ordinis efficere. ita ſolum probat, niſi aliud in iure ſit diſpoſitum, illicitam eſſe receptionem beneficij, non verò eſſe irritam, & inanem.

## PVNCTVM III.

### *De ijs, propter quæ excuſari aliquis poteſt ab incurrenda irregularitate.*

41 ILla omnia ab irregularitate incurrenda excuſant, quæ actum à peccato mortali liberant; quia ut dictum eſt, irregularitas, utpote pœna grauiſſima, incurri nequit, ut pœna eſt, niſi graui culpa præſuppoſita. Quare ignorantia, inaduertentia, inconſideratio, metus grauis, materiæ paruitas, & alia omnia, quæ à culpa graui excuſant, etiam ab irregularitate. *Quæ excuſent ab irregularitate incurrenda.* Vndè ſolum circà tria reſtat difficultas, quæ actum à peccati ratione non liberant, an excuſent ab irregularitate, quæ in noſtra ſententia ſemper pœna purè ut talis eſt; numquam verò pœna medicinalis, ſeu cenſura: & loquimur de illa, quæ ob delictum incurritur: nam ſi de illa, quæ incurritur ob defectum non culpabilem, loquamur, nihil eſt, quod ab ea excuſet, ſed ſi actus verè detur, vel defectus naturalis, ratione cuius inducitur, ſemper irregularitas incurritur, quia ſemper adeſt ille defectus, vel lenitatis, vel ſignificationis, vel decentiæ, ratione cuius in iure aſſignatur, niſi in caſu quo detur ob actum elicitum ab eo, qui irregularitatem incurrit, quod ſi talis actus non fuerit ſimpliciter voluntarius, non inducit irregularitatem. Vndè qui hominem occideret dormiens, vel nolens, vel amens, etiamſi iuſtè faceret, ut ſi latronem ſuſpenderet iudex ebrietate, aut amentia oppreſſus, non fieret irregularis, ut bene inquit Coin. N *diſp. 6 de irreg. dub. 3. concl. 5.*

*Quid in dubio iuris aut facti ſentiendum ſit.* 42. Inquires ergò primò, an dubium iuris, vel facti ab irregularitate liberet? Nimirum ſi aliquis dubitaret, Irregularitatem pro tali actu eſſe in iure aſſignatam, vel quia non eſt certum in iure haberi; vel quia verba ſunt ambigua, & diuerſas interpretationes admittunt, ita ut dubium relinquatur, an pro tali caſu irregularitatem deſignent quod eſt dubium iuris, vel certificatus de iure, dubitaret, an factum fuerit ab eo appoſitum, ob quod talis pœna in iure aſſignatur, ut ſi dubitaret, an ipſe hominem mutilaſſet, an vulnus à ſe illatum in mortem influxerit? an conſcius de cenſura à ſe incurſa celebrauerit. Quæritur ergò, an in his caſibus habēdus ſit ut irregularis, vel potius ut nō irregularis iudicādus? Et loquimur de dubio probabili, vel ſolida ratione innixo; non de illo, quod ſolum ex ſcrupulis, leuibus rationibus utitur: nam ſi ex his dumtaxat oriatur, nemini dubium eſt, non debere ſe irregularē iudicare, qui ſic dubius permanet. Supponimus autem, eum, qui prudenter iudicat de iure, vel de facto, teneri adhibere ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, & dum adhibet talem diligentiam, debere ſe ut irregularē gerere

rerea

rere: aliàs exponeret ſe periculo contrà irregularitatem operandi, quod eſt graue peccatum, ut conſtat *ex cap. illud Domine, de Clerico excomm.* Vbi Epiſcopus grauiter reprehenditur, qui dubitans de ſua excommunicatione celebrauit, & ita docent Conin. *diſp.* 18. *dub.* 2. *nu.* 20. Sanc. *lib.* 1. *Decalogi cap.* 10. *nu.* 37. Suar. *diſp.* 40. *ſect.* 5. *nu.* 12. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 3. *nu.* 3. niſi grauis neceſſitas urgeat, ut non habeat ſe ut irregularem, ut ſi occaſio recipiendi ordines occurreret, vel recipiendi beneficium. Sed ſi poſt ſufficientem diligentiam adhibitam non dubius, ſed probabiliter opinans pro utraque parte remaneat, quam maluerit, poterit eligere, quia in praxi quælibet probabilis opinio tuta eſt, & ſequi poteſt, ut in noſtro caſu docent Cornejo *diſp.* 6. *dub.* 1. *in fin.* Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 6. Gibalin. *cap.* 2. *quæſt.* 1. *conſect.* 6. *nu.* 12. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 3. *nu.* 4. Hurtad. *diff.* 3. *nu.* 4.

*Sententia aſſerens in nullo caſu dubitantem ſe gerere debere ut irregularē.*

43. Quarè in præſenti dubium eſt, quandò aliquis, adhibita ſufficienti diligentia, ſuſpenſus manet, & dubitans, an teneatur ſe gerere ut irregularis? Prima ſententia iudicat, nec in dubio iuris, nec in dubio facti debere ſe habere ut irregularem, ſaltem pro foro conſcientiæ, qui dubius eſt modo dicto de irregularitate; ſed poſſe ſe gerere ut non irregularem. Ità tenet pro utroque foro uniuerſaliter Conin. *diſp.* 18. *dub.* 2. *nu.* 21. & 22. quamvis *nu.* 23. dicat, eſſe valdè probabile, excludendam eſſe ab hac uniuerſali irregularitatem ex homicidio. Et pro foro conſcientiæ, non verò pro foro externo apud Palaum, qui hanc ſententiam iudicat probabilem. tenet Enriq. *lib.* 14. *cap.* 3. *nu.* 3. & 4. & *cap.* 14. *n.* 3. Hoſtienſis *titulo de Homicidio*, §. *Quæ pœna*, & inclinat Suar. *diſp.* 40. *ſect.* 6. *nu.* 10. & apud ipſum Cardinalis, & Villadiego. Et apud Conine. Innocentius *in cap. Ad audientiam, de Homicidio*. Et probabilem reputat Couarr. *Clem. ſi furioſus* 2. *part.* §. 2. *nu.* 5. & fundamentum huius ſententiæ eſt, quia irregularitas non incurritur, niſi in iure ſit expreſſa, *cap. Is, qui, de ſententia excommunicationis in* 6. ſed non datur in iure, expreſsè, habendum eſſe tamquam irregularem, qui dubius eſt de illa ſaltem in foro conſcientiæ: nam iura, quæ in contrarium adduci ſolent, de ſolo foro externo loquuntur: ergò.

*Quando eſt dubiū iuris non debet dubitans ſe habere ut irregularē.*

44. Dicendum tamen eſt primò, quod ſi dubium ſit iuris in quocumque caſu, non debet ſe ut irregularem gerere dubitans, in foro conſcientiæ, nec ut talis iudicandus eſt in foro externo; ſed magis pro ipſo ferenda eſt ſententia. Tum, quia nemo ſpoliandus eſt ſuo iure, aut libertate in dubio, cum ſemper in dubio ſit melior conditio poſſidentis: ſed talis poſſidet ius: & libertatem ad actus à quibus per irregularitatem arcetur: ergò non eſt cenſendus irregularis, ſi detur dubium de iure. Tum etiam: quia irregularitas non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa, ut habetur *cap. Is, qui, de ſententia excommunicationis in* 6. ſed quandò adeſt dubium iuris, & adhibita ſufficienti diligentia de inquirenda veritate, adhuc dubium perſeuerat apud talem, non datur huiuſmodi irregularitas in iure expreſſa: ergò non eſt ut irregularis in nullo foro iudicandus. Ità Auila 7. *part. diſp.* 2. *dub.* 5. *concl.* 1. Cornejo *diſp.* 6. *dub.* 1. *concl.* 1. Diana 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 52. Bonac. *de irregul. quæſt.* 1. *punct.* 5. *nu.* 2. Palaus *nu.* 7. Sanc. *nu.* 42. Conin. *nu.* 21. Suar. *num.* 4. Valentia 4. *part. diſp.* 7. *quæſt.* 19. *punct.* 2. *notab.* 3.

*In dubio facti homicidij, debet dubitans ſe habere ut irregularis.*

45. Dicendum eſt ſecundò, quod in dubio facti homicidij (ut qui dubitaret, an ſua actione hominem occidiſſet? an conſilio, aut mandato concurſum præbuerit? &c.) iudicandus eſt, qui ſic dubitat pro utroque foro irregularis. Vndè qui cauſa eſſet abortus; dubitaret autem, an fætus animatus fuerit? Qui in rixa cum alijs pugnauit, & dubitaret, an hominem, qui occiſus eſt, ipſe vulnerauerit? & chirurgus, aut medicus, qui dubitauerint, an ſua negligentia infirmus obijſſet? Omnes iſti, & ſimiles ſunt iudicandi pro utroque foro irregulares, quia ita habetur expreſsè *in cap. Ad audientiam, cap. Significaſti* 2. *cap. penult. de Homicidio*. Et ratio redditur in his iuribus, quia in dubijs tutior pars eſt amplectenda. Et ita docent Palaus *nu.* 8. Auila *dub.* 5. *concl.* 2. Sanchez *num* 42. Sayr. *lib.* 6. *Theſaur. cap.* 2. *num.* 16. & *in Claui Reg. lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 23. & Cornejo *diſp.* 6. *dub.* 2. Bonac. *nu.* 3. Coninch *nu.* 23. ut valdè probabile. ¶ Sed nota primò, quod in dictis iuribus ſolum habetur, iudicandum eſſe irregularem in dubio facti homicidij quoad duos dumtaxat effectus, nimirum abſtinendi à celebratione, & quærendi diſpenſationem, & ſic talia iura ſolum diriguntur ad Clericos, in quibus, quia magis dedecet ſuo ſtatui homicidium, meritò hoc ſtatutum eſt. Vndè circà ſæculares nihil diſponunt, proindeque non ſunt ut irregulares cenſendi, ſi modo dicto de homicidio dubitent. Imò nec Clerici cenſendi ſunt irregulares, quoad alios effectus: & ſic recipere poſſunt beneficia, nec ſunt priuandi obtentis, aut alijs pœnis puniendi. ¶ Nota ſecundò, quòd cum mutilatio non ſit verè, & propriè homicidium, qui dubitaret de illa, non eſt cenſendus irregularis adhuc quoad dictos effectus; ſed de tali dubio idem dicendum eſt ac in alijs delictis, de quibus modò agemus.

*In alijs delictis dubiū facti non debet ſe gerere ut irregularis.*

46. Dicendum eſt tertiò, quod in alijs delictis præter homicidium, qui dubius eſt facti, & poſt adhibitam diligentiam dubius perſiſtit, non eſt habendus ut irregularis: ut qui dubitaret, an puerum rebaptizauerit? an cenſura innodatus actum ordinis ſacri exercuerit? Ratio eſt quia, ut multoties diximus, irregularitas non incurritur, niſi in iure exprimatur: ſed in iure ſolum exprimitur, homicidam in dubio facti cenſendum eſſe irregularem, non alios crimĩnoſos: ergò, &c. Nec obſtat, quod in *dictis capitibus* aſſignetur ratio, quare in dubio facti homicidij iudicandus ſit irregularis, quia in dubijs tutior pars eſt eligenda; quæ ratio etiam currit in alijs delictis. Non (inquam) obſtat, quia, ut diximus *n.* 3. circa irregularitatem, non eſt arguendum ab uno caſu ad alium ſimilem, etiamſi currat eadem ratio, niſi uterque caſus ſit in iure expreſſus, quod in præſenti non accidit. Addimus, quod illa iura non nituntur illi principio ut neceſſario obſeruando; ſed illud afferunt quod obſeruari maximè decet efficacius procedit in irregolaritate homicidij propter indecentiam, quam ſecum affert in Clericis: & propterea hoc Pontifex circà illud merito diſpoſuit, & diſponere poſſet circà alia propter illud principium, ſed id de facto non fecit. Concluſionem iſtam defendunt Cornejo *dub.* 2. Gibal. *cap.* 2. *quæſt.* 1. *conſect.* 6. *nu.* 12. Enriq. *lib.* 1. *cap.* 3. *nu.* 4. Diana *reſ.* 52. Machad. *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 15. *nu.* 7. Palaus *nu.* 9. Suar. *ſect.* 6. *nu.* 8. & 13. Sanc. *nu.* 48. Conine. *nu.* 22. Auila *dub.* 5. *concl.* 2. Bonac. *nu.* 3.

47. Et

*Obiectio in oppoſitum, & ſolutio illius.*

47. Et ſi objicias contrà nos illud principium iuris: *In dubijs tutior pars eſt eligenda*, ut habetur *cap. Iuuenis, de ſponſalibus, cap. Petitio, de Homicidio*: ſed tutior pars eſt ſe gerere ut irregularem, qui dubitat, an factum à ſe fuerit perpetratum, propter quod irregularitas incurritur: ergò talis eligere debet ſe ut irregularem habere. ¶ Reſpondetur, quod illud principium triplici limitatione eſt intelligendum. Prima, quod dubius in poſſeſſione non ſit, & à iure non ſit diſpoſitum, quod ſic poſſidens cum dubio, à ſua poſſeſſione ejiciatur. Quandò enim in iure hoc non habetur, ſemper in dubio eſt melior conditio poſſidentis. Secunda, quod in dubio tutior pars eligatur per ſe, per accidens autem ratione damni, aut incommodi inde ſequendi, poteſt non ſequi, ut ſi quis bona fide ſundum poſſideret, & alius poſteà aſſereret eſſe ſuum, & propter rationes ab eo adductas poſſidens inciperet dubitare, non teneretur abdicare à ſe ſundum, donec vel de alterius iure conſtaret, vel per ſententiam iudicis ab eo exſpoliaretur. Tertia, quando in non ſequenda tutiori parte peccati periculo ſe exponit: tunc debet dubitans tutiorem partem eligere, ut mali periculum euitet. ¶ At in præſenti dubitans eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis ad utendum actibus, quibus priuatur per irregularitatem, à qua non eſt priuandus ob dubium, quandò non datur ius ita diſponens: & ſimiliter per hoc quod ſe ut irregularem gereret, incommodum magnum ſubiret: utpote quia priuaretur miniſterijs ſacris, ordinibus recipiendis, & beneficijs Eccleſiaſticis; ac denique non ſe exponeret periculo peccati relinquendo tutiorem partem; cum ſit adeo tuta, & ſecura opinio aſſerens, ſe ad id non teneri: & ſic licet ſpeculatiuè dubius eſſet; practicè verò non eſſet dubius, ſed cum iudicio certo de ſecuritate, quæ eſt in non ſequendo partem, quæ tutior aliàs eſſet.

*Omnis ignorantia inculpabilis ab irregularitate excuſat.*

48. Inquires ſecundò. An ignorantia excuſet ab irregularitate? Loquimur de ignorantia inuincibili: nam culpabilis ignorantia ut craſſa, ſupina, aut affectata non excuſat in omnium ſententia. Ignorantiam autem inuincibilem, quæ à culpa graui excuſat, etiam ab irregularitate incurrenda excuſare, concors eſt omnium ſententia, ſiue ſit ignorantia iuris: ut ſi ignoraret aliquis, quod rebaptizare eſt lethale peccatum, ſiue facti: ut ſi eſſet amẽs, ebrius, aut furioſus, & in amentia, ſomno, aut ebrietate hominem occideret: quia tunc facti ignorantiam haberet; quæ ſicut eum à culpa homicidij liberat; ſic ab irregularitate illi annexa: niſi ante ebrietatem, aut ſomnum præuideret tale malum ſequendum, aut prudenter hoc iudicaret, quia in tali caſu, niſi ſufficientem diligentiam adhiberet ad illud euitandum, irregularis fieret, quia iam in cauſa eſſet illud homicidium voluntarium. Quarè duplex difficultas circà quæſitum remanet. Prima, an ſi quis cognoſceret, in iure diuino aliquid eſſe vetitum, ignoraret tamen, iure Eccleſiaſtico eſſe prohibitum, incurreret irregularitatem? Vt ſi quis ſciret homicidium eſſe contrà legem naturalem; neſciret tamen eſſe contrà legem Eccleſiaſticam. Secunda, an ſi quis ſolum haberet ignorantiam pœnæ, legis verò Eccleſiaſticæ prohibentis actum notitiam haberet: ut qui ſciret, eſſe prohibitum ab Eccleſia excommunicatum miniſtrare; ignoraret verò, eſſe contrà tranſgreſſores illius legis in ea, irregularitatem aſſignatam, an incurreret illam, ſi excommunicatus cum tali ignorantia miniſtraret? Et quod dictum fuerit de ignorantia, idem de obliuione naturali, actuali inaduertentia, aut inconſideratione ſentiendum eſt.

*Qui habet ignorantiam legis Eccleſiaſticæ, ab irregularitate excuſatur.*

49. Circà primam difficultatem dicendum eſt, eum, qui ſciret, homicidium v.g. eſſe contrà legem diuinam, neſciret verò, eſſe prohibitum lege Eccleſiaſtica, non fieri irregularem propter illud. Et idem de alijs irregularitatibus, quæ ex delicto contrahuntur, ſentiendum eſt. Colligitur apertè ex *cap. Propoſuiſti 82. diſt. cap. ult. de conſtitut. in 6*. Et probatur primò, quia lex pœnalis ſolum in tranſgreſſorem operatur: ſed lex Eccleſiaſtica continens irregularitatem eſt lex pœnalis: ergò ſolum operatur in tranſgreſſores legis Eccleſiaſticę. Sed qui ignorat aliquid eſſe lege Eccleſiaſtica prohibitum, ſciens eſſe iure diuino, aut naturali, non eſt tranſgreſſor legis Eccleſiaſticæ, ſed legis diuinæ, aut naturalis: ergò licèt incurrat pœnas per legem diuinam, aut naturalem ſtatutas; non verò eas, quæ per legem Eccleſiaſticam aſſignantur. Secundò, quia pœna debet proportionari culpæ: ſed qui ſcit, aliquid iure diuino eſſe prohibitum; neſcit verò eſſe iure Eccleſiaſtico, non offendit legis Eccleſiaſticæ conditorem: ergò illius pœnas non luit, ſed pœnas per legem diuinam aſſignatas, ut ſic inter pœnam, & tranſgreſſionem debita proportio inueniatur. Ita ſentiunt Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp. 32. num 9. & 17.* Coninc. *dub. 4. concl. 5.* Palaus *de cenſuris, diſp 6. punct. 6. num. 1. & de peccatis, tract. 2. diſp. 1. punct. 17.* Cornej. *diſp. 6 dub. 3. concl. 3.* Leander *tract. 1. diſp. 4 quæſt. 4.*

*Duplex obiectio in oppoſitum.*

50. Sed objicies primò, quod ſi quis ignoraret, eſſe prohibitum lege ciuili homicidium, & hominem occideret, meritò mortis plecteretur pœna, quæ in lege ciuili eſt aſſignata, quia iam ſcit, eſſe malum, & iure naturæ vetitum: ergò etiamſi aliquis ignoraret, eſſe prohibitum lege Eccleſiaſtica, puniretur pœna ab ipſa aſſignata contrà homicidas. Secundò, quia talis homicida ſaltem incurreret irregularitatem, quæ ex defectu lenitatis incurritur: ſicut iudex eam incurreret latronem ſuſpendendo; tametſi ignoraret, per legem Eccleſiaſticam eſſe huiuſmodi irregularitatem illi actui annexam.

*Solutio prædictarum obiectionum.*

51. Reſpondetur ad primam, quòd leges ciuiles pœnas ordinarias pro delictis aſſignantes ſunt quaſi declarationes æquitatis naturalis, & pœnarum, quæ proportionatæ ſunt iure naturæ cum delictis, contrà legem naturalem perpetratis: & ideò non mirum, quòd abſque notitia legis ciuilis incurrantur. Si autem aliæ pœnæ eſſent aſſignatæ extraordinariæ pro his delictis, quamuis in foro exteriori, in quo præſumitur notitia Iuris communis, applicarentur; in foro autem conſcientiæ, & coram Deo tranſgreſſor non eſſet dignus illis. Et ſic ſi eſſent de illis pœnis, quas ſibi ipſe reus applicare debet, ad hoc non teneretur in conſcientia. Irregularitas verò eſt pœna Eccleſiaſtica extraordinaria ab Eccleſia homicidio adiuncta, quam reus ſibi applicare debet, & ſic ab ea liberatur coram Deo, & in conſcientia, ſi cum ignorantia legis Eccleſiaſticæ delinquat. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod cum

irregularitas, quæ non eſt ex delicto, non imponatur ob tranſgreſſionem legis Eccleſiaſticæ, ſed ob inobedientiam, & defectum lenitatis, qui ſemper adeſt, etiamſi talis lex ignoretur, adhuc cum tali ignorantia incurritur; ſecus verò irregularitas, quæ ex delicto contrahitur, & cum hæc ſit diuerſi generis ab illa (quarum differentia ſtat in hoc, quod irregularitas ex defectu in homicidio contrahitur per homicidium, iuſtè, & legitimè factum auctoritate publica, irregularitas verò ex delicto ob homicidium iniuſtè commiſſum) fit inde, quòd qui hominem occideret in rixa, aut cum iracundia, cum ignorantia dicta, nullam ex his incurreret irregularitatibus, ut tenent Cornej. *tract.* 5. *diſp.* 6. *dub.* 3. *concl.* 3. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 6. *num.* 3. *in fin.* Leand. *quæſt.* 6. Machad. *docum.* 3. *num.* 3.

*Sententia aſſerens ignorantiam pœna ab irregularitate excuſare.*

52. Circa ſecundam difficultatem eſt duplex ſententia. Prima aſſerit, quòd qui ſciret, aliquid iure Eccleſiaſtico eſſe prohibitum; neſciret verò inuincibiliter, eſſe pœnam irregularitatis contrà tranſgreſſores illius iuris aſſignatam, irregularis non fieret, quia committens delictum ſolùm ſubditur pœnis illi proportionatis; non alijs extraordinarijs, quæ ab Eccleſia, vel Republica imponuntur ad euitandam delicti frequentiam. Eo quòd licet conſenſus in pœnam non requiratur ad eam incurrendam; bene tamen in culpam, prout cauſa eſt talis pœnæ, & illam continet: ad quod requiritur notitia talis pœnæ illi culpæ annexæ, quandò eſt extraordinaria ab ipſo reo ſibi applicanda: ſed irregularitas pœna eſt extraordinaria ab Eccleſia homicidio, v.g. coniuncta, & ideo homicida ſibi eam applicare debet: ergò ut incurratur, requiritur, ut homicidium committatur, ut eſt cauſa continens talem pœnam, & proinde cum notitia illius.

*Auctores prædictæ ſententiæ.*

53. Sententiam *num. præced.* poſitam tenent Bonac. *diſp.* 1. *de cenſur. q.* 2. *punct.* 1. *num.* 53. Diana 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 85. Portel *in dubijs Regularibus, verb. Ignorantia, num.* 19. N. Antonius à Spiritu S. *tract.* 2. *diſp.* 3. *num* 61. Hoſtienſis *cap. A nobis* 1. *de ſentent. excommunicat. verſ. Addo*, Syluestr. *verb. Ignorantia, quæſt.* 8. *diſp.* 1. *iuncto dict.* 3. Nauarr. *cap.* 27 *numer.* 274 *verſ.* 13. Manuel Rodriguez *tom.* 1. *ſummæ, cap.* 195. *num.* 3. *in* 2. *editione*, Leand. *quæſt.* 4. qui refert pro hac parte Machad. *docum* 3. *num* 2. Palaum *de Peccatis, tract.* 2. *diſp.* 1. *punct.* 17. *num.* 6. *&* *de cenſuris, diſp.* 6. *punct.* 6. *num.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *num.* 21. Coninc, *num.* 31. Cornej. *de irregul. dub.* 3. *concl.* 2. ſed omnes malè: nam Machad. ſolum aſſerit, non eſſe minùs probabilem ſententiam hanc, quàm oppoſitam, Coninc. ſolum aſſerit, non eſſe improbabilem hanc ſententiam; neuter verò illi adhæret. Palaus ſolum probat, hanc ſententiam eſſe probabilem cum oppoſitam probabiliorem, & tutiorem dicat. Sanch. *&* Cornej. ſolum loquuntur de irregularitate, quæ eſt cenſura, quia in ſententia iſtius Auctoris aliquæ dantur irregularitates, quæ cenſuræ ſunt, & hoc videtur tenere Sanch. illo loco; cum dicat [utraque ſententia eſt ſatis probabilis: at priorem *num. præced.* relatam iudico probabiliorem, (& eſt hæc, de qua loquimur) in omnibus cenſuris, & etiam in irregularitate, quando eſt mera delicti pœna, ac proinde rationem cenſuræ habet.] Quandò verò rationem cenſuræ non habet, (quomodo nunc loquimur de illa) probabilius iudicat oppoſitum. Et ideò Cornej. *dub.* 3. *citato concl.* 3. *propè finem.* Ait: [ſi præceptum aliquod ſciatur, quamuis ignoretur pœna irregularitatis per ipſum impoſita; nihilominus verè incurretur à tranſgreſſoribus præcepti, ignorantia ſolius pœnæ non excuſat à pœna, cum non excuſet à culpa. Quod intelligi debet de pœna; quæ non ſit cenſura, ut ſuprà diximus.]

*Verior eſt pars affirmatiua.*

54. Secunda ſententia, quam æquè probabilem cum præcedenti iudicamus, huic magis adhærentes, aſſerit, incurri irregularitatem ab eo, qui cum ſcientia præcepti Eccleſiaſtici contrà illud operatur; etiamſi neſciat, pœnam irregularitatis eſſe illi annexam. Hanc ſententiam modò à nobis propoſitam tenent Sanch. Palaus, Coninc. Machad. locis *num. præced.* adductis, tenentque ut probabiliorem, & tutiorem hanc ſententiam Cornej. loco proximè adducto; Suar. *diſp.* 40. *ſect.* 3. *num.* 9. qui etiam oppoſitam probabilem dicit, Soto *in* 4. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 2. Martinus de Ledeſm. *in* 2. *part.* 4. *quæſt.* 24. *art* 6. Enriq. *lib.* 2. *de Baptiſmo, cap.* 4. *num.* 3. Auil. *dub.* 7. *concl.* 2. Vaſq. *de excommunicatione, dub.* 16. Hurtad. *diſſ.* 8. *num.* 29. & probatur hac ratione, qua oppoſitum fundamentum ſoluitur, quia irregularitas non eſt pœna medicinalis, ſicut ſunt cenſuræ, nec ob contumaciam datur, & ſic monitionem præcedere non requirit: poteſtque pro delicto purè præterito, & in punitionem illius ferri, & quamuis ad reprimendam inobedientiam detur, hæc in ipſa fractione præcepti reperitur: ergò non requiritur notitia ipſius irregularitatis, ut incurratur, in eo, qui ſcientiam habet ipſius præcepti: talis enim notitia in ſolis pœnis medicinalibus requiritur; & quæ pro præteritis culpis imponi nequeunt. Pœnæ namque, quæ ſolum ad punitionem dantur, non requiritur, quod ſint voluntariæ in cauſa, nec quod in illa præuideantur, ſed potiùs contrà voluntatem imponuntur.

## PVNCTVM IV.

*De modis, quibus irregularitas poteſt tolli, nimirum ceſſatione cauſæ, Baptiſmo, profeſſione Religioſa, & diſpenſatione.*

*Irregularitates ex defectu, illo ceſſante, ceſſant.*

55. IN hoc puncto ſolum agemus de modis generalibus, quibus poteſt irregularitas relaxari. Quid verò particulare circà ſingulos tenendum ſit, de illis agentes adnotabimus. Igitur quatuor modis poteſt irregularitas tolli. Primus modus, quo irregularitas aufertur, eſt per ceſſationem cauſæ. Omnis enim irregularitas ex defectu, & non ex delicto proueniens, ceſſante cauſa, ob quam inducta eſt, abſque ulla diſpenſatione ſuperioris, aut iuris diſpenſatione aufertur. Tum, quia ceſſante cauſa, effectus ceſſare debet. Tum etiam, quia cum tales irregularitates ab Eccleſia impoſitæ ſint ob indecentiam, quæ apparet in eo, quod ad miniſterium Eccleſiaſticum admittatur, qui talibus defectibus laborat, & ceſſante illo defectu iam talis indecentia non detur; fit inde, ceſſare ex tunc irregularitatem Gibalin. *cap.* 5. *quæſt.* 1. *propoſit. unic.* Suar. *diſ.* 41. *ſect.* 1. *n.* 6. Sayr. *lib.* 7. *cap.* 14. *nu.* 23. Laym. *lib.* 2. *tract.* 5.

part.

*part.* 5. *cap.* 4. *num.* 10. Cornej. *de irregularitate, diſp.* 7 *in initio.* Hinc fit, irregularitatem, quæ eſt ex defectu ætatis per ætatis complementum tolli: quæ ex paupertate, per meliorem fortunam: quæ ex ignorantia, per ſcientiæ acquiſitionem: & quæ per corporis defectum, ſi talis defectus eſſet, etiamſi hoc ex miraculo, vel alio principio proueniat.

*Aliqua irregularitates, quæ, ceſſante cauſa, non ceſſant.*

56. Illæ verò irregularitates, quæ cauſam habent perpetuam nunquam auferibilem, ut irregularitas bigamiæ, illegitimitatis, defectus lenitatis, etiamſi ex delicto non ſint contractæ, nunquam ceſſare poſſunt, niſi vel per diſpenſationem, aut iuris diſpoſitionem, eo quod ſemper fundamentum earum perſiſtit, quia hoc non eſt aliquid habitualiter permanens; ſed quod natus ſit, v. g. illegitimus, quòd hominem voluntariè occiderit auctoritate publica, quod ſemper eſt verum factum fuiſſe. Ob quam rationem irregularitates, quæ ex delicto contrahuntur, non auferuntur, etiamſi emendatio delicti detur, etiamſi pars penitus ſatisfacta ſit. Imò etiamſi homo occiſus reſurgeret, irregularis maneret occiſor, quia iſta propter peccatum præteritum incurritur, & ſemper eſt verum, delictum illud commiſſum fuiſſe, ob quod talis irregularitas contrahitur. Enriq. *lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 1. Gibalin. *numer.* 3. Suar. *num.* 5. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 73. & 77. Irregularitas verò, quæ ex infamia iuris oritur, ut eſt ea, quæ propter aliquod delictum in iure imponitur, ſi completè contrahatur, (quia nimirum poſt patratum delictum addita eſt ſententia iudicis, declaratoria ſaltem criminis) non tollitur per pœnitentiam delicti, etiam publicam, aut emendationem, ſed ſemper durat, niſi per æqualem, vel ſuperiorem in integrum reſtituatur fama amiſſa, quia ſententia, quæ nullo præfinito tempore fertur, ſemper durat, & ſic infamia contracta per iſtam. Irregularitas verò infamiæ facti tollitur, vel per mutationem loci, in quo infamia contracta eſt, vel per publicam emendationem, aut pœnitentiam, quia ſic ceſſat indecentia, ob quam talis irregularitas imponitur Cornej. & Gibalin. *loc. citato*, Suarez *diſput.* 48. *ſect.* 2. *num.* 6. & 8. Auil. 7. *part. diſp.* 4. *dub.* 5.

*Per Baptiſmum tollitur irregularitas ex delicto.*

57. Secundus modus auferendi irregularitatem eſt per Baptiſmum, non quia per illud propriè tollatur aliqua irregularitas, cum nulla ante Baptiſmum contracta ſit, quia eſt pœna Eccleſiaſtica, quæ non niſi baptizatos poteſt attingere; cæterùm quia remanere poteſt fundamentum, ut addito Baptiſmo, irregularitas conſurgeret, & hoc multoties aufertur: ideò dicitur per Baptiſmum irregularitatem ceſſare; & ſic omnis irregularitas, quæ ex delicto prouenit, non contrahitur, niſi delictum poſt Baptiſmum committatur. Quare licèt homicida fuerit antè illud, poſt illud irregularis non manet Enriq. *lib.* 14 *cap.* 17. *num.* 2. Conine, *diſp.* 18. *dub.* 14. *in initio*, Sayr. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 2. Illæ verò, quæ ex defectu corporis ſunt, & etiam ex bigamia, per Baptiſmum non auferuntur, ut agentes de illis dicemus, & etiam quid ſentiendum ſit circà illegitimós, aut infames.

58. Tertius modus eſt per profeſſionem Religioſam, per quam tolli omnem irregularitatem teſtatur Sotus *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 3. *column.* 3. alij negant ex vi profeſſionis Religioſæ id haberi, niſi detur ſpeciale ad hoc priuilegium: quod agentes de ſingulis inueſtigabimus. Illud certum eſt apud omnes, profeſſionem Religioſam præſtare cauſam ſufficientem, ut irregularitates per diſpenſationem auferantur facilius, quæ aliàs eſſent difficiles diſpenſatu. Similiter eſt certum, irregularitatem, quæ eſt ex defectu natalium, auferri per profeſſionem Religioſam iure communi in Ordine ad ſuſcipiendos Ordines, manente ipſa quoad inhabilitates ad prælaturas; niſi hoc ex priuilegio habeatur, ut habetur ex *cap.* 1. *de filijs Presbyterorum*, & *docent* Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 86. *num.* 4. & *in ſumm. libr.* 5. *cap.* 5. *num.* 16. Suarez *diſp* 41. *ſect* 1. *num.* 3. An verò virtute ſuorum priuilegiorum poſſint Prælati talem irregularitatem relaxare etiam in ordine ad dignitates, & prælaturas recipiendas? Affirmant Sayr. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 9. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 7. *num.* 2.

*Quid poſſint Prælati Regulares circà ſuos ſubditos.*

59. Imò Prælatos Regulares habere priuilegia relaxandi omnes irregularitates, etiam bigamiæ, & homicidij voluntarij, ſi notorium non ſit, ex priuilegio Martini V. apud Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regularium, quæſt.* 24. *art.* 14. teſtantur Palaus *loco citato*: & ex conceſſione Pauli III. in quadam Bulla conceſſa Prælatis Valliſoletanis, confirmata à Sixto IV. in Bulla conceſſa Carthuſianis, poſſunt Prælati prima die Lunæ Quadrageſimę cum ſuis ſubditis diſpenſare in omnibus irregularitatibus, etiam publicis & notorijs, etiam quę ex bigamia, & homicidio voluntario proueniunt, ut tenent Portel *in add. ad dub. Regular. verb. Diſpenſare, nu.* 5. Peyrin. *de Religioſo Prælato, tom.* 2. *q.* 2. *cap.* 5. §. 8. *num.* 99. Bauny. *tom.* 2. *tract.* 11. *fol.* 335. Martinus à S. Ioſeph *fol.* 35. *num.* 4. N. Antonius à Spiritu S. *in direct. confeſſ. tract.* 13. *num.* 333. & *in Direct. reg. tract.* 2. *diſp.* 1. *num.* 92. & 93. ubi aduertit, quòd licèt in priuilegijs, in quibus non fit mentio de irregularitate ex homicidio, vel bigamia, cenſeantur hæc duo excluſa: quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ veroſimiliter quis non eſſet conceſſurus, cæterùm quia dicta priuilegia non ſolum abſolutè concedunt generalem facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus; ſed addendo: *Quanis occaſione, & cauſa contracta ſint*; ideò in tam uniuerſali, & ampla conceſſione etiam illas irregularitates contineri cenſendum eſt. Id ipſum tenet Hinojoſa *in director. deciſionum regular. verb. Diſpenſatio*, *fol.* 184. Rodriguez *in compendio quæſt. Regular. reſol.* 16. *num.* 14. & *reſol.* 52. *numer.* 25. Pellizar. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 2. *quæſt.* 21. *num.* 71. quos refert, & ſequitur Leand. *tract.* 2. *diſp.* 27. *qu.* 33.

*Poteſt Summus Pontifex in omnibus irregularitatibus diſpenſare.*

60. Quartus modus tollendi irregularitatem eſt per diſpenſationem: per quam omnes auferri poſſunt à Summo Pontifice, cùm omnes ſint de iure poſitiuo Eccleſiaſtico in quo ipſe poteſt diſpenſare. Requiritur tamen iuſta cauſa, ut id licitè fiat: ſed etiamſi abſque cauſa diſpenſet, valida erit diſpenſatio eius. Non ita erit, ſi ab inferiore Summo Pontifice ex eius conceſſione diſpenſatio impendatur: quia Pontifex facultatem diſpenſandi alteri non concedit, niſi iuſta interueniente cauſa. Difficulter tamen Summus Pontifex diſpenſationem ſuper bigamiam impendit, cùm ſit adeò antiqua in Eccleſia, & à tempore Apo-

ſtolorum introducta: & in homicidio difficiliùs, propter indecentiam, quam ſecum affert ſtatui Clericorum contrariam. Non dantur verba determinata ad diſpenſationem ſignificandam; ſed quæcumque ſufficiunt mentem ſuperioris de relaxatione impendenda exprimentia: ſed hæc opportuna indicamus: *Diſpenſo tecum in irregularitate, quam contraxiſti propter talem cauſam.*

*Quomodò abſoluendus eſt, qui plures irregularitates contraxit.*

61. Si aliquis plures irregularitates contraxit diuerſæ ſpeciei, omnes illas exprimere debet, ut in omnibus diſpenſetur. Et ſi eiuſdem rationis plures habet, ut quia multoties excommunicatus miniſtrauit, non requiritur, quod in particulari, quot fuerint declararet, ſed ſufficit, ſi in communi dicat, ſe multoties in his irregularitatibus incidiſſe, Palaus *diſp. 6. punct. 7. num. 3.* Suarez *diſp. 44. ſect. 3. num. 18.* Coninc. *diſp. 18. dub. 4. in fine.* Imò ſufficere, quod dicat ſe irregularem eſſe ratione talis culpæ, non exprimendo, ſe multoties talem irregularitatem incurriſſe, eo quod in actionibus eiuſdem ſpeciei accidens ſit unum moraliter, etiamſi repetitum ſit in eodem ſubiecto, aſſerunt Enriquez *libr. 12. cap. 10. num. 3,* Nauarr. *conſil. 3. de raptoribus, num. 6.* Auil. *diſp. 10. dub. 8.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 24. num. 7.* Sed hoc verum eſt, quando ſuperior verbis uniuerſalibus diſpenſat non alligando ſuam intentionem ad unam, vel alteram, ut diximus *cap. 2. num. 31.* ¶ Prælatus potens diſpenſare in irregularitate, ſi admittat ad Ordines, vel Beneficium, quem ſcit irregularem eſſe, cenſetur in foro conſcientiæ velle diſpenſare cum illo: quia non præſumitur velle delinquere, (quidquid ſit, an talis diſpenſatio pro externo foro ſufficiat) Bonacin. *diſp. 7. quæſt. 5. punct. 1. in fine* Auil. *dub. 6.* Enriq. *lib. 14. cap. 17. num. 4.*

*Epiſcopi non poſſunt diſpenſare, niſi quando in iure eis conceduntur.*

62. Sed inquires primò. Quis præter Summum Pontificem poſſit in irregularitatibus diſpenſare? Reſpondetur quod Epiſcopi non poſſunt diſpenſare in irregularitatibus, quæ in iure habentur, etiamſi non reſeruentur expreſsè Sedi Apoſtolicæ; niſi expreſsè illis talis facultas concedatur. Nec eſt ſufficiens ſignum ipſis remitti talem diſpenſationem, ex hoc quòd reſeruatæ non ſint: ſed reſeruandas cenſendas eſſe, quatum diſpenſatio illis non conceditur. In quo differt irregularitas à cenſuris, de quibus diximus *cap. 2. n. 41.* quòd hoc ipſo quod reſeruatæ non ſint, alijs abſoluendæ remittuntur ex *cap. Nuper, de ſent. excom.* quia talis diſpenſatio in cenſuris maximè eſt neceſſaria ſaluti, cùm tot bonis ſpiritualibus priuent, & ſunt pœnæ medicinales, quæ mox auferendæ ſunt, ſi emendatio eſt ſecuta, *cap. Ex litteris, de conſtit. cap. Qua fronte, de appellat.* At irregularitas pœna medicinalis non eſt, nec priuat bonis ſaluti neceſſarijs: ideoque rectè pro cenſuris diſpoſitum eſt, ut ſi reſeruatæ non ſint, ab alijs auferri poſſint; ſecùs verò de irregularitatibus. Suar. *diſp. 41. ſect. 2. num. 3:* Palaus *num. 4.* Cæterùm *Concilium Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 6 de Reformatione,* Epiſcopis Diœceſim habentibus indulſit, ut cum ſuis ſubditis diſpenſare poſſint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, & quæ ad forum contentioſum ſunt deductæ, excepta irregularitate ex homicidio voluntario cauſata. Circà quam diſpoſitionem Concilij videnda ſunt, quæ latè diximus *cap. 2. punct. 5.* An verò, & quomodò poſſit circà irregularitatem homicidij diſpenſare? Dicemus, cum de illa agemus.

*Prælati Regulares poſſunt, quod quod Epiſcopi.*

63. Sed hic aduertendum eſt, Prælatos Regulares, licèt in dicta conceſſione Concilij nomine Epiſcoporum non veniant, & ſic ex vi illius non poſſint reſpectu ſuorum ſubditorum, quod Epiſcopi reſpectu ſuorum in ordine ad diſpenſationem dictam; ex vi tamen priuilegij Pij V. *Bulla 13. ſuprà cap. 2. num. 72.* relati, & Gregorij XIII. conceſſit Fratribus S. Bernardi, quæ habetur in eorum *Compendio, verb. Abſolutio quoad Fratres,* num. 15. poſſe cum ſuis ſubditis diſpenſare in irregularitatibus in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis, docent Bauny *tom. 2. tract. 11. quæſt. 58. fol. 534* Ioann. à S. Thom. *2. 2. qu. 64. diſp. 23. art. 3 concl. 2.* Candid. *tom. 2. diſq. 24. art. 59. dub. 3.* Anton. à Spirit. S. *in direct. Regular. tract. 2. diſput. 5. nu. 58.* Imò omnes confeſſarios Regulares poſſe diſpenſare cum ſæcularibus in omnibus irregularitatibus, in quibus poſſunt Epiſcopi cùm ſuis ſubditis ex *Bulla* 9. Sixti IV. conceſſa Minimis, quam confirmauit Iul. II. ut refert Peirin. *ad conſtit.* 1. Iulij II. aſſerunt Pellizar. *tom 2. cap. 3. ſect. 2. ſubſect. 2. nu. 90.* Bauny *cit.* Portel. *in reſponſionibus ad caſus conſcientiæ, tom. 1. caſ. 3. n.* 1. referens Vegam, Rodriguez, *&* Enriq. N. Antonius à Spiritu S. *tract. 1. diſp. 3. n. 65.* adducens Belaſium Murciam, *&* Vrbanum ab Aſcenſione, Lezana *tom. 3. verb. Confeſſor Regularis, nu. 10.* licèt cum dubitatione an ſit in uſu, quod Bauny ſine dubitatione affirmat.

*Irregularitas ex defectu per Bullam non tollitur.*

64. Inquires ſecundò. An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit illam recipiens diſpenſari à confeſſario ab ipſo electo in irregularitatibus ex delicto contractis? Loquimur de irregularitatibus ex delicto: nam in illis, quæ ex defectu proueniunt, certum eſt, non poſſe per Bullam diſpenſari, quia Bulla ſolùm concedit facultatem abſoluendi à cenſuris & alijs pœnis Eccleſiaſticis: ſed irregularitates ex defectu prouenientes nec cenſuræ, nec pœnæ ſunt: ergò circà illas nihil Bulla concedit. Bard. *in Bullam Cruciatam, part. 2. tract. 6. cap. 7. ſect. 4. num. 30.* Auil. *dub. 4.* Cornej. *tract. 5. de cenſuris in genere, diſput. 1. dub. 2. diff. 2.* Quarè ſolùm eſt dubium de irregularitate, quæ ex delicto prouenit. Circà quod eſt duplex ſententia.

65. Prima ſententia eſt affirmatiua: quam eius ſectatores probant. Primò, quia irregularitas, quæ prouenit ex delicto, & eſt pœna peccati, veram rationem habet cenſuræ: ſed Bulla concedit facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris: ergò etiam ab irregularitatibus ex delictis ortis. Secundò, quia dato quòd talis irregularitas cenſura non ſit, verè eſt pœna Eccleſiaſtica: ſed omnes Bullæ concedunt facultatem abſoluendi à cenſuris, & aliquæ etiam ab omnibus pœnis Eccleſiaſticis, ut in Bulla Pij IV. anni 1561. habetur, ut teſtatur Enriquez *lib. 21. cap. 13. num. 6.* ergò, &c. Tertiò, quia licèt irregularitas non ſit propriè, & in rigore cenſura; eſt tamen in omnium ſententia impropriè, & reductiuè talis: ergò comprehendi poteſt nomine cenſurarum in Bulla appoſitos cùm hæc ſit materia fauorabilis, quæ debet ampliari. Ita Cornej. *loc. citat. & de irregularitate, diſput. 5. dub. 1. quæſt. 12. & diſp. 6. quæſt. ultim.* Medin. *1. 2. quæſt. 98. art. 4. & in ſumm. cap. 12. §. 9. pag. 50.* Ioannes à S. Thom. *concl. 3.* Soto *in 4. diſtinct.*

*diſtinct.* 22. *quaſt.* 3. *art.* 1. Cordub. *libr.* 1. *quaſtion. quaſtion.* 34. *dub.* 4. Petrus de Ledeſma *in ſumm. tom.* 1. *tract. de cenſuris, cap.* 1. *concluſ.* 3. Nuño *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bulla*, §. *ultimo*, Gibalious, plurens referens *de irregular. cap.* 6. *quaſt.* 5. *per totam*, Canus, & Orellana, quos citat, & ſequitur Vega *in Speculo Curato*, *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 323. & *in ſumm. tom.* 2. *cap.* 55. *caſu* 8. Salon. Aragon, & Bañez, apud Leandrum *de irregularitate in particulari*, *diſp* 27. *quaſt.* 36. quod ipſe probabile reputat, licèt oppoſitum ſequatur, & probabilem, ac ſecuram dicit hanc opinionem, Ioannes de la Cruz *de irregularitate*, *dub.* 15. *concluſ.* 2. & Rodriguez *in Bulla*, §. 9. *num.* 29. Dian. 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 27. & 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 81. quamuis aliqui ex his Auctoribus hanc ſententiam limitent, ut non intelligatur de irregularitate, quæ ſimul eſt pœna, & defectum lenitatis ſecum affert: ut eſt illa, quæ ex homicidio, aut ex mutilatione voluntaria contrahitur. Alij abſque limitatione loquuntur: & quidem magis conſequenter: quia, ut infrà probabimus, non datur irregularitas ex defectu lenitatis, niſi in homicidio, aut mutilatione licitè ex publica auctoritate factis.

*Verè per Bullam irregularitates tolli non poſſunt.*

66. Secunda, & verior ſententia eſt negatiua: quæ probatur primò: quia irregularitas non eſt cenſura, ut probauimus *cap.* 1. *punct.* 1. *huius tractatus*. Et ideò ſi quis irregularitate irretitus miniſtret in ſacris, nouam non incurrit irregularitatem; quam tamen incurrit, qui cenſuratus actum Ordinis Sacri exercet: ergò per hoc quod Bulla concedat facultatem abſoluendi à cenſuris, non concedit, relaxandi irregularitatem: imò in ipſo modo concedendi facultatem ad abſoluendum excluditur irregularitas, quæ non per abſolutionem, ſed per diſpenſationem tollitur. ¶ Secundò, quia ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ in generalibus conceſſionibus abſoluendi ab omnibus pœnis non conceditur facultas relaxandi irregularitatem, niſi de ea fiat expreſſa mentio, ut teſtatur Auil. 7. *part. diſp.* 10. *dub.* 4 Enriquez *libr.* 7. *cap.* 13. *num.* 6. Antonius Gomez *in Bullam Cruciatæ*, *ad clauſul.* 10. *num.* 30. Sed ſtylus Curiæ Romanæ circà tales conceſſiones, & Bullarum intelligentiam facit ius: ut conſtat ex *cap. Ex litteris, de conſtitutionibus*, *cap. Quam grauis, de crimine falſi*: & omnes fatentur: ergò cum in Bulla mentio non fiat de irregularitate, non datur in ea facultas illam relaxandi. ¶ Tertiò, quia quoties Pontifices volunt talem facultatem concedere circà irregularitatem, eam addunt, poſtquàm uniuerſaliſſimam concedunt licentiam abſoluendi ab omnibus cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ut fecit *Tridentinum*, quando talem facultatem Epiſcopis conceſſit *ſeſſion.* 24. *cap.* 6. *de Reformatione*. Et multoties poſt talem ampliſſimam conceſſionem exprimunt, ſe in illa nolle irregularitates contineri ex vi talium conceſſionum, ut fecerunt Gregorius XIV. Sixtus V. & Clement VIII. in Iubilæis pleniſſimis ab ipſis conceſſis: in quibus poſt ampliſſimam conceſſionem abſoluendi ab omnibus cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, addunt: *Propter præſentes autem ſuper aliqua irregularitate non intendimus diſpenſare.* Ita Ioannes de la Cruz, Leand. Enriquez, Rodriguez, Diana, Auil. *locis citatis*, Trullen. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 7. *dub.* 17. *num.* 5.



Sanchez, *in ſumm. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17. *nu.* 43. Villaloh. *tom.* 1. *tract.* 16. *diff.* 2. *num.* 2. & *tract.* 21. *diff.* 9. *num.* 23. Toletus *lib.* 1. *cap* 85. *num.* 7. Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 3. *num.* 3. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 1. *num.* 9. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 12. *cap.* 3. *ſect.* 3. *n.* 24. N. Anton. *in direct. confeſſ. tract.* 13. *n.* 335. & alij.

## CAPVT VIII.

### *De Irregularitatibus, quæ ex delicto proueniunt.*

CVm ſint diuerſi generis irregularitates prouenientes ex delicto, ab illis, quæ ſolum defectu aliquo non culpabili procedunt, illas ab iſtis ſeparamus, in diuerſis capitibus de illis agentes, ut clariùs, & abſque lectoris moleſtia procedamus. Diximus *cap. præced. nu.* 6. eſſe octo ſpecies irregularitatis ex delicto, quæ in iure habentur: de quibus ſuo ordine in hoc capite agemus; quod continet octo puncta.

*Punct. I. De irregularitate contracta ex homicidio iniuſto directè voluntario, num.* 1.

*Punct. II. De irregularitate, quæ incurritur ob voluntariam membrorum mutilationem, & de illius diſpenſatione, à quo fieri poteſt, num.* 18.

*Punct. III. De irregularitate, quæ prouenit ex homicidio, & mutilatione caſuali, num.* 29.

*Punct. IV. De irregularitate ex homicidio, aut mutilatione cauſa defenſionis ab iniuſta inuaſore, num.* 44.

*Punct. V. De irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione Baptiſmi, vel indigna ſuſceptione illius, num.* 59.

*Punct. VI. De irregularitate, quæ contrahitur ob violationem cenſurarum, num.* 66.

*Punct. VII. De irregularitate contracta per illegitimam ordinum receptionem, illorumque uſurpationem, num.* 73.

*Punct. VIII. De irregularitate contracta ex delicto, cui eſt infamia annexa, num.* 76.

## PVNCTVM I.

### *De irregularitate contracta ex homicidio iniuſto directè voluntario.*

*Quid requiritur, ut homicidium ſit voluntarium.*

1. INter omnes irregularitates omnium maxima eſt, & difficilior diſpenſatu, quæ ex homicidio directè voluntario contrahitur; & ideò ab illa initium accipimus. Hæc irregularitas habetur *in cap.* 1. *de homicidio*, & *diſt.* 50. *per multa capita*, & in *Trident. ſeſſ.* 14. *de Reformatione*, *cap.* 7. Ad hoc autem ut directè voluntarium ſit homicidium, quod hanc ſpeciem irregularitatis inducit, unum ex duobus omnino requiritur: vel quod committatur per directam, expreſſam, & ſpontaneam voluntatẽ occidendi, vel quòd cauſa directè intendatur adeò cum morte inſeparabiliter coniuncta, ut impoſſibile ſit velle illam, & non velle mortem: ut ſi vulnus lethale infligatur, ſi porrigatur venenum, ſi remedium efficax ad abortum cõcedatur: quia in hoc ſecundo caſu, quãuis aliquis dicat non velle mortem, & fortè ſpeculatiuè non habeat talem voluntatem; practicè impoſſibile eſt, has actiones mortiferas exercere, & mortem non

intendere, cùm ſint cauſæ adeò propinquæ illius: ratione cuius propinquitatis dicendum eſt, mortem volitam eſſe non ſolùm in cauſa, ſed etiam in ſeipſa.

*Idipſum proſequitur.*

2. Quòd autem expreſſa, directa, & ſpontanea voluntas requiratur, ut aliquis homicida voluntarius dicatur, conſtat ex *cap. Sicut dignum, de homicidio*, §.2. *& Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Reformat.* Vbi illud dicitur homicidium voluntarium, quod fit animo occidendi, aut ex propoſito, dolo, aut per inſidias, in quo expreſſa, & ſpontanea voluntas illius explicatur: & ſic D. Thom. 2.2. q. 64. *art.* 8, in hoc aſſerit, differre homicidium directè voluntarium à caſuali, ſeu voluntario indirectè, quòd iſtud ſolùm in cauſa (intellige non omninò propinqua) illud in ſe eſt volitum, vel in cauſa adeò proxima, & ineuitabili, ut non ſtet velle illam, & homicidium non velle. Et ſic explicant homicidium voluntarium, Cornej. *tract.* 5. *de irregularitate, diſp.* 1. *dub.* 1. Auil. 7. *part. diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 1. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. §. 1. *num.* 1. Suar. *diſp.* 44. *ſect.* 3. *num.* 5. Et irregularitas ratione illius contrahitur, ſiue occiſus iniuſtè ſit Paganus, Iudæus, Hæreticus, infans in utero exiſtens poſt animationem: quia iura abſolutè loquuntur, & ſemper verificatur eſſe homicidium, quandò aliquis ex his iniuſtè occiditur.

*Quæ homicidia voluntaria non dicantur.*

3. Ex quo infertur primo: eum, qui occidit inuaſorem excedendo moderamen ſuæ defenſionis, non incurrere hanc irregularitatem homicidij voluntarij, ſed caſualis, de quo poſteà: quia talis non ſpontaneam voluntatem occidendi habet, ſed quaſi neceſſariam & ab alio occaſionatam. ¶ Sequitur ſecundò, quod ſi aliquis leuiter vulnerare vellet; & tamen grauiter præter intentionem vulneraret: vel qui mandarèt ſeruo, ut alium leuiter vulneraret, & ſeruus lethaliter vulneraret, non incurreret irregularitatem huius ſpeciei: quia talis expreſſam voluntatem occidendi non habuit; incurreret verò irregularitatem homicidij caſualis: quia talis percuſſio volita fuit quodammodò in cauſa, quam potuit, & debuit euitare. Colligitur ex *cap. ult. de homicidio in* 6. Et docent Enriq. *lib.* 14. *cap.* 14. *num.* 2. Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 8. *num.* 18. Cornej. *dub.* 1. Auil. *dub.* 1. *concl.* 2.

*Requiritur, quod mors ſequatur ad hanc irregularitatem.*

4. Requiritur autem, quòd mors ſequatur, ut incurratur hæc irregularitas. Ideoque ſi aliquis venenum porrigeret, aut vulnus infligeret lethale, animo occidendi, ſi arte medicinæ vel miraculosè non ſequeretur mors, non fieret irregularis: & idem de mandante, aut conſulente ſentiendum eſt: quia irregularitas hæc impoſita eſt pro homicida voluntario: morte non ſecuta, non verificatur, vulnerantem eſſe homicidam: ergò non fit irregularis nec hac irregularitate, nec alterius ſpeciei: quia in iure non aſſignatur irregularitas propter conatum, aut attentionem occiſionis, ſed propter homicidium, & niſi expreſſa ſit in iure nulla incurritur irregularitas, Sayr. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. Auil. *dub.* 3. Suar. *ſect.* 2. *num.* 2. Leand. plures referens *tract.* 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 6. Cornej. *tract.* 6. *diſp.* 1. *dub.* 1. *quæſit.* 4. Imò addimus, quòd ſi aliquis, poſtquam vulnus lethale inflixit, aut venenum porrexit, verè, & ex corde pœniteret facti, & modis, quibus poſſet impedire mortem conaretur, talis non fieret irregularis in foro conſcientiæ: eo quòd licèt phyſicè in mortem influat; moraliter tamen non influit, nec in ſeipſa mors eſt illi voluntaria, ſed in cauſa, quæ ſi retractata ſit, ante quam effectû ſortiatur, illi in conſcientia, & coram Deo non imputatur ad culpam, ut diximus non incurrere excommunicationem qui ſimili modo Clericum occideret, *cap.* 5. *num.* 153. & tenent Auctores ibi citati.

*Sententia aſſerens, in ſubita rixa occidentem eſſe hac irregularitate irregularem.*

5. Sed eſt in præſenti grauis difficultas: An ſit homicida voluntarius, & huius ſpeciei irregularitatem Pontifici reſeruatam incurrat, qui ſubitò, & inopinatè in rixa repentina hominem occidit? 1. ſententia affirmat: quia quamuis ſubitò ira oborta ſit, poteſt quis liberè, & voluntariè, ac ſpontaneè mortem alterius velle ſi ab alio inuaſus non eſſet, ſed ſolum vel vi, aut alia iniuria prouocatus, ergò tunc voluntarius homicida dici debet, & huius ſpeciei irregularitatem incurrere. Ita Dian. *p.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 19. Cornej. *tract.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 1. *quæſit.* 1. Magiſt. Ioan. à S. Th. 2.2. *quæſt.* 64. *diſ.* 19. *art.* 5. *ante* 1. *concl.* Villalob. *tract.* 21. *diff.* 18. *num.* 2. Suar. *ſect.* 1. *num.* 3. Mol. *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 79. *num.* 7. Palaus *num.* 2. ſi conſtet occidenti, ſe expreſſam habuiſſe mortis voluntatem.

*Verior eſt pars negatiua.*

6. Secunda, & verior ſententia aſſerit, eum, qui in ſubita rixa hominem occidit, quod anteà non intenderat, ſed tunc ira correptus executus eſt, incurrere irregularitatem homicidij caſualis; non iſtam homicidij voluntarij. Probatur ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* Vbi caſuale homicidium à voluntario diſtinguit, in eo, quòd voluntarium eſt, quod per inſidias ex induſtria committitur: caſuale, quod abſque illis. Et in *cap. Sicut dignum, de homicidio* §. 2. dicitur homicida voluntarius, qui ex propoſito, & dolo, inito conſilio, hominem interficit, Idem habetur *Exod.* 22. ibi: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum:* ſed qui ſubita correptus ira hominem occidit, non dicitur illum occidere ex propoſito, dolo, per inſidiam, & induſtriam: ergò huius ſpeciei non incurrit irregularitatem. Ita N. Antonius à Spiritu S. alios referens, *tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 67. §. *Prima eſt irregularitas*, Machad. *tom.* 1. *libr.* 5. *part.* 3. *tractat.* 16. *docum.* 7. *num.* 2. Philibert. Machin. *de Ordine, tractat.* 5. *part.* 9. *cap.* 1. *diſſ.* 3. *num.* 10. Auil. *concluſ.* 2. Rodrig. *in ſumm. verb. Irregularitas*, *cap.* 179. *à num.* 1. Enriq. *num.* 1. *in fin. & in Gloſſ. litter.* P. *citat.* Perex *tit.* 13. *lib.* 8. *pag.* 256. *&* Plazam. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 3. Dian. cum alijs, 1. *p. tract.* 11. *reſ.* 19. *&* 9. *p. tract.* 7. *reſ.* 22.

*Quæ perſonæ incurrant hanc irregularitatem.*

7. Sed inquires, primò. Quæ perſonæ dictam irregularitatem incurrant, ex homicidio voluntario præter ipſum exequentem homicidium? Reſpondetur, quod mandantes conſulentes, conſentientes, & cooperantes incurrunt illam. De conſulentibus, & mandantibus habetur expreſsè, *cap. Si quis viduam*, *diſt.* 50. *cap. ult. de homicidio in* 6. *cap. Sicut dignum*, *de homicidio*, quia reuera, tam conſulens, quàm mandans in ſuo genere cauſa eſt moralis directa (licèt non phyſica) mortis, eo quòd damnum dat, qui damnum dari iubet, *regul. Is damnum, ff. de regul. iur.* quod apud DD. eſt commune. Sed plures difficultates, quæ circà conſulentes, & mandantes excitari poſſunt, deciſæ ſunt à nobis *cap.* 1. *punct.* 12. agentibus de conſulentibus, & mandantibus, Clerici occiſionem: ubi videri poſſunt, nunc duplicem quæſtiunculam breuiter reſoluemus.

8. In-

*Prima quæſtiuncula reſoluitur.*

8. Inquiret ergò 2. Ao ſi mandatarius à principio, conicio mandante, mandatum repudiauit, & poſteà, ipſo inſcio illud admiſit, & de facto hominem occidit, mandans incurrat hanc irregularitatem homicidij voluntarij? Et idem inquiritur de conſulente. ¶ Affirmatiuè reſpondeodum eſt: quia ſemper perſeuerat tale mandatum, aut conſilium: quæ licèt repudiata fuerint à principio manent in memoria mandatarij, & verè influunt in homicidium moraliter. Cornej. *dub.* 2. citans Maiolum *libr.* 5. *cap.* 47. §. 2. *num.* 3. Sayr. *lib.* 7. *cap.* 2 *num.* 15. Dicaſtill. *de iuſtitia, lib.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 4. *dub.* 3. *num.* 55. Suar. *ſect.* 3. *num.* 9. Bonac. *q.* 4. *punct.* 8. *num.* 17.

*Deciditur ſecunda quæſtiuncula.*

9. Inquires tertiò: An ſi mandatarius occidatur, vel qui conſilium de alio occidendo accepit, maneat irregularis mandans, aut conſulens? Reſpondetur, non manere irregularem per hanc ſpeciem irregularitatis, quia ipſe non habuit voluntatem directam, & expreſſam occiſionis mandatarij. Si tamen mandans, vel conſulens Petro, ut Ioannem occidat, probabiliter timeret, poſſe Petrum occidi à Ioanne, & de facto mors Petri ſequatur, conſulens, & mandans irregulares fierent irregularitate homicidij caſualis, quia tale mandatum fuit indirecta cauſa homicidij, quatenus Petrus conſtitutus fuit, ratione illius, in mortis periculo, Diana 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 14. & 62. Palaus *punct.* 11. §. 2. *numer.* 5. Suar. *num.* 17. & 18. Coninc. *diſp.* 18. *dub.* 8. *numer.* 66. & 67.

*Conſentientes in homicidium fiunt irregulares.*

10. Etiam conſentientes in homicidium gratia ipſorum factum hanc irregularitatem incurrunt: ut ſi Petrus occidatur à ſeruis Ioannis in illius præſentia, vel ab alio tertiò in vindictam Ioannis, aut quia putabat illi gratum futurum, & ipſe non reſiſtat, nec impediat & aliàs mente acceptet talem occiſionem, quia tunc Ioannes eſt verus homicida voluntarius, eo quod tunc non ſolum interius, ſed etiam exterius in homicidium influat, animum homicidæ præbendo ſua præſentia, & ſic ut ab iſta liberetur irregularitate, debet exteriùs repugnare homicidio, & homicidæ ſignificare, ſibi illud minimè placere: nam ſi hoc faciat, etiamſi interiùs in homicidium conſentiat huius irregularitatis reus non erit: quia tunc nullum ad homicidium præbet influxum. Si verò homicidium in ſui gratiam factum non ſit, etiamſi interiùs de illo complaceat, & hoc exteriùs manifeſtet; ita tamen quod per talem complacentiam alteriùs iram non augeat, nec illi efficacitatem aliquam præbeat, non incurret hanc irregularitatem: quia verè in homicidium non influxit, & ſolùm fuit interiùs homicida, & manifeſtatio exterior non influens, per accidens ſe habet ad actum. Palaus *punct.* 13 §. 2. *in fin.* Gibalin. *cap.* 4. *quæſt.* 1. *conſect.* 5. Filliuc. *tract.* 20. *cap.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 38. Suar. *num.* 22. Cornej. *tract.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 2. *quæſit.* 3.

*Sententia aſſerens, ratihabitionem ſufficere ad irregularitatem.*

11. Sed nunc difficultas eſt inter Doctores: An ſi Petrus in gratiam Ioannis, & in eius abſentia hominem occidat, & poſteà Ioannes ratum habeat tale homicidium, per talem ratihabitionem fiat Ioannes irregularis? Duplex circà hoc datur ſententia. Prima affirmatiua, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur, *regul.* 10. *iuris in* 6. Sed qui mandat homicidium, fit irregularis: ergò etiam qui illud ſuo nomine factum, ratum habet. Et confirmatur. Quia qui approbat, & ratam habet Clerici occiſionem ſuo nomine factam, remanet excommunicatus, ut diximus *cap.* 4. *num.* 25. cum conditionibus ibi aſſignatis ex *cap. Cùm ſi quis, de ſententia excommunicat.* Vbi ratio redditur: quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur: ergò etiam fit irregularis, qui ratum habet homicidium ſuo nomine perpetratum. Ita Syluest. *verb. Homicid.* 1. *quæſt.* 7. Felin *in cap. Sicut dignum, de homicidio,* Maiolus, *cap.* 48. §. 6. *à num.* 1. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 233. Molin. *tract.* 3. *diſp.* 33. *memb.* 4. Rodrig. *cap.* 177. *num.* 12.

*Verior eſt pars negatiua.*

12. Verior tamen eſt ſententia negatiua: quæ probatur primò, quia nemo incurrit irregularitatem homicidij, niſi aliquo modo influat in homicidium: ſed qui ratum habet, & approbat homicidium nomine ſuo iam factum, nullo modo influit in illud: ergò, &c. Secundò, quia irregularitas non incurritur, niſi in iure ſit expreſſa: ſed nullum datur ius exprimens ratum habentem homicidium ſuo nomine factum fieri Irregularem: ergò, &c. Tertiò (per quod ſoluuntur argumenta contraria) quia leges imponentes pœnam pro delicto non extenduntur ad approbantes, niſi hoc exprimant: ut lex illa, quæ excommunicationem pro Clericorum occiſoribus impoſuit, in qua expreſſum eſt, extendi ad approbantes occiſionem ſuo nomine factam, ob ſpecialem irreuerentiam, quæ in tali approbatione ſtatui Eccleſiaſtico irrogatur; quæ eſt ſufficiens, ut lex de facto talem pœnam ad ſic approbantes extenderet: nam cùm ratihabitio quoad culpam, æquiparetur mandato, præbet ſufficiens fundamentum, ut lex ad illam pœnam impoſitam pro tali culpa extendat. Si tamen expreſſè hoc non faciat, ſicuti non facit in caſu, de quo loquimur, pœna pro delicto impoſita ad illius ratihabitionem non extenditur, tametſi in ratione culpæ tali delicto æquiparetur. Cornej. *quæſit.* 3. Diana *reſol.* 13. Gibalin. *quæſt.* 2. *conſect.* 15. Couarruu. *Clement. ſi furioſus, part.* 3. §. 1. *numer.* 4. Leand. *tract.* 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 35. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 20. *num.* 12. Bonacin. *diſp.* 7. *num.* 42. Suar. *num.* 24. Auil. 7. *part. diſp.* 15. *ſect.* 2. *dub.* 6. Conine, *num.* 72.

*Omnes cooperantes fiunt irregulares.*

13. Vltimò contrahunt hanc irregularitatem omnes ad homicidium cooperantes, ſi expreſſè homicidium intendant, & actionem phyſicam exerceant directè tendentem ad homicidium, vel quia verè cooperatur occiſori, vel quia ſine eius ope, aut auxilio non fieret, vel quia tali auxilio homicida fuit acrior, & acutior, ut celerius homicidium exequatur, *cap. Sicut dignum,* §. *Qui verò, &* §. *Clericos, de homicidio, cap. Significaſti* 2. *eodem tit.* & ratio eſt, quia cooperator voluntarius homicidij cauſa eſt directa homicidij: ergò ſi ex intentione occidendi hominem, talis cooperatio procedat, præſentem irregularitatem incurret cooperator, Auil. 7. *part. diſp.* 6. *ſect.* 3. *dub* 3. Bonacin. *à num.* 28. Cornej. *diſp.* 1. *dub.* 2. *quæſit. ultimo,* Palaus *punct.* 15. §. 2. *num.* 6.

*Quid ex dicta doctrina ſequatur.*

14. Vnde fit, quod quandò plures ad homicidium ſe excitant, omnes fiunt irregulares, quamuis unus dumtaxat vulnus mortiferum inferat, quia omnes velut una cauſa moralis illius actionis exiſtunt. Similiter fiunt irregulares omnes, qui in bello iniuſto præliantur, & totus exerci-



Digitized by Google

tus, ſi aliquis occidatur, & illius mortem intendant, ſin minus illi, qui hoc intendunt, hanc irregularitatem incurrent: alij, qui abſque tali intentione concurrunt, irregularitatem homicidij caſualis. Similiter fiunt irregulares omnes, qui arma miniſtrant homicidæ vel ad bellum iniuſtum, aut pecunias ad illud, niſi talia arma, vel pecunias ad uſus omnes, ad quos poſſunt deſeruire, cooferant, non determinando, nec animum habendo ad pugnam, aut bellum iniuſtum illa conferendi. Etiam omnes, qui teſtificantur, accuſant, iudicant iniuſtè, ut homo occidatur, occiſione ſecuta, irregulares fiunt. Denique qui occultant arma eius, qui occiditur, quibus ſe poſſet defendere, animo, ut occidatur, hanc incurrunt irregularitatem; ſed ſi non hoc animo occultent, ſed alio diuerſo, fient irregulares irregularitate homicidij caſualis, quia indirectè concurrunt ad occiſionem. Cornej. Bonacin. Auil. Gibalin. *locis citatis.* Plures quæſtiones circà hæc poſſunt videri apud Auctores citatos, & apud Leandrum *diſp.* 10. per totam.

*Quibus modis hæc irregularitas tollatur?* 15. Veniamus modò ad explicandos modos, quibus hæc irregularitas poteſt relaxari. Et in primis certum eſt per Baptiſmum tolli poſſe, ſeu, ut verius loquamur, non manere poſt Baptiſmum irregularitatem ratione homicidij voluntarij, ante Baptiſmum perpetrati, quia per illud ſicut omnis culpa tollitur, ita omnis pœna propter talem culpam contracta; cum homo nouam vitam incipiat viuere, & in nouum hominem ſit conuerſus, veterem exui omninò cum effectibus ſuis neceſſe eſt. Et colligitur ex *cap. Si quis viduam* 50. *diſt. cap. Si quis poſt Baptiſmum* 51. *diſt.* Ita Cornejo *dub.* 4. *quæſt.* 5. Soto *in* 4. *dist.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 3. *concl.* 3. Enriq. *lib.* 15. *cap.* 17. *num.* 2. *littera* O. Gibalin. *cap.* 6. *quæſt.* 2. *num.* 3. Couarr. *part.* 1. §. 2. *num.* 5. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 20. Palaus *diſp.* 7. *punct.* 13. §. 2. *num* 1. ¶ Tollitur deinde hæc irregolaritas per Pontificis diſpenſationem; quam poſſe Summum Pontificem impendere, nemo dubitat, cum ſit omnis irregularitas iure Eccleſiaſtico introducta. Cæterùm difficulter eam impertiri debet, & ex grauiſſima cauſa, ob indecentiam, quam tale delictum commiſſum contrà ſtatum Eccleſiaſticum affert: quo ſenſu dicitur in *cap. Minor. diſt.* 50. non poſſe Pontificem diſpenſare, nimirum, niſi difficulter, & ex magnâ causâ ut omnes exponunt, & eodem ſenſu *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Reformatione* loquitur.

*Epiſcopus non poteſt in hac irregularitate diſpenſare.* 16. Epiſcopus in hac irregularitate homicidij voluntarij non poteſt diſpenſare, etiamſi homicidium ſit prorſus occultum, quia in *Trident: ſeſſ.* 24. *cap* 6. *de Reformatione*, poſtquam Concilium conceſſit Epiſcopis, ut poſſint abſoluere ab omnibus caſibus, & cenſoris occultis, & diſpenſare in irregularitatibus, voluntarium homicidium excepit: atqui inferior in lege ſuperioris, qualis eſt ita de irregularitate, diſpenſare non poteſt, niſi ipſi à ſuperiori concedatur, *cap. Inferior. diſt.* 21. *Clement. Romani de electione: ergò, &c.* ¶ Quare neſcio qua ratione ducti, aliqui defendere conantur, etiam poſt Tridenrinum poſſe Epiſcopos diſpenſare cum irregularibus ob homicidium voluntarium, ut ordines minores, & Beneficia ſimplicia poſſint recipere, quandò eſt homicidium occultum (adhuc ſuppoſito, quod per tale delictum penitùs occultum contrahatur irregularitas, de quo diximus *cap. præced. num.* 15.) quod planè eſt contrà Concilium non ſolum *loco citato*, ſed maximè *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Reformatione*: ubi ita dicit: *Qui ſua voluntate homicidium perpetrauerit; etiamſi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoueri poſſit, nec illi aliqua Eccleſiaſtica Beneficia, etiamſi curam animarum non habeant, conferre liceat; ſed omni ordine* (hæc nota) *ac Beneficio, & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat.* Quæ diſpoſitio Concilij ad Epiſcopos dirigitur, ut nullo tempore poſſint cum talibus ad aliquem ordinem, vel Beneficium ſuſcipiendum diſpenſare. Nam, ut aduertunt Auil. *sect.* 5. *dub.* 4. Cornej. *quæſt.* 2. ex communi Canooiſtarum ſententia, quoties in iure aliquo dicitur, non poſſe aliquem diſpenſare, vel abſoluere, in his, quæ de iure poſitiuo ſunt, cum Epiſcopis loquitur tale ius: quandò verò dicitur, poſſe diſpenſare; intelligitur etiam de Epiſcopis, non de Pontifice, quia tale ius aliquid debet operari, & nihil operaretur, ſi ad Pontificem dirigeretur, qui independenter à tali conceſſione poteſt in omnibus, quæ ſunt de iure poſitiuo, diſpenſare. ¶ Fatemur autem, poſſe Epiſcopum, urgente magna neceſſitate, & difficili exiſtente recurſu ad Papam, diſpenſare cum homicida voluntario occulto, ut miniſtret in ſacris, vel ex ordinario illius poteſtate, vel ex tacita Pontificis licentia, & commiſſione, quia credi non poteſt, voluiſſe Summum Pontificem talem diſpenſationem ſibi reſeruari, cum magno animarum periculo, vel quandò urget grauiſſima cauſa, & non patet recurſus ad ipſum. Sic Philibert. Mach. *num.* 11. Diana *reſol.* 110. Cornej *quæſt.* 4. Syluest. *verb. Diſpenſatio, num.* 11. Auil. *dub.* 3. *concl.* 2. *in fin.* Enriq. *lib.* 14. *cap.* 19. *num.* 2. *lit. V.*

*Quomodò poſſint Prælati Regulares diſpenſare in hac irregularitate.* 17. Prælati autem Religionum poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in irregularitate ex homicidio voluntario, ſiue antè ingreſſum Religionis, ſiue poſt illum fuerit tale crimen commiſſum; dummodò fuerit occultum: ut ex *compendio priuilegiorum Societatis Ieſu, verb. diſpenſatio*, §. 5. & 6. probat Palaus *diſp.* 6. *punct.* 12. §. 3. *num* 4. & ex *compendio priuileg. Minorum, verb. Diſpenſatio*, §. 21. & *verb. Abſolutio ordinaria quoad fratres*, §. 40. & ex conceſſione Martini V. facta Priori S. Benedicti Valliſoletani probat Villalob. *diff.* 9. *num.* 15. & quia dicta conceſſio Martini V. facta fuit Priori locali, docet optimè Cand. *tom.* 2. *diſq.* 24. *art.* 61. *dub.* 8. non ſolum Prouinciales, aut Generales; ſed Priores locales poſſe talem diſpenſationem reſpectu ſuorum ſubditorum impendere: quia priuilegia conceſſa Generali unius Religionis, Generalibus alterius conceſſa cenſentur, quæ Prouinciali, Prouincialibus: quæ Priori, cæteris Prælatis localibus, ut Prioribus, Abbatibus, Rectoribus, Præpoſitis, Guardianis, &c. Vt probat Ioannes de la Cruz *lib* 2. *de communicatione priuilegiorum*, *cap* 4. *dub. unico, concl.* 2. & ita hanc concluſionem tenent Pelizarius *tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 3. *quæſt.* 13. *num* 122. & *quæſt.* 24. *num.* 140. Antonius de Hinojoſa *in directorio deciſionum Regularium, verb. Diſpenſatio, fol.* 184. N. Antonius à Spiritu S. *in direct. diſp.* 1. *num.* 80. Mirand. *tom.* 2. *quæſt.* 8. *art.* 10. *concl.* 2. Portel *in dubijs Regularibus, verb.* Abortus, *num.* 10. & *verb. Diſpenſatio, num.* 8. & alios plures referens Leand.

*tract.*

Digitized by Google

*tract.* 2. *diſp.* 27. *quæſt.* 32. ¶ Cæterùm etiam poſſe prædictos Prælatos ex Bulla Pij V. conceſſa Congregationi Caſſinenſium, diſpenſare cum ſuis ſubditis in dicta irregularitate; etiamſi publicum fuerit delictum, dummodo ante ingreſſum, Religionis fuerit perpetratum, & in ea ſint perpetuò manſuri, teſtantur Antonius à Spiritu S. *num.* 81. *&* Diana 10. *part. tract.* 3. *reſol.* 38. citans Lezanam *&* Pellizarium. Imò ex conceſſione Pauli III, *&* Sixti V. poſſe dictos Prælatos diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate ex homicidio voluntario etiam publico, tametſi poſt ingreſſum, & profeſſionem in Religione fuerit perpetratum, ſingulis annis prima Luna Quadrageſimæ, conſtat ex dictis *cap. præced. num.* 59.

## PVNCTVM II.

### *De irregularitate, quæ incurritur ob voluntariam membrorum mutilationem, & de illius diſpenſatione, à quo fieri poteſt.*

*Quid ad mutilationem voluntariam requiratur.*

18. AD hoc ut ſit mutilatio voluntaria ſufficiens ad inducendam hanc ſpeciem irregularitatis, eadem requiruntur, quæ ad voluntarium homicidium, de quo diximus à *num*, 1. uſque ad 5. quia cum quodlibet membrum corporis, ex vita totius participet, aliquod ex illis abſcindere, erit partem vitæ auferre, & ſic mutilatio quodammodo homicidium nuncupatur, & ioeurri irregularitatem ob ioiuſtam mutilationem voluntariam, habetur expreſsè, in *Clement. unic. de homicidio, c.* 1 *de Cleric. pugnantibus in duello*, quod etiam verum eſt, non ſolum quando quis alium mutilat; ſed etiamſi ſeipſum mutilet, quia dominus non eſt ſuorum membrorum: & ideò iniuſtitiam committit, & irregularis fit, qui ſibi ipſi membrum abſcindit, etiamſi recta intentione id faciat: ut ſi ſeipſum caſtraret; ut ſeruaret caſtitatem, *cap. Si quis abſciderit, cap. Is, qui diſt.* 55. Sayr. *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 7. Cornej. *tract.* 5. *diſp.* 2. *dub. unic. in initio.* Quæ *præced. punct.* diximus circa mandantes, conſulentes, conſentientes, adiuuantes, ad homicidium, idem circà voluntariam mutilationem ſentiendum eſt. ¶ Et ſolum eſt aduertendum, eum non incurrere hanc excommunicationem, qui conſilium dedit mutilationis membri ei, quem non poteſt aliter ab homicidio auertere, quia in hoc non peccat, nec conſilium eius moraliter influit, ut fiat mutilatio, ſed ne fiat homicidium: nec malum conſulit, ſed proponit materiam minoris mali, quod reſpectu maioris, habet quamdam rationem boni. Ita communiter Doctores.

*Qui alium deturpat abſque abſciſſione membri, non fit irregularis.*

19. Sed circà mutilationem membrorum, ratione cuius præſens incurritur irregularitas, inquires primò. An qui aliquem ita turpiter deformaret, ut omninò irregularem redderet, tametſi ab eo nullum membrum abſcinderet, irregularis fieret? Et videtur ita dicendum, quia ſi alius ob illum defectum fit irregulares, etiam irregularis efficitur, & qui talem defectum iniuriosè in illo produxit. Cæterùm hic modus argumentandi ex paritate rationis, aut congruentia, nullus eſt in materia irregularitatis, ut diximus *cap. præced. punct.* 1. quia irregularitas ſolum incurritur, quandò eſt in iure expreſſa; & non aliter. Vndè cum in iure non detur pro deformitate alterius irregularitas, ſed pro mutilatore, & deformare poſſit abſque membri abſciſſione, ut conſtat, qui alium taliter deturparet, ut irregularem redderet, irregularis ipſe non fieret: & ſtare poteſt optimè, quòd aliquis alium irregularem faciat, cum ipſe irregularis non fiat: ut qui generat filium illegitimum, eum facit irregularem, cum ipſe irregularis non fiat, qui in defenſionem ſui alterius manum dexteram abſcindit, facit illum irregularem, & ipſe conſtituitur irregularis. Et econtrà accidere poteſt, quod aliquis fiat irregularis ratione mutilationis, ipſo mutilato abſque irregularitate manente: ut ſi alium iniuſtè caſtraret; ſi ab eo pedem abſcinderet.

*Quomodò poſſit incurrere irregularitatem, qui ſeipſum mutilat.*

20. Vndè fit, aliquem multoties irregularitatem incurrere in ſeipſo exercendo actiones, quas in alium operando non fieret irregularis: ut ſi ſeipſum deformaret, ſi digitum, vel partem digiti à ſe ex ira abſcinderet, fieret irregularis, *cap. Qui partem, diſt.* 55. & tametſi partem digiti alterius abſcinderet in omnium ſententia irregularis non fieret, & in probabiliori, etiamſi digitum alterius amputaret, quia ius maiorem agnoſcit malitiam, & atrocitatem in eo, quòd aliquis ſeipſum, quàm alios mutilet, Diana 4 *part. tract.* 2. *reſol.* 60. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 12. *cap.* 5. *num.* 4. Cornej. *quæſit.* 1. *in fin.* Suar. *diſp.* 44. *ſect.* 2. *num.* 20. Leand. *diſp.* 2. *à quæſt.* 31. ſemper tamen ac mutilando alium irregularis fit, ſeipſum eodem modo mutilando iniuſtè irregularis efficitur, quia verè membri mutilator exiſtit, & contrà membrorum mutilatores ius irregularitatem aſſignauit. Ex quo fit, contingere poſſe duplicem irregularitatem incurrere; qui à ſe membrum abſcinderet ad ordinis miniſterium neceſſarium, ut ſi à ſe manum amputaret; unam actiuè, quia mutilator eſt; aliam paſſiuè, quia defectum corporis ſubijt, ratione cuius arcetur ab altari. Si tamen in ſe ipſe non manum ſecet; ſed eam inutilem ad ſuum officium faciat, non incurret irregularitatem actiuè in ſe operando iuxtà probabiliorem ſententiam, de qua *hoc punct.* dicimus; ſed paſſiuè, ſe inutilem ad miniſterium reddendo; ſeu quatenùs ex defectu corporis inutilis redditus eſt ad miniſterium.

*Prima opinio circà quæſitum.*

21. Secundò inquires. Quid per membrum intelligatur, cuius abſciſſione hæc irregularitas mutilationis incurritur? Duplex eſt circà hoc quæſitum grauiſſima ſententia. Prima aſſerit, non requiri ad rationem membri, cuius abſciſſio faciat irregularem, quòd ſit pars corporis habens proprium, & diſtinctum officium ab alia parte; ſed ſufficere, ſi habeat operationem coniunctam, & acceſſoriam in aliqua parte corporis, quam iuuat, ex cuius truncatione corpus humanum non integrum, ſed imperfectum relinquitur: ac proindè non ſolum incurrere irregularitatem, qui alterius manum, pedem, oculum, aut ſimilia abſcindit, quæ propriam habent operationem ab alijs membris diuerſam, ſed qui digitos pedis aut manus, cartilaginem auris, quæ communiter dicitur auricula, & naſi reſecat, vel teſticulos abſcindit, aliamvè partem notabilem corporis iniuſtè reſecat. (Diximus *iniuſtè*, quia in præſenti non agimus de abſciſſione alicuius membri arte chirurgiæ, aut medicinæ facta, quia tunc, non eſt iniuſta,

iniuſta, & iniurioſa mutilatio, de qua *hoc punct.* loquimur. Et ratio illorum eſt, quia ius irregulares facit eos, qui iniuſtè membra mutilāt. *Clement. unic. de homicidio*; ſed diminuens membrum propter abſciſſionem aliquam ex illo notabilem, dicitur mutilare membrum, ut ſi auriculam, ſi naſum, ſi digitos abſcindat: ergò, &c. Sic Sotus *in 4. diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 3. *concl.* 3. *& lib.* 5. *de iuſtitia*, *quæſt.* 1. *art.* 2. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 65. *art.* 1. *&* Aragon *ibi art.* 2. Gordon. *quæſt.* 18. *lib.* 7. *num.* 48. Suarez *num* 7. *&* 8.

*Quid nomine membri ad mutilationem intelligatur.*

22. Secunda verò, & probabilior ſententia dicit, nomine membri, ob cuius abſciſſionem irregularitas incurritur; ſolum intelligi illam partem corporis, quæ proprium officium habet ab alijs partibus diuerſum, ut manus, quæ ad agendum, oculus ad videndum, auris ad audiendum, pes ad ambulandum; aliàs verò partes, quæ cum his membris coniunguntur, & coadiuuant ad ſuas operationes, non intelligi nomine membri: proindeque illarum abſciſſionem irregularitatem non inducere. Ita Couarruu. *Clement. ſi furioſus*, 3 *part. in initio, num.* 8. Ioann. à S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 64. *diſt.* 22. *art.* 1. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 19. *punct.* 3. §. 4. Sayr. *libr.* 6. *cap.* 15. *num.* 13. *&* 14. Auil. 7. *part. diſp.* 5. *sect.* 1. *dub.* 1. Bonacin. *quæſt.* 4. *punct.* 8. *num.* 3. Diana 2. *part. tract.* 15. *reſol.* 20. *&* 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 26. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. §. 1. *num.* 4. Cornej. *diſp.* 7. *dub. unic. quæſt.* 4. Leand. *tract.* 2. *diſp.* 17. *quæſt* 3. Hurtad. *de irregularitat. diſſ.* 5. *num.* 18 Gibalin. *cap* 4. *quæſt.* 1. *num.* 7 *fol.* 118. Ratio eſt, quia hæc lex conſtituens irregularitatem propter membri mutilationem, cum ſit pœnalis, intelligenda eſt de membro propriè, & ſimpliciter tali; ſed membrum propriè tale illud dumtaxat dicitur, quod in corpore habet officium proprium diſtinctum ab alijs membris: ergò ſolum huius abſciſſio conſtituit mutilationis irregularitatem. Probatur minor. Primò ex *Apoſtolo* 1. *ad Corinth.* 12. ubi ait, membra corporis non habere eundem actum: in quo inſinuat, membra per hoc, quod eſt habere proprium actum, differre, & conſtitui. Secundò, quia in *leg. Idem Ophilius*, *ff. de edilitio edicto*, dicitur, eum, cui amputatus eſt unus digitus, dici partem membri habere amputatam, non membrum, & in *leg. Sunt liberi*, *ff. de ſtatu hominum*, aſſeritur, ob multiplicationem digitorum ampliùs ſolito, membra amplius ſolito non multiplicari, & *in cap.* 2. *de Clerico ægrotante*, carens duobus digitis cum medietate palmæ non dicitur mutilatus, aut truncus; ſed debilitatus, ſeu deformatus. Tertiò, quia Ariſtot. *lib.* 10. *de partibus animal. cap.* 5. aſſerit, membra eſſe in corpore operationis gratia, & ſic illa dumtaxat membra dicuntur, quæ propriam operationem habent.

*Quædam illationes ex præcedenti doctrina.*

23. Ex hac ſententia infertur; auferentem pedem, manum, oculum, etiam dumtaxat unum, aurem, (intelligendo non de cartilagine forinſecus exiſtente; ſed de ſenſu auris) linguam, eſſe irregularem, quia hæc omnia membra ſunt diuerſam operationem habentia. Similiter, qui membrum virile, quia propriam operationem, nimirum actum generationis obtinet. Similiter; qui teſticulos auferret, quia verè habent propriam operationem, nimirum ſeminis efformationem, quibus abſciſſis, minimè fieri poterit, quod aptum ſit generationi, Palaus *loc. cit.* Diana *part.* 9. *tract.* 7. *reſ.* 11. quamuis oppoſitum docuerit *part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 20. *in fin.* negans, eſſe irregularem, qui utrumque teſticulum abſcinderet: quod etiam aſſerit Hurtad. *diſſ.* 5. *num.* 19. Bonacin. *diſp.* 7. Cornej. *diſp.* 2. *dub. unic. verſ. Ad* 2. Auil. 7. *part. diſp.* 5. *sect.* 1. *dub.* 1. S. Thom. *ſuprà*, quia iudicant, membrum non eſſe, ſed partem membri. Sed quod diximus, eſt probabilius, de utroque ſimul loquentes: nam ſi loquamur de unum tantum auferente, cum his Auctoribus ſentimus, quia unum non habet officium ab altero diuerſum, ſed utrumque ad idem munus concurrunt, (& loquimur ſemper, quandò talis abſciſſio iniuſtè fit) Similiter fieret irregularis, qui mamillas, aut mamillam mulieris abſcinderet, quia verè ſunt membra corporis, & unum ab altero independens, & proprium officium habent, Sayr. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 18. Bonacin. *&* Palaus *loco citato.*

24. Irregularis tamen non fieret, qui digitum, vel digitos amputaret, etiam illos, quibus Euchariſtia Sacra à Sacerdotibus contrectatur. Sayr. *num.* 16. Cornej. Auil. Dian. *loc.* proximè *citat.* nec qui amputaret auriculam, ſeu cartilaginem, quæ circà aurem eſt, neque qui naſum abſcinderet, odoratus ſenſu remanente: quia hæc non ſunt membra, ſed auditus, & odoratus tutelæ, & ornamenta. Couarru. S. Thom. Sayr. Palaus, Cornej. Diana, Auila, *locis num.* 22. *citatis.* Similiter non eſſet irregularis, qui dentes excuteret, quia non ſunt membra, ſed inſtrumēta, quibus maxilla cibos mandat, & mollit, Bonacio. *num.* 3. Sayr. *num.* 15. Diana *loc. cit.* Gibalin. *conſect.* 16. *in fin.* Palaus *num.* 4. & minus fieret irregularis, qui omnes capillos capitis euelleret, & qui barbam penitus amputaret, quia hæc ornamenta ſunt, non membra corporis, ut omnes Doctores ſentiunt.

*Alia, quæ inde inferuntur.*

*Qui membrum dumtaxat debilitaret, irregularis non fieret.*

25. Tertiò inquires: an fieret irregularis, qui membrum alicuius debilitaret, ita ut faceret ineptum ad munus ſuum præſtandum, etiamſi illud à corpore non amputaret? Reſpondetur negatiuè, quia irregularitas non incurritur, niſi in iure ſit expreſſa, & cum ſit odioſa lex illam aſſignans, utpote pœnalis, ſtrictè eſt interpretanda; ſed in iure non datur expreſsè irregularitas propter debilitationem membri, ſed propter illius truncationem: nec dicitur truncus, aut mutilatus propriè, qui membrum debilitatum habet; ſed mancus: ergò irregularitas mutilationis ad talem debilitationem non extenditur, Sotus *lib.* 5. *de iuſtitia, quæſt.* 2. *art.* 1. Ioan. à S. Thom. *diſp.* 22. *cit.* Couarruu. *num.* 9. Sayr. *num.* 5. Auil. *dub.* 2. Bonac. *num.* 6. *&* 15. Cornej. *quæſit.* 1. Palaus *num.* 5. Gibalin. *num.* 5. *pag.* 116. Dian. 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 26. *&* 71. Ex quo fit, irregularitatem incurrere, qui membrum modo dicto debilitatum iniuſtè amputaret.

*Sententia aſſerens membrum exſiccantem non fieri irregularem.*

26. Sed quid, ſi membrum ita debilitatum relinquitur, ut omninò ſiccum mortuumvè permaneat? Adhuc non fieri irregularem, qui talem membrū ſic exſiccaret, ac mortuum relinqueret, docent Palaus §. 1. *nu.* 5. Nauarr. *cap* 27. *nu.* 117. Couarruu. *num. ultim.* Enriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 4. *à littera G.* Leand. *quæſt.* 12. Bonacin. *num.* 11. Vndè inferunt, quod qui tale membrum poſteà abſcinderet, fieret irregularis. Probatur hæc ſententia, quia hæc irregularitas aduerſus mutilatorem eſt impoſita: ſed qui membrum exſiccat, aut

lædendo,

lædendo areſcit, & mortuum relinquit propriè mutilator non eſt, niſi illum abſcindat, tum quia manus arida retinet rationem membri, uniti ad decorem, & integritatem hominis. Tum etiam, quia *in cap. Sicu. urgeri* 1. *quæſt.* 1. ſic dicitur: *Si cuius hominis manus eſſet arida, verum quidem membrum eſſet illius, quamuis ſine ſanguine ineſficax, & mortuum.* Cæterùm hæc ſolum probant, tale membrum ſecundum apparentiam exteriorem, & in ordine ad ornatum eſſe tale, non verò propriè, & continuatum cum alijs membris, & vita totius animatum.

*Verior eſt pars affirmatiua.*

27. Probabilius ergò dicendum eſt, incurri irregularitatem in tali caſu, & conſequenter non fieri irregularem, qui poſteà tale membrum abſcinderet, quia talis exſiccatio membri, eſt formalis mutilatio illius, quia per illam membrum vita priuatur, & ab informatione animæ ſeparatur, & abſcinditur. Vndè licet exterius non appareat truncatum, & abſciſſum, reuerà ita eſt, quia membrum mortuum non eſt continuum, ſed contiguum cum alijs membris, quæ diſcontinuatio fieri non potest niſi per veram, & propriam abſciſſionem. Suar. *num.* 11. Cornej. *quæſt.* 2. Ioann. à S. Thom. *ſuprà.*

*Epiſcopus in iſta irregularitate poteſt diſpenſare.*

28. Inquires quartò, quis poſſit in iſta irregularitate diſpenſare? Reſpondetur, quod omnes, de quibus diximus *punct. præced.* poſſe diſpenſare in irregularitate ex homicidio voluntario, & inſuper Epiſcopi poſſunt in iſta ex mutilatione proueniente diſpenſare, ſi ſit occulta, quia licèt in aliquibus aſſimiletur mutilatio homicidio; non in omnibus, & quamuis aliquando dicatur homicidium, ſimpliciter tamen, & abſolutè non eſt tale, ſed ad ſummum ſecundum quid, & impropriè; ſed *Concilium Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformatione*, concedit Epiſcopis, quòd poſſint diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta illa, quæ prouenit ex homicidio voluntario: ergò ex vi huius conceſſionis poterit in iſta diſpenſare, quæ prouenit ex iniuſta mutilatione, quia ex una parte hoc indultum eſt fauorabile, & ſic ampliſſimè eſt ſumendum; ex alia exceptio illa homicidij eſt odioſa, & ſic de homicidio ſimpliciter tali interpretanda. Atque ita tenent Auil. 7. *part. diſp.* 6. *ſect.* 5. *dub.* 4. Suar. *num.* 4. Filliuc. *tract.* 20. *cap.* 2. *num.* 51. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 12. & *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 71. Cornej. *quæſt. ultim.* Anton. à Spiritu S. *in direct. reg. tract.* 2. *diſp.* 3. *num.* 67. Gibalin. *nu.* 9. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 21. *num.* 2. Marchina *de Ordine, tract.* 1. *part* 9. *cap.* 1. *diff.* 3. *num.* 3. Palaus §. 3. *num.* 3. *punct. ultim num.* 11. Vide circà hoc, quæ diximus *cap. præcedenti num* 63.

## PVNCTVM III.

### *De irregularitate, quæ prouenit ex homicidio, & mutilatione caſuali.*

*Quot modis caſuale homicidium contingat.*

29. HOmicidium caſuale illud dicitur, quod præter intentionem, & voluntatem occiſoris contingit: ut ſi quis caſu abſque voluntate, & intentione hominem occidat. Quod dupliciter accidere poteſt. Primò, ſi nec directè, nec indirectè, ad talem occiſionem cócurrit, & tunc, cum omni culpa careat, immunis erit ab hac irregularitate, quam non niſi ob culpam incurrit, ut ſi carens uſu rationis, dormiens, vel amens, vel qui nullo modo præuiſit fore, ut ex illa actione tale homicidium ſequeretur, hominem mutilaret, vel occideret, nullus ex his fieret irregularis. Secundò dicitur caſuale homicidium mixtum ex voluntario, & involuntario: ut ſi quis operam daret actioni, ex qua timeret ſequendam eſſe mutilationem, aut homicidium, quia ex qua parte illud non vult directè, involuntarium dicitur, ex qua parte actionem exercet, ex qua timet, probabiliter ſequendum, in cauſa, & per accidens eſt voluntarium, & ſic irregularitatem inducet. Qua ratione erit irregularis, qui in amentiam, vel furiam incidit, vel ſomno, vel ebrietati ſe tradidit, præuidens periculum homicidij inde ſequendi, ſi tale homicidium ſequatur, ſi debitam diligentiam non adhibuit ad illud præcauendum. A tali verò irregularitate liberatur, vel ſi non præuiſit tale homicidium ſequendum eſſe, vel, eo præuiſo, aut periculo illius, debitam curam appoſuit ad illud euitandum, (idem dicendum eſt de mutilatione, & quidquid de homicidio in *hoc punct.* diximus, de illa ſentiendum eſt,) & hoc quamuis culpabiliter in amentiam, vel ebrietatem incidiſſet *Clement. ſi furioſus, de homicidio*, Couarruu. *ibi* 2. *part.* §. 4. *num.* 3. & 4. Auil. 7. *part. diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 12. & 15. Enriq. *lib* 24. *cap.* 25. *num.* 7. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. § 5. *num.* 3.

30. Sed inquires primò, an ſit irregularis, qui opus licitum exercet, ex quo timet, vel non timet homicidium ſequendum, ſi de facto tale homicidium ſequatur? Reſpondetur, quod vel tale opus exercens adhibet ſufficientem diligentiam ad præcauendum homicidium, quod inde ſequi poſſe timet; & tunc non fiet irregularis, etiamſi caſu ex tali opere homicidium ſequatur. Si verò ſufficientem curam non adhibet, fiet irregularis. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 8. *ad* 3. Palaus § 4. *num.* 7. Cornej. *tract.* 5. *diſp.* 3. *dub.* 5. Bonacin. *quæſt.* 4. *punct.* 7. *num.* 8. & eſt communis. Prima pars aſſertionis conſtat *ex cap. is, qui, cap. Sæpè, cap. Si duo fratres, diſt.* 50. & alijs iuribus. Et probatur ratione, quia in tali caſu nulla datur culpa in homicidio; quia opus, quod exercet, bonum eſt, & ſic ex parte operis non eſt peccatum; nec ratione damni ſecuti, quod vel non præuiſum eſt, vel ſi præuiſum fuerit, omnis diligentia adhibita eſt, ne ſequeretur. Loquimur enim, quando opus non habebat per ſe influere in tale homicidium, quia ſi hoc haberet, non eſſet bonum; ſed caſu accidit, quod ex tali opere ſequeretur. Secunda pars conſtat ex *cap. Presbyterum, cap. Ad audientiam, de homicidio.* Et ex ratione: quia ſi negligenter ſe habet in præcauendo homicidio, quod timet, indirectè vult illud in cauſa, & ſic eſt illi voluntarium indirectè: quia omiſit id, quod non omiſiſſe tenebatur. ¶ Non autem requiritur ſumma, & exactiſſima diligentia, qualem vir maximè circumſpectus, & diligentiſſimus adhibere poteſt, ut irregularitas euitetur; ſed illa ſatis eſt, quà, conſiderata rei qualitate, vir prudens uti ſolet. Vndè, quò maior fuerit timor periculi, eò maior adhibenda eſt diligentia ad illud præcauendum: ut ex Caietan. 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 8. optimè notauit Cornej. *loc. cit.* Illud certiſſimum iudicamus, non quamtumque negligentiam in hoc eſſe ſufficientem ad incurrendam

*Quomodò ex opere licito homicidium, inducat irregularitatem.*

currendam irregularitatem ; ſed illam neceſſariam eſſe, & ſufficere, quæ ad peccatum mortale eſt ſufficiens : quæ verò ex veniali culpa proceſſerit, non inducet irregularitatem : quia loquimur de illa, quæ propter culpam, non ex defectu lenitatis incurritur, & cùm ſit pœna grauiſſima, non, niſi ob culpam grauem, incurri poteſt, ut diximus *cap. præced. num.* 11. & in præſenti tenent Auil. *dub.* 11 *concl.* 3. Bonac. *diſp.* 7. *qu.* 4. *punct.* 7. *in fin.* Palaus §. 4. *in fin.* Suar. *diſp.* 45. *ſect.* 5. *num.* 8 Sayr. *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 4 Cornej. *dub.* 3. *in initio.*

*Caſus aliqui particulares deducuntur.*

31. Ex hac doctrina aliquos caſus particulares deducemus, ut inde plures alios quilibet deducere valeat, quos apud Auctores obuios reperiet. Sequitur enim primò, quod ſi magiſter diſcipulum verberando (idem de patre reſpectu filij) grauiter non excedat, & ex tali percuſſione caſu mors diſcipuli ſequatur, non fiet irregularis, quia exercet opus licitum ; ſecùs verò ſi grauiter in percuſſione excedat : quia licèt rei licitæ incumbat, ut talem exceſſum euitaret, ſufficientem diligentiam non adhibuit, *cap. Presbyterum, de homicidio, cap. ultimo, eodem titulo in* 6. Secundò : qui equitans equum ferocem, caſu occidat puerum in via, ſi adhibuit diligentiam ſufficientem ad euitandum illud damnum, non fiet irregularis : quia rei ſibi licitæ dat operam ; ſecùs verò ſi diligentem non adhibuit curam, *cap. Dilectus filius, cap.* 1. *de homicidio.* Tertiò : ſi pulſans campanas, caſu tintinabulum cecidit abſque culpa, & hominem occidit, ab irregularitate immonis erit ; ſecùs verò ſi ex tua culpabili negligentia, ita accidit *cap. Ex literis* 2. *capit. Ioannes, de homicidio.* Quartò : qui alit leonem, vel ferocem canem, aliamvè feram, & benè ligatam cuſtodit : ſed in occulto, & abſque culpa eius, fera vincula rupit, hominemque occidit, aut mutilauit, non fiet irregularis ; ſecus verò ſi ex eius incuria fera ſoluta eſt, vel ſi in via ligatam tenet, ubi incautè accedentes damnificare poteſt, Couarruu. *part.* 3. §. 4. *num.* 1. ex ipſo Cornej. *dub.* 1. *illation.* 5. Quintò : qui reficiens tectum, tegulas, aut lapides mittit, non monens, aut aliquod ſignum apponens, ut à tranſeuntibus omne damnum euitetur, fiet irregularis ſi per illam actionem hominem occidat ; ſecus verò ſi moneat, aut ſufficientem cautionem adhibeat.

*Alij caſus ex prædicta doctrina deducuntur.*

32. Sextò ſequitur ex dictis, non fieri irregularem medicum peritum, ſi abſque eius negligentia moritur infirmus, quia rei licitæ incumbit, *cap. Ad aures, de ætate, & qualitate ordinandorum.* Idem dicendum eſt de Clericis, aut Monachis artem medicinæ, vel chirurgiæ exercentibus, ſi abſque inciſione, vel aduſtione id faciant : quia tales artes exercere modo dicto illis prohibitum non eſt ; at verò ſi cum inciſione, & aduſtione artem chirurgiæ Clerici in ſacris conſtituti, aut Monachi exercerent, & ex tali inciſione, aut aduſtione mors ſequeretur, fierēt irregulares : quia id ipſis expreſsè prohibitum eſt ſub pœna irregularitatis, *cap. Sententiam ſanguinis, ne Clerici, vel Monachi* : tum ob decentiam ſtatus : tum etiam, quia tale opus ex ſe periculoſum eſt, & ſic meritò ſacris miniſtris prohibitum. Sed hoc cum duplici limitatione intelligendum eſt. Prima, quòd mors infirmi ex tali inciſione, vel aduſtione ſequatur : ſi enim aliundè, vel ex vi morbi, ex aliavè cauſa ſequatur, non incurret hanc irregularitatem Clericus, aut Monachus ; tametſi in illa actione grauiter peccarent contrà præceptum Eccleſiæ agendo, Couarruu. 2. *p.* § 4. *num.* 3. Enriq. *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 10. Auil. *dub.* 10. *concluſ.* 5. quos refert, & ſequitur Palaus *num.* 8. *in fin.* Cornej. *dub.* 2. *concl.* 2. *illation.* 2. Secunda, ſi Clericus, vel monachus artis chirurgiæ, aut medicinæ eſſet peritus, & laicus illius artis peritus non adeſſet, qui infirmo congruentem ad ſuam ſalutem inciſionem, aut aduſtionem adhiberet, poſſet tunc abſque peccato, & conſequenter abſque irregularitatis periculo Clericus illas exercere, quia opus exerceret charitatis, nec in tali caſu Eccleſiam velle priuare illo medicamine infirmum, ſentiendum aſt Auila *concl.* 3. & 4. Palaus *num.* 8. Cornej. *ſuprà* qui citat Enriq. *cap.* 12. §. 5.

*Cæteri caſus particulares inferuntur.*

33. Septimò ſequitur, quòd qui dat infirmo aliquid bona fide, vel ad leuamen, vel ad remedium illius, ex quo mors, aut acceleratio mortis ſequitur, irregularis non fit, quia rei licitæ dat operam, nec tenetur infirmum illo leuamine priuare, Cornej. *dub.* 1. *illat.* 1. Bonacio. *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 7. *num.* 12. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 174. Nec ſimiliter ſi infirmum reuoluat, & in aliud latus vertat, ut quietem aliquam, aut ſolatium accipiat, fiet irregularis ; tametſi inde acceleratio mortis eueniat. Vndè Religioſi poſſunt abſque ſcrupulo infirmis inſeruire, illos hinc inde vertere, & alia officia charitatis erga ipſos exercere. At verò ſi eo animo has actiones circà infirmum faceret, ut citius moreretur, & mors acceleraretur inde notabiliter, fieret irregularis : etiamſi hoc ex compaſſione faceret, quia illum angore mortis fatigatum videt. Cornej. *illat.* 11. Couarruu. *part.* 2. §. 4. *num.* 3. Nauarr. *in manuali, cap.* 25. *numer.* 112. Quamuis probabile ſit, quod docent Pellix. *num.* 175. ex Coninc. hunc irregularem non fieri, etiamſi ex odio has actiones faciat animo, ut citius moriatur : quia licet interius peccet ; actio verò exterior, ut ſupponimus, non eſt peccatum, quod requiritur, ut pœna hæc incurratur. Similiter fiet irregularis, qui infirmum contrà præceptum medici, vel temerè ex ſuo capite, potionem aut remedium conferret ex quibus mors acceleraretur notabiliter, quod ab ipſo pręuideri potuit ; vel fortè pręuiſum eſt, etiamſi ex pietate, & compaſſione id faciat, quia illicitæ rei operam dat ex ſe periculoſæ, & ad mortem valdè propinquæ. Idem dicimus de illo, qui incautè, vel temerè ſagittam, aut gladium à vulnerato extraxit, ex quo mors ſecuta, aut accelerata fuit.

*Qui dat operam rei illicitæ non periculoſæ non fit irregularis.*

34. Inquires ſecundò. An qui dat operam rei illicitæ, ex qua mors aut mutilatio alterius ſequitur, fiat irregularis ? Ad hoc ut reſpondeamus, ſupponendum eſt, bifariam poſſe rem eſſe illicitam, ex qua homicidium ſequitur : vel quia eſt prohibita, eo quod periculoſa eſt, & ad mortem inducens, qualiter Clericis illicitum eſt torneamenta exercere, venationi urſorum, aprorum, aliarumque ferarum incumbere : quia ſunt actiones periculoſæ, vel quia prohibita eſt ex alijs rationibus ; non quia periculoſa, vel ad mortem, aut damnum alterius corporale inclinant. Dicimus ergò, quod qui dat operam, rei illicitæ, hoc ſecundo modo minimè fit irregularis ; etiamſi ex illa homicidium

ſequatur

ſequatur, ſi tamen ſufficientem diligentiam adhibet ad illud præcauendum: ut ſi aliquis tempore interdicti campanas pulſaret: & caſu tintinabulum caderet, & hominem occideret. Si monachus contrà regulam æquitaret, & caſu puerum occideret in via. Qui alium inducit, ut furetur (abſque periculo tamen,) & fortè in furtò occiditur. Qui equum furatum gerens, caſu hominem occidit. Qui mandat famulo, ut rapiat fœminam ad ſuam libidinem, magno periculo non imminente, & caſu famulus a parentibus occiſus eſt, & alijs ſimilibus caſibus. Ratio concluſionis eſt, quia tale homicidium merè caſuale eſt, & nullo modo voluntarium, ergò non eſt opus illud, alias illicitum, malum malitia homicidij? ergò nec irregularitas homicidij ratione illius incurritur. Conſequentiæ conſtant, & antecedens probatur, quia non eſt voluntarium in ſe, quia non eſt intentum, nec in ſua cauſâ: cum talis actio de ſe non ſit periculoſa: nec ratione negligentiæ, quia, ut ſupponimus, adhibita eſt omnis cura ad tale malum præcauendum. Ità Couarruu. *numer.* 10. Cornejo, *concl.* 1. Ioann. à S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 46. *diſp* 21 *art.* 3. Sotus, *lib.* 5. *de iuſtitia*, *quæſt.* 1. *art.* 3. Palaus, *numer.* 5. Enriq. *lib.* 14. *cap.* 15. *num.* 3. Auila, *dub.* 1. Suar. *sect.* 6. *num.* 9. Sayr. *num.* 12.

*Duplex obiectio contra dicta.*

35. Sed obijcies primò, quod multis iuribus ſtatuitur; quod caſu mutilans, & occidens fiat irregularis, *cap. Clericoraciente. cap. Eos verò* cum alijs 50. *diſt.* ſed ab hac generali ſolum excipiuntur in iure, qui dant operam rei licitæ, & ſufficientem diligentiam adhibent ad malum præcauendum, *cap. Ioannes cap. Dilectus, de Homicidio, & cap. altim. de homicidio*, ergò qui rei illicitæ operam dando hominem occidit, ab hac non eximitur irregularitate. Secundò, quia adulter, qui eſt in cauſâ, quare mulier à marito occidatur, fit irregularis (ut docent Sayr. *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 26 Palaus, §. 5 *num.* 1. Suar. *sect* 8. *num* 7. Cornejo, *illat.* 7. *num.* 2 Fillincius, *tract.* 20. *cap.* 3. *num.* 80.) & tamen non dat operam rei illicitæ, quia periculoſæ, cùm adulterium ex ſe non habeat in homicidium influere: ergò ſufficit, quod aliquis operam det rei illicitæ, ut, ſi mors inde ſequatur, irregularis fiat.

*Solutio obiectionum præcedentum.*

36. Ad primam reſpondetur, quod quandò in iure aſſignatur irregularitas propter caſuale homicidium; intelligitur de homicidio directè, vel indirectè, ſiue aliquo modo voluntario, ut conſtat ex *Clement. uni. de Homicidio*. Et ea ratione excipitur homicidium factum ab eo, qui opus licitum exercet, adhibens diligentiam, ne ſequatur, quia illi nullatenus eſt voluntarium tale homicidium. Cum ergò in noſtro caſu nullo modo ſit voluntarium tale homicidium, ut probatum eſt, ad illud dicta iura non extenduntur. ¶ Ad ſecundam fatemur cum illis Authoribus, adulterum fieri irregularem, ſi mulier ratione adulterij à marito occidatur, ſed hoc intelligimt ipſi, & nos, ſi temerè mulierem periculo mortis exponat, quia tunc non adhibet diligentiam, ne mors, quæ timeri poteſt prudenter, ſequatur. Si autem cum ſufficienti cautela ad eam accederet; etiamſi caſu illius mors ſequeretur: tunc irregularis non fieret, ut prædicti Authores tenent. ¶ Imò etiamſi temerè, & abſque cautela ad mulierem acceſſiſſet, & mors illius ob, tale adulterium ſequeretur, non fieri irregularem adulterum, tenet Auila, 7. *part. diſp.* 5. *sect.* 3. *dub.* 3. *concl.* 1. & 2. Enriq. *cap.* 20. *in fin.* Petrus Nauarr. *cap.* 3. *num.* 363. quos cum Couarruuia, Caſtro, Aragon, Turriano, & Megala, refert, & ſequitur Diana, *part.* 4. *tract.* 2. *reſolut.* 1. Bonacin. *punct.* 6. *num.* 7. Leander, *tract.* 2. *diſp.* 12 *q* 31 ſed verius eſt, quod diximus.

*Sententia aſſerens ſemper fieri irregularem, qui opus illicitum, & periculoſum exercet,*

37. Maior difficultas eſt in ſecundò caſu, an fiat irregularis, qui dat operam rei illicitæ, quia periculoſæ, ſi inde mors ſubſequatur: Circà quod duplex datur ſententia. Prima affirmatiua, quam tenet Sotus, Sayr. Suarez, Auil. Cornejo, pro præcedenti concluſione relati, qui aſſerunt, quod qui dat operam rei illicitæ, quia periculoſæ, nunquam cenſetur diligentiam ſufficientem adhibere, niſi ceſſando ab opere prohibito: quia periculoſo. Et ratio illorum eſt, quia qui vult opus prohibitum, quia periculoſum, eo ipſo indirectè cenſetur velle effectum inde ſecutum, iuxtà illud principium iuris: *Qui dat cauſam damni, damnum dediſſe videtur.* Vndè quia Clericis prohibitum eſt, quia periculoſum, pugnare in bellu, exercere torneamenta, mittere bombardam ad arcem, aut ſagittam, vel lanceam, exercitium chirurgiæ inciſione, vel aduſtione; venatio aprorum, urſorum, Leonum, & aliarum ferarum, quæ dentibus, aut unguibus vitæ periculum afferre poſſunt, ſi Clerici aliqua ex his faciant, etiamſi omnem diligentiam, aut curam adhibeant ad malum præcauendum, ſi mors, aut mutilatio alicuius ſequatur, irregulares fient.

*Pars negatiua vera eſt.*

38. Secunda ſententia, (quam nos amplectimur) tenet, quod ſi opus periculoſum, quod prohibitum eſt, ita eſt ex ſe inductiuum illius mali, quod rarò exerceri poſſit, quin talem effectum cauſet (ut eſt pugnare in bello reſpectu Clericorum, bombardam in arcem mittere) irregularis fiet, qui tali operi incumbit, ſi inde mora, aut mutilatio ſequatur. Si verò opus prohibitum, quia periculoſum, ex ſe non ſit ita inductiuum illius effectus, quin multoties abſque illo exerceri valeat, ſi adhibeat ſufficientem diligentiam ad damnum, quod imminet, euitandum, irregularis non fiet, qui tali operi incumbit, etiamſi ex illo mors alicuius eueniat. Sic Enriq *cap.* 15. *num.* 1. Caſt. *lib.* 2. *de lege pœnali, cap.* 14. quos refert, & ſequitur Palaus, §. 4. *num.* 5. Ioann. à S. Thom 2. 2. *quæſt* 64 *diſt.* 21. *art.* 3. *in fin concl.* Bonacin. *punct.* 7. *num.* 9. citans Leſſ. Nauarr. & Filliuc & ratio eſt (per quam ſoluitur contrariæ ſententiæ fundamentum:) quia talis mors nullo modo eſt illi voluntaria: non directè, ut ſupponimus: nec indirectè in cauſâ, quia illa, quam apponit, ex ſe non eſt inductiua talis damni, & ſi aliquam haber ad illud inductionem, per adhibitam diligentiam, & curam moraliter, & prudenter præcauetur. Ex quo infertur, Clericum non eſſe irregularem, ſi torneamenta exercendo, vel ferarum venationem, alicuius mors contingat, quia tales actiones ex ſe non ſunt inductiuæ homicidij, aliàs non eſſent licitæ laicis. Vndè quamuis Clericus peccet eas exercendo, quia contrà præceptum Eccleſiæ agit: irregularitatem tamen non incurrit: incurret autem illam, ſi artem chirurgiæ, aut medicinæ exerceat cum inciſione, & aduſtione,

quia, ut diximus *numer.* 32. ſpecialiter eſt illi prohibita ſub pœna irregularitatis ob indecentiam, quam ſecum affert, & eſt maximè perienloſa, & de ſe mortis cauſatiua.

*Qui omittit defenſionem, ad quam non tenetur ex iuſtitia, non fit irregularis.*

39. Inquires tertiò, an qui per omiſſionem voluntariam, & peccaminoſam, non impedit, quod aliquis occidatur, aut mutiletur, fiat irregularis, ſecuta mutilatione, aut homicidio? Reſpondetur, quod vel tenetur ex iuſtitia impedire talem mortem, vel ſolum ex charitate. Si hoc ſecundum: etiamſi ex odio nolit impedire homicidium, imò complaceat de illo, & hoc verbis, aut geſtu exprimat, (dummodo animum indè occiſor non capiat acrius vel velocius homicidium perpetrandi) irregularitatem non incurret Et ratio eſt, quia licèt iſte interius peccatum homicidij committat, exterius tamen realiter homicida non eſt: ſiquidem homicidium eſt actus contrà iuſtitiã immediatè oppoſitus, & ille contrà iuſtitiam non agit, & ſic ad reſtitutionem non tenetur. Sic habetur *in cap. Si quatuor homines* 24. *quæſt.* 1. & communiter tenent Doctores, Suar. *ſect.* 4. *num.* 3. Enriq. *cap.* 12 §. 7. Gibalin. *cap.* 4. *q.* 1. *conſect.* 13 *n.* 34. Cornej. *diſp.* 13 *de irregularit. dub.* 4. *concl.* 1. Diana, *reſol.* 7. Palaus, §. 7 *num.* 1. Bonacin. *punct.* 8. *numer.* 37. Filliuc. *cap.* 4. *numer.* 127. Sayr. *capit.* 3. *numer.* 3. Auila, *diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 7. *concluſ.* 1. Leander, *diſput.* 10. *quæſt.* 87. Hinc fit, non fieri irregularem eum, qui volentem innocentem defendere retrahit perſuaſionibus, ne defendat, quia ille, qui recipit conſilium, & perſuaſionibus acquieſcit, non fit irregularis: ergò nec qui illi talem omiſſionem perſuadet: neuter enim contrà iuſtitiam operatur, ſed contrà charitatem.

40. Maior difficultas eſt. An in caſu, in quo ille, qui omittit defenſionem, tenebatur defendere innocentem ex iuſtitia, fiat irregularis, morte innocentis ſecuta? Vt medicus, qui publico, particularivè ſtipendio conductus curationem infirmi aſſumit, ſi ex illius negligentia, ignorantia, aut omiſſione moriatur. Rex & gubernator, ob cuius iniuriam ſubditus occiditur: vel ſubditus: ſi ſuperioris omittat defenſionem, cum commodè poſſet, vel permittat occidi. Qui ſtipendio aſſumpſerunt cuſtodiam viarum: ſi doloſè occidere viatorem permittant. Qui ſe obligauit non ſolum ex fidelitate, ſed ex iuſtitia ad defendendum aliquem, & omittit. Idem de domino erga ſeruum, marito erga pupillum, patre erga filium, curatore erga minorem, ſi moriantur, eo quod debita illis alimenta non adminiſtrent. Idem de aduocato, aut proruratore deſerentibus doloſè patrocinium rei, ob quorum ignauiam, & imperitiam reus occiditur, & in ſimilibus caſibus, in quibus obligatur aliquis ex iuſtitia ad euitandum mortem proximi, quæritur, an fiat irregularis, ſi culpabiliter omittat talem defenſionem, ad quam ex iuſtitia tenetur. Duplex datur ſententia in hac difficultate.

*Non fieri irregularem, qui omittit defenſionem, ad quam ex iuſtitia tenetur, aliqui dicunt.*

41. Prima ſententia aſſerit, quod ſi per ſimplicem omiſſionem mortem permittat, nihil poſitiuè operando, etiamſi ex dolo non impediat, ut mors ſequatur, non incurrit irregularitatem; tametſi peccet contrà iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur, & probatur, quia talis non dicitur propriè occiſor, & homicida, nec dediſſe cauſam homicidio, quia ad hoc influxus aliquis poſitiuus requiritur: ſed hæc irregularitas ſolum ad homicidium contrahitur propriè, & realiter talibus, & aliquo modo ad homicidium influentibus: ergò, &c. ¶ Confirmatur. Quia irregularitas non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa: ſed in iure ſolum habetur, irregulares fieri occidentes, mandantes, conſulentes, cæteroſque per actum poſitiuum influentes; non verò qui nullum actum eliciunt, ſed negatiuè ſe habent, ergò licèt hi peccent mortaliter, & contrà iuſtitiam, ut in caſibus dictis, irregularitatem tamen non incurrent. Sic tenet Hurt. *diſ.* 2 *de irregularit. diff.* 9. *n.* 34 D. Antonin. 3. *p. tit.* 28. *cap.* 2. in principio, Luiſius, *lib.* 9 *diſp.* 63. *dub* 4. *verſ. Addendum eſt.* Turrian. *lib* 9 *diſp.* 63. *dub.* 3. Præpoſitus *in* 3 *part. quæſt* 5. *de irregularitate, dub.* 10 *num.* 79. Armill. *verbo Irregularitas* 2. Tabien. *eodem verb.* 1. §. 2. quos referunt, & ſequuntur Diana, *loc. cit.* Leand. *quæſt.* 72. tenet etiam Gibalin *num.* 35. & probabile videri aſſerit Palaus, infrà citandus ¶ Vndè infert Dian *reſol.* 8 & Leand. *q.* 91. quod Clericus, qui cognouit fœminam, quam ſcit procurare abortum, & illum impedire non ſtudet, non fit irregularis, tum propter modò dicta: tum etiam, quia ut docet Leſſius, *lib.* 2. *de iuſtitia, cap.* 9 *dub.* 13 *num* 94. pater non tenetur defendere vitam filij lege iuſtitiæ, ſed pietatis, & officij paterni. ¶ Inferunt etiam ipſe Diana, *reſol.* 7. & Leand. *quæſt.* 94. Laym. adducens, & Auila, *concl.* 2. §. *Ex dictis*, quod qui retrahit defendentem, ad quod ex iuſtitia tenetur, non fit irregularis, ſi innocens occidatur, quia ſi defenſor conſilio acquieſcens irregularis non fit, nec ille, qui conſilium dedit.

*Verius eſt fieri irregularem.*

42. Secunda, & verior ſententia aſſerit, omittentem culpabiliter per culpam mortalem defendere innocentem, ad cuius defenſionem tenebatur ex iuſtitia, irregularem fieri, ſi occidatur innocens, ut in caſibus *num.* 40. relatis, & alijs ſimilibus colligitur *ex cap. Qui poteſt, cap. ultim.* 23 *q.* 3. Et ratione probatur, (qua contrariæ ſententiæ fundamentum euertitur,) quia qui omittit defendere illum, ad cuius defenſionem tenebatur ex iuſtitia, verè, & realis homicida eſt: ergò incurret irregularitatem ſtatutam in iure contrà homicidas. Antecedens probatur, quia licèt talia phyſicè ad homicidium non influat, moraliter tamen influit, quia alium priuat defenſione ſibi ex iuſtitia debita. Sicut influeret moraliter, qui arma nollet dare Petro, quæ illi debebat ex iuſtitia, neceſſaria ad ſui defenſionem, ſi ob illorum defectum Petrus occidatur: utrobique enim omiſſio voluntaria eſt intra lineam iuſtitię, quia ad hoc ſufficit, quod poſſit agere, & teneatur ex iuſtitia, & non faciat, quia qui poteſt, & tenetur, & non facit intrà aliquam materiam, peccato illius materiæ delinquit. Concluſionem tenet Cornej. *diſp.* 2. *dub.* 4. *concl.* 2. Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 231. & 233. Palaus, *numer.* 2. Enriq. *numer.* 10. Sayr. *cap.* 4. *numer.* 3. Suarez, *diſp.* 46. *ſect.* 4. *num.* 5. Auil. *concl.* 1. & 2. Tolet. *lib.* 1 *cap.* 83. *num.* 4. Bonac. *diſp* 8. *quæſt.* 4. *num* 37.

*Quis poſſit in hac irregularitate diſpenſare.*

43. Inquires ultimò. Quis poſſit in iſta irregularitate diſpenſare? Reſpondetur, quod præter Summum Pontificem, poteſt (ſi homicidium ſit occultum) diſpenſare Epiſcopus ex conceſſione Trident. *ſeſſ.* 24 *cap* 6 *de Reformatione.* Vbi ad diſpenſandum circà omnes irregularitates concedit Epiſcopis facultatem, & ſolum excipit illam,

quæ

Digitized by Google

quæ prouenit ex homicidio voluntario. Et cum ipſum *Concilium, ſeſſ. 14. cap. 7. de Reformatione* manifeſtum ponat diſcrimen inter homicidium voluntarium, & caſuale; ſequitur, nomine homicidij voluntarij excepti *in ſeſſ. 24. cap 6.* non venire caſuale, & ita hoc eſſe incluſum in conceſſione Concilij, Cornej. *dub ultim.* Dian. *9. part. tract. 7. reſol. 22. & 10 part. tract. 15 reſol. 19.* Leand. *tract 22 diſp. 2. quæſt. 16.* Antonius à Spiritu S. *in ſuo directorio reg. tract. 2. diſp. 3. ſect 2. numer. 67.* Palaus, *num. 7.* Sayr. *cap. 7. num 20.* Enriq. *lib. 14. cap. 19. num. 2 Leſſ. in 3. part. cap 4. de irregularitate, dub. 2. numer. 36.* Qui etiam aſſerunt, poſſe Epiſcopum diſpenſare, quandò delictum eſt notorium, in ordine ad receptionem ordinum minorum, & ad Beneficium ſimplex ſuſcipiendum, non ex vi conceſſionis *Trident.* ſed ex *2. cap. Ad audientiam, de homicidio*, ubi talis poteſtas ipſis conceditur, quæ per Tridentinum reſtricta non eſt aut reuocata. ¶ Prælati Regulares poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in hac irregularitate, ſi ex delicto occulto proueniat, ex conceſſione Pij V. *Bull. 13.* Imò toties quoties, etiamſi publicum ſit delictum, poſſe diſpenſare cum ſuis ſubditis; tenet Candid. *tom. 2. diſp. 24. art. 61. dub. 9.* & ex ipſo N. Antonius à Spiritu S. *diſp. 1. num. 79.* Diana, *4. part. tract. 2. reſol. 7.* Villalob. *tract. 21. diſp. 9 numer. 17.* Sayr. *num. 24.* Videantur, quæ diximus *cap præced. num. 59. & 63.*

## PVNCTVM. IV.

### *De irregularitate ex homicidio, aut mutilatione cauſa defenſionis ab iniuſto inuaſore.*

*Qui in defenſione excedit, ſit irregularis occidendo.*

44. DVplici modo contingere poteſt, quod quis iniuſtum inuaſorem occidat. Primò, ſi non excedat moderamen inculpatæ tutelæ: ut ſi alia via ſuam defendere vitam nequit, ab iniuſto inuaſore impetitam actualiter, & moraliter. Alio modo, ſi excedat moderamen inculpatæ tutelæ: ut ſi percuſſione poſſet periculum euadere, & occidit: ſi fugientem iam, & inuaſionem relinquentem inſequatur, & alijs caſibus hoc puncto attingendis. Dicendum itaque eſt primò, quod ſi iniuſtè comminatus, & aggreſſus ab alio moderamen excedat inculpatæ tutelæ, irregularis ſit: ut ſi clamando, vulnerando, mutilando poſſet ſe defendere, & occidat: quia illa occiſio ad defenſionem ſui non eſt neceſſaria, & ſic erit iniuſta. Quod intellige, ſi ex dolo, & propoſito faciat, aduertens, ſe excedere moderamen; non verò ſi per accidens, & præter intentionem, cum ſolum vulnerare vellet, & errante manu, inculpabiliter occideret, quia tunc vacat culpa talis occiſio, & ſic non erit digna tanta pœna, Enriq. *libr. 24. cap. 10. num. 3.* Gibalin. *cap. 4. de irregularit. quæſt. 3 conſect 3. diff. 13* Barboſ. Graffis, Farinac. quos refert, & ſequitur, Leand. *tract. 2. diſp. 12. quæſt. 35.* Non autem ſufficit quicumque exceſſus in defenſione ad ſubeundam hanc irregularitatem: ſed debet eſſe grauis, conſtituens culpam lethalem, *cap. Quæſitum 7 de Pœnitentijs.* Quia cum irregularitas pœna grauiſſima ſit, non debet ob leuem culpam incurri, Cornej. *de irregularitate, diſp. 4. dub. 2.* Auila, *7. part. diſp. 5. ſect. 3. dub. 1.* Bonacin. *diſp. 7. quæſt. 4. punct. 6. num. 3.*

*Qui occidit aggreſſorem non excedendo modum defenſionis, irregularis non ſit.*

45. Dicendum eſt ſecundò, quod, qui iniuſtum aggreſſorem in defenſionem vitæ occidit, cum moderamine inculpatæ tutelæ, irregularitatem non incurrit. Et quamuis olim aliqua fuerit inter Doctores controuerſia circà hanc concluſionem: qua ratione D. Thom. 2. 2. *quæſt. 64 art. 7. ad 3.* oppoſitum tenuit: iam verò nulla datur inter illos: cum ita ſtatutum ſit iure nouo in *Clement. Si furioſus, de Homicidio.* & merito: quia tale homicidium non voluntarium, ſed neceſſarium reputatur à iure, quia non ſponte, ſed coactus, occiſor mortem alterius eligit, ut ſuam vitam tueatur; in quo minimè peccat: cum teneatur iure naturæ ſuam conſeruare vitam, & ſic vim vi repellere ſibi liceat. A qua irregularitate etiam excuſatur, quamuis in tali actu admiſceatur animus ſumendi vindictam, quia licèt in hoc peccet; cum propria authoritate ſe vindicare, cuilibet prohibitum ſit, attamen nec animus interior ad irregularitatem ſufficit, nec exterior actus, qui in dicta *Clement.* à tali liberatur pœna, Couar. *in dicta Clement. part 2 §. 5. n. 2.* Cornejo, *tr. 5 diſp. 4. dub. 1. q. 1.* Sayr. *lib. 6. cap. 17. n. 17.* Gibalin *diſſ. 10.* Auil. *loc. cit*, Bonac. Quod in omnibus uniuerſaliter aſſerimus, ſiuè Clerici ſint, ſiuè monachi: qui minimè incurrerent irregularitatē occidendo cum moderamine dicto: quia nullus ex eis in tali occiſione peccaret: cum ex iure naturæ cuique ſua defenſio liceat, & ſic incurrere nequit hanc irregularitatem, quæ non, niſi ex delicto, contrahitur, Lug. *de iuſtitia, tom. 1. ſect. 6. à num. 136.* Gibal. *conſect 6 ſol. 119.*

*Nec qui alium vulnerat, aut mutilat ſe defendendo, ſit irregularis.*

46. Idem dicimus de occidentibus ob euitandam mutilationem aut graue vulnus ab inuaſore attentatum, quod probabiliter timetur: quia mors, & mutilatio æquiparantur maxime in ijs, quæ in fauorem patientis cedunt, & vulnus ex ſe graue ad mortem tendit, & ſic ad tuendam propriam vitam illud repellere, vim vi, auferendo licet, Diana, *4 part. tract 2. reſol. 6* Bonacin. *num. 4.* Auila, *dub. 1.* Hurtad. *diſput. 2. de irregularitate, diff. 11. num 36.* Villalob. *tract. 21. diff. 14 num. 7* Sayr. *num. 3.* Cornejo, *quæſit. 7.* Si verò leue dumtaxat vulnus timeatur, iniquum erit ob illud euitandum alium occidere, & ſic occiſor irregularis fiet. An verò ſi vulnus in facie timeatur, quamuis leue; ſed quod deformitatem inducet, ſufficiat ad excuſandum ab irregularitate occiſorem, aliqui ex his Authoribus affirmant: alij negant. Parum intereſt, quòd unum vel alterum dicatur. ¶ Illud ſit certiſſimũ, quod quamuis inuadès innocens ſit, ut ſi ſit puer, freneticus, aut ebrius, excuſabitur ab irregularitate illum occidens, aut mutilans, ſi alter ſe defendere à morte, vel graui vulnere nequit: quia licèt innocens ſit formaliter inuaſor, materialiter autem nócens eſt, & ipſa actio ex ſe eſt iniuſta, iniuſteque vim inferens, & ſic per vim repelli poteſt, quia in pari caſu innocentiæ potius ſibi, quam alteri conſulendum eſt, Cornej. *quæſit. 8.* Soto, *lib. 5 de iuſtitia, quæſt. 1. art. 3 in fin.*, Dicaſtill. *de iuſtitia, tom. 1. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 3 num. 26.* Lugo Cardin. *num. 134.* Gibalin. *diſſ 14.*

*Poteſt etiam inuaſorem occidere, etiamſi in mortali moriturum timeat.*

47. Sed quid dicendum eſt, ſi iniuſtus inuaſor ſit in peccato mortali moriturus? Liberabitur ab

ab irregularitate inuaſus, ſi in lui defenſionem illum occidat? Dicimus, irregularem non fieri, nec in tali caſu peccare, regulariter tamen illi licebit ſe morti exponere, ne alium æternæ damnationi tradat. Prima pars reſponſionis probatur, quia talis occiſio culpa vacat: eo quod iure naturæ unuſquiſque propriam vitam tueri poteſt, vim vi alterius repellendo, & ſic ab irregularitate excuſantur, quæ non niſi ob culpam incurritur, & *in Clement. ſi furioſus* omnis in defenſionem ſuæ vitæ alium occidens excuſatur ab irregularitate. Nec valet, quod aliqui objiciunt, teneri quemlibet propriam vitam corporalem poſtponere ſaluti ſpirituali, & æternæ proximi; etſi neceſſarium ſit pro ea propriam vitam exponere: ſed hoc verum eſt, quandò proximus extrema neceſſitate ſalutis ſpiritualis laborat, ut ſi videat ignarum ab hæretico decipi, tenetur eum docere etiam cum periculo vitæ. At inuaſor non eſt in extrema neceſſitate animæ, cum in ſua manu ſit animam ſuam ſaluare ab inuaſione deſiſtens. Et etiam, quia ſi ipſe inuaſus occidatur, periculo ſuæ ſalutis exponitur æternæ, quæ alterius ſaluti præferenda eſt. Sic Sotus, art. 8. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. Cornej. *quæſit.* 2. Sayr. *num.* 2. Dicaſt. *n.* 38. Lugo, *diſp* 10 *ſect.* 6. *n.* 142. ¶ Secunda verò pars reſponſionis probatur, quia regulariter inuaſus non tenetur inuaſorem occidere ad tuendam propriam vitam, ſed exemplum Chriſti Domini, & aliorum ſanctorum ſequi poteſt: qui, cum poſſent ſe defendere, mori potius elegerunt, quam occidendo reſiſtere. Dixi *regulariter*, quia ſi haberet conſcientiam peccati mortalis, quomodo moriendo æternæ damnationi ſe exponeret, ſi illius vita eſſet Reipublicæ valdè utilis, cuius bonum cuique particulari damno præferendum eſt, non poſſet à ſua defenſione deſiſtere, mortemque ſubire, ut alium à morte liberaret, *Lugo à num.* 153. Dicaſt. *num* 34. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 6 *num.* 10. Leſſius. *de iuſtitia. lib.* 2. *dub.* 9. *num.* 55.

*Poteſt per mortem aggreſſorem præuenire.*

48. Sed nunc reſtant aliquæ difficultates decidendæ: prima eſt, an liceat uti præuentione etiam ſine irregularitate? Vt ſi dentur indicia ſufficientia, quod alter occidet, & alius non poſſit tale malum euitare, niſi præueniendo mortem inuaſoris poterit hoc iuſtè facere, & ab irregularitate erit immunis? Reſpondetur, quod ſi probabiliter timeat, ſe non poſſe defendi poſteà, præuenire poteſt, abſque hac irregularitate, mortem inuaſoris, quia ſic potius dicendum eſt iniuriam repellere, quam inferre, Cornej *quæſit.* 9. Auil. *loc. cit.* & ſic eum, qui præparat ſclopetum, gladium diſtringit ad te occidendum, occidere poteris, quia defenſio non eſt propter offenſam præteritam, quia hæc eſſet vindicta; ſed ad futurã proximè imminentem euitandum. Similiter, ſi aggreſſor veniat, & accedat cum armis contrà aliquem veroſimiliter causâ occidendi illum. Similiter ſi mandet famulo, ut te occidat, illum occidere potes, quia ſicut, potes morte præuenire eum, qui per ſe te inuadit: ſic ſi per alium, Dicaſt. *tom.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10 *dub* 9. *à num.* 110. Lugo, *ſect.* 7. *à numer.* 157. Leſſius, *lib.* 2. *cap* 9. *dub.* 8 *num.* 46. Imò ſi notitiam certam moralem habeas, alium tibi inſidias parare, vel efficaciter decreuiſſe te occidere, & ad hoc oppurtunitatem quærere, potes illum morte præuenire, quia iam eſt inuaſor de præſenti, & damnum futurum euitare potes per tuã defenſionem, ſi probabiliter iudices, quod poſteà inuaſus te defendere non poteris, Cornej. *quæſit* 9 citato, & cũ multis Leand. *q* 24.

*Sententia aſſerens, adulterum non fieri irregularem, ſi occidat maritum ſe de illo vindicare volentem.*

49. Secunda difficultas eſt: an ſi aliquis ſua culpa fuit cauſa, quòd ab alio inuaderetur, & poſteà inuaſus occidat illum, fiat irregularis? Vt ſi verbis, aut factis inuaſorem iniuriauit: ſi adulterium cum eius uxore committens, & à marito inuaſus adulter occidat eum, ſi fur intret domum ad furandum, & dominus inuadit illum; ipſe verò fur, ut ſe defendat, dominum domus occidat. Aſſerit prima ſententia, quod etiamſi alter, v. g. (idem de alijs exemplis) præuideat, quod à marito inueniri in adulterio poteſt, aut ſcire illud, & quod ipſum inuadet in vindictam ſui honoris læſi, ſi illum ſe defendens occidat, non peccabit, nec irregularis erit, quod probat, quia *Clement. Si furioſus, de Homicidio* aſſerit, non eſſe irregularem, qui ſe contrà iniuſtum inuaſorem defendit, quia ſi alius iniuſtè inuadat, inuaſus ius habet ſe defendendi, & vim vi repellendi, ſed adulter eſt iniuſtè inuaſus à marito adulteræ, quia maritus licet in foro exteriori liberatur, ſi occidat adulterum in flagranti repertum, tamen ius non habet coram Deo alterum propria authoritate occidendi: ergò eſt iniuſtus inuaſor; ergò alter habet ius ſe defendendi etiam cum morte illius. ¶ Confirmat. Quia licet antecedenter adulter det operam rei illicitæ, tamen defendendo ſe dat operam rei licitæ, quia ius ſe defendendi non amiſit, eo quod culpabiliter in occaſionem intrauerit, quia alter ius inuadendi illum propria authoritate nõ acquiſiuit: ergò licet in adulterio, vel in iniuria alteri lata peccauerit; ſe tamen poſteà defendendo non peccauit, & ſic ab irregularitate immunis erit. Ità Sayr. *n* 18. Auil. *dub.* 1. *in fine,* & *dub* 3. *concl.* 2. Soto, *art.* 9. *column.* 5. Syluest *verb. Homicidium* 3. *q.* 4. *p.* 3. Tabien. *verb. Irregularit.* 2. §. 26 Leand. *q.* 23. Bonac. *num.* 3. *in fin.* Enriq *loc. cit.* Dian. *reſol.* 2. & 5. *part. tract.* 4. *reſol.* 47. Leſſius, *dub.* 1. *num.* 137. Fagund. *lib.* 5. *Decalogi, cap.* 4. *n.* 7. Pellizar, *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 4. *quæſt.* 45. *num.* 222. Ioann. à S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 64. *diſp.* 20. *art.* 1. *concl.* 4.

*Verius eſt, fieri, ſi periculum aggreſſionis præuiſit.*

50. Verius tamen dicendum eſt, quod ſi offendas alium verbis, aut factis, præuidens, ob iniuriam te ab illo inuadendum, irregularitatem incurres te poſteà defendendo, ſi aggreſſorẽ occidas: ut ſi temerè, & probabiliter timeos, à marito inueniendum eſſe in adulterio, ad mulierem accedas: ſi alapa aliquem offendas, præuidens, ab illo in vindictam te inuadendum, &c. Ratio colligitur ex dictis *num.* 36. & 38. quod qui operi ex ſe periculoſo, & illicito operam dat, morte indè ſecuta, fit irregularis, quia tunc qui aduertenter ad periculum, ſe ingerit operi periculoſo, quod ex ſe viam parat ad homicidium, vult illud in causâ, & ſic tale homicidium eſt illi indirectè voluntarium. Quare licèt non peccet ſe poſteà defendendo, quia ſemper ad hoc ius retinet: nec ex vi talis occiſionis præcisè ſumpta irregularis fiat, (quod, & non amplius probant contraria argumenta,) & ſic ſi tale periculum non præuideret; irregularis non fieret, quia tamen ponendo cauſam cum tali periculo præuiſo, homicidium voluit in ipſa, irregularis fit, iſto ſecuto, non quia in ſe volitum fuerit, ſed quia volitum fuit in causâ ſicut qui in ſomnũ, ebrietatẽve culpabiliter

pabiliter incideret, præuident, hominem tunc occiſurum, irregularis fit; quia in cauſa præuiſit homicidium, quod cum præcauere potuit, & debuit, id non fecit. Ità Cornejo, *quæſit.* 3. qui quamuis in reſponſione oppoſitam videatur amplecti ſententiam, in fine ſolutionis argumenti noſtræ adhæret. Coninch, *diſp.* 18. *dub.* 9. *num.* 75. Suarez, *diſp.* 46 *ſect.* 1. *num.* 12. Giballn. *concl.* 5. Palaut, *diſp.* 6. *punct.* 15. §. 8. *num.* 2. Villalob. *tract.* 12. *diff.* 24. *num.* 4.

*Sententia aſſerens, irregularem fieri, qui poterat fugiendo liberari.*

51. Tertià difficultas eſt: an qui poſſet fugiendo mortem euitare, poſſit inuaſori reſiſtere, & ſi eum occidat, incurrat irregularitatem? Affirmat generaliter prima ſententia; etiamſi talis fuga indecora ſit inuaſo: ut ſi eſſet vir nobilis, vel miles, olſi in caſu quo eſſet talis fuga periculoſa: ut ſi fugiendo timeret, quod aggreſſor audacior fieret, vel quod fugiendo caderet, vel quia aggreſſor velocior eſſet, ab eo poſſet adipiſci, aliavè ratione fugam periculoſam iudicaret, quia tunc in omnium ſententia nullus irregularitatem incurret occidendo aggreſſorem, & reſiſtendo illi, etiamſi vir ignobilis eſſet, cui indecora fuga non eſſet: imò etiamſi Clericus, aut monachus, quia tam fuga non eſſet medium ad euitandum mortis periculum. Loquitur ergò hæc ſententia, quandò per talem fugam poſſet ſine periculo mortem, aut graue vulnus effugere, & aſſerit, quod tunc etiamſi indecora eſſet talis fuga, incurreret irregularitatem aggreſſus, aggreſſorem occidendo. Et ratio illius eſt, quia licèt vir nobilis non peccet reſiſtendo inuaſori, ſi fugere non poteſt abſque ſui infamia, aut dedecore, at verò ad euitandum hanc irregularitatem homicidij, requiritur, quod aliter, niſi occidendo, mortem euadere non poſſit: ſiquidem *in Clement. Si furioſus* ſolum ab irregularitate liberatur, qui aliter mortem euitare nõ valet. Ità Syluest. *verb. Excommunicatio* 6. *quæſt.* 9. Auil. *dub.* 2. Reginald *tom.* 1. *lib.* 30. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 105. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 271. Enriq *loc. cit.* Sayr. *num.* 16. D. Antonin. 2. *part. tit.* 29 *de irregularitate, cap.* 2. *verb Homicidium factum,* Hugol. *de irregularitate, cap.* 29. *num* 3.

*Qui poteſt abſque infamia fugere, irregularis fit occidendo.*

52. Sed nos cum hac diſtinctione ad difficultatem reſpondemus: quod ſi fuga nec periculoſa eſt, nec ignominioſa aggreſſo, irregularitatem incurret aggreſſorem occidendo, ſi fugiendo poſſet ſuum damnum euitare. Si verò, ſit ignominioſa illi, ut ſi vir nobilis, aut miles eſſet; quibus indecorum eſt fugam capere, poteſt reſiſtere inuaſori, illum occidere, non excedendo moderamen ſuæ inculpatæ tutelæ. Primam partem aſſertionis tenent (præter citatos Authores quos infrà citabimus. Et ratio eſt, quia ſi fugiendo abſque dedecore, & ignominia poteſt ſe liberare, reus eſt homicidij, ſi reſiſtendo occidat inuaſorem: ſiquidem moderamen inculpatæ tutelæ excedit, cum non ſit talia occiſio neceſſaria ad defenſionem ſui: & ſic incurret irregularitatem contrà homicidas impoſitam. Hinc fit, Clericos, aut monachos inuaſos ab alio, ſi abſque periculo fugere poſſunt, & ſic damnum euitare, non poſſe licitè reſiſtere inuaſori, & ſi occidant, aut mutilent illum, fieri irregulares, quia illis non eſt indecorum fugere, quandoquidem honor, & fama illorum nõ in armis, ſed in patientia conſiſtere debet. Idem dicimus de viro ignobili, quia in illo non eſt valdè indecora fuga, & illud leue honoris detrimentum ſuſtinendum eſt, ne proximus occidatur. Similiter, ſi vir nobilis noctè aggreſſus ſit ab alio, & ab illo ignotus eſſet, quia nullam tunc famæ iacturam ſubiret. Si tamen cognitus eſſet, & timor eſſet, quod aggreſſor illius fugam publicaret, undè dedecus, & infamia illi apud homines proueniret, idem dicendũ eſt, quod in ſecunda parte concluſionis. Ac tandem ſi aliquis ſua culpa alteri cauſam dedit aggrediendi, ut ſi cum uxore commiſiſſet adulterium, vel verbis, aut factis illum offenderet, ſi fuga poſſet ſe liberare, ad hoc teneretur quod ſi non faceret; & aggreſſorem occideret, fieret irregularis, quia leue tunc detrimentum honoris eſſet, & ſi eſſet aliquantulum graue, illud ſuſtinere debet, qui ſua culpa in tales anguſtias, & occaſionem ingreſſus eſt.

*Qui non poteſt ſine infamia fugere, non fit irregularis occidendo.*

53. Secundà verò pars aſſertionis nimirum, non fieri irregularem virum ingenuum, qui iniuſtè prouocatus, aliterquam fugiendo, mortem non euaderet, ſi inuaſori reſiſtens eum occideret. Probatur, quia talis occidendo non peccat, eo quod non tenetur cum dedecore ſui fugam capere: ergò irregularis non fit, quia loquimur de irregularitate, quę ob delictum proprium contrahitur. ¶ Confirmatur. Quia poteſt quis occidere inuaſorem honoris, aut diuitiarum, ſi aliter ſe ab ignominia, vel ſua bona liberare non poteſt, ut ſtatim dicemus: ergò non tenetur fugere cum dedecore ſui, ſiquidem aliàs tunc eſt aggreſſor, & vitæ, & honoris: licèt ergò vitam liberare poſſet per fugam, non verò honorem. Ità Cornejo, *quæſit.* 4. *concl.* 2. Ioann. à S. Thom. *art.* 7. *concl.* 3. Lugo *diſp.* 10. *ſect.* 8. *n.* 166. Gibalin. *coaſect.* 13. Bonacin. *num.* 4. Diana, *reſol.* 3. Turrian. *de cenſur. lib* 9 *diſp.* 65. *dub.* 2. Hurtad. *diſp.* 2. *de reaſuris, diſſ* 10 *num* 36. Villalob. *num* 2. Sot. *art* 8. Leſſius, *dub.* 12. *num.* 77. Suar. *num.* 6. Palaut, §. 18. *num.* 5. Couarr. 3. *part.* §. *unic. n.* 1. *&* 4. Vndè quamuis in *dicta Clementina* ſolum excipiantur, qui aliter mortem euitare non poſſunt, communiter à Doctoribus extenditur, & intelligitur de illo, qui iuſtè inuaſorè occidere poteſt, quia Pontifex non reſtrinxit decretum ad illum caſum, ſed eum ut frequentiorem appoſuit, & propter ſimilitudinem rationis ad noſtrum extendi poteſt. Quemadmodum licèt in *dicta Clementina* ſolum excipiatur ab regularitate furioſus, qui in furia hominem occidit, communiter ad ebrium, vel dormientem extenditur, quia in omnibus currit eadem ratio.

*Aliquorum Doctorum ſingularis ſententia.*

54. Scimus autem Dianam, *loco cit.* & Filliucium *tract.* 20. *cap.* 5. *num.* 133. aſſerere, quod ſi Clerico, aut Religioſo in aliquo caſu eſſet fuga ignominioſa, poſſet ſe defendere, nec incurreret irregularitatem, ſi inuaſorem occidat. Et addit Leand. *tract.* 2 *diſp.* 12. *quæſt.* 38. quod Clerici, aut Religioſi regulariter, & abſolutè nullo modò tenentur fugere, ut euitent conatum iniuſtè inuadentis; ideòque ſi occidant defendendo ſe, nõ fieri irregulares, quia regulariter loquendo fuga in ipſis inueniri non poteſt, quæ aut indecora non ſit, aut damnoſa, aut periculoſa. Scimus etiam Filliuc. *num.* 135. ſenſiſſe, quod etiam ille, qui cauſam ſua culpa inuaſori dedit, ſi non præuidit damnum futurum, poſſet inuaſori reſiſtere, abſque eo quod incurrat irregularitatem, eum occidendo; tametſi fugiendo ſe liberare poſſet. Scimus etiam Fagundez, *cap.* 7. *num.* 4. & ex illo

Leand. *tract. 2. diſp. 12. quæſt.* 36. dixiſſe, nobiles, aut milites, qui etiam abſque nota fugere poſſent, poſſe licitè inuadenti reſiſtere, quia ex ſe fuga nobilibus, aut militibus ſẽper ignominioſa eſt, & per accidens eſt, quod in tali caſu non ſequatur, & addit idem Leand. pluribus citatis, *quæſt.* 37. quod etiam homines ignobiles, aut mechanici, qui fugam ſine periculo poſſent capere, licitè inuaſori reſiſtent, nec fient irregulares occidendo, quia omni generi perſonarum, fugere eſt infamia, quam omnes vitare tenentur. Quæ omnia contrà ſuperius, *n.* 52 dicta militant, ſed tu tene, quod ibidem diximus, quod tutius eſt, & apud Doctores communius.

*Sententia aſſerens incurrere irregularitatem, qui aggreſſorem bonorum occidit.*

55. Quartà difficultas eſt: an ſiquis iniuſtum inuaſorem honoris, diuitiarum, pudicitiæ, libertatis, in defenſionem harum rerum occidat, fiet irregularis? Et duplex in hac difficultate grauiſſima ſententia. Prima eſt affirmatiua, quæ ex pluribus capitibus iuris probatur, primò. Nam *in cap. Suſcepimus, de Homicidio*, dicitur: *Expediebat potiùs poſt tunicam relinquere pallium, quam pro ſeruandis rebus vilibus, & tranſitorijs, in alios tam acriter manus extendere: in cap. Si perfodiens, de Homicidio* dicitur, non eſſe reum homicidij, qui nocturnum furem occiderit, benè tamen, ſi diurnum ubi denotatur, quod ſi diſcerni poteſt, venire ad furandum, non ad occidendum, ut in nocturnis furibus accidere ſolet, occidi non poteſt. Et *in cap. Significaſti 2. de Homicidio*, irregularis Clericus dicitur, qui in defenſionem bonorum Eccleſiæ furem occidit. ¶ Secundò, quia ob homicidium incurritur irregularitas iure communi, niſi in caſibus in iure exceptis: ſed *in Clement. Si furioſus, de Homicidio*, ſolum excipitur homicidium in defenſionem propriæ vitæ perpetratum: ergo, &c. ¶ Tertiò, quia eſto, eſſe licitum homicidium in defenſionem harum rerum perpetratum, eſſet nihilominus defectus lenitatis eligere potiùs fundere humanum ſanguinem, quam res temporales, & caducas amittere: & ſic occiſor ſaltem incurret irregularitatem, quæ ex defectu lenitatis prouenit: ſicut iudex ſuſpendens latronem huiuſmodi irregularitatem incurrit. Sic Reginald. *tract.* 12. *cap.* 9. *num.* 107. Salon. 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 8. *controu.* 2. *concl.* 1. Bañez, 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. & 3. Nauarr. *cap.* 15. *num.* 4. Auila, *dub.* 4. Sylueſt. *homicidium* 2. D. Antonin. 3. *part. tit.* 4. *cap.* 3. §. 2. Enriq. *cap.* 11. *num.* 3. Fagund. *cap.* 3. *num.* 14.

*Non incurritur irregularitas per homicidium in defenſionem bonorum commiſſum.*

56. Verior tamen eſt ſententia negatiua, quæ probatur primò, *ex cap. Quia te* 50. *diſt.* ubi quidam Epiſcopus à Sarracenis captus aliquos occidit, ut libertatem defenderet: cui Vrbanus II. ita ait: *Sed quoniam non tam ſponte id feciſſe cognoſceris, inde canonicè nullo modo iudicaris* ſi per Canones non iudicatur: ergò nec ab illis per irregularitatem punitur. Et *in cap. Interfeciſti, de homicidio*, excuſatur ab irregularitate, qui ſe, & ſua defendens alium occidit: ubi illa coniunctio, &, vim habet diſiunctionis: id eſt, ſi ſe, vel ſua defenderet; alias qui ſe, & non ſua defenderet, irregularis fieret. Secundò, quia tale homicidium eſt inculpabile ergò nullam irregularitatem inducet. Probatur antecedens, quia licitum eſt homini vim vi repellere: quia tunc non tam vult occidere, quam ſua defendere. Et conſequentia probatur, quia irregularitas ex homicidio priuata authoritate facto, nõ incurritur, niſi homicidium ſit illicitum, ut in ſolutione tertij argumenti dicimus. Tertiò, quia ſi quis in defenſionem ſuorum bonorum Clericum occidat, non eſt excommunicatus *ex cap. Ex tenore, cap. Si verò* 1. *de ſententia excommunic.* ergò nec irregularis fit, qui in defenſionem bonorum iniuſtum aggreſſorem occidit: nam hoc homicidium priuata authoritate commiſſum, eodem modo ac excommunicatio, non poteſt incurri abſque peccato. Ità Palaus, §. 8. *num.* 7. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 21. *diff.* 24. *num.* 8. Sayr. *à n.* 22. Cornej. *diſp.* 4. *dub.* 1. *quæſit. ult.* Gordonus *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 7. *quæſt.* 18. *c.* 10. §. 3. *num.* 73. Suar *ſect.* 2. *à n.* 4. Leſſius, *lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 11. *num.* 73. Coninc. *num.* 88. Filliuc. *tract.* 20. *cap.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 146 & *q.* 7. *num.* 149. Bonac. *n.* 10. Dian. *tra.* 2. *reſ.* 4 ¶ Ex quo fit, quod in caſibus, in quibus licitum eſt aggreſſorem occidere: nimirum ad defendendam patriam, Principem, amicos, parentes, imo quemlibet proximum innocentem, non incurritur irregularitas, quia vel eſt debita talis defenſio ex iuſtitia, aut ex charitate, vel ſaltem eſt licita: & ideo non poteſt incurri propter illam irregularitas; quæ non, niſi ob delictum, contrahitur.

57. Ad primum argumentum ex diuerſis teſtibus deſumptum dicimus, ſermonem eſſe in illis, quandò in defenſione datur exceſſus, quia alia via, quam occidendo, poterant bona defendi, aut facillimo negotio recuperari? Et ideò fur diurnus, quia alia via repelli poterat, vel clamando, vel illum fugando, ut irregularis in foro exteriori iudicatur, qui illum occidit. Et ſimiliter Clericus, qui vocibus bona Eccleſiæ ab inuaſoribus defendere poterát, ad cuius voces omnis vicinia venerat, irregularis iudicatur, quia non niſi occiſione furis fuit contentus. ¶ Ad ſecundum conſtat ex dictis, quod licet *in Clement. Si furioſus* ſolum excipiatur, qui in defenſionem vitæ inuaſorem occidit, ob ſimilem rationem etiam ad occidentem, bonorum inuaſorem extenditur. Sicut licèt ibi ſolum furioſus liberetur ab irregularirate, ob mortem in furia commiſſam; etiam ad ebrios, aut dormientes communis ſententia extendit, & regulariter Doctores ad omnem, qui licitè, & abſque peccato mortem alterius exequitur. ¶ Ad tertium dicendum eſt, irregularitatem ex defectu lenitatis ſolum incurri ab occidentibus, vel mutilantibus voluntariè, authoritate publica, quia talis defectus lenitatis ſtat in eo, quod ſponte ſua munus illud accipiunt, à quo recedere liberum eſt illis abſque periculo mortis: & ideò homicidium inde ſecutum in cauſa voluntarium eſt, & ſpontaneum, quamuis licitum. In caſu verò noſtro homicidium eſt priuata authoritate commiſſum, & nec in cauſa, nec in ſe eſt liberum, & ſpontaneum, ſed occaſionatum ab inuaſore, & quodammodo neceſſarium, & ideò nec irregularitas contrahitur ob delictum, quod non datur; nec ex defectu lenitatis, quia non fuit authoritate publica tale homicidium executum.

*Soluuntur argumenta contraria.*

58. Vltima difficultas eſt: quis poſſit diſpenſare in irregularitate contracta ob homicidium commiſſum in defenſionem vitæ, aut bonorum, quandò exceditur moderamen inculpatæ tutelæ? Pro reſolutione ſupponendum eſt id, quod diximus *n.* 3. hoc homicidium non dici voluntarium

*Quis poſſit in iſta irregularitate diſpenſare?*

ſimplici-

Digitized by Google

ſimpliciter; quia, ut ibidem diximus, illud dicitur homicidium ſimpliciter voluntarium, quod ſponte aſſumptum eſt, & ex propoſito, ac per inſidias. Vndè diximus *num.* 5 quod qui in ſubita rixa, non præuenta, hominem occidit, quamuis ſit reus homicidij, non tamen incurrit irregularitatem ſpecialem homicidij voluntarij. Vndè *Concilium Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Reformatione*, diſcrimen conſtituit inter homicidium voluntarium, & illud, quod in defenſionem committitur, non ſeruato debito moderamine. Et ſic hæc ſpecies irregularitatis homicidij commiſſi in defenſionem cum exceſſu moderatæ tutelæ reducitur ad ſpeciem homicidij caſualis, ut inquiunt Auil. *ſect.* 5. *dub.* 5. Palaus, *num.* 10. N. Antonius à Spiritu S. *in direct. reg. tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 67. §. *Prima eſt*, Cornej. *concl.* 2. Hurtad. *diff.* 20. *num.* 66. Enriq. *cap.* 19. *num.* 3. Suar. *ſect.* 1. *num.* 13. Diana, 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 19. & 4. *part. tract.* 1. *reſol.* 72. & 9. *part. tract.* 7. *reſ.* 22. Vndè illi, de quibus *punct. præced.* diximus, poſſe diſpenſare in irregularitate homicidij caſualis, etiam in iſta poterunt diſpenſare.

## PVNCTVM. V.

### *De irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione Baptiſmi, vel indigna eius receptione.*

*Qui rebaptizat, & rebaptizatur, irregulares fiunt.*

59. CVm Baptiſmus ſit quædam hominis regeneratio, in qua cum Chriſto vitæ prioris morimur cum quo conſepulti ſumus, & neque homo, niſi ſemel regenerari poſſit, nec Chriſtus, niſi ſemel mortuus ſit, & ſepultus; hac perfecta ſignificatione Sacramentum Baptiſmi defraudat, qui illud iterat, magnamque iniuriam, & irreuerentiam Chriſto, & Sacramento irrogat. Quapropter meritò à Pontificibus irregularitas impoſita eſt aduerſus Baptiſmum iterantes, in deteſtationem Hæreticorum, qui illum iterum, atque iterum repetendum iudicabant: ſiquidem aduerſus eum, qui ſcienter rebaptizatur, habetur in *cap.* 4. *confirmandum, diſt.* 50 *cap. Afroſ. diſp.* 98. *cap. Quibis, de conſecratione, diſt.* 4. Et alijs iuribus contrà Acolytum miniſtrantem *in cap. Ex litterarum* 2. *de Apoſtatis.* Et quamuis aduerſus rebaptizantem in iure expreſſa non ſit, qua ratione aliquis videri poſſet, ipſum irregularitatem non incurrere, cum hæc non incurratur, niſi ſit in iure expreſſa, conſtans nihilominus omnium Doctorum, nemine dẽpto, placitum etiam ipſum irregularitatem incurrere, teſtatur, ex dicto *cap. Ex litterarum*, quia ſi Acolyto aſſiſtenti miniſterio rebaptizationis irregularitas aſſignatur, multo magis ipſi miniſtro eam exercenti.

*Quis ſit effectus huius irregularitatis*

60. Cæterum hæc irregularitas, quæ ex dicta rebaptizatione incurritur, ſolum impedit aſcenſum ad alios Ordines: ſed in ſuſceptis iam miniſtrare non tollit, quia in dictis iuribus ſolum aſcenſus ad alios Ordines aſſignatur, pro effectu prędictę irregularitatis: vndè non eſt irregularitas ſimpliciter, & abſolutè talis, quoad omnes effectus illius, ſed quoad iſtum dumtaxat, ulteriores Ordines non accipiendi, Suarez, *tom* 3. *de Sacramentis, diſp.* 31. *ſect.* 6. *dub.* 1. Coninc. *diſp.* 18. *dub.* 5. *num.* 34. Palaus, *diſp.* 6. *punct.* 16. *n.* 1. Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 3 *punct.* 3. *n.* 1. & 7. & ex parte Cornej. *diſp.* 5. *dub.* 1. *quæſ.* 1. *in fin.* qui *quæſ.* 2. cum Sayr. *lib.* 5. *c.* 8. *n.* 3. tenet, hanc irregularitatem incurri etiam propter rebaptizationẽ in occulto, & abſque ſolemnitate factam, eo quod iura non diſtinguunt inter eum, qui in occulto vel publicè rebaptizat, aut rebaptizatur, ſed abſolutè loquuntur, & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Cæterum verius iudicamus, hanc irregularitatem non incurri, niſi propter rebaptizationem ſolemnem, quia *in c. Ex litterarum* 2. *de Apoſtatis*, ita dicitur: *Ad ſuperiores Ordines promoueri (ſi publicum eſt, quod proponitur) non valebit, niſi ad Religionem tranſire voluerit: ſi verò occultum eſt, promoueri poterit.* Et ſecundum diſpoſitionem huius textus alij intelligendi ſunt, in quibus dicta irregularitas pro rebaptizatione aſſignatur, Palaus, *n* 3. & apud ipſum Coninc. *loc. cit.* Tolet *lib.* 10. *c.* 70. §. 4 Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 2. *n.* 1. Sylueſt. *verb. Irregularitas, q.* 4. & inclinat Suar. *loc. cit. dub.* 3. Auila, 7. *part. diſp.* 7. *dub.* 1.

*Qui abſque intentione rebaptizat, non fit irregularis.*

61. Sed inquires primò, an qui coactus, vel ex graui metu impulſus rebaptizat, aut rebaptizatur, irregularis fiat? Reſpondetur ſub diſtinctione: nam vel habet animum recipiendi Baptiſmum, vel non. Si primum, fiet irregularis, quia ad talem animum habendum nulla vi, metu, aut coactione poſſet cogi. Si ſecundum, non fiet, quia tunc non eſt vera rebaptizatio, ſed ficta, quæ ſub hac pœna non prohibetur ab Eccleſia, Cornej. *quæſ.* 3. Auil. *dub.* 3. Bonac *n.* 4. Idem dicimus in foro conſcientiæ de eo, qui abſque metu, & coactione ſolum exterius rebaptizaret, aut rebaptizaretur abſque animo conficiendi Sacramentum Baptiſmi: quod hic irregularis non fieret propter eandem rationem, quia hæc pœna ſolum eſt impoſita contrà eos, qui ex animo, & cum intentione Baptiſmum repetunt, in quo errori Hæreticorum fauent. Et hinc tanquam probabilius deducimus, eum, qui ſub conditione rebaptizat (idem de rebaptizato) illum, quem ſcit eſſe baptizatum, vel temerè, & abſque præmiſſa diligentia rebaptizat ſub conditione, quem ignorat baptizatum eſſe, vel non, nõ incurrere irregularitatem, quia per talem conditionem appoſitam intentio ſuſpenditur, & ſolum in caſu, quod non ſit vera conditio, ad rebaptizationem extenditur. Vndè cum vera ſit, non habet de tali rebaptizatione, ut prohibita eſt ab Eccleſia, intentionem, Cornejo, *quæſ.* 6. Palaus, *n.* 5. Coninc. *n.* 32. Suar. *de conſ.* 31. *ſect.* 6. *dub.* 5. Nauarr. *in manuali, cap.* 27. *num.* 246. Auila, 7. *part. diſp.* 7 *dub.* 5.

*Qui cum ignorantia rebaptizat, aut rebaptizatur, non fit irregularis.*

62. Inquires ſecundò: an ſiquis cum ignorantia inuincibili iteraret Baptiſmum, irregularis fieret? Reſpondetur, quod loquendo de ignorantia facti, quia nimirum ignoraret quis, ſe baptizatum eſſe, ſi cum tali ignorantia rebaptizaretur, irregularis non fieret, nec qui cum tali ignorantia eum rebaptizaret, quia tunc propriè iterare Baptiſmum non dicerentur: non enim cenſetur iteratum, quod non ſcitur eſſe factum, *cap. Solemnitatis, de conſecrat. diſt.* 1. Vndè quamuis qui rebaptizat paruulũ, quem ſcit eſſe baptizatum, irregularis fiat, ipſe tamen paruulus ante uſum rationis rebaptizatus irregularis non manet: tum, quia habet ignorantiam facti: tum etiam, quia peccatum non committit, & hæc irregularitas non niſi ob delictum contrahitur, Sotus, *in* 4. *diſt.* 3. *q.*

*unir. art.* 9. ante finem , Auila, *dub* 2. Sayr. *lib.*6. *cap.* 8. *num.* 8. Corn. *quæſ.*7. Palaus, *diſp.*6 *punct.* 16. *n* 6. Quare textus *in cap. Qui in qualibet* 1.*q.*7. excludens ab Eccleſiaſtica militia eos, qui in qualibet ætate rebaptizati ſunt , intelligendus eſt, cum Gloſſa, de qualibet ætate adulti, & doli capacis, & textus *in cap. Quibus, de conſecrat. diſt.* 4. ubi dicitur: *Quibus baptizatur ignoranter, licèt pœnitere non rogat , non tamen poteſt ad ſacros Ordines commoueri*: intelligendus eſt de eo, qui cum vincibili ignorantiâ rebaptizatur: dicitque, non debere agere pœnitentiam, non loquendo de Pœnitentia ſacramentali, quæ ob quamlibet culpam debet adhiberi: ſed de publica, & ſpeciali in illo textu aſſignata circà ignorantiam iuris. Videantur dict. *cap. præced. à num.* 57.

*Pro aliorum Sacramentorum iteratione non incurritur irregularitas.*

63. Inquires tertiò. An pro iteratione aliorum Sacramentorum præter Baptiſmum incurratur irregularitas? Reſpondetur negatiue: ſiuè Sacramenta imprimant characterem ut confirmatio, & ordo, ſiuè non: ut ſiquis hoſtiam conſecratam iterum conſecraret, quia in iure non eſt expreſſa irregularitas niſi pro iteratione Baptiſmi, & niſi in iure ſit expreſſa, nulla irregularitas incurritur. Nec obſtat, quod eadem ratio currit in iteratione Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum, quæ characterem imprimunt: & ubi eadem eſt ratio, eadem eſt iuris diſpoſitio, quia hoc axioma iuris de lège diſponente intelligendum eſt, non de pœnali: lex enim diſponens ità ex ratione pendet, ut ratio anima legis dicatur : & ſic meritò iudicatur eandem vim habere, ubi eadem ratio currit. At lex pœnalis partim à ratione, & partim à legislatoris voluntate dependet , quæ potuit velle ; quod talis pœna pro una culpa aſſignetur , non pro alia, etiamſi eadem ratio inueniatur in illa, & hoc maximè in irregularitate verificatur , circà quam non valet argumentatio à paritate rationis, ut dix. *c. præc. n.* 30. quia ſolùm quandò expreſſa eſt in iure incurritur. Valent. *tom.*4. *diſp* 7. *q.* 19. *punct.* 3. §. 5. Bonac. *n.*7. Sayr. *num.*27. Auil. *dub.* 5. Palaus, *ſuprà num.*13. Cornejo, *quæſit.*11.

*Quis relaxare poſſit hanc irregularitatem?*

64. Inquires quartò, quis poſſit in hac irregularitate diſpenſare? Reſpondetur , quod, præter Pontificem, poteſt Epiſcopus, ſi occulta fuerit rebaptizatio ex conceſſione Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* non verò ſi publica fuerit. Cæterum ut publica dicatur , non ſufficit, quod ſecundus Baptiſmus publicè fiat ; ſed quod primus etiam ſit publicus, ac proinde, quod publicum ſit ſuper baptiſmum iam habitum, rebaptizationē cadere, ut aduertunt Palaus, *diſ* 6. *punct.* 16. *n.* 14. Corn *loc. cit.* 11. Sayr. *lib.* 7. *c* 8. *in fin.* Auil. *loc. cit. in fin.* Bonac. *punct.* 3. *num.* 9 & 10. Probabile eſt, etiam per Bullam Cruciatam poſſe tolli hanc irregularitatem, ſi publica fuerit, ſemel in vita, & ſemel in morte; quia eſt talis diſpenſatio Papalis: ſi occulta, toties quoties, quia iam non eſt Papalis, ſed iure ordinario competens Epiſcopis. Probabilius tamen eſt , per Bullam non poſſe fieri talem diſpenſationē iuxt. d *cap. præc. n.* 66. Reſpectu Regularium, poſſunt eorum Prælati diſpēſare toties quoties in illa reſpectu ſuorum ſubditorum, etiāſi publica fuerit propter *d. cap. præc. n.* 59. & tenent Bordon. *to.* 1. *reſ.* 11. *n.* 3. & ex ipſo N. Ant. à Spir. S. *in direct. Reg. tract.* 2. *diſp.* 2. *num.* 72. An verò poſſint Confeſſores Regulares , diſpenſare cum ſæcularibus in dicta irregularitate ? vidè , quæ diximus *cap. præc. num.* 63.

*Per aliquam indignam receptionem Baptiſmi incurritur irregularitas.*

65. Inquires 5. An ex aliqua indigna receptione Baptiſmi incurratur irregularitas? Reſp. quod in duplici caſu. Primus , quandò quis ab Hæretico ſic declarato liberè, & abſque ulla neceſſitate Baptiſmum recipit, *cap. Ventum eſt* 1. *q.* 1. *c. Qui in qualibet* 1. *q.* 7. eo quod Hereticorum errori communicare videtur , qui ab ipſis Baptiſmum recipit: & ſic in criminis huius pœnam talis irregularitas imponitur. Ex quo fit, excuſare ab hac irregularitate ignorantiam, metum, neceſſitatem, aut aliam rationem, quæ excuſat à culpa: proindeq; parvulos ab Hæreticis baptizatos immunes eſſe ab illa. Secundus caſus eſt , quandò quia Baptiſmi receptionem uſque ad infirmitatem, & mortis periculum differt, *cap. Siquis, diſt.* 57. quia non præſumitur perfecta fides , & voluntaria in eo , qui uſque ad tale tempus intrare per oſtium Eccleſiæ, quod eſt Baptiſmus, differt. Hæc irregularitas per Baptiſmum non tollitur, quamuis ſit ex delicto: quia potius per Baptiſmum inducitur: & idem non poteſt contrarios effectus operari. Poterit tamen Epiſcopus in illa diſpenſare , ſi occulta fuerit: & etiamſi publica, ſi adſit miniſtrorum neceſſitas; vel ſi poſt Baptiſmum ſuſceptum vitam inculpabilem , & exemplarem aliquo tempore ducat, qui ſic baptizatus eſt; per quam ſuſpicio, quæ de ſua fide infirma, haberi poterat, amputetur. Sic Palaus, *num.* 11. Hurtad. *de irregul. diſp.* 2. *diff.* 1. *num.* 2. Bonac. in *num.* 11. Cornejo, *dub.* 2. *in fin.*

## PVNCTVM VI.

### *De irregularitate, qua contrahitur ob violationem cenſurarum.*

66. QVid ſentiendum ſit circà hanc irregularitatem, multoties agendo de cenſuris, & obligatione illas obſeruādi, diximus: ideò parum in hoc puncto immorabimur. Et in primis ſciendum eſt, non incurrere irregularitatem, qui tempore ceſſationis à diuinis celebrat, aut alium actum Ordinis exercet. Similiter qui depoſitus eſt, irregularis, degradatus, ſi actum Ordinis ſacri exerceat, non incurrit nouam irregularitatē: quia nec ceſſatio, depoſitio, degradatio, aut irregularitas eſt cenſura, ut diximus *c.* 1. *huius tra punct.* 1. dato tamen, eſſe cenſuras, adhuc non fieret irregularis, qui per actum Ordinis eas frāgeret: quia non pro cuiuslibet cenſuræ violatione irregularitas incurritur, niſi illius, cui eſt irregularitas expreſſè in iure annexa: & pro his non datur in iure ; ſicut pro interdicto, ſuſpenſione, & excommunicatione. ¶ Rurſus, qui contrà præceptum prohibens celebrare ſub cenſura operatur, non incurrit irregularitatem, quia non violat cenſuram, ſed eam incurrit: quod eſt longè diuerſum, Cornejo, *diſp.* 6 *dub. unic. quæſit.* 11. Pellizar. *tom.* 2. *tract* 7. *cap.* 5 *ſect.* 3. *quæſt.* 28. *num.* 140. ¶ Deindè, qui dubitans an cenſuratus ſit, celebret, ſi poſteà ſe non eſſe cenſura irretitum reperiat, etiamſi peccet periculo frangendi cenſuram ſe exponendo ; re ipſa non fregit illam: & ſic non remanet irregularis. Si tamen appareat, ſe verè cenſuratum celebraſſe, & dubium practicè per opinionem ſaltē probabilem non depoſuit, irregularitatē incurrit; ſecùs verò ſi practicè illud depo-

*Referuntur, qui hanc non incurrunt irregularitatem.*

nendo

nendo celebrauit: quia ſic non peccauit; ideoque irregularitatem ex delicto, qualis hæc eſt, incurrere non poteſt, Sayr. *lib. 7. cap. 9. num. 29.* Enriq. *lib. 14 cap 7. §. 1.* Soar. *diſp. 11. ſect. 3. n. 7.* ¶ Deniq; qui minori tantum excommunicatione innodatus celebrauit, irregularis non fiet, *cap. Si celebrat. de Cleric. excomm. miniſtrante.* Imò etiam ille, qui maiori excommunicatione implicitus, etiam denuntiatus, non fiet irregularis actus minorum ordinum etiam ſolemniter, & ex officio exercendo: quia licèt de rigore iuris per tales actus fortaſſe irregularitatem incurreret; ex conſuetudine tamen, & praxi communi oppoſitum habetur. Sic Bonac. *quæſt. 3. punct. 5. num. 1.* Gibalin. *cap. 1. quæſt. 1. concluſion. 14. & 15 num. 32. & 33.* Villalob. *tract. 21. diff. 14 num. 1.* Auila, *7. part. diſp. 9. ſect. 2. dub. 3.* Cornejo, *quæſt. 1.*

*Excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus actum Ordinis ſacri exercens fit irregularis.*

67. Igitur qui maiori excommunicatione eſt innodatus, qui ſuſpenſus, interdictus perſonaliter, vel in loco interdicto actum maioris Ordinis exercet, ſeu qui Ordini maiori, aut ex iure Diuino, Eccleſiaſtico, vel conſuetudine Eccleſiæ eſt annexus, fit irregularis; etiamſi non ſit denuntiatus: quia quod toleratus ſit, nihil poteſt, quod in fauorem eius vergit: ſiquidem per hoc quod ipſum tolleret Eccleſia, in nullo voluit eum celebrare, ut ex *Extrauagant.* Martini V. *& Concilij Conſtantienſis* multoties diximus: de excommunicato actum Ordinis exercente habetur *c. Si quis Epiſcopus 2. 11. quæſt. 3. cap. ultimum, de Clerico excommun. miniſtr.* de ſuſpenſo ab Ordine, exercente actum Ordinis, vel Ordini annexum, à quo eſt ſuſpenſus habetur *cap. 1. de ſentent. & re iudicata in 6 cap. 1. de ſentent. excomm. eod. lib. cap. Apoſtolicæ, de Clerico excomm. miniſtrante.* Si autem ſuſpenſus ab uno Ordine actum alterius Ordinis, à quo non eſt ſuſpenſus, exerceret, non incurreret irregularitatem. De illo verò, qui interdictus, vel tempore interdicti, actum Ordinis ſacri, vel illi annexum exercet, habetur *cap. Is, qui. §. Is verò, & cap. Is cui, de ſentent. excomm. in 6.*

*Debet ſolemniter talem actum exercere.*

68. Sed notandum eſt primò, quod ad incurrendam hanc irregularitatem ſuſpenſus, excommunicatus, vel interdictus, propter actum Ordinis, debet illum cum ſolemnitate, & cæremonijs exercere, quibus dumtaxat à Clericis in ſacris conſtitutis poteſt fieri, ut ſi Epiſtolam cantet in Miſſa cum manipulo: ſi Euangelium cum ſtola. Qui verò abſque manipulo Epiſtolam, vel abſq; ſtola Euangelium etiam in Miſſa ſolemni cantaret, irregularis non fieret: quia ſic exerceri poſſunt tales actus à cantoribus, & non ſunt neceſſariò Ordinibus ſacris annexi. Qui verò exerceret actum Ordinis ſacri abſque ſolemnitate, qui à non conſtitutis in ſacris, etiam abſque ſolemnitate fieri nequeunt, irregularitatem incurreret: ut ſi abſq; debitis cæremonijs celebraret, ſi abſolueret, &c.

*Quæ actiones inducant hanc irregularitatem.*

69. Notandum eſt ſecundò, per actum Ordinis ſacri intelligi omnes actiones quæ à ſolis Diaconis, Subdiaconis, Presbyteris fieri poſſunt: ut, canere Epiſtolam, vel Euangelium ſolemnitate dicta, nuptias ſolemniter benedicere (Matrimonio verò aſſiſtere non eſt actus Ordinis, ſed iuriſdictionis, & ſic irregularitatem non inducit) Cineris, Ramorum, aut Candelarum ſolemnis benedictio, calicis, aut Eccleſiæ conſecratio, &c. At verò ſolemniter canere Officium Diuinum non eſt actus Ordinis ſufficiens ad irregularitatem in cenſuratis inducendam; niſi fiat ab hebdomadario Capitulum, Orationem cum *Dominus vobiſcum* ſolemniter canente: quia hic actus ex conſuetudine ſolis Presbyteris, aut Diaconis eſt annexus. Ille autem, qui eſt interdictus, aut ſuſpenſus à munere prædicandi, etiamſi prædicet, non fit irregularis: quia non eſt actus Ordinis, & ſic fieri poteſt à non conſtituto in ſacris, ſed iuriſdictionis, de licentia Epiſcopi ſibi competentis. Et licèt vel ex lege diuina, vel Eccleſiaſtica, vel ſaltem ex conſuetudine, non niſi à Diacono licitè exerceri poſſit; hoc non fit, quia ſit actus Ordinis; ſed quia prærequiritur talis Ordo in ſubiecto: eo quod Eccleſia non vult prædicare, qui ad minus non ſit Diaconus. Sicut in Religionibus pluribus, ſuffragium ferre non poteſt, vel eligere, qui non eſt in ſacris conſtitutus: & non propterea irregularis fieret, qui excommunicatus, ad ſuffragium ferendum ſe intromitteret. Cornejo, *quæſt. 4.* Syluest. *verb. Suſpenſio, quæſt. 5.* Enriq *cap 6 num 2.* Sayr. *libr. 4. cap. 16. num. 20. & 21.* Suar. *diſp. 12 ſect. 2. num. 4.* Auila, *&* Diana, *5. part. tract. 10. reſol. 10.*

*Quæ requiruntur ad incurrendam hanc irregularitatem.*

70. Notandum eſt tertiò, eſſe neceſſarium ad incurrendam hanc irregularitatem, quod cenſuratus ſcienter actum Ordinis exerceat: quia ob contemptum cenſurarum eſt impoſita. Deinde quod ſuſpenſus ſit talis per ſuſpenſionem, quæ eſt cenſura; non verò de illa, quæ vel ob defectum ætatis, valetudinis, ita datur; vel quæ per præceptum confeſſoris præcipientis illum non miniſtrare in ſacris, vel per peccatum mortale, ratione cuius à celebratione arcetur; vel de alijs ſuſpenſionibus, de quibus ſuo loco diximus non eſſe cenſuras, ſed ſimplices prohibitiones, aut impedimenta. Denique interdictus debet exercere actus Ordinis non permiſſi tempore interdicti: ſi cum Sacramenta miniſtret, vel celebret temporibus, & locis in *cap. Alma mater, de ſentent. excomm. in 6.* permiſſis cum conditionibus ibi aſſignatis, non fiet irregularis; ſi tamen moderamina ibi aſſignata non ſeruet, ab irregularitate non excuſabitur. Vndè ſi Clerici cum ſolemnitate Miſſæ, & Officij ſæcularem ſepeliant, ſi cum cantu, pulſatis campanis, & ianuis non clauſis, in loco generaliter interdicto celebrent, vel in ſpecialiter interdicto quomodolibet celebrent, irregulares fient: quia id non conceditur in dicto *cap. Alma mater,* ut ſuo loco diximus.

*Qui alij hanc irregularitatem incurrant.*

71. Denique notandum eſt, quod Epiſcopus, aut alius inferior Sacerdos excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus, denuntiatus, irregularis fit, ſi alium cogat coram ſe celebrare *cap. Illud, de Clerico excomm. miniſtrant.* alius verò Clericus inferior Sacerdote, etiamſi coram ſe faciat alium miniſtrare, irregularis nõ fiet; quia dictum caput ſolum de Epiſcopo; aut alio Sacerdote loquitur: quibus propter maiorẽ auctoritatem facilius foret cogere alium, ut coram ſe celebraret, Enriq *c. 7. n. 3.* Auil *dn. 6. concl. 1.* Nec fieret irregularis, ſi dictus Epiſcopus, aut alius Sacerdos faciat, ut coram alio excommunicato ſacrificium celebretur: quia *dictum caput* loquitur de eo, qui coram ſe facit celebrare: quia ſic virtualiter, & moraliter videtur tanquam celebrans aſſiſtere. Nec deindè fiet irregularis Sacerdos, qui non cenſuratus, facit cenſuratum coram ſe celebrare: quia

textus

textus citatus de cenſurato coram ſe faciente non cenſuratum celebrare loquitur, Cornejo, *quæſ.* 5. Dian. 4. *parc. tract.* 2. *reſ.* 57.

*Quis poteſt diſpenſare in hac irregularitate.*

72. Sed quæres modò. Quis in hac irregularitate propter violationem cenſuræ orta diſpenſare poterit? Reſp. præter Pontificem, poſſe Epiſcopum, ſi ſit occultum delictum, ex conceſſione Trid. *ſeſſ* 24. *c.* 6. Et probabile eſt, poſſe per Bullam licèt oppoſitum probabilius ſit iuxt *d. c. præt. n.* 66. Reſpectu autē Regularium poſſe Prælatos toties, quoties, etiamſi publica ſit diſpenſare, tenet Corn. *loc. cit. q. ult.* Sayr. *lib.* 7. *c.* 9. *n.* 31. Cand. *tom.* 2. *diſq.* 24. *art.* 6. *dub.* 3. Ant. à Spir. S. *in direct. reg. tr.* 2. *diſp.* 1. *n.* 72. Bordon. *tom.* 1. *reſ.* 15. *n.* 41. ex priuilegio Sixti IV. *in mari magno Prædicatorum*: *&* Greg. XI. quos Bordonus refert. Imò ex priuilegio Pauli III. *Bull.* 3. quos refert Fragoſo, *tom.* 2. *lib.* 11. *diſp.* 24. § 7. *n.* 18. & ex priuilegio Martini V. quod refert Peirines *ad Conſtit. primam* Iulij II. poſſunt Regulares cum ſæcularibus diſpenſare in dicta irregularitate etiam ex delicto publico proueniente, toties, quoties voluerint: quod etiam aſſerit N. Anton. à Spiritu S. *loc. cit. diſp.* 3. *num.* 64.

## PVNCTVM VII.

### *De irregularitate contracta per illegitimam Ordinum ſuſceptionem, illorumque uſurpationem.*

*Quomodo incurratur irregularitas ob indignam Ordinum ſuſceptionem.*

73. DVpliciter poteſt contingere irregularitatem aliquem incurrere ob illegitimam Ordinum ſuſceptionem, Primò, ſi furtiuè illos recipiat, quod adhuc bifariàm poteſt fieri; uno modo, ſi abſq; Epiſcopi examine, & approbatione ad recipiendos ab eo Ordines ſe intromittit, & de facto eos recipiat, qui prohibetur ad alios Ordines aſcendere, *c.* 1. *de eo, qui furtiuè Ordinem ſuſcipit*: alio modo, qui eodem die plures Ordines, quorum unus Sacer eſt, abſque diſpenſatione Epiſcopi furtiuè recipit *c.* 2. *&* 3. *eod. cit.* Secundò, qui poſt matrimonium contractū ante conſummationem Ordinem ſacrum recipit, viuente, & renitente uxore, *Extrau. Antiquæ cōcertationi de voto.* Plures aliæ dantur illicitæ, vel furtiuæ Ordinum receptiones, quas aliqui putant irregularitatem inducere; verè tamen non inducunt, ſed ſuſpenſionem; ut qui ordinatur antè legitimam ætatem, per ſaltum, furtiuo titulo, extrà tempora, ab alieno Epiſcopo, abſq; litteris dimiſſorijs à proprio receptis, non ſeruatis interſtitijs, qui cenſuratus ordinatur, vel ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, vel qui Epiſcopatui renuntiauerat, Cornejo, *diſp* 7. *dub.* 1. *in fin.* Palaus, *diſp.* 6. *punct.* 17. *num.* 1. Suarez, *diſp.* 42. *ſect.* 3. *num.* 5. Conineb, *diſp.* 18. *dub.* 5. *num.* 43.

*Quomodo per uſurpationem Ordinis incurratur irregularitas.*

74. Deinde: Clericus, qui uſurpat Ordinem ſacrum, quem non habet, miniſtrando ſcienter, & ſolemniter in eo fit irregularis, *cap.* 1. *&* 2. *de Clerico non ordinato miniſtr.* Diximus *ſcienter*, nam ſi putaret, ſe habere illum Ordinem, non fieret irregularis actum illius exercendo. Diximus etiam *ſolemniter*, id eſt, cum ſolemnitatibus, cæremonijs, aut circumſtantijs, cum quibus à non habente talem ordinem fieri non poteſt ut Epiſtolam in Miſſa ſolemni cum manipulo, & Euangelium cum ſtola canat, abſque Ordine Diaconatus, aut Subdiaconatus: & ſi abſque Ordine Presbyteratus ſolemniter baptizet, abſoluat ſacramentaliter: ſi Sacramentum Extremæ unctionis impertiatur, ſi Miſſam dicat, aliaué propria Sacerdotum munia exerceat. ¶ Aliqui verò putant, etiam laicos hanc irregularitatem incurrere exercendo actus Ordinis ſacri, eo quod *cap.* 1. *&* 2. *de Clerico excomm. miniſtr* generaliter loquuntur: & quia grauius peccat ſæcularis, qui hos actus exercet, quam Clericus, qui abſque tali ordine illis ſe immiſcet. Quod tenet Auil. 7. *p. diſp.* 9. *ſect.* 2. *dub.* 15. Conin. *diſp* 6. *n* 45. Suar. *ſect.* 4. *n.* 3. quod quidem probabile eſt. Sed non minus eſt probabile, quod aſſerunt. Sayr. *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 6. Corn. *dub.* 2. prope fin. Palaus, *punct.* 18. *n.* 50. Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *punct.* 6. *n.* 1. Enriq. *lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 2. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 3. *num.* 3. quod licèt laici grauiſſimè peccent, ſi celebrent, ſolemniter baptizent, abſoluant, alioſuè actus Ordinis ſacri exerceant; non tamen fiunt irregulares: quia dicti textus ſolum de Clericis loquuntur, & ſic titulus eſt: *De Clerico non ordinato miniſtrante.* Vndè verba generalia, quæ in dictis iuribus adducuntur, debent explicari, & intelligi iuxtà titulum, qui eis præfigitur.

*Quis poſſit diſpenſare in dictis irregularitatibus.*

75. In irregularitate contracta ex furtiua Ordinum ſuſceptione diſpenſare poteſt Epiſcopus, ſi delictum occultum fuerit; ſi verò publicum, & ipſe, (quod frequenter fit) ante ordinationem ſub pœna excommunicationis non præcipit, neminem furtiuè accedere ordinationi, etiam poterit ipſe Epiſcopus diſpenſare, minimè tamen poterit, ſi tale præceptum præmiſit, niſi cum eo, qui ordinatus Religionem ingreditur, & in ea aliquo tempore laudabiliter viuit, *cap.* 1. *de eo, qui furtiuè Ordinem ſuſcipit*, Cornejo, *dub.* 1. *concl.* 2. Palaus, *punct.* 17. *num.* 4. Bonac. *punct* 4. *num.* 7. Cum illo verò, qui poſt matrimonium ordinatur, non poteſt Epiſcopus diſpenſare (intellige, ſi publicum fuerit delictum) etiam ſoluto matrimonio, niſi in Religione approbata profiteatur, ut in dicta *Extrauagante*, habetur. Cum illo verò, qui Ordinem uſurpat quandò crimen fuerit occultum, poterit: ſi verò publicum fuerit, non poterit diſpenſare, ut ad alios Ordines aſcendat; benè tamen, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtret, ex *cap.* 2. *de Clerico non ordin. miniſt.* Et tenent Auila, *loc. cit.* Bonacin. *num.* 10 Sayr. *n.* 11. Corn. *dub.* 2. *quæſ.* 2. An verò virtute Bullæ Cruciatæ poſſit hæc irregularitas relaxari? Vide, quæ diximus *cap. præced num.* 65 Reſpectu Regularium poſſunt Prælati in omnibus irregularitatibus relatis *hoc punct.* diſpenſare: tum ex priuilegio Sixti IV. *in mari magno Prædicatorum*, tum ex priuilegio Gregorij XI. & docet Bordonus, *tom.* 1. *reſol.* 11. *num* 41. Candid. *tom.* 2. *diſq.* 24. *art.* 6 *dub.* 3. *&* 24, quos & alios refert, & ſequitur N. Antonius à Spiritu S. *in direct. reg. tract.* 2. *diſp.* 1. *num.* 71. An verò poſſint Regulares diſpenſare cum ſæcularibus in dicta irregularitate. Vide ipſum *tract.* 2. *diſp.* 3. *num.* 64. *&* Fragoſum *tom.* 2. *lib.* 11. *diſp.* 24 §. 7. *num.* 18. & affirmatiuè reſpondebis, & ſi hoc non placet, vide, quæ diximus *cap. præced. num.* 63. *in fine.*

PVNC-

## PVNCTVM VIII.

### *De irregularitate contracta ex delicto, cui eſt annexa infamia.*

*Infamia irregularitatem inducit, & quando?*

76. CVm illi ſolum admitti debeant ad ſacrum miniſterium; qui purum, & immaculatum nomen conſeruant, cum ſit indecens ad Eccleſiaſtica munia admitti, qui famam ſui nominis ob aliquod crimen pollutam habent: merito omnes, qui infamia aliquâ notantur ſiuè iuris, ſiuè facti, per ius Canonicum irregulares fiunt, *cap. Infames 6. q.1. cap. Qui in aliquo 51. diſt. cap. Teſtes 2. q 7.* Primò, infamibus namque portæ dignitatum patere non debent ex regula *Infamibus, de Regulis iuris in 6.* & hoc intelligitur, ſiuè ſit infamis per ius Ciuile, ſiuè per ius Canonicum, quia infamia inducta per ius ciuile, quod non eſt abrogatum per ius Canonicum, dicitur infamia canonica, in Ordine ad cauſandam irregularitatem ex textu *cap. omnes 6. quæſt.1.* ibi: *Omnes verb. infames eſſe dicimus, quos leges ſaculi, infames appellant.* Hæc irregularitas, & eſt ad non ſuſcipiendos Ordines, & ad non miniſtrandum in iam receptis, ut rectè docent Palaus, *diſp.6. punct. 20. n.9.* Auil. *7. part diſp.4 dub.5.* Conineh, *diſp.18. dub.7.* circà finem, Bonacin *diſp.7. quæſt. 3. punct. 1. num.4.* quamuis hic Author diſcrimen ponat inter infamiam iuris, & facti & de illa aſſerat ad utrumque effectum inducere irregularitatem, de iſta verò ſolum ad recipiendos Ordines, non verò ad miniſtrandum in iam receptis, quod etiam tenet Azor, *2. part. lib.6. cap.7. quæſt.3.*

*Quid ſit infamia?*

77. Sed ut irregularitas hæc ex infamia orta intelligatur, videamus, quid ſit infamia: & quot modis poſſit contingere? Et quia hæc irregularitas ex infamia propriè non ponitur in pœnã delicti, ſed ob indecentiam, quæ inuenitur in eo, quod infamis ad Sacros Ordines recipiatur, vel in eis miniſtret, poſteà videbimus, quot modis auferatur infamia: ut inde conſtet, quibus modis hæc irregularitas tolli poſſit, quæ ceſſante infamia ceſſat. Igitur infamia definitur, quod *eſt publica diminutio boni nominis, & rectæ exiſtimationis*: quia cũ fama *ſit multorum recta opinio cum rumore*, ut definiunt N. Salmanticenſes *in explicatione art. 3.1.2.q.2* fit inde, infamiam, quæ mala fama dicitur, eſſe diminutionem illius rectæ opinionis, & præclari nominis. Et alia eſt infamia facti, alia infamia iuris, de quibus modò dicemus.

*Quomodo dicatur infamia facti?*

78. Infamia facti dicitur, quæ oritur ex ipſo facto, ſecluſa omni lege, quia cum fama ſtatus ſit illæſus moribus, & legibus probatus, diminuitur per graue delictum, quod eſt iuribus, & legibus contrarium: ut ſunt illa peccata, quæ attento cuiuſcumque, ſtatu & communitate, in qua viuit, vilis, & abiectæ æſtimationis apud pios, & prudentes reddunt. Ad quam reducitur illa, quę prouenit ex delictis quæ in Clericis enormia dicuntur, ut homicidium, periurium cum falſo teſtimonio in Iudicio hæreſis, ſodomia, ſimonia, & alia, quæ infamiam ex iure inducunt, *c. Ex tenore, de temp ordinat. c. in fin. eod. tit.* Sed hæc omnia notoria debent eſſe, ut irregularitatem inducant, ut ex duobus capitibus citatis conſtat, ut docent Suar. *diſp.45. ſect.5. n.17. & diſp.43. ſect.4 & 5.* Bonac. *n.3.* Coninc. *n. 56.* Corn. *diſp.18. dub. unic propè fin.* Vndè nec ſodomita, nec ſimoniacus, aut alio quocumq; crimine innodatus, irregularis fit, niſi notorium ſit delictum. Ex quo fit, ceſſare hanc irregularitatem, hoc ipſo, quod infamia ceſſet; qua ratione illius imponitur, in eaque fundatur: qua proinde corruente, euaneſcit.

79. Idem dicimus de crimine hæreſis: quod per ſe, & ratione ſui non inducit irregularitatem ex iure: ſed præcisè ob infamiam facti, quam ſecum affert: ideoque ob hæreſim occultum non inducitur irregularitas: quæ iura, quæ irregularem hæreticum videntur facere, loquuntur de publico: & ſic diriguntur ad Paſtores, & Prælatos, ne eos ad Ordines admittant. Hoc autem ipſo, quod hæreſis publica ſit infamiam facti inducit; & ſic ſolum ex hac ratione facit irregularem ob indecentiam; non in pœnam delicti: ut videre eſt apud Palaum, *punct. 9. §.1. n 2.* Cornejo, *dub. unic. in fin.* Enriq. *lib.14. c 4 n.6.* Sayr. *lib.7. c.12. n.16.* Auil. *dub.2.* Hurtad. *diſp.2. diff 4. n.14* Ex quo fit, quod ſi infamia facti per emendationem, & ſufficientem pœnitentiam auferatur, aufertur, hæc irregularitas ob hæreſim contracta, abſque diſpenſatione: ut dicemus de omni, quæ ex infamia facti incurritur. Et ideò dicitur in *cap. Si qui voluerunt 1. quæſt. 7.* de Nouarianis redeuntibus ad Eccleſiam, poſſe Ordinari. Non ignoramus, plures, & grauiſſimos Doctores aſſerere, hæreſim inducere irregularitatem iuris, quæ incurritur, etiam ob hæreſim occultam, abſque infamia: proindeque tolli non poſſe abſque diſpenſatione; ſed probabilius, quod diximus, iudicamus.

*Hæreſis ſolùm ob infamiam inducit irregularitatem.*

80. Infamia iuris eſt illa, quæ vel per ius Canonicum, aut Ciuile contrahitur, & eſt in triplici differentia. Alia eſt ex delicto proprio cui ex iure ipſo infamia eſt annexa. Alia ex delicto alieno. Alia ex officio. Infamia iuris ex delicto proprio eſt duplex: alia, quæ requirit iudicis ſententiã diffinitiuam, quæ tranſeat in rem iudicatã: uti eſt crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, & humanæ, adulterij, proditionis, rapinæ, homicidij: ut habetur in *Inſtituta, de publicis iudicijs, leg.1. & leg. Infamē ff. eodem tit.* vel ſi ob criminis notorietatem damnatus eſt pœna publica, ut flagellationibus, triremibus, perpetuo carcere, &c. quia tales pœnæ inducunt infamiam iuris, *leg Fuſtibus, C. ex quibus cauſis infamia irrogetur? leg. Ictus ff. de his, qui notantur infamia.* Ad hanc reducitur infamia, quæ contrahitur, quandò reus confeſſus eſt ſuum crimen in iudicio: quia hæc confeſſio facit, quod delictum publicum ſit publicitate iuris: ut docent Sayr. *c 9 n.3.* Bonacin. *punct. 5. n. 2.*

*Quotuplex infamia iuris ſit?*

81. Alia eſt ex delicto proprio, quæ annectitur ipſi delicto tantum, oriturque ex crimine, cui ius Ciuile, vel Canonicum infamiam ipſo facto conſtituit. Ad quam incurrendam, & conſequenter irregularitatem, quæ ex illa oritur, eſtò requiratur ſententia iudicis declaratoria criminis, de quo eſt dubium inter Doctores; non tamen requiritur ſententia diffinitiua, & condemnatoria. Et hæc eſt multiplex in utroque iure: nam ex iure Ciuili incurritur inprimis ob lenocinium, quod committit, qui ex conſuetudine virum, vel fœminam proſtituit, vel perſuadet, ut cum alio fornicetur, *leg. Palam, §. Lenocium, ff. de ritu nuptiarum.* Locans ſuas operas, ut cum

*Quæ infamia ex iure Ciuili detur?*

beſtia

Digitized by Google

beſtia fera, pugnet, qui vulgo dicuntur: *Los toreros, leg.* 1. §. *Beſtias, ff. de poſtulando.* Vſurarius, ſeu ille, qui ex officio fœnus exercet, *leg. Improbarum fœnus, ff. Ex quibus cauſis infamia irrogetur?* Non implens iuramentum promiſſorium, ad quod obligatus fuerat, cum poſſet illud implere, *leg. Siquis maior*, *C. de tranſactionibus.* Et ex iure regni incurrunt infamiam, qui homagium (vulgo *pleyto omenage*) non implent, cum poſſent, *leg.* 4. *tit.* 6. *part.* 7. Nobilis palidoniam in iudicio decantaos (vulgo *ſe deſdize en juizio*) *leg.* 1. *tit.* 5. *part.* 7. Sodomita: qui dato, quod iure communi non eſſet infamis, eſt iure regni, *leg.* 4. *titul.* 6. *part.* 7.

*Infamia, quæ habentur ex iure Canonico.*

82. Deinde iure Canonico fiunt infames invaſores hoſtiliter Cardinalium, *cap. Fælicis, de Pœnis in* 6. Raptores mulierum, & eorum fautores, & cooperatores, Tridentin. *ſeſſ.* 26. *capit.* 6. *de Reformatione.* Qui in duellum deſcendunt, & eorum patrini. Idem *Concilium ſeſſ.* 25. *cap.* 19 *de Reformatione.* Clericus, qui Epiſcopum ſuum invaſerit, eique inſidiator extiterit, *cap.* 1s, *qui Epiſcopos* 3. *quæſt.* 4. qui adverſus proprios parentes armatur, *cap. Omnes* 3. *quæſt* 5. Et plures alij, qui à iure Ciuili, & Canonico infames fiunt, quorum aſſignantur plures in *cap Infames* 6. *quæſt.* 1. *cap. Conſtituimus* 3. *quæſt.* 5. Ad quam reducitur illa, quæ ex publica, & ſolemni pœnitentia naſcitur, quæ iam non eſt in uſu. Omnes ergò hi, qui utroque iurè infames ſunt, irregulares fiunt ſed ad utrumque requiritur, quod delictum, cui eſt ex iure infamia annexa, ſit notorium notorietate facti, vel iuris: quia nimirum ab ipſo reo confeſſum eſt in iudicio, quia dum crimen eſt occultum, non datur boni nominis, & æſtimationis diminutio. Et ſic nec infamia propter illud, conſequenterquè nec irregularitas, quæ eſt infamiæ annexa, Palaus, *punct.* 20. *numer.* 3. Enriq. *capit.* 5. *num.* 2. Sanchez, *lib.* 2. *Decalog. cap.* 26. *num.* 1. Auila, *diſput.* 4. *dub.* 1. *concl.* 1. Bonacin. & Coninch, *loc. cit.* Cornejo, *diſp.* 8. *dub. unic.* prope fin.

*Qualiter infamia ex delicto alieno incurratur.*

83. Alia eſt infamia, quæ oritur ex delicto alieno: quia nimirum commiſſum eſt à perſonâ ità coniuncta, ut eius infamia in alium redundet: ut filij, & nepotes eorum, qui in Cardinales violentas manus inijciunt. Qui quamuis participes non ſint delicti cum parentibus fiunt infames ob infamiam parentum, *cap. Fælicis, de Pœnis in* 6. & filij eorum, qui de crimine læſæ maieſtatis damnati ſunt, *cap. Si quis* 6. *quæſt.* 1. & *leg. Quiſquis*, *C. Ad legem Iuliam maieſt.* & filij, qui ex matre meretrice naſcuntur, quamuis illa ſit coniugata, ſi tamen eius meretricium ſit notorium, ut docet Cornejo, *quæſit.* 2. deinde filij, & nepotes hæreticorum ſi per viam virilem deſcendant: ſi via fœminea, filij, & non nepotes, *cap. Statutum*, *de Hæreticis in* 6. ſed ad hoc eſt neceſſarium quod ſit notorium, fuiſſe parentes hæreticos, imò manifeſtum eſſe, quod in tali hæreſi deceſſerunt, ut expreſſè dicitur dicto *cap.* Sanchez, *cap.* 28. *num.* 7. Suarez, *diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 1. Coninch, *loc. cit.* Vt verò infamia hæc, & conſequenter irregularitas illi annexa, incurratur ratione delicti alieni, requiritur, quòd filij nati ſint, poſtquam parentes delictum, v. g. hæreſis perpetrarunt. Si tamen poſtquam nati ſunt, parentes in illud ceciderunt, filij non fiunt infames, quantum requiritur ad irregularitatem ratione illius delicti. Tum, quia iam non ſunt orti à parentibus hæreticis, ſed Catholicis, qui poſteà hæretici facti ſunt. Tum etiam, quia Eccleſia non vellet priuare filios ob delictum parentum iure acquiſito, & habilitate poſſeſſa ad recipiendum ordines, vel in receptis miniſtrandum, Sanchez *cap.* 27 *num.* 14. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 121. Enriq. *num.* 4. Bonacin. *punct.* 7. *num.* 10. Palaus, *punct.* 19. §. 2. *num.* 2.

*Quæ ſit infamia ex officio?*

84. Denique ex officio contrahitur infamia, & irregularitas ob officium hiſtrionum, qui ob turpes, & indignas repræſentationes infames ſunt, ut habetur *in leg.* 1. & 2. *ff. de ijs, qui notantur infamia*, & *cap. Diffinimus* 4. *quæſt.* 1. Alij addunt, incurri ob officium carnificum, macellatorum, lictorum, & ſimilium. Sed immeritò, quia talis infamia non aſſignatur in iure his officijs ut docet Palaus, *punct.* 20 *num.* 6. nullum eſt officium, quamuis abiectum, & vile, quod inducat infamiam ſufficientem ad irregularitatem, niſi vel ex aliquo iure ciuili, aut Canonico annectatur illi, vel ſit talis conditionis, quod ſine peccato mortali exerceri nequeat; ut benè notauit Cornejo, *quæſit.* 3. qui etiam aduertit, hanc infamiam, & irregularitatem ex officio ad filios non tranſire.

*Quomodo tollatur infamia facti?*

85. Reſtat, dicamus modos, quibus infamia, & irregularitas illi annexa tolli poteſt. Dicimus ergò, quod infamia facti in primis per Baptiſmum tollitur, ut diximus *cap. præced. num.* 57. deinde tollitur per facti emendationem, ſi hæc ità notoria ſit, ac fuit factum, ratione cuius fuit inducta, quia per quaſcumque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, & conſequenter abſque diſpenſatione ceſſat irregularitas per emendationem vitæ, quia hæc infamiæ adhæret, & infamia facto. Vndè ſicut per facti emendationem ceſſat infamia, per iſtius ceſſationem tollitur irregularitas, ut colligitur ex *cap. Si duo* 15. *quæſt.* 6. & tenent Suarez, *diſp.* 48. *ſect.* 2. *num.* 6. Enriq. *num* 3. Bonacin. *punct.* 1. *num.* 5. Cornejo, *quæſit.* 4. Palaus, *num* 14.

*Infamia iuris nec per emendationem, aut Baptiſmum tollitur.*

86. Infamia verò iuris non tollitur per emendationem, aut pœnitentiam, ſed neceſſaria eſt diſpenſatio, quia hæc inducta eſt per legem, aut ſententiam perpetuam tanquam pœna delicti. Vndè ſicut pœnitentia, aut emendatio non ſufficit ad tollendas alias pœnas à iure, vel ab homine impoſitas: ità nec ad iſtam auferendam. Imò talis infamia non tollitur per Baptiſmum, ſiuè ſit infamia iuris Canonici, aut Ciuilis. Vndè Iudæus, aut Gentilis, qui publicè flagellatus eſſet ante Baptiſmum, remaneret infamis poſt Baptiſmum, & inhabilis ad ordines ſuſcipiendos. Sed hoc verum eſt de illis fidelibus, qui ſubditi ſunt Principibus Chriſtianorum: illi verò qui ſubditi ſunt Principibus infidelibus, etiam ſi ſecundum ſuas leges eſſent ante Baptiſmum infames, poſt Baptiſmum infames non perſiſterent, ut docent Suarez, *num.* 13. Cornejo, *quæſt.* 5. Imò addit Bonacin. *num.* 6. §. *Reſpondeo.* & non inprobabiliter, omnem infamiam etiam iuris per Baptiſmum auferri, quia per illud tollitur omnis pœna, & culpa pro illa contracta. Verumtamen hæc infamia non tam remanet ut pœna peccati, quam ut effectus illius, quamuis in pœnam peccati ſit introducta. Vndè ſicut

mali

Digitized by Google

mali habitus, infirmitates, defectus corporis, qui fortè ante Baptiſmum in pœnam peccati eſſent acquiſiti poſt Baptiſmum remanent non ut pœnæ; ſed ut effectus peccati: ſic infamia iuris, quæ bonum nomen apud homines deturpauit, & æſtimationis bonæ diminutionem induxit, remanet poſt Baptiſmum ut effectus peccati, & conſequenter irregularitas ob indecentiam, quæ apparet in eo, quod talis ad ſacros Ordines admittatur.

*Quis poſſit in illa irregularitate diſpenſare.*

87. Poteſt Summus Pontifex diſpenſare in irregularitate ob infamiam, etiam ipſa durante: quia irregularitas eſt effectus iure Canonico infamiæ annexus. Quamvis indecens eſſet hoc facere, niſi grauiſſima cauſa urgeret. Et poteſt ipſe Pontifex infamiam iuris tollere, quæ eſt ex iure Canonico introducta: quæ autem ex iure Ciuili habetur, poteſt illam Princeps, qui ius ſanxit, excludere: & conſequenter indirectè poteſt tollere irregularitatem illi annexam: quia, ablata infamia, quæ eſt fundamentum, tollitur irregularitas in illa fundata, Bonacin. *num.* 6. Palaus *num.* 13. Cornej. 5. *Et ſi inquiras*, Enriq. *loc. cit.* Auil. *dub.* 5. Suar. *num.* 4. & 10. Epiſcopus non poteſt diſpenſare, ut infamis ad ſacros Ordines admittatur; poteſt tamen, ut in iam ſuſceptis miniſtret, ſi delicta ſint minora adulterio, poſt peractam pœnitentiam ut habetur in *cap. At ſi Clerici, de Iudicijs.* Infamia verò illa, quæ per iudicis ſententiam inducta fuit, per eiuſdem, vel ſuperioris ſententiam tolli poteſt, qua in priſtinam famam reſtituatur, ut diximus *cap. præced. num.* 56. ¶ Irregularitas, quæ ob delictum patentum incurritur, tollitur per ingreſſum Religionis: & ſimiliter illa, quæ ex officio, ut tenet Cornej. *quæſ.* 7. Poſſe verò Prælatos Regulares diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate orta ex infamia, ſiuè ante ingreſſum Religionis ſit contracta, ſiuè poſt illum, ſiuè ſit facti, ſiuè iuris, quæcumque illa ſit, nulla excepta, ex priuilegio Pij V. *Bull.* 129. conceſſo Prælatis Caſſinenſibus, & ex priuilegio Pij IV. *Bull.* 7. conceſſo Clericis miniſtrantibus infirmis, teſtatur Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 11. *num.* 10. N. Anton. à Spiritu Sancto *in ſuo Directorio reg. tractat.* 2. *diſput.* 1. *num.* 75.

## CAPVT IX.

### *De Irregularitatibus, quæ non ex delicto, ſed ex defectu naſcuntur.*

EGimus iam de Irregularitatibus, quæ proueniunt ex delicto: reſtat modò agamus de illis, quæ dicuntur ex defectu prouenire, quocum huic tractatui, & volumini finem imponamus.

---

Hoc caput continet ſeptem puncta,

*Punct. I. De irregularitate, quæ prouenit ex defectu lenitatis ratione occiſionis, aut mutilationis ordine iudiciario executæ, num.* 1.

*Punct. II. De irregularitate, quæ prouenit ex defectu lenitatis ratione homicidij, aut mutilationis in bello iuſto executæ, num.* 19.

*Punct. III. De irregularitate proueniente ex defectu Sacramenti, quæ dicitur bigamia, num.* 25.

*Punct. IV. De irregularitate proueniente ex defectu natalium, num.* 43.

*Punct. V. De irregularitate quæ prouenit ex defectu libertatis, num.* 59.

*Punct. VI. De irregularitate contracta ex defectu corporis, num.* 65.

*Punct. VII. De irregularitate proueniente ex defectu animæ, num.* 76.



## PVNCTVM I.

### *De irregularitate, quæ prouenit ex defectu lenitatis ratione occiſionis, aut mutilationis ordine iudiciario executæ.*

*Qui incurrant irregularitatem ex defectu lenitatis.*

1. EX Defectu perfectæ lenitatis, & manſuetudinis dupliciter incurritur irregularitas per mutilationem, aut occiſionem publica auctoritate executam. Primò, ſi fiant per ſententiam iudicis criminalem. Secundò, ſi in bello iniuſto contingant. De hoc ſecundo modò agemus *punct. ſequent.* & in *præſent.* De primò: igitur omnes, qui ut miniſtri iuſtitiæ ad homicidium, vel mutilationem iuſtam in foro iudiciali concurrunt, morte ipſa, vel mutilatione ſecuta, incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis (ſi enim non ſeruato ordine iuris, ſed excedendo, quæ ſunt à legibus præſcripta, reus occidatur, aut mutiletur, iam non eſt irregularitas ex defectu lenitatis, ſed mutilationis, vel homicidij voluntarij: ſi tamen iuſta ſit ſententia ſecundum leges, & iura, etiamſi ſit iniuſta ex intentione, & animo illam proferentis, & ſolicitantis, incurritur irregularitas ex defectu lenitatis, quia hæc per iuſtam occiſionem ſecundum leges, & iura incurritur.) Ità habetur *in Clement. Si furioſus, de homicidio, cap. Clericis, cap. Sententiam, ne Clerici, vel monachi, cap. Ex litteris, de exceſſibus Prælatorum, cap. In Archiepiſcopatu, de Raptoribus*, & alijs iuribus. Et ratio eſt, quia cum omnes ordines ad Sacram Euchariſtiam ordinentur, ubi mitiſſimus agnus continetur, qui ſanguinem ſuum pro omnibus dedit ad illos aſſumendos, potiùs debent eſſe parati ſanguinem ſuum fundere, quàm alienum: quare alienum ſanguinem fundendo, deficiunt à perfecta lenitate; & manſuetudine; quàm eorum miniſterium efflagitat: ideoque meritò arcentur per irregularitatem, ab illo. Et hoc verum eſt, ſiuè ſit mors executa cum effuſione ſanguinis, vel abſque illa per ſuffocationem, vel per famem, vel alio modo, quia ſententia ſanguinis dicitur illa, ex qua mors, aut mutilatio ſequitur, non verò, ſi abſque morte ſanguis effundatur: & ſic non fiet irregularis iudex, qui reum ad flagellationem condemnat, etiamſi cum ſanguinis effuſione fiat, ut bene notauit Suar. *diſp.* 47. *ſect.* 1. *num.* 2. Auil. 7. *part. diſp.* 1. *ſect.* 1. *in fine.*

*Poſſunt Clerici mortis executioni abſque peccato aſſiſtere.*

2. Et ob hanc rationem prohibitum eſt Clericis in ſacris conſtitutis, vel Beneficium habentibus, & omnibus Regularibus, ſe in cauſam ſanguinis intromittere, vel iudicando, teſtificando,

exequendo, &c. *cap. Sententiam ſanguinis, ne Clerici, vel monachi.* Et ideo peccant mortaliter quomodolibet ad illam adiuuando, niſi in caſibus, quos infrà adnotabimus quia in re graui ſanguini Eccleſiæ præcepinm. Minimè tamen peccant mortaliter Clerici, aut Monachi executioni ſententiæ mortis tamquàm ſpectatores, non ut fautores, aſſiſtentes, etiamſi abſque iuſta cauſa id faciant, & ex mera curioſitate. (Si enim iuſta cauſa detur, vel quia reum confitentur, vel ut illum adiuuent circà ſalutem animæ, aliaque pia opera circà illum charitatis exerceant, nemo dubitat ab omni peccato manere immunes:) nam licet *in cap. Dicto ſententiam ſanguinis*, talis aſſiſtentia illis prohibeatur, qua ratione Sayr. *lib. 6. cap.* 18. *num.* 20. & 21. dixit peccare mortaliter; cæterùm vel illud ius quoad hanc partem eſt per conſuetudinem abrogatum, vel non loquitur de ſimplici præſentia illorum; ſed de illa, qua mortis executioni, aliquod exhibetur auxilium. Ità Palaus *diſp. 6. punct.* 14 §. 4 *num.* 2. Gibalin. *cap* 4. *diff.* 18. Dian. 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 35. & ſolum venialiter peccare, ſi ex mera curioſitate aſſiſtant, tenet Suar. *ſect.* 4. *n.* 10. Auil. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *dub.* 16. *in fin.* Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 4 *punct.* 1. *n.* 16.

*Referuntur in particulari contrahentes hanc irregularitatem.*

3. Ex dictis ſequitur, eſſe irregulares ſequentes: qui ad ſententiam ſanguinis concurrunt, ipſa executioni mandata. In primis iudex ſententiam ferens, Aſſeſſor iudicis, promotor, Fiſcalis Procurator, Satellites, comprehenſores, accuſator, & denunciator, ſi ex vi ſuæ accuſationis reus occidatur. Nam ſi ſolum de cauſa leui reum accuſent, & iudex excedendo limites iuſtitiæ eum capite damnet, vel ſi poſteà comprehenſo, alia crimina accumulentor, ratione quorum occidatur, accuſator ab irregularitate erit immunis; ſicut etiam liberatur ab ea, ſi in cauſa propria denunciet, non ad vindictam, ſed ad ſatisfactionem exigendam, præſuppoſita proteſtatione, de quo infrà. Teſtis voluntarius, & neceſſarius in cauſa ſanguinis contrà reum. Si enim in fauorem ipſius rei contra calumniatores teſtificetur, non erit irregularis; etiamſi ex eius teſtimonio ſumat occaſionem iudex, ad puniendum impoſtorem pœna ſanguinis, quia hæc ex tali teſtimonio per accidens fuit ſecuta; cum ſolum intenderet defenſionem innocentis. Similiter: ſi non eſt teſtis neceſſarius, quia iam teſtes erant ſufficientes, ſicut efficaciter ad ſupplicium non concurrit, ab irregularitate liberatur. Quid autem ſentiendum ſit de teſte non voluntario, dicemus poſteà. Qua ratione non poteſt Clericus obligari iuridicè à iudice, ut teſtimonium proferat contrà reum in cauſa ſanguinis, *cap. His à quibus* 23. *quæſt.* 8. ſed in fauorem rei contrà actorem teſtificare poterit, etiamſi damnum per accidens ipſi actori ex tali teſtimonio ſequatur, ut dictum eſt.

*Alij, qui ſub hac irregularitate comprehenduntur.*

4. Deinde fit irregularis aduocatus, ſi contrà reum aduocet, & occidatur; ſi tamen in eius fauorem aduocet, & negligenter, ac inſipienter ſe gerat, fit irregularis irregularitate homicidij caſualis iuxtà dicta *cap. præced. num.* 40. & 42. Fit etiam irregularis conſultor, ex officio talis, qui ad ſententiam mortis iudicem mouet, Notarius, tabellio teſtium depoſitionem recipiens, vel ſententiam legens, quandò publicatur, & ſententiam ſcribens, ut officialis iuſtitiæ; non verò famulus tabellionis illam tranſcribens; tortor rei, ſi reus confiteatur, & inde damnetur; omnes deferentes reum ad mortem, comitantes ad eius ſecuritatem, & cuſtodiam tàm æqueſtres, quàm pedeſtres (non aſſiſtentes ad ſpectaculum) cuſtodes carceris reum cuſtodientes, præco præcedens, & ſententiam proclamans, carnifex, & omnes, qui ſunt miniſtri deputati ad executionem operis directè, vel indirectè: ſi proximè concurrant. Hi omnes fiunt irregulares, ſi poſt Baptiſmum aliquam ex his actionibus exerceant. Qui autem ante Baptiſmum aliquo ex his modis dictis ad ſententiam ſanguinis concurreret, poſt Baptiſmum non maneret irregularis, quia iura, quæ hanc irregularitatem inducunt, clarè poſt Baptiſmum loquuntur, *cap. Si quis viduam* 50. *diſt. cap. Si quis poſt acceptum Baptiſmum, diſt.* 51. ſed ſi fidelis ad ſententiam ſanguinis non baptizati, ut Iudæi, Gentilis, aut Saraceni, aliquo ex modis dictis concurrat, irregularis fit, quia verè eſt occiſio hominis voluntaria (licet iuſta) ratione cuius iura hanc irregularitatem aſſignant, *capit. Clericum, diſtinct.* 50. *capit. Petitio, de Homicidio.*

5. Dominus verò temporalis, etiamſi Eccleſiaſticus ſit, ſed temporalem habens iuriſdictionem, poteſt committere alijs cauſas ſanguinis, vel in communi, ut contrà malefactores inuigilet, eos iuxtà leges puniendo, vel in particulari, ut de cauſa huius, vel illius cognoſcat ſecundum leges: aliàs inutilis eſſet eius iuriſdictio, nec Eccleſia talem iuriſdictionem temporalem in Eccleſiaſticis Prælatis permitteret, & ideò hoc expreſſè illis conceditur *in cap. ult. Ne Clerici, vel monachi in* 6. & tradunt Bonacin. *quæſt.* 4 *punct.* 1. *num.* 29. Palaus §. 1. *num* 6. Auil. *ſect.* 2. *diſp.* 1. *dub.* 4. Pelizar. *tract.* 2. *cap* 5. *ſect.* 3. *num.* 162. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 9. *quæſt.* 7. ſi verò in particulari hunc latronem, vel homicidam præciperet ſuſpendere, irregularitatem non effugeret, *cap. Tui, à quibus* 23. *quæſt* 8. vel ſi iubeat iudici à ſe conſtituto, ut ſententiam à ſe latam ſtatim exequatur, illa ſecuta, quia iam proximè ad talem mortem concurreret, Cornej. *diſp.* 51. *dub.* 1. *quæſt.* 3. Enriq. *lib.* 14 *cap.* 12. *n.* 6. Palaus *n.* 3.

*Quid poſſit, qui dominium habet temporale alijs committere?*

6. Iudex verò Eccleſiaſticus, tradens, Clericum, à ſe degradatum brachio ſæculari, ſi piè, & miſericorditer intercedat pro eo, ut benignè iudex ſe habeat circà illum, & citrà mortis, aut mutilationis pœnam, non fiet irregularis, etiamſi reus poſteà à iudice ſæculari occidatur, *cap. Nouimus, de verb. ſignificat.* Inquiſitores vero, (& idem eſt de teſtibus, accuſatoribus, conſultoribus, fiſcalibus, cæteriſque miniſtris Sanctæ Inquiſitionis) poſſunt abſque tali proteſtatione tradere determinatè reum brachio ſæculari, ut comburatur lata ſententia ab ipſis, quia illis ex ſpeciali privilegio Pauli IV. edito 29. Aprilis 1557 confirmato à Pio V. ſolum executio mortis, non verò ſententia prohibetur. Et ideo inſtare poſſunt, & iudicibus ſæcularibus præcipere, comminari, ut ſtatim ſententiam ſanguinis exequantur, abſque irregularitatis periculo, Sayr. *num.* 11. & 15. Cornej. *quæſ.* 2. Pelizar. *ſuprà num.* 163. Bonacin. *num.* 17. Palaus *num.* 1. Auil. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *dub* 2. Ioann. à S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 64. *diſt.* 20. *art.* 2. §. *Secundo probatur.*

*Quomodo iudex Eccleſiaſticus, aut Inquiſitor non incurrat irregularitatem.*

7. De-

Digitized by Google

*Qui liberentur ab hac irregularitate?*

7. Deinde ſæcularis, aut Eccleſiaſticus Prælatus, abſque irregularitatis periculo, poteſt ferre legem continentem pœnam mortis, etiamſi reus ratione illius occidatur *ex cap. Delatori 5. quæſt. 6.* quia talis lex ſolum generaliter loquitur, & ideo non eſt cauſa proxima, ſed remota, quare tranſgreſſor hic, & nunc occidatur. Vndè Clerici, ſi Principibus conſulant, quòd talem legem condant, irregulares non fient, quia ſi ipſi Principes conſilijs eorum acquieſcendo, irregularis non ſint, nec qui tale conſilium illis conferunt. Vndè concionatores poſſunt liberè prædicare, quod iuſtæ leges obſeruentur, quod tranſgreſſures iuxtà illas puniantur, quod pœnæ debitæ illis applicentur: poſſunt libros componere perſuadentes, iuſtum eſſe capitali ſententia puniri huius vel illius præcepti tranſgreſſores, media, quibus capi, aut cognoſci poſſunt, docentes, & alia huiuſmodi, quia hi omnes ſolum ſpeculatiuè loquuntur, & valdè remotè hic, & nunc ad executionem adiuuant. ¶ Deindè Clericus, quem iudex conſuleret circà delictum aliquod, non fieret irregularis, ſi in genere reſponderet, mortem eſſe illius condignam pœnam, quia ſolum ſpeculatiuè, non practicè, influeret eius reſponſio ad executionem. Imò etiamſi in particulari conſultus de hoc homine, qui tale crimen commiſit, dicat in genere, committentes tale crimen eſſe dignos morte ſecundum leges, non fiet irregularis, quia non conſulit, ut talis reus ſuſpendatur; ſed in commuol declarat ius. ¶ Idem dicimus de confeſſario, cui iudex confiteretur, ſe nolle occidere reum, qui ſecundum leges debet mori; poteſt ille negare abſolutionem donec animum mutet, & firmiter proponat ſe facturum id, ad quod ſecundum leges tenetur, quia non intendit alterius mortem ſed conſulere pœnitentis ſaluti. Hæc omnia apud Auctores communia ſunt.

*Qui in particulari rei occiſionem conſuleret, non fieret irregularis.*

8. Sed difficultas eſt inter illos: an ſi conſultus à iudice in particulari de aliquo reo, dicat, eſſe occidendum: vel confeſſarius iudici præciperet, ut hunc homicidam, vel latronem, qui ſecundum leges debet mori, ſuſpendat, fiat irregularis? Circà quod datur duplex ſententia. Prima affirmat, irregularem fieri, qui iudici conſuleret, ut determinatum latronem ſuſpenderet. Et idem de confeſſario, quia tunc non ſolum obligationem declararet ſpeculatiuè; ſed practicè, & proximè ad mortem induceret. Ità Bonacio. *num. 6.* Sayr. *num. 26.* Auil. *dub. 6. concl. 4.* Enriq. *cap. 16. num. 4.* Cornej. *quæſt. 4. concl. 2.* Ioann. à S. Thom. *art. 6. in fine.* ¶ Secunda, & verior ſententia negat in utroque caſu aut conſultorem, aut confeſſarium fieri irregularem, etiamſi hunc in particulari occidendum eſſe diceret, & conſuleret. Primò, quia non incurrerent irregularitatem ex delicto, quia ſupponimus, iuſtum eſſe, quod conſulunt, nec ex defectu lenitatis: ſiquidem hanc ſolum incurrunt, qui ad occiſionem, aut mutilationem, ut miniſtri neceſſarij ad cauſæ cognitionem, & executionem concurrunt: at ſupradicti, miniſtri iuſtitiæ publici non ſunt, nec neceſſaria inſtrumenta ad cauſæ cognitionem: ergo. ¶ Secundò, quia pœna; quæ contra facientes imponitur, non extenditur ad conſulentes, vel mandantes, niſi in iure exprimatur: ut diximus *cap. 1. punct. 12.* ſed in iuribus allatis ſolum imponitur irregularitas contrà miniſtros iuſtitiæ cognoſcentes, aut exequentes ſententiam mortis; & non exprimitur, extendi debere ad conſulentes, & mandantes: ergò, &c. Ita Pellizar. *tract. 9. cap. 5. ſect. 4. num. 180.* Palaus §. 3. *num. 7. & 8.* Hurtad. *diſp. 2. diff. 11. num 40.* Vaſq. 22. *tom. 1. diſp. 33. dub. 2.* quem refert, & ſequitur Dian. 3. *part. tract. 5. reſol.* 80. Turrian. *de cenſur. lib. 9. diſp. 66. dub. 4.* & illam defendere tenentur omnes Auctores, *cap. præced. num. 56. & 57.* relati, aſſerentes, occidentem honorum aggreſſorem non eſſe irregularitatis reum, quia in eo non peccat, nec contrahere illam, quæ eſt ex defectu lenitatis, quia hanc ſolum incurrunt, qui ex publica auctoritate occidunt.

*Caſus particulares ex dictis deducuntur.*

9. Hinc aliquorum caſuum reſolutio eſt deducenda. Deducitur ergò primò, quòd irregularis non fit, qui detegit malefactorem, qui clamat adeſſe latrones, unde proueniat ipſos capi, & ſuſpendi, vel aliud quid ſimile facti, unde delinquens capiatur, & pœna mortis plectatur; vel qui ſatellitibus directè, vel indirectè indicat, reum morte plectendum, quia hic non incurrit irregularitatem ex homicidio iniuſto, eo quòd cauſam culpabilem non dedit, nec ex defectu lenitatis, quia hanc ſolus miniſter iuſtitiæ, accuſator, aut teſtis neceſſarius incurrunt, Pellizar. *num. 178.* Dian. *reſol.* 8. Turrian. *loc. citat.* Palaus *num. 9. & 10.* Laym. *lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 3 cap. 7. num. 5.* Leand. *tract. 2. diſp. 7. à quæſt. 61.*

*Alij caſus deducuntur.*

10. Deducitur ſecundò, non fieri irregulares ex defectu lenitatis omnes qui quomodolibet inſtrumenta ad executionem mortis porrigunt, vel eam accelerare faciunt, etiam notabiliter; & ſi aliàs in hoc non peccent, nec etiam irregularitatem incurrent ex delicto. Vndè nec faber lignarius furcam faciens, nec qui iuuant reum, ut celerius per ſcalam aſcendat, qui carnifici funem porrigunt, vel ſcalam applicant, confeſſarius, qui illi diceret. Nemo te impedit, ut tuo officio fungaris, vel qui equum caſtigaret, quo reus citius ad furcam perueniret, qui gladium carnifici offerret, ut citius, & cum minori dolore reus iuguletur, qui caput illius ſtipiti admouere iubeat, qui ſuadet miniſtris iuſtitiæ, ut breuiori itinere eum ducant, vel curat, ut anticipetur iuſtitiæ executio. Hos omnes eſſe irregulares, niſi paruitas materiæ excuſet, aut ex inconſideratione operentur, erat communis antiquorum ſententia: quam tenent Cornej. §. *Ex quo infero in fin.* Bonacin. *n. 9.* Auil. *dub. 1.* Enriq. *cap. 12. num. 7.*

*Qui eſt cauſa accelerationis mortis non ſit irregularis.*

11. Sed conſequenter ad noſtram doctrinam dicendum eſt, nullum ex his fieri irregularem, etiamſi aduertenter has actiones efficiat, etiamſi mortem notabiliter acceleret (ſi ex iuſta cauſâ in hoc excuſetur à peccato: ſi enim peccaret in illis actionibus iam non iſtam, ſed irregolaritatem homicidij ex delicto incurreret,) quia iura, quæ hanc irregolaritatem aſſignant, loquuntur expreſsè de miniſtris iuſtitiæ, vel de eis, qui ad cauſæ criminalis probationem concurrunt, ut teſtis, accuſator, aduocatus, procurator, &c. Vel qui proximè ut miniſtri iuſtitiæ illam exequuntur, ergò non ſunt extendenda ad illos, qui quomodolibet





ad

ad talis mortis accelerationem, vel executionem concurrunt: quia, cum ſint odioſa, ad caſus non expreſſos non debent extendi. Ità Cæleſtin. *in compend. Theologiæ, tract. 4. cap. 5. §. 1.* Turrian. *diſp. 63. dub. 3* quos refert, & ſequitur Dian. *reſol. 79. & 8. part. tract. 7. reſol. 61.* Baunius *in Theolog. moral. part 2. tract. 11. quæſt. 23. dub. 11.* Machad. *tom. 2. lib. 1. part. 3. tract. 18. document. 5. n. 5.* Hurtad. *n. 39.* Palaus §. 4. *n. 2.* Pellizar. *tract. 7. cap. 5. ſect. 4. num. 173.*

*Quomodo teſtis, & aduocatus ab hac liberetur irregularitate.*

12. Sed quia teſtes, & accuſatores ad cauſæ criminalis cognitionem, & etiam aduocati concurrunt, & irregulares fiunt, morte rei ſecuta, ſciendum eſt, quòd teſtes, & aduocati, qui liberè ſe offerunt in caſu ſanguinis, etiamſi proteſtationem præmittant, ſe rei mortem, vel mutilationem non intendere, non excuſantur ab irregularitate: & idem eſt de alijs miniſtris iuſtitiæ; quia dicta proteſtatio ſolum actorem vel accuſatorem in cauſa propria excuſat, ut ſtatim dicemus, quia iura illi dumtaxat eam concedunt in ſui iuſtam defenſionem. At verò aduocati, vel teſtes, qui per metum cogerentur ad tale munus exercendum in cauſa ſanguinis, vel per præceptum ſuperioris: ut ſi iuridicè teſtis à ſuperiore interrogaretur, & per mandatum obligaretur propalare veritatem, vel ipſe ex iure naturæ in aliquo caſu teneretur ad hoc, non incurreret irregularitatem hanc, teſtificando (idem dic de aduocato, ſeruata proportione) etiamſi ex ſuo teſtimonio mors rei ſequeretur; cum non ſit credendum, Eccleſiam hoc impedimentum appoſuiſſe illis, qui adimplent id, ad quod ex iure naturæ obligantur, vel ex ſuperioris præcepto. Nec valet, iudicem fieri irregularem obediendo lege ſibi præcipienti, latronem ſuſpendere. Quia talis mors eſt illi in cauſa voluntaria, quatenus voluntariè acceptauit officium, cui annexus eſt talis actus multoties: & ideo in eo eſt defectus lenitatis in tali occiſione, qui defectus non reperitur in eo, qui coactus, & obligatus: proindeque non purè voluntariè, ad talem occiſionem concurrit: ut eſt teſtis, qui cogitur ad dicendam veritatem. Ità Cornej. *quæſt. 7.* Bonacin. *punct. 3. num 8.* Coninch. *diſp. 18. dub. 10. num. 6.* Palaus §. 3. *num. 3.* Suar. *diſp. 47 ſect. 3. à num. 4* Pellizar. *cap. 5. ſect. 4. num. 193.* Diana 4. *part. tractat. 2. reſol. 31.*

*Qui accuſat ob vindictam fit irregularis.*

13. Maior difficultas eſt circà accuſatorem, vel denunciatorem, an nimirum excuſetur ab irregularitate, ſi coram iudice ſæculari accuſet reum de crimine digno morte, aut mutilatione, proteſtando ſe nolle mortem, aut mutilationem accuſari, ſed ſolum quòd ſibi fiat debita ſatisfactio, & mala impendentia euitentur, ne contrà eum talia de cætero fiant? Ad quod dicimus primò, quòd ſi vindictam in cauſa criminali petat, irregularis fiet accuſator, etiamſi proteſtetur, ſe non pœnam mortis, aut ſanguinis intendere: ſi aliàs crimen de quo accuſat, eſt dignum morte, & hæc de facto ex tali accuſatione ſequitur; quia tali accuſatione profitetur, ſe punitionem quærere, & ſic facto contrario deſtruit proteſtationem, Palaus §. 2. *num. 4.* Suarez *ſect. 2. num. 10.* Auila *ſect. 2. dub. 10.* Bonacio. *punct. 2. num. 2.* & eſt commune.

*Accuſator proteſtans ſe nolle rei damnationem, non fit irregularis.*

14. Dicimus ſecundò, quod ſi accuſator ſolum petat ſuum intereſſe, ut quod ſibi fiat digna ſatisfactio, quòd damna imminentia euitentur, etiamſi de crimine digno morte accuſet corà iudice ſæculari, qui ex ea ad ſanguinis ſententiam procedat, irregularis non fiet; ſi proteſtetur, ſe nolle mortem, aut mutilationem accuſari. Ità Bonifac. VIII. *in cap. Prælatis, de Homicidio in 6.* Et rationem huius indulgentiæ ibi Pontifex reddit. *Alioquin ſi Prælati, aut Clerici propter metum huiuſmodi, quòd iudex ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur pleriſque materia trucidandi eoſdem, & eorum bona liberè deprædandi.* Et tunc non ponitur talis accuſatio, præſuppoſita dicta proteſtatione, niſi ut iuſta defenſio, & incitatio ad iuſtitiam, non ad pœnam. Et ex eo ipſo, quod Pontifex accuſationem modo dicto ab irregularitate liberat, etiam alias actiones, quæ per ſe coniunctæ ſunt cum accuſatione, ut ſunt cauſæ proſecutio; præſentatio teſtium, &c. Inter quæ etiam ab irregularitate liberatur Clericus, qui reum, quem accuſat, caperet, ligaret, aut iudici traderet, aut capi ab alijs, & iudici tradi ſollicitaret: quia talis captio non ordinatur ad criminalem executionem, ſed ad ciuilem reſtitutionem damni illati. Et Pontifex Clericis concedens; quod poſſint ſibi condignam ſatisfactionem procurare, quod hoc modis omnibus, ad hoc licitè conducentibus facerent, indulſit, ut tenent Cornej. *quæſt. 1.* Pellizar. *ſup. num. 185.* Suarez *num. 19. & 20.* Auil. *dub. 9. concl. 1.* Palaus *num. 9.*

*Etiamſi talis proteſtatio ficte apponatur, ab irregularitate liberat.*

15. Sed notandum eſt 1. quod licet ſit optimum conſilium dictam proteſtationem ex corde, & animo apponere; cæterum licet non ponatur ex animo, ſed fictè, ut irregularitas coitetur, imò, etiamſi cum intentione intrinſeca, quòd reus occidatur, adhuc excuſabit ab irregularitate: quia lex non præcipit, quod ex animo ponatur, ſed quod extrinſecè ponatur, ſiquidem apud iudicem idem operatur, quòd ſi ex animo, vel fictè appoſita, ſi tamen extrinſecè verbis ſufficientibus apponatur, & cùm actus ille accuſationis, ſuppoſita proteſtatione, ſit ab irregularitate immunis; intrinſeca intentio nihil conducet ad inducendam irregularitatem, Pellizar. *ſect. 4. num. 179.* Corn. *ubi prox.* Filliuc. *q. 9. num. 248.* Coninch, *num 93.* Suar. *num. 3.* Auil. *loc. cit.* Dian. *reſ. 75.* Palaus *num. 2.* Bonac. *q. 4. punct. 2. num. 11.* Enriq. *cap. 11. in fin.* Nihil autem refert, quod talis proteſtatio fiat ante accuſationem, vel poſt illã, dummodo antè ſententiam iudicis apponatur: quia ad hoc ponitur, ut iudicem retrahat à ſententia ſanguinis. Si tamen eam omittat accuſator, etiamſi ex obliuione id faciat, irregularis fiet, ſententia ſanguinis executa, quia obliuio, vel ignorantia à culpa excuſat, non tamen ab hac irregularitate, quæ non ex culpa oritur, ſed ex defectu lenitatis, Sayr. *num. 3.* Bonac. *n. 8.* Pellizar. *num. 186.*

*Etiamſi alia via poſſit damnum reparari, non fit irregularis accuſator.*

16. Notandum eſt 2. quod licet damnum factum reparari nequeat, adhuc excuſat talis proteſtatio accuſatorem. Tum quia lex hanc abſolutè concedit facultatem. Tum etiam, quia non ſolum eam concedit ad præteritum malum reſarciendum; ſed etiam ad præcauendum futurum. Imò, etiamſi alia via poſſet Clericus damna ſibi illata reparare, excuſatur ab irregularitate, ſi per accuſationem rei, facta proteſtatione talem reparationem

nem procuret, quia non ſolum iure naturali defenſionis hæc facultas illi conceditur (quæ non habet locum, quando alia via poteſt auerti illud malum) ſed ex iure poſitiuo id ſibi abſolutè concedente. Quod non reſtrinxit indultum ad caſum, quo alia via non poſſet ſatisfactionem adipiſci. Ità Cornej. *ſup.* Pelliz. *n.* 183.

*Solum proficit proteſtatio in cauſa propria, vel conſanguineorum.*

17. Notandum eſt 3. quòd hoc indultum ſolum proficit accuſatori in cauſa propria; non verò ſi reum accuſet de damnis extraneis illatis, quia lex illi ſolum hoc priuilegium indulſit. Niſi alij ſint ità coniuncti ſibi, ut damnum illorum damnum proprium reputetur; ut ſunt omnes domeſtici, conſanguinei, & cognati uſque ad 4. gradum. Ità Bonac. *n.* 4. Coro *ſup.* Pelliz. *n.* 181. Pal. §. 2. *n.* 6. Enriq. *n.* 4. Dian. *reſ.* 33. quod etiam de damno illato propriè Eccleſiæ intelligendum eſt, aut ſuis ſubditis, quia bona Eccleſiæ ad Clericum pertinent, ſicut & ſubditorum damna reparare. Damna verò aliorum ſi ſint inferenda in futurum, ita quòd alia via non poſſent reparari, poteſt, & debet Clericus per accuſationem, præſuppoſita proteſtatione, illa præcauere abſque metu irregularitatis: quia tunc ex iure diuino, & naturali ad renunciationem tenetur, & non eſt credendum, Eccleſiam ob opus aliàs debitum iure diuino, tale impedimentũ appoſuiſſe: eſſet quippè impedimentum opponere operibus charitatis. Ità Pal. *n.* 8. Bonacin. *n.* 7. Cornej. Caiet. 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. Pelliz. *n.* 182. Dian. *reſ.* 33. Suar. *diſp.* 48. *ſect.* 2. *n.* 15. *&* 17. Auil. *dub.* 11. *concl.* 3. Imò tunc proteſtatio non eſſet neceſſaria, quia eſt mera defenſio innocentis. Nec valet, quod de iudice ſolet obijci: qui cùm teneatur ad occiſionem rei, nihilominus incurrit irregularitatem: quia ad hoc iam diximus *n.* 12.

*Talis proteſtatio etiam laicis proficere poteſt.*

18. Vltimò notandum eſt, quod licet in *d. cap. Pral.* ſolum fiat mentio de Clericis, quia illis magis quam laicis dedecet accuſatio; nihilominus etiam proficit laicis, ut accuſando liberentur ab irregularitate præmiſſa proteſtatione: quia etiam in illis non tam ſumitur in vindictam, quã in emendationem: nec tam eſt accuſatio, quam ſuorũ bonorum defenſio. Ita Corn. *loc. cit.* Ioan. à S. Th. 2. 2. *opuſ.* 64. *diſ.* 20. *ar.* 4. *concl.* 5. Pelliz. *n.* 179. Pal. §. 1. *n.* 3. Bon. *n.* 3. Dian. *loc. cit.* ſed eſt inter laicos, & Clericos hoc diſcrimen in hac parte: quòd ſi laicus accuſando dictam proteſtationem non apponat, fit irregularis ex defectu lenitatis; non autem ex delicto: quia ipſa accuſatio in iudicio nullo modo eſt prohibita. Clerici verò, quibus prohibita eſt omnis criminalis accuſatio, *cap. Poſtulaſti, de homic.* Et ſolùm ipſis conceditur in *d. cap. Prælatis*, præmiſſa proteſtatione, ſi hanc prætermittant, fiunt irregulares ex delicto: quia iniuſtè ad occiſionem rei concurrunt. Et eſt notanda hæc differentia, quoties in hoc & *ſeq. punct.* illam aſſignamus in ordine ad diſpenſationem, quia ſi eſt irregularitas ex delicto, poteſt diſpenſari ab Epiſcopo, quandò delictum eſt occultum: ſi quidem reducitur ad irregularitatem homicidij caſualis: ſi ex defectu lenitatis, non poteſt, ut *punct. ſeq.* dicemus.

## PVNCTVM II.

### *De irregularitate, quæ prouenit ex defectu lenitatis ratione homicidij, aut mutilationis in bello iuſto executa.*

*Milites proprijs manu in bello iuſto occidentes fiunt irregulares, non alij.*

19. CVm milites in bello iuſto ex auctoritate publica contrà hoſtes procedant, ſi proprijs manibus aliquẽ occidant, vel mutilent, datur in eis defectus lenitatis, ratione cuius eſt indecens, quòd ad miniſterium altaris admittantur. Et ideò pro ijs, qui proprijs manibus in bello iuſto occidunt, irregularitas aſſignatur in *cap. Petitio tua, de homic. cap. Aliquantos, diſt.* 51. Cæteri autem milites, qui pugnæ interſunt, ſi proprijs manibus aliquem non occidant, vel mutilent, non fiunt irregulares, ut colligitur ex *d. cap. Petitio tua, & cap. Si quis, 51. diſt.* in quibus, & alijs, ſolum aſſignatur irregularitas pro occidentibus proprijs manibus. In quo apparet diuerſitas inter eos, qui pugnant in bello iuſto, & eos, qui in iniuſto, quòd licet in utroque bello cenſeantur omnes una cauſa moralis homicidij, à quolibet perpetrati: eo quòd opere, vocibus & cohortatione ſe mutuò adiuuant: & ſic attenta rei natura, pari paſſu eunt. Cæterum iure poſitiuo non ita: nam Pontifices attendentes ad hoc, ut non contraherentur milites à bello iuſto, & ne tot homines abſque culpa ſubirent Canonicum hoc impedimentum, noluerunt pro pugnantibus in bello iuſto irregularitatem imponere; niſi proprijs manibus occidant. Quod non indulſerunt pro pugnantibus in bello iniuſto: cùm ibi ceſſet ratio indulgentiæ. Ita Corn. *diſp.* 11. *dub.* 2. *quæſ.* 2. Suar. *diſ.* 47. *ſect.* 6. *num.* 4. *& ſect.* 5. *n.* 1. Pal. *diſp.* 6. *punct.* 14. §. 5. *n.* 2. Auil. 7. *p. diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 2. *concl.* 2. *& ſect.* 3. *dub.* 1. Bon. *diſp.* 7. *q.* 4. *punct.* 4. *n.* 7. *&* 10. Enr. *lib.* 14. *c.* 12. *num.* 4. Pelliz. *tr.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 4. *n.* 200. Vndè nec duces, milites, aut alij, etiam Clerici, aſſiſtentes, conſulentes, exhortantes milites, ut ſtrenuè ſe gerant in bello iuſto, vel ante conflictum, vel in ipſo conflictu, incurrunt irregularitatem. Limitat Cornej. niſi ad occiſionem alicuius particularis inimici adhortentur. Sed nos abſque tali limitatione id dicimus, quia hæc irregularitas ſolum contrà occidentes, aut mutilantes proprijs manibus eſt impoſita, & non extendenda ad conſulentes, vel cohortantes; etiamſi hoc fiat in ordine ad occiſionem particularem.

*Miles, ſi proprijs manibus occidat ſe defendendo, non fit irregularis.*

20. Sed inquires 1. An ſi miles in bello defenſiuo occidat hoſtem, vel etiam in offenſiuo hoſtem, quem videt contrà illum impetum facere, & ut ſe defendat, occidit, fiat irregularis? Reſp. negatiuè, ſi moderamen iuſtæ defenſionis non excedat: quia hæc defenſio iuſta eſt illi, ſicut ipſum bellum. Et quamvis miles ſponte ſe conſtituerit in tali neceſſitate; poſtquam autem eſt conſtitutus in illa, non ſolum habet ius ſtrenuè ſe gerendi ut miles; ſed ſe defendendi, ut perſona particularis. At ſic eſt, quòd in Clement. *Si furioſus, de homic.* excuſatur ab irregularitate, qui iuſtè ſe defendendo, ut perſona particularis occidit inuaſorem: ergò, &c. Ità Pal. §. 5. *n.* 3. Pelliz. *n.* 199. Auil. *diſp.* 5. *ſect.* 3. *dub.* 1. Sylueſt. *verb. Homicidium* 3. *q.* 4. Corn. *q.* 3. Qui notat diuerſitatem, quæ eſt inter eum, qui in bello iuſto conſtitutus occidit alium

ſe defendendo, ab eo qui in duello conſtitutus, ut ſe defendat, occidit contrarium: quia in duello iniuſta eſt pugna ex utraque parte. Et Pontifex in *Clement. Si furioſus.* Solum excipit eum, qui occidit ſe iuſtè defendendo. Ex quo infert, irregularem eſſe, reum damnatum ad mortem, qui ut eam euadat, miniſtrum occidit; quia iniuſta eſt talis defenſio. E contra verò iudex, ſi aggreſſus à reo, eum, ut ſe defenderet, proprijs manibus occideret, ab irregularitate eſſet immunis: quia tunc non ut perſona publica; ſed ut particularis agit, ſe iuſtè defendendo.

*Clerici pugnando in bello iuſto, niſi aliquem occidant, non fiunt irregulares.*

21. Inquires ſecundò. An Clerici, vel Religioſi bello iuſto intereſſentes fiant irregulares? Reſpond. negatiuè: etiamſi antè conflictum, vel in illo milites hortentur ad ſtrenuè pugnandum; quia talis intereſſentia non eſt mala ex ſe, aut ullo iure vetita, D. Thom. 2. 2. q. 40. *art.* 2. *ad* 2: quamvis omnino ſit illi illicitum in bello pugnare, *cap. Quod in dubijs, de pœnis, cap. Clerici* 23. q. 8. *cap.* 1 *ne Cleric. Monach.* quia ut D. Thom. probat *loc. cit.* nemini licet exercitium, quod ipſum incongruum reddit ad ſuum miniſterium; ſed pugna ad mortem ordinatur inimici, & hæc irregularitatem Clerico affert, ratione cuius ad ſuum miniſterium incongruus redditur: ergò non licet illi talis pugna. Irregularis tamen non fiet pugnando, ſi proprijs manibus non occidat: quia in iure non datur pro pugnatoribus, vel auxiliatoribus, ſed pro occidentibus. Si tamen in bello offenſiuo occidant, irregulares fient ſi in defenſiuo, non, propter rationem datam *n. præc.* Et quia eſt debita talis defenſio iure naturæ, & credibile non eſt, Eccleſiam pro exercitio debito, ad quod inuolontariè, & quaſi coactus aliquis introducitur, impedimentum Canonicum aſſignaſſe, Pellizar. *n.* 199. Palaus *n.* 3.

*Non fit irregularis chirurgus membrum ſecans, nec illum adiuuantes.*

22. Inquires 3. An chirurgus, & cæteri, qui eum adiuuant ad ſecandum infirmi membrum fiant irregulares ex defectu lenitatis? Reſp. negatiuè: quia nec eſt ius talem irregularitatem imponens, nec ille ſecat ad vindictam, vel punitionem; ſed ex pietate: & ſic non deficit à perfecta ſignificatione manſuetudinis Chriſti, Sayr. *lib.* 6. *cap.* 28. *n* 27. Cornej. *quæſ.* 5. Bonac. q. 4. *punct.* 5. *n.* 1. Auil. *diſ.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 10. *concl.* 1. & 2. Quid autem dicendum ſit, ſi ex eius negligentia infirmus moriatur, diximus *cap. præced. n.* 40. Si autem chirurgus eſſet Clericus in ſacris conſtitutus, vel Monachus, fieret irregularis: quia illis exercitium chirurgiæ cum inciſione, & aduſtione prohibitum eſt, *cap. ſent. ſanguinis, ne Clerici, vel Monachi, cap. Tua nos, de homicidio.* Et ſic dant operam rei illicitæ ex ſe periculoſæ, niſi in caſibus exceptis *cap. præc. n.* 32. Sed modò notandum eſt, non eſſe irregularem Clericum, vel Monachum, qui exercendo artem chirurgiæ, ſecat venam ad minuendum ſanguinem: quia hoc opus non ita proximè ad mortem conducit, & potiùs eſt munus tonſoris, quàm chirurgi, Pellizar. *num.* 218. Dian. 4 *p. tract.* 2. *reſ.* 24.

*Poſſitne Epiſcopus, in hac irregularitate diſpenſare.*

23. Inquires 4. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in iſta irregularitate, quæ prouenit ex defectu lenitatis, modis omnibus his duobus punctis aſſignatis ſaltem ſi occulta fuerit? Affirmant Dian. 8. *p. tract.* 7. *reſ.* 61. & 4. *p. tract.* 2. *reſ.* 69. Barboſa citans plures, *de poteſtate Epiſcopi, p.* 2. *alleg.* 39. *num.* 47. Plaza *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 14. Sà *verb. Irregularitas ex occiſione licita, num.* 5. N. Anton. à Spiritu S. *in Direct. reg. tract.* 12. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 67. quia *Concil. Trid. cap* 24. *ſeſſ.* 6. concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario: per quod homicidium iniuſtum omnes intelligunt. Sed planè falluntur: quia *Tridentin.* expreſſè aſſerit, ſe loqui de illis, quæ ex delicto proueniunt: hæc autem irregularitas ex defectu lenitatis non eſt ex delicto, & ſic ad diſpenſandum in illa non habere Epiſcopos facultatem, aſſerunt meritò Bonacin. *num.* 13. Cornej. *num.* 3. Auil. *ſect.* 5. *dub.* 1. Palaus *n* 7. Bañ. 2. 2. q. 64. *ar.* 8. *p.* 2. *in fine. dub.* 2. Nauarr. *cap* 27. *n.* 194. Hurtad. *diſp.* 2. *diff.* 20. *n.* 66.

*Prælati poſſunt in hac irregularitate diſpenſare.*

24. Prælati verò Religionum facultatem habent diſpenſandi in hac irregularitate, ſiuè publica ſit, ſiuè ſecreta, reſpectu ſuorum ſubditorum. Quia eſtò non haberent facultatem ad diſpenſandum in homicidio voluntario: de quo diximus *cap. præced. punct.* 1. vel bigamia, de quo *punct. ſeq.* tamen habent facultatem ad diſpenſandum in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, & bigamia: ut tenet Cand. *tom.* 2. *diſq.* 24. *art.* 61. *dub.* 19. Bordon. *tom.* 1. *reſ* 13 *num.* 14. Dian. 2. *p. tract.* 4. *reſ.* 69. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 21. *diff* 28. *num.* 10. Lezan. *in ſum. qq. Regul. cap.* 18. *num.* 43. Anton. à Spirit. S. *in direct. reg. tom.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 1. *num.* 70. Sed qui habet facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, habet ad diſpenſandum in ea, quæ prouenit ex defectu lenitatis, ob homicidium iuſtum, vel in iudicio, vel in bello: eo quod iſtud propriè homicidium non dicitur; ſed hominis occiſio: & homicidium propriè tale eſt illud, quod prouenit ex delicto, ut inquit D. Thom. 1. 2. q. 88. *art* 6. *ad* 3. ergò Prælati habentes poteſtatem ad diſpenſandum in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, habent illam ad diſpenſandum in ea, quæ ex defectu lenitatis, ob iuſtum homicidium contrahitur. Ità Palaus *n* 7. Corn. *loc. cit.* Auil. *dub.* 1. *concl.* 2. Pelliz. *tom.* 2. *tr.* 19. *cap.* 3. *ſect.* 4. *n.* 143.

## PVNCTVM III.

### *De irregularitate proueniente ex defectu Sacramenti, quæ dicitur bigamia.*

*Per bigamiam verè irregularitas incurritur.*

25. Bigamus dicitur, qui bis Matrimonium contraxit. Diuiditur autem bigamia in veram, interpretatiuam, & ſimilitudinariam. Bigamia vera contrahitur, quando aliquis duas nuptias verè contraxit, & conſummauit. Et ob hanc incurri irregularitatem, conſtat ex *cap. Præcipimus, cap. fin. diſt.* 34. *cap. Debitum, de bigamis. cap. fin. diſt.* 51. Hæc irregularitas ab Apoſtolis dimanauit, 1. *ad Titum* 3. ubi Epiſcopum unius dumtaxat uxoris virum: debere eſſe præcipitur. Et infra *Diacони ſint unius uxoris viri.* Et dicitur irregularitas ex defectu Sacramenti: quia imperfectam continet, illius ſignificationem. Etenim, ut probat D. Thom. *in addit. ad* 3. *part. qu.* 66. *art.* 1. *in corp.* qui duas contraxit uxores, aptè ſignificare non poteſt unio-

pem

nem Chriſti cum Eccleſia, unica Sponſa; & non decet, miniſtros Sacramentorum circa Sacramentum defectū pati. Aliam rationem congruentiæ aſſignat D. Thom. quare hæc irregularitas eſt à iure inflicta, quam dicit non eſſe ita efficacem, ac priorem. Quia nuptiarum repetitio eſt ſignum incontinentiæ, quæ maximè repugnat puritati requiſitæ in miniſtris altaris. Debet tamen utrumque Matrimonium eſſe conſummatum, (quid autem requiratur, ut conſummatum ſit, latè diximus *tract. de Matrimon. cap. 4. punct. 1.* quod non eſt æquum, imo nec honeſtum, ut repetamus) ut conſtat ex *cap. Debitum, de bigamis.* Et ratio eſt: quia dum Matrimonium non conſummatur, coniux non dicitur in plures carnem ſuam diuidere, donec per copulam una; & eadem caro fiat cum duobus: & ſic non reperitur defectus ſignificationis Sacramenti, Sanch. *lib. 7. de Matrimon. diſp. 83. num. 4.* Bonac. *diſp. 7. q. 2. punct. 5. n. 2.* Palaus *diſp. 6. punct. 8. num. 2.*

*Per bigamiam interpretatiuam irregularitas incurritur.*

26. Secunda ſpecies bigamiæ eſt, quæ dicitur interpretatiua: quia licet vera non ſit, ex fictione, & interpretatione iuris talis dicitur. Quæ quadrupliciter contingit, ut inquit D. Thom. *in add. q. 66. art. 1. in corp.* Primò, quandò quis duo Matrimonia contrahit, & conſummat, unum de iure (hoc eſt) validum; aliud de facto (hoc eſt) invalidum. 2. quandò duo contrahit Matrimonia de facto, id eſt, irrita. Tertio, quando viduam, vel corruptam ducit uxorem. Quartò, quandò licet virginem duxerit, hæc poſt matrimonium adulterauit, & poſt adulterium à viro cognoſcitur. Igitur qui duo Matrimonia, unum de iure, aliud de facto contraxit, irregularis fit, ſiuè ſimul utrumque, ſiuè ſucceſſiuè, ſi utrumque conſummauit, *cap. Nuper, in fine, de bigamis:* ubi licet ſermo ſit de illo, qui, mortua uxore, ſacrum Ordinem ſuſceperat, & poſteà aliud Matrimonium contraxerat (invalidum quidem ob impedimentum Ordinis) idem eſt de alijs impedimentis: quia ratio Pontificis currit in omnibus, nimirum propter affectum, quæ habuit ad duo Matrimonia, & quantum eſt ex parte ſua, utrumque contraxit, & ideò incurrere hanc irregularitatem, qui unum validum; aliud invalidum contraxit (ad quod parum refert, quod invalidum præcedat, aut ſubſequatur,) tenet D. Thom. *in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1. q. 1. in corp. & in add. q. 66. art. 2.* Petr. de Ledeſm. *ibi, col. ante penult.* Corn. *diſp. 10. dub. 2. quæſ. 1.* Sanch. *diſp. 84. num. 3.* Tolet. *lib. 1. cap. 26. n. 4.*

*Qui duo contrahit Matrimonia, etiamſi abſque animo unum, fit irregularis.*

27. An verò ſi quis contraxit Matrimonium non ex animo, & affectu contrahendi, ſed illusoriè, ad extorquendam copulam, quod proinde fuit nullum ex defectu conſenſus, fiat irregularis? Negat Auil. *7. p. diſp. 8. dub. 1. §. 2.* Hurtad. *diſp. 2. diff. 13. num. 41.* Dian. *4. p. tr. 2. reſ. 38.* Coninch. *diſp. 18. dub. 1. 1. n. 101.* Sanch. *loc. cit.* Palaus *num. 7.* quia ſine tali intentione non eſt affectus maritalis in *cap. Nuper de bigam.* requiſitus. Veriùs tamen dicendum eſt, incurri hanc irregularitatem, quia quando in *d. cap. Nuper*, irregularitas dicitur incurri propter affectum ad duo coniugia, copula ſecuta; non intelligitur de intentione, & affectu contrahendi verè, ſed de affectu ad duo Matrimonia exterius executioni mandata, Suar. *diſp. 49. ſect. 2. n. 10.* Cornej. *loc. cit.*

*Fit irregularis, qui duo Matrimonia inualida contraxit.*

28. Similiter. Qui duo Matrimonia invalida contraxit, irregularis fit, modo utrumque conſummauerit, ex quocumque capite invalida fuerint: ut colligitur ex *cap. Nuper, cap. final. de bigamis*, quia eadem ratio currit in hoc caſu, nimirum affectus ad duo Matrimonia exterius executa, & conſummata, & tenet D. Th. *loc. cit.* Palaus *n. 10.* Sanch. *n. 3.* Corn. *quæſ. 2.* Bon. *loc. cit.* Sayr. *lib. 6. c. 14. n. 7.* Suar. *n. 11.* Quamvis probabile ſit, non contrahi talem irregularitatem, utpote quæ in iure non eſt omnino expreſſa. & in duobus capitibus citatis ſupponit Pontifex, Matrimonium prius fuiſſe validum, cum in *cap. Nuper*, dicat: *Abſurdum iudicari, bigamum dici, qui nullum contraxit Matrimonium verum.* Quod tenet Diana *loc. cit.* Enriq. *lib. 12. de Matrim. cap. 6. n. 9. litter. X.* Auil. & Coninch. *loc. cit.*

*Qui cum vidua, aut corrupta contrahit, fit irregularis.*

29. Deinde. Qui ſemel cum vidua contrahit, quæ Matrimonium cum alio conſummauerat, vel contrahit cum corrupta, irregularis fit, *cap. fin. diſt. 51. cap. unic. de Clerico coniugato in 6. cap. 1. cap. Debitum, de bigamis, cap. Lector diſt. 34. cap. Si quis viduam, diſt. 50.* Et rationem tradit D. Thom. *in add. q. 66. art. 3.* quia ſic deficit à repræſentatione Chriſti cum Eccleſia, quæ virgo eſt. Et ibi reddit S. Doctor diſparitatem: quare ſi vir corruptus cum virgine nubat, non fiat irregularis, ſicut contrahens cum corrupta: quia terminus, quem illa ſignificatio, & tendentia reſpicit, & uxor in qua ſi diſtractio carnis reperiatur, deficit perfecta ſignificatio, quæ ex termino debet deſumi. Quod in viro non reperitur, qui non ſe habet ex parte termini, & ſupponimus, virum Matrimonium in utroque caſu conſummaſſe, quod toto hoc punct. ſupponendum eſt.

*Qui cum corrupta contrahit, quam virginem iudicat fit irregularis.*

30. Sed inquires: An fiat irregularis, qui cum corrupta contraxit bona fide, eam eſſe virginem iudicans? Negat Petr. de Ledeſm. *q. 66. art. 3. col. pen.* Sà *verb. Irregularitas*, loquendo de bigamia, *n. 3.* & alij apud Sanch. *n. 15.* quia hæc irregularitas ex facto proprio contrahitur: ergò ob actionem rationalem voluntariè exercitam. Verior tamen eſt pars affirmatiua: quia hæc irregularitas non ob delictum, ſed ob defectum ſignificationis contrahitur: & ideò inculpabiliter, & involuntariè poteſt contrahi, & ſufficit, quòd conſummatio Matrimonij fuerit rationalis, & voluntaria: ut ex facto ipſo contrahi dicatur. Ità D. Th. *in add. q. 66. art. 3. ad 3.* Enriq. *n. 10.* Sanch. *num. 8.* Sot. *in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1. concl. 5.* Sayr. *n. 11.* Cornej. *quæſ. 3.*

*Si Matrimonium contractum cum vidua fuerit nullum, non inducit irregularitatem.*

31. Sed quid, ſi tale Matrimonium cum vidua, aut corrupta fuerit nullum ob aliquod impedimentum dirimens? Adhuc tunc contrahi irregularitatem, affirmat Corn. *quæſ. 3. cit.* Suar. *ſect. 3. n. 3.* Couarr. *Clement. Si furioſus. 1. p. §. 2. n. 2. verſ. 2. & 3. ex cap. fin. de bigamis:* ubi appellatur irregularis Diaconus, qui viduam duxit: etiamſi nullum fuerit Matrimonium cum ea contractum. Cæterum caſus illius textus diverſus eſt ab eo, de quo loquimur: nam ille Diaconus non præciſè dicitur irregularis, quia cum vidua contraxit Matrimonium nullum; ſed quia duo Matrimonia contraxerat, unum ſpirituale per votum ſolemne caſtitatis, quod eſt verum; aliud carnale, quod fuit invalidum: & ideò eſt irregularis propter bigamiam ſimilitudinariam, de qua infrà. Modò autem loquimur de eo, qui nullum Matrimonium verum, nec ſpiri-

Sſ 4 tuale,

tuale, nec carnale contraxit. In quo caſu dicimus, non eſſe irregolarem, etiamſi contrahat cum corrupta, aut vidua; quia non datur illam aſſignans, nec datur defectus ſignificationis; ubi nullum eſt matrimonium. Et hic currit illa regula: *Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum.* Ità Sanch. *n.* 11. Valent. *4 part. diſp.* 7. *qu.* 19. *punct.* 3. *n.* 1. Enriq. *n.* 9. Dian. *loc. cit.* Pellizar. *tr.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 2. *n.* 87. Conin. *loc. cit.* Pal. *n.* 4. Navarr. *cap.* 27. *n.* 195. Et ita deciſum eſſe in ſacra Congregatione Cardinalium, teſtatur Farin. *praxe,* 1. *p. tit. de Inquiſit. q.* 8. *n.* 8.

*Qui contrahit cum corrupta à ſe, non fit irregularis.*

32. Sed qoid, ſi fœmina, cum qoa contraxit, corrupta fuit ab ipſo ante matrimonium? Eritne irregularis? Videtur affirmativè reſpondendum, quia in *cap. Curandum, cap. Præcipimus, diſt.* 34. dicitur, non ordinandum, qui fœminam non virginem duxerit: ſed talis duxit fœminam non virginem: ergò eſt ab Ordinibus excludendus. Verùm textus intelligi poteſt de eo, qui non duxit virginem, vel verè talem, vel ſecundum iuris fictioné. Ille autem, qui duxit fæminam à ſe corruptam, fictione iuris, quaſi virginé ducere iudicatur: quia ſicut retrotrahitur Matrimonium ad legitimandos filios ex tali copula fornicaria natos, *cap. Tanta, qui filij ſint legitimi.* Sic quaſi factum iudicatur ante copulam, & cum alias mulier non diuiſerit carnem ſuam cum alijs, non reperitur in tali Matrimonio defectus ſignificationis, qoi etiam interpretatiuam bigamiam conſtituant, nec inducit irregularitatem. D. Th. *in addit. q.* 66. *art.* 3. *ad* 2. Et ibi Ledeſm. *col.* 7. *poſt* 6. *concl.* Pal. *n.* 4. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 26. *n.* 5. Sanch. *n.* 14. Dian. Enriq. & Valent. *loc. cit.*

*Qui cognoſcit uxorem quæ adulteravit fit irregularis.*

33. Denique, ob hanc bigamiam interpretatiuam fit irregularis, qui quamvis ſemel cum virgine nupſit; poſtquàm tamen adulterata eſt, cum ea copulam habuit: quia ſicut mulier per adulterium in plures ſuam carnem diuiſit; ſic virum qui una eſt cum illa caro, cenſetur etiam carnem ſuam diuideſe: in quo defectus ſignificationis inuenitur, *cap. Si cuius, cap. Laici, diſt.* 34. Vbi dicitur, per adulterium uxoris fieri virum irregularem. Quod intelligendum eſt, ſi poſteà eam cognouit. Quod verum cenſemus, etiamſi per vim mulier ab alió corrupta fuerit; quia via à culpa excuſat; ſemper tamen ineptum Matrimonium ad ſignificandam unionem Chriſti cum Eccleſia relinquit, Villalob. *tr.* 21. *diſp.* 31. *n.* 6. Suar. *n.* 16. Sanch. *n.* 15. Pal. *num* 6. quamvis improbabile non ſit, in tali caſu non contrahere irregularitatem, ut inquit Pelliz. *n.* 86. & tenet *Præpoſit.* apud Dian. *reſol.* 40. quod ipſe non contradicit: quia iura loquuntur de viro, qui uxorem poſt adulterium cognouit: & adulterium non dicitur commiſiſſe, quæ vim paſſa eſt.

*Etiamſi ignoret uxoris adulterium.*

34. Sed quid, ſi bona fide vir ignorans adulterium uxoris cum ea copulam habeat? Fietne irregularis, ita ut ſi de illo poſteà ſibi conſtet, debeat, mortua uxore, ab Ordinibus abſtinere? Negat Sà *verb. Irregularitas, de bigamia n.* 3. Petr. de Ledeſ. *de Matrim. q.* 66. *art.* 3. *col. penult.* Et alij apud Palaum *n.* 6. Communis tamen ſententia affirmat; quia hæc irregularitas tametſi originem ducat ex delicto uxoris; ipſa tamen non eſt irregularitas ex delicto proximè, ſed ex facto, & defectu ſignificationis: qui æqualiter reperitur, ſiuè vir ſciat adulterium, quando ad eam accedit, ſiuè non, D. Th. *q.* 66. *art.* 3. Corn. *q.* 4. Pal. *n.* 7. Sanch. *n.* 15. Auil. *loc. cit.* Pellizar. *cap.* 1. *ſect.* 2. *n.* 86.

35. Illud certiſſimum iudicamus, hanc incurrere irregularitatem maritum, qui poſt adulterium uxoris ad eam accedit, etiamſi ad reddendum debitum cogatur per cenſuras, vel quia lis adhuc pendet; vel quia non rectè probatum eſt adulterium: ut inquit D. Thom. *quæſt.* 66. *art.* 3. *ad* 4. Cornej. *ſup. qu.* 4. Sayr. *n.* 26. Sanch. *n.* 17. Dian. 4. *part. tr.* 2. *reſ.* 41. quia hęc irregolaritas prouenit ex defectu, non ex culpa, aut delicto: ſed quia caro diuiditur, & perfecta Sacramenti ſignificatio non ſeruatur. Quod in caſu dicto æque ſaluatur, ac ſi vir ſpomaneè cum uxore copulam haberet.

*Bigamia ſimilitudinaria inducit irregularitatem.*

36. Alia ſpecies bigamiæ eſt, quæ dicitur ſimilitudinaria. Et tunc datur, quandò Religioſus Deo per votum caſtitatis in profeſſione emiſſum, conſecratus, tentat contrahere matrimonium, tametſi nullum ſit quod contrahit: ob affectum tamen intentionis, opere ſecuto, ut ſupra dicebamus, hanc inducere irregularitatem, habetur in *cap. Monacho, cap. Quotquot* 27. *q.* 1. etiamſi ſemel tantum cum virgine contrahat. Ratio autem quare ab Eccleſia hæc irregularitas huic bigamiæ aſſignata eſt, illa eſt, quia ius duplex interpretatur Matrimonium, aliud ſpirituale verum, aliud carnale affectatum; dummodo iſtud ſit conſummatum. Si aotem contingat, quod laicus cum moniali profeſſa contrahit Matrimonium, non incurritur hęc irregularitas: quia non eſt in iure expreſſa, eo quod iura de contrahente poſt proprium votum loquuntur, ut inquit Cornej. *qu.* 5. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 85. *n.* 12. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 24. Enriq. *n.* 10. ¶ An verò, ſi Clericus in ſacris conſtitutus, qui per votum caſtitatis ſolemne Deo eſt conſecratus, contraheret Matrimonium, incurreret hanc irregolaritatem? Negat Hurtad. *num.* 47. Tanner. 3. *part. diſp.* 6. *quæſt.* 10. *dub.* 10. *num.* 184. Quod non improbabile dicit Pellizar. *ſupr. n.* 89. & probabile Suar. *ſect.* 4. *n.* 6. & Dian. refert hanc opinionem, cui minimè contradicit 4. *part. tr.* 2. *reſol.* 39. quia in *cap. Nuper, de bigamis,* dicitur, Sacerdotes contrahentes non eſſe verè bigamos. Cæterùm hic textus ſolum probat, Sacerdotes ſic contrahentes non eſſe bigamos bigamia vera, & reali; non vero ſimilitudinaria, de qoa loquimur. Et ſic dicendum eſt, etiam ipſos incurrere hanc irregularitatem. Quod tenet Cornej. *dub.* 2. *quæſt.* 5. Sanch. *n.* 5. Sayr. *n.* 22. Conin. *n.* 102.

*Non tollitur hæc irregularitas per Baptiſmum.*

37. Veniamus ad modum, quo hæc irregularitas poteſt tolli. Et in primis ſtatuendum eſt, hanc irregularitatem tolli non poſſe per Baptiſmum: quia non incurritur ob delictum, quod per Baptiſmum tollitur, ſed ob defectum. Vnde ſi vel ante Baptiſmum aliquis duas duxit uxores, vel unam anteà, poſteà alteram, ſemper durat bigamia, quæ eſt defectus ſignificationis, ad quam irregularitas ſequitur. Etenim licet ante Baptiſmum vera non eſſent Sacramenta, erant vera Matrimonia, & ſecundum non ſignificabat perfectè unionem Chriſti cum Eccleſia, quam etiam Matrimonia legis naturę ſignificabant ſecundum illud *Apoſtoli*; *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Præterquàm quòd in tali caſu defectus decentiæ, & continentiæ reperiebatur, ob quem talis irregularitas eſt ab Eccleſia introducta, & ſic non tolli per Baptiſmum, tenent D. Thom. *in addit. quæſt.* 66. *art.* 4. Cornej. *dub.* 1. *quæſt.* 3. Suarez *ſect.* 5.

*ſect.* 5. *num.* 10. Pellizar. *cap.* 5. *ſect.* 6. *num.* 9. Sanch. *diſp.* 83. *num.* 9. & ſic videtur definitum ab Innocentio *epiſt.* 22. *&* *epiſt.* 2. *cap.* 5. ut refertur *in cap. Si quis viduam* 1. 34. *diſt.* ibi: *Si quis viduam, licet laicus, duxerit uxorem, ſiuè ante Baptiſmum, ſiuè poſt Baptiſmum, non admittatur ad Clerum, quia eodem vitio videtur excluſus. In Baptiſmo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris conſortium relaxatur.*

*Poteſt Summus Pontifex tollere illam.*

38. Sed rogabis: Quis poſſit in iſta irregularitate diſpenſare? Reſpondetur Summum Pontificem poſſe illam tollere: uti docet D. Thom. *q.* 66. *art.* 5. *in corp.* ſiquidem eſt iure poſitiuo introducta. Quamuis enim ab Apoſtolis dimanauerit, ipſi ut Prælati particulares legem Eccleſiaſticam ſtatuentes, non ut ſcriptores ſacri legem diuinam promulgantes, ipſam ſtatuerunt. Et ideo quando *in cap.* 2. *de Bigamis* dicitur: *Cum bigamis diſpenſare non licet* intelligendum eſt, id eſt, faciliter, abſque graui cauſa, uti docent Cornej. *q.* 4. Sayr. *cap.* 6. *num.* 1. Sanch. *diſp.* 86. *n.* 6.

*Epiſcopus diſpenſandi in vera, & interpretatiua bigamia non habet poteſtatem.*

39. Epiſcopus non poteſt in vera, & interpretatiua bigamia diſpenſare vel ad recipiendos Sacros Ordines, vel adminiſtrandum in receptis, ſi bigamus fuerit bona, vel mala fide eos recepit, & conſequenter nec ad Beneficia; quæ ſunt Ordinibus ſacris annexa, ut dicemus *punct. ſeq. num.* 52. ut habetur *in cap. Super eo, de bigamis,* & probat D. Thom. *in addit. quæſt.* 66. *art.* 5. *in corp.* & fert communis ſententia. Vndè quando *in cap. Lector, diſt.* 34. dicitur, poſſe Epiſcopum cum lectore bigamo diſpenſare, ut Subdiaconus fiat, hoc ideo dictum eſt, quia illo tempore Subdiaconatus non erat ordo ſacer: ut *tract. de Ordine* diximus. Et hoc verum eſt, ſiuè bigamia publica ſit, ſiuè ſecreta, quia quandò *Trident. ſeſſ.* 24. *c.* 6. concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in omni irregularitate occulta, loquitur de illa quæ prouenit ex delicto, ut ex eius verbis conſtat, non de illa, quæ prouenit ex defectu, ut eſt iſta, de qua loquimur. Cæterùm quia bigamia illa, quæ contrahitur ex hoc, quod coniugatus copulam habeat cum uxore poſt eius adulterium probabile eſt, quòd prouenit ex delicto ſaltem uxoris: poterit Epiſcopus in illa diſpenſare, ſi fuerit occulta, ſecundum illam ſententiam, quæ aſſerit, Concilium concedere Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitate ex delicto ſiuè proprio, ſiuè alieno, de qua *punct. ſequent. num.* 52.

*Poteſt in illa diſpenſare ad recipiendos ordines minores.*

40. Ad recipiendos Ordines minores, & beneficia ſimplicia (etiam ad curata, ſi ſint ſimplicibus annexa, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, cui adhæret; ut dicemus *punct. ſeq. num.* 51.) poterit Epiſcopus diſpenſare, ut conſtat *ex dict. cap. Lector, diſt.* 34. & docent communiter Doctores cum D. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 3. *art.* 3. *in corp. & in addit. quæſt.* 66. *ar.* 5. *in corp.* ubi dicit S. Doctor: *Et quidam dicunt, quòd etiam quantum ad maiores, in illis, qui volunt Deo in Religione ſeruire, propter euitandum Religioſorum diſcurſum.* Quod tenet Enriq. *num.* 11. Viuald. *candelab.* 2. *part. de irregularitate bigam. n.* 24. ſed hoc optimè impugnat Soto *loc. cit. ex* 4. *ſentent. in fine corp.* Sanch. *diſp.* 86. *n.* 13. Palaus *n.* 15. quia nec uſu eſt receptum, nec aliquo iure probatur.

*Poteſt Epiſcopus in bigamia ſimilitudinaria diſpenſare.*

41. Poſſunt tamen cum bigamis ſibi ſubditis diſpenſare in bigamia ſimilitudinaria, ut ſi Sacerdos virginem ducat (ſi enim ducat corruptam, iam non eſt ſimilitudinaria, ſed ſimul interpretatiua: & ſic ex hac parte non poterit) ut habetur *cap.* 1. *&* 2. *Qui Clerici, vel vouentes, cap. Sanè Sacerdotes* 2. *de Clerico coniugato.* Vndè quandò *in cap.* 2. *de bigamis,* prohibetur eis diſpenſare cum Clericis, qui poſt Sacros Ordines nupſerunt, eſt diuerſus caſus, quia ibi ſit ſermo de Clericis, qui ante Clericatum nupſerunt, & mortua uxore Sacris Ordinibus ſunt initiati, & poſteà Matrimonium contrahere tentauerunt, quomodo ſimul cum bigamia ſimilitudinaria interpretatiuam bigamiam contraxerunt. Quare poſſe in hac bigamia ſolitariè accepta Epiſcopos diſpenſare, docet Ledeſm. *in* 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 5. *in fine,* Angel. *verb. Bigamus, num.* 9. Syluest. *eodem verb. quæſt.* 8. Palaus *punct.* 14. §. 5. *num.* 19. Dian. *reſol.* 62. Toler. *lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 8. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 86. *num.* 20. & hoc verum eſt, licet delictum ſit publicum, quia quandò Concilium reſtrinxit facultatem illorum ad irregularitatem occultam, loquitur de illa, quæ proximè, & formaliter prouenit ex delicto. Hæc autem irregularitas, licet originetur ex delicto; proximè tamen ex defectu ſignificationis prouenit, ut notauit Cornej. *diſp.* 16. *dub.* 2. *quæſt. ult.* Enriq. *num.* 11.

*Prælati Regulares cum ſuis ſubditis poſſunt in omni bigamia diſpenſare.*

42. Prælati Religionum ex privilegio Sixt. IV. relato in *compendio minorum, verb. Abſolutio extraordinaria quoad fratres,* §. 4. poſſunt diſpenſare cū ſuis ſubditis in omni bigamia, vera, interpretatiua, & ſimilitudinaria, & præter iſtud privilegium datur aliud Pauli III. concedens illis facultatem ad diſpenſandum in omni irregularitate, non exceptis nec bigamia, nec homicidio voluntario, ut diximus *cap.* 7. *num.* 59. & ſiuè ex uno, vel altero privilegio poſſe Prælatos in omni bigamia cum ſuis ſubditis diſpenſare, tenent Pellizar. *tract.* 19. *cap.* 3. *ſect.* 4. *num.* 122. *&* 125. Antonius à Spiritu S. *in directorio Regular. tract.* 2. *diſp.* 2. *ſect.* 2. *num.* 68. *&* 92. Leand. *tract.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 39. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 8. *num.* 21. Enriq. *loc. cit. littera* 2. Machad. *lib.* 5. *part.* 3. *tract.* 2. *docum.* 6.

## PVNCTVM IV.

### *De irregularitate, quæ prouenit ex defectu natalium.*

*Illegitimi ſunt irregulares.*

43. TVnc defectus natalium datur, quandò aliquis ex illegitimo thoro natus eſt, diciturque illegitimus. Et ſiuè ſit naturalis, ſiuè ſpurius, inceſtuoſus, vel ſacrilegus, omnis illegitimus fit irregularis. Tum in honorem ſtatus Clericalis, quem illegitimitas maximè dedecet. Tum in odium paternæ incontinentiæ. Tum deniquè, quia frequenter malè inſtructi ſunt, moribuſque prauis propenſi; ita habetur *cap.* 1. *Et ſinal, de Filijs Presbyt. in* 6. *cap. Per venerabilem, qui filij ſint legitimi, & diſt.* 56. per plura capita. Et hoc verum eſt, licet illegitimus ſit occultus, & communiter legitimus iudicatus, quia iura illegitimos excludunt ab Ordinibus, non diſtinguendo inter occultos, vel publicos, Cornej. *diſput.* 15. *dub.* 1. *in initio,* Pellizar. *tract.* 7. *cap.* 1. *ſect.* 2. *num.* 91. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 9. *num.* 2. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 36. Auil. 7. *p. diſp.* 3. *dub.* 6. *concl.*

Google

*tom.*1. Bonacin. *diſp.* 7. *quæſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 2. & hæc irregularitas eſt tàm ad ſuſcipiendos ordines, quàm ad miniſtrandum in receptis: ut ſi illegitimus aliquos fortè illicitè reciperet, quia iura præcipuè excludere à miniſterio altaris intendunt illegitimos.

*Debet eſſe certus de ſua illegitimitate, ut ſiat irregularis.*

44. Cæterùm ad incurrendam hanc irregularitatem ex defectu natalium, requiritur, quòd illegitimus de ſua illegitimitate ſit certus. Si tamé ſit de illa dubius, non tenetur ſe ut illegitimum gerere, ac proindè ut irregularem: tum quia ſemper in dubijs benigniora ſunt amplectenda. Tum etiam, quia irregularitas non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa: ſed non eſt expreſſum in iure, quod in dubio illegitimitatis, aliquis irregularis reputetur: ergò, &c. Qua ratione ſuprà diximus, quod, excepto homicidio voluntario, in quo ſi ſit dubium facti, irregularis cenſendus eſt homicida, non, ſi ſit dubium iuris: in reliquis verò irregularitatibus, ſiuè ſit dubium iuris, ſiuè facti, nemo tenetur ſe ut irregularem gerere, quia de homicidio eſt expreſſum in iure, non de alijs. Ex quo fit, expoſitos, quorum parentes ignorantur, non debere reputari illegitimos, quia multoties parentes, etiamſi coniugati ſunt, ob inopiam filios exponunt, & ne legitimi irregulares fiant, in illorum fauorem, omnes expoſiti dum non probantur illegitimi, pro legitimis habendi ſunt, & ideò habetur *ex Bull.* Gregor. XIV. expedita ann. 1591. in gratiam confraternitatis pro expoſitis, habendos eſſe pro legitimis, & puri ſanguinis in ordine ad Ordines, & beneficia, cæteraſque dignitates, uti docent Baſil. Pontius *lib.* 2. *de matrim. cap.* 6. *num.* 4. Palaus *loc. cit. & de Beneficijs, tract.* 13. *diſp.* 4. *punct.* 1. §. 1. *in fin.* Cornej. *quæſt.* 1. Auil. *dub.* 9. Pellizar. *cap.* 5. *ſect.* 2. *num.* 70. Dian. 2. *part. tract.* 15. *reſol.* 22. & 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 58. Coninch, *diſp.* 18. *dub.* 12. *num.* 105. Gibalin. *cap.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 5.

*Filius natus ex inualido matrimonio bona fide contracto non eſt illegitimus.*

45. Filius verò natus ex parentibus coniugatis, quorum inualidum erat matrimonium, ſi bona fide contractum eſt ſaltem ex parte unius, non eſt habendus ut illegitimus; ſed potius ut legitimus, *cap. Ex tenore, cap. Cum inter, cap. Prælatum, cap. Quod nobis, qui filij ſint legitimi.* Sed hoc verum eſt, ſi in facie Eccleſiæ contractum eſt matrimonium non verò ſi clandeſtinè, vel quia Parochi, & teſtium præſentia defuit, vel proclamationes malitioſè ſunt omiſſæ, quia tunc dolus ex parte utriuſque, & mala fides præſumitur, & ſic proles ſuſcepta illegitima iudicatur, *cap. Ex tenore citato.* Vndè quamvis filio conſtet de nullitate matrimonij parentum: ſi tamen illi non conſtat de mala fide, qua illud contraxerunt, non tenetur ſe ut illegitimum gerere, quia malam fidem parentum non debet præſumere, niſi ab utroque ſibi hoc confeſſum fuerit, uti docet Couarr. *part.* 2. *de matrimon. cap.* 8. §. 2. *num.* 1. Pellizar. *num.* 75. Suarez *diſp.* 50. *ſect.* 4. *numer.* 10. Bonacin. *numer.* 3. Sayr. *cap.* 10. *num.* 31.

*Non tenetur illius matri credere de eius illegitimitate proteſtanti.*

46. Sed hic notandum eſt, quòd quando filius, vero matrimonio durante, natus eſt, non tenetur credere matri etiam cum iuramento aſſerenti, ſe illegitimum eſſe; quia ſic facile eſſet matribus filios exhæredare. Vndè licet matris dictum aliquam præſumptionem faciat, per hanc filius iure legitimitatis non ſe debet priuare; nec à iudice priuandus eſt, niſi alia dentur indicia manifeſta, Palaus *de beneficijs, loc. cit. num.* 7. Baſil. *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 3. Pellizar. *num.* 71 Dian. 4. *part. tract.* 2. *num.* 59. Bonacin. *num.* 5. Suar. *num.* 6. Philib. *de ordine, tract.* 1. *part.* 10. *cap.* 1. *num.* 21. Qui addit. [Imò nec tenetur filius credere matri etiam in articulo mortis aſſerenti, ipſum non eſſe legitimum, etiamſi id iuramento ad ſuam conſcientiam exonerandam in bonum filiorum legitimorum ſe facere teſtetur.] Quod etiam tenet Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 5. *quæſt.* 5. *num.* 144. Et ſicut filius non tenetur credere matri teſtificanti: ita ſecluſo teſtimonio parentum, ob ſolam malam famam, & rumorem non tenetur ſe ut illegitimum reputare, cum præualeat iuſta poſſeſſio legitimitatis titulo matrimonij coniunctis. Ità Filliuc. & Pellizar. cum Couarruu. *loc. cit.*

47. Inquires modò. Quot modis tollatur hæc irregularitas ex defectu natalium? Reſpondetur, quod quatuor modis. Primò tollitur per ſubſequens matrimonium, ſi tempore, quo filius natus eſt, parentes poterant validè inter ſe contrahere matrimonium. Ratio eſt; quia ex benignitate iuris Canonici retrotrahitur matrimonium, & prolem anteà ſuſceptam legitimam reddit, ac ſi ex vero eſſet orta matrimonio, *cap. Tanta qui filij ſint legitimi,* & ablata illegitimitate, tollitur irregularitas fundata in illo. Sed hoc verum eſt, ſi parentes tempore natiuitatis filij habiles erant ad inter ſe contrahendum, nullo impedimento dirimente impliciè. Sed licet hoc habuerint tempore conceptionis; ſi tamen tempore natiuitatis iam erat ablata, filius per matrimonium ſubſequens legitimus redditur, quia dicto *cap. Tanta* ſic habetur: *Si vir, viuente uxore ſua, aliam cognouerit, & ex ea prolem ſuſceperit:* at ſuſceptio prolis ſit per natiuitatem, & conſequenter ſi mortua erat uxor, quando filium ex alia ſuſcepit, quamvis viueret, quando illam cognouit, filius fiet per ſubſequens matrimonium legitimus. Ità Palaus *de Beneficijs, punct.* 4. *à num.* 5. Cornej. *dub.* 2. *quæſt.* 2. Dian. *reſol.* 59. Pellizar. *num.* 76. Sanch. *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 7. *n.* 19. Baſil. *cap.* 3. *n.* 2 Sayr. *cap.* 10. *n.* 19. Bonac. *num.* 6.

*Quomodo per ſubſequens matrimonium tollatur hæc irregularitas?*

48. Quod confirmatur ex eleganti textu, *leg.* 11. *Tauri, quæ in noua Recopilat. eſt l.* 9. *tit.* 8. *lib.* 1. ubi ſic dicitur: *Y porque no ſe pueda dudar quales ſon los hijos naturales, ordenamos, y mandamos, que entonces, ſe digan los hijos naturales, quando al tiempo que nacieron, o fueron concebidos, ſus padres podian caſar con ſus madres, iuſtamente, ſin diſpenſacion.* Vnde cum omnes filij naturales legitimentur per matrimonium ſubſequens, ſequitur ſufficere ad hanc legitimationem, quod parentes habiles ſint ad matrimonium, quando filius natus eſt, etiamſi tempore conceptionis eſſent inhabiles. Sed notandum eſt, quod illud aduerbium, *Iuſtamente,* poſitum in dicta lege intelligitur, id eſt, *validè, ut tract. de Matrim.* notauimus. Vndè non eſt contrà illam, nec contrà aliam quamcumque; ſed verum aſſerere, quod filius dicitur naturalis, & proindè per ſubſequens matrimonium legitimatur quamvis parentes licitè non poſſent contrahere matrimonium tempore natiuitatis ratione voti ſimplicis caſtitatis utriuſque, vel unius, aut alterius impedimenti impedientis, dummodo nullum haberent dirimens, ratione

*Filius habitus ex parentibus qui validè poterant contrahere matrimonium, ipſo facto, legitimantur.*

Digitized by Google

ne cuius validè non poſſent contrahere, uti tradunt Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 2. *num.* 8. Villaloh. *tract.* 13. *diff.* 58. *n.* 9. Baſil. *lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 5. Sayr. *cap.* 8. *n.* 17. Palaus *de Beneficijs, diſp.* 4. *punct.* 1. §. 3. *n.* 2. Pelizar. *num.* 74.

*Duo circà dicta notanda.*

49. Sed hic notanda ſunt duo. Primum, quod ſi filius naturalis ante parentum matrimonium eſſet Ordinibus ſacris initiatus; illo ſecuto poteſt licitè in illis miniſtrare, & ad alios aſcendere abſque diſpenſatione, quia ſubſequens matrimonium, tollit illegitimitatem, & conſequenter irregularitatem fundatam in ea. Vndè licet peccauerit mortaliter illegitimus, tales Ordines recipiendo, quia tamen non contraxit ob tale delictum nouam irregularitatem, quia nulla datur in iure pro eo, & antiqua fuit ablata per matrimonium, nihil eſt, quod impediat ipſum, Ordinibus ſuſceptis uti, vel ad alios aſcendere. ¶ Secundum, quòd talis legitimatio datur per ſubſequens matrimonium; etiamſi conſummatum non fuerit; ſed in articulo mortis contrahatur, quia *cap. Tanta, qui filij ſint legitimi*, hanc virtutem vero, & valido matrimonio tribuit; quod verè eſt tale, etiamſi non conſummetur.

*Tollitur hæc irregularitas legitimatione, & diſpenſatione.*

50. Secundò tollitur hæc irregularitas per abſolutam legitimationem Pontificis. (Aliàs verò ab ipſis non poteſt illegitimos legitimare in ordine ad hos effectus Canonicos: ut docet Suar. *diſp.* 50. *ſect.* 5. *n.* 8. Palaus *de cenſur. n.* 5.) Tertiò, tollitur diſpenſatione eiuſdem. Et eſt diſparitas inter legitimationem, & diſpenſationem; quod legitimatio, eſt quædam perſonæ habilitas, & illius ad primæuam naturam reſtitutio, & ſic ſemper eſt quoad omnes effectus; at diſpenſatio relinquit inhabilitatem perſonæ, & datur ad quoſdam effectus. Et ſic illa, quia eſt beneficium Principis, latè eſt interpretanda, hæc verò, quæ eſt legis communis relaxatio, ſtrictè. Vndè ſi datur ad Ordines, ſolum ad minores intelligitur, & per hoc, quòd ad Ordines detur, non ob id ad beneficia concedi iudicandum eſt: & ſi conceditur ad beneficium, ad unum tantum conceſſa iudicatur, ut docet Sanch. *de Matrimon. lib.* 8. *diſp.* 1. *à num.* 28. Cornej *loc. cit.* Sayr. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 21. Azor. 2. *part. libr.* 6. *cap.* 3. *à quæſt.* 5. Palaus *n.* 6.

*Quomodo Epiſcopus poſſit cum illegitimo diſpenſare.*

51. Sed rogabis: an Epiſcopus poſſit in hac irregularitate diſpenſare? Reſpondetur primò, quòd Epiſcopus poteſt cum illegitimo diſpenſare, ut minores Ordines recipiat, & beneficium ſimplex, *cap.* 1. & 2. *de Filijs Presbyt. in* 6. & licet ſit annexum Curatum, huic ſimplici, non impeditur diſpenſatio, quia tunc eſt acceſſorium; quod ſequitur naturam principalis: ut docet Vaſq. *de Beneficijs, cap.* 3. §. 1. *dub.* 3. *num.* 7. *in fin.* Barboſ. *de Poteſtate Epiſcopi, allegat.* 45. *num.* 24. Palaus *de cenſuris, n.* 7. Leand. *tract.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 32. Verùmtamen licet Canonicatus, & integra portio Eccleſiæ Cathedralis ſit beneficium ſimplex requirens dumtaxat aſſiſtentiam; ex quo verò *Concilium Tridens. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reformatione.* Omnibus Canonicatibus, & integris portionibus Eccleſiarum Cathedralium Ordinem Sacrum addixit, ſic ut Epiſcopus nequit ad Ordines Sacros illegitimos diſpenſare, nec ad beneficia illis annexa, ut ſtatim dicemus: ita nec ad recipiendum dictum Canonicatum, & portionem, uti tradit Cornej. *diſp.* 15. *dub.* 2. *quæſt.* 1. Leſſius *lib* 2. *cap.* 34. *dub.* 18. *num.* 66. Philib. *de Ordine, tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 13. Palaus *num.* 8. Enriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 10. Barboſ. *loc. citat.* Auil. *dub.* 3. at Canonicatus verò Eccleſiæ Collegiatæ, & dimidias rationes Eccleſiæ Cathedralis, & alia beneficia, quæ non ſunt annexa Ordini ſacro, poteſt cum illegitimis diſpenſare ex dicto *cap.* 1. *de Filijs Presbyter.* & quia hæc diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis; non verò Ordinis Epiſcopalis, eam poteſt impendere Epiſcopus electus, & confirmatus licet non conſecratus, & Capitulum ſede vacante, quod ſuccedit in omni iuriſdictione Epiſcopi, & Abbates iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, qui in nullo præterquam in conſecratione, differunt ab Epiſcopis, Barboſ. *allegat.* 45. *numer.* 25. Suarez *numer.* 6. Palaus *num.* 11.

*Poſſit Epiſcopum diſpenſare cum illegitimo, ut Ordines Sacros recipiat, aliqui dicunt.*

52. Reſpondeo ſecundò, quod ad Ordines Sacros, beneficia Curata, dignitates, &c. Non poteſt cum illegitimis Epiſcopus diſpenſare, *ex cap. in fin. de filijs Presbyteror.* uti fert communis Doctorum ſententia. Sed inter illos eſt diſſidium: an ſi illegitimus ſit occultus, & communiter ut illegitimus habeatur, poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illo ad recipiendos Ordines Sacros, & beneficia illis annexa? Affirmant Auil. *dub.* 7. & apud ipſum Enriq. *loc. cit.* Pellizar. *ſect.* 2. *num.* 73. Dian. 1. *part. tract.* 15. *reſol.* 21. licet oppoſitum loco pro ſecunda ſententia citando docuerit Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *num.* 29. qui malè à Leandro pro contraria ſententia citatur Barboſ. Laurentius, Peirinea, & Præpoſitus apud Dian. 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 64. & probabilem dicit Cornej. Coninch, & Laym. infrà citandi. Et probatur, quia *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, non deſtinguendo, an ſit proprium, vel alienum: ſed hæc irregularitas ex defectu natalium prouenit ex delicto paterno: ergò poterit in illa diſpenſare. Quandoquidem licet diſpenſatio, utpote relaxatio legis ſit ſtrictè interpretanda, poteſtas verò ad diſpenſandum eſt beneficium Principis, & ſic latè intelligenda: ut in alijs priuilegijs, & conceſſionibus omnes confitentur.

*Verior eſt negatiua ſententia.*

53. Sed licet hæc opinio ſit valdè probabilis, (& ideò immerito P. Suarez eam omninò improbabilem vocat) probabilior tamen eſt ſententia negatiua. Tum, quia facultas ad diſpenſandum cum aliquo in aliquo impedimento ex delicto proueniente, ſupponit, quod delictum eſt proprium illius, qui diſpenſatur. Tum etiam, quia licet hæc irregularitas ortum habeat ex delicto paterno, immediatè verò, & proximè oritur ex defectu perſonali; & ideò ab omnibus inter irregularitates ex defectu, non ex delicto enumeratur. Quapropter ſi per impoſſibile filius illegitimus naſceretur ex parentibus abſque illorum peccato, adhuc maneret irregularis, quia in illo eſſet defectus natalium, & conſequenter daretur indecentia; ratione cuius illegitimos iura rejiciunt ab ordine; & ſtatu Eccleſiaſtico. Ità tenet Cornej. *loc. cit.* Palaus *num.* 10. Dian. *loco ex* 4. *part. citato* Philibert. *de ordine, tract.* 1. *part.* 10. *cap.* 1. *num.* 14. & 15. Bonacin. *loc. cit.* Coninch, *diſp.* 18. *dub.* 14. *n.* 111. Laym. *lib.* 2. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 2. Suar. *num.* 5.

*An poſſit Epiſcopus cum iam ordinato diſpenſare?*

54. Sed quid, ſi illegitimus fieret Sacerdos? Poſſetne Epiſcopus cum illo diſpenſare, ut in tali or-

Ordine miniſtret? Affirmat Laym. etiamſi mala fide talem Ordinem ſuſceperit, quamvis timidè, *lib. 1. tract. 15. part. 5. cap. 5. num. 2.* ſequitur Palaus *num. 10.* & etiam Dian. *4. part. tract. 2. reſol. 64.* ſi tamen bona fide talem ordinem recipit, abſolutè hi tres Auctores tenent partem affirmativam. Quam docet Enriq. *num. 10. litt. H.* Auil. *dub. 6. notab. 6.* Nauarr. *conſil. 4. de Filijs Presbyt. num. 2. quæſt. 2. & 3.* quia per ordinationem bona fide ſuſceptam ius acquiſiuit ad uſum Ordinis: ergò eſt conſonum rationi, quod poſſet Epiſcopus tale impedimentum tollere. Cæterùm hæc ratio ſolum probat, dari congruam rationem, ad hoc ut Pontifex, ſi vellet, hanc traderet illis poteſtatem, ſed non, quod conceſſerit de facto, cum oppoſitum, habeatur *ex cap. 1. de filijs Presbyter. in 6.* ubi omninò negatur Epiſcopis facultas tollendi hanc irregularitatem, quæ ſemper remanet, etiam poſt Ordinis ſuſceptionem. Et ſiuè bona, ſiuè mala fide fuerit facta, non conceſſit eis poteſtatem, auferendi talem irregularitatem, quamvis commune ipſis denegauit. Atque ita tenent Suar. *num. 4.* Filliuc. *tract. 19. cap. 5. quæſt. 8. n. 155.* Cornej. *loc. cit.*

*Per profeſſionem tollitur ad Ordines ſuſcipiendos.*

55. Quartò, & ultimò tollitur hæc irregularitas per profeſſionem in Religione approbata, *cap. 1. & final. de filijs Presbyter.* quam conceſſionem licet reuocauerit Sixtus V. reddens inhabiles illegitimos ad Religionem, & ſic irritum relinquens illum textum, eam poſtmodum Gregorius XIII. ann. 1588. ad terminos iuris communis deduxit, & ſic modò per profeſſionem tolli irregularitatem ex defectu natalium tenet Suar. *à num. 12.* Enriq. *loc. cit.* Palaus *num. 12.* Sanch. *lib. 7. diſp. 86. num. 4.* Pellizar. *ſect. 1. num. 34.* Cornej. *quæſt. 2.* Soto *in 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 3.* ſed non quoad omnes effectus irregularitatis, ſed dumtaxat in ordine ad recipiendos Ordines, manente ipſa quoad inhabilitatem ad Prælaturas, dignitates, & alia quælibet Beneficia Eccleſiaſtica, ſiuè ſæcularia, ſiuè regularia, quia expreſsè ibi textus: *Prælationes autem nullatenus habeant.* Quod etiam in monialibus illegitimis verificatur, quæ minimè ad prælationes abſque diſpenſatione aſſumi poſſunt, ut probat Sanch. *lib. 5. decalog. cap. 5. n. 19.* Suar. *n. 15.* Palaus *num. 12.* Leand. *quæſt. 67.*

*Ex privilegio etiam ad Prælaturas, & dignitates ſecundum aliquos.*

56. Sed hoc, quod diximus, illegitimos per profeſſionem non habilitari ad Prælaturas, & dignitates, intelligendum eſt, iure communi attento, nam ſpectatis Religionum privilegiis, omnem illegitimum ex quocumque coitu natum, reddi per profeſſionem ſolemnem legitimum, & aptum ad omnes Prælaturas, & dignitates intrà Religionem obtinendas, ex Portel. *verb. Illegitimus, num. 9.* eruditè probat Villalob. *tom. 1. tract. 13. diff. 60. num. 10.* ob privilegium conceſſum ab Eugenio IV. Congregationi S. Ioannis Euangeliſtæ in Luſitania. Comparando illud cum alio Nicolai IV. illius verba refert Diana *4. part. tract. 2. reſol. 65.* & videtur ſequi Machad. *lib. 1. part. 3. tract. 12. docum. 2. num. 6.* tenet etiam Gibalio *cap. 6. q. 3. confect. 4.* Leand. à Murcia *in cap. 4. ſup. x. regulam* D. Franciſci, *§. 2. n. 17. & cap. 5. §. 3. n. 33.* cuius verba refert Dian. *10. par. tract. 13. reſol. 19.* Nos autem cum doctiſſimo noſtro Lezana *tom. 3. verb. illegitimi regul. n. 17.* id aſſerere non audemus.

*Prælati poſſunt quoad omnia cum Regularibus illegitimis diſpenſare.*

57. Dicimus tamen, Prælatos Regulares poſſe diſpenſare cum illegitimis ad recipiendas quaſcumque Prælaturas, & dignitates, iuſta interveniente cauſa, ex conſtitutione Gregorij XIV. ann. 1590. concedente omnibus Generalibus, & Provincialibus, ut cum ſuis Capitulis poſſint cum talibus diſpenſare; ut prælationes recipiant. Imò per ſeipſos id poſſunt abſque Capitulo, & Definitorio; & etiam Priores locales, & eorum Vicarij, ipſis mortuis, vel amotis, ex conceſſione Clementis VIII. facta Patribus de Obſeruantia 20. Decemb. ann. 1597. & Pauli V. facta eiſdem 1. Decemb. ann. 1599. ubi confirmantur privilegia, quæ olim à Sixto IV. habebant omnes Generales, Provinciales, Priores, & eorum Vicarij, ut per ſe ipſos habiles reddere poſſent illegitimos ad dignitates, & Prælaturas. Quæ privilegia in odium illegitimorum ſublata fuerant à Sixto V. duabus conſtitutionibus ab ipſo editis: prima ann. 1587. ſecunda ann. 1588. Quas moderauit Gregorius XIV. conſtitutione relata, concedens, ut poſſent Provinciales, & Generales cum ſuis Capitulis. Illas ergò conſtitutiones Clemens VIII. & Paulus V. ad priſtinum ſtatum reduxerunt, & ideò ex vi conſtitutionum horum duorum Pontificum poſſe modò Provinciales, Generales & Priores locales, & eorum Vicarios, ipſis mortuis, aut remotis per ſeipſos cum illegitimis diſpenſare, in ordine ad Prælaturas, & dignitates, tenent Baſæus *verb. irregular. 3. num. 7. verſ. ex varijs,* Dian. *3. part. tract. 2. reſol. 102.* Sigiſmundus à Bononia, *tract. de electione dub. 73. num. 67.* Tambur. *de iure Abbatum, tom. 1. diſp. 5. quæſt. 14. num. 10.* Peirinus *in privileg. Minorum, tom. 1. conſtitutione 2. Iulij 2. §. 29. num. 96.* Portel. *in dub. Regul. verb. Illegitimus, n. 10.* Pellizar. *tom. 2. tract. 9. cap. 3. ſect. 4. quæſt. 26. n. 131.*

*Duo circa dicta notanda.*

58. Vbi duo notanda ſunt. Primum quod ſola electio illegitimi in Prælatum facta ab habentibus poteſtatem diſpenſandi, ſufficit, ut diſpenſata habeatur talis illegitimitas, ſi ab eis nota fuerit, eo quod licet non verbis, facto tamen ipſo diſpenſant, quia cum talis diſpenſatio neceſſaria ſit, ſaltem ut licita ſit talis electio, præſumendum eſt, ipſos nolle peccare, & ſic velle diſpenſare, proindeque talis diſpenſatio implicita valebit ſaltem pro foro conſcientiæ. Ità Dian. *part. 1. tract. 13. n. 39.* Sylueſt. *verb. Irregularitas, n. 14. q. 28. in fin.* Nauarr. *cap. 25. n. 74.* P. Anton. à Spiritu S. *in direct. reg. tract. 2. diſp. 1. ſect. 1. n. 63.* Lezan. *tom. 1. c. 18. n. 60.* Cand. *to. 2. diſq. 24. art. 61. dub. 23.* Secundum, quòd notare oportet, eſt, non requiri, quod Religioſus illegitimus petens à ſuis Prælatis diſpenſationem ad Prelaturas obtinendas, exprimat in tali petitione, qua qualitate illegitimitatis ſit innodatus: an nimirum, ſit naturalis, ſpurius, inceſtuoſus, &c. Quia Prælatus ſemper intendit diſpenſare cum eo, quomodolibet ſit illegitimus; aliter namque de qualitate illegitimitatis interrogaret, ſi vellet prudenter ſe gerere, Pellizar. *tom. 9. cap. 8. ſect. 3. n. 100.* Leand. *diſp. 4. q. 84.* Dian. *10. p. tract. 13. reſol. 39.* videtur hoc aſſerere, & refert pro hac parte Rodr. *tom. 1. q. 3. art. 6.*

PVN-

## PVNCTVM V.

### *De irregularitate prouenіente ex defectu libertatis.*

*Mancipium eſt irregulare.*

59. SErui, ſeu mancipia, quamdiu durat in eis defectus libertatis, irregulares ſunt, ut conſtat ex pluribus decretis *diſt.* 54. & alijs in toto titulo, *De ſeruis non ordinandis*, & ratione. Tum, quia humilitas ſeruitutis ſtatum Eccleſiaſticum maximè dedecet. Tum etiam, quia ſeruus domini obſequijs mancipatus diuinis miniſterijs expeditus eſſe non poteſt, ſicut requiritur in ordinatis. Seruus, qui, ſciente, & non contradicente domino, in ſtatu Clericali, etiamſi dumtaxat per primam tonſuram, conſtituitur, eo ipſo à ſeruitute liberatur, *cap. Si ſeruus* 54. *diſt. cap. Nulli, cap. Quicumque eadem diſt.* quia eo ipſo ſupponitur manumiſſus, & ex iuſtitia non tenetur amplius domino deſeruire. Poterit tamen dominus manumiſſionem, ei concedere ſub hac conditione: ut in non repugnantibus ſtatui Clericali debeat domino deſeruire. Et tunc ad id tenebitur, & ſi non fecerit, degradari poterit, *cap. Nullus, de ſeruis non ordinatis.*

*Quid, ſi ſeruus domino ignorante ordinatur.*

60. Si verò ſeruus, domino ignorante, vel ſciente, & contradicente, ordinetur, grauiter peccat, *tot. tit. de ſeruis non ordinatis.* Et ſi minoribus ordinetur, adhuc remanet ſeruus ſicut anteà, omni Clericali priuilegio priuatus, *cap. Frequens, diſt.* 54. *cap. Seruorum, de ſeruis non ordinatis.* Si maioribus ordinetur ab Epiſcopo conſcio ſeruitutis, ipſe Epiſcopus tenetur in duplum domino ſatisfacere, id eſt, vel duplicatum ſeruum, vel pretium, quo ſeruus æſtimatur. Si verò Epiſcopus ignarus ſit ſeruitutis, illi, qui conſcij talis ſeruitutis teſtimonium perhibent, aut ordinari ſupplicauerint, in duplum modo dicto, domino reſtituere tenentur, & ſi non exhibuerint, nec ſeruus liberatur à ſeruitute, nec eum dominus dimittere tenetur, *cap. Si ſeruus, diſt.* 54.

*Ad quid teneatur ſeruus, qui contradicente domino ordinatur.*

61. Si verò tam Epiſcopus, quàm alij, ignari ſint ſeruitutis, ipſe ſeruus tenetur hanc duplicem exhibere ſatisfactionem, vel reddere vicarium pro ſe æqualem, *cap. Ex antiquis* 54. *diſt.* Si hanc exhibere non poteſt intrà annum (in quo ceſſare debet ab Ordinibus receptis) & ſolum Diaconus, aut Subdiaconus ordinatus fuerit, redigitur in ſeruitutem, & domino ſeruire tenetur in omnibus, quæ talem ſtatum non dedeceant, *dicto cap. Ex antiquis, & cap. Frequens* 54. *diſt.* & ſemel in ſeruitutem redactus priuatur omni uſu ordinum, & Clericali priuilegio, ut aſſerit Cornej. *diſp.* 14. *dub.* 1. Palaus *diſput.* 6. *punct.* 13. *num.* 4. Pelliz. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 2. *num.* 46. Si verò Preſbyter ordinatus fuerit, & integram ſatisfactionem facere non poſſit, domino id poſtulante, illi inſeruire tenetur, tum in miniſterijs corporalibus, quæ eius ſtatum non dedeceant, tum etiam in ſpiritualibus ſacrificia, & Horas Canonicas pro domino offerendo, nullo ſtipendio recepto, & ſi non fecerit, deponi, & degradari debet, *cap. Frequens, diſt.* 54. *cap. Nullus, de ſeruis non ordinandis.* Si verò dominus intrà annum, poſtquam intellexit, ſeruum eſſe ordinatum, diſſimulet, cenſetur ei omnem libertatem dediſſe, *cap. ſeruus, ſciente* 54. *diſt.* & conſequenter liberatur ab hac irregularitate, quæ per ceſſationem ſeruitutis omninò ceſſat.



*Obligatio reddendi rationem facit irregularem.*

62. Præter defectum libertatis prouenientem ex ſeruitute datur etiam alius, hanc inducens irregularitatem, & eſt obligatio reddendi rationem ob adminiſtrationem à Republica acceptam, quamdiu non redditur, & non ceſſant illa officia, ad quæ ad talia ratiocinia tenetur. Tum, quia talium rerum temporalium adminiſtratio, dedecet ſtatum Clericalem. Tum etiam, quia non præſumitur aſſumere talem ſtatum amore Deo ſeruiendi, ſed talia ratiocinia fugiendi. Hanc habent Theſaurarij oppidi, depoſitarij, actores, procuratores, Magiſtratus, iudices rerum temporalium. *cap. unic. de obligatis ad ratiocinia, cap.* 1. 2. *&* 3. *diſt.* 51. & etiam illi, qui perſonæ particularis adminiſtrationi rerum, ſunt obligati, ut tutores procuratores, curatores pupilli, *cap.* 3. *diſtinct.* 54. *cap. unic. de obligatis ad ratiocin.* & omnes, qui vel ex publico munere, vel particulari, ad ratiocinia tenentur, ſiue ſit ad reddendam rationem de pecunijs receptis, & adminiſtratis, ſiue de actionibus ſolum: an iuſtè exercitæ fuerint ab ipſis, & ſic omnes publici miniſtri, iudices, tabelliones, & alij miniſtri fori iudicialis, donec ſui muneris rationem reddant. Qui omnes, ut ordinari poſſint, & à dicta adminiſtratione abſtinere, & illius rationem iam reddidiſſe debent, *cap. unic. de obligatis ad ratiocin.* & docent Cornej. *dub.* 2. Palaus *num.* 8. Suar. *diſp.* 51. *ſect.* 3. *num.* 14. Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *num.* 4.

*Poteſt ordinari, qui fideiuſſorem præbet.*

63. Ille verò, qui, adminiſtratione depoſita, exhibet fideiuſſorem idoneum, qui promittat reddere rationem adminiſtrationis, & debita in defectum principalis ſoluere, poterit ad Ordines admitti, quia iam ceſſat ratio præſumptionis doli, & indecentiæ ſtatus, Cornej. *dub.* 2. *in fin.* Palaus *nu.* 10. Bonac. *nu.* 5. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 11. ſed ſi aliquis adminiſtrationem relinquat, & illius rationem reddat, etiamſi debita non ſoluat, poterit ordinari, eo quod non datur ius ab Ordine excludens eum, qui debitum ſoluendi habet, Palaus *n.* 11. Bonac. *num.* 5. Cornej. *dub.* 2. *in fin.* Suar. *n.* 3. Idem eſt de eo qui obligatus eſt ex aliquo contractu emptionis, venditionis, mutui, depoſiti, conducti, promiſſionis, non continente adminiſtrationem Reipublicæ, aut perſonæ priuatæ, quia in iure ſolum excluduntur ab Ordine, qui occaſione alicuius adminiſtrationis, ad ratiocinia tenentur, Sayr. Palaus, Suar. Bonac. *loc. citat.*

*Qui liberantur ab hac irregularitate.*

64. Excluduntur à tota hac doctrina Conſiliarij Regis, pro ciuilibus cauſis conſtituti qui licèt ad ratiocinia teneantur, ordinari poſſunt, vel ex tacita Pontificis conceſſione, vel ex conſuetudine: & quia illorum adminiſtratio Eccleſiaſticum ſtatum non dedecere conſtat, Suar. *n.* 19. Palaus *n.* 13. Cornej. *dub.* 2. *in principio*, Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 5. *c.* 8. *n.* 4. Similiter, ab Ordine non excluduntur adminiſtratores bonorum Eccleſiarum, & cauſarum piarum, & adminiſtratorij rerum perſonæ miſerabilis: ut eſt tutor, vel curator pupilli, vel minoris indigentis, & procurator viduæ humano ſubſidio deſtitutę, vel alia fungens adminiſtratione, quæ opus pietatis, & miſericordiæ iudicatur, argumento ex *cap.* 1. *Ne Clerici, vel Monachi, cap. Monachi* 16. *quæſt.* 1. *cap. Iudicatum*, 89. *diſt.* Et docent Doctores communiter.

T t PVNC-

## PVNCTVM VI.

### *De Irregularitate contracta ex defectu corporis.*

*Hermaphroditus eſt irregularis.*

65. QVadtuplex datur defectus corporalis, ratione cuius irregularitas ex defectu corporis incurritur. Primus eſt defectus ſexus, ut ſi poſſideatur ab utroque: uti eſt hermaphroditus. Secundus, defectus ætatis. Tertios, defectua ipſius corporis. Quartus, defectus ſanitatis. Igitur hermaphroditos omnes, eſſe irregulares probabilius eſſe dicamus, vel ob monſtruoſitatem quam dicunt, vel ob indecentiam inde prouenientem. Quamuis verè textus non detur circà hos expreſſus: ſed colligitur *ex cap. 2. diſt.* 36. obi generaliter omnes vitiati corpore, & deformes, ac monſtruoſi, ab Ordinibus repelluntur, & tenet Cornej. *diſp.* 12. *dub. unic. qu.* 1. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 11. *num.* 1. Sayr. *lib.* 6 *cap.* 8 *num.* 24. Pelliaar *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 2. *n.* 52. Bonac. *diſp.* 7. *qu.* 2. *punct.* 2. *nu.* 13. Si tameo de facto hermaphroditus ordinetur, conſiderandum erit, an virilis, an fœmineus ſexus in eo prequaleat? An verò utrumque habeat æqualiter? iuxtà dicta à nobis, *tract. de Ordine, cap.* 5. *n.* 14. Si virilis ſexos præualeat, validè ordinatus eſt: manebit tamen ſuſpenſus ab exercitio Ordinis, uſque dum diſpenſationem adipiſcatur. Si fœmineus non erit ordinatus: imò ſi ex æquo habeat utrumque quia abſolutè, & ſimpliciter non eſt vir: vir quippe eſt, in quo ſexus præualet virilis. Vndè licet ad alias actiones eiuſdem detur ei optio eligendi ſexum, quem voluerit oon ad Ordines, ad quas eſt incapax, Auil. 7. *part. diſp.* 3. *dub.* 5. Corn. & Palao *locis citatis*, & alij à nobis adducti loco proximè citato: ubi alias quæſtiones huc pertinentes excitauimus, & ſoluimus.

*Defectus membrorum facit irregularem.*

66. Alius eſt defectus membrorum: qui debet conſiderari. An ſit publicus, an abſque culpa contingat? Defectus ergò membrorum, etiamſi abſque culpa contingat, irregolarem facit eum, qui tali defectu laborat, ut patet ex pluribus capitulis, *tit. de corpore vitiatis, & tit. de Clerito ægrotante.* Sed hanc non cauſat irregularitatem defectus membri penitus occulti: ſed quandò membrum deficiens congruum uſum Ordinum impedit, vel notabilem errorem, aut deformitatem cauſat. Vndè diait D. Tho. *in add. q.* 39. *art.* 6. *in corp. Aliquis efficitur ineptus ad ſuſceptionem Ordinũ, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis perſonæ. Et ideò patientes defectum in membris impediuntur à ſuſceptione Ordinum, ſi ſit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quem obſcuretur perſonæ claritas (ut abſciſſio naſi) vel periculum in executione facere poſſit: aliàs non impediuntur.*

*Qui ſunt ob defectum membrorum irregulares.*

67. Vndè ſit ex vi huius defectus eſſe irregulares ſequentes. Cui deeſt brachium, aut manus, vel reddita eſt manca, & inutilis ad opus, ſi pollicibus, aut pollice, vel indice careat, quibus Hoſtia leuatur, aut frangitur, vel in eis habeat notabilem deformitatem, vel lingua, aut loquela; ita ut non niſi valdè difficulter verba poſſit proferre, *cap.* 2. & 6. *de corpore vitiatis.* Cæci, ſiue oculos erutos habeant, ſiue tantum careant viſu, *cap. Finali, diſt.* 55. Surdus ex utraque aure: quia miniſtri reſponſionem percipere nequit, & abſque occaſione riſus, vel ludibrij vix poteſt miniſtrare. Si tamen Ordini ſuperueniat ſurditas, poterit celebrare: cum miniſtri auditio parum conducat ad intentum, Bonacin. *num.* 7. Pellizat. *num.* 58. Palaus *num.* 3.

*Qui ſint irregulares ob deformitatem.*

68. Ratione autem deformitatis corporis fiunt irregulares, qui caret naſu. *cap. penult. & in fin. de corpore vitiatis.* Qui uno oculo caret, *cap. Euangelica, diſt.* 55. Si tamen utrumque integrum habeat, & viſu careat in dextro, non erit: imò etiamſi in ſiniſtro, qui dicitur *Canonis*, ſi Canonem legere poſſit adaptando Miſſalem, vel abſque deformi conuerſione faciei, aut etiam poſito coram ipſo ſpeciali Canone extrà Miſſalem, ſecùs verò ſi carens viſu in ſiniſtro oculo abſque dictis, Canonem legere non poſſet, quia tunc irregularis fieret. Cornej. *diſp.* 12. *dub. unic. quæſit.* 2. *illat.* 2. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 8. Suarez *diſp.* 51. *ſect.* 2. *n.* 15. Filliuc. Nauarr. Enriq. apud Pellizar. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 2. *num.* 58. Etiam ſit irregularis, qui oculos nimis deformes habet; qui caret auriculis, niſi capillis tegi, aut diſſimulari defectus poſſit: qui duo habet capita, vel in uno brachio duas manus; noo qui ſex habet digitos in manu; qui tremulas habet manus, ſi defectus ſit ootabilis: Claudus, qui ſine baculo, aut ligneo pede non poteſt accedere ad altare; aliàs non erit claudus irregularis, ſicut, nec eſt, qui deformes habet pedes, aut crura diſtorta, quæ veſtibus teguntur. Iudicare autem, quandò defectus corporis, aut deformitatis ſit notabilis; ita ut faciat irregulares, in ſæcularibus pertinet ad Epiſcopum, *cap.* 2. *de corpore vitiatis*, in Regularibus autem priuilegiatis ad eorum Prælatos, Auil. 7 *par. diſp.* 3. *dub.* 2. Pellizar. *ſup. num.* 64. Suar. *diſp.* 51 *ſect.* 2. *num.* 16. Palaus *diſp* 6. *punct.* 11. *num.* 3. Angel. *verb. Corpore vitiatus*, *num.* 5. Armilla *num* 3. Et ratio eſt, quia tale iudicium eſt quaſi ſententiâ ad iuriſdictionem pertinens: ergò ille debet ferre illam, qui iuriſdictionem habet ſuprà ſubiectum, de quo iudicatur.

*Quid ſi defectus membri ex culpa proueniat?*

69. Si verò talis defectus membri ex culpa propria proueniat, nimirum, vel ex ira, vel ex indiſcreto zelo, etiam ſi non impediat exercitium Ordinis, vel deformitatem ingerat, ſed ſit occultus defectus, ut ſi quis ſibi virilia, etiam prætextu conſeruandæ caſtitatis, amputaret, vel ab alio ex indiſcreto zelo, vel ira amputari iuſſiſſet, aut permitteret, fieret irregularis, *cap. Si quis abſciderit* 55. Sed difficultas eſt inter Doctores, an ille, cui virilia eſſent amputata in pœnam delicti, vel à iudice; vel à marito, in quem Clericus adulterium commiſit; talis Clericus maneret irregularis? Affirmant Bonacin. *diſp.* 7. *quæſt.* 2 *punct.* 2. *n.* 33. Cornej. *diſp.* 12. *dub. unic. quæſtion* 2. Suarez *diſp.* 51. *ſection.* 2. *num.* 8. colligitur *ex cap. Ij, qui, diſt.* 55. *cap. Significauit, de corpore vitiatis.*

*Cui virilia amputata ſunt, non eſt irregularis.*

70. Cæterùm hic textus, & alij ſolum de illo loquuntur, qui per ſe, vel per alium ex ſuo iuſſu, ſibi membrum virile amputauit ex indignatione, vel zelo indiſcreto: nullus verò de eo, qui amputationi cauſam dedit. Et cum irregularitas non incurratur, niſi ſit expreſſa in iure, dicendum eſt in tali caſu non incurri: ut aſſerit Tolet *lib.* 1. *cap.* 82. quem refert, & ſequitur Palaus *diſp.* 6. *punct.* 12. *nu.* 3. & ex illo Pellizar. ſuprà *n.* 64. Garcia 7. *part. de Beneficijs, cap.* 12. *à num.* 7. Coninc, *diſp.* 18 *dub.* 13. *à num.* 108. Hurtad. *diſp.* 14. *num.* 52. ¶ Imò addunt Pellizar. & Palaus, quod ſi quis ſibi teſticulos cauſa vocis conſeruandæ amputaret,

ret, non fieret irregularis, quia id non fecit ex indignatione, aut indiſcreto zelo caſtitatis, ut requiritur *in cap. Qui partem, cap. Si quis abſciderit, diſt.* 55. Præterquàm quod textus ſolum loquuntur de eo, qui virilia amputauerit, non teſticulos, quod eſt diuerſum. Illud certum iudicamus, quod ſi quis talem defectum, de quo toto hoc *num.* locuti ſumus, vel ex violentia, vel ex natura, vel ex infirmitate, fuerit paſſus, non remanebit irregularis non quidem ex defectu corporis, quia nec impedit Ordinis miniſterium, nec deformitatem cauſat, nec ex culpa, quia nullam adeſſe ſupponimus.

*Qui partem membri ſibi abſcindit, fit irregularis.*

71. Et non ſolum fit irregularis, qui iniuſtè ſibi membrum abſcindit; ſed etiam, ſi partem illius notabilem, etiamſi non cauſet deformitatem, aut impediat Ordinis miniſterium, quia hæc inducitur non ob defectum relictum; ſed ob voluntatem ſibi ferrum iniuſtè iniiciendi: ut ſi digitum, & partem manus, aut pedis abſcindat, *cap. Qui partem, diſt.* 55. Aliqui putant requiri, ut hæc, & præcedens irregularitas incurratur, quòd delictum ſit notorium, licet defectus eſſet occultus, quia non ex defectu, ſed ex culpabili mutilatione, vel inciſione actiua, vel paſſiua prouenit, Cornej. *ſuprà* Bonac. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 2. Suar. *diſp.* 51. *ſect.* 2. *num.* 8. Sed contrarium eſt verius, quia hæc irregularitas non innititur culpæ notorietati, ſed exceſſui & ſæuitiei, quam quis contrà ſeipſum exercuit, ut docet Sayr. *libr.* 6. *cap.* 17. *num.* 12. Garcia 7. *part. de Beneficijs, cap.* 12. *n.* 5. Palaus *diſp.* 6 *punct.* 12. *n.* 2. Vndè hæc irregularitas potius ſpectat ad ſpeciem irregularitatis, ex mutilatione voluntaria prouenientis, quàm ad iſtam, quæ ex defectu corporis prouenit, ut agentes de illa notauimus. Et ſic omnes illi, quos loco citato diximus, poſſe diſpenſare in irregularitate illa, etiam poterunt in iſta.

*Diſparitas inter eum, qui ex culpa, & eum qui abſque culpa membrum amiſit.*

72. Et hinc prouenit notanda diſparitas, quæ eſt inter eum, qui defectum membri, aut deformitatem patitur, & ratione illius fit irregularis, & illum, qui ſibi membrum; vel partem membri amputauit. Nam ſi digitum, oculum, &c. ſibi amputauerit, vel amputari iuſſerit, non ſolùm excluditur à receptione Ordinum, ſed ab exercitio illorum, quos recepit, etiamſi per talem defectum exercitium Ordinis non impediatur: remanet enim abſolutè, & ſimpliciter irregularis, ſicut ille, qui ex mutilatione voluntaria irregularitatem ſubiuit. Qui verò membro caret, vel deformitate laborat, non ſimpliciter fit irregularis, ſed ſi huiuſmodi defectus Ordinibus ſuperueniat receptis, ſolùm impeditur ab exercitio illius Ordinis, quem abſque incongruitate, & indecentia, nequit exercere; non ab alijs: ut ſi ſit Sacerdos, poterit abſoluere ſacramentaliter, etiamſi cœcus, aut claudus exiſtat; poterit canere Euangelium, etiamſi ſurditate laboret *cap.* 7. *de Clerico ægrotante*, ibi: *Ipſum autem fungi cæteris Sacerdotalibus officijs, minimè prohibemus.* Si tamen talis defectus ante Ordines adueniat, abſolutè facit irregularem, non ſolùm ad illum Ordinem, cuius exercitium impedit; ſed ad omnes alios. Ita Cornej. *diſp.* 12. *dub. unic. quæſ.* 2. §. *Sed contrà has duas*, Palaus *diſp.* 6. *pun.* 10. *n.* 4. Bonac. *diſp.* 7. *qu.* 2. *punct.* 2. *n.* 18. Pallizar. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 2. *n.* 5. Qui notat, maiorem defectum requiri, ut in Ordinibus ſuſceptis, nequeat miniſtrare, quàm ut ad illos aſcendere poſſit.



*Quomodò ex morbo corporali irregularitas incurratur.*

73. Tertius defectus corporis, qui hanc irregularitatem inducit, eſt morbus corporalis, qui notabilem virium debilitatem, aut deformitatem perpetuam, & incurabilem moraliter ſecum affert: *pluribus textibus, tit. de corpore vitiatis, & de Clerico ægrotant.* ut paralyſis, morbus gallicus, qui gibbo, aut lepra laborant: etiam abſtemij, qui vinum ſumere, aut retinere non poſſunt. Cognoſcere autem, quando talis infirmitas notabilem deformitatem, aut debilitatem inducat, ad Epiſcopos ſpectat reſpectu ſæcularium, & ad Prælatos reſpectu Regularium, ut dicebamus *num.* 63. Hic ſolùm eſt aduertendum, quod ſi talis morbus Ordines antecedat, abſolutè facit irregularem; ſi poſt Ordines adueniat, ad alios aſcendere impendit, & in receptis miniſtrare, quantum ad exercitium duntaxat illius, qui tali morbo impeditur, etiamſi ex culpa ſit contractum. In quo differt ab abſciſſione membri, quæ ſi ex culpa ſit, abſolutam irregularitatem inducit; non verò morbus etiam proprijs manibus ſumptus: quia in iure hæc non eſt expreſſa, ſicut illa.

*Quomodò defectus ætatis, & diuitiarum faciant irregularem.*

74. Ad hunc defectum corporis reducitur defectus ætatis, qui etiam irregularitatem inducit, *cap. finali, de temporibus Ordinandorum*, quæ non eſt perpetua, ſed per adimpletionem ætatis requiſitæ tollitur. Quæ autem ætas ſit requiſita ad ſingulos Ordines? Quis poſſit diſpenſare, ut abſque illa ordinetur aliquis? Et alia huc pertinentia, egimus *tract. de Ordine, cap.* 5. *num.* 29. ſicut etiam ibi *cap.* 6. *punct.* 3. 4. *&* 5. egimus de irregularitate, quæ prouenit ex defectu diuitiarum, ſeu ex paupertate, qua aliquis nec patrimonium, nec titulum Beneficij poſſidet. Et ideò de his duabus irregularitatibus nihil modò eſt nobis dicendum.

*Quis poteſt in hac irregularitate diſpenſare?*

75. Videamus nunc. Quis poſſit diſpenſare in irregularitate proueniente ex defectu corporis? Reſpondetur ergò, quod durante defectu corporis, qui ex culpa propria non emanauit: (nam ſi ceſſet, non requiritur diſpenſatio, ſed cum illo irregularitas corruit) ſolus Pontifex diſpenſare poteſt, non Epiſcopus, quia ipſis ſolùm conceditur diſpenſare in ijs, quæ proueniunt ex delicto. Vndè illa, quæ ex mutilatione ſui prouenit, ſi ſit occultum delictum, & non trahat ſecum impedimentum ad exercitium Ordinis, aut deformitatem poterit Epiſcopus diſpenſare: ut de irregularitate ex mutilatione voluntaria diximus *cap. præced. num.* 28. Sed ſiue ſit ex culpa, ſiue non, poterit Prælatus Regularis reſpectu ſuorum ſubditorum diſpenſare: maximè ſi Ordinibus ſuperueniat. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 12. *nu.* 6. Laym. *libr.* 1. *tract.* 5. *par.* 5. *cap.* 7. *n.* 3. Dian. 4. *part. tract.* 2. *reſ.* 73. N. Anton. à Spiritu S. *in ſuo Directorio, tract.* 2. *diſp.* 2. *ſection.* 2. *num.* 60. iuxtà ea, quæ diximus *cap.* 7. *num.* 59.

## PVNCTVM VII.

### *De irregularitate proueniente ex defectu animæ.*

*Defectus ſcientiæ inducit irregularitatem.*

76. DVplex defectus animæ præcipuè reperitur, qui irregularitatem poteſt inducere, nimirum, aut defectus ſcientiæ, aut defectus uſus rationis. Defectus itaque ſcientiæ, qui ſit talis ac tantus, ut miniſterium exercere non per-

Tt 2 mittat

mittat: præter inhabilitatem, quam inducit iure diuino, & naturali, inducit irregularitatem ipſe Eccleſiaſtico, *cap. Illitteratos. diſt.* 36. ubi dicit, eſſe inhabiles ad Ordines illitteratos, ſicut ſunt corpore vitiati: qui, ut diximus *punct. præced.* verè ſunt irregulares. Ita Palaus *diſp. 6. punct.* 10. *num.* 1. Cornej. *diſp.* 13. *dub. unic.* Bonac. *diſp. 7. qu.* 2. *punct.* 1. *num.* 2. Sayr. *lib. 6. cap. 6. num.* 5. Et hæc irregularitas tam impedit Ordinis ſuſceptionem, quàm in Ordinibus ſuſceptis bona vel mala fide miniſtrare: quia eſt ſimpliciter irregularitas, ſicut illa, quam habet corpore vitiatus, & non ex culpa introducta, à qua excuſare poteſt bona fides; ſed ex defectu, qui, quomodolibet contrahatur, inhabilem relinquit ad Ordinem, & illius adminiſtrationem.

*Ignorantia ſcientiæ à Tridentino requiſitæ non facit irregulares.*

77. Cæterùm ignorantia, quæ irregularem conſtituit ſubiectum, non eſt ignorantia illius ſcientiæ, quæ à Concilio Tridentino pro ſingulis Ordinibus deposcitur: ſed quæ impedit, quo minus Ordo recipiendus, vel receptus, congruè, & debitè adminiſtretur. Cuius iudicium ad Epiſcopum pertinet reſpectu ſæcularium, & Regularium ad ipſorum Prælatos: quamuis Epiſcopus cum illorum iudicio, ſe non conformare poterit. Et ſic non ſunt irregulares ad primam tonſuram, qui ignorant fidei rudimenta; nec ad Sacerdotium, qui ad docendum populum non ſunt apti, & alia non habentes, quæ à Concilio exiguntur: ſiquidem Concilium ſolùm præcipit, ordinandos talem ſcientiam habere; non autem dicit eſſe irregulares, qui tali ſcientia carent: & cùm aliàs irregularitas, niſi in iure exprimatur, non detur: fit inde non manere irregulares, qui tali laborant ignorantia, ut docet Sayr. *libr. 6. cap.* 13. *num.* 8. Palaus *diſp. 6. punct.* 10. *num.* 2. videantur, quæ diximus *tract. de Ordin. cap. 5. num.* 49. Sed licèt non facit irregulares; impedit tamen ſub culpa graui, ne recipiantur ad Ordines abſque ſcientia à Concilio aſſignata. Quæ autem ſit iſta, quam Concilium aſſignat pro ſingulis Ordinibus? Quandò minor, vel maior in diuerſis ſubiectis requiratur? diximus *tract. de Ordin. cap. 5. num.* 43.

*Quomodò tollatur dicta irregularitas.*

78. Hic ſolùm adnotare oportet, hanc irregularitatem ex illitteratura prouenientem, nõ eſſe perpetuam; ſed acquiſita ſcientia, tolli abſque ulla diſpenſatione: quia præcisè ob talem defectum imponitur, in illoque fundatur, ac proinde, ablato fundamento deſtruitur. Ipſa verò ignorantia permanente, poteſt Summus Pontifex diſpenſare, ut illitteratus Ordines recipiat, dummodò in illis non miniſtret antè acquiſitionem ſcientiæ: quia in hoc nihil reperitur contrà ius naturale, aut diuinum: non verò poteſt diſpenſare, quod illitteratus Ordinibus receptis utatur, abſque ſcientia, ex natura rei requiſita, ad debitum uſum illius: quia hoc eſt contrà ius diuinum, & naturale, quòd tanti ponderis miniſterio, aliquis utatur, abſque cognitione neceſſaria, ad debitè utendum illo. Cum illo tamen, qui ſcientiam ex natura rei requiſitam habet, caret tamen illa quæ ex iure Eccleſiaſtico requiritur, poterit abſolutè diſpenſare: quia hæc ſolùm iure poſitiuo (in quo poteſt Pontifex diſpenſare) requiritur. Et eodem modo poſſe Prælatos Regulares cum ſuis ſubditis diſpenſare, docet Portel, *&* Miranda, quos refert, & ſequitur Bordonus *reſol.* 11. *num.* 5. quem & Blaſium *verb. Ordo, num.* 1. refert, & ſequitur N. Anton. à Spiritu S. *in direct. tract. 2. diſp. 1. ſect. 2. num.* 59.

*Quomodò defectus uſus rationis faciat irregularem.*

79. Alius defectus animæ irregularitatem inducens, eſt defectus uſus rationis, quem patiuntur furioſi, ſtolidi, amentes, lucida habentes interualla, *cap. Maritum, diſtinct.* 53. Quæ irregularitas non ſolùm durat, quandò durat defectus uſus rationis; quia ſic in illo laborantes iure diuino, & naturali ſunt inhabiles ad Ordines recipiendos, vel miniſtrandum in ais; ſed remanet quantum ad hoc, quod eſt Ordines impedire recipiendos, ceſſante furore, & amentia ex *d. cap. Maritum*, quandò talis amentia, aut furor ortum habent ex læſione organi, aut paſſione permanenti, ex malitia proprij humoris, quia qui ſemel ſic furore, aut amentia laborauit, timeri poteſt, quod iterùm in eam relabatur & irreuerentiam, aut indecentiam miniſterio ſacro inferat. Si verò ex accidenti tranſeunti talis amentia, aut furor contingat: ut ſi ex vi febris, vulneris, iræ, vel alterius paſſionis uſum rationis amittat, vel etiam fiat furioſus, illo ceſſante, poterit ad Ordines promoueri: ut docent Pelliz. *tr. 7. cap. 5. ſect. 2. n.* 41. Bonac. *diſp. 7. q. 2. punct. 1. n.* 1. Auil. 7. *p. diſp. 3. dub.* 4. Cornej. *diſp. 13. dub. unic. quæſ.* 3 Suar. *diſp.* 51. *ſect.* 1. *n.* 4. Palaus *diſp. 6. punct.* 10. *num.* 4. In eo verò, qui iam ordinatus eſt, ad uſum recepti Ordinis non impedit, ceſſante furore, aut defectu uſus rationis iudicio Epiſcopi reſpectu ſæcularium, & Prælati reſpectu Regularium, ut colligitur ex *cap. Illud* 7. *q.* 1. clariùs ex *cap. Ex tuis litteris* 7. *q.* 2. & docent prædicti Auctores.

*Quis poſſit tollere hanc irregularitatem.*

80. In hac irregularitate nec Summus Pontifex diſpenſare poteſt, durante animæ defectu: quia inhabiles reddit ex iure diuino ad exercitium Ordinis; illo verò ceſſante, ſolus Summus Pontifex ex iure communi diſpenſare poteſt; non verò Epiſcopus, quia nullibi ei talis facultas conceditur, ut docet Suar. *diſp.* 51. *ſect.* 1. *n.* 5. Bonac. *diſp. 7. q. 2 punct* 2. *num.* 23. Palaus *diſp. 6. punct.* 10. *num.* 5. Prælati verò Regulares, qui, ut diximus multoties *hoc, & præced. cap.* poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in omnibus irregularitatibus (ſaltem excepto homicidio voluntario, & bigamia) poterunt diſpenſare cum eo, qui amentia, aut furore permanenti laborauit, ut eo ceſſante, & periculo quod ad eam non redeat (medicorum, & prudentum arbitrio) ut ad Ordines Sacros admittatur. Hæc dicta ſufficiant de tota hac materia, & de tota hac ſecunda parte noſtri curſus moralis. Quæ omnia utinam cedant in laudem Omnipotentis Dei, Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, & N. Seraphicæ Virginis Thereſiæ à Iesu: cuius indignus ſum alumnus. Quidquid in hoc volumine ſcripſimus, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio, & correctioni, humiliter ſubijcimus.

F I N I S.

# INDEX RERVM
## QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE
## CONTINENTVR,
### ubi T. tractatum deſignat, C. caput, P. punctum, N. numerum marginalem.

*Abbas.*

AN poſſint Abbates litteras dimiſſorias dare? Et quibus? t. 8. c. 4. n. 67. Omnes Abbates iuriſdictionem Epiſcopalem, aut quaſi Epiſcopalem habentes poſſunt primam tonſuram, & ordines minores conferre, n. 32. Et etiam Abbates monachales, & quas conditiones ad hoc debent habere? ibidem. An prædicti Abbates poſſint ſuos Nouitios Ordinare? Et an ſi ſuos non ſubditos ordinarent, valida eſſet ordinatio? n. 39. & 40. Veniunt nomine Epiſcoporum in facultate conceſſa Epiſcopis ad abſoluendum à cenſuris, t. 10. c. 2. n. 54.

*Abbatiſſa.*

Abbatiſſa nullam iuriſdictionem habet ſpiritualem reſpectu Monialium, t. 10. c. 1. n. 49. Non poteſt ponere præcepta ſpiritualia, ſeu in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, ſed ſolum politica, aut domeſtica, ut mater familias, aut pater filijs, aut ciuibus Magiſtratus, quibus obedire tenentur ſubditæ in conſcientia, ſi ex intentione obligandi procedant iuxta grauitatem, & qualitatem rei præceptæ. Ferre non poteſt cenſuras, aut ab eis abſoluere; ibi n. 48.

*Abſolutio.*

Qui ligatus eſt cenſura, tenetur ſub mortali abſolutionem eius ſollicitare, quam primum potuerit, t. 10. c. 2. n. 1. Quotuplex ſit abſolutio? Et quotuplex ad reincidentiam? n. 2. & deinceps. Cenſura non tollitur niſi per abſolutionem, & ſic nec per hoc, quòd aliquis ſit in gratia, nec per hoc, quod pars ſit ſatisfacta, & emendatio ſecuta, tollitur, n. 7. & deinceps. Validè datur abſolutio ſub conditione, non tamen regulariter eſt licita, num. 11. & 12. Liber remanet à cenſura, qui ſub conditione abſoluitur, conditione ſecuta, ſine noua abſolutione, n. 13.

Vt quis abſolutus maneat à cenſura, non ſufficit voluntas ſuperioris; niſi verbis, vel ſignis exprimatur, n. 14. Non requiritur, quod cenſura in particulari exprimatur, n. 15. An abſens abſolui poſſit? n. 16. Forma abſolutionis ſeruanda in cenſuris, & aliqua notabilia circà eam explicantur, n. 17. & 18. An forma abſoluendi à cenſuris ſit neceſſariò obſeruanda? An pars realiter ſatisfieri debeat antè abſolutionem? Quandò ſatisfactio partis poteſt non præcedere? Et an, qui non præmiſſa ſatisfactione peccet: & teneatur ad reſtitutionem? n. 19. & deinceps. Si aliquis abſolutus eſt, præſtita cautione de ſatisfaciendo, ſi poſteà non ſatisfaciat, quandò poteſt, non manet excommunicatus, niſi excommunicetur poſteà, & quare? n. 22. Quid dicendum ſit, quandò in priuilegio conceditur facultas abſoluendi, ſatisfacta parte, n. 23. & deinceps.

Abſolutio debet peti à cenſurato, n. 27. Quandò abſolutio data nolenti ſit nulla? An qui eſt emendatus poſſit abſolui? Et an licitè poſſit abſolui inuitus abſque peccato ex parte abſoluentis? n. 28. & deinceps. An poſſit unus abſolui ab una cenſura, & non ab alia? Et quando cenſeatur ab omnibus abſolutus? n. 31. & 32. An qui abſoluitur à peccatis, & à cenſuris, eiſdem verbis, maneat abſolutus ab utriſque? n. 33. Ex dictis aliqua illata notatu digna videbis, n. 34. Qui decepit ſuperiorem celando cauſam, non manet abſolutus, n. 35.

Quæ conditiones requirantur in abſoluente? n. 36. Subditus Epiſcopi in alieno territorio exiſtens, ſi ab Epiſcopo illius fuerit ſpecialiter excommunicatus, rediens ad proprium, non poteſt à ſuo Epiſcopo abſolui? n. 37. Qui poteſt abſoluere à peccatis reſeruatis, poteſt à cenſuris illis annexis, n. 38. Quid poſſit, qui poteſt abſoluere à caſibus, vel cenſuris reſeruatis Pontifici? n. 39. Qui poteſt abſoluere à reſeruatis Pontifici, etiam à reſeruatis Epiſcopis. n. 40.

Epiſcopus abſoluere poteſt à cenſuris latis iure communi, quæ reſeruatæ non ſunt, n. 42. Quid de Parochis, & quolibet confeſſore? n. 43. & 44. Quis poſſit abſoluere à cenſuris in iure reſeruatis? Et quid facere debeat, qui abſoluit à cenſura reſeruata in articulo, vel periculo mortis? Et an ſoli Sacerdotes, & non laici in periculo mortis à reſeruatis abſoluere poſſint? n. 45. & deinceps. Qui poteſt abſoluere à cenſuris, poteſt ab interdicto, & ſuſpenſione, n. 49. Quis poſſit à cenſuris ab homine latis abſoluere? nu. 50. & 51.

Poſſitne Epiſcopus abſoluere reum, qui ſe transfert ad ſuam Diœceſim, ubi delictum eſt occultum? n. 61. & deinceps. Quæ impedimenta ſufficiant ratione quorum, poſſit legitimè recurſus ad Sedem Apoſtolicam impediri? Et ad quid teneatur impeditus? n. 64. & 65. Quibus Epiſcopus abſolutionem impendit à reſeruatis Pontifici, debet imponere præceptum, quòd, data opportunitate, quam citius potuerint, ſe Pontifici præſentent, n. 66. Qui liberentur ab onere comparendi? Et an mulieres teneantur? n. 67. & 68. Quos Prælati Regulares abſoluere poſſint? Vide verbum *Regulares*.



Digitized by Google

A quibus reſeruatis abſolui poſſit per Bullam Cruciatam? Vide verbum *Bulla Cruciata.* Qui poſſint abſoluere ab excommunicatione ob duellum? Vide verbum *Duellum*, & qui ab excommunicatione minori? verb. *Excommunicatio.* Et quis ab excommunicatione ob hæreſim? Verb. *Hæreſis.* An interdictus abſoluere poſſit, vide verb. *Pœnitentia*, & verb. *Interdictum.* Abſolutio, & obligatio in foro confeſſionis eſt quoad Deum tantum, t. 10. c. 1. n. 44.

### *Acceptatio.*

Validè excommunicatus acceptat Beneficium, t.10.c.3. nu.108. Sponſalia debent habere promiſſionem mutuo acceptatam, n.13. Non poteſt acceptatio præcedere traditionem in Matrimonio, t.9. c.3. n.69.

### *Acolitorum Ordo.*

Quæ ſint eius officia? Quæ materia? Et quæ forma? t.8.c.3. n.16.& 17.

### *Actus, actio.*

Actus inuiſibilis quoad ſubſtantiam poteſt eſſe diuiſibilis, ſi quoad ſubſtantiam, & accidentia conſideretur, t.9.c.10.n.11. Qualis actus cadat ſub Eccleſiæ poteſtate? vide verb. *Poteſtas Eccleſiaſtica.* Quaodò actus interior eſt de ſubſtantia exteriori, iſto præcepto, ille debet apponi, t.10. c.1. n.138. Actus debet eſſe perfectè conſummatus, ut incurratur cenſura. Vide verb. *Cauſa*, & ibidem an ob actum purè interiorem poſſit dari cenſura.

### *Adoptio.*

Quid ſit? Quotuplex? Et quas conditiones requirat? t.9. c.12. n.34. & deinceps. Per adoptionem imperfectam non inducitur impedimentum Matrimonium dirimens, n.40.

### *Adulterium.*

Quid ſit? t.9.c.1. nu.4. Quandò ſit impedimentum adulterium cum occiſione ad Matrimonium? t.9.c.12. nu.47. & 48. Vbi etiam quas conditiones debet habere? Quid de adulterio ſine promiſſione coniugij? Quid cum promiſſione? Et quas conditiones debeat habere, ut ſit impedimentum? nom.57. & deinceps. Quid de adulterio ſimul cum matrimonio? num.63. Ex adulterio viri licet uxori ab illo diſcedere, & è contrà, t.9.c.16.nu.2. An liceat viro cum uxore adultera viuere? Peccetne maritus, qui uxorem adulteram apud ſe retinet? nu.3. & deinceps. Quibus caſibus vir non teneatur adulteram dimittere? à num.7. Quid ſi uterque adulteretur? Quid ſi unus ſemel, alter multoties peccauerit? Et alia circà hoc, num.11. per totum punctum.

### *Adulter, Adultera.*

Adulter ſi ſit cauſa, quarè uxor à marito occidatur, ſit irregularis, ſi temerè cum præuiſione periculi ad mulierem acceſſit, t.10.c.8. nu.36. Secus verò ſi cautè abſque tali periculo adulterauit, ibi. Adulter in fragranti inuaſus à marito, ſi occidat maritum ſe defendendo, non ſit irregularis, niſi moderamen inculpatæ tutelæ excedat, n.50. Si adulter poſſet fugiendo vitam ſaluare, fiet irregularis, maritum, à quo inuaditur, occidendo, n.52. Vir, qui ad uxorem adulteram poſt adulterium accedit, ſit irregularis per bigamiam interpretatiuam, t.10.c.9. num.33. Etiamſi bona fide ignorans adulterium uxoris eam cognoſcat, ibi. num.34.

### *Ætas.*

Quæ ætas requiratur ad ordines ſuſcipiendos iam minores, quàm maiores? t.8.c.5.nu.29. & deinceps. Vbi etiam quid de Regularibus? nu.36. Quæ ætas requiratur ad ſponſalia, & an ſi malitia ſuppleat ætatem? Vide verb. *Sponſalia.*

### *Affinitas.*

Quid ſit? t.9.c.12.n.91. An ſit impedimentum dirimens Matrimonium? Et inter quos affines? n.94 & deinceps. Affinitas prouenire poteſt tam ex copula licita, quam illicita, num.93. Affinitas dirimit matrimonium iure Eccleſiaſtico. Et inter quos? nu.94. & 95. ex iure naturæ affinitas ex illicita copula proueniens in nullo gradu dirimit matrimonium, n.96. An affinitas in primo gradu lineæ tranſuerſæ orta ex licita copula iure naturæ Matrimonium dirimat? Et an iure naturæ irretitum ſit matrimonium in primo gradu lineæ rectæ inter affines, num.97. & 99.

### *Angeli.*

Sunt incapaces cenſuræ, t.10.c.1.n.161. Ferre illam non poſſunt. 54. Si Angelus bonus aliquem ordinaret, ordinatio eſt valida; non ſi Angelus malus, t.8.c.4.n.16.

### *Appellatio.*

Ad quos detur appellatio à ſententia iudicis Eccleſiaſtici, t.8.c.7. num.76. Appellans à ſententia Summi Pontificis ad futurum Concilium excommunicatur in Bulla Cœnæ, t.10.c.4. nu.77. Quæ non incurritur, ſi ad præſens Concilium appelletur, ibi Appellantes ad Curias ſæculares à ſententijs iudicum Eccleſiaſticorum excommunicantur in Bulla Cœnæ, n.92.

### *Baptiſmus, Baptizans.*

QVi extrà neceſſitatem filium baptizat, mortaliter peccat. In neceſſitate autem non peccat. Nec iure petendi debitum coniux priuatur hoc faciens, t.9.c.15. nu.22. & deinceps. Baptiſmus recipi poteſt temporibus interdicti, t.10.

c.6.

c.6. n.33. Et poteſt cum omni ſolemnitate recipi, n.34. Quid, ſi miniſter ſit perſonaliter interdictus? n.35. Quandò per Baptiſmum contrahatur cognatio ſpiritualis? Vide verb. *Cognatio ſpiritualis.* Debet eſſe baptizatus, qui cenſuras poſſit incurrere, c.1.n.166.

Qui rebaptizat, & rebaptizatur, irregulares fiunt, t.10.c.8.n.59. Quis ſit effectus huius irregularitatis, n.60. Qui abſque intentione rebaptizar, non fit irregularis, n.61. Quid de rebaptizante, & rebaptizato cum ignorantia? n.62. & deinceps. Qui Baptiſmum recipere differt uſque ad mortis periculum, fit irregularis, n.65. & qui Baptiſmum abſque neceſſitate recipit ab Hæretico, ibi. Per Baptiſmum hæc irregularitas non tollitur, ibi. Aliæ verò irregularitates, quæ proueniunt ex delicto, per Baptiſmum auferuntur, non quæ ex defectu, c.7.n.57.

### *Benedictio.*

Secundæ nuptiæ benedicendæ non ſunt, & quare? Ex D. Thoma aperitur, t.9.c.5. n.59. Benedictiones nuptiarum, quo tempore claudantur, c.8. n.79. Abſque illis contrahere matrimonium, imò conſummare non eſt lethale peccatum, o.80.

### *Beneficium.*

Quæ ætas requiritur ad obtinendum Beneficium? t.8.c.5.n.38. Qui beneficium recipit, præcisè ut fructibus perfruatur, peccat. Et an teneatur ad reſtitutionem? n.59 & 60. in minoribus ordinibus conſtitutus, ſi Beneficium habeat, gaudet fori, & Canonis priuilegio c. 7. nu. 62. Capellania nomine Beneficij ad hoc munus venit, n.63.

Excommunicatus eſt inhabilis ad Beneficia, t.10. c.3. num.94. & ſic peccat mortaliter, qui illud confert excommunicato, & ipſe recipiens, nu. 95. Collatio Beneficij à Pontifice facta excommunicato, quem ſcit eſſe talem, valida eſt. nu.96. Qui ignorat ſe eſſe excommunicatum, inualidè recipit Beneficium. Oppoſitum tamen eſt probabile, n.97. excommunicatus, qui mala fide recipit Beneficium, fructus reſtituere tenetur. nu. 98. Excommunicatus toleratus inualidè recipit Beneficium, num.103. Non priuatur Beneficio, quod ante excommunicationem obtinuerat, nu.110. Nec fructibus illius priuatur ipſo facto, n.112.

Suſpenſus à Beneficio non manet ſuſpenſus ab officio, t.10.c.5.n.18. Nec ſuſpenditur à Beneficio, qui eſt ſuſpenſus ab officio, n.20. Suſpenſus ab officio validè; ſed illicitè recipit Beneficium, n.25. Suſpenſus ab uno Beneficio non impedit percipere fructum alterius, o.36. Suſpenſiò à Beneficio non priuat, eo, quod legitimè obtinetur, ou.34. Qui incidit in ſuſpenſionem, fructibus omnium Beneficiorum, quos poſſidet, priuatur, n.37.& 38.

Beneficium nouum ab irregulari recipi nequit, t.10. c.7. num.24. Nulla irregularitas Beneficijs anteà receptis priuat, n.25. Beneficiarius, qui incurrit irregularitatem, vel petere diſpenſationem, vel Beneficium relinquere tenetur, num.28. Quamdiu illud non relinquit, non manet priuatus fructibus Beneficij anteà obtenti, nu.29. Collationem Beneficij factam irregulari, probabile eſt validam eſſe, licet oppoſitum ſit commune, n.34. Leges, quæ prohibent collationem Beneficij, non eo ipſo illam annullant, n.36.

### *Bigamia.*

Quis bigamus dicatur? t.10.c.9. nu.25. Quæ dicatur bigamia vera, & realis? ibi. Quæ interpretatiua? num.26. Bigamus eſt, qui duo matrimonia contrahit, unum verum, aliud inualidum, ibi. Irregularitatem bigamiæ incurrit, etiamſi ex animo non contrahat, num.27. Etiam eſt irregularis per bigamiam interpretatiuam, qui duo matrimonia omninò inualida contraxit, num.28. Etiam eſt irregularis propter iſtam bigamiam, qui contrahit cum vidua aut corrupta, n.29. Et hoc licet bona fide contraxerit, nu. 30. Non tamen erit bigamus, ſi tale matrimonium fuit nullum, num.31. Nec ſimiliter ſi contrahat cum corrupta ab ipſo ante matrimonium, num.32. Etiam eſt bigamus bigamia interpretatiua, qui cum uxore copulam habet poſt illius adulterium, n.33. Etiamſi ignoraret illius adulterium, nu.34. Etiamſi mulier cognita fuerit vi ab adultero, nu. 33. Quæ dicatur bigamia ſimilitudinaria? nu. 36. Hæc irregularitas bigamiæ non tollitur per Baptiſmum, n. 37. Poteſt Pontifex diſpenſare in illa, nu. 38. Epiſcopus non poteſt in vera, & interpretatiua bigamia diſpenſare, nu. 39. Poteſt in ſimilitudinaria, num. 41. Prælati Regulares cum ſuis ſubditis in omni bigamia poſſunt diſpenſare. Et quomodo, num. 42.

### *Bimeſtre.*

Datur in iure bimeſtre ad deliberandum de Religionis ingreſſu, t. 9. c.4. num. 88. Datur ad liberandum de ingreſſu; non ad profeſſionem, num. 89. Tranſacto eo; non poteſt licitè, quamuis validè, abſque coniugis conſenſu ad Religionem tranſire, num.90. Coniux, qui intentionem non habet tranſeundi ad Religionem, poteſt debitum negare, nu.91. An poſſit quis licitè contrahere matrimonium, ut poſt contractum tranſeat, intrà bimeſtre ad Religionem, num.92.

### *Bonum ſpirituale.*

Quid per bonum ſpirituale intelligatur? t. 10. c.1. num.6. Et quibus Eccleſia poſſit priuare? num.7. Aliqua ſunt, à quibus non poteſt priuare, n.8. In bonis ſpiritualibus proprijs, uti Charitas, gratia, meritum, &c. nemo poteſt lædi, num.24. & 25.

### *Bona.*

Vſurpantes bona Eccleſiaſtica in Bulla Cœnæ excommunicantur, t.10.c.4.n.96. Etiam excommunicantur, qui bona naufragantium ſurripiunt, n.80. Quid intelligitur de bonis Chriſtianorum, ibi. Quid nomine bonorum naufragantium

intelligatur? n. 81. Bona Eccleſiaſticorum ſunt exempta à gabellis, & impoſitionibus, t. 8. c. 7. n. 35. Quæ bona tali gaudent exemptione? n. 36. Quæ ſunt bona matrimonij? t. 9. c. 3. n. 21. Quæ inter illa potiora iudicentur, c. 5. n. 35. Quibus bonis ſpiritualibus poſſit Eccleſia priuare fideles per cenſuras, t. 10. c. 1. à n. 7. Quibus bonis priuet excommunicatio? Vide verb. *Excommunicatio*. Quibus interdictum, ſuſpenſio, aut ceſſatio à diuinis: in ſuis verbis reperies. Patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus eſt, inter bona Eccleſiaſtica computatur, t. 8. c. 6. n. 86.

### *Bulla Cœnæ.*

Per Bullam Cœnæ non ſunt reuocata priuilegia Regularium, t. 10. c. 2. n. 77. Poſſintne Regulares abſoluere à reſeruatis in Bulla Cœnæ. Vide verb. Regulares. Qui libri prohibeantur per Bullam Cœnæ? t. 10. c. 4. n. 71. & deinceps. Quæ ſint excommunicationes Bullæ Cœnæ, aperitur à n. 75. uſque ad 99.

### *Bulla Cruciatæ.*

Quotieſcumque in Bullis conceditur facultas abſoluendi à cenſuris, etiam de reſeruatis Summo Pontifici intelligitur, t. 10. c. 2. n. 41. Per Bullam Cruciatam poteſt quis abſolui ab omnibus reſeruatis Epiſcopis toties quoties. A reſeruatis Pontifici etiam contentis in Bulla Cœnæ, etiamſi publici ſint ſemel in vita, ſemelque in morte, n. 82. Poteſt etiam abſolui, qui non confitetur. Poteſt abſolui non ſolum à peccatis poſt receptionem, ſed ante receptionem Bullæ commiſſis, n. 83. & 84. Quantas Bullas accipere, & quoties per eas abſolui poſſit à caſibus, & cenſuris Papalibus, n. 84. & 85. Qui uno anno priuilegio Bullæ uſus non eſt, alio anno non poteſt uti, n. 86. An poſſit toties quoties à caſibus occultis? n. 87. Quid de abſolutione ab Hæreſi, n. 88. Et quid de reſeruatis Sanctę Inquiſitioni n. 89. & 90. Quid ex dictis inferatur? Et an poſſit excommunicatus ab homine, quando lis pendet? n. 92. Quid concedit Bulla Cruciatæ circà receptionem Sacramentorum tempore interdicti, t. 10. c. 6. n. 49. Quid circà aſſiſtentiam Miſſæ, & diuinorum officiorum? n. 67. 68. Et quid circà ſepulturam ſacram? n. 78. Si pro defuncto Bulla ſumatur, poteſt in loco ſacro ſepeliri tempore interdicti, n. 79. Priuilegium Bullæ non conducit tempore ceſſationis, n. 106. An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit illam recipiens diſpenſari à confeſſario ab ipſo electo in irregularitatibus? Ex delicto contractis? t. 10. c. 7. n. 64. & 66.

### *Capitulum.*

AN poſſit in ſede vacante dare literas dimiſſorias aut teſtimoniales, t. 8. c. 4. n. 65. & 66. In omnibus ſuccedit, quæ iure ordinario competunt Epiſcopis, t. 10. c. 2. n. 54. Poteſt ab omnibus cenſuris abſoluere, à quibus poteſt Epiſcopus, excepta Hæreſi, ibi.

### *Cardinales.*

qui Cardinales percutiunt, mutilant, incarcerant, vel aliter offendunt, in Bulla Cœnæ excommunicantur, t. 10. c. 4. n. 90. Non comprehenduntur ſub generali ſententia excommunicationis, c. 1. n. 160. Filij, & nepotes eorum, qui in Cardinales violentas manus inijciunt, ſiunt infames, & ſic irregulares, c. 8. n. 83.

### *Cathecismus.*

Quid ſit Cathecismus, t. 9. c. 13. n. 3.

### *Cauſa.*

Quæ ſufficiant ad ſponſalia diſſoluenda? Vide verb. *Sponſalia*. Et quæ ad diſpenſandum in denuntiationibus ad Matrimonium requiſitis. Vide verb. *Denuntiatio*. Aliqua cauſa requiritur, ut cenſuræ licitè, & validè ferantur, t. 10. c. 1. n. 119.

Quod peccatum debeat eſſe, ut pro illo ferantur cenſuræ? Et an ſufficiat culpa aliena, ut ligetur quis cenſura? n. 120. & deinceps. Ob peccatum veniale poteſt ferri cenſura minor, n. 124. non autem maior, n. 126. Ob actum purè interiorem nequit ferri cenſura, n. 136. Ob hæreſim purè internam non incurritur excommunicatio 137.

Quid de actu exteriori procedenti ab interiori malo, ſed non plenè ſignificatiuo illius? n. 142. & 143. Debet eſſe actus conſummatus, ut incurratur cenſura, n. 144. Aliquæ cauſæ excuſant à cenſura incurrenda, n. 186. & 187. & verb. *Ignorantia, & metus*. Vt cenſura ad reincidentiam incurratur, iterum requiritur noua culpa, t. 10. c. 2. n. 6. An tollatur cenſura per hoc, quod aliquis ſit in gratia? Vel pars ſatisfacta, & emendatio ſecuta? Vide verb. *Abſolutio*.

### *Cenſura.*

Nomen cenſuræ multipliciter accipitur, t. 10. c. 1. n. 1. Quid ſit, explicatur in eius definitione à n. 2. Cenſuræ ferri poſſunt in eos, qui non ſunt corrigendi. Nec de hoc datur ſpes aliqua, n. 10. Tres ſunt ſpecies cenſuræ. Excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, n. 12. Ex parte cauſæ efficientis alia eſt cenſura, quæ *à iure*, alia, quæ ab *homine*, & quid ſint? n. 16. Ex parte ſubiecti alia eſt generalis particularis alia, & ex parte formæ alia latæ ſententiæ, ſententiæ ferendæ alia, & quæ earum eſſentia? n. 17. & 18.

De cauſa efficienti, ſeu poteſtate ferendi cenſuras. Vide verb. *Poteſtas Eccleſiaſtica*. Cenſura, quæ imponitur, debet ſignificari, & ſigno ſenſibili proferri à n. 61. Quid, ſi disiunctiuè duplex cenſura feratur? Et an ſigna ſufficiant ad proferendas cenſuras? n. 63. & 65. Quid de verbis ambiguis? Et an poſſit cenſura ferri ſub conditione? Et quandò habeat ſuum effectum? n. 66. & 68. Si à creditore terminus prorogetur, non incurritur cenſura in termino à iudice aſſignato, ſed in termino prorogato. Valet cenſura, ſi debitor non ſoluat, n. 69. & 70. Quæ ſolemnitas requiratur, & an ſit neceſſaria ad valorem cenſuræ?

requi-

requiratur ne ſolemnitas talis, ſi non feratur cenſura per modum ſententiæ? Et quas pœnas incurrat ſine ſolemnitate ferens cenſuras? à n. 71. uſque ad 75. Cauſa in particulari debet in ſententia ſcribi, & à iudice ſcriptura referri, num. 75. & 76. Ex iuſta cauſa poteſt prædicta ſolemnitas prætermitti. num. 77. Prælati Religionum tenentur obſeruare dictam ſolemnitatem, num, 78. Et etiamſi cenſura nulla ſit, incurrit pœnas iudex ſine ſolemnitate eam ferens, num. 79.

De admonitione requiſita ad cenſuras vide verb. *Monitio.* Diſcrimen inter excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum explicatur, num. 80. De conditionibus requiſitis ad cenſuras. Vide verb. *Conditio.* Et cauſa. Verb. *Cauſa.*

Qui una cenſura ligatus eſt, poteſt aliam, & aliam incurrere, ſiue ſint diuerſæ, ſiue eiuſdem rationis, num. 172. & deinceps. Si duplex ſit malitia in actu, duplex poteſt incurri cenſura, num. 178. Quid per actus non multiplicatos moraliter n. 179. Qui plures Clericos vulnerauit, plures incurrit excommunicationes. De cauſis excuſantibus à cenſura incurrenda, num. 185. per totum punctum. Quomodo ſe gerere debeat, qui eſt dubius de cenſura? n. 207. Quandò dubium eſt iuris etiam in foro exteriori non cenſetur cenſuratus, num. 208. Idem dicendum eſt, ſi dubium ſit facti, aut ſi ſit latæ ſententiæ, vel ferendæ, n. 209. & deinceps. Qui innocens eſt, non incurrit cenſuram etiamſi ſecundum allegata appareat nocens, num. 212.

De neceſſitate, multiplicitate, & forma abſolutionis à cenſura, & de his, qui poſſunt abſoluere, & conditionibus ad hoc requiſitis tam ex parte abſoluendi, quàm ex parte abſoluentis. Vide verb. *Abſolutio.* Quid requiratur, ut cenſura ad reincidentiam iterum incurratur, vide verb. *Cauſa.* Quotuplex ſit cenſura reſeruata, tract. 10. cap. 2. num. 25. Vbi decretum Concilij Tridentini circà hoc explicatur, an ſit, vel non reuocatum? num. 52. & deinceps. Ob violationem cenſurarum ſit irregularis excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus actum Ordinis ſacri exercens, tract. 10. cap. 8. num. 66. & 67. Debet ſolemniter talem actum exercere, num. 68. Quæ actiones illam inducant? Quid requiratur ad eam incurrendam? Qualis perſona; & à quo poſſit abſolui, num. 69. & ſeq.

*Ceſſatio.*

Quid ſit ceſſatio à diuinis, tract. 10. cap. 6. nu. 101. In quo differat ab interdicto, num. 102. Quot ſint effectus ceſſationis, num. 103. Priuilegium conceſſum Clericis ad celebrandum tempore interdicti non extenditur ad ceſſationem, num. 104. In feſtiuitatibus quibus ſuſpenditur interdictum, etiam ceſſatio, num. 105. Priuilegium Bullæ non conducit pro tempore ceſſationis, num. 106.

Quæ Sacramenta poſſint recipi tempore ceſſationis? num. 107. Quomodò ceſſatio priuet à ſepultura? num. 108. Quæ cauſæ pro ceſſatione requirantur, num. 109. Quid faciendum, ſi poſt menſem ceſſatio prolongetur? Et quis teneatur reſtituere damnum ex ceſſatione ſecutum, num. 110. & 111.

*Chirurgus, Chirurgia.*

Chirurgus peritus artis etiamſi membrum ſecet, non ſit irregularis defectu lenitatis, tract. 10. cap. 9. num 22. Niſi eſſet monachus, aut in ſacris conſtitutus, ibi. Quomodò Clericis, aut monachis ars chirurgiæ ſit prohibita, & quibus caſibus ipſis liceat, cap. 8. à num. 32.

*Clericus.*

Quibus exemptionibus gaudeant? Et an detur caſus in quibus Clerici à ſæcularibus plecti poſſint? tract. 8. cap. 7. num. 1. Et quomodò poſſint priuilegia deperdere? n. 70. Et plura de Clericis, verb. *Ordo.* Poſſintne Clerici recipere Euchariſtiam tempore interdicti more laicorum? tr. 10. cap. 6. num. 41. Clericum percutientes fiunt excommunicati, cap. 4. n. 19. Qui nomine Clerici in dicta excommunicatione intelligantur? n. 21. Qui non impedit percuſſionem Clerici, cum poſſit, ſit excommunicatus, n. 23. Et qui ratam habet talem percuſſionem, n. 25. Qui Clericum percutit in flagranti inuentum rem turpem agere cum ſorore, uxore, filia aut matre, non ſit excommunicatus, num. 31.

Solum Clericum afficere poteſt ſuſpenſio, tr. 10. c. 5. n. 3. Quis poſſit Clericos degradare? n. 63. Ob quæ delicta? n. 65. & 66. Quomodo Clericus degrandandus ſit? n. 67. Interdicta communitate Clerici illius manent interdicti, tr. 10. c. 6. n. 11. Populo interdicto, non interdicitur Clerus, nu. 16. Clerici non habent tantam obligationem obſeruandi interdictum, ac Religioſi, n. 31. Conceſſio data *in cap. ſi Alma mater*, circà interdictum ſolum ſuffragatur Clericis, n. 56. Poſſunt ſepeliri in loco ſacro tempore interdicti, n. 75. Clerici ſepelientes in loco ſacro laicum interdictum incurrunt maiorem excomunicationem, n. 86. Clerici violantes interdictum fiunt irregulares, n. 87. Ars medicinæ, aut chirurgiæ non eſt Clericis prohibita, tr. 10. c. 8. n. 32. Niſi fiat cum inciſione, & aduſtione. Clericus prohibitus eſt pugnare in bello, exercere torneamenta, & venationem aprorum, vel urſorum, n. 37. Clericus occidens in ſui defenſionem non ſit irregularis, n. 45. Si fuga mortem fugare poſſet, fieret irregularis inuaſorem occidendo, n. 52. Clericus ſi cenſuratus in ſacris miniſtret, ſit irregularis, n. 66. Similiter ſit irregularis ſi actum ordinis, quem non habet, exercet, n. 74 Illis prohibitum eſt, ſe in cauſam ſanguinis intromittere, accuſando, teſtificando, iudicando, &c. tract. 10. c. 9. num. 2.

*Clandeſtinitas, Clandeſtinum.*

Sponſalia licitè, & validè poſſunt clandeſtinè celebrari, tract. 9. cap. 1. nu. 68. De multiplicitate Matrimonii clandeſtini, cap. 8 num. 1. Quod propriè dicatur tale? nu. 2. Non ſunt mala iure naturæ talia Matrimonia, ſed iure Eccleſiaſtico, nu. 4. Imò Irrita ex decreto Concilij Tridentini, à nu. 5. Directè, & indirectè à Concilio tale Matrimonium irritatur, à num. 6. Infidelium Matrimonia clandeſtina valida ſunt, num. 11. In nullo caſo eſt validum Matrimonium fidelium, qui receperunt Concilium Tridentinum, ſi clandeſtinè

fiat,

fiat, num. 13. Quid dicendum ſit in oppidis, in quibus nequit haberi Parochus, nec io loeis proximis adiri? num. 17.

Quid de fidelibus, qui apud infideles captiui ſunt? num. 22. Debet proprius Parochus aſſiſtere, vel alius de licentia illius, ut matrimonium non ſit clandeſtinum? num. 23. Sufficit, ſi ſit Parochus proprius unius coniugis, num. 24. Non ſufficit Parochus originis, ſed domicilij, num. 25.

Quid de ijs, qui duplex habent domicilium? num. 32. Parochus extrà ſuam Parochiam matrimonio aſſiſtens non peccat, num. 34. Quis ſit Parochus vagorum. Quid facere debeat? num. 36. & 37. & 38. Non requiritur, quod Parochus aſſiſtens matrimonio ſit Sacerdos, num. 40. Imò non peccat aſſiſtens matrimonio Parochus non Sacerdos, num. 45. Parochus excommunicatus validè matrimonio aſſiſtit, num. 46. Nec ſit irregularis per hunc actum, ibid. Imò non peccat mortaliter, num. 48. Et poteſt licentiam præbere alteri Sacerdoti, ut matrimonio aſſiſtat, etiamſi excommunicatus ſit, num. 51.

Quid dicendum ſit de illo, qui Parochus non eſt, habetur tamen ut talis, num. 52.

Qui præter Parochum poſſint aſſiſtere matrimonio? num. 55. Præter Parochum debent aſſiſtere duo teſtes, ut matrimonium non ſit clandeſtinum, num. 57. Quæ qualitates requirantur in teſtibus, ut matrimonio aſſiſtere poſſint, à num. 58. Tam Parochus, quam teſtes debent intereſſe matrimonio non ſolum phyſicè, ſed moraliter, num. 61.

Sufficit, quod caſu, & tranſeunter aſſiſtant matrimonio, num. 65. Etiamſi vi, dolo, aut metu matrimonio aſſiſtant, validum remanet, num. 66. An peccent mortaliter contrahentes coram Parocho, aut teſtibus dolo detentis, num. 68. Quid facere debeat Parochus matrimonio aſſiſtens, num. 69.

*Communicatio, Communicare.*

Cum toleratis excommunicatis communicare poſſumus, tract. 10. cap. 3. num. 10. & 21. Ipſi cum alijs communicare nequeunt, num. 20. & 60. Communicatio forenſis prohibita eſt excommunicatis, num. 116.

Eſt etiam prohibitus excommunicatus communicatione humana, & politica, num. 124.

Et fideles cum illis nequeunt communicare, n. 125. Non eſt peccatum mortale etiam frequenter in humanis communicare cum excommunicato vitando, num. 127. Incurrit minorem excommunicationem, qui cum excommunicatis vitandis, vel in humanis, vel in diuinis communicat, num. 128. Qui communicat cum excommunicato à Papa, incurrit maiorem, num. 129. Etiam qui communicat cum illo in crimine criminoſo, num. 131. In quinque rebus non licet fidelibus cum excommunicatis communicare, num. 133. Plures caſus, in quibus licet communicare cum illis, num. 139. Ob utilitatem corporalem, vel ſpiritualem, à num. 141.

Vxor cum viro, & è contrà, poteſt communicare, nu. 143. Etiamſi ipſe vir excommunicatus ſit, cum uxore communicare poteſt, num. 145.

Quædam circà hoc limitationes, num. 146.

Filij non emancipati cum parentibus communicare poſſunt, num. 147. Poſſunt etiam cum dominis excommunicatis omnes domeſtici eius communicare, num. 148. In quibus caſibus poſſint cum eis communicare, qui poſt excommunicationem ad eius familiam venerint, num. 149. Domini cum famulis excommunicatis communicare poſſunt, num. 151.

*Concupiſcentia.*

Duplex remedium contrà concupiſcentiam, tract. 9. cap. 3. num. 39.

*Conditio.*

Quid, & quotuplex ſit? Et quid ad omnes conditiones præmittendum, tract. 9. cap. 7. oum. 1. & 2. Conditio non debet apponi matrimonio, num. 8. Quid de conditione neceſſaria, & quid ſi ſint cognitæ ut neceſſariæ? num. 9. & deinceps. Conditiones neceſſariæ ex ſuppoſitione oon ſuſpendunt matrimonium, num. 15. Quid de conditionibus generalibus? Quid de iſta: *Si Deus velit*? Et quid de conditionibus intrinſecis, à oum. 17.

Quot modis ſint conditiones impoſſibiles, & quid requiratur, ut impoſſibilis dicatur? num. 21. & 22. Si ex animo apponatur, irritum reddit matrimonium, num. 23.

Quid requiratur, ut conditio habeatur pro non adiecta, & quomodò ſit fauorabilis ad matrimonium? num. 26. & 29. Quid de alijs conditionibus iure impoſſibilibus? num. 34. Et quid ſi ſint de præterito, vel præſenti, per accidens, & de facto? à num. 35.

Diuerſæ conditiones ad cenſuram requiruntur, tract. 10. cap. 1. num. 99. Quibus diebus ferenda ſit cenſura, à quo denuntiatio facienda eſt? num. 100. & 101. Prælati Regulares nullo territorio adſtringuntur: Epiſcopus autem extrà ſuum territorium cenſuras ferre non poteſt, num. 102.

An dentur caſus, in quibus licitè, & validè poſſit Epiſcopus cenſuras ferre in aliena Diœceſi exiſtenti. Et an poſſit ſubditum extrà Diœceſim exiſtentem excommunicare, num. 105. & 106. Quid, quandò delictum fuerit factum in ſuo territorio? Et an citatio poſſit fieri in alieno territorio? num. 107. & 108. Quid, ſi delictum conſummatum fuit in alieno, & inchoatum in proprio territorio? ibid. n. 110. & 111.

An poſſit ſubditum extrà territorium delinquentem punire? num. 112. Non poteſt Epiſcopus in locis exemptis excommunicare, num. 113. Quid veniat nomine *loci exempti*? num. 114. Ratione delicti poteſt ſuperior alienum ſubditum cenſuris ligare, num. 115. Quid de alienis ſentiendum ſit? num. 116. & deinceps. Et quid de ſubditis, qui non erant tales, quandò cenſura lata eſt, num. 158.

Requiritur ex parte ſubiecti, quod ſit ſubditus, num. 159. Pontifex ſi in hæreſim labatur, poteſt à Concilio generali excommunicari, ibidem. Priuilegiati nequeunt ab Epiſcopis



Digitized by Google

pis ligari cenſuris, num. 160. Creaturæ irrationales, Angeli, & dæmones ſunt incapaces cenſuræ, num. 161.

Quid de mortuis? num. 163. & deinceps. Quid de infidelibus? Quid de pueris ante pubertatem? Quid de communitate? Et an debeat eſſe compos rationis ſubiectum, ut ſi capax cenſuræ, num. 166. Quæ conditiones requirantur in abſoluente à cenſuris, vide verb. *Abſolutio.* Quæ conditiones requirantur ad incurrendam excommunicationem? verb. *Excommunicatio.*

### *Confirmatio.*

Recipi poteſt tempore interdicti, tract. 10. cap. 6. num. 36.

### *Cognatio legalis.*

Quantas habeat ſpecies? tract. 9. cap. 12. num. 37. Ad quos extendatur? num. 43. & 44. Omnes ſpecies cognationis legalis ſunt impedimenta iure Canonico matrimonium dirimentia, tract. 9. cap. 12. num. 38. Quantum tempus duret inter cognatos legales hoc impedimentum? nu. 44.

### *Cognatio ſpiritualis.*

Quid ſit? tract. 9. cap. 12. n. 23. Cum filia confeſſionis peccatum carnale eſſe, & non eſſe ſpeciale, eſt probabile, num. 27. Inter quas perſonas cognatio ſpiritualis contrahatur? num. 28. Quid requiratur, ut baptizans contrahat cognationem? num. 29. Quales ſuſceptores contrahant cognationem, & conditiones pro patrinis requiſitæ, num. 30. & 31. Non contrahitur à patrinis cognatio in baptiſmo priuato, num. 32. Quid de baptizante priuatè, etiam in neceſſitate? num. 33.

### *Conſanguinitas.*

Quid, & quotuplex ſit? tract. 9. cap. 12. num. 6. & 7. Tres regulæ explicantur, quibus cognoſci poſſunt gradus conſanguinitatis? num. 9. In quibus gradibus conſanguinitas dirimat matrimonium? num. 10. In primo gradu lineæ rectæ eſt irritum matrimonium, num. 12. An iure naturæ matrimonium ſit nullum inter conſanguineos lineæ rectæ in omnibus gradibus? num. 14. & ſeq.

An in primo gradu lineæ tranſuerſalis ſit nullum matrimonium iure naturæ? num. 19. & 20. Infideles, qui contraxerunt in primo gradu, per ſe non ſunt ſeparandi, num. 21. & 22.

### *Conſenſus.*

Sponſalia debent ex mutuo conſenſu contrahi, tract. 9. cap. 1. num. 13. Etiam mutuò conſenſu poſſunt diſſolui, cap. 2. à num. 4. Conſenſus eſt cauſa efficiens matrimonij, & omninò ad illud requiſitus tam ut contractus eſt, quàm ut Sacramentum, cap. 6. à num. 1. Et ita indiſpenſabilis, quod nec ab Eccleſia, nec à Republica poſſit ſuppleri, num. 3.

Imò nec per diuinam potentiam poſſit contrahi abſque illo, num. 10. Debet verbis, aut ſignis exprimi? num. 40. Quibus ſignis, aut verbis debeat conſenſus exprimi? à num. 53. De conſenſu conditionato, vide verb. *Conditio.* De conſenſu clandeſtino, vide verb. *Clandeſtinum.* De conſenſu, vi, errore, aut metu extorto, vide verb. *Metus, error, & vis.*

### *Conſilium, Conſulens.*

Conſulens non continetur ſub præcepto, niſi exprimatur, tract. 10. cap. 1. num. 145. & 146. Quandò conſilium non influit in actum, non incurritur cenſura, num. 147. Quid, ſi reuocatum fuerit conſilium? Et an idem dicendum ſit de irregularitate? num. 148. Quid ſi reuocatio non peruenit ad conſiliarium, num. 152. & deinceps. Et quoddam diſcrimen inter conſiliantem, & mandantem, explicatur, num. 158.

Conſulentes duellum quomodo excommunicationem incurrant? vide verb. *Duellum.* Conſulentes Clerici percuſſionem ſiunt excommunicati, tract. 10. cap. 4. num. 22. Et qui homicidium conſulit, irregularitatem incurrit, tract. 10. cap. 8. num. 7.

### *Conſuetudo.*

Tripliciter accipitur, tract. 9. cap. 11. num. 19. Quid requiratur, ut vim legis habeat? Et contrà quod ius præualeat? num. 20. & 21. Quod tempus requiratur ad hoc, ut conſuetudo præſcribat contrà ius ciuile, num. 24. & deinceps. Vbi etiam quæ conditiones debeat habere. Non poteſt conſuetudo contrà immunitatem Eccleſiaſticam præſcribere, tract. 8. cap. 7. num. 73. Per conſuetudinem nequit irregularitas, aut cenſura aliqua introduci, tract. 10. cap. 7. num. 8.

### *Conſummatum.*

In quo differat matrimonium legitimum ratum, & conſummatum? tract. 9. cap. 4. num. 1. Qualiter conſummatum? num. 2. Quid requiratur tam ex parte viri, quàm ex parte fœminæ, ut matrimonium conſummetur, à num. 3. & deinceps. An ſi fœmina per vim cognoſcatur à viro, cenſeatur matrimonium conſummatum? à num. 7. Pontifex nequit diſpenſare, ut matrimonium conſummatum diſſoluatur, num. 53. Per profeſſionem Religioſam non diſſoluitur matrimonium conſummatum, num. 71. Qui matrimonium non conſummauit, validè, ſed non licitè poteſt poſt bimeſtre, non ſpectato coniugis conſenſu, in Religione profiteri, num. 90. Adulterium, quod ſimul cum machinatione, vel promiſſione futuri coniugis, inducit impedimentum dirimens, debet eſſe conſummatum, tract. 9. cap. 12. num. 50. Copula, ex qua reſultat affinitas, debet eſſe conſummata, num. 92. Nulla bigamia contrahitur, niſi matrimonium, aut copula, ratione cuius inducitur, conſummatur, tract. 10. cap. 9. num. 25. toto illo punct.

Con-

*Contractus, Contrahens.*

Quandò Ordinarius denegat diſpenſationem, poſſunt contrahentes celebrare matrimonium, ſi grauis interuenit cauſa, t.9. c.8. num.92. Ad omnes contractus ex natura rei ſufficit, quod detur titolus, & conſenſus voluntarius, tract 9.cap.9. num.6.

Quandò contractus ob publicam utilitatem prohibetur, iuramentum ſuprà illud cadens non obligat, num 64. Quis dicatur mala fide contrahere? tract. 9. cap. 14. num. 10. Contractus conditionales, purificata conditione, abſque nouo conſenſu purificantur, & perficiuntur? tract.9. c.7. num.70. An contractus excommunicati ſit validus? vide verb. *Excommunicatio.*

*Conuentio.*

Poteſt excommunicatus, ut reus conuenirj in iudicio, tract.10. c.3. num.122 Non tamen debet per ſe, ſed per procuratorem in iudicio apparere, num.123.

*Copula.*

Per copulam animo fornicario, aut violentia factam, non confirmatur matrimonium metu contractum, tract.9. cap.9. num. 55. Si autem coniux ſcit, nullum fuiſſe matrimonium metu graui contractum, & poſteà habuerit ſpontaneè copulam cum coniuge animo maritali, hoc ipſo ratificatur matrimonium, num.57. Si autem metu graui fuerit habita copula non validatur, num. 60. Ex copula tam licita, quàm illicita prouenire poteſt affinitas. tract.9.c.12.num.93. Copula coniugalis poteſt vitiari aliquibus in caſibus, tract. 9.c.15.num.55. & deinceps.

Copulam habere inuerſo modo eſt peccatum veniale grauiſſimum, tract.9. cap. 15. num.71. Non tamen mortale, num. 72. Per accidens tamen erit mortale ratione periculi, num.74 Copula inter coniuges affectu maritali habita exprimit conſenſum matrimonij, tract.9.c.3. nu.125. Quid requiratur, ut conſummata ſit, cap.4.à nu. 2. Per copulam habitam cum coniuge poſt adulterium illius contrahitur irregularitas, tract.10. cap. 9. num. 33.

*Crimen.*

Quid, & quotuplex ſit impedimentum criminis? tract.9. cap. 12.num.45. Crimen occiſionis coniugis ſimul cum adulterio abſque machinatione eſt impedimentum, num. 47. Conditiones requiſitæ, ut crimen impedimentum inducat, à num. 48. Abſque adulterio mortis machinatio eſt impedimentum dirimens, nu. 55. Adulterium ſolùm non inducit impedimentum, num.57. Niſi cum promiſſione matrimonij coniungatur, num. 58. Crimen adulterij ſimul cum matrimonio de præſenti eſt impedimentum dirimens, num. 63. Quæ crimina in Clericis dicantur enormia, tract. 10.cap.8. num.78. Crimen hæreſis ſolum ratione infamiæ facit irregularem, num.79. Quæ crimina inducant infamiam iure Canonico, aut Ciuili, à num.80. Quis dicatur communicare cum excommunicato in crimine criminoſo, cap. 3. num. 131.

*Cultus diſparitas.*

Matrimonium fidelis cum infideli iure naturæ eſt illicitum, tract.9. cap.12. num 66. Et etiam Catholicorum cum Hæreticis, num.69. Non eſt irritum matrimonium fidelis cum infideli iure diuino, & naturali. num.70. Eſt tamen irritum iure Eccleſiaſtico, num. 73. Sed Catholici cum Hæretica nullo iure eſt irritum, num.75.

*Debitum.*

NEmo coniugum tenetur per ſe petere debitum, ſed per accidens aliquando, tract 9. cap.15.num.1. Coniux, qui debitum negat, peccat mortaliter, licèt in aliquibus caſibus non, num. 3. & 4. Etiam peccat, qui ſe impotentem reddit, num.5. & deinceps. Et plura alia, quandò liceat vel non, reddere debitum, num.8. per tot.p. Quid ſit iniuſtè, quid illicitè petere, quid ex parte actus, quid ex parte perſonæ? num.13.& 14. Qui habet impedimentum ea parte ſua, non tenetur reddere debitum in aliquibus caſibus, num.15.& deinceps. Qui emiſit votum caſtitatis, non poteſt debitum petere coniugale, ibid. Quid de muliere, quæ coacta cum conſanguineo viri rem habuit, num.27.

Quomodò ſe gerere debet in petitione debiti, qui de validitate matrimonij eſt dubius, certus, vel opinatus probabiliter? Et quid ſit ſcientia, dubium, & opinio? num.31. & deinceps. Quid facere debeat confeſſor, qui eſt conſcius impedimenti illius, qui ignorantia laborat iuris, vel facti? num. 38. & deinceps. Conſcius adulterij coniugis alterius poteſt illi negare debitum propria auctoritate, cap. 16. à num.42.

*Defectus.*

Qui incurrant irregularitatem ex defectu lenitatis, tract.10. cap.9.num.1.& deinceps. Quid poſſit, qui dominium habet temporale, alijs committere? num. 5. Quomodò iudex Eccleſiaſticus, aut Inquiſitor non incurrat irregularitatem? num.6. Qui liberentur ab hac irregularitate? nu. 7. Qui in particulari rei occiſionem conſuleret, non fieret irregularis, num. 8. Et aliqui caſus particulares in particulari ex dictis deducti aperiuntur, num. 10. Quid de eo, qui eſt cauſa accelerationis mortis? Et quomodo teſtis, & aduocatus ab hac irregularitate liberentur? num.11. & 12. Qui accuſat ob vindictam, fit irregularis, num.13.

Quid de accuſatore proteſtante, ſe nolle rei damnationem? Et quid, ſi talis proteſtatio fictè apponatur? num.14. & 15. Etiamſi alia via non poſſit damnum reparari, non fit irregularis accuſator, num.16. Proteſtatio ſolum proficit in cauſa propria, vel conſanguineorum: & etiam accuſatio proficit laicis, num.17. & 18. Milites pugnantes in bello, & proprijs manibus occidentes ob defectum lenitatis fiunt irregulares, vide verb. *Miles.* Quis diſpenſare poſſit in hac irregularitate? num.23.

Defectus Sacramenti eſt, quandò per plura Matrimonia à perfectâ deficit ſignificatione, & dicitur bigamia. Circà quam, vide verb. *Bigamia.* Defectus natalium tunc datur, quandò quis ex illegitimo thoro natus eſt, tract. 10. cap. 9. num. 43. vide verb. *Natalis.* Defectus libertatis eſt ſervitus, ſeu ancillitas, vide verb. *Libertas.*

Ex defectu corporis contrahitur irregularitas quadrupliciter, tract. 10. cap. 9. num. 65. Ex defectu ſexus: ut ſi ſit hermaphroditus, ibid. vide verb. *Hermaphroditus.* Defectus membrorum quomodò faciat irregularem? num. 66. Qui ſint irregulares ex hoc defectu? à num. 67. Quomodò defectus corporis ex culpâ proveniens faciat irregulares? num. 69. Diſcrimen inter eum, qui defectum membri ſine culpâ patitur, & eum, qui ſibi amputavit illud, num. 72. Quomodò morbus indueat irregularitatem ex defectu corporis? n. 73. Quis poſſit in iſtâ irregularitate diſpenſare? num. 75. Duplex defectus animæ, ratione quorum incurritur irregularitas, à num. 76. & deinceps, per integrum punctum.

### *Degradatio.*

Privat omnibus Beneficijs, tract. 10. cap. 5. num. 56. Quid ſit degradatio verbalis, & realis? Et diſcrimina inter eas aſſignantur, num. 57. & deinde. Ad quid teneatur degradatus? Et quis poſſit Religioſos, Epiſcopos, & Clericos, alioſvè degradare? à num. 60. Quæ ſint delicta, ob quæ poſſit aliquis degradari tàm verbaliter, quàm realiter? Et ſolemnitas degradationis, num. 65. & deinceps.

### *Delictum.*

Quid nomine delicti occulti intelligatur? tract. 10. cap. 2. num. 59. Quandò dicitur delictum deductum ad forum contentioſum? num. 60. An quandò reus punitus eſt in foro exteriori, & iudicium eſt finitum, cenſeatur delictum occultum? Et an ſi delictum eſſet in uno loco publicum, & in alio occultum, & reus ſe transferret ad locum, ubi occultum eſt, poſſit ab Epiſcopo illius loci abſolvi? num. 61. & deinceps.

Quandò delictum, & quarè revelari debeat ob metum excommunicationis poſitæ ad hoc? tract. 10. cap. 4. num. 1. per totum punctum.

### *Delectatio.*

Delectatio moroſa habita in voluntate de copulâ inter coniuges eſt licita, ſi ſit cum commotione ſenſibili, non, tract. 9. cap. 15. num. 90.

### *Denuntiatio.*

Denuntiationes antè matrimonium præmittendæ non ſunt de neceſſitate matrimonij, tract. 9. cap. 8. num. 71. Quid circà huiuſmodi denuntiationes, ſeu declamationes decernat Tridentinum? num. 72. In quâ Parochiâ debent fieri? num. 73. In quo loco, & tempore, à num. 74. Si iuſta cauſa non adeſt, eas prætermittere eſt peccatum mortale, à num. 76. Si moraliter eſt certùm non adeſſe impedimentum, non eſt mortale unã, vel alteram prætermittere, num. 78. Quis poſſit diſpenſare, ut abſque denuntiationibus contrahatur Matrimonium, à num. 81. Qui iure ordinario poſſunt in illis diſpenſare, poſſunt etiam delegare hanc poteſtatem, n. 87. Abſque iuſtâ cauſâ non poteſt Epiſcopus diſpenſare in illis, num. 88. Quæ cauſæ ſufficientes ſint ad hoc, num. 89. Eritnè peccatum Matrimonium conſummare cõtractum abſque denuntiationibus? num. 93. Ex vi harum denuntiationum tenetur, qui ſcit impedimentum illud detegere, ſi probare poſſit, num. 95. Quid, ſi non poſſit probare? n. 96. An teneatur manifeſtare illud, qui ex auditu tantùm ſcit? num. 100. Teneanturnè ipſi contrahentes impedimentum propalare? num. 101. Quomodò ſe debet Parochus habere, cui impedimentum aliquod denuntiatum eſt, num. 103. Quæ probatio impedimenti appoſiti per denuntiationem ſufficiat? n. 105.

Quæ delicta ſint, quæ ex vi monitorij ſub excommunicatione impoſiti poſſunt denuntiari, tra. 10 cap. 4. num. 1. Delictum, quod non vergit in detrimentum alterius, nemo tenetur ex vi excommunicationis denuntiare, niſi infamia præcedat, n. 2. Niſi cedat in damnum commune, num. 3. Si in damnum tertij, & eſt occultum, non eſt denuntiandum, n. 4. Quatuor circà dicta notanda, n. 5. Qui non denuntiat, quandò tenetur, graviter peccat, n. 6. Non tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, num. 8. Qui excuſantur ab obligatione denuntiandi, n. 9. Qui denuntiat, vel accuſat vindictam exigens in cauſâ ſanguinis, morte rei ſecuta, ſit irregularis, cap. 9. num. 13. Si tamen non ob vindictam, ſed ob ſatisfactionem id faciat, non incurrit irregularitatem, ſi proteſtationem præmittat, num. 14. Aliqua adnotantur circà talem proteſtationem in denuntiatione, ſeu accuſatione dictâ factam, num. 16.

### *Depoſitio.*

Depoſitio ſimplex datur, diſtincta à degradatione, & quid ſit? tract. 10. cap. 5. num. 54. & 55.

### *Diaconatus.*

Quæ materia, & quæ forma ſint propria huius Ordinis? Quæ eius eſſentiæ? Et officia illum habentis, tract. 8. cap. 3. num. 25. & deinceps. Quæ olim dicebantur Diaconiſſæ? Presbyteræ? Epiſcopæ? tract. 8. cap. 5. num. 11. & 12.

### *Divortium.*

Quid? & quotuplex ſit? tract. 9. cap. 16. num. 1. Divortium poteſt fieri propter adulterium, & quandò? num. 2. & deinceps. Poteſt etiam fieri ob alias cauſas. Quas, num. 26. & deinceps, videbis. Poſt divortium poteſt fieri reconciliatio verbis, aut factis, num. 19.

Factâ ſeparatione, poſſunt coniuges reconciliari, & an innocens ad hoc teneatur? num. 20 & 21. An factâ ſeparatione, ſi innocens adulteretur, teneatur reconciliationem alterius acceptare? num. 23. & deinceps. Ob infidelitatem poteſt fieri divortium, & propriâ authoritate, & non datur recompenſatio delicti, n. 28. & deinceps. Vir ſciens uxorem in adulterio perſiſtentẽ, debet ab illâ ſeparari, niſi ex aliquibus capitibus excuſetur, n. 4. Quid intelligatur nomine adulterij ſufficientis ad divortium? n. 9. In quibus caſibus divortium

nequit fieri ob adulterium ? à num. 11. Timor magni nocumenti corporis ſufficiens eſt cauſa divortij ad tempus, num. 35. Ob ſævitiam coniugis poteſt fieri divortium, num. 37. Quâ authoritate, n. 38. Coniux, qui ob adulterium alterius vult ſeparari, quâ authoritate poteſt facere divortium ? à n. 44. Quomodò poſſit innocens coniux, factâ ſeparatione, vel ad Ordinem Sacrum aſſumi, vel in Religione profiteri, à n. 50. & deinceps. Quomodò adulter, factâ ſeparatione legitima, poſſit ordinari, aut Religioſus fieri, n. 53.

### *Diſpenſatio.*

Quomodò in Decalogi præceptis non poſſit cadere diſpenſatio ? tract. 9 cap. 5. num. 45. Poſſitnè Pontifex diſpenſare in Matrimonio conſummato, aut in rato, & non conſummato, vide verb. Matrimonium. Quis diſpenſare poteſt, ut Matrimonium contrahatur abſque denuntiationibus, ibidem.

Diſpenſare in denuntiationibus dupliciter fieri poteſt, tract. 9. cap. 8. n. 81. Qui diſpenſare poteſt in denuntiationibus Matrimonij, poteſt, & alijs licentiam præbere, & quare ? tract. 9. cap. 8. n. 87. Quæ cauſæ ſufficiant ad talem diſpenſationem ? Quæque neceſſitatem imponant Prælato ad eam ? à n. 89. Pontifex poteſt diſpenſare, ut fidelis cùm non baptizata contrahat: licèt non, ut fidelis cum infideli, quandò eſt periculum perverſionis, tract. 9 cap. 12. num. 74.

Quis poſſit diſpenſare in impedimentis dirimẽtibus Matrimonium ? tract. 9. cap. 14. num. 1. & deinceps. Vbi etiam quo iure ? Et quando diſpẽſari poſſit, & in qualibus impedimentis Epiſcopus poſſit diſpenſare extrà caſum neceſſitatis in aliquibus impedimentis ? nu. 13 & deinceps. Pontifex abſque cauſâ diſpenſans peccat, & quo pacto ? num. 17. Sed in ijs, quæ ſunt de iure naturæ, invalidè diſpenſatur abſque cauſâ, num. 18. Quæ cauſa ſufficiat ad diſpenſationem ? à n. 20.

An quando in diſpenſationis petitione plures cauſæ aſſignantur, aliæ falſæ, aliæ veræ, ſit talis diſpenſatio ſubreptitia ? num. 36. Non requiritur quòd ab eo, cui obtinetur, petatur, num. 38. An ſit exprimenda copula, in petitione diſpenſationis ? num. 39. & 40. Quid ſi animo obtinendi diſpenſationem, copula fuit habita ? num. 42. Non requiritur, quòd fiat mentio diſpenſationis, quando ſecunda petitur, num. 47. Quid quando eſt impedimentum ex crimine ? num. 48. Et an omnia impedimenta debeant aperiri ? num. 49.

Qui habet facultatem diſpenſandi cum alijs, ſecum etiam vel in voto, vel in legibus diſpenſare poteſt, t. 10. c. 1. n. 43. Epiſcopus poteſt aliquando diſpenſare cum depoſito ; cum degradato ſolus Summus Pontifex, t. 10. c. 5. n. 68. & 69. Quis poſſit diſpenſare in irregularitate ? vide verb. *Irregularitas.* Et in irregularitate ex homicidio, & mutilatione, verb. *Homicidium.* Et *Mutilatio.* Et rebaptizatione, verb. *Baptiſmus.* Ex violatione cenſurarum, & illicitâ Ordinum ſuſceptione, verb. *Ordo.* Et in irregularitate ex delicto, cui annexa eſt infamia, verb. *Infamia.*

### *Domicilium.*

Quomodò acquiratur ? tr. 8. c. 4. n. 49. Et qui dicantur incolæ illius loci ? n. 50. Ratione domicilij ſit Epiſcopus proprius, qui aliàs erat extraneus, tr. 8. c. 4. n. 48. Proprius Parochus qui aſſiſtere deberet Matrimonio, non eſt proprius originis, ſed domicilij, t. 9. c. 8. n. 25. Qui duplex habet domicilium, à Parocho utriuſque poteſt coniungi Matrimonio, n. 32. Qui nullibi habent certum domicilium, vagi dicuntur, n. 36. A quo Parocho coniungi poterunt Matrimonio ? n. 37.

### *Dubitatio.*

Qui dubitat, defectum habuiſſe circà ſubſtantialia Ordinis, totum Ordinem ſub conditione debet repetere, t. 8. c. 2. n. 28. Quid pro ſcrupuloſis ? n. 29. In quo differat dubium à ſcientiâ, ſcrupulo, & opinione ? t. 9. c. 15. n. 32. Dubitans de valore Matrimonij non poteſt petere, quandò eſt dubiũ, n. 43. Tenetur reddere alteri, qui non dubitat, n. 44. Si uterque dubitat, neuter petere, aut reddere poteſt, n. 47. & 48. Quandò aliquis poteſt eſſe certus, vel dubitare de nullitate Matrimonij ? à n. 52.

Quomodò ſe gerere debeat, qui dubitat, an ſit cenſura ligatus ? tr. 10. c. 10. n. 207. Securius eſt, quod ſe curet abſolvi, ibid. Qui dubitat de excommunicatione, non tenetur ſe gerere ut excommunicatum. Si dubium ſit iuris, n. 208. Nec etiam ſi dubium ſit facti, n. 209. Nec etiamſi dubitet, an cenſura ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ ? n. 210. Vel ſi fuit ſub conditione, & dubitet, an fuerit impleta ? n. 210. Qui dubitat, an ſit irregularis, tenetur ſufficientem diligentiam adhibere ad inquirendam veritatem, t. 10. c. 7. n. 42. Qui habet dubium iuris circà irregularitatem, non tenetur ſe ut irregularem habere. Qui habet dubium facti homicidij, debet ſe gerere, ut irregularem, n. 44. & 45. In alijs irregularitatibus, minimè, n. 46. Quomodò intelligatur illud dictum : *Tutior pars in dubijs eſt eligenda,* num. 47.

### *Duellum.*

Quid ſit ? Et quid nomine duelli intelligatur ? tr. 10. c. 4. n. 32. & deinceps. Duellum ex naturâ ſuâ eſt peccatum mortale, n. 35. Non eſt cauſa ſufficiens excuſans oſtenſio virium, vel aliorum captanda voluntas. Nec poteſt ſumi duellum ad manifeſtandam veritatem, & ad evitandam infamiam illud acceptare, iniquum eſt, n. 36. Et ſequentib. Triplex cauſa, quæ honeſtare poteſt duellum explicatur, à n. 36. Pœnæ ſtabilitæ contrà duellatores, & eorum fautores aperiuntur, à n. 32.

Quomodò duellatores, conſulentes, & incitantes excommunicationem incurrant ? n. 44. Et qui poſſint abſolvere à dictâ excõmunicatione ? n. 45.

### *Eccleſia, Eccleſiaſticus.*

Quibus privilegijs gaudeant Eccleſiaſtici ? tr. 8. c. 7. n. 1. Quibus bonis ſpiritualibus poſſit Eccleſia privare ? t. 8. c. 1. n. 7. Sunt aliqua, à quibus Eccleſia nequit privare, n. 8. An detur in Eccleſiâ poteſtas ferendi cenſuras ? vide verb. Poteſtas Eccleſiaſtica. Quomodò poteſt impedimenta dirimentia aſſignare, t. 9. c. 11. à n. 1. Quomodò Eccleſia polluatur ? c. 15. n. 61. Quid nomine Eccleſiæ intelligatur, à n. 69. Copula in Eccleſiâ habita eſt ſacrilegium, n. 65. Non poſſunt coniuges in Eccleſiâ ſibi reddere debitum. Et in quibus caſibus

ſi liceat? num. 66. Debent ab Eccleſiâ excludi excommunicati, qui volunt divinis Officijs intereſſe, tract. 10. cap. 3. num. 69. Quid nomine interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ intelligatur? Et quos effectus tale interdictum habeat, tract. 10. c. 6. n. 88. Poteſt excommunicatus ingredi Eccleſiam, & in eâ orare, & in quibus caſibus non poſſit? cap. 3. num. 66.

*Effectus.*

Quos effectus habeat Sacramentum Ordinis? vide verb. *Ordo*. Et quos Matrimonium, vide verb. *Matrimonium*. De effectibus excommunicationis, vide verb. *Excommunicatio*. Et de effectibus interdicti, vide verb. *Interdictum*. De effectibus ceſſationis, vide verb. *Ceſſatio*. Quis ſit effectus irregularitatis procedentis ex rebaptizatione, vide verb. *Baptizatus*, *Baptizans*.

*Epiſcopus*, *Epiſcopatus*.

Epiſcopatus non eſt Ordo, tract. 8. cap. 1. num. 28. Poſſitnè Epiſcopus diſpenſare in impedimentis Matrimonij? vide verb. *Matrimonium*. Non poteſt eſſe Epiſcopatus ſine Sacerdotio, tract. 8. c. 1. n. 40. Sed cum ſolo Sacerdotio poteſt quis ordinari Epiſcopus, n. 41. Poſſitnè Epiſcopus à ſimplici Sacerdote conſecrari? Et quot Epiſcopi ad conſecrationem unius concurrere debent ex præcepto, & quot ex conceſſione Pontificis poſſint conſecrare, tr. 8. c. 4. n. 1. & ſeq. Epiſcopus poteſt ordinare, etiamſi ſit Hæreticus, degradatus, &c. n. 14. Quis veniat nomine proprij Epiſcopi, vide verb. *Ordo*. Epiſcopus poteſt præbere ſuis ſubditis litteras dimiſſorias, etiamſi excommunicatus ſit. Et quomodò? à n. 58.

Quid de Vicario Epiſcopi? num. 62. & 63. Et quid de Capitulo in ſede vacante? Et an Epiſcopus nõ ſubditum ordinare poſſit ſine licentiâ proprij cum ſpe ratihabitionis? n. 64. & deinceps.

Epiſcopus idiotas ordinans peccat mortaliter, tr. 8. c. 5. n. 46. A quibus cenſuris abſolvere poſſit Epiſcopus, vide verb. *Abſolutio*. Vbi à quibus caſibus reſervatis Pontifici, ibi.

*Error.*

Quid, & quotuplex ſit? tr. 9. c. 10. n. 1. & ſequentib. Error cuiuſcumque circumſtantiæ reddit actum involuntarium, n. 12. Error concomitans non irritat Matrimonium, n. 9. Error etiam antecedens circà qualitatem perſonæ non irritat Matrimonium, n. 14. Niſi error qualitatis redundet in ipſam perſonam, n. 15. Et quomodò id contingat, n. 16.

Non omnis error dans cauſam alijs contractibus irritat illos, nu. 8. & 18. Erros conditionis, ſeu ſervitutis irritat Matrimonium, n. 21. Etiamſi talis error antecedens non ſit; ſed incidens, & concomitans, n. 22. Sed hoc intelligitur, ſi contrahens liber ſit, ſi enim ſervus cum ancillâ contrahat, inſcius illius ancillatus verum Matrimoniũ efficit, n. 23.

Hoc impedimentum erroris non eſt ex iure naturæ, ſed Eccleſiaſtico dumtaxat, n. 25. Sed ſi error craſſiſſimus ſit, dirimit Matrimonium, ſi liber cum ancillâ contrahat cum illo, n. 28. Cui in-cumbat onus probandi errorem cõditionis, quandò agitur in judicio de diſſolvendo Matrimonio tali errore contracto, n. 32.

*Euchariſtia.*

Solùm Euchariſtia eſt Sacramentum permanens in facto eſſe, tract. 9. c. 3. n. 47.

Euchariſtia extrà mortis periculum non poteſt interdictis concedi, aut tempore interdicti. Etiamſi infirmi ſint, tr. 10. c. 6. n. 39. Quandò autem poteſt miniſtrari infirmo. Etiam cum ſolemnitate, num. 40.

An Clerici, qui non celebrant, poſſint more laicorum Euchariſtiam recipere tempore interdicti ex vi conceſſionis, quâ conceditur poſſe divinis Officijs intereſſe, & Miſſam audire? n. 41. & deinceps.

*Exceptio.*

Quomodò exceptio excommunicati facienda ſit in iudicio? tr. 10. c. 3. n. 118. Quæ conditiones ad talem exceptionem requirantur? n. 119.

*Excommunicatio.*

An ſi excommunicatio feratur ſub his verbis: *Anathema ſit, ſit excommunicatus*, intelligenda ſit de cenſurâ latæ ſententiæ, vel ferendæ? tr. 10. c. 1. n. 19. Comminatio excommunicationis includit metum cadentem in virum conſtantem, n. 26. & tr. 9. c. 9. n. 23. Dupliciter poteſt aliquis excommunicari, vel directè, & propriè, vel indirectè, & impropriè, t. 10. c. 1. n. 164. Propter idem debitum poſſunt plures excõmunicationes incurri, n. 176.

Quid ſit excommunicatio, & quotuplex? t. 10. c. 3. n. 1. Quibus nominibus appelletur? Quos effectus habeat? Et quid excommunicatio iuſta, vel iniuſta? n. 3. & deinceps. Quid ſi iudex in cauſâ dubiâ ſententiam ferat? Quod peccatum ſit violare cenſuras. Et quotuplex? n. 6.

Quis excommunicatus vitandus. Et quis toleratus ſit? n. 9. Duo genera excommunicatorum, qui debent vitari, n. 11. Quis dicatur nominatim excommunicatus? n. 14. Requiritur, quod excommunicatus citetur, n. 13. Requiritur notorietas iuris, vel facti, n. 17. Qui in uno loco eſt denuntiatus, non eſt vitandus, ubi excommunicatio, & crimen eſt occultum, n. 18. Quæ dicta ſunt de excommunicato vitando, aut non vitando, intelligenda ſunt de interdicto, & ſuſpenſo, n. 19. Excommunicatus miniſtrando Sacramenta peccat, & Pœnitentiæ Sacramentum invalidè adminiſtrat, licèt cum limitatione, quam videbis, n. 24. & ſequentibus. An validè in caſu neceſſitatis Pœnitentiam adminiſtret excommunicatus, nu. 27. Quæ Sacramenta poſſint licitè in caſu neceſſitatis, nu. 30. 31. & 33.

Quid de Sacramento Euchariſtiæ? n. 32. Quid ſi metu gravi cogatur Sacramenta conferre? n. 34. Excommunicatus tolleratus poteſt omnia Sacramenta miniſtrare, & conditiones, ut licitè fiat, n. 35. & 36. Poteſt etiam celebrare licitè, populo poſtulante, n. 37. Excommunicatus Sacramenta conferens irregularitatem incurrit, etiamſi invalidè conferat, n. 38. & 39. Quam pœnam incurrat, qui ab excommunicato recipit Sacramentum, num. 40.

Excommunicatus non poteſt recipere Sacramenta licitè, validè autem poteſt; num. 41. & 42. Sed quid de Sacramento Pœnitentiæ, num. 43. Qui confert tollerato Sacramenta, non delinquit contrà Sacramentum Pœnitentiæ, num. 49. & deinceps.

Excommunicati privantur ſuffragijs Eccleſiæ, & quibus Eccleſiaſticis bonis privat excommunicatio, n. 51. & 52. Suffragia offerri non poſſunt pro excommunicato, quamdiù non abſolvitur, etiamſi in gratiâ ſit, n. 54. Nomine Chriſti validè, ſed non licitè pro excommunicato offerri poteſt ſacrificium, n. 55. Quid de Orationibus, & ſuffragijs particularibus? n. 56.

Pro excommunicatis tolleratis ſuffragia publica offerri poſſunt, n. 58. Quid nomine divinorum Officiorum intelligatur? n. 60. Excommunicatus dum recitat, non poteſt ſocium adhibere. Poteſt tamen ſolus Horas Canonicas recitare, n. 61. & 62. An excuſetur à recitatione Horarum? n. 63. Qui titulo Beneficij obligatur, tenetur recitare Officium, n. 64.

Non prohibetur aliquibus ſacris uti, num. 65. Quomodò ad Eccleſiam ingredi poſſit? Et an intereſſe poſſit divinis? n. 66. & 67. Quid faciendum, quandò excommunicatus non tolleratus vult aſſiſtere divinis Officijs? nu. 68. & 69. Prohibitum eſt fidelibus cum excommunicatis divinis intereſſe. Quandò autem recedere debeat, nè communicet? num. 70. & 71. Excommunicatus Miſſam omittendo non peccat, n. 72. Quid nomine loci ſacri intelligatur, in quo nequit ſepeliri excommunicatus, n. 37.

Quid faciendum, quandò in Eccleſiâ ſepelitur excommunicatus? Excommunicatus omni honore funeris privatur. Quæ pœna ſit impoſita ſepelientibus excommunicatos? Et an pœnam incurrant tolleratos ſepelientes? n. 75. & ſequentibus. Qui dicantur excommunicatos ſepelire? n. 78. & deinceps.

Excommunicatus privatur omni iuriſdictione, & quomodò acta per excommunicatum ſint valida, vel invalida? n. 81. & deinceps. Qui actus exerciti ab excommunicato vitando ſint nulli? Et quomodò facta per delegatum ſint nulla, exiſtente, delegante excommunicato? n. 84. & 85. Electio, cui excommunicatus vitandus ſuffragium fert, eſt nulla. Et quid ſi plures cum eo concurrãt? n. 87. & 88. Quid de præſentatione facta vel à Clerico, vel à laico? Quid de reſignatione? Quid de factis, ut à perſonâ particulari? Et per tabellionem, n. 89. & deinceps.

Quod peccatum incurrant? Qui eligunt, aut præſentant excommunicatos ad Beneficium? Et an ſit nulla electio? n. 94. & 95. Qui laborat ignorantia invincibili iuris, vel facti excommunicationis, invalidè recipit Beneficia, n. 96. Excommunicatus recipiens Beneficium non facit ſuos fructus illius, n. 98. Quid, ſi poſteà validè recipiat Beneficium, n. 99. Quid de electione ad dignitatem Eccleſiaſticam, vel ſæcularem, & quid de excommunicato tollerato? n. 100. & deinceps. An excommunicatus validè acceptet Beneficium? n. 109.

Quomodò excommunicatus privetur fructibus Beneficij? n. 110. An ipſo iure privetur? n. 112. Et quomodò, & quibus reſtituendi ſint fructus Beneficij? n. 115.

Excommunicatus nequit eſſe teſtis, actor, iudex, advocatus, num. 116. Vitandus debet à iudicio repelli. Et quomodò exceptio facienda eſt, ut repellatur? n. 117. Acta per iudicem excommunicatum ſunt nulla. Facta autem per actorem vel advocatum, donec excipiantur, tenent, n. 119. & 120. Quid de actis per tabellionem, aut teſtem? n. 121. Poteſt in reus conveniri excommunicatus; ſed per Procuratorem in iudicio apparere, n. 122. & 123.

Eſt etiam privatus excommunicatus communicatione politicâ, n. 124. Maiorem excommunicationem incurret, qui cùm à Papâ excommunicato communicat, aliàs verò minorem, n. 128. & 129. Quid, quandò lata eſt contrà participantes, & quid, ſi communicet in crimine criminoſo? n. 130. & 131.

Quid prohibeatur per *orare, & vale.* Quid per communionem? n. 133. & ſequentibus. Contractus factus ab excommunicato eſt validus, ſed illicitus, n. 136. Teſtamentum illicitum ſit, & quid prohibeatur illo nomine *Menſa*? n. 137. & 138.

Quibus caſibus ob utilitatem ſit licita communicatio cum excommunicato? n. 139. Quid de uxore cum viro excommunicato? Et è contrà? Quid de filijs non emancipatis cum parentibus excommunicatis? Quid de domeſticis cum dominis, n. 143. & deinceps. Quibus caſibus poſſint, vel non cum dominis communicare, qui poſt excommunicationem ad illos pervenerunt? n. 149. & 150. Quid de dominis cum famulis excommunicatis? Et an ſit tàm in divinis, quàm in humanis dicta communicatio? n. 151. & 152. Quæ ignorantia excuſet. Et quæ certitudo requiratur, ut excommunicatus vitetur? n. 153. & 154. Neceſſitas gravis à communicatione excuſat, n. 155.

Quid, & quotuplex ſit excommunicatio minor? Et quos effectus habeat? num. 156. & 157. Privetnè talis excommunicatio electione ad Beneficium? An poſſit ſimplex Sacerdos ab eâ abſolvere? n. 160. & deinceps.

Quandò incurratur excommunicatio poſita ad revelanda furta? Vel alia delicta, vel ad reſtituendam rem alienam? tract. 10. c. 4. dub. 1. per totum punctum.

Quæ percuſſio ſufficiat ad incurrendam excõmunicationem Canonis ob Clerici percuſſionem? n. 18. & 19. Qui ſeipſum percutit, incurrit dictam excommunicationem. Et qui gaudeant privilegio Canonis? n. 20. & 21. Qui Clericum percutientes illam incurrant? Quid de omittente defenſionem Clerici? Et quid de ratam habente percuſſionem? à n. 22. incluſivè. Quæ actiones inducant, & quæ non, dictam excommunicationem? Et qui excuſentur, etiamſi percutiant Clericum? n. 26. & deinceps. Qui invenit Clericum in carnali crimine, non incurrit percutiendo. Et ob correctionem, Prælati, Magiſtri, vel parentes excuſantur, n. 29. & deinceps.

De excommunicatione duelli, vide verb. *Duellum.* De excommunicatione ob hæreſim, vide verb. *Hæreſis.*

## *Exorciſtæ Ordo.*

Quæ officia? Quæ materia, & forma, ſit propria exorciſtæ? tract. 8. cap. 3. num. 15.

### *Extrema unctio.*

Non poteſt recipi ab interdicto, tract. 10. cap. 6. num. 44. Quid, ſi infirmus non recipit Pœnitentiæ Sacramentum, aut Euchariſtiæ? num. 45.

### *Facultas.*

FAcultas delegata pendet omninò à poteſtate delegantis, tract. 10. cap. 1. num. 34.

### *Fœmina.*

Incapax eſt iure divino Ordines recipiendi, tr. 8. c. 5. n. 6. An ſi fœmina erumpat in virum poſſit ordinari, n. 16. Etiam eſt incapax ferendi cenſuras, tract. 10. c. 1. n. 46. Etiam iuriſdictionis ſpiritualis, n. 49. Non poteſt fieri irregularis, c. 8. n. 11. Fœminæ ad zelotypiam valdè proclives, tract. 9. c. 5. n. 20. Quâ ratione, & iure non poteſt duos viros habere, n. 2. & deinceps. Contrahens cum fœminâ corruptâ, aut viduâ fit irregularis, tract. 10. c. 9. n. 29. Quomodò in illâ detur impotentia perpetua dirimens Matrimonium? tr. 9. c. 12. n. 15. Tenetur pati inciſuram, ut cum viro coniungi poſſit, n. 116. Si cùm mortis, aut gravi periculo infirmitatis, tunc non tenetur, n. 117. Poteſt in illâ dari impotentia reſpectiva, & quomodò? n. 118. Quid dicendum ſit de virgine, quæ à viro cognoſci nequit? n. 120. Eximitur ab onere comparendi, quandò abſolvitur in caſu neceſſitatis à reſervatis, tract. 10. c. 2. n. 66.

### *Fictio.*

Fictio non poteſt plus quàm veritas operari, tract. 9. c. 9. n. 6. Fictione iuris datur bigamia interpretativa, tract. 10. c. 9. n. 26.

### *Fides.*

Quæ dubitatio fidei Hæreticum conſtituat, vide verb. *Hæreſis*.

### *Filius.*

Matrimonium filij celebratum abſque conſenſu parentum validum eſt, tract. 9. c. 6. n. 14. Illicitè tamen fit ab illis abſque conſenſu parentum, n. 17. & 19. Filij non tenentur ſub mortali parentum conſenſum, vel conſilium exquirere circà Matrimonium, n. 22. Conveniens tamen, & decens eſt, quod ità fiat, n. 24. Non tenetur filius contrahere Matrimonium, quod parentes promiſerunt, n. 25. Non poſſunt parentes exhæredare filios, vel filias contrà illorum voluntatem nubentes, num. 28. Filij illegitimi ſunt irregulares, vide verb. *Natalis*. Filij non incurrunt infamiam parẽtum, qui ex officio ſunt infames, tract. 10. c. 8. n. 84. Quorum parentes de crimine læſæ Maieſtatis damnati ſunt, & qui ex matre meretrice, quamvis coniugata naſcuntur, ſunt infames, n. 83. Vbi etiam reperies conditiones, quæ ad hoc requiruntur. Filius non emancipatus poteſt cum patre excommunicato communicare, tract. 10. c. 3. n. 14. An filij habiti in ſecundo Matrimonio bonâ fide contracto, vivente priori, ſint legitimi? tract. 9. cap. 9. num. 7. Non poteſt filius prædivitis patris ordinari ad titulum hæreditatis futuræ, tract. 8. cap. 6. num. 77.

### *Finis.*

Quid, & quotuplex ſit finis Matrimonij, vide verb. *Matrimonium*, in principio.

### *Forma.*

Matrimonij forma duplex eſt: totalis una; altera partialis, tract. 9. cap. 3. num. 54. Quæ, & qualis ſit forma abſolutionis à cenſuris, vide verb. *Abſolutio*. Quæ ſit, & quotuplex forma Ordinis, vide verb. *Ordo*.

### *Gabella.*

GAbellas imponentes Eccleſiaſticis in Bullâ Cœnæ excommunicati ſunt, tract. 10. cap. 4. num. 97. Qui novas gabellas imponunt, vel impoſitas augent illegitimè, etiam excommunicantur in Bullâ Cœnæ, n. 82. Quid, ſi iuſtum ſit tributum. Sed iniuſtum quoad perſonas? num. 83. Non poſſunt ex bonis ſuis Eccleſiaſtici gabellam Regibus ſolvere, tr. 8. c. 7. n. 35. Quæ bona tali gaudeant exemptione? n. 36. An tempore neceſſitatis, belli, aut peſtis poſſit ſuperior imponere gabellas Eccleſiaſticis? n. 45. An poſſint imponi gabellæ ſuprà carnes, oleum, vinum, propter quas cogantur Eccleſiaſtici carius illas emere? nu. 49. Quid faciendum ſit, quandò pro omnibus tales gabellæ imponuntur? n. 51. An Clerici negotiatores teneantur ſolvere gabellas? à n. 52.

### *Hermaphroditus.*

HErmaphroditarum triplex differentia datur, tract. 8. c. 5. n. 14. Quandò ſunt Ordinis capaces? ibid. Quid ſi decurſu temporis ad ſexum fœmineum declinaret, qui in virili ſexu prævaleret? num. 15. Eſt ſemper irregularis, tract. 10. cap. 9. num. 65.

### *Hæreſis.*

Quid nomine hæreſis intelligatur in præſenti, tr. 10. c. 4. n. 46. Hæreſis damnatur ſub excommunicatione, n. 44. Quid requiratur, ut excommunicatio ob hæreſim incurratur? n. 48. Quid ſit hæreſis? Et an qui errat ignorantia craſſa, ſit hæreticus? n. 49. & 50. Quid de ignorantiâ affectata? n. 51. Duplex modus dubitandi circà res fidei, qui hæreſim non conſtituunt explicatur, num. 54. Qui dubius eſt, vel opinans poſitivè circà res fidei, eſt hæreticus, ſecùs autem, qui negativè, nu. 55. & 56.

Quandò hæreſi non eſt annexa excommunicatio, non eſt reſervata, n. 57. Quis poſſit, vel non ab iſtâ excommunicatione abſolvere? n. 58. & deinceps. Qui intelligantur credentes, fautores, defenſores? Et an defenſores excommunicationem incurrant, etiamſi effectus defenſionis nõ ſequatur, à n. 63.

### *Homicidium.*

Qui in defenſione excedit, ſit irregularis, t. 10.

cap. 8. num. 44. Qui occidit aggreſſorem, non excedendo modum defenſionis, irregularis non ſit, num. 45. Nec qui alium vulnerat, vel mutilat ſe defendendo, n. 46. Poteſt etiam invaſorem occidere, etiamſi in mortali moriturum timeat, nu. 47. Poteſt per mortem aggreſſorem prævenire, 48. An ſi aliquis fuit cauſa ſua culpa, quod ab alio invaderetur, & poſteà invaſus occidat illum, fiat irregularis? à n. 49. Quid de illo, qui fugiendo poterat liberari, num. 51. & deinceps. Quid, ſi ſine infamiâ fugere non poteſt? num. 53. Quid de occidente aggreſſorem bonorum? Et quis poſſit in hâc irregularitate diſpenſare? num. 55. & ſequentibus.

Quid requiratur, ut homicidium ſit voluntarium? tract. 10. cap. 8. n. 1. & 2. Et quæ dicantur non voluntaria? num. 3. Requiritus ad irregularitatem, quod mors ſequatur, num. 4. An in ſubitâ rixâ occidens ſit irregularis ex homicidio iniuſto, directè voluntario? num. 5. & 6. Et quæ perſonæ incurrant hanc irregularitatem? nu. 7. Quid de mandante, conſentiente, vel ratihabitione, ſentiendum ſit? n. 8. & deincepi.

Quid de cooperantibus? Et aliquæ illationes declarantur, n. 13. & 14. Quibus modis hæc irregularitas tollatur? Et an poſſint Epiſcopi, & Prçlati Regularesircâ diſpenſare? Et quomodò? n. 15. & deinceps. Quot modis contingat caſuale homicidium? nu. 29. Quomodò ex opere licito homicidium inducat irregularitatem? n. 30.

Caſus aliqui particulares deducuntur, nu. 31. Qui dat operam rei illicitæ non periculoſæ, non incurrit irregularitatem, n. 34. Sed quid de opere illicito, & periculoſo? num. 37. & 38. Quid de omittente defenſionem, ad quam ex iuſtitiâ non tenetur? Et quid, quandò ad eam tenetur ex iuſtitiâ? n. 39. & deinceps. Qui poſſunt in hâc irregularitate diſpenſare? n. 43.

*Honeſtas.*

Quid ſit publica honeſtas? tract 9. cap. 12. nu. 79. Et inter quos inducat impedimentum dirimens Matrimonium? nu. 80. & 81. Et quo tempore hoc impedimentum duret? n. 87. Honeſtas, & bonitas Matrimonij eſt de fide, tract. 9. cap. 3. num. 17.

*Ignorantia.*

Triplex ignorantia, & eius aliæ diviſiones explicantur, tract. 10. cap. 1. num. 188. Ignorantia invincibilis excuſat à cenſurâ, n. 191. An ſciens eſſe malum, ſed non contrà legem Eccleſiaſticam, incurrat cenſuram? Et quid, ſi habeat ignorantiam cenſuræ? n. 192. & 193. Ab irregularitate etiam excuſat ignorantia. Sed ignorantia pœnæ non excuſat ab irregularitate, num. 194. & 195.

Practicè omnis ignorantia culpabilis à craſſâ, ſupinâ, & affectatâ non diſtinguitur, n. 197. An quandò in præcepto ponitur: *Qui ſcienter hoc fecerit. Qui facere præſumpſerit. Qui temerariè fecerit*, excuſetur à cenſurâ incurrenda, qui tale fecerit per ignorantiam vincibilem? Et quid de ignorantiâ affectata? n. 198. & 199.

Quid de ignorantiâ concomitante? num. 201. Quæ ignorantia excuſet ab excommunicatione incurrenda per communicationem cum excommunicato? tract. 10. cap. 3. num. 53.

Qui habet ignorantiam legis Eccleſiaſticæ, ab irregularitate excuſatur, tract. 10. cap. 7. num. 49. Etiam ignorantia pœnæ extraordinariæ iure civili aſſignatæ excuſat ab eâ, n. 51. Ignorantia irregularitatis ab eâ incurrenda non excuſat, ſi lex prohibens delictum ſciatur, num. 54. Quæ ignorantia faciat irregulares? c. 9. n. 76. Quæ ſit talis ignorantia? n. 77.

*Immunitas.*

De immunitate Eccleſiæ, & quæ ſit Ordinibus annexa? tract. 8. cap. 7. num. 1. Iure poſitivo, civili, & Canonico gaudent Eccleſiæ, & Eccleſiaſtici immunitate, ibid. In quo conſiſtat hæc immunitas? nu. 2. Non eſt ex iure divino talis immunitas conceſſa, n. 6.

Licèt Eccleſiaſticæ perſonç gaudeant immunitate à poteſtate ſæculari; illi ſubditæ ſunt quoad vim directivam, tract. 8. c. 7. num. 14. Immunitas Eccleſiaſtica eſt etiam circà perſonas, ut non poſſint puniri, aut incarcerari à Principibus ſæcularibus, n. 23. Et hoc non ſolùm in civilibus, ſed etiam in criminalibus, n. 24.

Plures caſus particulares aſſignantur, à nu. 26. Etiam gaudent Eccleſiaſtici immunitate quoad ſua bona, n. 35. Quæ bona talem habent exemptionem, n. 36. Caſus particulares circà hoc explicantur, à nu. 43. Etiam gaudent immunitate quoad ſuas cauſas, & controverſias, n. 55. Quæ ſint perſonæ dictâ immunitate gaudentes? à nu. 56. latè. Non poteſt hæc immunitas à Principibus tolli, à n. 70. Nec etiam conſuetudine, nu. 73. Contrà immunitatem Eccleſiaſticam agunt miniſtri Regis, ſi per viam violentiæ cauſam Eccleſiaſticorum cognoſcant, n. 86.

*Immutatio, Immutare.*

Quomodò poſſit Deus rerum materias immutare? tract. 9. c. 5. n. 46. & 47.

*Impedimentum.*

Matrimonium contractum poteſt eſſe nullum, ratione alicuius occulti impedimenti, tract. 9. c. 3. n. 109. Vt revalidetur, debet tale impedimentum auferri, nu. 110. Et ex parte utriuſque coniugis conſenſus apponi, n. 111. Imò revalidandum eſt coràm Parocho, & teſtibus, ſi impedimentum ſit publicum, nu. 112. Si impedimentum ſit occultum, non requiritur, quod uterque coniux illud ſciat, ut revalidetur Matrimonium, n. 122. Quid faciet mulier impedimenti conſcia, ut à marito inſcio illius novum conſenſum extrahat? à. n. 125. Non requiritur, ut revalidetur Matrimonium, ob occultum impedimentum nullum, aſſiſtentia Parochi, & teſtium, n. 128. Quomodò teneatur impedimentum denuntiare, qui conſcius eſt illius, vide verb. *Denuntiatio.*

In Eccleſiâ datur poteſtas aſſignandi impedimenta Matrimonij, tract. 9. c. 11. n. 1. Debet dari iuſta cauſa, ut impedimenta pro Matrimonio aſſignentur, n. 2. Penes quos ſit talis poteſtas? nu. 7. Quos infideles obligent impedimenta ab Eccleſiâ ſtatuta? n. 10. Poſſunt Principes Chriſtiani impo-

impedimenta Matrimonij aſſignare, niſi ab Eccleſiâ prohibeantur, num. 14. De facto eſt illis prohibitus uſus talis poteſtatis, num. 15. Non reſpectu infidelium ſibi ſubiectorum, num. 17. Per conſuetudinem poſſunt impedimenta Matrimonij introduci, num. 22. Quid ad hoc requiratur? à num. 24. Poſſunt etiam per conſuetudinem abrogari impedimenta iure Eccleſiaſtico ſtabilita, num. 32.

De impedimento voti, cap. 12. num. 3. De impedimento Ordinis, vide verb. *Ordo*. Et de alijs impedimentis in particulari, in eorum verbis. Quot ſint impedimenta dumtaxat impedientia Matrimonium, c. 13. à n. 1. Quæ ſint impedimenta ex iure divino, & naturali? c. 14. n. 1. In his non poteſt Eccleſia diſpenſare. In impedimentis iure Canonico ſtatutis poteſt Pontifex diſpenſare, n. 2. Qui poſſint ex delegatione ipſius? à n. 4. Epiſcopus, gravi urgente neceſſitate, poteſt diſpenſare in impedimentis dirimentibus, & quomodò? nu. 11. Poſſunt Regulares diſpenſare in impedimento proveniente ex affinitate, ſuperveniente Matrimonio, n. 14.

Quæ cauſæ requirantur, & ſufficiant ad validam, & licitam impedimentorum diſpenſationem? n. 17. toto puncto 2. Peccat petens, & conferens diſpenſationem abſque cauſà, ibid. Non requiritur ſemper, quòd cauſa reſpiciat bonum publicum, num. 20. Cauſæ particulares aſſignantur, num. 22.

Etiam ceſſante cauſa motiva, valet diſpenſatio, n. 29. Quæ cauſæ, ſi occultentur, faciant ſubreptitiam diſpenſationem? n. 31. & deinceps. Qualis manifeſtatio impedimenti requiratur, ut diſpẽſatio non ſit ſubreptitia? n. 44. Si ſint impedimenta plura, & eiuſdem rationis, omnia debent aperiri, n. 51. Qui habet plura impedimenta, poteſt diviſim de illis diſpenſationem impetrare, n. 54.

Semel contracto Matrimonio, poteſt ex triplici capite inter coniuges impedimentum provenire nè licitè illo utantur, tract. 9. c. 15. n. 21. Quæ ſint talia impedimenta in particulari, à n. 23. Quomodò ſe gerere debeat in petitione, vel redditione debiti, qui eſt certus, vel dubius de impedimento ſui Matrimonij? à n. 31. Debitum reddere non poteſt, qui certus eſt habere impedimentum annullans Matrimonium? n. 35. Quid faciet mulier conſcia impedimenti Matrimonij? Et quid confeſſor illi conſulere poteſt, à n. 37.

*Impotentia.*

Quot modis dicatur? tr. 9. c. 12. n. 104. Quid ſit abſoluta? Et quid reſpectiua? n. 105. & 106. & 118. Impotentes poſſunt ſimul habitare, ut fratres, n. 108. Inter impotentes non poteſt dari Matrimonium. Et quare? n. 110. & 111. Quæ impotentia fœminæ dicatur perpetua? num. 115. Quomodò ex accidenti poſſit impotentia provenire? n. 123. & deinceps. Qui ex maleficio eſt impotens, eſt inhabilis ad Matrimonium, n. 130. Vbi etiam quandò ex hoc capite cenſeatur perpetua? n. 131. Qualis diligentia adhibenda ſit, ut de impotentiâ, an perpetua ſit, conſtet? n. 137.

*Impubes*

An poſſint, vel non ſponſalia contrahere? Poſſintnè reſcindere, aut non reſcindere ea? Et quandò? tract. 9. cap. 2. num. 8. Impuberes in cenſuris, in iure impoſitis, non includuntur, niſi exprimantur, tract. 1. cap. 1. num. 168.

Qui ante pubertatem incidit in excommunicationem reſervatam Pontifici, poteſt ab Epiſcopo abſolvi, etiamſi poſt pubertatem abſolutionem petat, cap. 2. num. 67. Ab onere comparendi coràm ſuperiore liberantur, ibid.

*Inceſtus.*

Quid ſit? Et qualis impediat Matrimonium? tract. 9. cap. 13. num. 6. & 7. Qui inceſtum cum conſanguineâ commiſit, privatur iure petendi debitum, tract. 9. cap. 15. num. 25. Quid, ſi uterque cum conſanguinea commiſit inceſtum? n. 26.

*Infamia.*

Infamia inducit irregularitatem. Et quomodò? tract. 10. cap. 8. num. 76. Quid ſit? Et quomodò dicatur infamia facti? nu. 77. & 78. Hæreſis ſolùm ob infamiam inducit irregularitatem, n. 79. Quotuplex ſit? Et quæ infamiæ ex iure Civili? Et quæ ex Canonico iure dicantur? num. 80. & deinceps.

Qualiter incurratur infamia ex delicto alieno? Quæ dicatur ex officio? Et quo modo dicatur infamia facti, & iuris? Et quis poſſit ab iſtâ irregularitate diſpenſare? n. 83. & deinceps.

*Infideles.*

Triplex definitio infidelium explicatur, tract. 9. c. 11. n. 10 Plura circà Matrimonia infidelium, vide cap. 4. n. 33.

Illegitimus, vide verb. *Natalis*.

*Intentio.*

In foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni contrahentis, tract. 9. c. 7. n. 2. Coniux innocens cum adultero reconciliatur, ſi ex intentione remittendi offenſam copulam habeat, vel tactus, &c. cum illo, cap. 16. n. 19. Qui abſque intentione baptiſmum conferendi, rebaptizaret, non fieret irregularis, tract. 10. c. 8. n. 61.

*Interſtitia.*

Ad Ordines requiruntur. Et qui poſſint diſpenſare ſuper interſtitia, tract. 8. c. 4. n. 86. & 88. An Epiſcopus poſſit diſpẽſare in interſtitijs? Vel legitimare ad minores Ordines eum, qui alibi habet domicilium, & eſt aliundè oriundus, ſi in ſuâ Diœceſi Beneficium habeat? tract. 8. cap. 4. num. 53.

*Interdictum.*

Quid ſit? Et in quo ab alijs differat cenſuris? tract. 10. cap. 6. num. 1. Quotuplex ſit? Et quale dicatur interdictum generale perſonale? n. 2. & deinde. Quid ſit perſonale ſpeciale? Et an ſemper interdictum perſonale cum locali coniungatur? Et qui teneantur interdictum locale obſervare? à

num. 6. & deinceps. Quandò civitas interdicitur, quæ loca ſub interdicto comprehendantur? Et quandò generale perſonale apponitur, quæ perſonæ ſint interdictæ? num. 9. & 10.

Si Communitas conſtet ex ſæcularibus, & Regularibus, omnes ſubiacent interdicto commonitatis, etiam innocentes, num. 11. & 12. Qui excipiantur à perſonali interdicto? num. 13. & deinceps. Interdicto populo Religioſi non interdicuntur, aut Clerici. Nec, interdicto Clero, Religioſi, aut è contrà, num. 16. & 17. De ſubiecto, & forma interdicti. Et qui poſſint ponere illud? Et ob quam culpam? nu. 18. & deinceps. Ob damnum temporale nequit interdictum generale locale imponi. Et quid de perſonali ſpeciali? n. 23. & deinceps.

Effectus interdicti poſſunt ſeparari? Et quomodò accipiatur interdictum abſolutè poſitum? n. 26. & 27. Quot ſint effectus? Et an privet iuriſdictione? n. 28. & 29. Qui teneantur interdictum iniuſtè poſitum obſervare? Et an Regulares ſtrictiùs teneantur, quam Clerici? nu. 30. & 31. Quibus Sacramentis privet interdictum? nu. 32. per totum punctum.

An interdictus poſſit abſolvere licitè, vel validè? n. 38. In loco interdicto celebrare, vel cum perſonis generaliter, vel ſpecialiter interdictis divinis Officijs intereſſe prohibetur, num. 50. Quid concedat caput. *Alma mater.* Circa celebrationem divinorum? n. 54. An aliquid ſit innovatum circà Eccleſias ſpecialiter interdictas? Et conceſſio dicti capitis ſit pro Clericis, non pro laicis? nu. 55. & 56. Quatuor conditiones aperiuntur, quæ in dicto cap. aſſignantur à num. 57. In quibus caſibus poſſint laici ad divina admitti? Et in quibus feſtivitatibus ſuſpendatur interdictum? num. 60. & 61. Quæ ſint, & quo tempore incipiant prædictæ feſtivitates? num. 62. & 63. Prohibetur per interdictum ſepultura ſacra, n. 69.

Quid de ſpecialiter perſonaliter interdictis? Et quid quandò in feſtivitatibus ſuſpenditur interdictum? nu. 70. & 71. Quomodò poſſint Clerici interdicti in loco ſacro ſepeliri? n. 75.

Violare interdictum eſt peccatum mortale ex ſuo genere. Et quæ parvitas excuſet, n. 80. & 81. Laici etiam peccant recipiendo Sacramenta prohibita. Caſus, in quibus apud omnes peccant mortaliter laici divinis aſſiſtentes, num. 82. & deinceps.

Quas pœnas incurrant violantes interdictum? n. 86. Clerici fiunt irregulares violando interdictum, n. 87. Quid ſit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ? Et an per illud tollatur aſſiſtentia divinorum in eâ? n. 88. & 89.

Quis poſſit ab interdicto abſolvere? n. 92. Interdictum locale non poteſt tollere, niſi qui iuriſdictionem habet contentioſam. Et quomodò conditionale tollatur? n. 93. & 94. Interdictum deambulatorium, quid ſit? Et quotuplex? Et quomodò auferantur alia interdicta? n. 95. & 96.

Interdictum, in terram domini latum, non auſertur per hoc, quod alienetur, num. 97. Interdictum à iure latum non reſervatum poteſt ab Epiſcopo ſuſpendi, n. 98. Qui poſuit interdictum, illud ſuſpendere, aut tollere poteſt, nu. 99. Quis poſſit interdictum ab homine latum tollere, vel ſuſpendere? n. 100.

## *Irregularitas.*

Non ſemper inducitur propter culpam, tract. 9. cap. 5. num. 58. An irregulares poſſint Ordines ſuſcipere? vide verb. *Ordo.* Quid ſit irregularitas? Et diverſitas inter eam, & cenſuras? tract. 10. cap. 7. num. 1. & deinceps.

Irregularitas debet eſſe expreſſa in iure, ut incurri poſſit. Et iure divino, aut naturali nulla datur impoſita, num. 3. & 4. Quot ſint irregularitates? Et quot earum ſpecies? n. 5. & 6. Quis poteſt irregularitatem ferre? n. 7.

Irregularitas nequit conſuetudine introduci, n. 8. Qua forma debet inferri? n. 9.

Nec fœminæ, nec non baptizati poſſunt irregularitatem incurrere. Et quare? num. 11. Niſi ob mortalem culpam, & ob actum exteriorem conſummatum nequit incurri irregularitas, n. 12. & 13. Ob delictum occultum poteſt irregularitas incurri, n. 14. & deinde.

Irregularitas non privat iuriſdictione fori exterioris. Nec auditione confeſſionis: ſi ſit tollerabilis, licitè, & validè, ſi vitandus ſit irregularis, nu. 19. & deinde.

Quid de receptione Ordinum, qui validè recipiuntur cum eâ? Quid de primâ tonſurâ? Uſu Ordinum? Receptione Beneficiorum? Et an ipſo facto privet Beneficijs ante illam obtentis? n. 21. & deinceps.

Quid de penſione? n. 27. Ad quid Beneficiarius irregularis teneatur? Priveturnè fructibus Beneficij? Et an collatio Beneficij facta illi valida ſit? n. 28. & deinde. Duplex datur inhabilitas ad Beneficium, n. 40.

Qui excuſentur ab irregularitate incurrenda? Et quid in dubio iuris, vel facti ſentiendum ſit? n. 41. & 42. Quandò dubitans ſe, ut irregularem gerere debeat? n. 43. & deinceps. Quid de ignorantiâ inculpabili? De ignorantiâ legis Eccleſiaſticæ? Et de pœnæ ignorantiâ ſentiendum ſit? n. 48. & deinceps. Irregularitas ex defectu, illo ceſſante ceſſat, & aliquæ irregularitates, quæ, ceſſante cauſâ, non ceſſant, apponuntur, n. 55. & 56. Tollitur etiam per Baptiſmum irregularitas ex delicto, n. 57.

Pontifex poteſt diſpenſare in irregularitate, n. 60. Quid de Regularibus Prælatis? num. 59. & 63. De irregularitate ex homicidio, vide verb. *Homicidium.* Et ex mutilatione, vide verb. *Mutilatio.*

De irregularitate contracta ex iteratione Baptiſmi, aut indigna eius ſuſceptione, vide verb. *Baptiſmus*, *Baptizans*. Ex violatione cenſuram, vide verb. *Cenſura.* Et per illegitimam Ordinum ſuſceptionem, vide verb. *Ordo.* De irregularitate ex delicto, cui annexa eſt infamia, vide verb. *Infamia.* De irregularitate proveniente ex defectu lenitatis, vide verb. *Defectus lenitatis.*

## *Iudex, Iudicium.*

Quandò iudex inquirere debet ex officio? Quandò, præcedente infamia? tract. 9. cap. 8. num. 102. Iudicium impedimentorum ad Matrimonium

monium pertinet ad Epiſcopum, tract. 9. cap. 8. num. 103. & 104. Iudex ſæcularis poteſt de violentiâ cognoſcere, quandò non patet aditus ad ſuperiorem Eccleſiaſticum, tract. 8. cap. 7. num. 76. Non verò poteſt, ſi talis aditus pateſiat, num. 86. Iudex fit irregularis iuſtè reum occidens, aut mutilans, tract. 10. cap. 9. num. 3. Iudex nolens reum ſuſpendere, ad quod per leges obligatur, poteſt à confeſſario in communi hortari, ut id, ad quod tenetur, exequatur, abſque periculo irregularitatis, num. 7. Etiam in particulari poteſt præcipere, quod hunc latronem ſuſpendat, abſque irregularitate, n. 8. Iudicium circà defectum corporis, vel animæ inducentem irregularitatem, reſpectu ſæcularium pertinet ad Epiſcopum; reſpectu Regularium ad ſuos Prælatos, numer. 68. 73. & 79.

### *Iuramentum.*

Non eſt impedimentum, ut ſponſalia mutuo contrahentium conſenſu diſſolvantur, tract. 9. c. 2. num. 4.

### *Ius, Iuriſdictio.*

Qui utitur iure ſuo, non videtur dolo facere, tract. 9. c. 7. n. 47. Cui aliqua iuriſdictio conceditur, conceduntur & ea, ſine quibus conſiſtere nequit, tract. 9. c. 8. n 24. Excommunicatio privat omni iuriſdictione ſpirituali tàm in foro interno, quàm externo, tract. 10. c. 3. à n. 82. & deinceps. Irregularitas nullâ privat iuriſdictione, c. 7. n. 18. & deinceps.

### *Lectoris Ordo.*

QVæ munia ſint propria Ordinis Lectoris? Quæ materia? Et quæ forma? tract. 8. cap. 3. num. 14.

### *Libertas.*

Quæ, & qualis requiratur ad ſponſalia? vide verb. *Sponſalia.* Licèt libertas diminuatur per metum ex quâcumque causâ illatum, ſimpliciter remanet, tract. 9. c. 9. n. 42. Libertas per Matrimonium conſequitur à ſervo. Et in quibus caſibus? tract. 9. c. 10. n. 33. & deinceps. Vbi etiam quo iure id fiat? Quid ſit libertas? Et quotupliciter libertas conſequatur? n. 40. Libertas à coactione, vide verb. *Metus.* Defectus libertatis facit irregularem, tract. 10. c. 9. n. 59. Quid, ſi ſervus, domino ignorante, ordinetur? n. 60. Ad quid tenetur Epiſcopus, qui ſervum contrà domini voluntatem ordinat? ibid. Defectus libertatis ratione obligationis reddendi rationem, etiam facit irregulares, num. 62.

### *Litteræ dimiſſoriæ.*

Qui poſſint litteras dimiſſorias conferre ad Ordines? tract. 8. c. 4. n. 58. & deinceps.

### *Ligamen.*

Eſt impedimentum dirimens Matrimonium, tract. 9. cap. 12. num. 78. Circà quod impedimentum, vide dicta toto capit. 5. agendo de unitate Matrimonij.

### *Locus.*

Quid veniat nomine loci ſacri? tract. 9. cap. 15. num. 69. Et quæ loca ſacra in particulari iudicentur, ut copula habita in eo ſacrilegium ſit? Et idem de effuſione ſanguinis? num. 70. De interdicto locali, vide verb. *Interdictum.*

### *Mandans.*

NOn continetur ſub præcepto, niſi exprimatur, tract. 10. cap. 1. num. 145. & 146. An ſi lex, vel præceptum continens cenſuras expreſsè nominet mandantes, illi comprehendantur, qui mandatum ſimplex dederunt, minimè influens in effectum? num. 147. Et quid de conſiliante, vide verb. *Conſilium.* Quid, ſi revocatum fuerit mandatum, antèquam ſequeretur effectus? nu. 148. & deinceps. An idem dicendum ſit de irregularitate? n. 151. Quid, in caſu, quo revocatio non pervenit ad mandatarium? nu. 152. & deinceps. Diſcrimen inter mandantem, & conſulentem explicatur, n. 158.

Mandans percuſſionem Clerici ſit excommunicatus, c. 4. n. 22. Mandans hominis occiſionem ſit irregularis, c. 8. n. 7.

### *Materia.*

Dupliciter poteſt materia dici levis: vel in ſe, & abſolutè conſiderata; vel tàm in ſe, quàm inſpectis omnibus accepta. Et quæ earum eſſentia? tr. 10. c. 1. n. 131. & deinceps. Quæ ſit materia Ordinis? In ſingulis Ordinibus reperies. Et etiam quæ ſit materia Matrimonij? vide verb. *Matrimonium.*

### *Matrimonium.*

Quid ſit? Quot ſint? Quas ſignificationes habeat? Quæ in eo reperiantur? Quis eius miniſter? Et quot peccata committat, qui in peccato coniugium celebrat? tract. 9. cap. 3. n. 1. & deinceps. Matrimonium eſt de iure naturæ. An detur præceptum illius? De tempore inſtitutionis. Et an monachi nubere poſſint, ex ſuppoſitione, quod omnes perirent? à num. 11. uſque ad 16. per totum punctum. Matrimonium ex fide conſtat, honeſtum eſſe, triplicemque habere poteſt finem, n. 16. per totum punctum.

Matrimonium eſt Sacramentum, & cauſat gratiam? num. 34. & deinceps. Quid in eo ſit res, & Sacramentum? Et quid Sacramentum? Sitnè permanens unum, vel plura? num. 45. uſque ad finem dubij.

Quæ, qualis, & quotuplex ſit forma, & materia Matrimonij? num. 54. & toto puncto. Matrimonium infidelium non eſt Sacramentum. Et quare? num. 73. Ratio Matrimonij adhuc inter fideles ſeparabilis eſt à ratione Sacramenti, num. 78. & 79. An ſi validum ſit Matrimonium in ratione Matrimonij, & non Sacramenti, poſſit ad rationem Sacramenti tranſire? n. 82. & 83.

Matri-

Matrimonium inter abſentes celebratum validum eſt, & eius inter præſentes ratificatio laudabilis, num.84. & 85. An ſit Sacramentum? Et quę in eo caſu ſit materia, & forma? Quiſque miniſter? num.89. uſque ad finem dubij. Quæ conditiones requirantur ad Matrimonium contractum per procuratorem? n. 97. & deinceps.

Poteſt Matrimonium eſſe nullum. Et quomodò? Quid certum, & quid dubium in hoc puncto ſit? n. 109. uſque ad finem capitis.

Quid ſit Matrimonium legitimum, & ratum? Quid conſummatum? Et quæ, ut conſummatum ſit, requirantur? tr.9.c.4.n.1. & deinceps. An indiſſolubile ſit? Quot modis, & quomodò compatiatur eſſe indiſſolubile, & diſpenſatione diſſolvi? n.16 & deinceps.

Fuiſſe legem repudij, & eius cauſæ ſufficientes, aperiuntur, n.24. & 25. An fuerit in lege Moyſi illicitum repudium. Et nunc à Chriſto revocatū? n.26. per totum dub.

Matrimonium infidelium validum eſt. An ſit ratio diſſolutionis converſio utriuſque ad fidem? Quid, ſi alter tantùm convertatur? Vbi etiam diverſitas temporum ad intentum proponitur, num. 33. & ſequentib.

Matrimonium conſummatum non poteſt diſſolvi authoritate Pontificis, n.53. Poſſitnè in non conſummato, licèt rato? Et quæ cauſæ ad hoc ſufficiant? n. 54. per tot. dub.

An Matrimonium conſummatum ratum, licèt non conſummatum diſſolvatur per profeſſionem Religioſam? Et quo iure? n. 71. & ſequentib. In quibus Religionibus liceat, vel non liceat? Et quid de mantelatis? Quæ vulgò dicuntur Beatæ. An denique diſſolvatur per ingreſſum? An per profeſſionem? n. 85. uſque ad 87.

Quod tempus in iure coniugibus aſſignetur ad deliberandum de ingreſſu Religionis. Vbi quatuor quæſtiones ad intentum breviter explicātur, n.88. uſque ad finem capitis.

Quid ſit *Polygamia*? Quid *Monogamia*? Quid *Bigamia*? Quid *Bruma*? Et *Brumatus*? tract. 9. cap. 5. num. 1. An licita ſit *Polygamia*? Sitnè contrà fines Matrimonij? Et quot fines habeat? Quidque de *Bruma*? numer. 2. uſque ad finem puncti. Fueritnè aliquandò licita Polygamia? Quibus conceſſum? Et per qualem inſpirationem, num. 31. & deinceps. An talis diſpenſatio ad infideles extendatur? num. 51. Fueritnè per Chriſtum ſublata? n. 52.

Matrimonium ſecundum validum eſt, & licitū. Sed quia imperfectum eſt reſpectu primi, non eſt benedicendum, n. 54. & deindè. Sitnè verum Sacramentum? Et quæ certitudo de morte prioris viri ſufficiat? n.62. & deinceps. Si prior vir appareat, tenetur mulier ad illum redire, n.69. Poſſitnè petere debitum, quandò dubitat de morte viri? Aut ſi verè fuit mortuus, contraxit tamen malâ fide: ſitnè validum Matrimonium? num. 70. & deinceps. An filij in ſecundo Matrimonio procreati, vivente priori viro, ſint legitimi? numer. 74.

Matrimonium, quia contractus, quia Sacramētum, quia vinculum, conſenſum requirit, tr.9. c. 6. n. 1. & deinceps. Sine conſenſu parentum filij validè contrahunt Matrimonium, n. 14. & deinceps. Sed an peccent? Et quâ qualitate culpæ? n. 19. uſque ad 25. An teneatur filius ad Matrimonium, quod pater promiſit? n.25. & 26. An autem poſſint parentes exhæredare filios, vel filias contrà eorum voluntatem nubentes? num. 28. & 29.

Quid de Matrimonio ſervorum ſine dominorum conſenſu? Poſſintnè, tàm parentes, filios, quàm domini ſervos impedire, aut cogere ad Matrimonium? num.30. & deindè. Quas pœnas incurrant compellentes ad Matrimonium? Et qui, num. 37. An conſenſus debeat verbis, aut ſignis exprimi? Et quid de nutibus in valentibus loqui? num. 38. per totum punct. Quæ verba? Quæ ſigna ad conſenſum ſufficiant? Quid de taciturnitate? Et an ſimul eſſe debeat conſenſus contrahentium? n. 52. uſque ad finem capitis.

Quid, & quotuplex ſit conditio? Quid adiectio temporis, demonſtrationis, cauſæ, & modi? Et quæ contractum ſuſpendant? tract.9.c.7.n.1. uſque ad 7. Matrimonio numquàm apponendæ ſunt conditiones? Quid, quandò neceſſaria ſunt? Quid, quandò ignotæ? n. 8. Quid de iſtâ: *Si Deus velit*? Quid de intrinſecis? num. 18. & 19. Quid de conditionibus impoſſibilibus? Et quotuplex ſit? n.21. per totum punctum. Quid de Matrimonio contracto inter perſonas, impedimento dirimente irritas? Sub hâc conditione: ſi Pontifex diſpenſaverit? à num. 38. & vide verb. *Sponſalia*. Quid de conditionibus de præſenti, præterito, & futuro? Quomodò intelligatur: *Contraho tecum, ſi pater tuus conſentiat*? Vbi an taciturnitas ſufficiat? n. 51. per totum punctum.

Conditione impleta, non requiritur novus conſenſus, ut Matrimonium contractum ſub cōditione de futuro fiat perfectum, & abſolutum. Vbi aliqua notatu digna præſupponuntur, n.61. uſque ad finem dubij. Poſt Concilium Tridentinum præſentia teſtium neceſſaria eſt, & Parochi aſſiſtentia ad conditionis adimpletionem, vel illius renuntiationem, n. 81.

Quid de conditionibus, quæ ſunt contrà ſubſtantiam Matrimonij, aut bona eius? Irritumnè reddant illud? Et quid de conditionibus honeſtis, contrarijs tamen Matrimonio? n. 85. per totum dub. Quid de conditionibus turpibus? nu. 101. uſque ad 103.

Quid, & quotuplex ſit Matrimonium clandeſtinum? Quo iure illicitum ſit? Et an irritetur tàm directè, quàm indirectè? tract.9. cap.8. n. 1. uſque ad 11. Matrimonia clandeſtina infidelium valida ſunt, n. 11.

In nullo caſu quamtumvis magnæ neceſſitatis, validum erit Matrimonium celebratum abſque ſolemnitate requiſitâ à Concilio Tridentino, à num. 13. Quid de peregrinis? Quid de illis, in quorum locum Tridentinum obligat? Si perveniat ad alia? Et quid de captivis? Vbi aliqua notatu digna ſupponuntur, à numer. 17. uſque ad 23.

Quis? Et qualis debeat eſſe Parochus ad valorem Matrimonij? Quid de Parocho vagorum? num. 23. per totum punctum, & num. 39. uſque ad 59. Quæ aſſiſtentia Parochi requiratur? Quæ qualitas teſtium? num. 57. An ſit peccatum mortale vi, aut dolo Parochum adducere? Et quid de interrogatione? Benedictione? Et ſcriptione? Quam facere debet in libro? à num. 68. & deinceps.

Quæ denuntiationes? Vbi? Quomodò? Et quan-

Digitized by Google

quandò ? num. 71. & deinceps. Quandò ſit, vel non, peccatum eos omittere ? Et quid de velationibus, à num. 76. uſque ad 80.

Quis poſſit diſpenſare in denuntiationibus ? Quæ cauſæ ad hoc ſufficiant ? Et an qui poſſunt diſpenſare, poſſint alijs licentiam præbere ? num. 81. & deinceps. Quid, ſi nolit ſuperior diſpenſare ? num. 92. uſque ad 94. incluſivè. Quis poteſt impedimenta detegere ? Et quid antè præmittendum ? num. 95. & deinceps.

Quid, ſi ſciatur in ſecreto naturali ? Quid, ſi audiet ? Et an contrahentes teneantur impedimenta detegere ? num. 99. uſque 101. Quid Parochus, manifeſtato impedimento, facere debeat ? Quid, ſi Epiſcopus ſcit impedimentum ? Et quæ probatio impedimenti ſufficiat ? n. 103. & deinceps.

An Matrimonium metu cõtractum ſit irritum ? Et quo iure ? tract. 9. cap. 9. num. 2. & 7.

An peccet, qui metu gravi conſentit ? Et an teneatur, qui coëgit contrahere, ſi coactus poſtulaverit ? n. 12. & deinceps.

Quæ conditiones ſufficiant ad metum gravem dirimentem Matrimonium explicantur, à n. 18. uſque ad finem puncti. Metus ſimpliciter levis nõ dirimit Matrimonium, n. 30. Quid de metu reverentiali ? Quid de precibus importunis ? num. 34. & ſeq.

Quid de metu à causâ naturali. Quid, ſi metus non ad extorquendum Matrimonium inferatur ? Quid de iudice, aut medico obligantibus ad nubendum cum filiâ ? n. 39. per tot. punct.

Quomodò, aut per quid confirmetur Matrimonium metu gravi contractum ? n. 55. uſque ad finem capitis. Vbi etiam an potiùs debeat eligi mors, quàm conſummare Matrimonium metu contractum ? An ſi damnatus ad mortem ob homicidium eligeret ſponte ſuâ, vel oblatione iudicis, aut petitione partis, nubere cum filiâ, aut uxore defuncti, validum eſſet Matrimonium ? Et alia huiuſmodi ? n. 45.

Quid de parentibus, aut conſanguineis deprehendentibus filiam, aut conſanguineam in lectulo cum ſtupratore ? n. 46. An poſſit contrahi ab interdictis ? tract. 10. cap. 6. num. 47.

An error circà perſonam, qualis, & quo iure dirimit Matrimonium ? tract. 9. cap. 10. num. 1. per totum dub. An error qualitatis, qualis, & an ſit conſenſus virtualis ? Quomodò ? Quo iure intelligatur, errorem qualitatis in perſonam redundare ? n. 9. per totum dub. Quid de errore ſervitutis, & conditionis ? Et quo iure ? num. 19. per totum punct.

An ſi contrahatur Matrimonium cum ignorantiâ ſervitutis, ſervus per tale Matrimonium libertatem conſequatur, & validum ſit ? n. 33. Matrimonium eſt forma incompoſſibilis cum ſervitute, num. 39.

An detur impedimentum dirimens Matrimonium ? Et à quibus Prælatis Eccleſiaſticis, & Principibus Chriſtianis inſtitui poſſint ? tract. 9. cap. 11. num. 1. & deinceps. Vbi etiam an infidelibus hæc impedimenta obſtent ? Quid de conſuetudine, & qualitate illius, ut poſſit nova impedimenta dirimentia introducere ? n. 19. per totum punct. Quot ſint impedimenta ? tract. 9. c. 12. n. 1.

Quomodò ? Quandò ? Inter quas perſonas ? In quo gradu ? Et quo iure conſanguinitas dirimat, vel irritum faciat Matrimonium ? tract. 9. cap. 12. num. 6. per totum punct. Vbi etiam quid de infidelibus ? An peccatum carnale cum filiâ confeſſionis ſit ſpeciale peccatum ? nu. 27. An adoptio, & qualis ſit impedimentum dirimens ? a num. 40. Vbi etiam quantum tempus duret hoc impedimentum ? Quid de impedimento criminis ? Occiſionis ? Adulterio cum occiſione ? Et conditionibus ad hoc requiſitis ? num. 45.

Quid de crimine adulterij cum promiſſione Matrimonij de futuro abſque occiſione coniugis ? Quid ſine promiſſione coniugij ? Et conditionibus ad hoc requiſitis ? Et quid de adulterio ſimul cum Matrimonio ? Et quid de infidelibus circà hoc impedimentum. Et de impedimento diſparitatis cultus, à num. 56. uſque ad 65.

An ſit licitum Matrimonium fidelis cum infideli ? Et quo iure ? Et quid de Catholico cum Hæretico ? num. 66. An Pontifex valeat diſpenſare, ut fidelis cum non baptizata contrahat ? vide verb. *Diſpenſatio.*

Quid de impedimentis vis, & ligaminis remiſſivè ? Publicæ honeſtatis, & affinitatis ? Impotentiæ ? Et qualis ? Clandeſtinitatis remiſſivè ? Raptus ? à num. 77. uſque ad finem, cap. 13 De impedimentis impedientibus in particulari, tract. 9. cap. 13. per totum.

In quibus impedimentis, & cuius iuris Pontifex poſſit diſpenſare ? tract. 9. cap. 14. n. 1. & deinde. Quid de Mendicantibus ? Et Commiſſarijs Cruciatæ ? Nuntijs Apoſtolicis ? Et quid de Epiſcopo quandò ex parte unius eſt mala fides ? Vel ex parte utriuſque ? n. 4 & ſequentibus. Quid de Epiſcopo in caſu neceſſitatis, vel extrà ? Et an poſſit hanc poteſtatem delegare ? à n. 11. Pontifex ſine causâ diſpenſans peccat, n. 17. Et in ijs, quæ ſunt de iure naturæ, invalidè diſpenſat, ibid. Quid de inferiori in lege ſuperioris ? Et quæ cauſæ ad diſpenſandum ſufficiant ? n. 19. & deinceps. Quid de reſcriptione ? Et qualis cauſa dicatur motiva, vel impulſiva reſcripti, n. 31. per tot. pũct. Quomodò manifeſtatio impedimentorum debeat fieri ? Et de quibus ? n. 44. uſque ad finem cap.

Quandò liceat, vel non, petere, & reddere debitum ? tract. 9. c. 15. n. 1. per tot. cap. Quomodò, quandò, & ubi ſit illicita copula coniugalis, n. 55. & 75. Quandò divortium fieri poſſit ? Propter quæ delicta ? Et quà authoritate ? tract. 9. cap. 16. per totum.

### *Metus.*

Metus cadens in virum perfectum annullat ſponſalia cum eo contracta, tract. 9. cap. 1. nu. 62. Quid ſit ? Et quotuplex metus ? tract. 9. c. 9. n. 1. & deinde. Sacramenta gravi metu recepta valida ſunt, tract. 9. cap. 9. num. 8. & 9. Quæ conditiones requirantur ad metum gravem cadentem in virum conſtantem ? tract. 9. cap. 9. num. 18. & deinceps. An metus ſimpliciter levis dirimat Matrimonium ? num. 30. Quid ſit metus levis ? num. 29. Metus levis pro nihilo reputatur in iure, numer. 30.

An metus reverentialis ſit inter graves connumerandus ? tract. 9. cap. 9. num. 32. Vbi etiam, inter quas perſonas reperiatur, explicatur. Et quotupliciter conſiderari poſſit. An metus gravis non reſpectu determinatę perſonę Matrimonium dirimat ? num. 39. & 40.

Cenſu-

Cenſura, quæ metu fertur, valida eſt, vide verb. *Poteſtas Eccleſiaſtica*. Metus gravis à cenſurâ incurrendâ excuſat, tract. 10. cap. 1. num. 203. Qui agit contrà præceptum Divinum Eccleſiaſticum ex gravi metu, peccat, ſed excuſatur à cenſurâ, num. 204. Quandò res eſt graviſſima, metus non excuſat à cenſurâ, num. 205.

*Milites.*

Miles, qui in bello iuſto aliquem occidit proprijs manibus, fit irregularis, tract. 10. cap. 9. num. 19. Reliqui milites etiamſi militent proprijs manibus, ſi alios cohortentur, ſi proprijs manibus non occidant, aut mutilent, irregulares non fiunt, ibid. In bello iuſto omnes milites exercitus fiunt irregulares, ſi aliquis occidatur, ibid. Miles in bello iuſto defenſivo hoſtem occidens non fit irregularis, num. 20. Militantes etiamſi Clerici ſint aut Religioſi, non fiunt irregulares, 21. Quis poſſit in hâc irregularitate diſpenſare? n. 23. & 24.

*Miniſter.*

Quis ſit matrimonij miniſter? vide verb. *Matrimonium*. Stat eſſe miniſtrum ordinarium unum, alium ex delegatione, tract. 8. cap. 4. num. 5. Quis ſit miniſter Ordinis ordinarius ex iure divino? Et quis ex delegatione? num. 11. Vbi quid de Angelo bono ſi ordinaret? Et quis poſſit poteſtatem ordinandi delegare? num. 16. & 21. Quis ſit miniſter Matrimonij? tract. 9. cap. 3. nu. 8. Miniſter conferens Sacramenta excommunicato peccat mortaliter, tract. 10. cap. 3. num. 47. Miniſter rebaptizans ſit irregularis, tract. 10. cap. 8. num. 59.

*Monitio.*

Non requiritur monitio, quandò cenſura fertur per modum legis, aut ſtatuti, tract. 10. cap. 1. num. 81. Vt cenſura validè feratur, debet præcedere admonitio, num. 82. & 84. Et non ſufficit admonitio per ſimplex præceptum, ut cenſura feratur: ſed debet in illo pœnâ cenſuræ contineri, num. 83. Non ſufficit notorietas delicti, ut monitio non debeat præcedere, n. 87. Quid, quandò contumacia eſt certa? n. 89. Quid, ſi lex ſub pœnâ cenſuræ ferendæ aliquid præcipiat? n. 90. Vt cenſura ipſo facto feratur, requiritur monitio, n. 91. Trina monitio præcedere debet. Et quandò debet trina, vel una pro tribus monitio? num. 92. & 93. Quod tempus debeat tranſire in unam, & alienam monitionem? Quomodò facienda ſit? Et an in propriâ perſonâ? n. 94. & deinceps. An ſit neceſſaria trina monitio ad valorem cenſuræ? Et an detur caſus, in quo trina, vel una pro tribus monitio neceſſaria ſit, num. 97. & 98.

*Monachus.*

Aſſiſtens executioni mortis ex iuſtitiâ non fit irregularis, tract. 10. cap. 9. num. 1. Nec etiam in bello iuſto militans; niſi proprijs manibus occidat, n. 21. Nec etiam artem chirurgiæ, aut medicinę exercens abſque inciſione, vel aduſtione, cap. 8. n. 32. Si cum inciſione, vel aduſtione eam exerceat; fit irregularis, ſi mors infirmi ſequatur, cap. 9. n. 22. & cap. 8. n. 32. Si occidant aliquem ſe defendendo, non fiunt irregulares, cap. 8. num. 45. Si per fugam mortem evitare poſſunt, fiunt irregulares, ſi aggreſſorem occidant, num. 52.

*Mores.*

Honeſti mores requiruntur in ordinandis; tract. 8. cap. 5. num. 40.

*Mors, Mortui.*

Quæ certitudo requiratur ex parte fœminæ de morte viri, ut novum contrahat matrimonium, tract. 9. cap. 5. num. 64. Non ſufficit probabilis opinio de morte viri, num. 65. Nec ſufficit dictum unius teſtis, num. 67. Nec fama communis teſtificans de morte viri, nu. 68. Quid, ſi mulier poſt moralem certitudinem de morte viri cum alio contrahat, & poſteà vir vivus appareat? num. 69. Non poteſt petere, aut reddere debitum, nu. 70. Mortui excommunicari non poſſunt, tract. 10. cap. 1. num. 163. Quomodò impropriè, & indirectè poſſint? n. 164. Si mortuus cum excommunicatione decedat, eam conſervat, donec abſolvatur, n. 165. Morte delegantis ceſſat poteſtas delegata, cap. 1. num. 34.

*Multiplicitas.*

Vide verb. *Vnitas.*

*Mutilatio.*

Quid ad mutilationem voluntariâ requiratur? tract. 10. cap. 8. num. 18. Quomodò poſſit incurrere irregularitatem, qui ſeipſum mutilat? n. 20. Quid nomine membri ad mutilationem intelligatur? Et quædam illationes aperiuntur, n. 22. 23. & 24. Qui membrum dumtaxat debilitaret, non fieret irregularis. Sed quid de membro areſcente? n. 25. & deinceps. Epiſcopus poteſt diſpenſare in hâc irregularitate, n. 28. De mutilatione caſuali, & ex cauſâ defenſionis ab iniuſto invaſore inducta, num. 29. uſque ad 59.

*Natalis.*

IRregularitas ex defectu natalium quomodò detur, tract. 10. cap. 9. num. 43. Debet eſſe certus de ſuâ illegitimitate, qui illam incurrere debet, n. 44. Qui natus eſt ex parentibus, qui bonâ fide invalidum contraxere Matrimonium, non eſt illegitimus, n. 45. Si verò Matrimonio durante, filius natus ſit non tenetur credere matri de ſuâ illegitimitate iuranti, n. 46. Per ſubſequens Matrimoniū tollitur defectus natalium, & quomodò? nu. 47. Per legitimationem tollitur, n. 50. Ad quos Ordines, & Beneficia poſſit Epiſcopus cum illegitimis diſpenſare? n. 51. & 52. Quomodò per profeſſionem Religioſam tollatur? à nu. 55. Prælati Regulares cum illegitimis poſſunt diſpenſare ad quaſcumque Prælaturas, num. 57.

*Naufragantes.*

Qui bona naufragantium ſubripiunt, in Bullâ Cœnæ excommunicantur, tract. 10. cap. 4. n. 80. Quid nomine bonorum naufragantium intelligatur? num. 81.

Obligatio.

### *Obligatio.*

Ad cognoſcendum, quando eſt dubium, an animo ſolicitandi obligationem, vel illam finiendi, tempus præfigatur? Duæ regulæ aſſignantur, tract.9.cap.2.nu.51. Ex contractu abſoluto ſequitur abſoluta obligatio, & in re: & ex conditionato obligatio in ſpe. tr.9.cap.7. nu. 54. De obligationibus ordinarorum, tr.8.cap.6.nu. 1.per tot.dub. De obligatione reddendi debitum coniugatis, vide verb. *Debitum*.

### *Officium Diuinum.*

Tenetur degradatus recitare illud, tract. 10.ca.5.nu.60. Etiam excommunicatus, cap.3.nu.63. Quid intelligatur nomine Officij diuini, cuius aſſiſtentia priuat excommunicatio, tract. 10. cap.3. nu.60. Cuilibet excommunicato prohibitum eſt cum alijs communicare in Officijs diuinis, ibid. Non poteſt adhibere ſocium, ut ſecum recitet, n.61. Poteſt ſolus Horas Canonicas recitare, & quomodo? n.62. De ijs Officijs diuinis, quibus non poteſt intereſſe excommunicatus, n.67. Quid faciendum, quando excommunicatus volt aſſiſtere diuinis Officijs, nu.69. Alij fideles non poſſunt cum excommunicato aſſiſtere diuinis Officijs, nu. 70. Quid facere tenentur videntes excommunicatum ſecum diuinis Officijs intereſſe? n.71. Peccetne excommunicatus ſacrum audiendo, n.72. In loco interdicto, vel à perſonis interdictis Officia diuina celebrari, eſt probibitum, tract. 10. cap.6.nu.50. Quid concedatur Clericis in *cap. Alma mater*, circà celebrationem diuinorum Officiorum tempore interdicti? n.54. Qui veniant nomine Clerici in tali occaſione? n.56. Quæ conditiones in dicto *cap. Alma mater*, requirantur? n.57. Quibus diebus ſuſpendatur interdictum, ut poſſint Officia diuina celebrari? n.61. Illis diebus tenentur fideles Miſſam audire; non verò alijs, etiamſi priuilegium habeant, nu. 64. Qui poſſint ex priuilegio diuinis Officijs intereſſe tempore interdicti? nu.65. Quid circà hoc concedat Bulla Cruciata, nu.67. Quid ſit ceſſatio à diuinis, vide verb. *Ceſſatio*. Irregulari non eſt probibitum aſſiſtere diuinis Officijs, cap.7.nu.18.

### *Oratio.*

Omnibus Orationibus communibus priuatur excommunicatus, tract.10.cap.3.nu.51. Quæ ſint iſtæ Orationes? nu.52. Non poſſunt offerri pro excommunicatis, etiamſi ſint in gratia, num.54. Orationes particulares poſſunt pro excommunicatis applicari. Poſſunt etiam publicæ Orationes pro toleratis offerri, nu.58.

### *Ordinarius.*

Qui veniant Ordinarij nomine? tr.9.c.8.n.82.

### *Ordo.*

Per ſuſceptionem Ordinis Sacri diſſolvuntur ſponſalia, verb. *Sponſalia*. An ſit? Et quid ſit Ordo? Quid nomine eius veniat? Vndè ſumatur, tr. 8.cap.1. nu.1. & deinceps. Quotuplex ſit? Et an ſit Sacramentum? Et à Chriſto Domino inſtitutum? nu.10.& 15. Omnes Ordines tàm minores, quàm maiores babent veram rationem Sacramenti, à nu. 14. Septem ſunt tantum, à n.21. uſque ad 34. Vbi triplex ſenſus accipiendi Ordinem explicatur. Quam connexionem Ordines habeant: Quo Ordine recipi debeant? Et quia præmitti debeat Ordo ad Epiſcopatum? nu.30. per totum p.

Habeatne materiam, & formam à Chriſto Domino inſtitutam? Et qualis? Et quid de materia, & forma Græcorum? tr.8.cap.2. nu.1. uſque ad 11. Contactus phyſicus materiæ eſt omnino neceſſarius, & huius tria ſigna explicantur, & quæ continuatio requiratur contactus cum verbis? Debeatne tangi tota materia? Et in quibus Ordinibus ab eo, qui materiam tradit, forma proferatur? nu.19 & deinceps. Qui defectus ſuppleri debent? Et quando? Et quomodo? In ſuſceptis Ordinibus, nu.24 & deinceps.

Invalidè exercent munera Sacerdotis, & Epiſcopi non babentes Ordinem. Et quas pœnas incurrant exercentes Ordines, quos non habent? Et quid de laicis? tr.8.cap.3.nu.10.& deinceps. Qui ſint effectus Ordinis? tr.8.cap.1. nu.9. Licet omnes Ordines fuerint à Chriſto Domino inſtitutis non de omnium inſtitutione conſtat nobis ex ſcriptura; ſed ex Eccleſiæ traditione à tempore Apoſtolorum, nu.19. Omnes Ordines conferunt gratiam dignè ſuſcipientibus, n.20. Ordo dicit ſpecialem poteſtatem in ordine ad Euchariſtiam, tr. 8.cap.1.nu.31.

Non eſt neceſſe, quòd forma Ordinis gratiam ſignificet, uti in alijs Sacramentis inuenitur, & quare? tr.8.cap.2.nu.4. Qui habent poteſtatem conferendi Ordines tam minores, quàm maiores? tr.8.cap.4.nu.30.& deinceps. Et qui ſæcularibus minores Ordines conferre poſſint? Et quid de Vicario Epiſcopi, & de Abbatibus erga ſuos Nouitios? nu.35.& deinceps. Ordinatus ab alieno Epiſcopo eſt ſuſpenſus. Et quis veniat nomine proprij Epiſcopi? nu.43.& deinceps.

Qui Ordines ſuſcipit, debet eſſe in gratia. Non debet eſſe irregularis. Quod ſit baptizatus: & exercuerit prius munus Ordinis ſuſcepti, nu. 71. & deinceps. Vbi? Quo tempore? Quot Ordines ſimul ſuſcipi poſſint? Et quis extra tempora ordinare poſſit? nu.75. uſque ad 85.

Fœminæ non poſſunt ſuſcipere Sacramentum Ordinis. Quid de hermaphroditis? Et quid de muliere in virum erumpente? tr.8.cap.5.nu.1. & deinceps. An pueri antè uſum rationis validè, & licitè ordinentur? Et an poſſint conſecrari Epiſcopi? Et quid de dormientibus, & amentibus circà ſuſceptionem Sacramentorum? nu.17. per totum dub.

Quæ ætas requiratur ad ſuſcipiendos Ordines? Quid de eo, qui complet ætatem eo die, quo ordinatur? Et an dies biſextilis computandus ſit inter dies requiſitos? nu.29. & deinceps. An ſi quis Sabbato Sancto naſceretur, anno, in quo Paſcha die 10. Aprilis caderet, poſſet, decurſis, 24. annis, eodem die Sabbati ordinari, ſi in illo anno Paſcha incideret die 10. Martij? nu.39. An Regulares poſſint ordinari antè ætatem requiſitam à Tridentino? nu.36. & deinceps. Quas pœnas incurrat, qui ante legitimam ætatem ordinatur? nu.39.

De vita, moribus, examine, & ſcientia requiſita in ordinandis, nu.40. & deinceps. Quid ſi Regulares

gularet ſint?ibid. Et quid de illiterato irregulari? nu.48. Quæ intentio requiratur ad ſuſcipiendos Ordines?Et an ordinatus in minoribus Ordinibus poſſit abſque peccato uxorem ducere? ca.5. nu.50.& 51. Poteſt quis Ordines inferiores recipere animo ibi permanendi. Quid, ſi animo ab eis recedendi? Quid, ſi animo euadendi poteſtatem ſæcularem? Quid, ſi animo obtinendi Beneficium? Peccetne, aut non? nu.52.& deinceps.

Quæ continentia?Et quo iure ſit Ordinibus ſacris annexa? tr.8.cap.6.num.1. & deinceps. An obligatio caſtitatis ad Ordines ſit ex lege, aut ex voto ordinatorum? num.18. & deinceps. Et an votum caſtitatis verbis, aut factis debeat exprimi? Quid de ignorante votum caſtitatis Ordinibus annexum? Quid de eo, qui ordinatur nolens caſtitatem vouere? Committatne ſacrilegium?Et peccatum incontinentiæ in Religioſis quantas malitias habeat, nu.34.& deinceps. Qui excuſentur à voto caſtitatis Ordini annexo? nu 40. per totum punctum.

Quibus in caſibus liceat coniugato Ordines ſuſcipere? nu.51. & deinceps. Qui tituli ſufficiant ad promouendum ad Ordines? Et de pœna contrà Epiſcopum ſine titulo ordinantem, num.61. & deinceps.

Quo iure ſint exempti à poteſtate ſæculari ordinati? tr.8 cap.7.nu.1. per totum p. Tenentur Eccleſiaſtici leges Ciuiles obſeruare: ſed non ex vi coactiua, cum à ſæcularibus cogi nequeant ad earum obſeruantiam; licet armis ſpoliari poſſint, à num.14. Quid de aſportantibus aliquid extra regnum? nu.19. Clericus in fragranti à ſatellitibus comprehenſus debet ſuo ſuperiori tradi, non in carcere detineri, nu.20.& 22.

Quo iure quoad ſuas perſonas ſint Clerici exempti à poteſtate ſæculari? Et an dentur caſus, in quibus plecti à ſæcularibus poſſint? num.23.& deinceps. Et quid de incedente ſine habitu, & tonſura? nu.31.& deinceps. An Princeps ſæcularis poſſit à ſuo Regno expellere Sacerdotes? n. 32. Quæ bona Eccleſiaſticorum ſint exempta? nu.35.& deinceps. An poſſint illis imponi gabellæ, & in quibus bonis? à nu.45. Gaudent priuilegio quoad cauſas, n.55.& deinde. Sed de gaudentibus dictis priuilegijs,& quas conditiones debeant habere, & quomodo adimi poſſint prædicta priuilegia, vide, à num. 56. uſque ad 75. Ao miniſtri Regis per violentiam poſſint cognoſcere cauſas Eccleſiaſticorum? Et quibus in caſibus, à nu.75. uſque ad tractatus octaui finem.

Sacramentum Ordinis recipi non poteſt ab interdicto, tr.10.ca.6.nu.44. Quomodo incurratur irregularitas ob indignam Ordinum ſuſceptionem? tr.10.ca.8.nu.73. Quomodo per uſurpationem Ordinis? Et quis in dictis irregularitatibus diſpenſare poſſit? nu.74.& 75.

*Oſcula, & tactus.*

Oſcula, amplexus, aut tactus quomodo liceant inter ſponſos de futuro, tr.9.c.2.nu.80.& ca.15. nu.91. Quomodo inter coniuges ſint liciti, c.15. nu.84. Sed illiciti ſunt tactus coniugis cum ſe ipſo in abſentia alterius coniugis, etiam extra pollutionis periculum, nu.87.

*Oſtiarius.*

Quæ ſit Oſtiariatus materia,& forma? tract.8. ca.3.nu.13.

*Patrimonium.*

Quod ſit ſufficiens titulus ad Ordines? tr.8.ca. 6.nu.76.& 77. Non ſtat eſſe fictum, num.78. Quid de habente dominium patrimonij? Et an ordinatus promittens reddere patrimonium, ſtare debeat promiſſis? num. 79.& deinceps. An renuntiatio patrimonij, ad cuius titulum quis ordinatus fuit, ſit valida? num.83. Quid, ſi aliundè congruam ſuſtentationem acquiſiuit? nu.84. Et an filio volenti ordinari teneatur pater patrimonium aſſignare? nu.87.

*Parochus.*

Quis Parochus requiratur ad aſſiſtentiam Matrimonij? Quas conditiones debeat habere? Et alia hoc pertinentia, vide in verb. *Clandeſtinitas.* Non poteſt cenſuras ferre, tr.10.ca.1.nu.33.

*Peccatum.*

Vnuſquiſque tenetur manifeſtare peccatum occultum damnum tertio inferens, quando Prælatus legitimè interrogat, tr.9.ca.8.nu.98. Et in dicto caſu tenetur illud manifeſtare, etiamſi in ſecreto naturali illud ſcierit, & quare? nu.99. Eccleſia non præſumit peccatum, quandò non adeſt illius fundamentum, tr.9.ca.9.num.3. Qui vim infert alij, ut Matrimonium contrahat, peccat peccato iniuſtitiæ, & ſacrilegij, tract.9.cap.9.nu.12. Mortaliter peccant, qui antè coniugis mortem Matrimonium poſt illam contrahendum promittunt, tr.9.ca.12.num.56. Peccatum mortale eſt, aliquo modo ſemen à fine generationis impedire, tr.9.ca.15.n.75. Accedere ad menſtruatam eſt peccatum veniale, nu.76.& 77. Quod peccatum ſit grauidam uxorem cognoſcere? nu.78. Quid de fœmina lactante? Et quid, ſi vir recedat à copula ante ſeminationem ſui poſt uxoris ſeminationem? nu.80.& deinceps. Vbi alia circa hoc. Qui blaſphemat in duodecim Apoſtolos, unum peccatum committit, tr.10.ca.1.nu.183.

*Pœnitentia.*

Quomodo poſſit ab interdicto recipi? tr.10. ca.6.nu.37. An excommunicatus poſſit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, vide verb. *Excommunicatio.* Et an interdictus validè, & licitè abſoluere poſſit? nu.38.

*Pœna.*

Duplex in hac parte explicatur, alia poſitiua, negatiua alia, tr.9.ca.1.num.95. Quas pœnas incurrant compellentes ad Matrimonium? Et qui? tr.9.ca.6.num.35.& 37. Quas pœnas? Et quis? Incurrat pro raptu? tract.9.cap.12.num.150.& deinceps. Quas pœnas incurrat iudex, qui, omiſſa ſolemnitate, cenſuras imponit? tract.10.cap.1. num.71. Et quid, ſi cenſura nulla ſit? num.79.

De

De pœnis contrà duellantes, cap.4.num.42. De pœnis contrà frangentes interdictum, cap.6.nu. 86. Quam pœnam incurrant ſepelientes excommunicatum in loco ſacro, nu.76.ca.3. Pœna contrà Epiſcopum abſque titulo aliquem ordinantem, tr.8.ca.6.nu.62. Quam pœnam ſubeat ordinatus abſque vero titulo? nu.72.

### *Penſio.*

Quotuplex ſit penſio? Et qualiter ſit nulla, ſi excommunicato confertur, tract.10. cap.3. num. 105. Penſio temporalis, & laicalis excommunicato collata valida eſt, num.106. Penſio non venit nomine Beneficij, quo priuat irregularitas, cap.7.num.27.

### *Pontifex.*

An Pontifex poſſit diſpenſare in Matrimonio conſummato, aut rato, & non conſummato, vide verb. *Matrimonium.* Pontifex poteſt diſpenſare, ut fidelis cum non baptizata contrahat, vide verb. *Diſpenſatio.* Quo peccato peccet Pontifex abſque cauſa diſpenſans? ibidem. Non poteſt Pontifex tribuere alicui Sacerdoti poteſtatem ordinandi aliquem in Presbyterum: ſed quid ad alios Ordines ſacros? tract.8. cap.4. num.25. & deinceps. Solus Summus Pontifex poteſt diſpenſare cum degradato, tract.10.cap.5.num.69. Solus ipſe poteſt aſſignare impedimenta Matrimonij, tract.9. cap.11.num.7. A nemine poteſt excommunicari Pontifex, tract.10.cap.1.num.159. Si in hæreſim labatur, à Concilio poteſt compelli, ut compareat, ut iudicetur. Imò deſinit eſſe Papa, ſi in hæreſim labatur, ibid. Qui appellat à ſententia Pontificis ad Concilium futurum, excommunicatur in Bulla Cœnæ, cap.4. num.77. Solus ipſe poteſt irregularitatem imponere, cap.7.nu.7.

### *Poteſtas Eccleſiaſtica.*

De fide eſt dari in Eccleſia poteſtatem ferendi cenſuras, tr.10.ca.1.num.20. & deinceps. Quot modis acquiratur poteſtas ferendi cenſuras? Et in quibus, præter Pontificem (in quo hæc poteſtas uniuerſalis reperitur) inueniatur? nu.27.& deinceps. An hæc poteſtas per delegationem conſuetudinem, & ratione delicti acquiratur? nu.34. & deinceps. Hæc poteſtas non acquiritur reſpectu ſuperioris, nu.37. Quid de titulo colorato? Et an poſſit aliquis ſe ipſum, vel ſuperiorem cenſuris ligare? nu.38.& 39.

Non eſt in Eccleſia poteſtas excommunicandi Papam, vel ſuſpendendi, nu.40. In propria cauſa nemo poteſt ferre cenſuras, nu.44. Quæ conditiones requirantur ad hanc poteſtatem ferendi cenſuras? Et an iure ordinario fœminæ poſſint cenſuras ferre? nu.45.& 46. Vbi etiam an Pontifex poſſit eis dictam facultatem concedere? nu. 48. & deinceps. An infidelis poſſit ferre cenſuras? nu.51. Vt aliquis poſſit cenſuras ferre, debet habere primam tonſuram ad minus; debet eſſe viator, mentis compos, intentionem habere, & facultatem expeditam, nu.52. & deinceps.

Epiſcopus hæreticus, ſchiſmaticus, excommunicatus, &c. nequit ferre cenſuras, num. 57. Et quæ excommunicatio ſufficiat ad tollendam poteſtatem ferendi cenſuras? nu.58. Cenſura, quæ metu fertur, valida eſt, num.60. Quas pœnas incurrat imponens cenſuras abſque requiſita ſolemnitate, vide verb. *Pœna.* Actus internus ut coniunctus cum exteriori cadit ſub Eccleſiæ poteſtate, nu.139.

### *Pollutio.*

Sunt illiciti tactus inter coniuges cum periculo pollutionis, tr.9.ca.15.nu.86.

### *Præceptum.*

In quo differat præceptum ſpirituale à ciuili? tr.10.c.1.nu.50. Præceptum datur de Matrimonio. Et quomodo? tr.9.ca.3.nu.12. & deinceps. Præceptum ſub cenſura latæ ſententiæ ſemper obligat ſub mortali, tr.10.ca.1.nu.134. Quid, ſi ſit ſententiæ ferendæ? num.135. Agens contra præceptum diuinum Eccleſiaſticum metu graui, peccat: ſed excuſatur à cenſura, vide verb. *Metus.*

### *Procurator.*

Matrimonium per procuratorem celebratum eſt validum, tr.9.ca.3.num.84. Et eſt verum Sacramentum, nu.89. Quæ ſit materia, & forma in illo? nu.91. Non eſt miniſter huius Sacramenti Procurator, nu.92.

Quatuor conditiones requiruntur, ut Procurator nomine alterius contrahat, nu. 97. Debet ad hoc habere ſpeciale mandatum, quod reuocatum non ſit n.98. Si mandatum reuocatum ſit, non tenet Matrimonium, num. 100. Etiamſi Procurator non ſeruet formam mandati, tenet Matrimonium, num.101. Non requiritur, quod detur illi mandatum coram Parocho, & teſtibus, nu.102. Quibus verbis debet uti Procurator, quando pro abſente contrahit? num. 107. Excommunicatus ſi conueniatur, apparere debet in iudicio per Procuratorem, tr.10.ca.3.nu.123. Procurator in ſententia ſanguinis, morte ſecuta, ſit irregularis, ca.9.nu.3.

### *Promiſſio, Promittens.*

De promiſſione fictè promittente. Quando? Et quibus obliget? Plura reperies, verb. *Sponſalia.* Et de promiſſione, & repromiſſione, tr.9.cap.1. nu.13. & deinceps. Qui cum promiſſione matrimonij committit adulterium, contrahit impedimentum criminis, & quomodo? tr.9.c.12.à n.58,

### *Princeps.*

Etiamſi ſæcularis ſit, habet poteſtatem ſtatuendi impedimenta dirimentia Matrimonium licet talis poteſtatis uſus ſit ab Eccleſia prohibitus, tr. 9.ca.11.nu.14.& 15. Quid de poteſtate, quam ſuper infideles ſibi ſubditos habent? nu.16. & 17. Quando dicantur impoſſibilia, quæ ex voluntate Principis dependent? tr.9. ca.7. num.49. Poteſt Princeps ſæcularis ex conſequenti auferre irregularitatem ob infamiam contractam, tr. 10.cap.8. nu.87. Princeps, qui legem fert ſub pœna mortis, non ſit irregularis, ca.9.num.7. Principes ſupremi non poſſunt ab Epiſcopis excommunicari, ca.1.nu.160.

### *Priuatio.*

Quamvis non recipiat magis, & minus ſecundum ſe, recipit tamen ſecundum ſuas cauſas, tr.10. cap.1.nu.175. Quorum bonorum priuationem afferat *irregularitas, excommunicatio, ſuſpenſio*? vide proprijs locis.

### *Priuilegium.*

Priuilegia Regularium non ſunt reuocata per Bullam Cœnæ, tr.10. cap.2. nu. 77. Priuilegia Regularium circà tempora ordinationum tr.8.ca.4.nu.82. Habent priuilegia, ut extrà tempora ordinentur, nu.83. Priuilegia Regularium circà abſolutionem à cenſuris, tr.10. cap.2.à num.69. Circà irregularitatis diſpenſationem, cap.7.num.59.& 63. Non habent priuilegium, ut antè ætatem legitimam ordinentur, tr.8.cap.5.nu.37.

### *Pyrata.*

Qui dicantur pyratæ, qui in Bulla Cœnæ excommunicantur? tr.10.cap.4.nu.78. Non excommunicantur pyratæ, qui infideles ſpoliant.nu.79.

### *Raptus.*

Quid ſit? Et quàndo impedimentum dirimens Matrimonium? tr.9.cap.12.nu.143. Quid ſit raptus, ſecundum quod conſtituit ſpecialem ſpeciem luxuriæ? nu.145.& deinceps. Vbi eius definitio explicatur.

### *Ratum.*

In quo differat Matrimonium ratum à conſummato, tr.9.cap.4.nu.1. Matrimonium etiam ſolummodo ratum eſt indiſſolubile, n.11.Et hoc etiam iure naturali, n.16.Poteſt Pontifex diſpenſare, ut Matrimonium ratum diſſolvatur, n.61.Sed ad hoc grauiſſimæ cauſæ intervenire debent, 54. De facto multoties diſpenſauit, r.60.Poteſt etiam in generali pro tota Eccleſia hanc diſpenſationem extendere, nu.62. Quomodo per profeſſionem Religioſam Matrimonium ratum diſſolvatur, nu.73. Quo iure diſſolvatur hoc Matrimonium per profeſſionem Religioſam? nu.75. In quibus Matrimonium ratum diſſolvatur, nu.85. Per ingreſſum in Religionem non diſſolvitur, nu.86.

### *Regulares.*

Quomodo Prælati Regulares poſſint dimiſſorias concedere? tr.8.cap.4.nu.69. Prælati Regulares poſſunt à cenſura Canonis ſuos ſubditos abſolvere, tr.10 cap.2.nu.69. Poſſunt etiam ſuos ſubditos abſolvere ab omnibus cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, & ab omnibus reſeruatis Epiſcopis. Imò, & poſſunt alijs ſuam poteſtatem delegare, nu.70. Prælati Regulares habent eandem poteſtatem abſolvendi ſubditos, quam Epiſcopi ſuos, nu.71. Præter hæreſim etiam occultam poſſunt Prælati Regulares ſuos ſubditos abſolvere ab alijs contentis in Bulla Cœnæ, n.76. Quid poſſint Prælati circà Nouitios? nu.89. Obſtetne decretum Vrbani VIII. cap. 3. num. 81. Quid poſſint Regulares in ſuos ſubditos circà relaxationem irregularitatis? verb. *Irregularitas*, & *Homicidium*. Regulares utriuſque ſexus gaudent priuilegio fori, & Canonis, tr.8.cap.7.à nu.56.

### *Religio, Religioſus.*

Per ingreſſum Religionis ſponſalia diſſoluuntur, quoad eum, qui in ſæculo manet, tr.9.cap.2.à nu.16. An quandò Matrimonium fuit conſummatum, poſſint fœminæ, aut vir Religionem ingredi? tr.9.cap.4. num.9. & 10. Religioſi à ſuis Prælatis litteras dimiſſorias recipiant, tr.8.cap.4.nu.68. Quomodo poſt diuortium poſſint coniuges ad Religionem admitti? tr.9.cap.16.à n.50.

Religioſi exempti poſſunt ſubijcere ſe Epiſcopis, ut abſolvantur, tr.10. cap.2.nu.52. Quæ Sacramenta poſſint Religioſi ſuſcipere tempore interdicti? tr.10.cap.6.nu.48. An Religioſi poſſint tempore interdicti diuinis aſſiſtere, vel illa celebrare? Et aliqua eorum priuilegia declarantur, nu.65.& 66. Qua obligatione, & ſub quibus pœnis teneantur Religioſi ſervare interdictum? n.31. & 36. Reliqua, vide verb. *Monachus*. Quis poteſt Religioſos degradare? tr.10 cap.5.nu.61.

### *Renuntiatio.*

An ſit valida renuntiatio Beneficij, aut patrimonij, ad cuius titulum quis ordinatus eſt, tr.8.cap.6.nu.83. Quid, ſi aliundè congruam ſuſtentationem haberet? nu.84.

### *Repudium.*

In lege Moyſis fuit permiſſum, tr.9. cap.4.nu.24. Ob quas cauſas? n.25.Reuocata eſt à Chriſto Domino talis permiſſio, nu.26. Non ſolum erat permiſſum, ſed licitum tale apud Iudæos, nu.29. Quare mulier repudiata dicatur polluta in Scriptura, n. 32.

### *Roma, Romipeta.*

Qui impediunt, vel offendunt vectigalia ad Romanam Curiam aſportantes, excommunicantur in Bulla Cœnæ, t.10.c.4.n.87. Etiam excommunicantur in eâ interficientes, aut mutilantes eos, qui Romam eunt, n.88. Etiam excommunicantur Romipetas lædentes, n.89. Et qui offendunt eos, qui recurrunt ad Romanam Curiam, nu. 91.

### *Sacerdos, Sacerdotium.*

Quæ ſit materia & forma Sacerdotij? Quæ eius poteſtas? Et an per impoſitionum manuum noua poteſtas tradatur? t.8.c.3.n.37. & deinceps. Quæ eius officia? Et traditio quotuplicis ſpeciei requiratur? n.47. & deinceps. An poſſit Pontifex ordinare dicendo: *Eſto Sacerdos*? n.49. An Sacerdos ſimplex poſſit Epiſcopum conſecrare, vide verb. *Epiſcopus*. Sacerdotes ſimplices nequeunt conferre primam tonſuram, t.8.c.4.n.31. Poſſunt Sacerdotes ſimplices in periculo mortis ab omnibus cenſuris abſoluere, t.10.c.2.n.47. Et alij præter Sacerdotes in periculo mortis nequeunt à cenſuris Pontifici reſeruatis abſoluere, n.48. Quomodo? Et à quibus Sacerdotes debeant degradari?

gradari ? cap. 5. nu. 63. Sacerdos, qui facit cenſuratum coram ſe celebrare, fit irregularis, cap. 8. num. 71.

*Semen.*

Debet immitti intra vas naturale, ut matrimonium conſummetur. Impotentes ad ſeminandum intrà vas habent impotentiam perpetuam ſufficientem ad diſſoluendum matrimonium, tr. 9. cap. 12. nu. 106. Aliquo medio ſemen à fine generationis impedire eſt peccatum mortale, cap. 15. nu. 75. Per ſeminis effuſionem violatur Eccleſia, n. 61. Non licet copula inter coniuges cum periculo ſemen effundendi, nu. 82.

*Sepultura Eccleſiaſtica.*

Excommunicatus vitandus priuatur ſepultura Eccleſiaſtica, tr. 10. cap. 3. nu. 73. Quid eſt faciendum, quando ſepultus eſt in loco ſacro? num. 74. Etiam priuatur omni honore funeris, num. 75. Quas pœnas incurrant ſepelientes excommunicatum in loco ſacro, à nu. 76. Qui dicantur excommunicani ſepelire? n. 78. Tempore interdicti prohibitum eſt in loco ſacro cadauera ſepeliri, cap. 6. nu. 69. Interdicti perſonaliter in nullo loco ſacro poſſunt ſepeliri, num. 70. Debet eſſe interdictus ſpecialiter denuntiatus, qui ſepultura ſacra priuatur, num. 71. Adhuc in feſtiuitatibus, in quibus ſuſpenditur interdictum in cap. *Alma mater.* Non poſſunt laici in loco ſacro ſepeliri, nu. 73. Quomodo poſſint Clerici interdicti in loco ſacro ſepeliri? n. 75. Quod priuilegium concedat Bulla Cruciata in ordine ad ſepulturam ſacram tempore interdicti? n. 78. Ceſſatio à diuinis ex ſe non priuat ſepultura Eccleſiaſtica, nu. 108.

*Seruus, Seruitus.*

Serui ſunt in duplici differentia, tr. 9. cap. 10. nu. 19. Seruus eſt res domini quantum ad ea, quæ naturalibus ſuperadduntur. Sed quantum ad naturalia omnes ſunt pares, tr. 9. cap. 6. nu. 32. Seruus contrahens ex conſenſu domini Matrimonium, non poteſt illi dominus aliquid præcipere tempore, quo uxor debitum poſtulat, n. 33. Quomodo ignorantia ſeruitutis ſit impedimentum dirimens Matrimonium, cap. 10. nu. 21. Si ſeruitus ſciatur non dirimit Matrimonium, nu. 20. Solum iure Eccleſiaſtico eſt nullum Matrimonium cum errore ſeruitutis contractum, nu. 25. In quo aſſimilentur error ſeruitutis, & perſonæ? n. 26. Etiamſi error ſeruitutis craſſiſſimus ſit, Matrimonium dirimit, n. 28. Quid, ſi ignorantia eſſet affectata? n. 29.

Quomodo ſeruitus per Matrimonium deperdatur, à nu. 33. Non requiritur dominorum conſenſus, ut validè ſerui contrahant Matrimonium, tr. 9. cap. 6. nu. 30. Peccat dominus, qui ſeruorum impedit Matrimonia, n. 33. Non poſſunt domini cogere ſeruos ad Matrimonium, n. 34. Seruitus, quamdiu durat, inducit irregularitatem, tract. 10. cap. 9. nu. 59. Ad quid teneatur Epiſcopus ſeruum contra voluntatem domini ordinans? cap. 9. n. 60. Ad quid ipſe ſeruus teneatur? n. 61. Reliqua, vide in verb. *Libertas.*

*Significatio.*

Quid ſignificet Matrimonium? tr. 9. cap. 3. n. 2. Ex defectu ſignificationis quomodo irregularitas contrahatur? tr. 10. cap. 9. nu. 25. Quare non ſignificetur gratia in verbis Sacramenti Ordinis? tr. 8. cap. 2. nu. 4.

*Subdiaconatus.*

Quæ ſit eius materia, & forma? Et an peccet mortaliter, qui munera huius Ordinis in peccato exercet? tr. 8. cap. 3. nu. 18. & deinceps.

*Subreptitium.*

Per Ordinis ſubreptitiam receptionem irregularitas incurritur, t. 10. c. 8. n. 73. Quis ab ea abſoluere poteſt? n. 75. Quando reſcriptum eſt ſubreptitium, nullius eſt momenti, tr. 9. c. 14. n. 31. Quæ expreſſio falſitatis, vel veritatis ſuppreſſio gratiam ſubreptitiam reddat? n. 33. Qualis manifeſtatio impedimentorum requiratur, ut diſpenſatio non ſit ſubreptitia? nu. 44. Non requiritur, quod mentio fiat diſpenſationis iam obtentæ, ut non ſit ſubreptitia diſpenſatio, n. 47. An debeant omnia impedimenta eiuſdem rationis aperiri, ut non ſit diſpenſatio ſubreptitia? num. 49. Poteſt diuiſiuè qui plura habet impedimenta, diſpenſationem illorum impetrare. à nu. 52.

*Suſpenſio.*

Qui ſit? tr. 10. cap. 5. nu. 1. & 2. Vbi variæ diuiſiones enumerantur. Quotuplex ſit? nu. 5. Forma ſuſpenſionis, & aliæ diuiſiones explicantur, n. 6. & deinceps. Suſpenſorum alij vitandi, alij tolerati ſunt. Et diſcrimen ponitur inter excommunicationem, & ſuſpenſionem, nu. 9. & 10. Qui ab uno munere ſuſpenditur, non manet ſuſpenſus ab alio, nu. 11. Ex genere ſuo eſt peccatum mortale violare ſuſpenſionem. Et pœnæ contrà frangentes ſuſpenſionem declarantur, nu. 12. & 13. Eſt etiam prohibitum communicare cum ſuſpenſis, num. 14. Quales actus validi, vel irriti ſint, ſi à ſuſpenſo fiant. Et an ſuſpenſus ab Ordine ſuſpendatur à iuriſdictione, nu. 15. & deinceps. An ſuſpenſus à Beneficio, ſit etiam ab officio, vel è contrà? nu. 18. & deinceps. A quo priuetur ſuſpenſus ab officio? Et quæ poſſet exercere? nu. 23. & 24. Quos effectus habeat ſuſpenſio à iuriſdictione, & quos ab Ordine? Et an qui à maiori Ordine eſt ſuſpenſus, ſit à minori? nu. 26. & deinceps. Qui eſt determinatè ſuſpenſus à minori Ordine, à maiori non ſuſpenditur, nu. 29. & deinceps. Quibus priuetur ſuſpenſus à Beneficio? An illud poſſit adminiſtrare, & an ſuſpenſus ab uno, poſſit alterius fructus percipere? nu. 34. & ſequentibus. Quomodo habens plura Beneficia non maneat ab omnibus ſuſpenſus? num. 37. & deinceps. Quæ ſint cauſæ, & quos comprehendat ſuſpenſio? nu. 39. & 40. Poteſt in communitatem ferri ſuſpenſio. Et diſcrimen inter eam, & excommunicationem explicatur, nu. 41. & deinceps. Pro qua culpa ponatur, nu. 44. Qua ratione ſuſpenſio impediri, vel tolli poſſit? n. 50. per totum p. Ordinatus ſine titulo incurrit ſuſpenſionem, tr. 8. c. 6. nu. 73. & deinceps. Quid de ordinato ficto titulo, num. 75.

*Suffragia.*

Omnibus ſuffragijs Eccleſiæ priuatur excom-

municatus, tr.10.ca.3.nu.51. Quæ ſint iſta ſuffragia? nu.52. Non poſſunt offerri pro excommunicatis, etiamſi ſint in gratia, nu.54. Quomodo offerri validè poſſint pro illo, nu.55. Suffragia priuata pro excommunicatis poſſunt applicari, nu.56. Poſſunt etiam publica pro toleratis offerri, nu.58.

*Sponſalia.*

Varia eorum munera, & acceptiones explicantur, tr.9.ca.1.num.1. Quid ſint, in explicatione definitionis proponitur, num.2 Ratione ſponſalium non fit, ut ſi ſponſus cum aliena, vel è contrà, commiſceantur, copula ſit adulterina ſaltem in foro conſcientiæ. Nec filij ex ea procreati, nu. 4.& 5. Verumtamen talis fornicatio ex parte utriuſque induceret malitiam ſpecificè diuerſam in confeſſione aperiendam, nu.11.

Requiritur ad valorem ſponſalium mutua utriuſque contrahentis promiſſio, & quare? nu.13. Et debet eſſe acceptata, ut obligationem pariat, n.14. An hoc ipſo quòd aliquis acceptet, intelligatur repromittere? Et quid de promiſſione ſpontanea, & gratioſa? Quid de æqualitate obligationis? à nu.15. uſque ad 22.

Ad valorem ſponſalium requiritur intentio, n. 23. An qui fictè promiſit animo non obligandi, teneatur ex iuſtitia ſtare promiſſis? à n.24. uſque ad 32. Vbi variè acceptiones fictè promittentis explicantur. An qui fictè promittens matrimonium virginem defloravit, teneatur eam ducere? Et quid ſi ſit vir nobilis, aut diues. Quid ſi fœmina inæqualitatem ignorabat? Et quid, ſi eum fœmina corrupta rem haberet? à num. 32. uſque ad 41. Promiſſio ad ſponſalia debet eſſe manifeſta. Quæ diſtinctio detur inter hominibus factam, & Deo. Quod propoſitum? Quæ verba obligationem inducant? Quid de taciturnitate? De parentibus pro filijs? Et quid de ſignis? à nu.41. uſque ad nu.50. An Matrimonium habeat vim ſponſalium? Et inter quos? à nu.50. uſque ad 56. Requiſitur libertas, ob cuius defectum aliqua ſponſalia contrahere nequeunt. Et quid de metu leui, & de clandeſtinis ſponſalibus? à nu.57. uſque ad 69. Qui inhabiles ſint? Quæ ætas requiratur? Et an ſi malitia ſuppleat ætatem ſponſalia contrahi poſſint? à num.70. uſque ad 79. An ſit peccatum antè ſeptennium, vel pubertatem ſponſalia contrahere? à nu.79. uſque ad 83.

Quis ſit ſponſalium iudex circà adimpletionem? An poſſint ſponſi compelli? Quando, & ſub qua qualitate culpæ obligent? a nu. 83. uſque ad puncti finem. Illicitum eſt atque irritum pœnam ſponſalibus ponere, & alia plura de pœnis, à num. 95. uſque ad finem capitis. Etiamſi iuramento firmentur, poſſunt mutuo contrahentium conſenſu diſſolvi. Et quid de impubere? ca. 2. toto punct.1. An per ingreſſum Religionis præciſè, vel poſt factam profeſſionem? Et ex parte cuius Sponſalia diſſoluuntur? Quid per Ordinis ſuſceptionem, & voti emiſſionem? num.16. per totum punctum.

Per ſubſequens Matrimonium diſſoluuntur ſponſalia. Quid per noua ſponſalia? Et quid, ſi per ea fuerit copula ſecuta? An ſi Matrimonium contractum diſſolveretur, ſubſiſterent ſponſalia? Et an per ſecunda ſponſalia contrahatur impedimentum publicæ honeſtatis? nu.36. per totum p. Quid de tempore diſſolutionis, & illius qualitate? num.50. uſque ad 63. Quæ cauſæ ſufficiant ad diſſolutionem, nu.63. uſque ad 85. & 99. Quando poſſint propria authoritate diſſolui, & plura circà hoc, nu.100 uſque ad finem capitis.

An conditiones inhoneſtæ à ſponſalibus reijciantur? tr.9.ca.7.num.104. uſque ad finem cap. Ex ſponſalibus inualidis ex quocumque capite non oritur impedimentum ad Matrimonium, tr. 9.ca.12.nu.84. Quid, quando mutuo conſenſu ſponſalia diſſoluuntur? nu. 89. Quando ex ſecundis ſponſalibus hoc impedimentum oriatur? nu.90. Et quid de conditionatis? num.91. Ratione raptus irritantur ſponſalia, nu.154. Quomodo ſponſalia impediant Matrimonium, tr.9. ca.13.nu.4.

*Taciturnitas.*

Vtrum ſit ſufficiens ad conſenſum requiſitum ad Matrimonium? tr.9 ca.6.nu.61. & 62.

*Tempus.*

Quid ſit Eccleſiæ vetitum tempus? tr.9.c.13. nu.1. Quid ſit tempus feriarum? num.2. Quod tempus intercedere debeat inter unum, & alium Ordinem? tr.8.ca.4.nu.87. Quibus temporibus Ordines conferri debeant, num.78. Eodem die poſſunt omnes minores recipi. Etiam cum Subdiaconatu poſſunt, nu.80. Qui poſſint extra tempora ordinari? à nu.81. Quod tempus requiratur ad legitimam conſuetudinem introducendam? tr.9.ca.11.nu.24.

Quomodo ratione temporis ſit illicitus, vel non, uſus Matrimonij, ca.15.nu.58. Poteſt tempus determinatum pro ſponſalibus aſſignari, ca.2. nu.50. Quid, ſi ſit dubium, an tempus præfixum fuerit animo ſolicitandi vel finiendi obligationem? nu.51. Quando ſponſalia contracta ſunt, nullo tempore determinato, per nullius lapſum diſſolvitur, num.52. Quando cenſenda ſit grauis mora, nu.53. Quod tempus aſſignatur ad ſolicitandam executionem, per hoc quod tranſeat, non diſſoluuntur ſponſalia, num.54. Si ad finiendam obligationem, eo tranſacto, ceſſat, nu.55. Quid, ſi inculpabiliter tranſeat tempus? nu.56.

*Timor.*

Eſt triplex, infamiæ, excommunicationis, & bonorum amiſſionis, tr.9.ca.9.nu.21. vide verb. *Metus.*

*Titulus.*

Nemo poteſt in ſacris ordinari, niſi habeat titulum ad decentem ſuſtentationem, tr.8.ca.6.nu. 61. Pœna contrà Epiſcopum abſque titulo aliquem ordinantem, num.62. Qui poſſint ordinari titulo paupertatis, nu.64. An titulo ſufficientiæ aliquis poſſit ordinari? nu.65. Debet habere Beneficium, & quale? nu.67. Ad titulum coadiutoriæ præſtimonij poteſt aliquis ordinari, nu. 69. Ad titulum Beneficij certi de futuro nemo poteſt ordinari? nu.70. Nec qui titulum haberet, ſed poſſeſſionem impeditam, nu.71. Quam pœnam

subeat

ſubeat ordinatus abſque vero titulo, nu.72. Quid veniat nomine patrimonij, ad cuius titulum poteſt quis ordinari? nu.76. Non poteſt filius prædiuitis patris ordinari ad titulum hæreditatis futuræ, nu.77. Peccat mortaliter, qui ad titulum patrimonij ficti ordinatur, num.78. An ſit valida renuntiatio patrimonij, aut Beneficij, ad cuius titulum quis ordinatus eſt? nu. 83.

*Toleratus.*

Qui ſint excommunicati tolerati, tr.10 ca.3. nu.10. Sunt tolerati omnes, qui non ſunt denuntiati, vel publici percuſſores Clericorum, nu. 11. Qui inducit excommunicatum toleratum, ut celebret, non peccat, num.23. Et ipſe licitè poteſt celebrare, populo poſtulante, nu.37. Et validè, & licitè poteſt Sacramenta miniſtrare, nu.35. Non poteſt recipere Sacramenta, nu.41. Non peccat, contrà præceptum Eccleſiæ, qui illi Sacramenta miniſtrat, nu.49. Poſſunt publicæ orationes, & ſuffragia pro toleratis offerri, nu.58. Ipſis tamen prohibitum eſt communicare cum alijs in officijs diuinis, nu.60. Inualida eſt collatio Beneficij illis facta, nu.103.

*Tonſura.*

r De origine primæ tonſuræ, materia, & forma, muneribus, & ſubiecto. Et de conditionibus, ut gaudeant priuilegijs primo initiati. Et quo peccato irretiantur Beneficium habentes, aut ſacris initiati, & habitum Clericalem non portantes? tr.8. ca.3.nu.1. per totum p. Tonſura non eſt Ordo, tr.8.c.1.nu.27. Quæ ætas requiratur ad primam tonſuram? tr 8.c.5.nu.29. Vxoratus nequit tonſura, aut Ordinibus minoribus initiari? ca.6.nu. 51. Irregularitas impedit receptionem tonſuræ, ca.3.nu.4. validè tamen recipitur cum ea, ibi.

*Verba.*

In Sacramento Ordinis forma ſunt verba Epiſcopi, tr.8.ca.2.num.1. Rectè per verba modi imperatiui fit, nu.3. Quare non ſignificetur gratia in verbis huius Sacramenti? num.4. Non poſuit Chriſtus pro hoc Sacramento determinata verba, nu.5. Non poteſt in Eccleſia Latina per verba, per quæ in Græca, nu.6. Quæ verba ſint propria ſingulorum Ordinum, vide ſuis locis.

Verba utriuſque coniugis ſunt materia, & forma Matrimonij, tr.9. ca.3. nu.63. Quomodo id exerceant? nu.68. Debet conſenſus verbis, vel ſignis exprimi in Matrimonio, ca. 6. nu.38. Debent eſſe verba de præſenti, nu. 55. Quid, ſi ſint verba dubia, & capacia utriuſque ſignificationis? nu.59. In cenſuræ impoſitione debent verba exprimentia ſpeciem cenſuræ apponi, t.10.c.1.n.62. Quid, ſi verba ſint disiunctiua? nu. 63. Non requiruntur verba, ſed ſufficiunt ſigna, nu.65. Non debent eſſe ambigua nu.66.

*Vicarius Epiſcopi.*

An poſſit litteras dimiſſorias dare, & Ordines conferre, vide verb. *Ordo*. Vicarius Epiſcopi non habet iuriſdictionem, Epiſcopo excommunicato, tr.10.c.3.nu.66. Quomodo ex licentia Epiſcopi poſſit ab hæreſi occulta abſolvere? ca.2.n.55.

*Vidua.*

Qui contrahit cum vidua, bigamus eſt, & irregularis, tr.10.ca.9.nu.30. Si tale Matrimonium fuerit nullum, irregularitatem non inducit. n.31.

*Vinculum.*

Quid ſit vinculum? tr.9.ca.3.nu.4. Vinculum Matrimonij ſine conſenſu contrahentium nequit à Deo produci, tr.9.ca.6. nu.13. Vinculum indiſſolubile eſt finis Matrimonij tr.9.cap.3.nu.23. Manet Matrimonium quoad vinculum poſt diuortium, tr.9.ca.16.nu.1.

*Vitandus.*

Qui ſint excommunicati vitandi? tr.10.cap.3. nu.10. Etiamſi ſint publici hæretici, ſi non ſunt nominatim denuntiati, non ſunt vitandi, nu.11. Quis dicatur nominatim excommunicatus? num. 13. Qui dicatur notorius percuſſor Clerici, qui vitandus eſt? à nu.16. Peccat mortaliter, qui Sacramenta à vitando recipit, num.40. Qui illi Sacramenta adminiſtraret, mortaliter delinqueret, n. 47. Poteſt ſine ſocio recitare officium diuinum, nu.62. Imò ad hoc tenetur, nu.63. Debet à iudicio repelli, ſi ſe ingerat, nu.118.

*Vnio, Vnitas.*

Duplex eſt unio Chriſti cum Eccleſia, tract.9. cap.3.num.41. Matrimonium licet in eſſe entis quoad materiam, & formam multiplicetur, ſecus formaliter, ut deſeruiunt ad eundem mutuum contractum, nu.52. Eſt tamen duplex virtualiter, nu.56. Ad Matrimonium unitas requiritur, tr.9.ca.5.nu.1. Vnam fœminam ſimul plures viros habere eſt iure diuino, & naturali prohibitum, nu.2. Et contra prima legis naturæ præcepta, nu.3. Multiplicitas uxorum lege poſitiua, diuina, & naturali eſt prohibita? à num. 7. & deinceps.

Sed non eſt contrà prima legis naturæ præcepta, num.22. In populo Hebræorum multiplicitas uxorum licebat. Et quomodo? à num.31. & deinceps. Quibus facta fuerit talis diſpenſatio? n. 34. Non fuit extenſa talis diſpenſatio ad Gentiles, nu.51. Ceſſauit iam per Chriſti Domini legem, nu.52. Mortua uxore, cum alijs licet contrahere, à n.54. Et ſecundum Matrimonium verum eſt Sacramentum gratiam conferens, nu.62.

*Voluntas.*

Ad voluntarium interpretatiuum requiritur, quod poſſit, teneatur, & non faciat, tr.9.cap.10. nu.28. Quod dicatur homicidium voluntarium? Et de conditionibus ad hoc requiſitis, tr.10.c.8. à nu.1. vide verb. *Libertas*.

*Votum caſtitatis.*

Quomodo impediat Matrimonium? tract.9. c.13.nu.5. Deus vult, ut promiſſio facta per votum pendeat ex conſenſu parentum, t.9.c.6.n.18. Votum ſolemne caſtitatis in Religione emiſſum

dirimit Matrimonium, tr.9.ca.12.num.3. Poteſt Eccleſia ſacris Ordinibus votum caſtitatis annectere. tr.8.ca.6.nu.1. Ad tria obligat tale votum, nu.2. Quàm iuſtè ab Eccleſia hoc ſit factum, nu.3. Iure naturæ non eſt votum caſtitatis Ordinibus annexum, nu.4. Nec etiam iure diuino, nu.11. Diuerſitas inter Religioſos, & Clericos in hac parte, nu.16. Obligatio continentiæ in ordinatis non oritur ex lege Eccleſiæ, ſed ex voto, nu.26. Solemnitas talis voti eſt ex inſtituto Eccleſiæ, num.31. Ex ſuppoſitione poteſt Eccleſia aliquos ad votum caſtitatis obligare, non abſolutè, nu.32. Sufficit, quòd verbis, vel factis exprimatur, nu.34. Etiam ſi quis ignoraret, eſſe votum caſtitatis Ordinibus ſacris annexum, ad illam obligatus maneret, nu.35.

Si quis nollet votum emittere in Ordinibus, non peccaret peccato ſacrilegij contrà votum operatione, nu.38. Religioſus Sacerdos, qui contrà caſtitatem delinquit, unum tantum ſacrilegium committit, nu.39. Qui inualidè ordinatus eſt, ad votum caſtitatis non tenetur, num.41. Nec qui ante uſum rationis ordinatur, nu.42.

Imò etiam manet liber à voto, ſi quis antè pubertatem ordinaretur, nu.43. Qui ex metu graui ordinatur, ad caſtitatem non tenetur, nu.46. Niſi poſtmodum factum rectificet, num.47. Per votum caſtitatis, & Ordinum ſponſalia diſſoluuntur, tr.9.ca.2.nu.29. Si emiſſum ſit votum poſt illa, nam ſi antè illa, nulla ab initio relinquit, nu.30.

Per votum caſtitatis ſponſæ ſponſus à ſponſalibus manet liber, nu.31. Etiam ex parte vouentis, qui licitè poſt ſponſalia poteſt emittere votum, num.33. Qui eſt impeditus per votum caſtitatis, iniuſtè petit debitum uxori, ca.15.nu.13. Quibus caſibus adſtrictus voto caſtitatis debitum reddere nequeat? nu.15. Quomodo fœmina excuſetur tunc debitum reddendo nu.16.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google